








7
8 F
31

MAGNA

BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Ecclesiasticorum.*

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE SORBONICO IN ACADEMIA PARISIENSI THEOLOGO collecta, & tertiò in lucem edita.

Nunc verò plus quàm centum Authoribus, & opusculis plurimis locupletata, historica methodo per singula sæcula, quibus Scriptores quique vixerunt, disposita, & in XIV. *Tomos distributa:*

OPERA ET STVDIO DOCTISSIMORVM IN ALMA VNIVERSITATE COLON. AGRIPP. THEOLOGORVM AC PROFESS.

TOMVS DECIMVS TERTIVS,

Continens Scriptores sæculi XIII. id est, ab Ann. Christi 1200. vsq; ad ann. 1300.

PERMISSV SVPERIORVM.

Coll. Rom. Soc. Jesu

B. S.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, sub signo Gryphi.

ANNO M. DC. XVIII.



Ex Legato Illustriss: Forcini.

[illegible] H O [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



SERIES AVTHORVM ET OPVSCVLORVM, QVÆ HOC MAGNÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM TOMO SIVE SÆCVLO DECIMOTERTIO CONTINENTVR.

*Asterisco notati * recens accesserunt.*



Aelredus * Rhieuallensis in Anglia ex ordine Cisterciensi Abbas, & S.Bernardi contemporalis, floruit ann. Domini 1200. scripsit varia opuscula, quæ ex vetustis M.S.Codd. à Richardo Gibbono Soc. Iesu in lucem edita, variisque Lectionibus & marginalibus citationibus illustrata, extant pag.1.& seqq.

* Guarricus Abbas Igniacensis, S. Bernardi discipulus, floruit anno 1280. scripsisse fertur plura, quæ non extant. Sermones ipsius ex editione Ioan. Costerij ord. S. Augustini habentur pag.158.& seqq.

* Lucas Tudensis Episcopus Hispanus, vixit hoc sæculo, scripsit inter alia Chronicon, quod cum Rer. Hispanicarum scriptoribus editum sit, hîc omisimus, extant ipsius De altera vita, fideique Controuersijs aduersus Albigensium errores libri III. ex edit. & cum notis Ioan. Marianæ, Iacobi Gretseri, & Andreæ Schotti Soc. Iesu Theologor. pag.228.& seqq. Accedunt scriptores aliquot succedanei Lucæ Tudensis contra sectam Waldensium à Iacobo Gretsero Soc. Iesu simul editi & prolegomenis eiusdem illustrati, pag.288.& seqq. sunt autem hi:

* 1 Reineri Liber contra Waldenses.

* 2 Catalogus in quo variorum hæreticorum deliramenta insunt.

* 3 Petrus de Pilichdorff contra Waldenses.

* 4 Refutatio errorum, quibus Waldenses distinentur.

* 5 Index errorum Waldensium.

* 6 Modus examinandi Waldenses.

* 7 Fragmentum de erroribus Beghardorum ex m.s.libro Conradi de Montepuellar. (Magdeburg forte) contra Beghardos & Beginas.

8 * Epistolæ septem de venerabili sacramento Eucharistiæ, ex quibus sex refellunt delirium Folmari Præpositi Trieffensteinij, seu petræ stillantis, epistola prima propositum & expositum, extant pag.345.

S. Franciscus Assisias, quæ ciuitas est in Vmbria, primus Institutor sui ordinis, toto orbe sanctitate clarissimus, scripsit aliqua pia opuscula, ex quibus extant: Exhortatio ad fratres omnes pag.348. Laus Domini Dei altissimi: Oratio ad Deum vna, & binæ ad B. Virginem: Verba ipsius ad humilitatem, obedientiam, &c. inducentia, pag.350. Epistola ad Sacerdotes sui Ordinis: Testamentum ipsius S. Francisci, pag.351. Oratio super *Pater noster*, pag.352.

S. Ludoui-

S. Ludouicus Galliarum rex Christianissimus, edidit Pragmaticam sanctionem, quæ extat pag.353. Eiusdem memorabile fœdus cum Raimundo Tolosatum Comite Arriano, ibid.

S. Edmundus, Theologus Parisiensis & Cantuariensis Archiepiscopus, floruit anno Domini 1240. scripsit Libellum, qui inscribitur Speculum Ecclesiæ, quod habetur pagina 355. & seqq.

Nico quidam grecus, claruit vt putat Coccius hoc sæculo, scripsit quædam, sed non extat, nisi fragmentum quoddam ex epistola ad Enclistium de iniusta excommunicatione, & aliud de pessima pessimorum Armeniorum Religione, pag. 366.

Gulielmus Parisiensis vixit hoc sæculo, damnauit Errores detestabiles aliquot contra Catholicam veritatem, qui extant pag. 367.

Fratris Guilielmi Moritæ, postmodum Constantiensis Episcopi errores damnati Parisijs anno 1240. extant pag. 368.

Stephani Parisiensis Episcopi rescriptum de quorundam errorum & librorum damnatione, anno 1270. & 1277. extat pag. 368. & seq.

Vrbanus Quartus Pontifex, qui sedit anno Christi 1261. scripsit metaphrasim, siue expositionem in Psalmum Dauidis Quinquagesimum, extat pag. 369.

Robertus de Sorbona S. Ludouici Regis Galliarum Christianissimi Pœnitentiarum Oeconomus, scripsit tria opuscula: De Conscientia, De Confessione, & Iter Paradysi, quæ extant pag. 379.

* Guibertus Tornacensis, siue alijs Gilbertus Ord. Minorum, vixit anno Christi 1270. scripsit paruum Tractatum de officio Episcopi, & Ecclesiæ cæremonijs, extat ex recognitione Theodori Coisfeldii ordinis S. Antonij, pag 395.

* Dauid de Augusta dictus, natus fuit Augustæ Vindelicorum in Germania, ordinis Minorum, vir pijssimus, scripsit varia opuscula spiritualia valde vtilia, quæ extant omnia ex editione Augustana, pag. 413.

Iacobus de S. Georgio ad Velum aureum Diaconus Cardinalis, scripsit præter alia librum de Anno Centesimo, seu Iubileo, qui extat pag. 479.

Athanasius Constantinopolitanus Patriarcha floruit iuxta Coccium hoc sæculo, scripsit Epistolas octo de necessaria Episcoporum residentia, extant pag. 486.

FINIS.



BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ET ANTIQVORVM ECCLESIASTICORVM SCRIPTORVM

B F

Sæculum Decimum-Tertium.

DIVI AELREDI RHIEVALLENSIS QVONDAM IN ANGLIA EX ORDINE CISTERCIENSI ABBATIS, ET D. BERNARDI CONTEMPORALIS Opera omnia

Ope & studio R. P. Richardi Gibboni Societatis Iesv Theologi,

C Ex Vetvstis M. S. nunc primum in lucem producta. Variisque Lectionibus & Marginalibus Citationibus illustrata. G

Additi ANONYMI RHYTMI de Laude Virginitatis.

ELENCHVS EORVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

D. Aelredi Homiliæ xxxj. in Isaiam de oneribus Babylonis, Philistijm & Moab.
Eiusdem Compendium Speculi.
Eiusdem Speculum Charitatis. *Lib. III.*
Eiusdem de Spirituali amicitia. *Lib. III.*
Eiusdem Homilia in Lucam de IESV puero duodenni.
Anonymi Rhytmi de Laude Virginitatis.

D Catalogvs operum D. Aëlredi ex Ioanne Trithemio de Scriptoribus Ecclesiasticis. H



Dilredus Abbas cuiusdam cœnobij ordinis Cisterciensis, vir in sanctis Scripturis iugi studio exercitatus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, ingenio mitis, eloquio dulcis, deuotione præcipuus: scripsit ad vtilitatem fratrum suorum nonnulla opuscula, quibus & illis profuit, & nominis sui notitiam adposteros transmisit. E quibus extat opusculum magnæ vtilitatis viris religiosis, spiritalibus sententiis refertum, quod prænotauit. Specvlvm Charitatis libr. 1. in Lucam Homil. 1. Cum esset Iesvs. *Et alia, quæ non vidi, Claruit temporibus Henrici sexti circa annos Domini. M. CC.*

Ex Gvilielmo Eysengreino in Catalogo Testium veritatis ad annum Christi M.C.LX.IV.

Alredvs Rhievallis Monachus Cisterciensis, Anglus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studiis doctus, & inprimis eruditus, *Vitam S. Eduardi Anglorum Regis* doctissimis commentariis absoluit. *De natura Animæ* libros confecit. *Super onus Babylonis Isaiæ* volumen scripsit. *Homilias quoq; plures* ad diuersos dedit.

Ex eodem ibidem ad annum Christi. M.CC.

Ethelredvs Abbas *Cisterciensis, Anglus, vir disertissimus, non minus vita quam eloquentia spectatus, opusculum Religiosis viris vtilissimum, spiritualibus sententijs instructum, quod inscribitur.* Speculum charitatis, *absoluit.* Homilias in Lucam *edidit.* Sermones & Epistolas plures *ad diuersos scripsit.*

HÆC ISTI.

Vbi obseruandum in Trithemio, *Speculum Charitatis* ab eo conspectum non esse vel inde colligi, quod librum

A I. tantũ recenseat, cum tres ipsemet Aëlredus numeret in Prologo eiusdem operis: nisi dicere velimus Trithemium de Compendio intelligendum esse, non de pleniori opere.

Idem fere quod Trithemius habet Sixtus Senensis.l.4. Bibliothecæ sanctæ, qui tamen cum non oẽs, sed eos tantum recenseat Auctorum commentarios, qui ad sacrę scripturæ explanationem faciunt, nec meminerit Aëlredi nostri homiliarum, quas damus in Isaiam, verisimile est illarum notitiam non habuisse.

In Eysengreino illud nota *Alredum Rhieuallensem* Monachum Cistercienlem, & *Ethelredum Abbatem* Cistercięsem, vnum eundemq; auctorem esse, non diuersos, vt ipse fortassis existimauit, referens ad diuersos annos: nam quę numerauit opera, vnius nostri sunt Aëlredi, non plurium auctorum, vt infra ostendemus.

B Catalogvs operum D. Aelredi ex centuria II. Scriptorum Britanniæ. numero XCIX.

Ealredvs Rhieuallensis (Ethelredum plures vocant) Cisterciensium Monachorum in Rhieualle Eboracensis diœcesis Abbas, genere, doctrina. & inculpata vita moribus, vt Capgrauius habet, præclarus emicuit. Solitariæ vitæ ardore totus inflammatus talis ac tantus euasit, vt breui socios suæ professionis omnes, omnibus vitæ ornamentis superaret. Accessit ad hæc litterarum cognitio, quæ tanto illi ad omne genus doctrinæ incitamento fuit, vt nullum scientiæ genus intactum relinqueret. Dauidi Scotorum Regi familiarissimus olim, cũ adhuc adolescens esset, Episcopatũ, & alios mundi honores recu..bat, vt ad exercitia virtutũ expeditior haberetur. Varios ad tumultuaria certamina Principum motus, potissimum vbi nulla spes pacis expectabatur, mira solebat industria compescere, atq; ad optatum perducere finem. Vir erat idem: atq; alter Bernardus, ingenio mitis, actione pius, & cõsilio modestissimus; diuiq; Aurelij Augustini confessiones pro immenso semper habebat thesauro. Composuit inter cætera, & scripsit primo ad Laurentium Abbatem VVestmonasteriensem.

C Vitam Eduardi Anglorum Regis. Lib. II. *Multis veterum studio fuisse.*

Vitam Dauidis Scotorum Regis. Lib. II. *Religiosus & prius Rex.*

Vitam Niniani Episcopi. Lib. I. *Multis virorum bonorum.*

Vitam Margaretæ Reginæ. Lib. I.

De miraculis D. Eduardi. Lib. I. *Rebus humanis exemptus.*

De Regibus Anglorum. Lib. I. *Quoniam de optimis moribus.*

Miracula Hagustaldensis Ecclesiæ Lib. I. *Præsentis diei exposcit ratio,*

Chronicon ab Adam ad Henricum primum. Lib. I.

Sententiarum flores. Lib. I. *Cum multa diuinæ auctoritatis.*

Vitam Eduardi carmine. Lib. I. *Cum tibi Laurenti cogar parere.*

D Homiliarum iustum volumen. Lib. I. *Petis à me dilectissime in Domino.*

In Euangelium accensæ lucernæ. Lib. I.

De prælatorum moribus. Lib. I. *Beatus Paulus Apostolus.*

De ministrorum officijs Lib. I. *In Numerorum libro scriptum est.*

De Abusionibus Claustri. Lib. I. *Duodecim sunt abusiones clau.*

Centum sermones synodales. Lib. I.

Speculum charitatis. Lib. III. *Vere Sanctorum vera & dis.*

De vera amicitia. Lib. I. *Cum adhuc puer essem.*

De amicitia spirituali. Lib. III. *Ecce ego & tu.*

De aduentu Domini. Lib. I.

De militia Christiana. Lib. I. *Sagitta Ionathæ nunquam abijt.*

Super onus Babylonis. Lib. I. *Tempus est fratres charissimi.*

De oneribus Isaac. Lib. I. *Auens te Pater beatissime.*

E Dialogos plures. Lib. I.

Inter hominem & rationem. Lib. I. *Quare tristis es anima mea.*

De institutione inclusarum. Lib. I. *Iam pluribus annis exigis à me.*

De quodam miraculo. Lib. I. *Miracula Domini & manifesta.*

Super Canticis Canticorum. Lib. I.

Epistolas trecentas. Lib. I. *In quieto littore degens adhuc.*

De lectione Euangelica. Lib. I.

De Christo duodenni. Lib. I.

Super Lucam etiam. Lib. I.

De Virginitate Mariæ. Lib. I.

De natura animæ. Lib. I.

De dotibus eiusdem. Lib. I.

Atque alia multa. Rhieualli migrauit ab hoc sæculo Ealredus homo pius, anno salutis humanæ 1166. pridie Idus Ianuarij, vitæ suæ anno. 57. sub Henrico II. Anglorum Rege, Sanctorum ascriptus F *tandem numero. In omni scribendi genere D. Bernardo simillimus hic fuit.*

ANIMADVERSIO.

Quæ fides huic Catalogo, ab hæretico homine Ioanne Balæo confecto, adhibenda sit, alijs ego iudicandum relinquo. Illud certe liquet, falsum esse in eo quod asserit, distinctos esse libros, de vera amicitia, *& de* amicitia spirituali; *nam quod ponit pro principio libri de* vera amicitia, *tanquam diuersi à tribus libris de* amicitia spirituali, *nil aliud est quam proœmium horum trium librorum, quod vel ex ipsomet Aelredo perspicuum est. Iam quod numerat* de lectione Euangelica libro. I. de Christo duodenni lib. I. Super Lucam etiam lib. I. *Mihi fit verisimile, non esse nisi hanc vnicam homiliam, quam damus de* G *IESV* puero duodenni, *cuius solius meminerunt Trithemius, & Eysengreinus locis citatis, & Sixtus Senensis Bibliotheca sacræ lib. 4. Hoc saltem ex Trithemio, & Balæo pro comperto habemus, quæ tanquam diuersorum hominum opera recensentur ab Eysengreino, vnius esse huius nostri Aelredi, quod præter. M. S. codices, testatur auctor ille, quisquis fuit, qui collegit Allegorias & Tropologias in locos vtriusque testamenti selectiores, editas primum Parisijs anno 1520. à Iodoco Badio, & rursus ibidem opera Godefridi Tilmanni, apud Sebastianum Niuellium anno 1574. Præter enumerata nostri auctoris opera, inuenio in Ecloga Oxonio Cantabrigiensis lib. 2. recenseri in Catalogo Philosophorum, Athelredi (sic ibi vocatur)* Opus de bello Standardi. *Ex enumeratis etiam multa in varijs Bibliothecis latere dicuntur.*

Ad Aelredum vero quod attinet, sunt qui Adilredum, Ethilredum, Aluredum, & Ealredum vocant: mihi magis placet vt Aelredus appelletur, paulum inflexo nomine, præsertim cum ipsemet libro 1. Speculi c. 34. non longe ab initio, se Hailredum nuncupet. Accedit auctoritas Nicolai æque Rhieuallensis in Epigrammate, quod ex eo laudat Ioannes Picardus Canonicus ad S. Victoris Parisiensis, in notis suis ad librum primum Guilelmi Neubrigensis, de rebus Anglicis, statim in principio. Est autem eiusmodi.

H Inclitus Ælredvs conditus aromate morum,
Et mellis fauus, & dulcedo fuit Monachorum.
Flore iuuentutis hunc Regis regia fouit;
Quæq; nociua procul, animoque, manuque remouit.
De * Henrico venit in Hierusalem duce Christo, * Lego Hierico.
Hic cito fructificat, spinas in lilia vertit.
Sparsa recollegit, & in vnum fracta redegit.
Celsior hinc factus, post cœlica præmia nactus
Si libet, & fas est hic dicere, vera retexam;
Nec reor ordiri quicquam de stamine falsi.
Mavrvs erat maturis moribus; & Benedictvs
Exemplo; similis Bernardo cælibe vita.
Virtutum specimen, vitiorum scopa, decusque
Ordinis, & speculum, via pacis, fibula legis.
Prætulit exuuias Pauli Hieronymus auro
Crœsi; nostra pari decoratur gemma nitore.
Intitulant alios præconia multa, sed ipse
Pacificus Salomon fuit, & mansuetus vt agnus.
Antiquo de consilio non multa reuoluo.

Hacte-

A *Hactenus Nicolaus. Hæc porro non esse hyperbolice dicta, satis constat ex Balæo, qui monachis alioquin, monachus ipsemet excucullatus, fuit infensissimus.*

DE OPERIBVS HAC EDITIONE CONTENTIS.

Proponimus primo loco homilias in Isaiam de oneribus Babylonis, Philistijm & Moab, omnes numero vnam & triginta, præmissa homilia generali, habita in Aduentu Domini de omnibus oneribus apud Isaiam: quæ licet apud D. Bernardum reperiatur eius operibus ascripta, vere tamen est Aelredi nostri, & vt ille significat in epistola dedicatoria, occasionem præbuit cæteras conscribendi. Mitto quod libri omnes M. S. quos viderim, Eysengreinus quoq; & Balæus id testantur, vna cum innominato auctore, qui Allegorias & Tropologias collegit in locos selectiores vtriusq; testamenti. In his homilijs quæ exscribendis, quæ corrigendis, duobus vsus sum M.S. exemplaribus. Vnum habui ex celebri monasterio Claromarisci (quod B *prope Audomaropolim situm est) idq; humanitate & beneuolentia admodum Reuerendi Domini D. Morandi Blomme Abbatis piæ memoriæ procurante Reuerendo Patre ac Domino, Ioanne Bellengier eiusdem loci Priore, bonarumq; literarum fautore maximo. Alterum nactus sum ex perantiqua bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis B. Mariæ Cameracensis, interuentu nobilis ac R. D. Roberti de la Hamaide eiusdem Ecclesiæ Præpositi longe meritissimi; quod exemplar cum priore multo esset plenius & correctius, ex eo lacunas multas & hiatus suppleui, & sub his notis* Cod. Camerac. *varias lectiones apposui, quas ad finem cuiusq; homiliæ certis numeris distinxi, ne lectori molestiam parerem in eis singulis suis locis restituendis.*

Sequitur post homilias Compendium Speculi Charitatis, ab Aelredo quidem conscriptum, & à me sic nuncupatum. Nam quod hoc opus Aelredi genuinum sit, ipsum testem habeo in prologo quem Speculo præfixit; in quo paulo ante finem sic ait. Sane ante præsentis operis suscipiendi propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam vero quasi mecum, imo magis mecum, quia illa vnanimi meo Reuerendissimo Priori C Hugoni, qui plus mecum quam ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaueram, ex quibus præsenti intentioni materiam sumens, sed & ipsa eadem vt congruere videbantur inferens, tribus incisionibus totum distinxi. *Hæc auctor. Quam autem verum sit singula, quæ in isto compendio habentur, suis quæq; locis in maiori Speculo inseri, manifestum esse potest ex his, quæ in Speculo notauimus, indicantes quid quo loco ijsdem plane verbis repetatur. Atq; hæc causa fuit, cur hoc ipsum opus Compendium Speculi nuncupandum iudicaremus. Huius vnicum accepimus exemplar M.S. ex Cœnobio Claromarisci.* E

Speculi vero vnicum duntaxat habuimus Codicem M.S. illum acceptum ex celeberrimo & vetusto Aquicinctino Cœnobio prope Duacum Catuacorum, fauore & studio R. D. Ioannis le Maire Optimi Dignissimiq; Prioris. Esse hoc opus Aelredi, fatentur cum Trithemius, Eysengreinius, Balæus, tum veteris M S. codicis inscriptio, & arguit ipse stilus ac modus dicendi.

Libros de Spirituali Amicitia eiusdem esse Aelredi, præter duos antiquos Codices, qui nomen Aelredi præferunt, & Balæum, qui illi tribuit; arguit manifeste quod habetur libro primo. Vbi eos Aelredus tanquam suum partum agnoscit dicens. Cuius affectus & motus in *Speculo nostro*, quod satis cognitum habes, quam lucide potuimus, ac diligenter expressimus. *Indicat etiam non obscure, hos libros de Spirituali Amicitia post Speculum Charitatis à se scriptos fuisse.* F *Duos habuimus M.S. codices vnum Claromarisci, quem exhibemus, & alterum Camtracensem, ex quo ad marginem varias lectiones signamus.*

Homilia de IESV puero duodenni, vnicum M.S. exemplar, nobis tribuit Cœnobium Aquicinctinum, ex quo ingentem hiatum suppleuimus in impressa Parisiensi anno M.DC.IX. non pauciorum quam integrarum quinq; paginarum, & conferentes M.S. exemplar cum excuso, ad finem varias lectiones adscripsimus.

Anonymi Rhythmum de laude Virginitatis, *luce dignissimum, ex Codice Aquicinctino, in quo erat prædicta homilia, in tui gratiam Lector, exscriptum addidimus.*

Habes igitur quæ de Operibus Aelredi nobis in præsentia dicenda occurrerunt; nam quas eius nomine proposuit Reuerendus æque, ac Religiosus Pater Laurentius Surius, Vitas Sanctorum, libentes lubentes omisimus, quod stilum plane immutatum deprehenderemus; nec in animo esset, quod Aelredi non saperet dictionem, Aelredi nomine tibi obtrudere. Non quod Optimi, & optime de Catholica Religione meriti Patris factum improbaremus, sed quod haberemus statutum eâ tantum in lucem dare, quæ non alterius, sed ipsiusmet essent Aelredi. G *Atq; vtinam licuisset, quod certe vehementer optauimus, Aelredi vitam, tibi, amice lector, exhibere. Fuisset certe illud ex voto nostro, & nisi fallimur ex tua expectatione. At frustra fuimus, qui omni adhibita diligentia nihil consecuti sumus. Dabitur forte, vt aliquando voti nostri compotes simus. Tu interim Lector humanissime, Vale, & quæ nunc damus grato animo accipe.*

DIVI AELREDI
ABBATIS RIEVALLENSIS
SERMONES DE ONERE BABYLONIS.

D H

IN CAPVT XIII. ISAIÆ PROPHETÆ.

Incipit epistola Domini Aelredi Abbatis Rieuallis ad G. Lundoniensem Episcopum.



Dilecto, & diligendo, & cum omnis deuotionis dulcedine amplectendo Sancto Patri, G. Lundoniensi Episcopo, frater Aelredus pauperum Christi qui sunt in Rieuallo, debitum cum omni affectu obsequium. Audiens te, Pater beatissime, inter innumeras occupationes, quas tibi vel Regiæ Maiestatis auctoritas, vel curæ pastoralis imponit necessitas, vt cultorem sapientiæ, quietis amicum, [1] spiritualis scientiæ studiosum, lectioni operam dare, & inter suaues orationum delitias, irruentium curarum molestiam sanctarum scripturarum crebra meditatione solari: ita tui auidus effectus sum, vt non solum ad tuæ Serenitatis notitiam, sed etiam, quod in insipientia dicam, ad ipsam audeo aspirare amicitiam. Tam enim tuæ Sublimitatis, quam meæ humilitatis oblitus, legibus amoris innitor; cui nihil humile, nihil sublime est: qui cœlum terræ adæquans, dominum cœli terrenis membris inseruit, vt verbum caro fieret & habitaret in nobis; qui [2] Dominum deposuit & hominem sustulit, vt, quasi in quodam medio, miseria & misericordia *Ioan. 1.14.* obuiarent sibi; vt ita se infirmitati virtus vniret, vt essent in carne vna verbum & anima, & in his tribus Deus & homo vna persona. Quæ non igitur; alta amor deponat,

A aut quæ ima non sustollat, vt in se vnum faciat quod salua nec confusa naturarum proprietate, tam mirifice mediante anima, cœlum terræ, Dominum carni, spiritum commiscuit pulueri?

Video præterea in omni creatura, vel irrationali, vel insensibili, quoddam amoris vestigium, per quod & diuersa iunguntur, & dissidentia concordantur, & vniuntur contraria. Amoris quippe in cæteris similitudo creaturis apparet: in mente vero rationali eius veritas operatur. Diligere enim Deo, Angelis, hominibusque commune est.
Act. 4. 32. Amor igitur, quicquid extra naturam est non attendens, copulat naturam naturæ, vt sit illis cor vnum & anima vna, quibus est Fides vna, Spes vna, Charitas vna, Animus proinde meus amoris impetum sequens, omnia, quæ tua sunt, non tu; omnia quę circa te sunt, quę nec tua sunt, nec tu, spiritali quodā motu pertransiēs, ipsam etiam corporis molem sui subtilitate traiiciens, in ipsum tuæ mentis sinum se totum infundit; affectum affectui, sensum sensui, & spiritum miscet spiritui, vt ex spiritus tui participatione
B meus spiritus renouetur; ex tui sensus lumine, lumen sibi scientiæ meus sensus mutuetur; meus insuper affectus; tui dulcedine foueatur. Ibi intueor quam bonus es; ibi amplector & sentio quam sapiens es; ibi delector & gusto quam amabilis es. Hinc est pater amantissime, quod studium meum, si quod est in litteris sacris, ad tuæ discretionis examen credidi referendum: vt vbi sanum sapio, tua me confirmet auctoritas; vbi hæsito re docente mihi luceat veritas; vbi erro, corrigat me tua sancta seueritas.

Itaque de oneribus Propheticis Isaiæ, cum summarim singula quæque tangendo, in conuentu fratrum, aliquando breuiter disputassem, rogatus in pluribus vt prosequerer, eorum voluntati parui, quorum me oportebat seruire profectui. Ab oneribus igitur Babylonis exordiens & inde per onus Philistijm ad Moabitici * onera secreta pertransiens, cum triginta homilias stilo tradidissem, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem, suspendi calamum, donec de vultu tuo eorum, quæ scripsi, pro-
C diret iudicium, viderentque oculi tui eorum omnium rationem, tuæque discretionis arbitrio omnia, quæ scripta sunt, vel delerentur, vel corrigerentur, vel probarentur.

* Lego oneris.

Licet igitur tantæ sapientiæ horum lectio videatur indigna, audet eam tamen amoris exigere vehementia, qui ita amplectitur charitatem, vt fere irreuerenter irruat in maiestatem. Animat præterea me tuæ humilitatis simul & benignitatis memoria, qui quondam Lundonijs positum præuenisti in benedictionibus dulcedinis: & à quo mihi magnum esset vel respici ab ipso, stupens ac tremens ad tantam dignationem, in quodam amplexu charitatis merui salutari. Hinc beatissime pater, orta est ista præsumptio, vt inchoatam nunc mihi tuæ Serenitatis notitiam consummari desiderem; & animum meum amicitiæ tuæ tunc fores pulsantem in eius induci posse cubiculum non despetem. Licet igitur magnum sit sapienti vel modicum tempus otio date, non pigeat, rogo Dominum meum tantillum tempus perdere, quo ex his, quæ scripsimus, vel resecare superflua, vel supplere hiantia, vel vni-
D uersa delere possitis.

Ego igitur sermone præmisso, qui nobis occasionem præbuit cætera conscribendi de onere Babylonis decem & nouem, de onere Philistijm tres, de onere Moab nouem homilias subscripsimus: pro vestro arbitrio vel hic subsistere, vel vltra procedere parati.

VARIÆ LECTIONES.

1. Amicum Spiritualis. codex cam. *Amicum Spiritalis.*
2. Qui dominum deposuit. cod. cam. *Qui Deum deposuit.*
3. Igitur alta amor. c. cam. *Igitur amor alta.*

Index Sermonum.

SERMO in Aduentu Domini, de vndecim oneribus.

E Sermo I. De eo quod scriptum est, Onus Babylonis quod vidit Isaias Filius Amos.
Sermo II. De multiplici visione, & illa quæ Prophetam facit.
Sermo III. De eo quod scriptum est, Super montem excelsum, vsque, Ingrediantur portas duces.
Sermo IV. De eodem capitulo.
Sermo VI. De eo quod scriptum est, Ego mandaui, vsque, Exultantes in gloria mea.
Sermo VII. De eo quod scriptum est, Vox multitudinis, vsque, Venientibus de terra procul.
Sermo VIII. De eo quod scriptum est, A summitate cœli, vsque, Tabescet & conteretur.
Sermo IX. De eo quod scriptum est, Torsiones & dolores, vsque, Luna non splendebit lumine suo.
Sermo X. De eo quod ait, Ecce dies Domini venit, vsque, Visitabo super vrbes mala.
Sermo XI. De eo quod scriptum est. Et visitabo super vrbes mala vsque, Lactentibus vteri miserean-
F tur.
Sermo XII. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XIII. De eo quod scriptum est. Et erit Babylon, vsque, Requiescere eos faciet super humum suam.
Sermo XIV. De eo quod scriptum est. [1] Disiungetur aduena, vsque Operimentum tuum erunt vermes.
Sermo XV. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XVI. De eo quod scriptum est. Quomodo cecidisti Lucifer, vsque, Similis ero altissimo.
Sermo XVII. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XVIII. De eo quod scriptum est, Nunquid non iste est vir, vsque ad, Non implebunt faciem lumine orbis.
Sermo XIX. De eo quod scriptum est. Et consurgam super eos, vsque ad finem oneris Babylonis.
Sermo XX. De principio oneris Philistijm, vsque ad id quod scriptum, Et reliquias tuas interfi-
G ciam.
Sermo XXI. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XXII. Ab eo quod ait, Vlula porta, vsque ad finem oneris Philistijm.
Sermo XXIII. De principio oneris Moab, vsque ad id quod scriptum. Vsque Iasa audita est vox eius.
Sermo XXIV. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XXV. De eo quod scriptum est, Super hoc expedit Moab, vsque, Leonem & reliquiis terræ.
Sermo XXVI. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XXVII. De eo quod ait, Emitte agnum Domine, dominatorem, vsque, Velociter reddens quod iustum est.
H Sermo XXVIII. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XXIX. De eo quod ait, [1] Audiamus superbiam Moab, vsque ad id quod scriptum est, Vocem cantantium abstuli.
Sermo XXX. De eodem capitulo Moraliter exposito.
Sermo XXXI. De eo quod scriptum est, Venter meus ad Moab sonabit, vsque ad finem oneris Moab.

VARIÆ LECTIONES.

1. Disiungetur aduena. C. Cam. *Adiungetur aduena*, quo modo legitur in vulgata editione.
2. Audiamus superbiam Moab. C. Cam. *Audiuimus superbiam Moab.* sic & vulgata editio.

A

Sermo in aduentu Domini de vndecim oneribus.

TEmpus est fratres charissimi, vt misericordiam & iudicium cantemus Domino. (Psal. 100. 1. Apoc. 1. 8.) Aduentus quippe Domini est, illius qui venit, & qui venturus est omnipotens Sed quomodo aut quo venturus est, vel venit? nempe vox eius est, *Cœlum & terram ego impleo.* (Ier. 23. 24.) Quomodo igitur ad cœlum venit, vel ad terram, qui cœlum implet & terram? Audi Euangelium, *In mundo erat & mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognouit.* (Ioan. 1. 10.) Ergo & præsens erat & absens. Præsens, quia in mundo erat; absens, quia mundus eum non cognouit. *Non est longe* (ait [1.] Apostolus) *ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus:* (Act. 17. 27. 28.) & tamen *Longe à peccatoribus salus.* (Ps. 118. 155.) Prope erat per essentiam; longe per gratiam. Quomodo non longe? qui necagnoscebatur, nec credebatur, nec

B

timebatur, nec amabatur. Longe à peccatoribus, quos nec reuocabat errantes, nec erigebat iacentes, nec redimebat captiuos, nec mortuos suscitabat. Longe inquam, quando nec iustis cœlestem mercedem; nec impiis manifesto iudicio æternam inferebat damnationem. Venit proinde vt agnosceretur, qui non agnoscebatur; crederetur, qui non credebatur; timeretur, qui non timebatur; amaretur, qui non amabatur. Sic qui [2.] timebatur essentialiter, venit misericorditer, vt agnosceretur Humanitas eius, crederetur Diuinitas eius, timeretur Potestas eius, amaretur Benignitas eius. Apparuit autem Humanitas eius, in nostræ infirmitatis susceptione; Diuinitas, in miraculorum exhibitione; in dæmonum oppressione Potestas; in peccatorum susceptione Benignitas. Humanitatis namque fuit quod esuriit; (Matth. 4. 2.) Diuinitatis, quod de quinque panibus quinque millia hominũ satiauit, (Matth. 14. 19. 21.) Humanitatis fuit, quod in mari dormiuit; Diuinitatis, quod mari & fluctibus imperauit; (Matt. 8. 24. 26.) Humanitatis fuit quod mortem sustinuit; (Mat. 27. 50.) Diuinitatis, quod mortuos suscitauit. Item Potestatis, quod Pharisæos de tem-

C

ploeiecit; (Matt. 5. 41.) Benignitatis, quod in conuiuio publicanos & peccatores suscepit. (Luc 7. 14. 15. Et 19. 45.) Potestatis etiam fuit quod dæmones terruit; (Mat. 9. 11.) Benignitatis, quod adulteram absoluit. (Mat. 8. 29. Ioan. 8. 11.) Postremo Potestatis fuit, quod volentes eum tenere prostrauit; (Ioan. 18. 6.) Benignitatis, quod abscissam sui persecutoris auriculam loco simul ac sanitati restituit. (Luc. 22. 51.) Et hæc omnia cum ad primum eius aduentum pertineant, misericordiæ dicimus ascribenda.

Considerate rogo quid sit Deus; & videte quid sit, quod deposuerit tantam maiestatem; exinanierit tantam potestatem; quod infirmauerit tantam virtutem; quod tantam altitudinem humiliauerit; quod tantam sapientiam infatuauerit. Numquid hominis iustitia? Absit O*mnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non erat qui faceret bonum.* (Psal. 13. 3.) Quid ergo? Num aliqua eius egestas? minime. Eius enim est orbis terræ & plenitudo eius. (Psal. 49. 12.) An forte nostri in aliquo eguit; nequaquam. Deus quippe meus est, & bonorum meorum non eget. (Psal. 15. 2.) Quid igitur? Vere

D

Domine non mea iustitia, sed tua misericordia; nec tua egestas, sed mea necessitas. Dixisti enim, *Misericordia ædificabitur in cœlis.* (Psal. 88. 3.) Ita plane; quia miseria abundabat in terris. Ideo primo aduentu *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* (Psal. 100. 1.) Misericordiæ namque fuit, quod factus homo infirmitates nostras in se suscepit. misericordiæ, quod fidem diuinitatis suæ miraculis confirmauit, misericordiæ nihilominus, quod dæmonum nobis calliditates detexit, & euacuauit virtutem, misericordiæ quod [3.] meretricibus attactum non respuit, (Luc. 7. 37. 38.) sed approbauit deuotionem. Itaque quod se exhibuit in humilitate humilem, in miraculis potentem, in dæmonum oppressione fortem, in susceptione peccatorum mitem; totum hoc ex misericordiæ fonte processit; totum ex pietatis visceribus emanauit. Et ideo, in hoc primo aduentu tuo, misericordiam cantabo tibi Domine. Merito sane; quia *Misericordia tua plena est terra.* (Psal. 100. 1. Ps. 118. 64.)

Ecce oleum, ad cuius præsentiam iugum nostræ captiuitatis computruit, sicut ait sanctus Isaias; (Isa. 10. 27.) *in die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Quæ ista dies? Quod onus istud? Quod iugum? Audi quid Propheta præmisit; *Suscitabit Dominus super eum,* (Isa. 10. 26.) [4.] Regem Assyriorum, *flagellum iuxta plagam Madian in* [5.] *plaga Oreb, & virgam eius super mare, & leuabit eam in via Aegypti.* Flagellato quippe & percusso diabolo, qui est Rex super omnes filios superbiæ, (Iob 41. 25.) leuauit Dominus virgam suam super mare, & leuauit eam in via Ægypti. Mare, sæculum; Virga, Crux, via Ægypti, via illa lata, & spatiosa, quæ ducit ad mortem. (Matt. 7. 13.) Gratiam tibi Domine Iesu qui exaltasti virgam tuam super mare, prosternens Cruci tuæ superbiam sæculi, & subiiciens ei principatus & potestates. Vere, Domine, Crux tua premit fluctus sæculi, sedat [6.] tempestatum persecutiones, & tentationum procellas mitigat. Leuasti etiam eam in via Ægypti, vt obstructa via illa lata, quæ ducit ad mortem, illam arctam, & angustam ostenderes, quæ ducit ad vitam. (Ibid. 14.) An nescitis? Annon sentitis? Annon experimini? feruet in carne aliquando æstus concupiscentiæ, in mente ira desæuit, indignationis & amaritudinis verbum iam iamque prorumpit, & instar maris, quod vehementer agi-

F

tat ventus, omnia interiora hominis conturbantur. Sed leuante supra hoc mare Crucem suam Iesu, sedantur omnia, omnia conquiescunt.

Præterea fratres mei, quis vos in hanc arctam, & angustam semitam salutis induxit, nisi Dominicæ Crucis, & Passionis exemplum, quam leuauit Dominus in via Ægypti? merito die isto, id est tempore gratiæ, tempore misericordiæ, tempore quo Crux eleuatur, quo Christo subditur mundus, quo Princeps huius mundi eiicitur foras; (Ioan. 12. 13.) hoc inquam die, hoc tempore auferetur onus eius de humero tuo. Quod onus? Legimus in scripturis multa onerum genera, nam sanctus Isaias vndecim nobis onera prophetico sermone describit, *a* Onus Babylonis, *b* Onus Philistiim, *c* Onus Moab, *d* Onus Damasci, *e* Onus Ægypti, *f* Onus deserti Maris, *g* Onus Duma, *h* Onus in Arabia, *i* Onus Vallis visionis, *k* Onus Tyri, *l* Onus iumentorum Austri. (a Isa. 13. 1. b 14. 28. c 15. d 1. 17. 1. e 19. 1. f 21. 10. g 21. 11. h 21. 13. i 22. k 23. 1. l 30. 6.) Et quid est Onus, nisi pondus quoddam depri-

G

mens animam, & ad terram inclinans, faciens eam ad inferiora respicere, & [7] superiora negligere? Tale nobis onus aliquando ex mundi prouenit dilectione, & hoc onus Babylonis; aliquando ex immundorum spirituum immissione, & hoc onus Philistiim, aliquando ex naturali quadam, & ineuitabili necessitate, & hoc onus Moab, aliquando ex tenebris ignorantiæ, & hoc onus Ægypti, aliquando ex innata nobis infirmitate, & hoc onus Damasci, aliquando ex malorum persecutione, & hoc onus Deserti maris, aliquando ex occulta animi vexatione, & hoc onus Duma, aliquando ex consideratione mortis, & horrore sortis extremæ, & hoc onus in Arabia, aliquando ex vanitate, quando proficimus, & hoc onus Vallis visionis, aliquando ex angustia pro his, quæ toleramus, & hoc onus Tyri, aliquando ex charitate, [8] quam aliis prodesse desideramus, & hoc onus iumentorum Austri.

Primum itaque onus Babylonis est, quod necesse est vt auferatur ab humeris nostris. Babylon significat mundum, cuius amor cupiditas est, onus [9] itaque graue, multos premens & ad inferiora incuruans. Tripliciter autem

H

miseros onerat, Labore, Timore, Dolore. Cum labore peruenit homo ad id, quod cupit, possidet cum timore, amittit cum dolore. Eia, fratres, quis Regum non cum labore [10] peruenit ad id, quod cupit? Quis Regum ita securus est, vt nullum timeat? Quis non cum dolore aliquid amittit? Sed retorqueamus ad nos parabolam istam. Nullusne quæso nostrum, sub huius oneris pondere suspirat? Nullæne in nobis mundanæ [11] dilectionis reliquiæ resederunt? Quid est quod quidam, qui sua reliquerunt, aliena quærere non formidant? pro quibus, laboribus fatigantur, cruciantur doloribus, timoribus conteruntur. Numquid & ille ab hoc onere liber est, qui cum nihil, aut parum in monasterium attulerit, tamen, vt aliis det, quicquid poterit de monasterio auferre non desinit? qui importune petit; qui irascitur si non accepit; dolet, si corripitur; sæuit, si [12] clamatur. Quid illi, qui tanto parentum stringuntur affectu, vt Religionis dispendium, maximosque

A que[13] labores subire non dubitent, & ob hoc & dies va-
cuos & noctes ducunt insomnes? Quid de illis dicam, qui
honores ambiunt? Nunc adulantur, nunc detrahunt, nunc
pro aliorum promotione insaniunt, nunc frustrati spe sua
[14] in ipsos patres suos maledictis insurgunt. Iraque fra-
Rom.12.2. tres omnes hi conformantur huic sæculo, & nomine Ba-
bylonis censentur, illo[15] plene vel pœnali onere, quod
Propheta super Babylonem describit, miserabiliter oppri-
mendi.

Sequitur onus Philistiim, qui interpretantur Cadentes
potione illosque significant, qui superbia inebriati, cedi-
derunt ab habitatione cœlesti: Isti miseros onerant nunc
tentatione, nunc afflictione. Hi Ægyptios onerabant pla-
Psal.77.49 gis multis, & magnis, sicut habes in Psalmo; *Misit in eos iram*
indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem im-
missionem per angelos malos. Hi cor Iudę onerauerunt auaritia,
cor Pharisęorum inuidia, & cor Pilati stultitia. Hi cor fide-
lium multis tentationibus onerant, insultantes animæ
Isa.51.23. consentienti & dicentes, *Incuruare vt transeamus.*

B Additur onus Moab, qui interpretatur De patre, natu-
ralem illam exprimens necessitatem, quam semper pater
generatione trā fudit in filium; sicut est ineuitabilis man-
ducandi, bibendi, dormiendique necessitas, & cętera, quę
ad necessariam corporis pertinent curam. Quale hoc o-
nus, fratres charissimi, quo cogimur post solis splendorem
ad carnis huius curam, quasi ad fœtidum cadauer redire,
& post spiritales cibos mentis, procurare onera ventris?
Quale hoc onus, quod quotidianum, à nobis, miseræ ser-
uitutis tributum exigit, & quem hodie impleuimus, eua-
cuatum crastino ventrem reimplere compellit? Quid di-
cam,[16] quantarum solicitudinum onus miseris mortali-
bus necessitas ista imponit, adeo vt quorūdam hominum
Phil.3.19. etiam venter Deus sit, pro eius non[17] dicam dilectione,
sed onere, ipsam iustitiam, ac diuinam doctrinam vena-
Rom.16.18. lem habentium? Huiusmodi enim, vt ait Paulus, Domino
Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri. Quid præterea
oneris in ipsa ciborum distinctione sustinemus, hos desi-
C derantes, illos reiicientes; cum alij ventrem torqueant,
alij caput grauent; alij pectus oppilent, alij cor corruptis
humoribus premant? Verum de illis quid dicam, quas ista
necessitas nunc murmurare, nunc detrahere, nunc insu-
per litigare compellit? Contristantur si cibus vilior, si po-
tus minus[18] sapidus apponatur, si negligentius accute-
tur. Fratres, qui huiusmodi sunt, secundum carnalem ge-
nerationem carnaliter viuentes, Moab dici possunt, &
pondere pœnæ, quod in onere Moab Propheta comme-
morat, infeliciter onerandi.

Iam de onere Damasci Prophetia subiungitur. Dama-
scus interpretatur fundens sanguinem; illam innatam no-
bis exprimens corruptionem, quæ quodammodo nolen-
tes & inuitos trahit, & illicit ad peccatum. Ipsa est *lex in*
Rom.7.23. *membris nostris, repugnans legi mentis nostræ, & captiuos nos du-*
cēs in legem peccati quæ est in membris nostris. Omnis vitalis sen-
sus in anima, ex ratione. Et scitis[19] quia naturalis motus
peccati[20] nonnunquam in quadam delectationis vo-
ragine, pæne ipsam vim rationis absorbeat, & totam, vt ita
D dicam, reddat exanguem. Sed quidam sentiunt ista, & non
consentiunt; impugnātur, sed non expugnantur; oneran-
tur, sed non prosternuntur. Hi quidem onus sustinent à
Rom.6.13. Damasco, sed Damascus non sunt. At ille qui consentit, &
præbet membra sua arma iniquitatis peccato, profecto
Damascus est, proprium suum sanguinem fundens, & suis
se manibus interficiens. Hic proculdubio pondere pœnæ,
quod in onere Damasci describitur, se[21] nouerit depri-
mendum.

Additur onus Ægypti. Ægyptus tenebræ interpretatur.
Sunt autem tenebræ ignorantiæ, sunt & iniquitatis. Eia
fratres, non[22] est leue onus istud, quod de ignorantiæ
nostræ cęcitate portamus, nescientes in multis quid expe-
diat, quid non expediat, quid laudemus, quid improbe-
Isa.5.20. mus, ita vt sæpe[23] dicamus quod bonum est malum, &
Rom.8.16. quod malum est bonum. Sed & quid oremus, sicut opor-
tet, nescimus; & in luce scripturarum, quasi in nocte pal-
pando incedimus. Qui ergo huiusmodi sunt, ab Ægypto
onerantur, sed cum Ægypto non onerantur, cum illis sci-
licet qui Ægyptus sunt, id est tenebræ, filij tenebrarum, de E
quibus Dominus in Euangelio; *Omnis qui male agit odit lu-* Ioan.3.20.
cem. Et Apostolus, *Qui dormiunt* (inquit) *nocte dormiunt, &* 1.Thes.5.7.
qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Hi nimirum eo pondere pœnæ
premuntur, quo Ægyptum Sanctus Propheta docet esse
puniendam.

Subiungitur onus Deserti[24] Maris * Mare desertum
est multitudo reproborum qui relicti à Deo, & à Sancto-
rum numero separati pondere persecutionum Sanctam
premunt Ecclesiam; ipsi pœnarum pondere, quæ in hoc
onere à Propheta notantur, postmodum puniendi. Præ-
terea mare sunt illi, qui[25] diuersis vitiorum tumultibus
quatiuntur, qui semper in motu sunt vagi, & nunquam
stabiles, nec in eodem statu permanentes. Nunc superbia
intumescunt, nunc ira feruescunt, nunc tristes, nunc leues,
nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti transgrediuntur
præcepta Seniorum, fratrum pacem conturbant. Quam-
diu tamen timent, quamdiu dolent, quamdiu admittunt
correptionem, nec refugiunt satisfactionem, Desertum F
Mare non sunt. At si venientes in profundum malorum
contempserint, si correpti clamauerint, nihil honestum,
nihilque quietum, nihil insuper ordinatum responderint,
sed tumidi, & inflati, in ipsum etiam, à quo corripiuntur,
verbis indignationis insurrexerint, ita vt necesse[26] sit
eos relinquere sibi, desertum[27] mare non dubites eos
nominandos. *Væ illis qui derelicti à Deo & hominibus, dimittun-* Psal.80.13.
tur secundum desideria cordis eorum, vt eant in adinuentionibus
suis, quibus etiam Dominus per Prophetam dicit, *Auferam* Ezech.16.42.
zelum meum à vobis & vltra non irascar. Scitis fratres[28] quā
graue onus imponant humeris Sanctorum qui tales sunt.
Sub hoc onere Propheta gemebat qui ait, *Supra dorsum me-* Psal.128.3.
um fabricauerunt peccatores. Vere supra dorsum nostrum fa-
bricant[29] qui tales sunt, quotidianis nos suis exordina-
tionibus onerantes; qui addunt peccatis peccata, & con-
temptum iungunt contemptui; contumeliosi, elati[30]
detrahentes, senioribus non obedientes, sociis non con-
temperantes. Tales pœnarum pondus, quod[31] in onere
continetur, se nouerint incursuros. G

Exhinc onus Duma propheticus sermo describit, Du-
ma autem interpretatur silentium. Scitis fratres quam
multos silentium onerat, & grauat quies, ita vt tacentibus,
& quiescentibus[32] omnia sint oneri, caput doleat, ven-
ter rugiat, caligent oculi, renes pæne soluantur: exeunti-
bus autem, huc & illucque vagantibus, & loquentibus, io-
cunda sunt omnia, traduntur obliuioni dolores, singulis
membris sua traduntur officia. O quanta est virtus linguę,
quę oculos serenat, caput alleuiat, consolidat renes, genua
dissoluta corroborat! Hæc infirmum, in laboribus infati-
gabilem reddit, patientem in ieiuniis[33] ad iter paratum,
ad obediendum promptum. Iraque si videris monachum
in claustro residentem, huc illucque circumspicere, osci-
tare crebrius, manus ac pedes extendere, nunc librum po-
nere, nunc resumere, postremo quasi quibusdam stimulis
agitatum, de loco ad locum, de auditorio ad auditorium
cursitare, Duma eum suspirare non dubites. Est præterea
aliud quoddam silentium, quod pœnæ pondus multis
importat. Ipsum est silentium, quod ex pudore & confu- H
sione procedens, confessionem obstruit peccatorum, &
excludit remissionem. Quod onus pœnæ tale silentium
mereatur, propheticus sermo non tacet.

Iam onus in Arabia Propheta subiungit. Arabia vespe-
ra interpretatur, quæ dici finis est, noctisque principium,
horam mortis non incongruè, vt puto, significans; quæ
cunctis fere mortalibus timoris non leue pondus impo-
nit. Quis enim hominum hoc onus euitet, cui se Saluator
ipse exempli causa, spontanea voluntate submisit? Immi-
nente enim morte, vt ait Euangelista, *Cæpit pauere & tædere.* Marc.14.33
Sub hoc timoris onere totum viuit genus humanum, nisi
forte aliquis talis sit, cui certa beata vita post mortem, cu-
ius desiderio vel contuitu, etiam amaritudinem mortis
non sentiat. Præterea vespera, quæ vt diximus, diei finis est
noctisque principium, eius exprimit casum, qui post opera Luc.12.26.
lucis, opera inchoat tenebrarum; cuius sunt nouissima pe-
iora prioribus; qui profecto eo pondere opprimetur,
quod in hoc Arabiæ onere continetur.

A

* Lego directionem cum excusis.

Subditur onus Vallis Visionis. Visio refertur ad Contemplationem; Vallis ad humilitatem, vel * directionem. Est enim quorundam contemplatio humilis, quorundam abiecta: humilis Sanctorum, abiecta [34] Philosophorum. Si enim virtus proficit, seruatur humilitas; si onerat, vanitas. Scitis qualem necesse est sustineat pugnam mens proficiens, ne fauor humanæ * laudis subripiat, ne dissoluat adulatio, ne cor ab intus intumescat. Sancti autem, quo magis proficiunt, eo maiori vanitatis onere fatigantur: sicque ad altiora se erigunt, vt quãdoque inuiti etiam ad inferiora trahãtur. At hi, quod notum est Dei, manifestum est in illis, qui inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspexerunt; euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & à monte contemplationis, ceciderunt in vallem erroris. Ideo mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, quadrupedum, atque serpentium. Et si scire volueris quo isti digni sunt onere, audi quod sequitur, Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & [35] in desideria cordis eorum, & in reprobum sensum. Sed & illi, qui scientiam scripturarum, vel doctrinam cœlestem, intentione non recta ad laudes hominum, vel ad temporale lucrum retorquent, ad Vallem Visionis pertinere noscuntur; vt scientia visionem, vallem intentio terrena significet. Quos omnes quale pondus pœnæ expectat, propheticus sermo declarat.

* Forte subrepat.

Rom.1.19.

B

Sequenti loco onus ponitur Tyri, quod Angustia interpretatur, cuius onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentiæ, in corporali ægritudine. Quid enim? nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, & disciplinæ regularis obseruatione? Quid in labore cõtinentiæ? Quid laboriosius, quid periculosius, quid difficilius seruatur? quid facilius amittitur? Est alia quædam cordis angustia, quam facit amor sui; cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei & proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit: qui igitur amat propriam voluntatem, oneri illi est voluntas aliena, & ideo *quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum*: ad omnia, quæ propria voluntas suggerit, promptus; ad ea, quæ sibi iniunguntur, piget & tardus. De talibus dicit Apostolus, *Erunt homines seipsos amantes*: qui profecto pondus [36] pœnæ, quæ in onere Tyri scribitur, non euadent.

Philip.2.21.
C
1.Tim.3.2.

Vltimum onus est iumentorum Austri. Auster, qui ventus est calidus, Sanctum significat spiritum, sicut habes in Canticis, *Surge aquilo, & veni auster, & perfla [37] hortum tuum* Felix anima, quæ huius austri iumentum est, quæ freno moderationis eius regitur, quæ in omnibus eius subditur voluntati. Felix plane anima, cui Spiritus Sanctus præsidet, & omnia eius opera dirigit, cogitationes disponit, motus ordinat, moresque componit. De talibus scriptum est, *Vbicunque erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, cũ ambularent.* De quibus & Propheta, *Viam fecisti in mari equis tuis.* Huius iumentum austri erat Paulus, qui ait, *non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et videte quomodo, vt iumentum austri, freno vbique regitur præsidentis. Prohibetur à Spiritu ne in Asiam prædicet; monetur à Spiritu vt Macedoniam visitet. Incitatur à Spiritu vt Atheniensibus euangelizet; Alligatus Spiritu Ierosolymam properat. Videtis quomodo insidens ei Spiritus Sanctus, quasi iumento suo, nunc stringit habenas, ne eat quo vult, nunc vrget calcaribus, vt properet quo ipse [38] vult. Quid putatis fratres mei? nihilne oneris portant huiusmodi iumenta? Sed iumenta Austri sunt, ideo onerantur ab Austro. Quali onere inquis? Audi Apostolum, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* in hac itaque charitate, quale onus sustinuit Paulus, ipse dicat; *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Et iterum, *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. pro fratribus meis secundum carnem.* Ille igitur qui iumentum est Austri, oneratur aliena infirmitate, oneratur aliena necessitate, oneratur aliena peruersitate. Onus eius esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægrotantis, tentatio proficientis, casus deficientis. [29] Onerat plebis tribulatio, orphanorum desolatio, viduarum gemitus, afflictio captiuorum. Nonne beatissimus Paulus, quasi hoc onere pressus, à [40] secreto cœli descendit ad cubile infirmorum? Sed & vos fratres, qui fugistis ab Aquilone de [41] medio maris, & iam habitatis in [42] terra australi, *Alter alterius onera portate*, & (sicut iumenta [43] austri,) *sic adimplebitis legem Christi.* Certe non est iumentum austri, qui portare negligit onus fratris sui. Quod onus? Infirmitates certe & morum, & corporum.

Cant.4.16.
Ezech.1.12.
Hab.3.15.
1.Cor.2.12.
Act.16.6. 20.3.17.16. 20.22.
D
Rom.5.5.
2.Cor.11.29
Rom.9.2.

E

Gal.6.2.

Præterea, fratres, per iumenta austri eos significatos possumus dicere, qui dona Sancti Spiritus, non propter meritum, sed propter officium sortiuntur; [44] sicut prophetiam, curationis, & cætera huiusmodi. Quos ordinãt. ordinantur; maledicentur, quos maledicent; quos benedicunt, [45] benedicuntur; ita tamen si hæc omnia secundum leges Ecclesiæ, non secundum impetum animi faciant. Hinc est quod Balaam Dei populo benedixit; quod Caiphas pessimus prophetauit; [46] quod Iudas, sicut cæteri Apostoli, miracula fecit. Hinc est enim quod [47] multi in illa die dicent. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo signa multa fecimus: & tunc confitebor illis* (ait Dominus) *quia non noui vos.* Hi tales non homines dicendi sunt, sed iumenta; [48] Domino non seruiunt, sed suo ventri; terrena sapiunt, & cœlestia contemnunt [49] Hi nimirum illo onere miserabiliter prementur, quod quibusdam iumentis austri terribiliter Isaias intentat.

Num. 24.9
Ioan.11.50.
Mat.10.1.
Marc 3.15.
Luc 9.1.
Matt.7.22.
F

Fregimus, vt potuimus, panem istum hordeaceum. [50] sed plurima ceciderunt inter frangendum fragmẽta, quia festinamus ad alia. Vos igitur qui otiosi estis, quos Christus ab his occupationibus seruauit immunes; *colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Inspiciat vnusquisq; diligenter seipsum, & videat quod onus in præsenti sustineat, & si quod in futurum formidet. Si sub onere est Babylonis, detestetur illud & abiiciat, ne si fuerit conformis operibus eius, à pœnis eius non sit immunis. Si sub onere Philistijm, videat ne potionibus eorum inebrietur, eisque similis fiat in culpa, futurus eis similis in pœna. [5.] Qui sub onere Moab se senserit laborare, satagat sic necessitatibus corporis indulgere, vt Nabuzardam muros non destruat Ierusalem, nec sic eis satisfaciat, vt cum illis in æternum ardeat. At si onus Damasci humerum presserit, caueat ne ipsi sibi manus iniiciat, & ita seminans in carne, de carne metat corruptionem. Sane si onus Ægypti incubuerit, abijciat opera tenebrarũ, & armis [25] lucis induatur, ne si hic interioribus tenebris mentem libẽs tradidit, [52] quandoque nolens in exterioribus crucietur. Porro si onus Deserti Maris, malis eum persequentibus, infestauerit, non frangatur; ne quod ipsi [54] inferũt per malitiam ille, propter impatientiam patiatur. Si [55] aũt Duma silentij fecerit impatientem, vel pudor & confusio obstruxerit confessionem, caueat pondus pœnæ, ꝙ taliter silentibus Propheta intentat. Verum si onere Arabiæ pressus, mortem timuerit secundum naturam, sic se habeat, vt eam non timeat propter conscientiam; ne non solum ab Arabia prematur [56] sed etiam cum Arabia æternæ damnationis onere comprimatur. Præterea, si sub onere Vallis Visionis suspirans, contra vanitatem pugnauerit: caueat ne de monte contemplationis, cadat in vallem erroris, eo vtique pondere obruendus, quod in onere Vallis Visionis Propheta describit. At si sub onere Tyri, ob præsentes labores, & dolores, mentem pusillanimitas desperatione deiecerit, caueat præ omnibus propriæ voluntatis angustiam; vt corde dilatato, per omnes vitæ huius angustias gratanter incedat, & sic æternum miseriæ pondus, quod Tyro intentatur, euadat. Postremo si sub onere Iumentorum Austri affectus tædio defecerit, cogitet sciatque, quia si onus [57] charitatis abiecerit, damnationis onus non immerito sustinebit.

G
4.Reg.25.10.
Rom.13.12.
H

Credo etiam quod non vacat à mysterio ipse onerum ordo, nec sine causa primo loco ponitur onus Babylonis, secundo Philistijm, & sic de cæteris. Si enim prius à cordibus nostris non fuerit expulsa cupiditas, quæ onus Babylonis, & radix omnium scitur esse malorum; nec cætera onera declinare, vel vincere, nec ad virtutum progredi

1.Tim.6.10.

A fummam vlla ratione poterimus, fiat autem ista cupidita-
tis expulsio, vel in his, qui sæculo plene renuntiant, vel
1. Cor. 7.31. *Qui* (sic) *vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur; tanquam*
2. Cor. 6.10. *nihil habentes, & omnia possidentes.* Cupiditate autem deui-
Ephes. 6.12. cta, vel exclusa, iam *Non est nobis colluctatio aduersus carnem
& sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum,*
1. Cor. 10.13 *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* Sed [18] cum qui *non pa-
titur nos tentari supra id quod possumus, sed facit et cum tentatio-
ne prouentum, vt possimus sustinere,* onus istud vel alleuiaue-
rit, vel abiecerit; onetabit nos huius carnis necessitas, cu-
ius metas sicut scire difficile est, ita seruare impossibile.
Necesse proinde est vt concepto igne naturalia nos incē-
tiua fatigent, & nisi eis viriliter resistatur, ad illicita quæ-
que impellant. Si vero compressis Philistæis, necessitas
corporalis quasi Moab, sub modo fuerit temperantiaque
redacta, & sic quasi onus Damasci, carnis quieuerint incē-
tiua; statim errores, & blasphemiæ, quasi tenebræ Ægy-
pti, oculos cordis obducent, donec coruscanti luci sa-
pientiæ tenebræ cedant, & [59] statim deserti Maris, id
B est, peruasorum inuidia, malitiaque succedat. Qua ces-
cessante, cū ei iam omnia videantur esse quieta, ipsa quies
eius à spiritu accidiæ, quasi sub onere Duma, non potest
esse quieta. Quo operis, orationis & lectionis assiduitate
propulso, onus Arabiæ, id est, metus mortis incum-
bat. Sed & ipso bonæ conscientia ac fidei virtute supe-
rato, quasi vicinum perfectioni vanitas onerabit. Quæ
si fuerit profunda humilitate deuicta, nihil restat, nisi
vt alienis necessitatibus, quasi Iumentum Austri oneretur.

Hæc in præsenti de oneribus istis dicta sufficiant; quo-
rum quædam ab humeris nostris, hoc tempore gratiæ,
Christus deponit, quædam temperat, quædam minuit,
quædam disponit. Hæc autem omnia operatur secundum
abundantiam misericordiæ suæ, à cuius præsentia, quasi à
facie olei, iugum diabolicæ dominationis computruit.
Sed qui tempus misericordiæ negligit, iudicij tempus
formidet; quia is, qui per misericordiam nos redemit, per
iustitiam iudicabit. Itaque, fratres mei, misericordiam &
Psal. 100. 1. iudicium cantemus Domino; misericordiam, quàm expe-
C rimur; iudicium, quod expectamus, Amplectamur illam,
istud timeamus, vt hic deuoti, illic securi inueniamur, præ-
stante Domino nostro IESV Christo, qui viuit & regnat
Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

VARIÆ LECTIONES

1. Ait Apostolus. C. Cam. *Ait Apostolus Paulus.*
2. Sic qui timebatur, venit C. cam. *Sic qui præsens erat essentialiter, venit.* Idem libri excusi.
3. Quod meretricibus. c. cam. & Excu. *Quod meretricis attactum.*
4. Eum, Regem Assyriorum. c. cam. & Excu. *Eum. Regem scilicet Assyriorum.*
5. In pala Oreb. c. cam. Excu. & vulgata. *In petra Oreb.*
6. Tempestatum persecutiones. c. cam. Excu. *Tempestates persecutionum.*
7. Superiora negligere. c. cam. *Negligere superiora.*
8. Charitate quam alijs. c. cam. *Charitate qua alijs.* Excu. *Charitate, quando alys.*
9. Onus itaque graue. c. cam. *Onus vtique graue.*
10 Cum labore peruenit ad id quod cupit. c. cam. & Excus. *Cum labore acquirit quod cupit?*
11. Mundanæ dilectionis. c. cam. & Excus. *Mundanæ delectationis.*
12. Si clamatur. Excu. *Si proclamatur.*
13. Labores subire. c. cam. Excu. *Labores pro eis subire.*
14 In ipsos Patres. c. cam. Excu. *In ipsos etiam Patres.*
15. Illo plene vel pœnali onere. c. cam. *Illo pœne vel &c.* Excu. *Illo pœnarum onere.*
16. Quantarum sollicitudinum onus. c. cam. & Excu. *Quantarum sollicitudinum ac curarum onus.*
D 17. Dicam dilectione. c. cam. & Excu. *Dicam delectatione.*
18. Sapidus apponatur, si negligentius. c. cam. & Excu *Sapidus apponatur, si preparetur tardius, si negligentius.*
19. Quia naturalis. c. cam. *Quia ipse naturalis.*
20. Nonnunquam in quadam delectationis voragine, pœnæ. c. cam. *Nonnunquam vi quadam delectationis, pœne ipsam &c.*
21. Nouerit deprimendum. c. cam. & Excu. *Nouerit opprimendum.*
22. Est leue onus istud. c. cam. *Est onus leue istud.*
23. Dicamus quod bonum est malum &c. c. cam. *Dicamus malum bonum, & bonum malum.*
24. Maris. Mare sunt c. cam. *Maris Mare desertum & cætera vsq; ad hoc signum * Mare sunt illi.*
25. Diuersis vitiorum. c. cam. & Excu. *Diuersis passionum ac vitiorum.* E
26. Sit eos relinquere sibi. c. cam. *Sit relinquere eos sibi.*
27. Mare non dubites eos nominandos. c. cam. *Mare eos non dubites nominandos.*
28. Fratres, quam graue. c. cam. *Fratres charissimi quam graue.*
29. Qui tales sunt. c. cam. *Qui eiusmodi sunt.*
30. Detrahentes, senioribus. c. cam. *Detractores, Deo odibiles, senioribus.*
31. In onere. c. cam. *In hoc onere.*
32. Omnia sint oneri. c. cam. *Omnia oneri sint.*
33. Ad iter paratum. c. cam. *Paratū ad iter, ad obedientiam promptū.*
34. Abiecta Philosophorum. Impressi *Abiecta Peccatorum.*
35. Et in desideria cordis eorum, & in reprobum c. cam. *Et tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, & tradidit illos Deus in reprobum sensum.*
36 Pœnæ, quæ. c. cam. *Pœna, quod.*
37. Hortum tuum. c. cam. & Vulgata editio. *Hortum meum.*
38. Ipse vult. c. cam. *Ipse sponsus vult.*
39. Onera plebis. c. cam. *Onerat eum plebis.*
40. Secreto cœli. c. cam. *Secretis cœlorum.*
41. Medio maris. c. cam. *Medio Babylonis.*
42. Terra australi. c. cam. *Terra Austri.* F
43. Austri sic adimp. c. cam. *Austri adimplebitis.*
44. Sicut Prophetiam c. cam. *Sicut sunt Prophetia.*
45. Benedicuntur, ita. c. cam. *Benedicuntur, ligantur, quos ligant, & quos absoluunt, absoluuntur, ita.*
46. Quod Iudas, sicut. c. cam. *Quod Iudas pessimus, sicut.*
47. Quod multi in illa. c. cam *Quod multi venient in illa die dicentes.*
48. Domino non seruiunt. c. cam. Excu. *Domino Iesu Christo non seruiunt.*
49. Hi nimirum &c. Hæc vsque ad *Fregimus* adiecimus ex c. cam. & Excu.
50. Sed plurima ceciderunt &c c. cam. *Sed quia festinauimus inter frangendum plurima nobis ceciderunt.*
51 Qui sub onere c. cam. *Quod si sub onere.*
52. Lucis induatur. c. cam. *Lucis muniatur.*
53. Quandoque nolens in &c c. cam. *Quandoque in exterioribus nolens cruciatur.*
54. Inferunt per malitiam. c. cam. *Inferunt propter malitiam.*
55. Autem Duma c. cam. *Autem onus Duma.*
56. Sed etiam. c. cam. *Sed insuper eum.*
57. Charitatis abiecerit. c. cam. *Charitatis deiecerit.*
58. Sed cum qui. c. cam. *Sed cum is qui.*
59. Statim deserti Maris. c. cam. *Statim desertum Mare.*

Sermo Primus Domni Aëlredi Rieuallis Abbatis de onere Babylonis. G

OMnium quæ fuerunt, vel sunt vel futura sunt, pri-
mordialis & efficiēs causa Deus est, ipsa omnium fi-
nis. Nam cum ipse, vt ita dicam, proprie sit esse, omnia vti-
que quæcunque sunt, ab ipso habent quod sunt; quia non
nisi ab esse habēt quod sunt. Certum est hominem, & An-
gelum esse; sed aliud est esse, aliud hominem, vel Angelū
esse, cum possit aliquid esse, nec homo, nec Angelus esse.
Cogitet ergo qui potest, non hominis vel Angeli esse, sed
sine Angelo & homine ipsum esse: quod non solum homi-
nis & Angeli est, sed ēt omnium quę sunt. Ipsum igitur esse,
quod non specialiter huius vel illius rei, sed communiter
omnium existentium, vel, vt expressius dicam, essentium
est, sine dubio Deus est. Sicut autem ipse est omnium exi-
stentiū esse, ita & omnium [1] vita viuentium, omnium sa-
pientium sapientia. Ad hanc formam creata est rationalis
creatura; ab ipso habens non solum esse & viuere, sed etiā H
sapientem esse, & sapienter viuere. Ab hac itaq; forma se Ps. 48. 13. 21.
disiungens, & separans miser homo, cōparatus est iumen-
tis insipientibus, & cœpit insipiens esse, & insipienter vi-
uere; nec tamen desiit esse, & viuere, qui posset ad pristinā
formam, eo, qui formauerat, reformante, redire. Ipsa autē
forma, sapientia est; via vero, per quam ad ipsam formam
redeatur, eruditio. Omnis vero eruditio, qua de hac defor-
mitate reducamur in formam, in trib. est, fide scilicet, spe,
& charitate: vt sciamus quid credendum, quid sperandū,
quid sit amandum; & sic credamus, speremus, amemus. Sa-
pientia igitur in animas sanctas se transferens, amicos Dei
& Prophetas constituit; per quos nobis sacram scripturā,
quasi totius eruditionis fontem, ministrauit. Quam nimi-
rum ipse, qui condidit, tanta prudētia Spiritus ordinauit,
vt innumerabilium sensuum, innumerabilium capax esset
sententiarum; quarū cum istas vni, illas alteri reuelaret, ad
exercitandum ingenium, depellendumq; fastidium sem-
per recens esset, semper quadā [2] delectatione renouaret.

Vt au-

A Vt autem error humanus, vel dæmonum suggestio, certo examine[3]ac Sancti Spiritus possit reuelatione discerni, præfixa est fidei regula, præscripta[4]spei promissa, promulgata charitatis præcepta; vt quæcunque sententia occurrens animo, his non conuenire probetur, eam aut fallaciæ dæmonum, aut humano errori incunctanter ascribas: quæcunque vero à sacris paginis conuenienter elicita, vel ad fidem erudit, vel ad spem erigit, vel ad charitatem accendit; ipsam & à S. Spiritu sacris literis insertam, & ab eo tibi reuelatam non dubites. Sed his, qui sæcularium negotiorum impediuntur obscuro, vel necessariarum occupationum[5]retibus occupantur; quibus vagos, & turpes refrenent excursus, satis sunt, imo plus quam satis ea, quæ de scripturis semel sunt dicta, vel scripta; quæ illis tam ignota sunt, vt semper[6]possint eis videri quasi noua. At vobis, charissimi, qui mundi huius renunciastis operibus, qui ab omni cura sollicitudineque mundana soluti; cum immundis spiritibus, ac propriis cogitationibus
B inistis certamen; alia in scripturarum meditatione ratio, alia necessitas est. Quod enim multis parit idem sermo, lectioque eadem sæpius repetita fastidium; necesse est, vt quæ antiqua videntur & nota, vel quarundam sententiarum adiectione, vel saltem verborum mutatione innouentur; & sic ad quærendum studium excitetur, inutiles & inanes cordis excursus, in id quod vtile est reuocentur; & mens, quæ à notis fastidiosa resilierat, renouata lectionis vel sermonis suauitate, ad id salubriter redeat, à quo fuerat quasi sensibiliter auocata.

Hinc est quod librum Isaiæ assumo in manibus, cum charitate vestra quandam eius portiunculam inspecturus: qui licet expositione[7]Sanctorum possit esse notissimus, perutile tamen arbitror vt si non alia, saltem aliter ea, quæ ab ipsis dicta sunt repetamus; vel certe, quæ ab ipsis velut minima, vel manifesta prætermissa videntur, sumptis ex eorum verbis rationum seminibus, sicut Deus dederit in
Mat.15.27. medium proferamus: vt qui ad eorum perfectas senten-
Marc.7.28. tias, quasi ad solidum panem aspirare non audet, ad micas,
Ephes.5.16. quas sub mensa eorum poterimus, vestris rationibus adiu-
C ti, colligere, etiamsi fuerit catellus accedat. Sic, fratres charissimi, sic redimamus tempus, vt illudamus tempori, quoniam dies mali sunt; & salutaribus verbis sanctisque meditationibus, os à sermonibus otiosis, cor à vanis cogitationibus vindicemus.

Est autem iste S. Propheta tam profundus in[8]sententiis, in futuris prædicendis tam perspicuus, in disciplinis moralibus tam iocundus; vt nunc quasi in ipsum cœlum subuectus, videatur diuinorum consiliorum secreta rimari; nunc ad[9]inferiora firmamenti, celeri penna demissus, mysteria propalare cœlestia; nunc leui volatu ad nos vsque descendens, in campis moralibus spaciari; nunc quasi recipi in paradisum, &[10]iterum ad nos, & referre
2.Cor.12.4. ineffabilia verba *quæ non licet homini loqui*. Hæc omnia Christi, & Ecclesiæ sacramenta, tam manifesto reuelat oraculo; vt non tam prænuntiasse futura, quam præterita narrasse putetur. Quæ omnia, licet ex sui qualitate grata sint satis, & sapida; eloquentiæ tamen eius mira suauitate, gra-
D tiora & dulciora redduntur. Sed placuit nobis, vt, cæteris interim intermissis, de vndecim oneribus, de quibus Propheta, S. Spiritu dictante, disseruit; quicquid ipse suggesserit Spiritus, ad vestram ædificationem propalemus Fateor me vestris profectibus per omnia debitorem, & propter officium quidem, sed maxime propter affectum. *Sed & ne-*
1.Cor.9.16. *cessitas mihi incumbit, Væ enim mihi si non euangelizauero*; præcipue, cum quicquid in doctrina spiritali, quicquid in scripturarum intellectu proficio, non tam datum mihi, quam vobis per me transmissum non ambigam. Neque enim meritis id adscribendum meis, cum peccator sim: nec scholasticis quidem disciplinis, cum pæne, vt scitis, illiteratus sim, sed nec studio, aut industriæ meæ, cum raro in otio, crebro in negotio sim. Totum igitur Dei est, mihi com-
1.Cor.1.31. missum, vobis transmissum, vt *qui gloriatur in Domino glorietur*. Adesto proinde tu bone Iesu, & panibus quos protulimus, gratiam tuæ benedictionis infunde, edant pauperes,
Psal 21.27. & saturentur dicantque cum Propheta, *Quam dulcia fauci-*
Ps.118.103. *bus meis eloquia tua super mel ori meo*. Ecce ego appono ma-

E num, tu præsta auxilium, quia sine te[11]possum facere ni-
hil. Qui sancto Isaiæ inspirasti vt scriberet, inspira quæso *Ioan.15.5.*
mihi vt quod scripsit intelligam, quia iam inspirasti vt credam; nisi enim crediderimus, non intelligemus. *Isa.7.9.*

Quid ergo putamus onus istud significat? Est quidem *iuxta 70.* onus premens; & onus opprimens. Premit infirmitas, iniquitas opprimit. Premit tentatio, damnatio opprimit. Proponitur ergo primum onus Babylonis[12]deinde onus Philistiim, tunc onus Moab, & post onus Damasci, quod sequitur onus Ægypti, cui succedit onus deserti Maris, ac deinde onus Duma, & onus in Arabia, & tunc Vallis visionis, & onus Tyri, ad vltimum autem onus Iumentorum Austri. Ostenditur ergo à sancto Isaia quarundam vrbium, vel gentium, immo magis eorum, qui in his vrbibus vel gentibus figurantur, depressio, qui & ipsius depressionis modum, causas, materiasque non tacet: quibus etiam inserit de eorum felicitate sermonem, qui hac depressione ad salutem, non ad perniciem onerantur, paterque vbique
quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddis v- *Ps 61.12.13.*
F *nicuiq; iuxta opera sua* diuidens inter diem & noctem, inter
lucem & tenebras, vt comparatione lucis, ipsæ tenebræ, *Gen.1.4.18.*
densiores appareant, vt collatione tenebrarum, copiosius lux ipsa resplendeat. Et quis inter hæc iudicat atque discernit, nisi is qui ait, *Pater non iudicat quemquam, sed omne iu-* *Ioan 5.22.*
dicium dedit filio. Et iterum, *Ego in iudicio veni in mundum, vt* *Ioan.9.31.*
non videntes videant, & videntes cæci fiant. Quoniam igitur per aduentum Domini Saluatoris, facta est hæc bonorum ac malorum discretio, quorundam quoque depressio, quorundam & liberatio, principalem Prophetæ, per totum libri corpus, ipsius Domini aduentum constat esse
materiam: de quo S. Simeon, *Ecce hic positus est in ruinam*[13] *Luc.2.34.*
& in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Quod Isaias onus, ipse[14]ruinam appellat. Sic autem hæc onera describit, vt appareat Deum quosdam premere, sed non opprimere, quosdam opprimere, sed non premere, quosdam simul premere, & opprimere. Premit, quos affligit, opprimit, quos deserit. Quosdam igitur
affligit, sed non deserit, sicut scriptum est, *flagellat Deus o-* *Hebr.12.6.*
G *mnem hominem quem recipit*. Vnde est illud Psalmistæ, *Visita-*
bo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, mi- *Psal.88.33.*
sericordiam autem meam non dispergam ab eo. Deserit, nec affli- *34.*
git, de quibus dicit Propheta, *In labore hominum non sunt, &* *Psal.72.5.*
cum hominibus non flagellabuntur. Et iterum, *Et dimisi eos se-* *Ps.80.13.*
cundum desideria cordis eorum. Et per alium Prophetam, *Non* *Osee 4.14.*
visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, neq; super vxores vestras, cum adulterauerint. Quosdam præterea affligit, &
deserit, de quibus ipse per Prophetam ait, *Attriui eos, & no-* *Ier.5.3.*
luerunt recipere disciplinam. Sed quomodo, quibusve modis fiat afflictio, vel desertio, cum de ipsis oneribus tractare cœperimus, Deo volẽte, apparebit. Potest autem dici onus Babyl. vel Philistiim, vel Moab, secundum onus, quo premunt, vel secundũ onus, quo premuntur, & sic de cæteris.

Sed iam si placet sequentis narrationis titulum inspi-
ciamus. *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos*. Babylonis *Isa.13.1.*
nomine, fratres, quæ Confusio interpretatur, mundum significari, satis notum est charitati vestræ, vbi nimirum
confusa sunt omnia; vbi boni cum malis, cum electis re- H
probi viuunt, vbi frumentum cum palea, oleum cum amurca, vbi cum acinis vinum, vbi, quantum ad temporalia, sicut iustus, ita & impius, vbi nil habet homo iumentis[15]amplius, cum hic nec ille præmia, qui rationabiliter viuit vt homo, nec ille, qui ob carnalia vitia mutatur in iumentum, digna factis reportat supplicia. Plerunque etiam Babylonem, illam tantum reproborum cum suo Rege ciuitatem, intelligimus, ad quam nullus pertinet electorum, à qua nullus excluditur reproborum. Reprobos sane in tres partes diuidimus, quarum[16]vna & societati cõmunicat, & operibus adhuc electorum, alia ab illis operibus, vel communione separatur, alia iam exutis corporibus, æternis suppliciis mancipatur. Et omnes igitur simul, & singulæ istarum partium, & singularum partium singuli homines, Babylonis nomine iure censentur. Electos etiam in tres diuidi ordines manifestum est. Nam alij necdum vocati sunt, vt Iudæi siue Pagani, alij vocati, sed non iustificati, vt peccatores Christiani, alij iustificati, sed

non-

nondûm glorificati; vt Sancti huius adhuc vitæ miseriis subditi. Electi itaque, qui necdum vocati sunt, licet eos à Babylone prędestinatio separauerit; quamdiu tamen Babylonicis erroribus excæcantur, à Babylonis nomine non recedunt. Sed & hi, quos licet electis vocatio simul ac prædestinatio iunxerit, detestanda tamen opera separaut, Babylonici nominis opprobrio percelluntur.

Dicitur itaque Babylon illa hominum vniuersitas in qua eisdem erroribus & vitiis, & electi & reprobi implicãtur. Dicitur & Babylon cor prauum, & inscrutabile, quod vitiis passionibusque confunditur. Babylon etiam nuncupatur illa reproborum societas, cui æterna confusio præparatur. Est autem onus Babylonis, quo ipsa confusa vniuersitas multorum, ab ea separatione destruitur; quo etiam malis temporalibus indesinenter affligitur; quo in cordibus singulorum, vitiorum ac pessimarum passionum structura, quasi ciuitas cõfusionis diruitur quo insuper æternis pœnis post hanc vitam, in solis reprobis onerabitur. Et hoc est onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. Quomodo vidit? Eia Fratres, qui nunc Prophetæ appellantur, olim Videntes dici solebant, propter excellentiorem quandam, diuinioremque, vt ita dixerim visionem; de qua nunc disserere, & temporis angustia, & ea quæ nũc interuenerunt, negotia non permittunt. Igitur hæc consideratio alteri sermoni reseruetur. Vos interim orate, vt sensum Spiritus sequentes, sic ista onera describamus, vt ea quę prementia sunt fortiter sustineamus; quæ opprimentia, caueamus; damnantia autem, ipsius auxilio euadamus, qui [17] pro nostris voluit oneribus onerari, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vita viuentium c. cam. *Viuentium vita.*
2. Quadam delectatione renouaret. c. cam. *Quadam renouatione delectaret.*
3. Ac Sancti c. cam. *A. Sancti.*
4. Spei promissa. c. cam. *Promissa spei.*
5. Rebus occupantur; quibus vagos & turpes refrenent &c. c. cam. *Retibus implicantur, cum innumerabilium curarum, molestissimarumque sollicitudinum vinculis, cogitationum suarum turpes & vagos refrenent &c.*
6. Possint eis videri quasi noua. c. cam. *Videri possint illis & noua.*
7. Sanctorum Possit. c. cam. *Sanctorum nobis possit.*
8. Sententiis in futuris. c. cam. *Sententiis, tam sublimis in mysteriis, in futuris.*
9. Inferiora firmamenti. c. cam. *Firmamenti inferiora.*
10. Iterum ad nos. c. cam. *Iterum redire ad nos.*
11. Possum facere nihil. *Facere possum nihil.*
12. deinde onus. c. cam *Demum onus.*
13. Et in resurrectionem. c. cam *Et resurrectionem.*
14. Ruinam appellat. c. cam. *Ruinam appellans.*
15. Amplius. Plerumque. Sic meus cod. Sed cam. habet vt suppleuimus.
16. Vna & &c. c. cam. *Vna adhuc & operibus, & societati communitas electorum, alia.*
17. Pro nostris voluit. c. cam. *Pro nobis nostris voluit.*

Sermo Secundus.

SCitis, Fratres charissimi, de oneribus loquuturus, quod graue onus ipse susceperim; vnde inuocandus est nobis ipse Spiritus, vt qui nobis primum onus imposuit charitatis, omne onus leue faciat, quod vestris possit seruire profectibus; quatenus qui dedit affectum. Et onus quidem Babylonis, quantum spectabat ad titulũ, hesterna die, sicut potuimus, explicauimus. Sed cum scriptum sit, *Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos*, [*Isaia. 13. 1.*] quærendum putauimus, quomodo visum sit ab Isaia onus istud maxime cum plures sint visiones, & ob quandam visionis excellentiã, prophetæ [1] appellati sint Videntes. Est quippe Visio Sensualis, visio Imaginaria, visio Phantastica, visio Spiritalis, visio Rationalis, visio Intellectualis. Visio Sensualis est, qua corporeis sensibus corporalia sentiũtur, intus imagines cernũtur; vel ex eis, q̃ pcepta sunt, alia q̃ non sunt sensa fingũtur. Visio vero Phantastica est, qua corporalium rerum phantasmata vel oculis, vel animo obiiciuntur. Porro Spiritalis visio est: qua visibiliũ rerum imagines, aliquid significãtes, in ipso [2] spiritu hominis formantur. At visio Rationalis est, qua vera à falsis, vel virtutes à vitijs discernuntur. Intellectualis autem visio est, qua non dico vera à falsis discernuntur, sed qua in ipsis veris, veritas ipsa conspicitur. Itaque visio Sensualis in corpore est, corporeos omnes sensus, eorumque vim naturamque complectens. Dicimus enim, Inspice, vide, quam album sit; gusta, & vide quam dulce sit; audi, & vide quam sonorum sit: olfac, & vide quam odoriferum sit; tange, & vide quam lene sit. Omnis itaque per carnales sensus experientia, visio dicitur Sensualis: quæ quidem visio Prophetica esse potest, Prophetam vero facere non potest. Visio quippe serpentis ænei, quem Moyses exaltauit in eremo, [*Nu. 21. 89.*] qua filii Israël à serpentium morsibus curabantur, Prophetica fuit; Videntes tamen Prophetas non fecit. Sensualis etiam illa visio fuit, qua Sanctus Abraham tres viros vidit [*Genes. 18. 2.*] descendentes per viam, quam & Propheticam esse ipse non dubitauit, qui tres vidit, & vnum adorauit. Ex illa autem sensuali visione, quamuis Prophetica fuerit, ipse Abraham Propheta non fuit: sed ex alia, qua illam sensualem Propheticam esse conspexit. Magis igitur Propheta fuit, qui exaratas, in pariete aulæ Regiæ Babylonis, litteras exposuit, [*Daniel. 5. 5. & seq.*] quam qui manum, articulosque [3] conspexit scribentis.

Porro visionem illam, qua in animo corporalium rerum, quas sensu percepimus, videmus imagines, idcirco Imaginariam dicimus, quia non aliunde nobis ingeruntur harum rerum similitudines, sed à [4] nobismet ipsis per sensus inductæ sicut eas foris vidimus, ita eas intus imaginamur, vel ex eis ipsis [5] fingimus. Nam similitudinem cerui quadrupedis, quem oculis vidi, interius imaginor, & ex ea cerui sex pedum, quem nunquam vidi, imaginem fingo. Hæc autem visio nec prophetica aliquando est, nec Prophetam aliquando facit, nisi forte ideo Prophetica dici possit, quod res sensibiles, quando Propheticæ sunt, imaginari in animo possunt. Phantastica sane visio aliquando à corpore fit, aliquando ab anima, aliquando autem ab aliquo alterius naturæ Spiritu. A corpore, vel somno, vel morbo. Somno, quando dormientibus nobis corpore, anima quę dormire non potest, vacantibus sensibus, quibus in veris corporibus intuendis occupabatur, interim in corporũ phantasijs naturaliter versatur. Morbo, quando mala aliqua valetudine sensibus perturbatis, visa similia corporibus cernuntur, q̃ phreneticis sæpe accidere manifestum est. Sane ab ipsa anima phantastica visio est, quando ea ipsa, quæ anima in se frequenti versat cogitatione, dum vigilat, per phantasias quasdam contuetur, dum dormit. Porro ab alterius naturę Spiritu formatur hæc visio quando vel oculis carnis per phantasmata vana deluditur, vel dormientibus, vel ægrotantibus, rerum phantasiæ à malis spiritib. animæ præsentantur, vel cum vigilante & sano corpore, anima ab ipsius sensibus abripitur. Nam pro certo scimus multorũ oculis ita delusum esse, vt homo eis besta videretur; vt aqua fluere, vbi nulla erat aqua, æstimaretur; vt ignis sæuire, vbi ignis non erat, putaretur: & multa huiusmodi.

Quod autem à dæmonibus somnia multa formentur, nulli incredibile est. Phreneticis vero, vel quolibet morbo alio affectis, licet ipsa valetudine multa visa formẽtur, potest tamen fieri vt à nequam spiritibus multa eorum animis obiectentur. Verum quoties animam à sensibus, quasi in quendam excessum malus abripit Spiritus, delusum phantasmatibus hominem, aut dęmoniacum facit, aut arreptitium, aut falsum Prophetam. Hanc itaque visionem, quam phantasticam diximus, à Prophetarum officio omnino separamus.

Porro visio, quam ideo spiritalem dicimus, quia in Spiritu hominis, alterius Spiritus operatione formatur; aut per somnium fit, aut per excessum. Per somnium, cum à bonis spiritibus, corporalium rerum imagines in animo dormientis formantur. Quæ profecto visio, licet Prophetica sit, Prophetam tamen non facit. Prophetica

A Gen.37.9. quippe visio illa fuit, qua Ioseph Patriarcha vidit Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare se; Propheta tamē hac visione non fuit, si ipsius mysterium visionis non in-
Gen. 41.1. tellexit. Neque Pharaonem dicimus Prophetam fuisse, quia futuræ vbertatis, famisq; sequentis in somnis dicitur
Ibid. 25. præsagium conspexisse, sed Ioseph; cui Deus, somnij illius occasione, propositi sui * reseruauit arcanum. Nec Na-
Dan.2.31. * Lego reseruauit. buchodonosor Prophetæ nomine dignum existimo, cui statua illa in somnis apparuit, sed potius Danielem; cui somnium ipsum, somnijque datum est nosse virtutem.

Præterea cum sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spirituali in ea visa, quæ similia sunt corporalibus, anima rapitur, extasis dicitur, vel excessus: qua visione occulta reuelantur, & præmonstrantur futura. Cui cum accesserit visio intellectualis, de qua postea tractabimus, fit talis videns Propheta, vel mysteria loquens, vel occulta patefaciens, vel ventura præ-
Act.10.11. B nuncians. In excessu mentis Petrus descendentem de cœlo discum aspexit, in quo erant omnia genera reptilium, & animantium, dictumque est ei, *macta & manduca*. Quā certe visionem, vel præceptum, non tunc quidem, sed accedente postmodum intellectuali visione, cognouit
Act.10.34. quando ait, *In veritate cognoui, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam,*
Ezech.40.2 *acceptus est illi.* In spiritu præterea non in carne sanctum Ezechielem Prophetam, multa Christi & Ecclesiæ sacramenta, sub specie Ciuitatis in monte positæ legimus aspexisse; raptumque per excessum in Ierusalem, abominatio-
Ezech.8.3. nes pessimas Iudæorum Prophetico oculo deprehendisse. Vtrum autem per bonos aliquando Spiritus in sensibus hominum aliquid fiat, quo sensus ipsi fallantur, sicut eorum profecto fallebatur sensus, quorum oculi teneban-
Luc.24.16. tur, ne Christum agnoscerent, nolo præcipitare sententi-
4 Reg.6.18. am. Nam vtrum per bonos aut malos Spiritus, Syri percussi sint cæcitate, ne Eliseum, vel Samariam agnoscerēt, incertum habeo. Rationabilis sane visio ea est, qua sine omni corporalium sensuum adminiculo verum, vel fal-
C sum ratione apprehendimus; qua inter vitia virtutesque discernimus; qua numerorum, & ponderum, & mensuratum rationes veras esse probamus; ita vt nihil certius carne videamus, quam ternarium numerum, in duas æquales partes diuidi non posse, mente concipimus. Igitur visione sensuali, corporalia cernimus; ex imaginaria, corporalia imaginamur; phantastica, per imagines corporales illudimur; spiritali, per corporeas similitudines Spiritus eruditur; rationali, in inuisibilibus mens exercetur; intellectuali in ipsam veritatem mens inducitur. Nam intellectualem illam dicimus visionem, qua mēs omne corpus omnesque corporeas [6] imagines, ac similitudines transcendens in ipsa luce veritatis requiescit; in qua vera, & vere sunt omnia præterita, pręsentia & futura, nec aliter futura quam [7] præterita, nec aliter præsentia quam præterita, vel futura, simul, & semper, & eodem modo omnia quæcunque ei veritas reuelauerit, interiori contemplatur
Ioan.16.12. intuitu. Vnde Dominus in Euangelio, *Multa habeo vobis* [8] *dicere, sed non potestis portare modo. Cum autē venerit ille Spiritus*
D *veritatis, inducet vos in omnē veritatē.* Quid est omnis veritas, nisi vna omnium veritas? Certe quæcunq; sunt, vera sunt, nam protsus quod falsum est, non est. Homo lapis, lignū, equus, auis, vtique sunt, & vera sunt. Pictus autem homo, homo non est, ac per hoc nec verus homo est; vera tamen imago, vel pictura est; & ideo sine veritate nō est. Inducūtur itaque Apostoli in omnem veritatem, in qua nihil falsum, nihil ambiguum, nihil deceptorium; sed corde, non carne solum, id quod verum est cernitur. *Multa* (inquit,) *habeo vobis dicere.* Habuit eis dicere, multa, non vt multis neque per multa, sed in vno, & per vnum, vbi multa non sunt multa, sed vnum. *Sed non* [9] *potestis portare modo.* Sensuali enim visione, ob dulcedinem præsentiæ eius occupati, & corporalibus eius verbis, corporaliter intenti: ad intellectualem illam visionem, quæ omnium corporalium excludit memoriam, [10.] vbi ipsa veritas
Ioan.16.7. loquitur, assurgere non valebant. Ideo ait *Expedit vobis vt ego vadam,* vt scilicet corporalis hæc visio, corporale- que colloquium subtrahatur, & Spiritus Spiritui, in E veritatis lucem translato, loquatur.

Scio in monasterio virginum, quæ sub venerabili, & cum summa reuerentia nominando Sancto patre Gilleberto vberes pudicitiæ fructus quotidie transmittunt ad cœlos, quandam fuisse, vel adhuc superesse virginem sanctam; quæ cum omnem mundi amorem, ac carnales omnes affectus, curamq; corporis omnem, & exteriorem sollicitudinem à suo pectore exclusisset; cœpit quodam mentis æstu & fastidire terrena, & desiderare cœlestia. Accidit autem aliquando, vt, cum more solito orationi incumberet, mira quædam suauitas superueniens, omnes animi motus, omnes cogitationum excursus, omnes insuper spirituales, quos circa amicos habebat, extinxit affectus; moxque anima eius quasi oneribus, quæ in mundo sunt valedicens, rapitur supra se, & ab ineffabili quadam, & incomprehensibili luce excepta, nihil aliud videbat, nisi quod est, & quod omnium esse est [11,] neque lux illa corporea fuit, aut aliqua corporis similitudo, nec distendebatur, nec diffundebatur, ita vt vbique F videretur, nec ipsa tenebatur, & tenebat omnia; & hoc miro & ineffabili modo, sicut esse tenet quicquid est, veritas quicquid verum est.

Hac igitur luce perfusa ipsum Christum, quem prius nouerat secundum carnē, cœpit iam secundum carnem non 1.Cor.5.16. nosse, quia Spiritus ante faciem eius Christus Iesus, in ipsam eam induxerat veritatem. In hoc igitur excessu, cum ei hora non parua præteriisset, pulsata à sororibus, vix potuit ad corporales, quos reliquerat, sensus redire. Itaque cum hoc ei sæpius contigisset, & multum rogata tandem ipsius modum excessus cæteris exposuisset, cœperunt plurimæ visionis huius excellentiam æmulari; vnde se ab omnibus curis, sollicitudinibusque mundanis abstrahentes, lachrymis, orationibusque continuis, plures eandem gratiam sortitæ sunt; & ita, vt inter sororum conuenticula, sæpius hac luce perfunderentur etiam inuitæ. Erat ibi virgo quædam, magnæ discretionis femina, quæ omni Spiritui sciens non esse creden- 1.Ioan 4 1. dum, totum hoc aut morbo, aut phantasticis illusio- G nibus credidit [12] assignandum; & sororibus, quantum potuit, talis visionis frequentiam dissuasit. Inquirenti autem ab illa, quæ in his Superior habebatur, cur sibi nihil tale accidisset, respondit illa; *Quia fidem nobis non adhibes, nec in alijs diligis virtutem, quam ipsa non habes. Roga,* inquit, *Deum, vt, si ex ipso est, mihi hoc ipsum eueniat,* cumque [13] aliquot diebus orassent & nihil profecissent; requisita iterum, quæ supra, & vnde supra, respondit. *Oportet te omnibus mundi huius, cunctorumque mortalium renuntiare affectibus, & circa solius Dei memoriam occupari. Quid,* inquit illa, *Pro amicis meis, & benefactoribus non orabo?* Cui illa *Eo tempore quo volueris ad superiora mentis contemplatione conscendere, necesse est vt omnes, quos diligis Deo commendes atque committas; & quasi profectura de mundo, omnique omnino creaturæ valedicens, ad eius, quem diligis, suspires aspectum.* Adhuc illa non credens, rogat vt orationibus eius, si ex Deo essent ista, voti sui mereretur effectum. *Nolo tamen,* inquit, *vt anima mea ita sustollatur, rapiaturque à corpore, vt à mente mea omnium rerum, ma- H xime amicorum, deleatur memoria. Sufficit autem mihi scire, vtrum ex Deo sint ista.* Itaque die Parasceue, cum anxiis cogitationibus fluctuaret, subito ipsa, quam diximus, luce perfusa cœpit in eam modo ineffabili subuehi, & ad altiora sustolli. At illa, radiantem se lucem illam inaccessibilem, oculo infirmiori non ferens, ad Dominicæ passionis intuitum reuocari se, vt potuit, postulauit. Cum ergo vidisset quasi raptim id esse, quod est, à superioribus ad inferiora delata, in illam spiritalem visionem transfertur, videtque in [14.] Spiritu IESVM in cruce pendentem, confixum clauis, lancea perforatum, sanguinemque per quinque foramina profluentem, ipsamque mitissimo oculo respicientem. Tum illa resoluta in lacrymas, & in se tandem reuersa fidem sororibus adhibuit, & se huic luci minus idoneam æstimauit.

His forte nō inutiliter insertis, intelligamus hanc solam visio-

A Sa.7.27. visionem, quam intellectualem dicimus, Prophetam facete, sicut de sapientia scriptum est; *Ipsa in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit.* Quicquid enim alijs visionibus cernitur, aut ambiguum est, aut fide magis, quam scientia roboratur. Quod autem in ipsa cernitur veritate, in qua facta sunt, quæcunque futura sunt; & luminosum constat esse, & certum. Igitur in visione sensuali vel phantastica, quando hæc, quæ intellectualis est, operatur; Prophetiæ donum esse non ambiguũ est. Qua igitur visione viderit Isaias filius Amos onus Babylonis, sola videlicet intellectuali, aut sensuali etiam, vel spirituali, quis facile dixerit? nam quod vtraque visione hac futura [15] præuidit multa, intellectuali eum illuminante, ex ipsius libri serie scire possumus. Ex sensuali quippe visione oraculum texuit, quãdo Ezechiam Regem pro eo, quod nuncijs Babylonicis domus suę thesauros ostendit, Isaie 39. 4. Prophetica auctoritate corripuit; *Quod* (inquiens) *viderunt isti in domo tua?* Et Rex, *non est verbum*, ait, *quod non ostenderim eis.* Tunc Propheta; *Ecce dies veniunt dicit Dominus,* B *& auferentur omnia, quæcumque congregauerunt patres tui, in* Isaie 6.1. *Babylonem.* Ex spiritali vero quando ait, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum,* & cætera, quæ sequũtur. Quæcunque autem harum visione videret onus Babylonis, certum est quia mente vidit, non carne, ipso reuelãte, qui ait; Osea.12 10. *In manibus Prophetarum assimilatus sum.* [16] Sed quia diu iam nos tenuit visionem istarum distinctio, Prophetieæ huius visionis exordium vsque in crastinum differamus.

VARIÆ LECTIONES

1. Appellati sint. C. Cam. *Sint appellati.*
2. Spiritu hominis. C. Cam. *Hominis Spiritu.*
3. Conspexit scribentes. C. Cam. *Scribentes conspexit.*
4. A nobismet ipsis. C. Cam. *A nobis ipsis.*
5. Fingimus. Igitur. C. Cam. Fingimus. *Nam similitudinem* & quæ sequuntur vsque ad. *Igitur visione sensuali, corporalia cernimus; imaginaria, corporalia imaginamur &c.*
6. Imagines ac similitudines. C. Cam. *Imagines, similitudinesque.*
7. C Præterita. Vnde Dominus. C. Cam. *Præterita. Nec. aliter præsentia &c.* vsque ad *Vnde* Dominus.
8. Dicere. Habuit. C. Cam. *Dicere, sed non potestis* vsque ad *Habuit eis.*
9. Potestis portare. C. Cam. *Potestis ait, portare.*
10. Vbi ipsa C. Cam. *Vbi vera ipsa.*
11. Neque lux. C. Cam. *Neque enim lux.*
12. Assignandum: & sororibus. C. Cam. *Assignandum: sororibus.*
13. Aliquot diebus. C. Cam. *Aliquot dies.*
14. Spiritu IESVM C. Cam. *Spiritu Dominum IESVM.*
15 Præuidit multa. C. Cam. *Præuideret multa.*
16. Sed quia diu iam nos. C. Cam. *Sed quoniam diu nos.*

Sermo Tertius.

Gal.4.4. QVANDO *venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quæ est ista temporis plenitudo? Illa nimirum de qua Dominus in Euangelio, Ioan.4.35. *Leuate*, inquit, *oculos vestros, & videte* [1] *regiones, quoniam* D *albæ iam sunt ad messem.* Tempus quippe vacuum dicitur & inane, quando solis inclementia arefactis in terra seminibus, vel nimia pluuiarum inundatione putrefactis, fames cuncta consumens vacuum reddit messoribus agrum; quando decem iugera vinearum faciunt lagunculam vnã, & triginta modij sementis faciunt modios tres. Tempus vero plenum quando abundant omnia, quando multiplici fruge suis respondet terra cultoribus, nudusq; per agrũ cursitat messor; quãdo horrea replentur frumẽto, & torcularia vino redũdant. Mat.13.24. Veniat nũc in mentẽ Saluatoris de frumento zizanijsque parabola; & quid triticum, quid zizania esse dixerit aduertamus. Semen, inquit, bonũ, hi filij sunt regni; zizania filii nequam: filios vtique regni eos vocans, quos misericordia prædestinauit ad vitam, filios nequam quos iustitia præuidit ad pœnam. Igitur ante aduentum Domini nostri, Filijs nequam omnem pœne superficiem terræ occupantibus, [2] & paucis inter eos regni Dei filijs latitantibus, fames verbi Dei cuncta peruaserat, tempusque vacuum & inane, spiritalibus operarijs nihil in quo laborarent reliquerat. Venit autem plenitudo temporis, quando vbique terrarum abundabant hi, qui à Babylonieis erroribus fuerant separandi, separati iustificandi, iustificati glorificandi; de quibus Saluator *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* E Galat.4 4. Matt.9.37.

Per aduentum proinde Domini nostri, inuadenda fuit Babylon ciuitas confusionis, in qua vitijs & erroribus, cũ reprobis, captiui tenebantur electi, & eorum separatione destruenda. Et hoc onus primum Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. Modum autem huius destructionis Prophetico sermone describens, ita exorsus est. Isai.13.2. *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem leuate* [3] *manum, ingrediantur portas duces.* Quis loquitur? Quibus loquitur? Notandum arbitror quod Sancti Prophetæ aliquando narrando, aliquando orando, nonnunquam etiam benedicendo [4] vel maledicendo, aliquando aliquid agendo, plerumque vero quasi pręcipiendo, futura prædicunt. Isai.2.2. Narrando, sicut est illud, *Erit in nouissimis diebus præparatus* F *mons domus Domini in verticem montium.* Orando, vt illud, Psal.84 5. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*; Isai 64.1. vel certe illud, *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes.* Exod. 4.13. Sanctus quoque Moyses, *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Psal.58. 12. Quasi maledicendo vero, sicut ait Propheta, Psal.67 3. *Disperge illos in virtute tua protector meus Domine.* Et *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Osea.9.14. Et alibi Propheta, *Da eis*, inquit, *Domine; Quid dabis eis? Vuluam absq; liberis, & vbera arentia.* Gen.27.28. Benedicendo, vt Isaac ad filium suum, *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti vini &* [5] *olei.* Gen.28 18. Num.21.9. Isai.20.2. Agendo etiam aliquid, sicut Iacob lapidem erexit & vnxit; sicut Moyses serpentem æneum in eremo exaltauit; sicut etiam idẽ iste Isaias nudus discalceatus incessit. Quasi præcipiendo, vt in sequentibus libri huius scriptum est, Isai. 18. 2. *Ite angeli veloces ad gentem diuulsam &* [6] *dilaceratam*; quod narrando ita dixisset, Ibunt angeli veloces; & in præsenti loco, *Super montem caliginosum leuate signum.* Cernens igitur Propheta, adueniẽte in carne Domino Saluatore, per ministerium Apostolorum, & doctrinam prædicatorum, cõfusionis ciuitatem euersum iri, ex sua, vel [7] ipsius persona, iubet, vel monet, eos facere, quod vidit eos facturos. G *Super montem caliginosum leuate signum.*

Per montem caliginosum ipsam Babylonem, id est mundum, secundum statum, in quo Christus illum inuenit, non inconueniẽter accipimus, qui & mons dici potuit [8] pro superbia, & caliginosus propter errorem. Quasi mons Romanum tunc erat imperium, quod vniuerso supereminens orbi, quantum elatione tumebat, tantum errore multiplici, maxime autem Dei ignorantia caligabat. An non tetra quadam caligine mundum obduxerat Idolorum cultura, vanitas Philosophorum, Templorum superstitio, licentiosa Libido? *Super mõtẽ caliginosum leuate signum.* Luc. 2.34. Quod signum? Euangelium audi, *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur.* Hoc est signum. Crucis [9] cui contradixit humana superbia, pugnantibus aduersus eam Iudæis & Gentibus, cum Regibus & Principibus, cum sapientibus sæculi, & prudentibus, leuantibus eam super montem caliginosum paruulis. Abscondisti enim Crucis [10] tuæ sacramentum, Domine Iesu, à sapientibus & prudentibus, H & reuelasti ea paruulis. Matt.11.25. Isti sunt paruuli, id est humiles [11] Apostoli & Apostolici viri, qui iubentur leuare signum supra montem caliginosum, vt vniuersum mundum Dominicæ Cruci docerent esse subiectum.

Id, quod alicui rei superponitur, aut premit aut claudit, aut supereminet. Exo. 25. 18. Gen.29.3. Superposita sunt duo Cherubim arcæ testamenti, vt altius eminerent; superpositus est lapis puteo vt clauderet, superponitur torculari prelũ vt premat. Super montem igitur caliginosum vexillum Crucis extollitur, vt sua virtute mundi huius potentiam premat; superbis Redemptionis nostræ mysteria claudat; apud mites vero & humiles; omni mundanæ gloriæ supereminear. Nam quod premat, audi beatissimum Paulum, Philip. 2.8. *Christus factus est obediens patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine IESV omne genu*

flecta-

A *flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Ecce quomodo cœlum, terra, [12] infernus Crucis subiicitur sacramento, & Babylonici Regis vbique virtus premitur, euacuaturque potentia. Luc.11.22. *Cum fortis,* inquit *armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet; sed si fortior illo superuenerit, tunc vasa eius diripit, & aufert arma, & spolia diuidit.* Fortis armatus diabolus, atrium mundus, vasa eius mundi sapientes, arma Reges & Principes, spolia plebes. Ecce Babylon, & Rex eius, & diuitiæ illius. [13] Ante fortiotis aduentum Rex iste in pace, id est, nullo contradicente, regnabat. Sed fortiore superueniente, imponitur ei onus premens, onus vincens, onus expolians. Onus istud Babylonis [14] Crux est Christi, quæ diabolum vicit, & Babylonem inuasit, quę spoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos. Isti sunt Hebræi, de Exod.12.22. quibus dicitur; *Super montem caliginosum leuate signum*, vt crucis virtute omnibus gentibus prædicata, diripiantur spolia Babylonis vel Ægypti, ab eo videlicet, qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis suæ. B Coloss.1.13. Elegit quippe paruulos id est humiles; Hebræos id est transilientes, mundi huius contemptibiles, sed mundo superiores; infirmos mundi, sed mundi fortibus fortiores; stultos mundi, sed mundi sapientibus sapientiores. 1.Cor.1.26. *Quæ enim stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & quæ sunt infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, & ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* Isti sunt, qui humilitate semetipsos despiciunt sicut paruuli; qui omnia, quæ sunt mundi, transiliunt sicut Hebræi. Hi Crucem leuant, diuitias & voluptates, quæ Cruci sunt contraria, calcant, Hebr.11.26. maiores diuitias arbitrantes thesauris Ægyptiorum improperium Christi.

Audi etiam quomodo profunditatem diuinæ virtutis & sapientiæ, leuata super mundum Crucis prædicatio claudat. 1.Cor.1.23. *Nos* (inquit Paulus) *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem* [16 *Stultitiam*; igitur Crucis Dei abscondebatur sapientia: virtus vero Dei Crucis scandalo claudebatur. Sed quibus illud? Iudæis quippe & Gentibus. Non omnibus tamen, sed de quibus alias 1.Cor.1.18. scripsit. C *Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Prædicamus Christum Crucifixum. Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, his autem, qui vocati sunt Iudæis & Gentibus, Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Quomodo sane apud tales, omnibus mundi diuitiis & honoribus superemineat Crux, Paulus ipse docet Gal.6.14. qui ait, *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Si quis vero montem caliginosum in bonam significationem accipiendum æstimet, veniat ei in mentem Isa.40.9. quod ait idem Isaias, *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion*, cogitetque vt cuius doctrina sublimis est, sit & vita sublimis, nec manibus repat in terris, cuius lingua versatur in cœlis; nec in inferioribus iaceat infra se, qui sermone ascendit supra se. Nam ipsa doctrina Euangelica nomine montis caliginosi non inconuenienter accipitur, quæ, instar [17] excelsissimi montis, omni mundanæ supereminet sapientiæ, & sacramentorum velamine ea, quæ sublimiora sunt, ab infidelium vel etiam infirmorum oculis, D velut quadam abscondit caligine. Potest & scriptura veteris Testamenti mons caliginosus appellari, quæ alias mons vmbrosus dicitur, & condensus, quæ & sublimis est propter spiritum, caliginosa propter litteram, sub caligine quippe litteræ, cœlestium mysteriorum secreta velantur, quæ ab ipso, per Euangelium reuelantur, Psal.28.9. de quo scriptum est, *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa.* Psal.17.12. Vnde ait Propheta, *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* 3.Reg.8.12. Hinc Salomon, *Dominus dixit quod habitaret in nebula*; vnde & Moyses non [18] poterat accedere ad caliginem in qua erat Deus. Iubentur itaque prædicatores, à quibus onus nuntiatur Babylonis, vt non in infimis iaceant, sed disponant ascensiones [19] in corde suo; & qui ea, quæ desursum sunt, prædicant, quæ sursum sunt sapiant; & ita super montem positi, non ad vallium ima deiecti, faciant Isa.13.2. quod sequitur, *Leuate signum, exaltate vocem.* Vel quoniam primi veritatis præcones ex reliquiis filiorum Israel electi, legalibus fuerant instituti decretis, & litteralibus sacramentis assueti, iubet Spiritus Sanctus vt à lege ad Euangelium, de littera transeant ad Spiritum, & de valle carnalium obseruationum, ad montem ascendant Spiritualium præceptorum. E Aut certe præcipiuntur, vt quod prædicant in Euangelio impletum, antiquis litteris probent prænuntiatum, sicut ait Saluator, *Scrutamini scripturas, ipsæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ioan.5.39. Et Apostolis. *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi* [20] *& Psalmis de me.* Luc.24.44.

Bifariè potest legi hic sermo propheticus, *Super montem caliginosum leuate signum*, vt vel signum super montem leuent caliginosum; vel ipsi super montem positi caliginosum, signum leuent. *Exaltate vocem, leuate manum.* Habes & alias, *Exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ierusalem.* Isa.11.9. Hæc est illa Euangelicæ vocis exaltatio, quam Sanctus Dauid legitur expressisse. *In omnem* (inquiens) *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal.18.5. Quod igitur Sanctus Dauid vidit futurum, & verbo præteriti temporis [21] vtens iam factum prædicat, hoc ipsum Isaias, imo ipse in Isaia Dominus iubet vt fiat. *Exaltate* (inquit) *vocem.* F Quoniam enim per vniuersum mundum vasa iræ, quæ Babylonica libido polluerat, in vasa fuerant mutanda misericordiæ, vox Euangelizantium tanta virtute personuit, [22] vt nunc de audito fidei verbo nullus causari potuerit. Vnde Apostolus, *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Rom.10.18. Sicut igitur in signi eleuatione, præsignatum dicimus Dominicæ Crucis mysterium, ita in vocis exaltatione, Apostolicæ prædicationis excellentia & efficacia prophetatur, sicut ait discipulis suis Iesus, *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc.16.15. Occurrunt adhuc aliæ de vocis exaltatione sententiæ, sed quia nos ad alia quædam negotia instans hora compellit, ab hac consideratione, Deo volente, crastini sermonis sumemus initium. Vos autem de sermone ad lectionem, de lectione transeuntes ad orationem, pias ad aures Iesu deuotis pulsate precibus, vt reuelet oculos nostros, & consideremus mirabilia de lege sua, Psal.118.18. qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & gloriatur, Amen.

VARIÆ LECTIONES. G

1. Regiones, quoniam albæ iam sunt. C. Cam. *Regiones, quia iam albæ sunt.*
2. Et paucis inter. c. cam. *Et paucissimis.*
3. Leuate manum, ingrediamur. c. cam. *Leuate manum, & ingrediamur.*
4. Vel maledicendo. c. cam. *Vel quasi maledicendo.*
5. Olei. Agendo. c cam. *Olei, seruiant tibi tribus, & adorent te populi* &c. vsque ad *Agendo.*
6. Dilaceratam. Cernens. c. cam *Dilaceratam. Quod narrando ita dixisset,* &c. vsque ad *Cernens.*
7. Ipsius persona. c. cam. *Ipsius Domini persona.*
8. Pro superbia &. c. cam. *Propter superbiam &.*
9. Cui contradixit. c. cam. *Cui certe contradixit.*
10. Tuæ sacramentum. c cam. *Tua sacramenta.*
11. Apostoli, &. c. cam. *Apostoli scilicet &.*
12. Infernus Crucis. c. cam. *Infernus ipse Crucis.*
13. Crux est Christi. c. cam. *Crux Christi est.*
14. Illius sed. c. cam *Illius. Ante fortioris,* &c. vsque ad *sed.*
15. Sapientiores. Isti sunt. c. cam. Sapientiores. Quæ enim, &c. vsque ad *Isti sunt.* H
16. Stultitiam: his autem. c. cam. *Stultitiam. Stultitia igitur* &c. vsque ad *His autem.*
17. Excelsissimi montis. c cam. *Excelsissimi cuiusdam montis.*
18. Non poterat accedere. c. cam. *Non potuit accedere.*
19. In corde suo, & qui. c. cam. *In corde & qui.*
20. In lege Moysi, & Psalmis. c. cam. *In lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis.*
21. Vtens iam. C. Cam. *Vtens quasi iam.*
22. Vt nunc de audito. C. Cam. *Vt de non audito.*

Sermo Quartus.

NOn excidit vobis fratres charissimi, ex quo initio, secundum hesternam promissionem nostram, hodiernus debeat sermo procedere. Prædicatoribus veritatis, vt diximus, vocis indicitur exaltatio, [1] vt vbicunque terratum salus, quam operatus est Dominus in medio terræ, Psal.73.12. Apostolis prædicantibus audiatur, & sic reminiscantur, & conuertantur ad Dominum vniuersi fines terræ; & in insulis, quæ procul sunt [2] dicant, *Dominus Saluator noster ad-* Psal.21.28.

A uenier. Volens prætetea SanctusPropheta inter veteris noui que Testamenti præcones subtili examinatione distinguete, istos vt vocem in prædicatione exaltent hottatur. Nostis populo huic Iudaico vt carnali, & nihil nisi terram sapienti, terrenam felicitatem fuisse promissam, [3] panis vinique copiam, lactis ac mellis abundantiam secundum
Isa.1.19. illud, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Et il-
Deut. 11.22 lud, *Si ambulaueritis in mandatis Domini adhærentes ei, disperdet Dominus omnes gentes has ante faciem vestram. Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Et in Amos Propheta.
Amos 9.13. *Comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen.* Et multa his similia. Non igitur exaltabant vocem qui terrena promittebant, qui iacentiin imis populo, quæ ima sunt prædicabant, qui temporalia, amantibus temporalia, præmia proponebant. Exaltarut autem vox eorum, quos Christus noui Testamenti Euangelistas constituit; qui cœlestia desideranda, terrena vero docent esse spernenda; qui nihil mercedis suis promittunt auditoribus in
B præsenti, imo hic labores & agones, in futuro coronas & præmia pollicentur.

Exaltabat [4] plane vocem Paulus cum diceret, *Quæ sur-*
Coloss.3.1. *sum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum*
2.Cor.4.17. *sunt sapite, non quæ super terram.* Et iterum. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra in modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Sanctissimus quoque Euangelista Ioannes vocem exaltans, & quasi filius tonitrui super Babylonem terribiliter intonans,
1.Ioan.2.15. & 17. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt.* Et. *Mundus transit & concupiscentia eius.* Primus etiam Euangelicæ gratiæ [5] prædicator Ioannes Baptista, non à regno terreno, sed à cœlesti suæ prædicationis sumpsit exordium, exaltans vocem & dicens, *Pœnitentiam* (inquit) *agite, appro-*
Matth.3.2. *pinquabit enim regnum cælorum.* Exaltat itaque vocem qui prędicat spiritualia, qui loquitur diuina, qui promittit cœlestia. *Exaltate vocem, leuate manum.* Leuantur manus in oratione, leuantur in bona operatione, leuantur in miraculorum exhibitione. Incumbit quippe prædicatoribus, vt pro ipsis, quibus prædicant, orent, primum vt audiant, de-
C inde vt credant, postremo vt ipsa fide ac bonis operibus perseuerent. Incumbit illis nihilominus vt his, quæ docent, non contraria faciant, vt mens, vox, manusque concordent intentione, sermone, actione.

Possunt & in manuum leuatione ea, quæ per manus A-
Act 5.12. postolorum fiebant signa, & prodigia in plebe non [6] inconuenienter accipi, hisque prænunciatum verbis, quod in Euangelio legimus, Domino præcipiente completum;
Matt.10.7. *Ite* (inquit ad discipulos) *prædicate dicentes, Appropinquabit regnum cælorum.* Hoc est quod dixit Isaias, *Exaltate vocem.* Et addidit. *Infirmos* [7] *curate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Et inde Propheta. *Leuate manum.* Sed nec inconueniens erit, vt credo, si eleuatione manuum, vel vocis exaltatione, recta præfiguretur intentio, quæ si sola peruersa fuerit, & in inferiora declinans; & verba & opera, quantumcunque videantur sublimia, à [8] Deo iudicabuntur iacentia. Nam hi qui non sincere, neque ex veritate Dei Euangelium
D prædicant, sed ex occasione, de quibus ait Paulus. *Omnes*
Phil 2.21. *quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi*, & *Huiusmodi Domino*
Rom.16.18. *Iesu Christo non seruiunt, sed suo ventri*, nec vocem exaltabant, nec manus leuabant, quia quicquid sublime sonabat in verbis, quicquid in miraculis [9] eminebat altum, profecto totum vilis, & peruersa intentio in infima deiiciebat.
Osea 5.2. [10] Vnde & Propheta, *Et victimas suas declinabant in profundum.* Salutaris quippe hostia est veritatis prædicatio, carnis afflictio, pauperum recreatio, assidua & intenta oratio. Sed has certe victimas declinant in profundum, qui relicta intentione cœlestium præmiorum, eas ad hæc infima præsentium contorquent commodorum. Vnde Dominus in
Mat. 7.22. Euangelio, *Videte ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab illis*; & cætera.

Itaque qui prædicationis officium, vel Prophetiæ donum, vel gratiam miraculorum, vel opera iustitiæ, vel lumen scientiæ in vanitatem humanæ laudis, vel in auaritiam turpis quæstus expendunt, nec vocem exaltant, nec manus leuant, nec præmia cœlestia, sed æterna supplicia expectant. Nam quod etiam donis illis sublimioribus [11] Prophetia, vel miraculis, plurimi abutantur, & Prophe- E
tia Balaam, & miraculi Iudæ facile comprobatur. Maxime tamen argumento nobis est illa terribilis in Euangelio Saluatoris sententia, qua dicit, *Multi venient in illa die dicen-* Matt.7.22.
tes, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo multa signa fecimus? & tunc confitebor illis, quia non noui vos. Eia fratres charissimi, æmulamini carismata meliora, humilitatem, patientiam, charitatem. Hæc certe meliora, quia vtiliora: non enim humilibus, non obedientibus [12] non inuicem in charitate diligentibus dicet Dominus in illa die, Non noui vos; quod scimus eum multis prophetantibus, & miracula facientibus esse dicturum. Nullus itaque vestrum, fratres, ideo se putet Deo minus acceptum, quia se non videt miraculis gloriosum, sed secundum tria illa quæ diximus, quam diuinis sit gratus aspectibus, nihil hæsitans metiatur; nam *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gra-* Iac.4.6.
tiam; & *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; &, *In hoc* Luc. 21.19.
cognoscent omnes, quod discipuli estis Christi, si dilectionem habueritis ad inuicem. Sancti igitur Apostoli, virique Apostolici, Ioan. 13 35. F
quos ad debellandum atrium fortis, Christus misit in Luc.11.21.
mundum, vocem suam quadrifarie dicimus exaltasse, Regni Dei prædicatione; bonorum cœlestium promissione; contemptu præsentium; intentione futurorum. O quam Nahum 1.
pulchri, super montes virtutum, pedes, id est affectiones 15.
euangelizantium pacem bonæ voluntatis hominibus, propter bona cœlestia, terrena spernentibus! Pulchri sane pedes, quibus nec saltem puluis adhæret, sed velut posita in peluim aqua, ab ipso Christo abluitur, aut in ipsos, propter quos contrahitur, ipso Domino iubente excutitur. Quicquid enim prædicatores, vel prælati ex occasione of- Mat.10.14.
ficij sui, terrenarum affectionum pulueris contrahunt, vel ab ipsa charitate, pro qua contrahitur, Christo operante diluitur, secundum illud, *Charitas operit multitudinem pecca-* 1.Pet.4.8.
torum; vel certe in ipsos, pro quibus laborant, si fuerint ingrati, vel inobedientes, excutitur, vt totum non prædicatori, sed ipsis potius imputetur.

His omnibus diligenter consideratis, breui epilogo sensum litteræ explicemus. Vox Prophetæ, vel certe vox Domini per Prophetam ad Apostolos, *Super montem cali-* G
ginosum leuate signum. Ac si diceret, Contra Babylonem, id est mundum, qui mons est propter elationem, caliginosus propter errorem; signum fidei, & Dominicæ passionis leuate, vt humilitate Crucis, mundi superbia debelletur; lumine fidei, errorum tenebræ depellantur. Nec in vno id loco, aut in vna fiat regione, sed exaltate vocem, vt in Psal. 18 5.
omnem terram exeat sonus vester, & in fines orbis terræ verba vestra. Vt autem doctrina veritatis libentius audiatur, facilius credatur, deuotius recipiatur, leuate manum, vt quod verbis docetis, miraculis confirmetis. Quæ omnia impleta sunt, quando *discipuli profecti prædicauerunt* Marc.16 20
vbique, Deo cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Potest legi & ita. Vos prædicatores verbi Dei, ascendite de valle ad montem, de littera ad Spiritum, de carnalibus cæremoniis legis, ad cœlestia sacramenta Euangelii; & ita in monte illo caliginoso, in quo est Deus, id est, in scripturarum scientia positi, leuate si- H
gnum, & vocem. Vel ita. Vos, quos sublimia prædicare præcipio, ad sublimia mente conscendite, vt in monte contemplationis discatis, quod in mundi huius valle doceatis; & in sublimi, actione scilicet, & contemplatione locati, leuate signum, Crucis mysteria prædicando; exaltate vocem, non terrena sed cœlestia promittendo; in omni loco leuantes puras manus, pro eis, quibus prædicatis, orando, vel bona opera recta intentione exercendo; & ita muri Babylonis Crucis aculeo penetrentur, & spolia eius diripiantur, fiatque quod in hoc ipso Propheta scriptum est; *Lætabuntur coram te, sicut qui lætan-* Isa. 9. 3.
tur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.

Et ingrediantur portas duces. In his quippe omnibus, quæ dicta sunt, aperiuntur portæ ciuitatis, duces ingrediuntur, quorum vnus de ipsarum portarum apertione gloriatur, & dicit, *Ostium mihi apertum est magnum, & euidens,* 1.Cor.16.9.
& aduersarij multi. Ibi quippe portæ Babylonis clausæ reperiuntur à ducibus, vbi omnibus infidelitate & mali-

A malitia obsetatis, verbo Dei ad eorum corda nullus patet accessus; vbi vox prædicatoris auditur quasi pulsantis ad ostium, sed doctrina veritatis non recipitur. Tales vtique erant Iudæi, quibus Paulus dicebat. Act. 13. 46. *Vobis oportebat primum annunciare regnum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Sed & illi Act. 7. 56. ostium clauserant ducibus istis, qui audientes Stephano Domini IESV gloriam prædicari, continuerunt aures suas. Dicuntur[13] sane ipsi prædicatores duces verbi, quia Dei verbum auditorum cordibus introducunt; quia tunc portas ciuitatis ingressi sunt, quando suscepti à Gentibus, constructæ de ipsis Ecclesiæ, rectoris ac ducis nomine præsidebant.

Possunt etiam per portas ipsa fidei sacramenta intelligi; necesse quippe est vt fides præcedat, deinde introitus pateat intellectui. Tunc autem dici possunt duces ingressi, quando per fidem auditorum quasi in eorum cordibus suscepti, altioris ac secretoris doctrinæ eis lumen infundunt. Sed & primitias credentium portarum nomine dignas existimo, per quas, ad cæteros B conuertendos, Apostoli faciliorem habuerunt accessum, & in ipsam armis muniti cœlestibus ingressi sunt ciuitatem. Hinc credo di- 1. Cor. 16. 9. xisse[14] Apostolum *Ostium mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi* multitudo quippe credentium quasi ostium erant, per quos in ciuitatem confusionis Paulus intromissus, contra aduersarios, quorum non paruus erat numerus, copiam habuit cominus decertandi. Et in hic omnibus onus intelligitur Babylonis, secundum quod superius eam diximus, per Christi aduentum, separatione multorum esse subuersam. Sed iam sermoni huic finem facimus, ne in hac parte vestris profectibus seruire cupientes, alia exercitia æque vobis necessaria impedire videamur. Præcedat autem sermonem crastinum[15] oratio, quod ea quæ allegoricæ dicta sunt, expositione tropologica repetere possimus, vt[16] iacto fundamento bonorum operum superponatur structura, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

C

VARIÆ LECTIONES.

1. Vt vbicumque terrarum. c. cam. *Vt vbique terrarum.*
2. Dicant, Dominus saluator noster. c. cam. *Dicant, saluator noster.*
3. Panis vinique copiam. c. cam. *Panis videlicet, vinique copiam.*
4. Exaltabat plane vocem. c. cam. *Exaltabat sane vocem.*
5. Prædicator Ioannes Baptista. c. cam. *Prædicator Baptista Ioannes.*
6. Inconuenienter accipi, hisque. c. cam. *Inconuenienter intelligi hisque.*
7. Infirmos curate, leprosos. c. cam. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos.*
8. A Deo iudicabuntur. c. cam. *A Deo tamen iudicabuntur.*
9. Eminebat altum, profecto totum. c. cam. *altum eminebat, totum profecto.*
10. Vnde & propheta c. cam *Vnde Propheta.*
11. Prophetia vel miraculis. c. cam. *Prophetia scilicet & miraculis.*
12. Non inuicem in charitate. c. cam *Non in caritate inuicem.*
13. Sane ipsi prædicatores. c. cam. *Sane Prædicatores ipsi.*
14. Apostolum. Ostium mihi. c. cam. *Apostolum. Manebo Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi.*
15. Oratio quod ea. c. cam *Oratio quo ea.*
16. Iacto fundamento. c. cam. *Iacto fidei fundamento.*

Sermo Quintus.

MEMINISSE debetis fratres carissimi, dixisse nos caritati vestræ, animam pessimis passionibus vitijsque confusam, Babylonis nomine conuenienter intelligi. Babylon enim vt scitis confusio interpretatur. Et quid tam D confusum quam anima illa,[1] quam nūc superbia eleuat, nunc ira deuastat, nunc tristitia contrahit, nunc luxuria inquinat, nunc gula dehonestat? Talis quippe anima mōs caliginosus dici potest; quicunque enim tales sunt, oculi eorum cæca quadam caligine obducuntur, vt inter lumen virtutum, & tenebras vitiorum discernere non valentes, illud fugiant, in istis delectabiliter volutentur. Huius Babilonis onus Crux est, quæ iam eleuata per orbem, pereū-

E tibus quidem onus est, his autem qui salui fiunt vtile, gratumque leuamen. Quid enim, fratres mei, tam onerosum amantibus mundum, quam Crux? in[2] Cruce commendatur gloriæ contemptus, quam illi apperunt; commēdatur carnis afflictio; quam vehementer refugiunt; commēdatur propriæ carnis mortificatio, quam detestantur; commēdatur nuditas, & rerum temporalium expoliatio; quam execrantur. Sed & nos, fratres, quantum reliquiæ Babylonis[3] occupant, onerat Crux, sicut quotidianis experimētis edocemur: in quātum enim carnis delectat suauitas, intantum eius torquet afflictio; & quātum honor gratus est, tantum vilitas est onerosa; & quantum eleuat adulatio, tantum[4] deijcit detractio. Si vero[5] diuitiæ affectantur, paupertas affligit; & si dulcis videtur libido, difficilis castitas æstimatur. Hinc est, quod multi discipulorum Christi Ioan. 6. 66. [6] audientes Crucis mysterium abierunt retro, & iam cum illo non ambulabāt. Demus proinde operam fratres mei, vt quicquid de reliquijs mundi in nobis est, à nostris cordibus extrudatur, &[7] omnia si fieri potest Babylonis deleantur vestigia, vt experiamur quantum sit in Cruce dulcedinis, quantum securitatis & gloriæ. F Amorem enim parit, quo nihil dulcius; martyrium, quo nihil securius; contemptum mundi, quo nihil gloriosius.

Super montem caliginosum leuate signum. Ad Angelos, credo, vox ista dirigitur, quos Dominus animarum nostrarum iussit esse custodes, vt cordibus eorum, quos adhuc mundus delectat, vel temptat, recordationem Crucis imponant, & singulis vitijs, quæ animam vel vestant, vel impugnant, singulas crucis virtutes opponant. Hi sunt admi- Hebr. 1. 14. nistratorij spiritus, in ministerium missi propter nos, qui intersunt psallentibus, assistunt orantibus, legentibus & meditantibus assunt. Isti se spiritibus immundis opponunt, illecebras mundi suadentibus, exemplum Dominicæ passionis obijciunt; mentem ira inflammare volentibus, Dominicæ patientiæ bonitatem proponunt; elationē illis, vel superbiam immittentibus, humilitatē nobis humilis Iesu suggerunt imitandam. Ideo fratres charissimi, G state in Ecclesia cum reuerentia & timore, & date honorem Deo, & habete gratiam his beatis, & amicis vobis spiritibus; ne forte aut leuitate vestra, aut aliqua contra inuicem indignatione offensi discedant, & sic ad corda vestra nequam Angelis liber præbeatur accessus. Felix anima, quæ inter psallendum, in ipsius, de quo psallit, accenditur desiderium; excitatoque affectu, obortisque lachrymis, ipsos, quos in spiritu sentit esse præsentes, alloquitur; Cant. 5. 8. *filiæ Ierusalem nuntiate dilecto quia amore langueo.* Quam læto putas vultu, quam hilari voce beati illi spiritus responde- Cant. 2. 8. re videntur, *Ecce ipse venit saliens in montibus transiliens colles?* conuersique ad ipsum, iam iamque dilectæ sibi animæ propinquantem. Ista est, inquiunt, speciosa inter filias Ierusalem.

Infelices & miseri, qui ad instar spinarum & veprium, talem animam indisciplinatis signis vel vocibus pungunt; nec solum ipsi, tantæ dulcedinis expertes, traduntur dæmonibus illudendi, sed etiam ministri Sathan effecti, quantum in ipsis est, eius iaculis & persecutionibus alios exponunt. O quam delectabile spectaculum immundis H exhibent spiritibus, qui huiusmodi sunt? qui vocem suam, linguam suam, os suum, postremo ipsum cor suum, totiusque noctis laborem à sanctissimis Angelorum manibus, qui omnia iam susceperant templo illi cœlesti inferenda, & in conspectu Dei diuinis imponenda altaribus, infeliciter auellunt, & sic omnia dæmonibus immo- Isai. 1. 14. lant & non Deo: vt mereantur audire, *neomenias vestras, sabbata vestra, sacrificia vestra odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta.* O tu Sancta anima, amica Dei, sponsa Christi, habitaculum Spiritus Sancti, patienter tales sustine; vt si impugnant, non expugnent; & si trahunt, non pertrahant; nec sic te, auertant à te, vt conuertant ad se; vt te faciant sui similem, & illis, qui tibi assistunt, dissimilem Sanctis, Cant. 2. 2. sed potius glorietur de te sponsus tuus & dicat, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Itaque fratres charissimi, quicunque Spiritales estis, cum talem aliquem videritis, nolite indignari illi, sed potius orate[8] pro eo aliquando familiares amicos vestros, beatos qui vobiscum sunt

A Spiritus, vt super montem hunc caliginosum leuent signum, quatenus Dominicæ passionis, & Crucis recordatione repressi confundantur, & erubescant, & sic [9] ad cordis & vocis redeant vnitatem.

Et additur, *Exaltate vocem, leuate manum.* Itaque quia in sermonem de sactis vigilijs incidimus, congruit psalmodiæ vocis exaltatio, orationi manus eleuatio. Et ne litteram in hac parte penitus contemnamus, potest in vocis exaltatione feruor ille exprimi, qui in turba fratrum valde necessarius est, vt per oris sonum interior ille ignis erumpat vndique; & sic [10] se erigant inuicem & accendant, quatenus vna flamma effecta de multis, holocausta illa medullata diuinis, Angelorum ministerio, illata altaribus, in odorem suauitatis incendant. Commendatur etiam in manus eleuatione puritas orationis, sicut dicit A- *1 Tim. 2.8* postolus, *In omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* Ille putas manus leuat in oratione, cuius conscientia tempore orationis exultans [11] bonorum operum recor- B datione, in quandam confidentiam sese attollit, & diuinis præsentat obtutibus; quæ quidem [12] confidentia ex innocentia, aut ex digna necesse est pœnitentia oriatur; si videlicet aut non flenda commiserit, aut commissa digne defleuerit. Sed quando [13] inquis me digne & sufficienter pœnituisse præsumam? nunquam omnino. Vnde igitur ista confidentia? Eia fratres charissimi [14] Spiritua- *Iacob. 1.17.* libus Spiritualia comparamus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est.* In cuius, quæso, potestate est, sic orare vt velit? Itane quando volumus, aut deuotione feruescimus, aut erigimur confidentia, aut flamma charitatis succendimur, aut contemplatione sustollimur? Experti estis quam nihil horum in vestra sit potestate, sed *Rom. 8.15.* mittit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem *Abba pater.*

1.Cor.12.11. Iste igitur Spiritus has in oratione affectiones dispertit, diuidens singulis prout vult. Ipse adeo in cordibus orantium gemitum salutarem infundit, vt ipse etiam gemitibus inenarrabilibus dicatur interpellare pro nobis. Inenarrabilibus, inquam, quis enim sufficiat enarrare quot C modis mens in oratione afficiatur, in qua nunc pudor gemitum excitat pro peccatis, nunc timor pro pœnis, nunc deuotio pro affectu, nunc amor pro desiderio: [15] Sed ex consideratione præsentis infirmitatis, vel infelicitatis plerumque compungimur, & vitæ huius fastidio ingemiscimus. Igitur nonnunquam & peccata quæ commisimus, & pœnas quas timemus, & regnum quod speramus ante oculos ponitur, & Dei circa nos immensa beneficia recordamur, nullo tamen doloris sensu afficimur, nullo timoris affectu compungimur, [16] ad nullius cœlestis beatitudinis desiderium subleuamur. Plerumque nihil horum præ oculis habentes, subito in hæc omnia rapimur, & de affectu in affectum modo quodam ineffabili transeuntes, lacrymarum imbre perfundimur. Quid est hoc? Certe *Ioan. 3. 8.* quia. [17] *Vbi Spiritus vult spirat & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Scis quando venit, quia non se finit ignorari cum spirat; scis qñ vadit, quia tepor feruori recedenti succedens, non te finit ignorare cum spira- D re iam cessat. Sed nescis vnde veniat aut quo vadat. Vnde venit, aut quo vadit Spiritus, qui replet orbem terrarum? neque enim ab ipso vox ista aliena est. *Cœlum & Iere. 23. 24. terram ego impleo.* Et tamen venit, & nescis vnde veniat, & vadit, & nescis quo vadat, nescis certe vnde veniat, an [19] secreto misericordiæ, an à tribunali iustitiæ, an ex abysso iudiciorum, an ex thesauris scientiæ. Cum enim venit vt excitet torpentem, vel compungat peccantem, vel consoletur afflictum; quasi ex cubiculo misericordiæ dicitur processisse. Quando vero vt bene operantem Spiritualis compunctionis suauitate remuneret; ex iustitiæ eum sede ad nos dicimus descendisse. At vbi illorum mentibus [20] salutarem nunc inspirat affectum, quibus omnia cooperantur in malum, qui ingrati beneficijs, seruantur supplicijs, quibus & bonum, & malum simul sunt ad tormentum; cum ex abysso iudiciorum aduenisse non dubites. Si vero ea causa venire dignatur, vt mens huiusmodi visitatione purgata, ad rimanda diuinæ secreta scientiæ, luminosior aptiorque habeatur; quasi ex scientiarum thesauris eum exisse confidas. E *Eccle. 9.1.* Sed nescis vnde veniat, cum nescias vtrum amore an odio dignus sis, & vtrum misericordiam prærogет, an mercedem restituat, an exerceat iudicium, scire non possis. [21] Nescis & quo vadat, vtrum videlicet è vicino subsistat, post modicum rediturus; an longius eat, post multum temporis reuersurus; an offensus recedat, nunquam denuo reuersurus. Itaque quando vult spirat & sicut vult. Quotiens tamen orantis mentem in quandam confidentiam erigit, & obliteratis omnibus, quæ conscientiam obscurabant, timorem omnem, pro delictis sollicitudinem à corde prorsus expellit, facitque eum miro, & ineffabili modo de salute sua eo puncto temporis certum, manus eius in excelsum elatas non dubites. Quod quia fit Sanctorum auxilio Angelorum, ad illos dictum intelligi potest, *Leuate manus.*

PRÆTEREA contra tria peccatorum genera quibus peccamus, cogitatione scilicet, sermone, [22] & opere, tria hæc à nobis ipsis auctoritate Prophetica exi- F guntur; *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem,* [23] *leuate manum.* Cor quippe nostrum cum per naturam sublime sit, & per profunditatem inscrutabile, mons caliginosus dici potest, quod necesse est Crucis semper memoria muniamus, ne peccemus cogitatione; iubemurque exaltare vocem, ne peccemus sermone. Necessarium sane præceptum, præsertim hoc tempore, quo fere omnium lingua tota die circa infima, vel noxia quæque versatur, & rarus sit qui vocem in sublime sustollat. Eia fratres charissimi, pudet dicere quomodo conuenientibus multis in vnum, detractiones vndique sonent, & ferueant iudicia. Nam vt taceam mundi amatores, *quorum totus sermo de lucro, aut turpitudine est; de illis, qui videntur sæcularibus abrenunciasse operibus, quid dicam? quorum omnes fere disputationes, & collationes de ventre, pro eius non dicam delectatione, sed onere. Nunc enim ira turbidi, nunc deiecti tristitia, nunc odijs [24] inflammati, nunc pressi murmure, nunc lite sunt effrenati, quorum mens intestinis semper conformatur, & ventri, inde sibi aut gaudium G mutans, aut dolorem. Isti vtique non vocem exaltant, sed turpiter deijciunt. Quod similiter faciunt, qui tota die de alienis tractant [25] negotijs, qui de suis se iactant operibus, aliorum detrahendo discutiunt, qui serijs vtilibusque prætermissis, vana & ludicra in medium proferunt.

CONTRA hæc omnia iubet nos sermo Propheticus exaltare vocem, vt sermo noster de cœlestibus sit, qui vel Dei timorem incutiat, vel amorem infundat, vel augeat *Mat. 6. 20.* scientiam, vel mores componat. Iubemur & manus leua- *Matt. 6.1.* re, vt thesaurizemus in cœlum, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur; vt videlicet omnia opera nostra transmittamus ad cœlum, non facientes iustitiam nostram coram hominibus vt videamur [26] ab eis. *Et ingrediantur portas duces.* Hæc omnia, fratres, quæ de signi leuatione, vel vocis exaltatione, vel manus eleuatione diximus; quædam vt ita dixerim portæ sunt, per quas virtutes introducuntur ad animam, quasi quidam cœlestis exercitus, quo vitia, H quibus fuerat Babylon, id est, ciuitas confusionis effecta, *Isai. 1.26.* penitus expellantur: & sic vocetur *Ciuitas sancta, Vrbs fidelis.* Huius exercitus duces, principales virtutes intelligamus, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, Iustitiam. Hi duces, si cogitationes nostræ sanctæ fuerint, si sermones boni, si munda opera, quasi portas quasdam intrantes, totam animam suæ subiiciunt ditioni, replentes eam virtutibus, & Sancto Spiritui domicilium præparantes. Diutius, quam putabamus, nos sermo iste detinuit; [27] vtinam tam vtilis fuerit, quam prolixus. Ad illa itaque quæ sequuntur inspicienda, vel tractanda tempus *Apoc 3.7.* aliud expectemus, obsecrantes eum. *Qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Quatenus quod clausum est in scripturis suis, aperire dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

A

VARIÆ LECTIONES.

1. Quam superbia eleuat.&c.C.Cam.Quam *nunc* superbia eleuat, *nunc* ira deuastat, *nunc* tristitia contrahit, *nunc* luxuria inquinat,*nunc* gula dehonestat? Talis *nimirum* anima mons caliginosus dici potest, *quam superbia erigit, obscurat luxuria;* quicunque.
2. Cruce commendatur.C.Cam.Cruce *quippe* commendatur.
3. Occupant,onerat C.Cam.Occupant *tantum* onerat.
4. Deijcit detractio C.Cam.*Detractio deijcit.*
5. Diuitiæ affectantur. C.Cam.*affectantur diuitiæ.*
6. Audientes Crucis mysterium. C. Cam. *Crucis audientes mysterium.*
7. Omnia si fieri.&c.C Cam.*Omnia Babylonis si fieri potest.*
8. Pro eo aliquando.C.Cam.*Pro illo alioquin.*
9. Ad cordis & vocis.C.Cam.*Ad vocis & cordis.*
10. Se erigant inuicem.C.Cam.*Se inuicem erigant.*
11. Bonorum operum.C.Cam.Bonorum *actuum.*
12. Confidentia ex innocentia.c.cam. Confidentia *aut* ex innoc.
13. Inquis me.c.cam. *Me inquis.*
14. Spiritualibus spiritualia.c. cam. Spiritualibus *&* spiritualia.
15. Sed ex consideratione. c. cam. Sed *&* ex consid.

B

16. Ad nullius cœlestis.c.cam.Ad *nullum etiam* cœlestis.
17. Vbi Spiritus.c. cam.*Spiritus vbi.*
18. Veniat aut quo.c.cam.Veniat *vel* quo.
19. A secreto misericordiæ.c.cam. A *secretario* miser.
20. Salutarem nunc inspirat.c.cam.*Salutarem.* inspirat.
21. *Nescis & quo* & cætera vsque ad *Præterea contra,* adiecta sunt ex C.Camer.
22. Et opere c.cam.Et *operatione.*
23. Leuare manum.c.cam.Leuare *manus.*
24. Inflammati,nunc lite effrenati.c.cam.Inflammati, *nunc pressi murmure,* nunc lite *sunt* effrenati.
25. Negotijs,qui mores.c.cam. Negotijs, *qui de suis se iactant operibus,* qui mores.
26. Ab eis.c.cam.Ab *illis.*
27. Detinuit,vtinam.c.cam.Detinuit, *&* vtinam.

Sermo Sextus.

DE onere Babylonis sicut meminit charitas vestra, quinque iam Sermones absoluimus, in quibus de monte caliginoso, & de leuatione signi, de exaltatione vocis, & manuum eleuatione, sicut potuimus, disputauimus. Iam nunc, ne cui videatur ambiguum, ad noui Testamenti præcones vocem istam, [1] sicut Prophetice diximus, fuisse directam, manifeste idipsum, loquentis in

C

Isai.13.3. Propheta verbis Domini, declaratur. Dicit enim. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.* Dederat quippe mandatum vt omnia, quæ præcepta sunt, fierent; sed à quibus fierent, non expresserat. Ideo quasi quærenti; & dicenti, Domine cui ista committis tam magna, sublimiaque negotia? respondet. *Ego mandaui sanctificatis meis* & cætera. Quibus verbis, vt mihi videtur, tres prædicatorum ordines exprimuntur, quorum primum sanctificatos appellat; secundum fortes in ira sua; tertium exultantes in gloria sua. Notatur & hic triplex Ecclesiæ status, primus electionis, secundus persecutionis, tertius pacis: potest enim sanctificatio referri ad electionem, ira ad persecutionem, gloria ad pacem. Primũ itaque electi sunt Apostoli, & Discipuli Christi, quos profecto sanctificatos appellat; pro quibus specialiter illa eius effusa est oratio, quam post vltimum in cœna sermonem, mirabili & ineffabili affectu[2] ad patrem profudit.

D

Ioan.17.15. & 17.& 19. *Pater* (inquit) *non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Pater sanctifica eos in veritate.* Et iterum *Pro ipsis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*

Isti igitur vere sanctificati sunt in veritate, qui præsentia corporis eius, qui commendatione efficacissimæ orationis eius, qui postremo recenti effusione sacrosancti sanguinis eius, tanto vberius, quanto vicinius sanctificari meruerunt. Optime autem dicit, *Ego mandaui*, id est, præcepi. *Sanctificatis meis* vt eos hic intelligas designari, qui ab ipso eius ore mellifluo prædicandi ministerium, & Apostolatus officium susceperunt. Sed quia fundata per Apostolos Ecclesia[3] persecutionibus erat exercenda, & probanda tentationibus. *Vocaui (inquit) fortes meos in ira mea.* Ira Dei multis modis intelligitur in scripturis; dicitur enim iratus Deus aliquando eum affligit aliquando cum parcit, aliquando cum hominum resistit desiderijs, aliquando cum fauet. Nam commotus aduersus Iob dictus est, quem permisit affligi, sicut ipse loquitur ad Sathã.

E

Iob. 2.3. *Et tu commouisti me aduersus eum, frustra.* Illis autem pepercit iratus, de quibus dicit. *Recedet zelus meus ab eis, & vltra non irascar eis; sed & iratus dimisit quosdam secundum desideria cordis eorum; & iterum quasi iratus, sepit vias multorum spinis, vt non inueniant amatores suos, quos quærunt.* Dicitur itaque afflictio ipsa, qua suos pmit affligi, ira eius. Licet proinde Ecclesiam[4] non ad virtutis detrimentum, sed ad mercedis cumulum à persecutoribus permiserit fatigari; ipsa tamen pœna ira Dei non incongrue appellatur, non secũdum prouidentiam permittentis, sed secundum dolorem sentientis & æstimationem, quid inde futurum fuerat nesciẽtis. Quamuis hæc ira vere ad ipsos possit referri, qui occasione persecutionis recesserunt à fide, nec ad eã per pœnitentiam redierunt. Istos vero iratus permisit affligi, quibus temporalis pœna æternæ damnationis fuit occasio, quia *melius erat viam veritatis non*[5] *agnoscere, quam post agnitam retrorsum redisse.* *Eze 16.42. Psal.80.13. Osea 2.6.* *2.Pet.2.21.*

F

Potest & hæc ira Dei in persecutores Sanctorum videri sæuisse, qui sicut dictum est de Pharaone, in hoc ipsum excitati sunt, vt ostenderet in eos Deus virtutem suam, & notam faceret potẽtiam suam, quos permisit indurati ne crederent, excæcari ne viderent, commoueri vt credentes occiderent. Vnde scriptum est in hoc ipso Isaia. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos claude, ne forte videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos.* In hac ira Dei, siue qua electi puniti sunt, vt coronarentur, siue reprobi, vt agnoscerentur; siue qua permissi sunt sæuire tyranni, vt arctius, vel infelicius damnarentur; in hac inquam ira Dei, Martyres Sancti fortes inuenti sunt, qui ignem, ferrum, bestiasq; perpessi, fiducialiter proclamabant. *Quis nos separabit à charitate Christi, Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius?* Horum itaque patientia muri Babylonis arietati corruerunt, latum ducibus relinquentes ingressum. Sic mirum in modum Principes, qui orbem sibi subiecerãt pugnando, Martyres Christo subijciunt patiendo. Tunc vere leuatum est signũ, quãdo in corona Regis Crux locatur pro gloria, quæ fuerat terrori ꝓ pœna, pro contumelia pudori. Tũc cœpit apparere etiam mundo gloria Christi, quando vbiq; per orbem templa subuertebantur, idola conculcabantur, martyres coronabantur; exultantibus in hac gloria Christi, sanctis prædicatoribus Christi, de quibus ait, *Vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.* Itaque mandauit sanctificatis, fortes vel exultantes vocauit. Præcepit nimirum sanctificatis, quos sua lætificauit præsentia; quos proprij oris erudiuit doctrina; quibus, ascendens in cœlum prædicationis officium, & dispensationem iniunxit sacramentorum *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* *Exod.9.16. & Isai.6.10.* *Rom.8.35.* *Mat.28.19*

G

Cæteros sane siue Martyres, siue Doctores, absens corpore, sed præsens diuinitate vocauit, vocatos iustificauit, iustificatos ad alios vocandos, erudiendosque transmisit: quamuis quocunque tempore fuerint, omnes præcones veritatis sanctificatos potuerit appellare, propter castitatem; fortes, propter charitatem; exultantes, propter spem; nam castitate perfecta nihil sanctius, charitate nihil fortius; spe cœlestium nihil iucundius. Et hæc quidem fide quæsita sunt, persecutionibus probata, Christi gloria coruscante firmata: fides itaque contulit sanctimoniam, ira probauit dilectionem, spem inspectio gloriç confirmauit. Sed & nos, fratres charissimi, sanctificemur in gratia eius, fortes simus in[6] ira ipsius, ex ultantes in gloria eius. Quod nomine sanctificationis castitas appelletur, scripturam consuetudo commendat;[7] nam cum filijs aliquãdo dicatur Israel, *Sanctificamini in crastinum*, aliquando in diem tertium, à carnali commixtione certis temporibus prohibentur. Hinc est quod panes quærens à Sacerdote Dauid, cum audisset non esse ibi panes laicos, sed tantum panes propositionis, Sacerdoti interroganti vtrum mundi essent pueri, maxime à mulieribus, respondit. *Si quidem de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiustertius, & sunt vasa puerorum sancta.* Vnde Apostolus, *Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctifi-* *Exo.19.10. 11.& 15. 1.Reg.21.3. & 4. & 5. 1 Thess.4.4.*

H

A *ctificatione & honore, & non in passione desiderij.*

Sciendum autem est quia est castitas carnalis, castitas sensualis, castitas spiritalis. Castitas carnalis est, si homo voluntatem suam ab omni illicita coinquinatione cohibeat; castitas sensualis, si membrorum omnium sensus ab omni illicita delectatione contineat; castitas spiritualis, si omnes affectiones immundas, cogitationesque impuras à cordis sui oculis abigens, ... s, priusquam carnem affectumque perstringant, eiiciat. Eia charissimi, carnali illi populo cui [8] carnalia sapiebant, temporalis quædam sanctificatio indicebatur, illam, quæ solius carnis est, à membris tantum inferioribus libidinem arcens: nobis non modo illa præcipitur, sed omnium insuper sensuum castigatio sacratiori lege imponitur, vt mundemur ab o- 2.Cor.7.1. mni inquinamento carnis & spiritus, & sic in nobis perficiatur sanctificatio, non vnum corporis nostri membrum castitatis legibus subdens, sed omnes interioris, exteriorisque hominis sensus perpetuo sibi iure submittens. Itaque, B fratres, non sinamus tempus sub negligentia præterire, sed inspiciamus diligenter si quid impuritatis adhuc in oculis sit, si aures vanis [9] noxiisque sermonibus polluantur, si manus mundæ, si desecatæ nares, si sermo sanctus, si temperantior gustus, si vultus leuitate vacuus, incessus vanitate; & sic omnia, quæ sunt sanctificationi contraria, resecemus, vt odor quidam suauissimus de singulis mem- Psal.19.4. bris nostris, sensibusque procedat, & sic holocaustum nostrum pingue fiat. Inde ad spiritalem illam, quæ cæteris excellentior est, conscendentes, omnes affectus, motusque cordis non solum ab omni immunditia, sed, quantum fieri potest, ab omni peruagatione lasciua vendicemus: & sic exteriori interiorem pudicitiam sociantes, vnum Deo sacrificium ex vtriusque coniunctione libemus. 1.Cor.10.31. Felix, felix qui siue manducet, siue [10] bibat, siue aliud quid faciat, omnia in gloriam Dei facit, sanctificatus vtique à Christo, & sanctificans [11] semetipsum Christo, vt sanctificatus in veritate, cœlestium mandatorum secretis communicet, vnus effectus ex illis, de quibus dicit, *Ego* C *mandaui sanctificatis meis.*

Sequitur fortitudo, quæ in tentationibus necessaria est: neque enim perfectio illa sanctificationis ita indiru- *forte vnquam. pte in hac poterit vita retentari, vt nullis,* inquam tentationibus interpoletur eius serenitas. Verum sicut [12] Dominus Deus noster, eo tempore quo pacata sunt omnia & tranquilla, dulcis, & amabilis cernitur, & iocundus; ita cum nos vel tentationibus carnis, vel dæmonum exponit suggestionibus, vel mundi huius affligit molestiis, vel atterit persecutionibus [13] durus quodammodo videtur, & iratus. Et felix qui in hac ira eius fortis fuerit, nunc resistendo, nunc pugnando, nunc fugiendo, vt non infirmus inueniatur, aut debilis vel consentiendo, vel desperando. Itaque, fratres, qui [14] non fortis inuentus fuerit in hac ira eius, non poterit exultare in gloria eius. [15] Si igitur transierimus per ignem & aquam; ita vt nec ignis incenderit, nec aqua submerserit, cuius hæc gloria est? Nunquid nostra, vt in ea nobis exultandum sit quasi in nostra? Ab- D sit. Quam multi [16] exultant, fratres, cum laudantur ab hominibus, de Dei donis gloriam propriam captantes, & in Dei gloria non exultantes, qui dum quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, & quæ sua sunt amittunt, & quæ sunt Iesu Christi, non recipiunt. Exultat itaque in gloria Christi, qui non quærit gloriam suam sed [17] Christi, intelligens in nullo esse nobis gloriandum, quando nostrum nihil est. Sic ergo in singulis hominibus ciuitas Confusionis obruitur, si castitas expellat luxuriam, fortitudo tentationes euincat, humilitas vanitatem excludat. Habemus præterea sanctificationem, ex fide & sacramentis Christi; fortitudinem, ex charitate Christi, [18] exultationem, in spe promissorum Christi. Agamus itaque quantum possumus, vt nos fides sanctificet, charitas corroboret, spes lætificet in Christo Iesu Domino [19] nostro, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

E
1. Sicut Prophetice. C.Cam. *Prophetice, sicut.*
2. Ad partem profudit. C. Cam. *Profudit ad patrem.*
3. Persecutionibus erat. C.Cam. Persecutionibus *fuerat.*
4. Ecclesiam non. C.Cam. Ecclesiam *suam* non.
5. Agnosce. C.Cam. *Agnouisse.*
6. Ira ipsius, exultantes. C. Cam. Ira *illius*, exult.
7. Nam cum filiis aliquando. C.Cam. Nam *filiis cum* aliq.
8. Carnalia sapiebant C.Cam. Carnalia *sola* sapiebant.
9. Noxiisque. C.Cam. *Noxiisve.*
10. Bibat siue aliud q.f.o.i. gloriam Dei facit. C.Cam. Bibat, *siue audiat, siue loquatur*, l.a.q.f.o.i. gloriam *Christi* facit.
11. Semetipsum Christo. c.cam. *Semet Christo.*
12. Dominus Deus noster. c.cam *Dominus noster.*
13. Durus quodammodo. c.cam. Durus *nobis* quodammodo.
14. Non fortis inuentus fuerit. c.cam. *Non fuerit fortis inuentus.*
15. Si igitur transierimus. c.cam. Si *ergo* transierimus.
16. Exultant fratres, cum laudantur. c.cam. *Fratres exultant, quando* laudantur.
17. Sed Christi intelligens in nullo esse nobis, &c. c. cam. Sed *gloriam* Christi, intelligens in nullo *nobis, &c.*
18. Exultationem in spe c.cam. Exultationem *ex* spe.
19. Nostro cui est. c.cam. Nostro *cuius* est. F

Sermo Septimus.

IN verbis Propheticis, quæ hesterna die tractauimus, sequuntur ista, quæ hodie cum charitate vestra suscepimus explananda. *Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus Regum & Gentium congregatarum.* Isa.13.4. Primum [1] quærendum cuius vox ista sit, Prophetæ an Domini? Deinde, vtrum præcedentibus sententiæ continuatione cohæreat, an alterius Prophetiæ sit vox ista principium, quam à superiori diuersitas sententiarum disiungat? Mihi videntur verba ista Prophetæ exultantis, & in quendam se mentis iubilum pro his, quæ in spiritu videtat, attollentis, quæ superioribus sic conuenire manifestum est. Cernens quippe post persecutionis diuturna, ac dura [3] discrimina, ad Christum Regibus & Principibus mundi conuersis, vbique per orbem Christi Ecclesiam coruscantem, & in eius gloria exultantem, ma- G gnamque Sanctorum multitudinem, qui persecutionis tempore in antris, speluncisque latuerant, cum mira alacritate vbique discurrere, & verbum Dei libera iam voce, & fronte prædicare, potentesque sæculi, reliquias Babylonis suæ auctoritatis terrore comprimere; ex abundantia cordis in vocem prorupit exultationis. *Vox multitudinis in montibus.* Quod cum quodam hiatu quasi admirando, & exultando legendum est. Videbatur itaque sibi Propheta ipsam vocem prædicantium, & exultantium, erudientium, & corripientium audire in spiritu, & ait. *Vox multitudinis in montibus.*

Mons [4] significat eminentiam, quia non potest ciuitas abscondi supra [5] montem posita, nec vox eius non audiri, qui loquitur in monte. Itaque regnante per Imperatores Ecclesia, iam non erat latere in tenebris, iam non erat in angulis susurrare, data nimirum facultate Sanctis aperte prædicandi, & quoscunque vellent doctrina Euangelica erudiendi. Ait ergo. *Vox multitudinis in montibus* H *quasi populorum frequentium.* Tantus quippe tunc erat [6] prædicatorum ordo, vt multitudini videretur comparandus. Quod si per multitudinem populorum frequentium [7] velis intelligere multitudinem credentium, non erit absurdum: [8] vt videlicet data pace Ecclesiis, & prædicandi licentia Sanctis, in voce exultationis & confessionis ad [9] montes conscendi, Apostolorum [10] scilicet & Prophetarum doctrinam, de quibus Psalmista, *Suscipiant montes pacem populo.* Et alias. *Fundamenta* [11] *eius in montibus sanctis*, eius scilicet Ecclesiæ. Hi sunt montes ad quos Psal.71.3. Psal.86.1. leuamus oculos nostros, vt inde veniat auxilium nobis, vt eorum videlicet illuminemur sapientia, & erudiamur exemplo. *Vox sonitus Regum & Gentium congregatarum.* In sonitu terror ostenditur, quo credentes in Christum Reges, imperiali edicto templa subrui, confringi idola, sacrificia sacrilega aboleri, iusserunt. Vocem itaque sonitus, id est, terroris eorum super Babylonem, Prophe- ... spiritali auditu percipiens, *Vox* (inquit) *sonitus Regum.* Quoniam autem exemplo Superiorum inferiores,

A exemplo diuitum pauperes, exemplo fortium[12]debiles, exemplo Imperatorum Gentes ad fidem sunt conuersæ, adiecit, *Et Gentium*[13]*congregatarum.* Quando congregatæ sunt & vnde congregatæ? non erat certe vnus locus vbi congregarentur Gentes, vt esset vox vna omnium, vna omnium in eadem sententia, desiderioque voluntas: & tamen congregatæ sunt, vocatæ nimirum ab oriente, ab occidente, ab aquilone & meridie, vt in vna Catholica & Apostolica Ecclesia conuenientes Reges, & Gentes à finibus terræ clamarent ad Dominum vnanimes, vno ore laudantes, & honorificantes Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi. Quæ sententia videtur verbis sequentibus repetita, cum ait, *Dominus præcipit militiæ belli venientibus de terra procul.*

Militiam belli Reges vocat & Gentes, illius vtique belli, quoad debellandum confusionis ciuitatem eiusque principes, aëreas scil. potestates, [14] potentias Regum, B diuitum gloriam, industriam sapientium, tandem autem fidem Gentium excitauit. Hæc est illa militia quæ venit à terra procul, ad eius differentiam quæ quasi de proximo [15] venerat, quam scilicet ad primum dæmonicolæ vrbis excidium, ipse in carne positus de Iudæis Saluator elege- *Rom. 9.4.* rat. In proximo enim esse videbantur, *quorum erat testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum*[26]*carnem*; In proximo erant, qui vnum Deum colentes, & sub sacramentis futuræ incarnationis Christi viuentes, eodem spiritu fidei, quo nos eam iam factam, illi vtique credebant futuram. Gentes longe erant, sine lege, sine fide, sine Deo in hoc mundo. Longe erant quibus dominabantur vitia, à quibus exulabant virtutes, quibus spes nulla cœlestium, nulla expectatio futurorum. Vnde conuenienter ait. *Venientibus de terra procul*: de terra sane, terrenis scilicet luteisque operibus, de terrenis affectibus & cupiditatibus, de mundi huius desideriis & inquinationibus. Sane quod ait, *Præcepit Dominus militiæ belli*, vim diuinæ virtutis & gratiæ præcepti nomine[17] commendat, quia ineffabili motu interius Gentes exci- C rauit vt audirent, illuminauit vt crederent, monuit vt ve- *Matt. 8.11.* nirent, recumberentque cum Abraham, Isaac & Iacob in regno Dei. Potest quippe per regnum Dei Ecclesia intelligi, in qua ad[18] Patriarcharum gratiam Gentiles as- *Rom. 11.17.* sumpti sunt, & abscissi ab infidelitatis oleastro, in bonam sunt inserti oliuam, & participes radicis & pinguedinis facti, promissam Abraham, Isaac & Iacob beatitudinem, vnius eiusdemque cum eis fidei meritis sortiuntur.

Sed & hodie, fratres charissimi, ad spiritalem militiam quosdam de prope, quosdam de longe Christus adducit, & facit habitare vnius moris in domo, quos & induit ar- *Psal. 67.7.* maturaDei, vt possint stare aduersus insidias diaboli, vnde *Eph. 6.11.* Psalmista, *Dicant nunc qui redempti sunt à Domino, quos redemit* *Ps. 106.1.* *de manu inimici, de regionibus congregauit eos.* Sunt quippe regiones vicinæ, sunt & longinquæ, de quibus congregati *Psal. 49.5.* sunt sancti & electi eius, qui ordinauerunt testamentum *Luc. 15.13.* eius super sacrificia. Deinde in regionem longinquam D profectus fuerat filius adolescentior, & ibi dissipauerat omnia sua viuendo luxuriose. Sed cum pater Deus intelligatur, quomodo ab ipso recedere, vel ad ipsum redire potuit qui vbique est? Quæ illi regio longinqua est, extra quem nihil est? Sed regio longinqua dissimilitudo est. sicut similitudo vicina. Itaque cui cum patre omnimoda similitudo est, ita patri vicinus est, vt licet non sit pater hoc ipsum tamen sit quod pater, de qua similitudine dicitur. Qualis pater talis filius. Iste nec ad patrem accedere, nec recedere potest[19] à patre: quia nec similior illi esse potest qui hoc ipsum est quod ille, nec dissimilis ab illo, quia non potest aliud esse quam ille: non enim ad imaginem & similitudinem patris est factus, sed ipse est imago & similitudo patris, de eius substantia non alterius substantia genitus. At ille filius, qui non est natus sed factus, & factus ad imaginem & similitudinem eius, id est, non vt ipse esset imago & similitudo Dei, sed vt haberet impressam & expressam in se imaginem, & similitudinem Dei, & recedere potest, quia potest esse dissimilis, & redire, quia potest fieri & similis. Consideranda proinde sunt duo quædam, quæ E quidem in creatore vnum sunt, duo in creatura; id est natura, & virtus. Ad naturam pertinet immortalitas & incorruptio; ad virtutem sapientia & dilectio. Hæc in Deo vnum sunt, quia non sunt aliud in Deo ista, quam Deus. At homo immortalitatem habuit, & incorruptionem secundum naturam in qua creatus est, [20] habuit sapientiam & dilectionem, quæ ei superaddita est; sed quia ipse nec immortalitas, nec incorruptio, nec[21] sapientia fuit, ideo ab istis recedere potuit, & esse Deo dissimilis; & iterum redire per gratiam, & esse iterum similis.

Virtus itaque, & virtutis præmium beatitudo, regio similitudinis est; vitium, & miseria dissimilitudinis. Quia vero primo factus est dissimilis per vitium, vt merito factus sit dissimilis per miseriam, necesse est vt primum similis efficiatur virtute, vt quandoque similis efficiatur beatitudine: quanto autem quisque vitiosior est, tanto vtique est Deo dissimilior, ac per hoc tanto longinquior; quanto autem virtuosior tanto profecto similior, ac per hoc tanto vicinior est. Quotquot vero virtutes sunt, tot F sunt & regiones ad illam, quæ omnes continet, pertinentes regionem similitudinis: quotquot autem & vitia, tot & regiones, quæ ad eam, in qua omnia vitia sunt, [22] pertinent regionem dissimilitudinis. Habent quippe singula vitia, vel virtutes singulas, in quibus subsistant, regiones, extra quas aut vix, aut nunquam inueniri possunt vel haberi. Itaque Castitas virtus est, cuius regio Abstinentia dici potest, labor quoque & vigiliæ, maxime autem interior solitudo. In hac sane regione habitat Castitas, extra quam vtrum possit inueniri, singulorum conscientia exploret. At fornicatio vitium est, cuius regio est edacitas, somnolentia, otium, [23] maxime cohabitatio indisciplinatorum. Sic & Charitas, quæ virtus est, regionem habet[24] voluntariam paupertatem; & Auaritia, quæ vitium est, regionem [25] habet temporalium dilectionem. Hæc de cæteris vitiis vel virtutibus[26] facile aduertere est. Sane vicinus est castitati, qui coniugij limites non excedit, longe autem remotus, qui fornicationibus, vel adulteriis, vel stupris publicis polluitur. Sic vicinus est Charitati, qui G suis licenter vtitur, non diripiens aliena: sicut ille longe remotus, qui nec sua misericorditer distribuit, nec ab alienis abstinet capiendis. His quoque de cæteris vitiis diligenter inspectis & virtutibus, considerate quam multi de longe, quam multi de prope ad militiam, quam iurastis, aduenerunt? Igitur[27] de longinquo venerunt, qui de sterquilinio vitiorum, ad montes conscendêre virtutum, in quibus vna omnium vox auditur psallentium [28] in vnum, vnum insuper desiderantium. Quam vocem audiens in spiritu Propheta, *Vox* (inquit) *multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus Regum & Gentium congregatorum.* In hac quippe spiritali militia quidam Reges sunt, quidam plebes: Reges qui præsunt, plebes qui obediunt; vel Reges perfecti, plebes imperfecti. Et Reges populo terrori sunt, sicut imperfectis perfecti subditis prælati, vnde ait, *Vox sonitus Regum.*

Sonet itaque fratres in ore vestro, & in cordibus vestris H gratiarum actio, & vox laudis, qui non solum à vitiis, sed quod paucis donatum est, ab ipsis vitiorum regionibus egressi, in montibus virtutum subsistitis, & per hanc Dei similitudinem, quam in virtutibus habetis, ad illam, quæ adhuc deest, beatitudinem[29] festinatis. Si vero ad vitia vel virtutes Reges & plebes placet referre, recordamini sermonis illius, quem in die Dominicæ apparitionis ad fratres habui in capitulo, vbi ex occasione trium Magorum qui venerunt ab Oriente, de vitiis & virtutibus, earumque regionibus, sicut potuimus, disputauimus. Quem quidem sermonem huic loco congruenter aptare poteritis, si Reges, & Gentes, & Regiones, Iter etiam ad Christum, ad ea, quæ hic scripta sunt referatis. Nos vero his omissis, ad ea, quæ sequuntur indaganda, atque tractanda nosmetipsos tam oratione, quam silentio reparemus. Ipse autem Christus reuelet oculos nostros, vt consideremus mirabilia de lege sua, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit &[30] regnat per omnia sæcula sæculorum. *Psal. 118.18.*

A

VARIÆ LECTIONES.

1. Quærendum cuius. C. Cam. Quærendum *eſt* cuius.
2. Mihi videntur ver. iſta Proph. exultantis. C. Cam. Mihi *videntur* ver. iſta Prophetæ *eſſe* exultantis.
3. Diſcrimina, ad Chriſt. Reg & Princ. mundi conuerſis. C. Cam. Diſcrimina, *conuerſis* ad chriſt. Reg. & Princip. mundi.
4. Significat eminentiam. C. Cam. *Significat euidentiam.*
5. Montem poſita, nec vox. C. Cam. Montem poſita, *nec poteſt latere, quæ in monte ſtat*, nec vox.
6. Prædicatorum ordo, vt multitudini videretur, C. Cam. Prædicatorum *numerus*, vt multitudini *populorum* videretur.
7. Velis intelligere multitudinem credentium. C. Cam. *Credentium velis multitudinem intelligere.*
8. Vt videlicet data pace. C. Cam. Vt *ſcilicet plebes innumerabiles, quæ eatenus in valle vitiorum ſorduerant*, data pace.
9. Montes conſcendi. C. Cam. *Montes conſcenderint.*
10. Scilicet & Prophetarum doctrinam. C. Cam. Scilicet *Prophetarumque* doctrinam.

B

11. Eius in montibus Sanctis; eius ſcilicet Eccleſiæ. Vox Sonitus &c, C. Cam Eius. *haud dubium quin eccleſia* in montibus Sanctis. Hi ſunt, & quæ ſequuntur, vſque ad *vox ſonitus.*
12. Debiles, exemplo imperatorum Gentes ad fidem ſunt conuerſæ, adiecit. C. Cam. debiles *exemplo ſapientum ſimplices*, exemplo Imperatorum Gentes ad fidem *Catholicam conſtat eſſe conuerſas* adiecit.
13. Congregatarum non erat, C. Cam. congregatarum. *Quomodo congregata ſunt, & vnde congregata?* Non erat.
14. Potentias Regum. C. Cam. *Potentiam* Regum.
15. Venerat. In proximo. C. Cam Venerat, *quam ſcilicet*, & cætera vſque ad *In proximo enim.*
16. Carmen. At Gentes, C. Cam. Carmen. *In proximo erant*, & quæ adiecimus vſque ad *At Gentes.*
17. Commendat, quia, C. Cam. Commendat, *&* quia.
18. Patriarcharum gratiam Gentiles. C. Cam. Patriarcharum *fontem Gentiles.*
19. A Patre: non enim ad imaginem & ſimilitudinem patris eſt factus, ſed ipſe C. Cam. A Patre: *quia nec ſimilior*, & quæ ſequuntur vſque ad, Non enim *eſt* ad imaginem & ſimilitudinem patris factus, ſed ipſe.
20. Habuit ſapientiam. C. Cam Habuit *&* ſapientiam.
21. Sapientia fuit. C. Cam. Sapientia *vel dilectio* fuit.
22. Pertinent regionem. C. Cam. *Regionem pertinent.*
23. Maxime cohabitatio. C. Cam. Maxime *autem* cohabitatio.

C

24. Voluntariam paupertatem; & C. Cam. voluntariam *nuditatem*; &.
25. Habet temporalium. C. Cam. Habet *rerum* temporalium.
26. Facile aduertere eſt. His quoque de cæteris vitiis diligenter inſpectis. C. Cam. *Animaduertere facile eſt. Sane vicinus eſt caſtitati.* & reliqua vſque ad, His quoque de cæteris vitiis *vel virtutibus* diligenter.
27. Igitur de longinquo venerunt. C. Cam. Igitur de *terra procul* venerunt.
28. In vnum, vnum inſuper. C. Cam In vnum; *viuentium in vnum; laudantium in vnum*; vnum inſuper.
29. Feſtinatis. Iam vero his omiſſis. C. Cam. Feſtinatis. *Si vero ad vitia*; & quæ deinceps adduntur, vſque ad, *Nos vero his omiſſis.*
30. Regnat per omnia ſæcula. C. Cam. Regnat *Deus in ſæcula.*

Sermo Octauus.

HActenus propheta onus Babylonis ſecundum hoc,
quod per aduentum Domini noſtri, Sanctis prædi-
cantibus, multorum eſt ſeparatione deſtructa, paucis qui-
D
dem verbis, ſed profundis ſententiis comprehendit.
Nunc vero ad eos, qui vel [1] Euangelij veritatem non
ſuſceperunt, vt ſalui fierent; vel qui ſuſceptam fidei ve-
ritatem iniquis operibus corrumpebant, Prophetantis
Iſa. 13. 5. ſermo conuertitur. *A ſummitate cæli Dominus, & vaſa furo-
ris eius, vt diſperdat omnem terram.* Non hanc terram, quam
calcamus, prænuntiat, diſperdendam, ſed terræ nomine
eos vult intelligi, qui non niſi terram ſapiunt, qui terre-
nis deſideriis diuinis promiſſa poſtponunt, qui æternis
temporalia præferunt, qui ſpreta Euangelij veritate, mun-
di vanitatibus & erroribus implicantur. Hos nimirum
diſperdendos præmiſſa Prophetæ ſententia declarat. Sci-
endum ſane quod duobus modis diſperduntur peccato-
res, cum videlicet conuerſi ad Dominum per pœnitenti-
am deſinunt eſſe quod erant, & incipiunt eſſe quod non
Prou. 12. 7. erant, ſecundum illud. *Verte impios & non erunt*; vel certe
cum de malis, in deteriora ruentes, poſtremo æternis ſup-
pliciis mancipantur. Et primum illud ab ipſo Domino in

E
ſuis fieri, qui miſeretur cui voluerit, nullus ambigit Chri-
ſtianus; ſequens illud eius quidem iudicio, ſed Spirituum
malignorum miniſterio, ſcripturarum auctoritate proba-
tur. Nam & diabolus miſit in cor Iudæ, primum vt trade- Ioan. 13. 2.
ret Dominum, deinde vt [2] ſuſpenderet ſeipſum; & in Æ- Mat. 27. 6.
gyptios miſit Dominus iram, & indignationem, & tribu- Pſal. 77. 49
lationem, immiſſiones per angelos malos.
Verum [3] cur vnus aſſumatur, alius relinquatur, cur i-
ſte conuertatur ſanandus, iſte tradatur dæmonibus indu-
randus, vel puniendus, ad occulta Dei iudicia, ac profun-
da conſilia pertinere ſciamus. Ideo ait, *A ſummitate cæli Do-* Iſa. 13. 5.
minus, & vaſa furoris eius vt diſperdat omnem terram. Summitas
cœli, vt mihi videtur, ipſa ſumma ac beata trinitas eſt, à qua
profecto immobilis dictatur ſententia, vt Dominus no-
ſter Ieſus filius hominis, cui poteſtatem dedit Deus pater Ioan. 13. 5.
iudicium facere, iſtos diſperdat per pœnitentiam, illos per Iſa. 13. 6.
[4] pœnam. Primum illud per ſe, id eſt ſua interna inſpira-
tione, ſecundum illud per vaſa furoris ſui, data eis in im-
pios ſæuiendi poteſtate, ideo *A ſummitate cæli Dominus &*
F
vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram. Vaſa furoris eius
contrarias fortitudines intellige, quæ operantur in filiis
diffidentiæ, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui
excæcatur, excæcetur adhuc; & qui induratur, induretur
adhuc. Si vero hanc ſententiam ſuperiori putas eſſe iun-
gendam, vt quod prius dixerat, *Dominus præcepit militiæ belli
venientibus de terra procul*, ſequentibus verbis exponat, cum
dicit, *A ſummitate cæli Dominus & vaſa furoris eius*, ſic præce-
denti continuanda eſt iſta quæ ſequitur. Non ſolum Do-
minus præcepit militiæ belli venientibus de terra procul,
vt ea, quæ præmiſſa ſunt, fierent; ſed etiam ipſe Dominus à
ſummo cœlo deſcendit, vt per vaſa iræ ſuæ eos, qui vaſis
gratiæ ſuæ non crediderunt, diſperdat. Mihi tamen magis
placet, vt alterius capituli initium ſit; vt in priore Regum,
& Gentium fide, Babylonis euerſionem ſentiamus eſſe
deſcriptam: in ſequenti eorum, qui vel non crediderunt,
vel credentes corruerunt, conuerſionem ſiue damnatio-
nem eſſe prænuntiatam. Vnde ſecundum hunc duplicem
ſenſum etiam ea, quæ ſequuntur, legenda ſunt.
G
Sequitur *Vlulate quia prope eſt dies Domini.* Vlulatum ita-
que peccatoribus propheta indicit, quos vel in pœna, vel
in pœnitentia vlulaturos præuidit. Vlulatus quippe ve-
hementem luctum, qui cum clamore fit, conuenienter ſi-
gnificat; quem nimirum illata miſeris extorquent ſuppli-
cia, vel à cordibus peccatorum elicit pœnitentia. Quid e-
nim putamus fratres mei? Ceſſante perſecutione, & Ec-
cleſia recepta pace regnante, quanta fuit lapſis confuſio;
quanta cordis contritio, quam immanis rugitus intus in
conſcientia, quam lacrymoſus eiulatus in voce? *Vlulate* Luc. 21. 27.
(inquit) *quia prope eſt dies Domini.* Diem Domini diem ap- Mat. 16. 27.
pellat iudicij, in quo Dominus in potentia & maieſtate
apparens, reddet vnicuique iuxta opera ſua. Hic ſane dies
vnicuique tunc incipit, quando egreſſus de corpore, vel
futuræ beatitudinis primitias recipit in requie, vel initia
damnationis in anima, quam eſt recepturus, & in corpore.
Hæc vtique dies *tanquam vaſtitas à Domino veniet*, A Domi- Iſa. 13. 6.
no ſane; vere enim *numerus* Domine *menſium noſtrorum a-* Iob 14. 5.
*pud te eſt, & conſtituiſti terminos noſtros qui præteriri non pote-
runt. Tanquam vaſtitas à Domino veniet.* Quid enim [5] dies
H
illa non deuaſtat? *Nudus egreſſus ſum de vtero* [6] *matris meæ,* Iob 1. 21.
nudus reuertar illuc, ait quidam Sanctus. Vbi ergo diuitiæ,
vbi delitiæ, vbi auri argentiue aggeres, vbi promptuaria
plena eructantia ex hoc [7] in illud? vbi ſericæ veſtes, & e- Pſ. 143. 13.
qui pugnantes? Omnia certe morienti vaſtantur. *Cum* (e- Pſal. 48. 18
nim) *interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.*
Quicquid inſuper virium in corpore, quicquid voluptuo-
ſum in carne, quicquid delectabile in ſenſibus, quicquid
iocundum in moribus, totum profecto dies illa obruit, &
conſumit.
Felix mens, à qua diei huius recordatio non recedit.
Quam enim vtilis ſit mortis meditatio, teſtatur Salomon
qui ait, *Fili ſemper memorare nouiſſima tua, & in æternum non* Eccleſ. 7. 40
peccabis. Quem enim peccare delectet, ante cuius ſemper
oculos hora illa verſatur? Vlula ergo, ô peccator, in pœni-
tentia, ne vlulare cogaris in pœna. Contra voluptates ſæ-
culi amareſcat tibi dies Domini in memoria, ne nimius

A

Isai.13.7

amarescat in experientia, sentiasque quod sequitur. *Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet & conteretur.* In manibus intelligitur operatio. Eia fratres, vt ait Dominus, Oportet nos operari donec dies est. Veniet nox in qua nemo potest operari. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Mors igitur nox est, in qua nemo potest operari. Aut enim in bonis operibus requiescet, aut in malis punietur. Dies itaque illa Domini omnes manus dissoluentur, quando alij, ligatis manibus & pedibus mittuntur in tenebras exteriores, alij post opera sex dierum excipiuntur à sabbato, id est requie, admissi ad delitias interiores: *Amodo* enim *dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis* Itaque *quæcunque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio est apud inferos, quo tu properas. Omnes* enim *manus dissoluentur.* Quid dicis & tu, qui confidis in virtute tua, & in multitudine diuitiatum tuarum gloriaris? Videat charitas vestra.

Ioan.9.4. Apoc.14.13. Matth.22.13. Eccles.9.10. Serm.487

B

Matth.25.18.

Alij quasi nihil operantur, alij mala operantur, alij bona male operantur, alij bona bene operantur. Quasi nihil operatur malus ille seruus piger, qui acceptam pecuniam fodit in terram, nec de accepto aliquid fraudans, nec acceptum lucro cumulans: cui similes sunt pigri & tepidi, quibus magnum videtur à solis abstinere criminibus, cũ nihil laboris, nihil industriæ impẽdãt in acquirẽdis virtutib. Isti ergo quasi sine manib. sunt. Quid isti [8] faciant quando nemo potest operari? Certe opera eorum non sequuntur illos. Non requiescent ergo. Non sunt opera in quibus requiescant, omnes manus dissoluentur, vt operari non valeant. Quid igitur restat, nisi vt etiam seruus inutilis proiiciatur in tenebras exteriores? Verum sicut bene operantes, bona opera sua præmittunt ad Deum, vt morte interueniente, manibus dissolutis, in ipsis repausent & glorientur: ita nimirum male operantes, mala sua opera præmittunt ad inferos, in quibus perpetuo crucientur. Qui [9] enim hic fuerint in malo potentes, potenter tormenta patientur; & qui crudeles, crudeliter torquebunt; & q fœtentes libidine sulphureis fœtoribus vexabuntur: & quos inflammat auaritia flammis tartareis exurentur: & quos gula & ebrietas polluit, perpetuis vermibus depascentur. Caue tibiô homo, quoties enim peccas, materias pœnarum, quibus torquearis, præmittis ad inferos. Tu tibi ignem accendis, quo torquearis; tu fœtorem suscitas, quo crucieris; tu vermes viuificas, qui te consumant; tu tenebras paras, quæ te excæcent. Tunc manus tuæ dissoluentur, vt nec aptæ sint ad operandum, nec validæ ad resistendum, sed dissolutæ [10] ad patiendum. Quid tu qui bona male operaris, qui non es sicut cæteri hominum, raptores, fornicatores, adulteri, nec velut publicanus iste, non es seruus piger, qui ieiunas bis in sabbato & decimas das omnium quæ possides, laboras, operaris, congregas multa, sed omnia quæ transmittis, vbi seruantur, ibi inuenientur. Certe prope est dies Domini quam sequitur nox, in qua nemo potest operari. Rogo vbi sunt quæ congregasti?

C

Luc.18.11.

D

Omnes manus dissoluentur, non est amodo tempus operandi. *Amodo* quidem *iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Qui? Certe de quibus subdit. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Itane tua te sequentur opera, quæ vel vendidisti, vel ventilasti in omnem ventum? Quicquid bonorum operum collegisti, aut vili pretio humanæ laudis vendidisti? aut in lucrum turpis quæstus expendisti; aut in ipso tuo animo vanitatis superbiæ flatibus exsufflasti; & tu secutura te tua opera arbitraris? Cum igitur non habueris vbi consoleris, quid restat nisi vt & tu crucieris? Tu quoque charissime, qui etiam bona bene operaris, nolo confidas in virtute tua, neque in multitudine diuitiarum tuarum licet spiritualium glorieris, quia tunc omnes [11] manus tuæ dissoluentur. Quomodo inquis? Quia *omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ in conspectu eius. Non enim iustificabitur in conspectu eius omnis viuens.* Necesse est proinde vt omnes vlulent; malus, ne in malo perseuerans damnetur; piger & tepidus, ne quando neque frigidus neque calidus à Deiore euomatur. Sic & qui bona male operatur, ne duabus [12] viis viam ingrediatur; qui autem bona bene, ne occulto Dei iudicio reprobetur. Dicit itaque Propheta. *Vlulate quia prope est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet*; vt vicinæ mortis intuitu & boni timeant, & mali lugeant, discantque vlulare in pœnitentia, qui noluerunt vlulare in pœna. Hæc vox licet spectare videatur ad omnes, secundum ordinem tamen Propheticæ pronuntiationis ad eos, qui vel in persecutionibus lapsi sunt, vel tempore pacis diuersis fœdati sceleribus, speciali comminatione dirigitur. Quibus nimirum & pœnitentiam suadet, & pœnam intentat, quibus & conuertendi, & bene operandi dum viuunt, facultas tribuitur, quæ profecto omnibus, morte superueniẽte, subtrahitur. Tunc enim omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet, & cõteretur.

Psal.48.7 Isai.64.6. Psal.142.2. Apoc.3.16.

E

Eia fratres, tabes de putrescentibus carnibus nascitur, & donec penitus fuerint putrefactæ, profluere non cessat. Habet autem in se tabes [13] & horrorem, & fœtorem. videat nunc vnusquisque cor suum, videat qualibus cibis illud pauerit. Est certe cibus animæ verbum Dei; cibus vtique, qui non corrumpitur, nec tabem generat, nec edenti corruptionem importat. Est cibus animæ opus bonum, sicut ait in Euangelio Dominus. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me,* Cibus [14] quoque est salutaris animæ compunctio, sicut dicit Propheta, *Cibabis nos pane lachrymarum.* Et item. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Est & cibus animæ dulcis in Deum deuotio, quasi adeps frumenti, qua satiatur Ierusalem dicente ad eam Psalmista. *Et adipe frumenti satiat te.* Hi cibi vitalem alimoniam animæ præstant esurienti, transformantes eam in se, & æternitatis suæ donantes esse participem. Sunt alij [15] cibi perniciosissimi, qui tabem nutriunt, & materiam putrediui subministrant, porcorum scilicet siliquæ, quibus plerumque tam auide inhiatur, quibus tam delectabiliter anima pascitur, vt cœlestis edulij fastidium ingerant, & super manna, cibo certe angelico nauseam prouocent. Hæ sunt carnes, quæ putruerunt in dentibus populi peccatoris; qui in sepulchris concupiscentiæ miserabiliter sepulti, in ipsa quam creauerant tabe consumpti sunt. Itaque fornicationes, adulteria [16] furta, blasphemiæ, & cætera huiusmodi, porcorum siliquæ sunt, id est cibi dæmoniorum; qui profecto in cordibus hominum licet delectabiliter sapiant, tabis tamen, & putredinis materia sunt; cuius profectò fœtorẽ aut hõ sa lubriter sentiet in pœnitentia, aut, iminente morte, pœnaliter sentiet in conscientia. Tunc enim omne cor hominis tabescet, profluente vndiq; ex conscientiæ latebris sanie immunditiarum, & sordibus vitiorum; ex quibus & vermis ille procreatur, qui non moritur, & accenditur ignis, qui non extinguitur.

F

Ioan.4.34. Psal.79.6. Psal.41.4. Psal.147.14 Num.21.5. Num.11.33. & 34

G

Isti sunt vermes à quibus cor illud conteritur in pœna, quod hic non fuerit contritum in pœnitentia. *Omne* (inquit) *cor hominis tabescet, & conteretur*; omne plane cor hominis, id est secundum hominem viuentis, qualibus ait Apostolus, *Cũ sit inter vos zelus & cõtentio nonne homines estis?* Et in priori quidem sententia cũ diceret, *Omnes manus dissoluentur.* Non addidit, hominis, quoniam bonorum & malorum opera, morte superueniente, cessabunt; eorum autem tantum, qui secundum hominem viuunt cor, & conscientia conteretur. Hæc igitur hora [17] fratres non recedat à memoria, vt si nobis nunc fuerit causa timoris, tunc fiat porta salutis, per IESVM Christum Dominum nostrum. Amen.

1.Cor.3.3.

H

VARIÆ LECTIONES.

1. Euangelij veritatem non. C. Cam. Euangelij *virtutum* non.
2. Suspenderet seipsum C. Cam Suspenderet *semetipsum.*
3. Cur vnus assumatur. C. Cam. Cur *alius* assumatur.
4. Pœnam. Sequitur. C. Cam. Pœnam. *Primum illud* Et quæ interijciuntur vsque ad. *Sequitur. Vlulate.*
5. Dies illa non. C. Cam. *Non dies illa.*
6. Matris meæ, nudus reuertar illuc, ait quidam Sanctus. Vbi ergo &c. C. Cam. Matris meæ, *ait quidam Sanctus,* nudus reuertar illuc. Vbi ergo.
7. In illud? Vbi sericæ vestes, & equi pugnantes? C Cam. In illud? *Vbi oues fœtosæ, & boues crassæ.* Vbi sericæ vestes, & equi *pugnaces.*

8. Faciant

A

8: Faciant quando. C. Cam. Faciant *in nocte* quando.
9 Enim hic fuerint in malo. C. Cam. Enim *fuerint hic* in malo.
10. Ad pariendum. Omnes manus &c. C. Cam. Ad pariendum. *Quid tu qui bona* & reliqua, vsque ad. *Omnes manus.*
11. Manus tuæ dissoluentur. C. Cam. *Manus dissoluentur.*
12. Vijs viam ingrediatur. C. Cam. Viis *terram* ingrediatur.
13. Et horrorem & C. Cam. Et *Errorem* &.
14. Quoque salutaris animæ compunctio. C. Cam. Quoque *est animæ salutar. compunc.*
15. Cibi perniciosi qui. C. Cam. *Cibi perniciossimi qui*
16. Furta, & cetera. C. Cam. Furta, *blasphemia* & cetera.
17. Fratres non C. Cam. Fratres *charissimi* non.

Sermo Nonus.

INfelicia hęc tempora in quę nostra ętas deuenit in persona Ecclesiæ Ezechias deplorans. *Ecce* (inquit) *in pace amaritudo mea amarissima.* Vere fratres ita est, amara videbatur persecutio, sed in ipsa persecutione non parua boni erat consolatio, quando non erat * fictionis locus nullum otio vel dissolutioni tempus; quando quædam [1] necessitas cunctos fere cogebat esse perfectos, instantibus cunctis in gradibus suis, tam subditis quam Prælatis. Sublato autem timore, nata est dissolutio, creuit ambitio, honores & diuitiæ virtutibus præponuntur, vitia delitijs nutriuntur. Itaque Propheta Isaias, cum Apostolicam prædicationem, & martyrum fortitudinem descripsisset, cernens multos, persecutione cessante, pacis tempore deterius corruisse, saluberrimum eis futurę calamitatis infudit timorem, *Vlulate* (inquiens) *quia prope est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet & conteretur.* De his, vt nouit charitas vestra, hesterna die tractauimus, & quomodo vel ad pœnitentes, vel ad morientes pertineant, sicut Dominus dedit explicauimus. Sequitur autem. *Torsiones & dolores tenebunt* eos videlicet, quorum manus fuerint dissolutæ & [2] quorum cor rabidum fuerit & contritum. Torsiones ventris sunt; dolores membrorum.

Isai 38.17.

B

** Forte fictioni.*

Isai.13. 8.

C

Eia fratres omnia flagitia ex vente sumunt originem per [3] cętera vero membra facinora perpetrantur. Ex gula quippe quæ ventris saturitate perficitur libidinum incentiua generantur, ex quibus fornicationes, & omnia immundiciæ genera procreantur. Porro per linguam blasphemia, per manus furta, vel homicidia, & cætera huiusmodi committuntur, seruientibus in hoc ipsum oculis ad explorandum, auribus ad audiendum, pedibus ac incedendum. Igitur anxietatem mentis, quæ, [4] imminente morte, ex flagitiorum recordatione procedit, per torsiones expressas intellige; illam vero, quam facinora rememorata parturient, per dolores. Quæ enim tunc, fratres mei flagitiosis erit tristitia, cum viderint se vilissimæ, ac breuissimæ voluptatis putredine, æterna supplicia meruisse? Quæ etiam tunc facinorosis anxietas, quorum crudelitati crudelissima tormenta redduntur? Quid putatis charissimi? nihilne saporis tunc insipidis his, quibus vtimini, cibis hora illa profundet? felices quibus ventris delitiæ has torsiones non parant, quorum membra hic circumciduntur, vt hos tunc dolores non sentiant. *Torsiones* (inquit) *& dolores* [5] *tenebunt.* Quanto vtilius torsiones torsionibus præueniuntur dolores doloribus cauentur, vt totum hoc imo multo minus patiamur pœnitendo, ne cogamur pati talia moriendo. Itaque quoties memoria voluptatis expertę mentem tuam afficit, & excitat desiderium, fastidiumque vilis huius ingerit edulij, & importat horrorem, torsiones [6] sustines spirituales, per quas nimirum torsiones illas, quas in morte multi sentiunt, euadens sententiam inter diuitem purpuratum, & pauperem Lazarum à sancto Patriarcha [7] prolatam quasi tibi dirigi exultabis, *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

D

Luc. 16. 25.

Sequitur, *Quasi parturiens dolebunt.* Eia fratres, non est [8] dolor sicut dolor parturientis. Est autem partus carnalis, partus spiritalis, partus pœnalis. Et certe. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Dolor in membris, mors in oculis, timor versatur in conscientia, quis vero sit fructus ignorat. Spiritalis partus est, quando Sancti doctrina, ac sollicitudine filios pariunt spiritales, quorum vnus ait, *Filioli mei quos iterum parturio.* Et hic partus non sine dolore: oportet enim talem *gaudere cum gaudentibus, flere cum* [9] *flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum scandalizatis* & multa huiusmodi. Est etiã partus spiritalis, quando anima sterilis & infecunda à timore Domini concepit, & conuersa ad Dominum bonorum operum initia parit. Est in hoc partu quis dolor? quando caro resistit spiritui, consuetudo voluntati, quando ipsa mens modo vult, modo [10] timet, modo impellitur delectatione boni, modo retrahitur à desiderio mali? Est & partus perniciosus, quando homo cõcipit dolorem, & parit iniquitatem, quã concipit acquirendi affectu & parit effectu; vnde Dñs in euangelio *Væ prægnantib. & nutrientibus.* Vę pfecto sic cõcipientibus, & sic parientibus; quia etsi modo exultent cum male fecerint, & lætentur in rebus pessimis, imminente iam morte sicut parturiens dolebunt. Sicut enim mulier, quæ cum delectatione concepit magnis afficitur doloribus cum parit; ita profecto anima voluptatibus, vitiisque corrupta cum ipsius corruptionis ceperit morienti apparere stipendium, tristitia doloribusque conteritur; & sera pœnitentia reuersa in se, incipit sentire quod scriptum est. *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma quam succendistis vobis.*

Isai 13. 8.

Ioan. 16. 21.

E

Gal. 4. 19.
Rom. 12. 15.
2. Cor. 11. 29.

Psal. 7. 15.
Mat. 24. 19.
Prou. 2. 14.

F

Isai. 50. 11.

Potest sane partus iste dici pœnalis, quando moriens in pœna parturit; & mortuus pœnam, quam peccans concepit, quasi felicissimam sobolem pariens, excipit, quasi infelicissimam sobolem pariens, excepit. Quanto felicius à timore Domini, concipit homo pro peccatis pœnitudinem, & morum parit conuersionem? Qui quidem partus [11] quamuis sit non sine dolore, gaudium tamen creat in tranquillitate conscientiæ, quia *cum peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, & qui seminant in lachrymis in gaudio* [12] *metent.* & *beati qui lugẽt, quoniam ipsi consolabuntur.* Omnes igitur qui vel fidem deseruerunt * inuiti suppliciis in persecutione, vel qui corrupti vitiis pacis ablisti sunt tempore, quasi parturiens dolebunt vel salubriter pœnitendo, vel infeliciter moriendo. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit.* Videat caritas vestra fratres carissimi. Proximus multis modis dicitur id est loco, tempore, natura, cognitione, similitudine, dilectione, miseratione. Loco, sicut ille illius proximus dicitur, qui ei de proximo vicinatur. Tempore, sicut ille qui decedenti, nullo alio interueniente, succedit. Natura, sicut omnis homo omnis hominis proximus est, vnde dicitur *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quod de omni [13] homine sit dictum, vt nullus ambigit Christianus. Cognatione, sicut patri filius, frater fratri, cognatus cognato. Similitudine, sicut bonus bono, malus malo, etiamsi loco temporeque disiuncti sint, similitudine tamen proximus æstimatur. Porro dilectione ita sibi possunt homines proximi esse & coniuncti, vt multitudinis credentium fuerit cor vnum, & anima vna in Domino. Miseratione. sicut Samaritanus proximus fuisse illi, qui incidit in latrones, quia fecit misericordiam cum illo Euangelio teste probatur. Viro itaque iuste, sobrie, pieque viuenti, proximus est quilibet similiter viuẽs; proximus est angelus, sic viuenti gratissime fauens, proximus insuper & ipse Deus, sic viuenti bene operandi gratiam subministrans.

** An forte legendum victi.*

G

Isai. 13. 8.

Matt. 22. 39.

Actor. 4. 32.

Luc. 10. 36.

H

Sic & pessimo [14] cuilibet, pessimus quilibet proximus est, siue hõ, siue spiritus. Nã fornicationis spiritus fornicariis, spiritus superbiæ [15] superbis proximus perhibet, & cuius vnusquisque in vitiis vel virtutibus induit similitudinem, eius & vicinitatem meretur. Credendum est igitur morientibus spiritus & bonos, & malos esse præsentes, vt boni à bonis suscipiantur, mali à malis torqueantur. *Vnusquisque* (igitur) *ad proximum suum stupebit.* Apparente enim dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere qui viderit. Quod blandum cernitur, & iucundum dum suadetur, amarum sentitur dum improperatur: stupetque miser durum inuenire & immitem quem sæpe fuerat expertus suauem. Nostra igitur interest fratres, tales nobis facere proximos, qui in illa hora tremenda consolationi nobis sint, non horrori. Felix qui vitæ munditia & morum honestate angelicos Spiritus ita si-

bi me-

A bi meruerit habere propinquos, vt quasi amici, & proximi egredienti assistentes, velut bene cognito adgaudeant. In historijs fide dignis legimus Angelos morientibus sæpè astitisse, Sanctosque, quos speciali deuotione colebant dum viuerent, in extrema necessitate habuisse præsentes. E contra nouimus nequam Spiritus illis, terribili vultu oculisque flammantibus, infernalibus armatos instrumentis apparuisse, qui illorum suggestu viuentes, [16] vitijsq; sese criminibusque polluerant. Et sancti ergo ad tantam claritatem ammiratione & stupore, egredientes corpore percelluntur, & reprobi ad tantum horrorem, mentis alienatione stupidi efficiuntur. *Vnusquisque* itaque *ad proximum suum stupebit.* Et additur, *Facies combustæ vultus eorum.* Hoc ad reprobos tantum arbitror referendum.

Per faciem maximè & vultum homo ab homine discernitur, & singulari expressione à singulis singuli cognoscūtur. Solent autem quorundam criminum rei in facie cauterio denotari, vt quia vultus latere non potest, & crimen B quoque, quod vultus deformatione publicatur, latere non possit. Vultus animæ, vt mihi videtur, conscientia est, quæ omnium actionum [17] sermonum insuper & cogitationum testis est. Qualiscunque enim homo sit, conscientiam suam latere non potest. Conscientia quippe quasi speculum animæ est, in qua profectò defectus noster vel profectus deprehenditur, & omnis status hominis interioris agnoscitur. Eia fratres charissimi, nemo securus sit; facile peccamus, facile transgredimur, facile ad otiosa quæque, ac vana dilabimur, & quasi non sentientes ad illicita pertrahimur, sicut scriptum est. *Osee 7. 8.* *Factus est Effraim quasi panis subcinericius qui non reuersatur. Comederunt alieni robur eius, & ipse ignorauit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse nesciuit.* Veruntamen non transeunt in ventum peccata nostra, non traduntur obliuioni, sed in ipsa conscientia, velimus, nolimus, scribuntur. *1 ad Tim. 4. 2.* Dicit Apostolus quosdam cauteriatam habere conscientiam, id est, iniquitatis flamma combustam: quæ quidem combustio plerumque à nobis absconditur dum viuimus, sed nec nos, nec ipsos qui aderunt C Spiritus, poterit latere quando * moritur. ** Lego morimur.* Merito igitur ait, *facies combustæ vultus eorum*, dissolutis quippe manibus, & corde contrito inter torsiones & dolores, quos morte imminente sustinent peccatores, quæcunque non fuerint pœnitentiæ medicamento, aut vnguento contritionis sanata, erumpent in medium, & multa, quæ nunc videntur sanissima, tum profectò apparebunt adusta.

Sunt certe opera splendida labor, vigiliæ, ieiunia, munificentia quæ omnia si fuerint peruersa intentione corrupta, nihil decoris afferunt conscientiæ, quam nimirum cogitationum suarum reddit accusatrix flamma combustam. Si quis sane contenderit hanc etiam sententiam pœnitentibus esse aptandam, potest non inconuenienter intelligi inter dolores, quos pœnitens quisque in recordatione sustinet peccatorum, dum diligenter latebras omnes suæ explorat conscientiæ, & omnia, quæ commisit, subtili indagatione reuoluit; multa apparere tunc illi concupiscentiæ igne combusta, quæ prius lucida putabantur D & sana. Cum igitur nomine Babylonis censendi sint, qui in Ecclesia perdite viuunt, vel ab Ecclesia, vel fide corruerunt; descriptum est onus, quo vel conuersi pœnitendo premendi, vel quo perseuerantes in malo morientes fuerant opprimendi. *Mat. 24. 12.* Procedit Propheta tempus illud miserabile mystico sermone describens, in quo adeo superabundabit iniquitas, & refrigescet charitas, vt digni sint quibus mittatur ille operator erroris, homo scilicet peccati, filius perditionis de quo scriptum est. *2. Thes. 2. 3.* *Iob 41. 13.* *Faciem eius præcedet egestas.* Quam quidem egestatem in sequentibus Propheta non tacet, & primum de die iudicij sermo contexitur, vt eius terrore vitia, quæ tunc maxime abundabunt, facilius caueantur: vel tormenta, quæ inferet ille blasphemus, magnificentius tolerentur. Sequitur ergo & dicit, *Isa. 13. 9.* *Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisq;*. Et apte satis de die vltimo singulorum sermone præmisso, ad illum, qui vnus omnium quantum ad præsentem vitam vltimus est, propheticum conuertit eloquium, vt qui illum non timent, expauescant vel istum.

Commemorantur autem hic quatuor quædam, manifesta sane [18] illius futuræ calamitatis indicia, Crudelitas, E Indignatio, Ira, & Furor. Crudelitas est [19] quando ira modum excedit; Indignatio quando personæ alicuius, qui fecit iniuriam, certa aliqua nota vilitas innotescit; Ira in voce solet apparere vel vultu; Furor in actu. Dies itaque illa crudelis erit, quia in ea maximæ crudelitatis species apparebit, quando *elementa ignis calore soluentur, & in conspectu Domini ignis ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.* *2. Pet. 3. 10.* *Psal. 49. 3.* Plenus erit indignationis quando diuina maiestas, & hominis innotescet infirmitas, manifestumque [20] erit omnibus, quomodo aduersus tantam potestatem tanta sæuierat infirmitas, vt nullum lateat quantum debeat indignari Rex gloriæ, quod tantam sit passus iniuriam à vilissimo puluere. Erit & plenus iræ, quando vox illa terribilis audietur. *Discedite à me maligni in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.* *Mat. 25. 41.* Quam profectò sententiam iudicis, furor sequitur tribulantis, quando euntibus illis in combustionem æternam, nulla erit effugiendi facultas, nulla spes euadendi. F *Adponendam* (inquit) *terram in solitudinem eius, & peccatores conterendos ex ea.* Et hoc certe manifestum est, quod terra ponetur tunc in solitudinem, siue terræ nomine mundum, siue terrenam illam ciuitatem, id est Babylonem, velis intelligere. Aliis quippe translatis ad cœlum, aliis pœnis infernalibus deputatis, remanebit terra absque habitatore, id est mundus sine homine, & sola damnata erit illa ciuitas, sine boni alicuius societate. Tunc & peccatores terræ conterentur de ea. Peccatores cœli dæmones sunt, qui mox vt inuenta est in eis iniquitas, contriti sunt de cœlo, & non est inuentus eis amplius locus in eo. *Apoc. 12. 7.*

Peccatores vero terræ homines sunt, qui quotidie peccant, & tamen terram inhabitant, donec vltimo die data sententia, à terra penitus conterantur [21] & ad inferos detrudantur. Sequitur, *quoniam stellæ cœli non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* *Isa. 13. 10.* In die quippe iudicij apparente Christo in gloria, sicut lucerna permodica in radio solis nihil luminis proferre videtur, ita omnia sidera ab illo splendore absorpta, G intuentibus cernentur obscura. Sed hæc, quæ breuiter super diem iudicij exposuimus, ad tempus Antichristi arbitror posse referri, vt intelligatur Propheta doctus in Spiritu, primum de Apostolorum prædicatione, postea de Ecclesiæ persecutione, [22] deinde de Gentium conuersione & pacis tranquillitate, & sic de lapsorum pœnitentia, & mortis terrore, postremo de tempore Antichristi, & retributione iustorum, & malorum [23] condemnatione oraculum texuisse. Sed quia iam hora præteriit, ad hæc indaganda tempus aliud occupemus, quo liberius conuenientes in vnum, aperiamus os nostrum in laudem & gloriam Domini Iesu [24] Christi; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Necessitas stantibus in grad. C. Cam. Necessitas *cunctos.* Et reliqua vsque ad *in grad.*
2. Quorum fuerit cor tabidum & contritum. Eia. C. Cam. Quorum *cor tabidum fuerit,* & quæ adiecimus vsque ad *Eia.* H
3. Cætera vero membra. C. Cam. Cætera *autem* membra.
4. Imminente morte. C. Cam. Imminente *iam* morte.
5. Tenebunt. Quoties memoria. C. Cam. Tenebunt. Quanto vtilius & cætera vsque ad *Quoties memoria.*
6. Sustines spirituales, per quas torsiones. C. Cam. Sustines *spiritales* tales per quas *nimirum* torsiones.
7. Prolatam tibi. C. Cam. Prolatam *quasi* tibi.
8. Dolor sicut dolor parturientis. C. Cam. *Dolor sic parturientis.*
9. Flentibus. Est etiam. C. Cam. Flentibus, *infirmari,* & cætera vsque ad *Est etiam.*
10. Timet, modo impellitur delectatione boni, modo retrahitur à desiderio mali. C. Cam. Timet, modo *præsumit* modo impellitur *desiderio* boni, modo retrahitur a *delectatione* mali.
11. Quamuis sit non sine dolore, gaudium tamen creat in tranquill. consc: quia cum pepererit puerum. c. cam. Quamuis *non sit sine* dol. gaud. tamen *præparas* in tranq. conscien. quia cum *peperis* puerum.
12. Meteot. Omnes igitur. c. cam. Metent, *& Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Omnes igitur.
13. Homine sit dictum. c. cam. *Homine dictum.*
14. Cuilibet pessimus quilibet proximus. c. cam. *Cuilibet, quilibet pessimus proximus.*

A

15. Superbis proximus. C. Cam. Superbis, *Spiritus blasphemia blasphemis* proximus.
16. Vitiisque sese, criminibusque. c. cam. *Vitijs* sese criminibus.
17. Sermonum, & cogita. test. est. Qualiscunque homo. c. cam. Sermonum *insuper* & cogit. test. est. Qualiscunque *enim* homo.
18. Illius futuræ. c. cam. *futura illius.*
19. Quando ira modum. c. cam. Quando *pœna* modum.
20. Erit omnibus. c. cam. *Omnibus erit.*
21. Et ad inferos. c. cam. Et *in* inferos.
22. Deinde de Gentium. c. cam. *Demum* de Gent.
23. Gondemnatione. c. cam. *Damnatione.*
24. Christi, cum Pat. & Spit. Sancto. per omnia c. cam. Christi, *qui* cum Pat. & Spir. Sancto *viuit*, & cætera vsque ad per omnia.

Sermo Decimus.

B

Ecce dies Domini venit crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisq. Sicut meminit charitas vestra, hæc verba Prophetæ, licet diei vltimo conuenienter aptentur, ad tempora tamen Antichristi diximus posse referri, sicut Sanctus Isaias diuersos Ecclesiæ status non solum prænunciasse, sed etiam ordinem, quo sibi fuerant successuri, seruasse intelligatur. Primum igitur Apostolorum prædicationem insinuans. *Super montem* (inquit) *caliginosum signum.* & cætera. Deinde persecutionem, qua martyres fuerant coronandi, prænuntians ait. *Ego mandaui sanctificatis meis.* & reliqua quæ sequuntur. Ab eo autem loco quo ait. *Vox multitudinis in montibus.* Pacem Ecclesiæ redditam Regum, & Gentium conuersione declarat. Porro eorum, qui persecutionibus cedentes lapsi sunt, aut pacis tempore vitiis fœdati, vel perditionem, vel conuersionem describens; *A summitate* (inquit) *cœli Dominus, & vasa furoris eius.* & cætera. Quibus demum metum mortis incutiens adiecit. *Vlulate quia prope est dies Domini.* & cætera. Postremo, quoniam crescente iniquitate, totum fere hominum genus abrenuntiaturum veritati, charitatem deserturum, [1] vitiis vidit & erroribus implicandum, de illo tempore propheticum texit oraculum. quod talibus mittendus erat operator

C

erroris, vt credant mendacio, & [2] iudicentur qui non credunt Dei Euangelio. Et ideo, vt mihi videtur, tempus illud diem Domini non inconuenienter appellat, quo impius ille quasi gladius iræ Dei, de abysso iudiciorum eius, velut de vagina procedet ad vindictam malefactorum, *1. Petr. 2. 14.* laudem vero bonorum.

Marc. 13. 19. Quæ quidem dies crudelis dicitur, in qua nimirum talis erit tribulatio, qualis non fuit ex quo Gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud. Dicitur & plenus indignationis, quia vbique terrarum aduersus Sanctos timor [3] illius superbi indignabitur, cum scilicet pauperes se diuitem, humiles sublimem, infirmos [4] fortem habere contemptui, suisque viderit nolle parere imperiis, imo & decretis resistere, & contraire mandatis. Tunc erit tempus illud etiam plenum iræ furorisque, vt ira intelligatur in minis, furor in [5] tormentis. Ira enim bestiæ illius contra Christi cultores ita desæuiet, vt in templo Dei sedens tanquam ipse sit Deus, ad sui consensum sceleris miseros

D

mortales & minis terreat, & miraculis fallat, & cogat tormentis. Quæ omnia iusto Dei iudicio fieri permittentur, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos ex ea. Terra hoc loco Ecclesia Christi intel- *Psal. 23. 1.* ligitur, de qua dictum est. *Domini est terra & plenitudo eius.* *Exod 2. 5.* De qua etiam dicitur ad Moysen. *Locus in quo stas, terra sancta est*; in qua profecto boni cum malis, humiles cum [6] superbis, ebriosi cum sobriis, casti cum luxuriosis, ficti cum veris Christianis communiter viuunt. [7] Eo igitur tempore Dominus illius perditi pessimam voluntatem, ad suam iustissimam retorquebat seruitutem, quasi ven- *Matt. 3. 12.* tilabro eius vtens imperio, ad permundandam aream suam, vt vento persecutionis illius, à granis palea separetur, & ab area euolet, & sic terra sancta salubrem quandam solitudinem, paucis bonis in ea remanentibus, sustineat. Quamuis solitudo ista secundum eorum possit æstimationem intelligi, qui Ecclesiam Christi abiectam tunc & conculcatam, & quasi redactam in nihilum iudicabunt. Tunc certe peccatores eius conterentur ex ea. Neque enim hi,

E

qui in Ecclesia Christi voluptatibus immunditiisque fœdantur, quos ambitio conterit, quibus paupertas oneri est, & Euangelium ludibrio, vel Antichristi promissa contempturi, vel tormenta pro Christo passuri æstimandi sunt. In quibus modo mysterium operatur iniquitatis, cum multi eorum, adhuc regnante Ecclesia, fidei, quam publice prædicant, occulte detrahant, in scholis quasi pro fide disputantes, in thalamis & in angulis ipsam fidem deridentes; & cum ipsi ex fidei professione & cellaria plena, & marsupia farcita, & primas salutationes, & cathedras sublimes, vel habeant, vel appetant; nihilominus tamen, cum ad epicaustoria, & calices, ad cubilia & occulta dedecora ventum fuerit, Catholicam fidem exsufflant, resurrectionem corporum impossibilitate euacuant, extremum irrident iudicium, libidinem naturæ necessitate excusant; & sic vel in illam insipientis itur blasphemiam. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, vel certe in *Psal. 52. 1.*

F

illam impij præsumptionem, quam Psalmista commemorans ait. *Propter quid irritauit impius Deum, dixit enim in corde suo non requiret.* *Psal. 9. 13.* Eapropter sicut quondam à Scribis & Pharisæis, qui clauem scientiæ habebant, qui plebi legis decreta tradebant, omnis peruersitas apud Iudæos, quasi futuræ desolationis causa sumpsit exordium; ita nunc, quod dolens dico, à nobis Clericis videlicet & Monachis, qui [8] videmur mundi esse luminaria, futurorum malorum origines præseminantur & causæ; de quibus dicitur. *Quoniam stellæ cœli non dabunt lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit lumine suo.* Hæc sunt, vt mihi videtur, futuræ calamitatis inditia, de quibus Dominus in Euangelio. *Erunt* (inquit) *signa* *Luc. 21. 25.* *in Sole & Luna & Stellis.* Si quæras quæ signa, Audi Ioelem Prophetam. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna* *Ioel. 2. 31.* *in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus & manifestus.*

Eia fratres, *fecit Deus duo magna luminaria, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti.* *Genes. 1. 16.* Sunt & in sanctæ Ecclesiæ firmamento à Domino creata duo magna luminaria, Sacerdotium & Regnum, Rex & Episcopus,

G

Princeps & Clericus. Dies spiritalia, nox significat sæcularia. Itaque luminare maius sacerdotium, vt præsit diei, id est spiritualibus; luminare minus regnum, vt præsit nocti, id est sæcularibus. Contra naturam proinde est si sol nocti, si præsit luna diei; si Princeps ad spiritualia sacramenta conficienda se ingerat, si sacerdos sæcularium negotiorum tenebris, conscientiæ suæ serenum obnubilet. *Nemo* (enim) *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Rex *2. Tim. 2. 4.* Ozias, præsumptione spiritus, in sancta sanctorum more sacerdotis ingressus, lepra percutitur; & Propheta Balaam, contra Dei voluntatem, impij Regis desiderio fauens, apertos habens prophetico lumine oculos, auaritia excæcatur. *2. Par. 2. 16. & 19.* *Num. c. 22. 23. & 24.* O quam bene conueniebant hæc duo luminaria! quam splendide ex hoc spiritali firmamento lucebant, quam optime inter dies, & menses, & tempora, & annos distinguebant, Rex scilicet & Sacerdos, in suis se gradibus continentes? quando illius potestas nonnisi subditorum paci, & æquitati seruiebat; istius sapien-

H

tia & doctrina ad depellendas mentium tenebras, lucemque veritatis infundendam inuigilabat. Væ nobis, qui in ista incidimus tempora infelicia, in quibus sol videtur conuersus in tenebras. In quas inquis tenebras? Nolo dicere fratres; Nolo dicere, ne videar ponere in cœlum os meum. Ipsi viderint. Reducant ad memoriam eos, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur. Considerent quos scientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis scintillas, quæ spiritalium correptionum fulgura, suis emittebant temporibus Gregorius, Augustinus, Ambrosius, [9] Hilarius. Et vt ad viciniora veniamus, recogitent nostri, quomodo suis eluxerint temporibus [10] Cutbertus, Dunstanus; nonne hi sacerdotium, quasi vnum maximum solem, per vniuersum mundum luce incomparabili radiare fecerunt?

Videant modo isti, quomodo ex eorum fide resplendeant, & vtrum ipsi tantum, vel plus, vel paulo minus luceant; & sic conferant temporibus tempora, meritis

meri-

A merita, perſonis perſonas, & vtrum ſol conuerſus ſit in tenebras, ſecundum conſcientiæ ſuæ teſtimonium iudicent. Felicia tempora, in quibus tam raro malus, quam nunc bonus inuenitur. Iam vero de Regia poteſtate quid dicemus? quam lunæ comparandam æſtimauimus, quæ præeſt nocti. Quæ quidem tunc ſuo lumine reſplendebat, quando ad noctis huius, iniquitatis ſcilicet, & iniuſtitiæ tenebras depellendas, Reges, & principes, & boni erant conſolationi, & malis terrori; patres orphanorum, & iudices viduarum; defenſores Eccleſiarum, & propulſores iniuriarum; ſuperiores poteſtate, ſed humilitate inferiores: prodeſſe magis, quam præeſſe cupientes. Talis fuit Conſtantinus, talis ille primus Theodoſius, & alij multi. Tunc autem luna conuertetur in ſanguinem, cum manus Principum plenæ ſanguine fuerint, exactionibus & vectigalibus effundentes [11] viſcera miſericordiæ, iuſtificantes impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferentes ab eo; ſic populo quaſi præda
B abutentes; [12] tyranni non reges, deſtructores pauperum non conſultores præferentes; iuſta & iniuſta, licita & illicita confundentes, & commiſcentes; non ius & æquum, ſed ſuam libidinem ſequentes & ſtomachum. *Et ſtellæ* (inquit) *cadent de cælo.* Per ſtellas [13] quæ nunc dicuntur præeſſe nocti, cum eam tamen & ipſæ illuminent, eos qui ſæculo abrenunciantes, cogitatione & auiditate in ipſis ſupernis manſionibus conuerſantur, intelligendos eſſe exiſtimo. Qui tunc vere mundi erant luminaria, quando vita, moribus, dilectione, contemplatione, mundo vniuerſo ſuperiores effecti, omnia terrena & temporalia contemnebant, diuitias & honores reputantes vt ſtercora, corpore caſti, mente puriſſimi, in illatis [14] contumelijs immoti, in humilitate & obedientia ſuperioribus ſubditi, paruiſſimo ac viliſſimo cibo contenti, ad iram tardi, ad præſtandum prompti, ad accipiendum verecundi, nunquam quæ ſua ſunt quærentes, ſed quæ IESV Chriſti.

C Quid dicam fratres chariſſimi? Quid dicam? Quid ſumus? Vbi ſumus? Numquid in cœlo? Nunquid ibi, vbi quondam Antonius, Macarius, [15] Hilarion? Numquid non potius de cœlo in terram cecidimus, qui nihil fere præter terram ſapimus, terram amantes, terram cogitantes, de terra loquentes, contentioſi, [16] queruloſi, inuicem mordentes & comedentes, inuicem inuidentes, & detrahentes alterutrum. Quæ nundinæ ſine monachis? Quod forum? Quæ concilia? Taceo multos ita abſorptos à terra, vt eorum gulæ nec terra, nec mare ſufficiat, vt nihil perhorreſcant quod [17] libeat, vt miſeros, quibus dominantur, quaſi exactores Pharaonis vexent, & crucient, crudelius quam quilibet ſæculares pecuniam extorqueant, vt ſanguine pauperum incraſſati, impinguati, dilatati, vſque ad ſacrorum quoque venditionem emptionemque prorumpant. Sanctus quoque Propheta cum de tempore Antichriſti præmiſiſſet. *Ecce dies Domini veniet crudelis* & cætera, mox cauſa cur ab eo vel decipi, vel [18] opprimi videbuntur, ſubiunxit dicens. *Quoniam ſtellæ cæli non dabunt lumen ſuum.* Quod quæſo lumen expandent homines tene-
D broſi, de ſtellis mutati in carbones, de cœlo in ſterquilinium prouentes? *Obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo.* Eia fratres multi initio Sacerdotij ſui lucent, quorum ſcilicet & vita integra eſt, & intentio recta, & electio ſana, qui tamen poſtea morum mutatione obtenebreſcunt. At inſtante tempore Antichriſti, ita mortalium mentibus dominabitur auaritia & ambitio, vt etiam ipſa promotionis initia, quaſi ortus ſolis tenebris plena ſint; quæ nimirum & vita peſſima procedet, & peruerſa intentio, & turpis ingreſſio ſuccedet. Itaque obtenebrabitur ſol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit lumine ſuo, quoniam ſicut prædiximus, ſol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, vt ſequatur dies Domini magnus & [19] manifeſtus. Si quis autem per ſtellas illius temporis perfectos velit intelligi, qui tunc tenebris perſecutionis vel deceptionis omnia occupantibus, nō expandent lumen ſuum ſcilicet ſcientiæ vel miraculorum, non eius improbandus eſt ſenſus, ſi ei conueniant quæ ſequuntur. Si vero nomine ſolis conuenienter poſſit intelligi Antichriſtus,

E propter Satanam, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, manifeſtum erit quod ait Propheta, *Obtenebratus eſt* 2.Cor.11.14
ſol in ortu ſuo, quia mox vt oriri cœpit eius imperium, & ſuperbia exſiccabitur; & erroribus obtenebrabitur; & fumo malitiæ, concupiſcentiæ inuoluetur. Tunc & *Luna* id eſt Eccleſia, *non ſplendebit lumine ſuo*, quia ab omni poteſtate terrena deiecta, *conculcabitur à Gentibus* Dan.7.25.
per tempus & tempora, & dimidium temporis.

Sequitur. *Et viſitabo ſuper vrbes mala.* Per vrbes conuenticula, quæ diuerſis locis ſub diuerſa regula, diuerſis moribus, in vna tamen fide Catholica viuunt, accipienda exiſtimo. Sicut enim multi ciues in eadem vrbe ſub vna lege conueniunt, ita hi, qui ſub vno ordine in vnam coeunt ſocietatem, quaſi vnam ciuitatem efficiunt. Circa [20] illud tempus in huiuſmodi conuenientibus tanta erit corruptio, vt non ad colendum Deum, ſed ad ſua tantum deſideria, concupiſcentiaſque explendas videantur vniri, de quibus beatus Apoſtolus, *Inſtabunt in nouiſſimis diebus tempora periculoſa, erunt homines ſeip-* 2.Tim.3.1.
F *ſos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Et multi tales hodie ſunt, qui in habitu, in Pſalmis canendis, in tonſura ſpeciem pietatis præferunt; ipſius autem virtutem, quæ eſt in charitate, & caſtitate, & humilitate, *in contemptu voluptatum, non habent. *Lego & in
Super huiuſmodi itaque vrbes viſitabit Dominus mala, à peccatoribus exigens vltionem, & eorum denudans turpitudinem, vt vel perſecutionibus attriti corrigantur, vel de flagitiis ad infidelitatem prorumpentes, cum Babylone æternis ſuppliciis manifeſto Dei iudicio conterantur. Video vos adhuc ad plura audienda auidos, ſed [21] parcite iam prolixo ſermone fatigato orantes vt ad ea, quæ ſequuntur indaganda, inueniamur idonei, per Ieſum Chriſtum [22] cui honor & gloria. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vitiis vidit. C. Cam. Vitiis *etiam* vidit.
2. Iudicentur, qui. C. Cam. Iudicentur *omnes* qui.
3. Illius ſuperbi. C Cam. *Superbi illius.*
4. Fortem habere. C. Cam. Fortem, *glorioſum abiectos* habere.
5. Tormentis. Quæ omnia. C. Cam. Tormentis. *Ita enim.* Et quæ ſequuntur vſque ad. *Quæ omnia.*
6. Superbis ficti. C. Cam. Superbis, *ebrioſi* & reliqua vſque *ad ficti.*
7. Eo ſunt quondam. C. Cam. *Eo igitur tempore*, cum his quæ ſequuntur vſque ad. *Eapropter ſicut quondam.*
8. Videmur eſſe mundi. C. Cam. Videmur *mundi eſſe.*
9. Hilarius. Et vt ad. C. Cam. Hilarius, *Martinus, & mille alij.* Et Vt ad.
10. Cutbertus, Dunſtanus. Nonne hi. C. Cam. Cutbertus, *Wilfridus*, Dunſtanus, *Ioannes & centum alij.* Nonne *omnes* hi.
11. Viſcera miſericordiæ, iuſtificantes. C. Cam. Viſcera *miſerorum*, iuſtificantes.
12. Tyranni, non. C. Cam. *Tyrannos* non.
13. Quæ nunc dicuntur. C. Cam. Quæ *non* dicuntur.
14. Contumelijs immoti. C. Cam. Contumelijs *& iniurijs* immoti.
15. Hilarion? Nunquid. C. Cam. Hilarion, *& multi alij?* Nunquid.
16. Queruloſi, inuicem inuidētes, & alterutrum detrahentes Quæ. C. Cam. Queruloſi, *murmuroſi, inuicem mordentes & comedentes*, inuicem inuidentes, & *detrahentes alterutrum.* Quæ.
17. Libeat. Sanctus quoque Propheta. C. Cam Libeat, *vt miſeros* & quæ ſequuntur vſq; ad, Sanctus *itaq;* Propheta.
18. Opprimi videbuntur, ſubiunxit dicens. Quoniam ſtellæ cœli non dabunt lumen. C. Cam. Opprimi *merebuntur, ſubiungit dicens.* Quoniam ſtellæ cœli non *expandent* lumen.
19. Manifeſtus. Sequitur. Et viſitabo ſuper vrbes. C. Cam. Manifeſtus. *Si quis autem*, & quæ ſuppleuimus vſque ad. *Sequitur. Et viſitabo* per *vrbes.*
20. Illud tempus. C Cam. Illud *itaq;* tempus.
21. Parcite iam prolixo ſermone. C. Cam. Parcite *mihi prolixo iam ſermone.*
22. Cui honor & gloria Amen. C. Cam. Cui *eſt* honor & gloria *in ſæcula ſæculorum.* Amen.

G

H

Sermo Vndecimus.

FAteor fratres chariſſimi, quia ſecus quam putaneram accidit mihi. Videbatur enim mihi paucis ſermonibus onerum iſtorum, de quibus nobis ſermo eſt, myſteria & ſacramenta poſſe abſolui, [1] cum hoc primum, quod ad-

A huc habemus in manibus, pluribus iam nos diebus tenuerit, maximâque nobis sacramentorum abyssum, quasi de nouo iam incipiat aperire, dicente Domino per Prophetam, *Et visitabo super vrbes mala,* [2] *contra iniquos iniquitates eorum. Et requiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Sed quoniam hæc, si ea, quæ iam in alijs sermonib. diximus, reuoluamus, satis manifesta sunt, breui ea epilogo transeamus. Tempore igitur Antichristi visitabit Dominus super vrbes mala, eorum scilicet, qui speciem pietatis in hypocrisi detinent, conuenticula dissipando visitabit; & cōtra impios iniquitatem eorum, illos, qui manifeste mali fuerint inuenti, vel tormentis vel erroribus puniendo. Quiescere etiam faciet superbiam infidelium, potentes sæculi, quos fides Christiana vulnerat, deprimendo; humiliabit & arrogantiam fortium, eos, qui in virtutibus suis gloriantur, tentationibus & persecutionibus supprimendo. Sunt enim quidam, qui propter religionis habitum, & communis vitæ societatem, in manifesto quasi boni sunt, pessimi in occulto; quos vrbium nomine significatos accipimus. B Sunt alij [3] qui in facie hominum videri pessimi nō erubescunt, quos iniquos, & impios à Propheta vocatos arbitramur. Sunt & multi à fide Christiana alieni, ipsam fidem superbe irridentes, quos infideles [4] nominandos esse censemus. Sunt & alij non solum fideles, sed etiam virtutibus studentes, quia tamen confidunt in virtute sua, & in se, non in Domino gloriantur, eos arrogantes non immerito appellamus; quos omnes vel in die iudicij penitus conterendos, vel tempore Antichristi prodendos cœleste oraculum declarauit.

Isai.13.12. SEQVITVR. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Vir à virtute nomen accepit, itaque rationem virtutum Propheta commendans, [5] *pretiosior erit*, inquit, *vir auro.* Omnia rara pretiosa sunt, merces autem vltroneæ putent. Quoniam autem erit rarus illo tempore, qui virtutibus studeat, qui virilia, id est, fortia agat; rarus, C qui acerbam mortem, vitæ huius illecebris, præferat; rarus, qui malit pro Christo à mundo contemni, & à carnificibus torqueri, quam mundi huius iucunditate perfrui: profectò pretiosior erit vir auro, id est, rarior, & [6] homo scilicet, q. secundùm rationem, non secundum sensum more bestiæ viuat, mundo obrizo. Possunt & per aurum, vel mundum obrizum perfecti, qui in Ecclesia Sap.3.6. fuerunt primitiua, non [7] inconuenienter signari, quos Psal.44.10. tanquam aurū in fornace probatos, & examinatos, in vestitu illo deaurato, in qua astitit Regina à dextris Christi, decentissime nouimus collocatos. Qui vero in illa vltima persecutione inuentus fuerit vir, nec tormentis cedens, nec promissis consentiens, nec signis & prodigijs credens; sicut aurum inter cætera metalla pretio ac decore præcellit, sic profectò ille, inter cæteros Sanctos, speciali quadam prærogatiua splendescet. Sane quod ait. *Homo mundo obrizo.* Repetitio est; quem prius virum, postea hominem; & quod prius aurum, hoc postmodum obrizum appellans, Et addidit. Isai.13.13. *Propter hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco suo.* Cœlum illius temporis Ecclesia, vel in ipsa Ecclesia perfecti quique dicuntur, quos D nimirum eo tempore dicit esse turbandos, cernentes impios, & iniquos aduersus Sanctos [8] triplici zelo certantes, promissis vt illiciant, miraculis vt fallant, tormentis vt frangant. Quis, rogo, tam poterit esse perfectus, vt possit non in tanta tentatione turbari, quando sur-Mat.24.24 gent pseudo-apostoli, & pseudo-prophetæ, & dabunt signa & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

Et mouebitur terra de loco suo. Quæ terra? Illa [9] fortassis terræ portio, quæ, quoniā affectu terrę inhæret, terra nuncupatur; cuius profectò locus nunc vel fides, vel ipsa Ecclesia est; à quo vel tormenta declinans, vel admirans prodigia, vel blanditijs acquiescens, mouebitur, aut fidem ipsam deserendo, aut ab Ecclesia recedendo, aut alicubi interim, donec transeat iniquitas, delitescendo. Multi enim decepti signis mendacibus fidem deserent, multi victi supplicijs ab Ecclesia [10] recedent, multi se subtrahentes periculo, & in abdita quæque loca sese recipient. Qui omnes in eorum comparatione, qui, omnibus E periculis viriliter obuiantes, cœli dicti sunt, terra non inconuenienter appellantur. Verum quia tanta erit paucitas Doctorum, tanta etiam ipsorum, qui tunc erunt, aduersitas, vt nec dispersos colligere, nec lapsos erigere, nec corrigere delinquentes, nec pusillamines consolari sufficiant; protinus subdit. *Et erit quasi damula fugiens, & quasi ouis, & non erit qui congreget.* De terra loquitur, quæ *erit quasi damula fugiens, & quasi ouis.* Damula pauidum animal est, ouis simplex. Mouebitur itaque terra de loco suo, fugiet à perfectorum consortio, vel propter persecutionis pauorem perterrita, vel propter miracula propria simplicitate decepta. Ait ergo. *Et erit sicut damula fugiens* [11] *& sicut ouis.* Sicut enim damula canes latrantes, venatores insequentes trepida fugit, & pauida; sic profecto multi, qui tunc corde pauido bella Domini præliari non poterunt, instantia pericula declinabunt, aut cedendo loco, aut persecutoribus consentiendo. Sicut etiam oues, irruentibus in gregem bestiis, fugatis [12] percussisque pa- F storibus, huc illucque dispersæ fugiunt; ita simplices quique in Ecclesia, expulsis Doctoribus vel occisis, per deuia errorum vagabundi ferentur, non existente qui manum opponat, qui dispersos congreget, vel reducat errantes.

Sequitur. *Vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient.* Eia [13] fratres duo populi sunt, & duæ gentes, & duo regna, bonorum scilicet & malorum, sapientium & insipientium, electorum & reproborum. Hoc autem tempore, quo omnia commixta sunt & confusa, quis cuius gentis, & populi sit, deprehendi non potest, cum multi, specietenus boni, sint in latebris conscientiæ pessimi; [14] multi qui fidem, quia aliud non audent, verbotenus laudent, quam perditis moribus impugnant. At cum tempus ventilationis aduenerit, vnusquisque ad populum suum conuertetur, palea ad paleam, granum ad granum, bonus ad bonum, pessimus ad [15] pessimum. G Reuelabuntur enim tunc ex multis cordibus cogitationes, quādo qui nunc hædi sunt, hædis sociati, apparebit quid fuerint: & qui nunc oues sunt, ouium tunc consortio inserentur. Sicut enim hodie, cū Mat.25.31. Euangelium legeretur, audistis. *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, & omnes Angeli eius cum eo, congregabuntur ad eum omnes gentes, & separabit eos ad inuicem.* Tunc vnusquisque ad populum suum cōuertetur. Est quippe quasi vnus populus eorum, qui iudicaturi sunt, & iudicaturi cum Domino, alius Angelorum obsequentium Domino, alius ouium remunerandus à Domino, alius hædorum auditurus, à Domino, Mat.25.41. *Discedite à me* [16] *maledicti.* Hæc tempore Antichristi incipient fieri, quando hi, qui infirmi sunt, apparebunt infirmi: qui pessimi sunt, inuenientur & pessimi: qui fortes in fide, vel in bono opere constantes, emergente persecutione ostendent se esse perfectos. *Et singuli ad terram suam* [17] *fugient.* Alijs verbis, vt mihi videtur, eadem est repetita sententia. Quod enim prius dixerat, *Vnusquisque* hoc postmodum *Singuli* repetendo subiunxit; & quos per *Populum*, eos per *Terram* significat, & quod prius per *Conuersionem* postmodum *Fugam* appellat. Si aliquis subtiliter hæc indaganda contenderit, H geramus morem, dicamusque esse terram viuentium, & terram morientium; terram sanctorum, & terram impiorum. Terra viuentium paradisus, terra morientium mundus, terra sanctorum Ecclesia, Terra impiorum Babylonia. Psal.26.13. *Credo* (inquit Propheta) *videre bona Domini in terra viuentium*; in paradiso enim nemo moritur, vbi vita in veritate est, veritas in æternitate. Mundus autem iste, in quo nihil stabile, nihil æternum est, vbi ipsa vita hominum vmbra mortis est, terra morientium conuenientissime appellatur. At Ecclesia Christi terra sanctorum est, de qua dicit scriptura. Isai.26.10. *Misereatur impio, & non discet facere iustitiam; in terra sanctorum iniqua gessit.* Merito terra Sanctorum Ecclesia, extra quam in hac vita nullus sanctus, nulla iustitia, nulla sanctificatio. Potest etiam caro [18] Sanctorum dici terra sanctorum, de qua dicitur. Matt.5.4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Similiter ciuitas illa confusionis [19] terra potest dici impiorum; nihilominus tamen caro eorum, terra est eorum; Itaque mysterium iniquitatis, quod nunc regnante ecclesia, à tenebrosis multorum cordium antris interim non audet procedere; cum cæperit ipsa ecclesia persecutionibus conteri, audacter prorumpet; & qui nunc delitescunt in ea, manifeste fugient ab ea, singuli ad terram suam, errorum suorum sibi socios coniungentes. Quo enim fugient qui de terra sanctorum fugient, nisi ad terram impiorum, quæ est ciuitas Babylon, ciuitas confusionis: vbi diuersa sunt dogmata diuersique errores, alijs carnis voluptatem, alijs mundi honores, alijs diuitias &[21] delicias pro summo bono sectantibus. Itaque luxuriosorum terra est carnis voluptas, ambitiosorum honorum [22] cupiditas, eorum qui vagi sunt, & instabiles propria voluptas. Ecclesiam proinde deserentes, & tribulationes, quas tunc passura est, abhorrentes, ad ciuitatem se conferet perditionis, singulis ad suam terram fugientibus, id est pro libitu suo carne sua [23] vtentibus. Verum quia Antichristus regnum suscipiens, Babyloniis multos inueniet erroribus implicatos, multos etiam à societate Sanctorum se separantes, quasi superuenientes suscipiet, recte subiungitur. *Omnis qui inuentus fuerit occidetur, & omnis qui superuenerit cadet in* [24] *gladio.* Quicunque enim reproborum ab Antichristo fuerit in ciuitate confusionis inuentus occidetur, id est eius erroribus & doctrina pessima implicabitur; & qui superuenerit, id est ad ipsum de ecclesia confugerit, à fide, quam tenere videbitur, gladio oris percussus corruet. Et quoniam multis ex his infantes, domus, vxoresque non deerunt, *Infantes* (inquit) *eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus illorum, & vxores eorum violabuntur.* Eia fratres mei non solum imperitum vulgus illius erroribus implicabuntur, sed etiam plures, quibus ecclesiarum regendarum cura commissa est, illi impijssimo manus [25] dabunt. Quorum infantes dici possunt simplices, quos ecclesiasticis sacramentis imbuerunt; domus ecclesiæ, quibus præfuerunt; vxores Prophetica Euangelicaque doctrina, ex qua in fide Christi filios genuerunt. Sed ipsis tunc à vera fide ad errorem conuersis, infantes eorum allidentur in oculis eorum, id est ipsis consentientibus simplices quique, suadentibus Antichristi discipulis, & Domini nostri doctrinam & fidem, quasi vilem & abiectam irridentibus, offendent in lapidem offensionis, & petram scandali sicut scriptum est, *Qui decidit super lapidem istum conteretur.* (Mat. 21. 44.) Cadent quippe tunc multi super lapidem istum, & conterentur: quando à fide Christi corruentes, in Christo scandalizabuntur. Et sic diripientur domus eorum, quando multi de Ecclesiis, quibus præerant, abducentur. Violabuntur & vxores illorum, quando doctrina Christiana, quæ eatenus simplex erat & pura, perditi illius fœdis erroribus maculabitur. Et quasi quæreres à quibus fierent ista, subiecit Dominus loquens in Isaia. (Isai. 13. 17.) *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis paruulos interficiant, & lactentibus vteri non misereantur, & super filios non parcat oculus eorum.* Per [16] Medos contrarios spiritus, vel Antichristi præcones arbitror designatos. Manifestum quippe est, quod deceptoriæ potestates non mundi huius [27] diuitias quærant, non pretiosorum metallorum aggeres appetant, vtpote quæ ad animas tantum diripiendas, interficiendasque inuigilant.

Potest & per auri argentiue contemptum, antichristianorũ discipulorũ hypocrisis figurari, qui ad omnia simulanda ac dissimulanda callidi, reputabunt aurũ lutum, vilissimam autem testam argentum, ad hoc solum animum dantes, vt sagittis paruulos interficiant. Habent [28] enim verborum dialecticorum sagittas, argumentorũ versutias, quibus paruulos quosque, simplices scilicet, quibus desunt sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, (Psal. 119. 4.) à recta fide auertant. *Et lactentibus* (inquit) *vteri non misereantur.* Lactentes vteri sunt [29] fideles in matris ecclesiæ vtero procreati, quibus adhuc lacte opus est, non solido cibo; quorum teneritudinis nec falsi doctores miserentur, nec [30] dæmones; potius à maternæ caritatis lacte [31] abstractos; errorum veneno & potant, & [32] necant. Nec mirum, cum super filios suos, quos videlicet in erroribus genuerunt, non parcat oculus eorum, cum eos semper de malis in peiora deiiciant, de vitiis minoribus ad maiora compellant, de sceleribus trahant ad scelera, donec in profundum malorum ruentes, etiam ad ipsius diuinitatis contemptum prorumpant. Sane quod à Domino suscitandi perhibentur, iusta Dei permissio ex districtissimo eius iudicio comprobatur, sicut scriptum est, *Dabo eis Reges in furore meo.* (Osea. 13. 11.) Vnde & [33] Medi conuenienter à quodam Medai nomen accipiunt, quod interpretatur à potente, vel forti, vel mensura, quoniam à potente vel forti Deo, iusto iudicio [34] contra fortitudines, vel pessimi quique homines deputantur; vt sicut bonis per bonos angelos, secundum bona opera retribuit, ita & per malos malis reddat secundum opera sua. Vnde [35] certa impijs mensura præfigitur, quam vel ad tentandos bonos, vel puniendos malos excedere non sinuntur. Vel ideo Medi interpretantur mensura, quia secundum mensuram culpæ mensura pœnæ [36] extenditur, sicut in ea mensura nobis metietur boni remuneratio, in qua à nobis bonorum operum fructus metiuntur. (Matth. 7. 4.) Sane omnium horum, quæ de Medis suscitandis dicta sunt, in bonam partem potest expositio deduci, qua quia mihi fas non est vestram defraudare auiditatem, breuiter ipsa verba prophetica explanando repetenda sunt. Sed hoc alterius sermonis exordio commodius reseruabitur, vt interim ea, quæ dicta sunt, sedula meditatione animis vestris arctius imprimantur, & ad pertimescenda diuina iudicia silentij interpolatione præparentur, per [37] Dominum nostrum IESVM Christum Amen.

VARIÆ LECTIONES

1. Cum maximam nobis. C. Cam Cum *hoc primum* & quæ sequuntur vsque ad *maximamque nobis.*
2. Contra iniquos C. Cam. Contra *impios.*
3. Qui in facie C Cam. Qui *etiam* in facie.
4. Nominandos esse censemus. C. Cam. *Nominandos censemus.*
5. Pretiosior erit, inquit. C. Cam. Pretiosior *inquit erit.*
6. Homo scilicet qui secundum rat. C. Cam. Homo *qui videlicet* secundum rat.
7. Inconuenienter signari. C. Cam. Inconuenienter *intelligi.*
8. Triplici telo certantes. C. Cam. Triplici *zelo* certan.
9. Fortassis terræ portio. C. Cam. Fortassis *Ecclesiæ* portio.
10. Recedent, & in abdita. C. Cam. Recedent, *multi se subtrahentes periculo* in abdita.
11. Et sicut ouis. C. Cam. Et *quasi* ouis.
12. Percussisque pastoribus. C. Cam. *Percussisue* pastoribus.
13. Fratres, duo. C. Cam. Fratres *charissimi* duo.
14. Multi qui fidem. C. Cam. Multi. *vt hesterna die diximus,* qui fidem.
15. Pessimum. Tunc. C. Cam. Pessimum *Reuelabuntur enim.* Et reliqua vsque ad. *Tunc.*
16. Maledicti. Et singuli ad. C. Cam. Maledicti. *Hac tempore.* & cetera ad. Et singuli *inquit* ad.
17. Fugient. Si aliquis subtiliter hæc indaganda contenderit, geramus morem. C. Cam. Fugient *Alijs verbis,* & quæ sequuntur vsque ad. Si *tamen* aliquis *subtilius* hæc indaganda contenderit, geramus *ei* morem.
18. Sanctorum dici terra. C. Cam. Sanctorum *terra dici.*
19. Terra potest dici. C. Cam. Terra *possit* dici.
20. Eorum; quo enim fugient. C. Cam Eorum. *Itaque mysterium,* & quæ adiecimus vsque ad Quo *autem* fugient.
21. Delicias pro. C. Cam. Delicias, *alijs propriæ voluntatis libertatem,* pro.
22. Cupiditas, eorum qui vagi sunt & instabiles propria. C. Cam. Cupiditas, *auarorum diuitiæ, eorum qui vagi & instabiles sunt propria.*
23. Vtentibus. Sequitur. Omnis qui C. Cam. Vtentibus. *Verum quia* & quæ inseruimus vsque ad. *Omnis qui.*
24. Gladio. Eia fratres. c. cam. Gladio. *Quicunque enim* & cætera vsque ad *Eia Fratres.*
25. Dabunt. Et quasi quærens à quibus fient ista. c. cam. Dabunt. *Quorum infantes* & quæ adiecimus vsque ad. Et quasi *quæreres.* à quibus.
26. Medos contrarios. c. cam. Medos *vel* contrarios.
27. Diuitias quærant. c. cam. *Quærant diuitias.*
28. Enim verborum dial. sagit. arg. versutias. c. cam. Enim *sagittas verborum dialecticorum, versutias argumentorum.*
29. Fideles in matris. c. cam. Fideles *nouiter* in matris.
30. Dæmones; potius. c. cam. Dæmones; *quos* potius.
31. Abstractos errorum. c. cam. Abstractos *scilicet* errorum.
32. Necant. Sane quod. c. cam. Necant. *Hæc mirum.* Et quæ sequuntur vsque ad *Sane quod.*

A

33. M:di conuenientes.C.Cam.*Conuenienter Medi.*
34. Contra fortitudines.C. Cam.*Contraria* Fortitudines.
35. Certa mensura impijs.C.Cam.Certa *impijs mensura.*
36. Extenditur.Sane omnium. C. Cam. Extenditur, *sicut in ea.* Et quod sequitur vsque ad *Sane omnium.*
37. Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.C.Cam. Dominum.*Saluatorem* nostrum Amen.

Sermo Duodecimus.

DOminus ac saluator noster in cœlum ascendens, & corporali suæ præsentiæ modum faciens, spiritalem nobis non temporalem, sed æternam promisit dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* (Mat. 28.20) Nemo igitur existimet tempore Antichristi Dominũ suam suis subtracturum præsentiam, quibus tantam tunc temporis est largiturus virtutem, vt non solum omnia eius calliditatis argumẽta contemnant, irrideantq; tormenta, immo etiam obuiam bestiæ, fide armati, audacter procedant, & multos, quos ipse erroribus blandimentisque seduxerit, ab omni prauitate retractos, catholicæ veritati restituant. (B) Ait ergo. *Ecce ego suscitabo super eos Medos. & cætera.* (Isai. 13.17.) Medi possunt perfecti illius temporis doctores appellari, qui à potente Christo potentes, à forti fortes effecti, mensuram tritici, id est, Doctrinæ Spiritualis, conseruis suis, (Luc. 12. 24.) inexperta hactenus tentatione laborantibus, erogare non desistent. Qui semper Babylonios, id est, pseudochristianos & pseudopropheras à Domino suscitati, oblatam sibi omnem rerum temporalium copiam, quæ per auri ac gentiue pretium figuratur, [1] contemnent; vel certe sapientię, eloquentiæque sæcularis nitorem, in quibus peruersi dogmatis magistri gloriantur, nec sibi petent, nec in alijs expauescent: quorum summa cura erit & studium animarum curare vulnera, & parare Domino plebem [2] perfectam. (Luc. 1. 17.) Procedent igitur contra labia dolosa, & linguam magniloquam, armari sagittis acutis, quibus impiorum paruulos interficiant, secundum quod dictum est Petro, *Occide & manduca.* (Act. 10.13.) (C) Dabunt quippe operam tum perfecti, vt recenter seducti quasi paruuli, ex testimoniis scripturarum, velut sagittis compunctionis saluberrime vulnerentur, quatenus ab eo quo fuerant occisi, vitam fidei, quam amiserant, recipere mereantur. Porro lactentes vteri illi dicendi sunt, quos vt arctius teneant & alliciant blandius, nihil illis austerum nihilve durum proponent, sed blanda quædam ac voluptuosa, quasi salutaria suggerent; lactis eos suauitate, non vini austeritate potantes. Horum profecto non miserebuntur, vt magis misereantur; quicquid illis poterit esse terrori, quicquid timorem incutere, quicquid salubrem infundere dolorem, tanto vehementius ingerentes, quanto eorum salutem affectuosius æmulantur: qui profecto nec proprijs filijs, id est, qui eorum curæ cõmissi fuerint, parcent, visitãtes in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum. (Psal 88. 33.) Eia fratres, vt ad nos ipsos redeamus, in omni bono opere tria obseruãda sunt, virtus discretionis, puritas intẽtionis, fundamentũ humilitatis. Discretio spectat ad modum actionis, intentio ad causam, humilitas ad fructũ. *Si recte offeras*, ait Dñs, *recte aũt nõ diuidas, peccasti.* (Gen. 4. 7.) (D) Recte offert, qui bonũ agit; sed non recte diuidit, si modum in agendo excedit. Sed si iam bona operaris, & bene; inspice cuius rei causa, qua intentione, [3] quo fine. Sed si vt videaris ab hominibus, vt aliquid cõmodi temporalis acquiras, si vt liberius tuis seruias voluptatibus, fermentum hoc modicum totam operis tui massam corrumpit. Quod si opus rectum ac discretum recta præcedat intentio, caue ne serpens ille tortuosus caput erigat, superbiam dico, quæ cum vbique & in omnibus, tunc maxime in bonis operibus cauenda est.

Quid enim prodest si terra optime culta fuerit, si semel sparsum sapienter, si competentibus pluuiis irrigatum, si se dilatauerit culmus, si spica ferax processerit, si congrua solis temperie maturescens, iam in se auidum ceperit prouocare messorem, & mox quasi de manibus omnia subita tempestas demergat? Sic profecto, si laboras, si ieiunas, si [4] vigilas, si bonis operibus misericordiæ insistis omnium horum fructus sola euacuat superbia sola consumit elatio. (E) Vnde nihil magis timendum est, quam ne propter superbiam à Domino deseramur, & veniat nobis dies Domini crudelis, & indignatione plenus, & iræ furorisque. Sentiat quisque vt volet, ego nihil crudelius cuiquam arbitror posse contingere, quam vt derelictus à Domino, dimittatur secundum desideria cordis sui, & eat in adinuentionibus suis. (Psal. 80.13.) Quæ profecto crudelitas ex Dei indignatione procedit, qui contra eos maxime, qui de bonis operibus in se gloriantur euigilat, ingratitudinem præ cæteris vitiis odiens, & detestans. O detestanda superbia, ingratitudinis mater, virtutum tinea, parens vitiorum! Tu aduersus miseros mortales crudelitatem prouocas iudicis, indignationem excitas, iram acuis, accendis furorem. Ideo dies illa, qua ob superbiæ meritum homo à Deo deseritur dies profecto crudelis est, plenus [5] indignationis atque furoris. *Ad ponendam* (inquit) *terram in solitudinem* deserẽte quippe Deo cor superbum, quasi terram reprobam, & maledicto proximam, (F) quod prius videbatur terra bona & fertilis, redigetur profecto in solitudinem, spinas & tribulos germinans peccatorum, & solis vitiorum bestiis patens. Et *peccatores eius conterendos ex ea.* Videat caritas vestra, fratres charissimi Regnante in pectore nostro vera humilitate, semper ad subtiliter examinanda etiam bona, quæ facimus, prouocamur.

At superbia omnia, quæ humilitatis sunt, depascente, cogitationes, quibus ex commissorum memoria solebamus compungi, à cordis nostri extruduntur arcano, & hoc est de terra peccatores conteri, dilectorum recordationem, elatione subintroeunte, deleri. Porro per lunam fidem, per solem castitatem, per stellas cæteras virtutes intellige; quæ omnia, si superbiæ fuerint tenebris obuoluta, nihil luminis, nihil gratiæ, nihil quod Deo placeat, nihil quod expediat proferent, sed totam animæ substantiam impietatis, & infidelitatis horrore suffundent. Vnde necesse est, vt super huiusmodi corda, quasi super vrbes contrarias sub muro obstinationis clausas, turribus elationis munitas, (G) visitet Dominus mala quæ faciunt, vlciscens in omnes adinuentiones eorum, & visitans in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorum. Superbi quippe, & infideles dicuntur & impij non tam in hominẽ, quã in ipsum Deum sæuientes. Videte quã pestiferum malũ, quod á diuinitatis cæpit iniu,ria quod de Angelo Diabolũ fecit, quod [9] hominẽ expulit de paradiso, dum ille diuinæ potentiæ iste scientiæ æqualitatem affectat. [7]. Itaque *quicunque putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Et quicunque putat scire se aliquid, nondum intelligit quomodo oporteat eum scire.* (Galat. 6.3. 1.Cor. 8.2.) Vtinam quicunque tales sunt, visitet eum Dominus in [8] virga correptionis suæ, quiescere faciens superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humilians. Expedit itaque superbis, vt ait quidam sanctus, vt in aliquod manifestum peccatum incidant, vt humilientur, fiatque illud, quod scriptum est. *Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* (Psa. 103.29.) Spiritus nempe hominis proprie [9] spiritus superbiæ est; quo ablato ad puluerem suum, id est, ad propriæ fragilitatis cognitionem reuertitur, vt emittatur ei *spiritus Dei, qui non requiescit nisi super humilem, & quietũ tremẽtem sermones eius;* (H) & ita recreetur & renouetur, proficiatq; in virum perfectum, & in hominem rationi per omnia consentientem, & [10] sic fit quod hic scriptum est. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Quod vt fiat, oportet vt cœlum id est spiritus, ex Dei timore turbetur, & terra, id est, corpus, de loco suo moueatur, pessimæ scilicet consuetudini suæ, desideriisque renuntians.

Eia fratres mei, sicut plures experti estis, etiam turbato Spiritu difficile à malæ consuetudinis loco receditur, difficile vsus dediscitur, difficile cutis ossibus, carnique inhærens deponitur. Sed tamen insit ei ex timore humilitas, pauor ex humilitate, & erit sicut damula fugiens, & sicut ouis. Omni animæ, fratres mei, à pessimæ consuetudinis suæ loco recedere cupienti, duo quædam necessaria sunt; vt videlicet sicut damula insequentes ita illa timens, materias fugiat peccatorum; & sicut ouis,

A simplicitatis exemplar, nec tondenti irascitur, nec resistit mactanti, ita illa se simpliciter subdat corripienti, simpliciter sustineat obiurgantem. Et ita destructa vrbe superbiæ, lapidibusque vitiorum, de quibus fuerat ædificata, dispersis, cum fuerit anima vera humilitate fundata, non erit qui eos vlterius congreget, & suscitet ruinas vrbis. Tunc vnusquisque ad populum suum reuertetur, & singuli ad terram suam fugient. Cum [11] omnes nequam omnium sint amatores, incentoresque vitiorum, alius tamen proprie, propter turpiorem circa libidinum sordes affectum, dicitur Spiritus fornicationis; alius pro eo, quod se plus in humanæ mentis elatione delectet, Spiritus superbiæ; alius, quod frequentius suggerat auaritiam, Spiritus [12] auaritiæ; alius, quod iras & contentiones plus alijs diligat Spiritus discordiæ; alius qui hæresibus, diuersisque mortalium erroribus pectora libentius tenet, Spiritus blasphemiæ nuncupatur. Hæc cum fuerint per Dei gratiam à corde pœnitentis expulsa, conuertetur vnusquisque ad populum suum; Spiritus fornicationis ad [13] immundos;
B Spiritus superbiæ ad superbos; Spiritus auaritiæ ad auaros; & sic de cæteris; & singuli ad terrã suam fugient, in illis, qui eorum fauentes suggestioni quæ terrena sunt sapiunt, [14] quacunque requiem quæritantes. Infelix anima, quæ expulso ab alio cuilibet dæmoni in se locum parat, propriumque suscipit hostem, ab eo nimirum [15] gladio iniquitatis ferienda. *Omnis* (inquit) *qui inuentus fuerit occidetur, & omnis qui superuenerit cadet in gladio.*

Quis tam prauus est, in quo aliqua non inueniatur aut vitius, aut similitudo virtutis? Sed susceptus hostis antiquus in corde, ipsam etiam [16] pietatis speciem tollit, vt
Mat.12 45. *sint nouissima hominis illius peiora prioribus*; cui & si aliqua vtilis superuenerit cogitatio, facile ab eo, qui totum occupat, extinguitur, ne ad fructum possit peruenire salutis. Ideo infantes eorum alliduntur in oculis eorum, cogitationes scilicet bonæ, sed adhuc teneræ, superueniẽte quadam cordis duritia conteruntur. [17] Diripiuntur domus eorum, quoniam quicquid boni est in conscientia, à malignis spiritibus deprædatur. Quorum etiam vxores, id est,
C affectiones, quibus ad filios bonorum operum procreandos, quasi legitimo vsi fuerant matrimonio, fœdis amoribus, & cogitationibus sordidis maculantur. Iesu bone!
Psal.34.17. Quando respicies vt restituas animam meam à malignitate ista, & ab his leonibus vnicam meam! Vtinam Domine suscites super nos Medos, bonos scilicet angelos, vt apprehendant arma [18] & scutum, vtpote fortes à forti, potentes à potente, vt omnia hæc tentamenta nobis in
1.Cor.10.13 mensura disponant, non patientes nos tentari supra quam possumus ferre, sed faciant cum tentatione prouentum, vt sustinere possimus. Hoc autem sciendum fratres, quia Medi isti eos, qui sæculari sapientia tument, contemnunt; & eos, qui in vana eloquentia gloriantur, despiciunt; argentum enim non quærunt, nec aurum volunt. Sed ipsos libenter visitant, ipsis gratanter assistunt, cõtra eos pugnantibus se libenter opponunt, qui sagittis paruulos interficiunt, qui lactentibus vteri non miserentur, nec super filios parcit oculus [19] eorum. Per paruulos quippe cogitationes illicita quæque suggerentes; per lacten-
D tes cogitationes in ipsis illicitis delectantes; per filios, cogitationes iam iamque ad illicita opera per consensum
Psal.136.9. prorumpentes intelligo. Sed *beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram*, qui sagittis timoris Dei noxias cogitationes interficit, qui sibipsi, quoties fuerit illicita delectatione præuentus, non miseretur, qui in consensum forte prolapsus, magis vult hoc in seipso punire quam parcere. Quod sane beatorum fit auxilio Angelorum, qui
Heb.1.14. *omnes sunt administratorij Spiritus*, mittunturque propter nos, qui hæreditatem capimus salutis. In his autem omnibus onus intelligite Babylonis, secundum quod in multorum cordibus Dei gratia auxiliante distruitur, vt deinceps quo sit onere premenda in reprobis, agnoscatis. Sed hoc si placet in diem crastinum [20] reseruemus, ne morali sensui, in quo sudauimus hodie, allegoricas leges misceamus; & sic cum animus extensus fuerit ad multa, obscurior inueniatur ad singula. Dominus autem Iesus nobiscum sit, vt scrutantes scripturas, in eis ipsum inueniamus, qui in manibus Prophetarum assimilatus est; E
& Apostolorum vocibus prolatus, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & [21] regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Contemnent; quorum summa. C. Cam. Contemnent, *vel certe* & quæ sequuntur vsque ad. *Quorum summa.*
2. Perfectam. Eia fratres. C. Cam. Perfectam. *Procedent igitur* & cætera inserta vsque ad *Eia fratres.*
3. Quo sine. Quod si. C. Cam. sine. *Si vt videaris* & reliqua vsque ad *Quod si.*
4. Vigilas, si bonis oper. mis. insistis. C. Cam. Vigilas, *si siles, si quiescis*, si bonis oper. *insistis misericordia.*
5. Indignationis atque furoris. C. Cam. Indignationis, *plenus iræ* atque furoris.
6. Hominem de paradiso expulit. C. Cam. Hominem *expulit de paradiso.*
7. Itaque quicunque. C. Cam. Itaque *fratres*, quicunque.
8. Virga correptionis. C. Cam. Virga. *correctionis.* F
9. Spiritus est superbiæ. C. Cam. Spiritus *Superbia est.*
10. Sic fit. C. Cam. Sic. *fit.*
11. Omnes nequam. C. Cam. Omnes *spiritus* nequam.
12. Auaritiæ. Hæc cum fu. per Dei gra. à cor. pæ. expulsa. C. Cam. Auaritiæ; *alius, quod iras* & reliqua vsque ad. *Hi* cum fue per Dei gra. à cor. pæ. *expulsi.*
13. Immundos. & sic. C. Cam. Immundos, *spiritus superbia*, & cætera vsque ad *& sic.*
14. Gladio iniquitatis facienda. Quis tam. C. Cam. *Iniquitatis gladio* ferienda. *Omnis inquit*, & quod insertum vsque ad. *Quis tam.*
15. Qualemcumque requiem. C. Cam. Qualemcunque *sibi* requiem.
16. Pietatis speciem tollit. C. Cam. Pietatis *spem* tollit.
17. Diripiuntur domus. C. Cam. *Diripiunturque* domus.
18. Et scutum, vtpote. C. Cam. Et scutum *& exurgant* & quod sequitur vsque ad *vtpote.*
19. Eorum, sed hoc in diem. C. Cam. Eorum. *Per paruulos* cum eo quod insertum, vsque ad. Sed hoc *si placet* in diem.
20. Reseruetur. Dominus. C. Cam. Reseruetur, *ne morali* & quod sequitur vsque ad *Dominus.*
21. Regnat Deus. C. Cam Regnat *vnus* Deus.

Sermo tertius Decimus, G

Diximus, cum in principio de oneribus tractaremus, duobus modis onus Babylonis [1] vel Philisthiim posse intelligi, id est & secundum quod premuntur, & secundum quod premunt. Descripto igitur onere Babylonis, secundum quod tempore Antichristi, ciuitas Diaboli ciuitatem Dei, id est Ecclesiam premet; ad ipsius oppressionem conuertit Propheta sermonem. *Et erit* (inquiens) Isai.13.19.
Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Babylone mundum significari sæpe iam diximus, sed hoc loco ipsum signat mundum, quem semper constat esse immundum; mundum scilicet, qui in maligno positus est; mun- 1.Ioan.5.19.
dum, pro quo non orat qui vincit mundum; mundum, de quo eliguntur qui vincunt mundum. *Non pro mundo* (inquit) *rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo.* O munde im- Ioan.17.9.
munde, quid superbis? Nunc quidem gloriosus es in regnis, nunc inclytus es in superbia dæmoniorum, vel principum pessimorum. Chaldæi quippe quasi Dæmones in- H
terpretantur. Eia fratres, quam gloriosa sibi videbitur Babylon, ciuitas illa confusionis, ciuitas reproborum, quando ei, tempore Antichristi, in omnibus regnis terræ [2] sæuiendi potestas tribuetur? quamque inclyta in superbia, & sublimitate Principum terrenorum fauentium sibi, qui, quasi Dæmones non tam corporum stragem, quam animarum quærent perniciem? Sed quid gloriaris ô Babylon? Audi quæso Prophetam. *Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.*

De regione illa Sodomorum & Gomorrhæ dictum est, Gen.13.10.
quia erat quasi paradisus Domini antequam [3] subuerterentur à Domino; quæ ita subuersæ sunt, vt nullum sit in eis pristinæ venustatis vestigium, sed adhuc tetra quædam mortis effigies sulphure, ac bitumine, intolerabili fœtore infernalium pœnarum imaginem præferat; & poma fumo plena, lacusque [4] nihil viuum in se recipiens, sodomitani

A sceleris detestando horrori testimonium præbeant. Ibi omnia contra naturam, vbi primum lex naturę legitur corruisse. Merito fœdum illud contra naturam, detestabileq; peccatum fœda, & horrenda reliquit vestigia, vt aduertant homines quibus supplicijs subdantur in inferis, quos fumus excæcat, quos fœtor corrumpit, quos immunditiæ viscus, instar bituminis, æternis vinculis ligat, quos flamma vorax depascit nec consumit. Hic est finis delitiarum tuarum ô Babylon, quæ miseris mortalibus ibi veneni tui dulcedinem spargis, vnde oculus auertitur præ horrore, animus præ pudore, sermo præ turpitudine. Omnis creatura naturalem ordinem suæ conseruat naturæ, diuersorum sexuum coniunctione, suo singulis generi posteritatem procreantibus; solus homo in contemptum Dei, in contumeliam sui, in omnium rerum iniuriam, tantæ peruersitati propriam exponit naturam; vt totum quod Deus instituit, quod ratio probauit, quod confirmauit vsus, peruertere non formidet. Væ tibi ciuitas confusionis, quæ tot hodie huius flagitij tabe corrumpis, vt merito tibi Sodomitana,
B & Gomorrhæa subuersio à iusto retributore paretur; vt eis similis videaris in pœna, quibus te similem exhibuisti in culpa. Et tu ergo sicut Sodoma & Gomorrha subuerteris, vt gloriæ tuæ, diuitiarum tuarum, potentiæ tuæ, immundarumq; voluptatum tuarum, nulla tibi saltem sit nisi ad pœnam recordatio; sed sit tibi pro suaui odore fœtor, vermes pro cultu, pro libidine incendium, pro breui voluptate æternum supplicium.

Isa. 13.20. *Non habitabitur* (inquit) *vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem & generationem.* Sileant hæretici, qui Babylonem à Domino apud inferos visitandam, post multa licet tempora, mentiuntur, cum æternus sit ei prophetatus interitus, quæ nec vlterius habitari, nec deinceps posse fundari Prophetica auctoritate conuincitur. *Nec ponet tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*; nunc certe tempus miserendi, cui tempus iudicandi succedet: nunc tempus conuertendi ad Dominum, cui tempus succedet remunerandi. Ponit in Babylone tentoria sua Arabs, qui interpretatur occidentalis, vel
C vespertinus, Christum vtique significans, qui quos mane
Matt. 20. Ioan. 2.10. conducit [5] ad vesperam remunerat. Non enim primum, id est, mane bonum vinum ponit, & ad vesperam, cum fuerint inebriati, tunc id quod deterius est, sed semper mane quod durum est prærogans, quod dulce ac iucundum reseruat in vesperam. Ioan. 16.33. & 20. *In hoc* (inquit) *mundo pressuram habebitis, & Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Hoc mane, id est primum. Eccl. 10.16. Quid postea? *Tristitia vestra* [6] *vertetur in gaudium.* Quando? Vtique ad vesperam. Ideo [7] *Væ tibi terra cuius Principes mane comedunt*, quoniam ob delitias temporales, quibus nunc abutuntur, eas, quæ ad vesperam retribuentur, in fine videlicet temporalis huius diei, amittunt. Dicitur & occidentalis, non tam ad ortum hominis, quam ad occasum respiciens, non initium operis, sed finem semper attendens. Habet hic tentoria sua Arabs, Sanctos videlicet qui peregrinantur in hoc mundo, & instar tentorij huc atque illuc à Dei Spiritu transferuntur, non habentes
Hebr. 13.14. in hac Babylone, vbi ponuntur nunc vt tentoria, manentem ciuitatem, sed futuram, quæ in cœlo est, inquirentes.
D Ponuntur autem vt Babylonem expugnent, clamentque cum Propheta, Ierem. 51.6. *Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisq; animas vestras* Ibi etiam modo requiescunt pastores, in fide & bonis operibus conuersorum gloriantes.

Igitvr nunc tempus est fugiendi de medio Babylonis, nunc tempus ad cœlestia tentoria transmigrandi, nunc etiam [8] tempus pastorum se doctrinæ ac legibus submittendi: Subuersa autem vrbe furoris subuersione finali, sanctisque ad cœlestia regna translatis, non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi; quia frustra apponitur medicamentum, vbi nullum potest sperari
Isai. 13.21. remedium. *Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus. Et cætera.* Hæc si ad vltimam Babylonis euersionem, qua detrudetur in stagnum sulphuris cum
Apo. 19.20. pseudoprophetis, sicut scribitur in Apocalypsi, referre voluerimus, vis litteræ videtur inferenda, vt ostendi possit quo modo in babylone iam damnata bestiæ siue vitia, siue maligni Spiritus intelligantur, valeant requiescere; nisi forte ideo dæmones in damnatis dicantur requiescere, quia cum à bonis malisve tentandis cessauerint, [9] in eorum cessabunt supplicijs, quos ad suæ

E nunc voluntatis consensum illexerint. Si autem domus [10] vniuscuiusque conscientia propria est, tunc replebuntur domus illorum draconibus, quando vitia, quæ nunc iucunda videntur & dulcia, in hominis conscientia draconis speciem præferent, cuius & faciem horreat, & flammam non ferat. Dicuntur enim hæ bestiæ terribilis esse vultus, naturæ tam igneæ, vt flammas ex se emittere videantur. Ita profecto vitia & peccata, quæ nunc delectant, damnatis apparebunt horrenda, & materiam æterni incendij amministrantia.

Sed & singula quæque crimina, quibus hic homines delectabiliter implicantur, speciali recordatione miserorum conscientiam contorquebunt. Vnde & habitare ibi struthiones, & saltare ibi pilosi, & respondere sibi [11] vlulæ, sed & sirenens in delubris voluptatis perhibentur. Per struthiones igitur simulatio hypocritarum, per
F pilosos incentiua libidinum, per vlulas susurratio detrahentium vel murmurantium, per sirenes fallacias intellige adulantium. Struthio quippe pennas habet, quibus tamen à terra non eleuatur, quia hinc pondus corporis, hinc raritas pennarum similitudinem quidem volandi præstant, sed vsum negant. Exprimit ergo natura ouis vitium simulatoris, qui in facie quidem præfert signa virtutum, cum in occultis prematur pondere vitiorum; qui magna loquens, & parua operans, cœlestia sonans, sed terrena cogitans, scientia splendens, intentione squalens, in altum alas erigit quasi iam volaturus ad sidera, sed mens suis cupiditatib. vincta, totum corpus deprimit in ima. Sed pilosus [12] qui incubo dicitur, animal peruleum, & hispidum, & semper ad coitum æstuans, libidinum significat incentiua; quibus Esau pilis obsitus vitiorum, post illecebras gulæ, quibus primogenita sua vendidit incitatus, alienigenarum se illicita coniunctione fœdauit, & simul patris & matris offendens oculos, benedictionem primo- G
genitis debitam amisit. Videat charitas vestra; primo venationi deditus exteriora interioribus, vana serijs, inquietudinem quieti prætulit; deinde gulam non frenans primogenita perdidit; postmodum in vtriusque parentis offensam pudicitiam perdidit; postremo à paterna benedictione excludi promeruit. Gen. 25.27. & 34. Gen. 26.34. Gen. 27.37.

Hæc cum plurimis hodieque actitari vtinam nesciremus, qui spiritualem dulcedinem, quæ ab intus tantum sentitur, fastidientes, & exteriores consolationes, vagasque discursiones curiose sectantes, primum se ventris subijciunt seruituti, ob eius delitias primogenitorum suorum gloria, abrenunciationis scilicet se meritis defraudantes, & sic libidinis adusti incendio, ad benedictionem patris, quæ in fructu virtutum expectatur, non attingunt. Vlulæ coruinæ dicuntur magnitudinis, protenso collo, respersæ maculis, quæ, rostro in palude defixo, diræ vocis vel stridoris sonum emittunt. Rogo quid [13] detractoribus maculosius? Habent quippe detractores hoc proprium, vt semper vituperationibus, quibus alios infamare nituntur, paruas aliquas laudes admisceant: & ita omnem derogationis suæ sermonem maculosum, contrarijs sententijs [14] reddant. Quid murmuratores? Nonne
H semper murmurationes suas quibusdam excusant rationibus, nunc se zelo bono id agere proclamantes, nunc non pro suis, sed pro alienis negotijs obloqui mentientes, nunc iustam necessitatem quasi aliis compatiendo prætendentes, & sic quia non ex toto candidum delicti huius neuum, saltem faciant maculosum. Isti ergo in terra figentes rostrum, obliti cœlestia terrena loquuntur, stridentes in angulis, susurrantes in tenebris, audientibus horrorem ingerentes. Porro adulatores sirenis congrue comparantur, qui blando quidem, sed mortifero sono audientis aurum demulcent, & nisi prudentius aure obturata transierit, in scopulos superbiæ, vel in præsumptionis charybdim inducent. Laudatur [15] enim peccator à talibus in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Infelix qui se talibus credit, relictoque propriæ conscientiæ testimonio, alieno se iudicio deludendum [16] exponit.

A ponit. Nemo scit hominum quid agatur in homine nisi spiritus hominis qui in ipso est. Popule meus qui beatum te dicunt ipsi te decipiunt. Miseri quibus Dominus per Prophetam exprobrat dicens (Ierem.5.31.), *Prophetæ prophetabant mendacium & Sacerdotes applaudebant manu & populus meus* [17] *dilexit talia.*

Hic est populus cuius vox alias ita describitur (Isai.30.10.), *Videte nobis vana, & loquimini nobis placentia.* Quanto rectius Sanctus David, *Corripiet me* (inquit) *iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* (Psal.140.5. Matt.25.8. Iob.20.5.) Hoc est oleum quod in fatuarum virginum lampadibus deficit, quoniam laus hypocritæ breuis. Si igitur ad vltimam Babylonis euersionem, qua æternis ignibus deputabitur, hæc omnia referamus, violenta forte & extorta nimis videbitur expositio. Quomodo quæso in Babylone, iam vltricibus flammis exposita, aut struthiones habitabunt, aut pilosi saltabunt, aut vlulæ in ædibus eius respondebunt, vel sirenæ in delubris voluptatis? An quia ad confusionem illorum, qui se his vitiis polluerunt, ipsa vitia eorum quodammodo oculis, ac memoriæ ingerentur, vt

B sicut in corpore pœna, ita peccatum, pro quo puniuntur, versetur in conscientia. Erit ergo in illa ciuitate damnata sicut pœna æterna, ita & peccatorum, quæ fecerunt, æterna memoria. Habitabunt itaque ibi struthiones, id est, simulatio hypocrytas torquens; saltabunt pilosi, quia turpes & turbidi libidinum motus, quibus nũc homines agitantur, à conscientia non recedent. Respondebunt & vlulæ. Cui? forte ipsi animo in pœnis laboranti, vel cõquerẽti, vt ad detractionum ac murmurationum recordationem, quam in latebris cordis sui, quasi in ædibus suis fecit, iustam sibi irrogari pœnam fateri compellatur. Iam vero sirenarum cantus, qui dulcis videbatur in abdito pectoris, quasi in delubris voluptatis, cum audiretur ab adulante; tunc amarissimus apparebit in repræsentatione. Delubra sunt templa dæmoniorum, in quibus præferebant quandam speciem pietatis, occulte exercentes negotia voluptatis, quibus conuenienter coaptantur ea pectora, quæ adulationibus impiorum, quasi

C virtutibus adornantur, cum in occultis suis vetis semper vitijs maculentur. Quid vobis videtur? non est adeo, vt putabamus, inepta expositio hæc. Non omittamus tamen si qua alia occurrerit.

Poteſtue credibile videri dæmones, æterno iam igne damnatos, aliquod ex eorum, quos sibi illexerant, misera societate habere posse solatium, vt per has bestias spiritus prædictorum vitiorum incentores intelligamus? quos in ipsa perdita ciuitate libentius cum hominibus habitaturos, quasi struthiones, vel saltaturos vt pilosos, vel responsuros ardentibus vt vlulas, vel syrenes dicamus. Saltus autem iste non plaudentium debet æstimari, sed impetu quodam de pœna in pœnam transeuntium, secundum illud (Iob.24.19.), *de aquis niuium transient ad calorem nimium.* Nam liquor, qui vehementer ignescit, salire videtur, & in aliqua lingua salire dicitur aqua, cum bullit. Quod si ordinem sequentes ad Antichristi tempora omnia transferamus, cogitemus illa vltima persecutione separatam à bonis reprobatam illam ciuitatem, quæ vtique gloriosa

D videbatur & inclyta in regnis mundi, glorians & exultans in superbia Principum sæculi huius, sicut Sodomam & Gomorram euertendam, vt æternis vitiorum flammis ac fœtoribus tradita, nullum virtutum habeat retinere vestigium, Nec instante tunc extremo iudicio, à bonis vlterius habitabitur, nec à Sanctis prædicatoribus in ea fundamentum illud, quod Christus est, vlterius collocabitur, nec ponet ibi tentoria Arabs, Christus scilicet tabernacula sua, id est, perfectos sæculo abrenunciantes, nec inuenient ibi requiem Sancti Angeli, vel viri perfecti animarum nostrarum pastores, quorum requies est optima vita bonorum, pax & concordia subditorum. Sed requiescent ibi bestiæ vel dracones, habitabuntque struthiones, saltabunt etiam pilosi, & respondebunt vlulæ, & sirenæ. Per has bestias vel ipsa vitia sicut superius diximus, vel ipsos dæmones intellige, qui aduersus perfidos tunc maxime præualebunt, liberam in eis habitationem sibi vẽdicantes, & liberos ad flagitia saltus dantes, & sibi inuicem respondentes. In perdita enim

E illa societate nequam conuenient Angeli, nequitiarum diuersarum incentores, & alij in aliis habitabunt, alij ad alios saltu pernici transmigrabunt, alij alijs supra modum fauentes, ad singula quæ desiderauerint, ad explenda quæ voluerint respondebunt; quamuis hæc omnia in vno quolibet homine actitari manifestum sit. Cum enim anima qualibet passionibus vitijsq; confusa, ab omni fuerit virtute euersa, vt digna sit quæ Sodomæ & Gomorræ comparetur, intrabunt in eam pessimi quique Spiritus, vt eam omnium faciant receptaculum vitiorum. Verum ne quis murmuret tamdiu florerere nequitiam, & tempus donec omnia compleantur longum esse causetur, prosequitur Propheta & dicit.

SEQVITVR. *Prope est vt veniat tempus eius & dies eius non elongabuntur.* Omne quod nobis videtur longum, Deo breuissimum est, quoniam *Mille anni ante oculos eius tanquam dies hesterna quæ præterijt.* (Isai.14.1. Psal.89.4.) Et certe breue est omne quod transit, breue totum quod aliquando finis concludit. Vult proinde Spiritus Sanctus, vt in æternita- F tem oculos figamus, nec tempus [18] fugax vllius longitudinis æstimemus. *Prope est*, (inquit) *vt veniat tempus eius.* Cuius eius? Illius certe de quo præmiserat. *Ecce dies Domini venit crudelis, & cætera.* (Isai.13.9.) Dies igitur Domini tempus Domini est, in quo boni probantur, ficti prodentur, perfecti coronabuntur, reprobi punientur. Quando istud erit? Quæ dilationis huius causa? differtur sane, donec plenitudo Gentium introeat, & sic omnis Israel saluus fiat. (Rom.11.25.) Iaque antequam [19] ista cœperint actitari, miserebitur Dominus, & eliget adhuc de Israel. Eia fratres, stat adhuc sententia illa grauis super Iacob, quam idem iste Propheta, in priori huius parte, ab ipso Domino dicit esse prolatam. *Excæca* (inquit) *cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos claude, ne forte videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos.* (Isai.6.10.) [20] Veniet dies, cum auferetur ab eis velamen, vt & ipsi reuelata facie gloriam Domini mei IESV Christi speculentur (2.Cor.3.18.); cum nuntiatum fuerit Iacob. *Ioseph filius tuus viuit,* [21] *& dominatur in tota terra AEgypti.* (Gen.45.26. & 28.) Tunc quasi de G graui somno infidelitatis euigilans. *Vadam* (inquit) *& videbo eum antequam moriar.* Miserebitur enim Dominus Iacob, cui nunc in fide Gentium aduersarij videtur, vocans non plebem suam plebem suam, & non dilectam dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam [22] consecutam, miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel. (Rom.9.25.)

ADHVC inquit [23] eliget de Israel. Elegit primum Apostolos & Discipulos & multitudinem credentium de Israel, vt primitiua Ecclesia fundaretur; eliget & in fine sæculi plures, quibus [24] vltima sæculi tempora adornentur. Nomine autem electionis intelligimus nunc omnes Iudæos, quos tempus illud inuenerit esse [25] saluandos: quibusdam Antichristum recipientibus, sicut Dominus ait in Euangelio. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis.* (Ioan.5.43.) Si quæritis vobis destingui inter Iacob & Israel, & inter miserationem & electionem; infirmiores intellige per Iacob, quorum miseretur ne pereant; perfectiores in Israel, de quibus eligit ad alios docendos & regendos.

H Sequitur. *Et requiescere eos faciet super humum suam.* Quæ est ista humus? An terra illa promissionis, quæ eorum quondam fuit, à qua euulsi sunt & dispersi per orbem [26] terrarum? Potest autem fieri, vt in vltimis temporibus Christiani effecti in terra illa requiescant, aliquibus ibi corpore habitantibus, cæteris eos, qui habitauerint, vtpote Christianis Christianos diligentibus. Sed multo melius de Ecclesia intelligitur, ad quam fide & moribus accedentes Iudæi tunc demum humum suam eam æstimabunt gaudentes in bonis eius, & requiescentes in vbertate fructus illius. Sed & nos charissimi, cum destructa fuerit in nobis Babylon, cum fuerimus Iacob, Babylon inquam, id est, amor mundi, vbi profecto sunt bestiæ spirituales de quibus Propheta. *Ne tradas* (inquit) *bestijs animas confitentes tibi.* (Psal.73.19.) Vbi dracones, immundi scilicet spiritus locum habent, vbi simulatio re-

A gnat, libido inquietat, detractio laniat, dissoluit adulatio cum, inquam hæc omnia mundialis amoris fuerint deleta, miserebitur nostri Dominus. Iacob quippe luctator interpretatur. Quæ est ista lucta? *Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem.* (Galat. 5. 17.) Quæ lucta? *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi rectores.* (Ephes. 6. 12.) Quę lucta *Regnum cœlorum vim patitur, &* [17] *violenti rapiūt illud.* (Matth. 11. 12.) Quæ lucta? *Ne miremini si odit vos mundus, quoniam me prius odio habuit.* (Ioan. 15. 18.) Habemus igitur luctam cum carne, luctam cum dæmone, luctam cum mundo, cum Deo. Prima incipientium, secunda proficientium, tertia eorum qui probantur, quarta eorum qui perficiuntur. [28] Prima laboriosa, secunda perniciosa, tertia tædiosa, quarta fructuosa.

Rogo quid tam laboriosum, quam in seipso, & contra seipsum habere conflictum? Intus est ignis, quem nos & fouere oportet, & cauere. Nam si non fouetur, natura obruitur; si non cauetur, castitas periclitatur. Hinc timor B hinc luctus, hinc lachrymæ ignorantibus metas necessitatis, expauescentibus negotium voluptatis, non audentibus negare debitum naturæ, volentibus gulæ frenum sobrietatis imponere. Cum putant consulere necessitati, fomentum præstant voluptati, & cum subtrahunt quod putant necessarium, in aliis, quæ æque diligunt, bonis sustinent detrimentum. At contra spiritales nequitias periculosa nimis lucta est, quibus [29] mille nocendi sunt artes, vtpote tot annorum millibus in tali negotio exercitatis. Inter [30] omnes Dæmonum insidias illa tamen periculosior est, qua se transformant in angelos lucis, similitudine virtutum vitia palliantes, & in calice aureo venenum miseris propinantes. Tunc nō est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, quando carne iam superata, dæmonum nos calliditas iniqua deludit, suadentes vitia per virtutes vel propter virtutes superbiam. Porro duobus brachiis mundus ista contra nos luctatur [31] prosperitate & aduersitate. In parte prosperitatis est rerum temporalium abundantia, in abundantia pax, in pace securitas; similiter & laudes hominum, amicitia diuitum, beneuo- C lentia & fides sociorum, fauor & gratia subditorum. Nihilominus & sanitatem corporis, & bonam valetudinem membrorum quidam prosperis ęstimant adiungenda. Eia fratres quantum hoc brachio suo mundus nos premat, quam aduersum [32] nos luctetur, quam sæpe miseros incautosque deiiciat, quis facile dixerit.

Quam [33] rarus, qui non in prosperis vel modice relaxet animum à solita grauitate, qui non in abundantia sit parum remissior, & in humana laude modicum hilarior, in principum beneuolentia aliquantulum elatior, in amicorum [34] gratia dissolutior, in fauore subditorum insolentior, in corporis virtute austerior? Quicunque igitur Iacob spiritalis esse voluerit, contra hæc in prosperis continua lucta se nouerit exercendum. At brachium aliud mundi, quod aduersitatem diximus, molestum magis est, sed minus periculosum; ad quod spectat rerum penuria, detractiones, opprobria, persecutiones diuitum, odia principum, amicorum proditio, subditorum rebellio, corporis ægritudo. Qualis est nobis, fratres, contra hæc D omnia colluctatio? Quis est qui in aduersis forte non pusillanimior inueniatur, qui ad opprobria nōn moueatur, vel contristetur ad detractiones, qui non in persecutionibus [35] iracundior, contra amicum proditorem impatientior? Felix animus qui in omnibus inuenitur superior, sicut in prosperis temperans, ita & constans in aduersis. Felix nihilominus ille, qui etsi vincere ista [36] non valet, optime tamen luctando satagit ne vincatur. Miserebitur enim Dominus Iacob, id est luctatori, vt si plenam non obtinuerit in hac vita victoriam, finito certamine coronam mereatur [37] habere in cœlis perpetuam. Sane qui in his luctis victor extiterit, incipiat luctari cum Deo, (Gen. 28. 5.) transiens de [38] Mesopotamia Syriæ in montem Bethel de inferioribus ad superiora, de humanis ad diuina de corporalibus ad spiritualia. Porrige ergo in altum brachia duo, ô anima, orationem & meditationem, infer ea in ipsa secreta cœli, vbi Christus in dextra Dei sedens; insta opportune, importune, vt contempleris faciem eius

E vt descendat ad te vel te trahat ad se, vt gustes quam dulcis est & quam mitis & misericors experiaris.

Itaque si in oratione tua, vel meditatione exarserit cœlestium desideriorum ignis, si amorū incentiua flammescant, si æstuans & anhelans cœlestibus quibusdam mouearis affectibus, & modo quasi comprehensum, quem diligis sentias esse præsentem; lucta spiritalis est, nomen tibi Israelis imponens, vt non solum miseratione, sed etiam electione dignus habearis. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, quia qui pugnans in gemitu suo laborat contra vitia, & lauat lachrymis lectum suum, dignus est cui misericordia impendatur; qui autem vitiis superatis, in virtutum perfectione gloriatur quasi granum purgatum, & electum ad horrea superna transferetur. *Et requiescere faciet eos super humum suam.* (Isai. 14. 1.) Beatitudo magna pro ea, [39] pauci vero super eam. Sub ea sunt, quibus carnis concupiscentia dominatur. In ea sunt, qui semper ea, quæ sunt, agunt & meditantur. Supra eam sunt, à quibus, ne ipsa insolescat, laboribus, & F vigiliis, atque ieiuniis castigatur. Primus carnalis est, secundus animalis, tertius spiritualis. Et à carnis dominatu nos prohibet Paulus, cum dicit. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* (Rom. 7. 12.) Quid est obedire concupiscentiis carnis, nisi esse sub carne? Vult etiam nos non in carne esse, qui ait, *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* (Rom. 13. 14.) Audi & hominem supra carnem, eius desideria viriliter prementem. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo;* (1. Cor. 9. 27.) Verumtamen quamdiu est contra quod pugnet, labor est non requies. Si vero extinctis vitiis superatisque passionibus ita supra carnem fit in ea quod premat; profecto super humum suam requiescet. Hæc est beatitudo mitibus repromissa, dicente Domino, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* (Matth. 5. 4.) Sed quia iamdiu laborantes loquendo, ad eum locum scripturæ venimus, vbi requies commendatur, iustum est vt in portu silentij modicum quiescentes, animum simul & vocem reparemus, & sic magis idonei inueniamur ad G perscrutanda sacramenta Dei, & Domini nostri IESV Christi qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vel Philistijm posse. C. cam. Vel Philistiim, *vel cæterorum posse.*
2. Sæuiendi potestas. c. cam. Sæuiendi *in Sanctos* potestas.
3. Subuerteretur a c.cam. *Subuerterentur* a.
4. Nihil viuum in se recipiens. C. Cam. Nihil *in se viuum* recipiens.
5. Ad vesperam remunerat. c. cam. *Remunerat ad vesperam.*
6. Verteretur in gaudium. c. cam. *Conuerteretur* in gaud.
7. Væ tibi terra c.cam. *Væ terra.*
8. Pastorum tempus. c. cam. *Tempus pastorum.*
9. Eorum cessabunt supplicius. c. cam. Eorum *exultabunt* suppl.
10. Vniuscuiusque conscientia propria est, C. Cam. Vniuscuiusque *vt supra diximus, propria est conscientia.*
11. Vlulæ, sed sirenes. C. Cam. *Vlula & sirena.*
12. Qui incubo dicitur animal petulcum, &. C. Cam. Qui *&* incubo dicitur animal petulcum, hispidum, &.
13. Detractoribus maculosius? C. Cam. Detractoribus *& murmuratoribus* maculosius.
14. Reddant. Porro. C. Cam. Reddant. *Quid murmuratores,* & cetera. vsque ad *Porro.*
15. Enim peccator à talibus in desideriis animæ suæ, & qui iniqua agit benedicitur. C. Cam. enim *a talibus peccator* in desi.an. suæ & *qui iniqua agit* benedicitur.
16. Exponit. Miseri. C. Cam. Exponit. *Nemo scit* & reliqua vsque ad *Miseri.*
17. Dilexit talia. Sequitur prope est. C. Cam. Dilexit talia. *Hic est populus cuius vox,* & alia quæ adiecimus vsque ad. *Prosequitur Propheta & dicit, Prope est.*
18. Fugax vllius longitudinis. C. Cam. Fugax *nullius* longit.
19. Ista cœperint. C. Cam. Ista *plene* cæperint.
20. Veniet dies. C. Cam. veniet, *veniet* dies.
21. Et dominabitur. C. Cam. Et *ipse* dominabitur.
22 Consecutam Adhuc inquit. C. Cam. Consecutam, *Miserebitur enim,* & quod sequitur vsque ad. *Adhuc inquit.*
23. Eliget de Israel. Elegit. C. Cam. *Eliget. Elegit primum.*
24. Vltima sæculi tempora. C. Cam. Vltima *Ecclesia* tempora.
25. Saluandos Si quæritis C. Cam. Saluandos, *quibusdam Antichristum* & cętera vsque ad. *Si quæritis.*

H

A

26. Terrarum. Sed & nos chariſſimi cum deſtructa fuerit in nobis Babylon, cum fuerimus Iacob, Babylon inquam id eſt amor &c. C. Cam. Terrarum. *Poteſt autem fieri*, & quæ inſeruimus vſque ad. Sed & nos *fratres chariſſimi ſi fuerimus Iacob, cum deſtructa fuerit in nobis Babylon* id eſt amor.
27. Violenti capiunt illud. C. Cam. Violenti *diripiunt* illud.
28. Prima laborioſa, ſecunda. C. Cam. *Et prima quidem lucta* laborioſa *eſt*, ſecunda.
29. Mille nocendi ſunt artes. C. Cam. Mille *ad nocendum* ſunt artes.
30. Omnes Dæmonum inſidias, illa tamen periculoſior. C. Cam. Omnes *tamen* Dæmonum inſidias *vel verſutias*, illa periculoſior eſt.
31. Proſperitate & aduerſitate. c. cam. Proſperitate *ſcilicet* & aduer.
32. Nos luctetur. c. cam. Nos *violenter* luctetur.
33. Rarus qui non. c. cam. Rarus *eſt* qui non.
34. Gratia diſſolutior, in fau. ſub. inſol. in corp. vir. auſterior. C. Cam. Gratia *parum* diſſolutior, in fau. ſub. *paululum* inſol. in cor. viri *modicum* auſterior.
35. Iracundior, contra amicum proditorem impatientior? Felix c. cam. Iracundior, *in odiis Principem deiectior* con. amic. prod. impa & *in rebellione ſubditorum non probetur crudelior*? Felix.

B

36. Non valet optime. c. cam. Non *poteſt* optime.
37. Habere in cælis perpetuam. c. cam *In cælis habere perpetuam*.
38. Meſopotamia Syriæ in montem. C. Cam. *Meſopotamia in montem*.
39. Pauci vero ſuper eam.. c. cam. *Pauci ſuper eam*.

Sermo Quartus Decimus.

Isai. 14. 1. SAnctus Iſaias conuerſionem Iudæorum, quam in nouiſſimis diebus futuram credimus, ſancto ſpiritu illuminatus deſcribens, *Miſerebitur* (inquit) *Dominus Iacob & eliget de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam*. Et addidit. *Adiungetur aduena ad eos & adhærebit domui Iacob*. Per aduenam populum intellige nationum, qui vocatione Iudæorum oracula Prophetarum videntes impleri, ad eandem fidem ſuſcipiendam eis coniungi feſtinabant. Vel certe ipſa plebs fidelis, quam ipſi eatenus vt aduenam exhorruerant, eis dilectione iungetur, quando illæ duæ virgæ, quæ fuerant in manu Ezechielis Prophetæ diuiſæ, erunt in vnionem; & ſecundum alium Prophetham, *Iuda & Iſrael facient ſibi caput vnum, & aſcendent de terra*. Ita populus Gentium adhærebit populo Iudæorum, id eſt, domui Iacob, vt ſit illi vnus Deus, vna fides vnum baptiſma. *Et tenebunt eos populi*, Iudæos ſcilicet Christiani tenebunt charitate, tenebunt ſollicitudine, tenebunt affectione. *Et adducent eos in locum ſuum*, id eſt Eccleſiam; locus quippe Chriſtianorum Eccleſia eſt, quam ille præfigurabat locus, de quo dixit Dominus ad Moyſen *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. de qua terra Propheta ſubiunxit, *Et poſſidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos & ancillas*, Receptis quippe in Eccleſia Iudæis, quæ vtique terra Domini eſt, tanta erit [1] populis exultatio, tam mira circa eos deuotio, vt quos nunc habent perſecutores & Dominos, tunc in charitate ſeruos habeant & ancillas, ſecundum illud Apoſtoli *Per charitatem ſeruite inuicem. Et erunt capientes eos qui ſe ceperant*. Vt mihi videtur, mutua illa deſcribitur Prophetico ſermone dilectio, qua ſe alterutrum capient Iudæi, & Gentes, & quibuſdam quaſi brachiis amoris ſe inuicem complectentur, de qua captione Paulus ait. *Capite nos* vel *Erunt capientes eos qui ſe ceperant*. Cum ſicut fideles ex Gentibus, ſanctæ prædicationis reti plebem Iſraeliticam ad ſinum trahunt Eccleſiæ; ita & ipſi conuerſi ad Dominum, plures ex gentibus, verbo ſimul & exemplo Chriſtianis legibus ſubiugabunt. Vnde ſequitur.

Ezech. 37. 17.
Oſea. 1. 11.
C
Isai. 14. 2.
Exod. 3. 5.
Galat. 5. 13.
2. Cor. 7. 1.
D

Et ſubiicient exactores [1] *ſuos*. Poteſt per exactores populus Chriſtianus intelligi, quibus nunc miſera illa plebs & tributa pendit, & degeneri ſe ſemper virtute proſternit. At in fine ſæculi fidelibus ſociati; habebunt in charitate ſubditos quos prius habuerant multimoda exactione moleſtos. Exactores Iudæorum ſunt immundi ſpiritus, quos diuerſis erroribus implicatos ad maledicta, & multorum generum vitia compellunt; quos nimirum ſigno Crucis muniti in fine ſæculi ſubiicient; [3] & cum illis data fuerit virtus calcãdi ſerpẽtes & ſcorpiones, & oẽm poteſtatẽ inimici. *Et erit in illa die: cũ requiẽ tibi dederit Deus à labore tuo, & à cõfuſione tua, & à ſeruitute tua dura, qua ante ſeruiſti: ſumes parabolam iſtam contra Regẽ Babylonis, & dices. Quomodo ceſſauit exactor. & cætera*. Deſcriptus eſt à Propheta ſtatus Eccleſiæ vſque ad tempora Antichriſti; deſcripta etiam ipſa perſecutio Antichriſti, deſcripta Babylonis ſpiritalis euerſio, deſcripta Iudæorum conuerſio. Nunc ad ipſius Antichriſti, vel certe diaboli in Antichriſto, vel cum Antichriſto ſubuerſionem, Sanctorumque requiem & exultationem, myſticum vertit eloquium: & qui de iis, quaſi de tertia [4] perſona, dura prædixerat, annuntiaturus proſpera ipſos alloquitur, dicẽs. *Et erit cũ requiem tibi dederit Deus*. Hæc ad Eccleſiam, quæ tunc temporis de Iudæis conſtabit & gentibus, & ad vniuerſam Sanctorum multitudinem, quæ ad requiem perueniet ſempiternam, poſſunt non inconuenienter aptari. *Et erit* (inquit) *cum dederit Deus tibi requiem*. Nam per hanc requiem poteſt pax illa intelligi; quam forte, deſtructo Antichriſto, vſque ad diem iudicij habebit Eccleſia: vel illa certe, qua nouiſſime inimica morte deſtructa, non erit qui impugnet, vel terreat. Notantur hic tria genera miſeriarum, quibus ſubiicietur genus humanum, ab eis, ante tempus illud, non facile eruendum. Labor, Confuſio, Seruitus. Labor ad corpus proprie pertinet, ad mentem confuſio, ſeruitus ad vtrumque. Tempore quippe Antichriſti laborabit Eccleſia in aliis ſubiecta tormentis; confundetur in aliis, expoſita contumeliis; premetur ſeruitute afflicta tributis.

Isai. 14. 3. & 4.
E
F

Sed cum ab his omnibus (inquit) illo filio perditionis extincto requieueris, *ſumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis* [6] *& dices*. Regem Babylonis diabolum accipe, cuius maxime poteſtas apparebit Antichriſtus quem ſingulare ſibi habitaculum antiquus hoſtis elegit, Rex Babylonis poteſt appellari; quamuis ob imperium ipſum, quo peſſimis ſibi conſentientibus dominabitur, eo nomine etiam in propria poſſit perſona cenſeri. Itaque verbis eorum, qui ab eius tyrannide liberati, ſubitam eius poſt tantam gloriam mirabuntur perditionem, Propheta iniqui deſcribit interitum dicens. *Quomodo ceſſauit exactor? quieuit tributum?* Obſtupeſcent ſane electi, quod importunus ille exactor tam ſubito perierit, & ſit deletus de terra; qui tam per ſe, quam per ſatellites [7] ſuos mundum vexabat, tributis ac tormentis depopulans omnia, & ad ſui conſenſum ſceleris trahens. *Contriuit Dominus baculum impiorum virgam* [8] *dominantium* Dicitur ipſe Antichriſtus baculus impiorum, cui nimirum impij innitentur, vt quaſi eius ſuffulti præſidio, tanto crudelius, quanto liberius nequitiam ſuam in bonos exerceant. Dicitur & virga dominantium, id eſt poteſtas, quia quicunque eo tempore dominabuntur, ex Antichriſti poteſtate dominabuntur, quibus dabitur poteſtas calcandi terram ſanctam, id eſt Eccleſiam per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Hanc itaque poteſtatem inſperato euacuatam admirantes, qui his malis ſupererunt fideles, *Quomodo* (inquient) *ceſſauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili*. Plaga iſta mors æterna eſt, qua multi, Antichriſto cædente, id eſt perſequente, ferientur, quæ quidem plaga inſanabilis eſt, quia in inferno nulla eſt redemptio; ibi nec locus pœnitentiæ, qua peccata purgentur; nec confeſſionis remedium, quo curentur; nec acceptabilis ſatisfactio, qua ſanentur. *Subiicientem* (inquit) *in furore gentes, & perſequentem* [9] *crudeliter*. Hæc omnia ſuperius, vbi eſt deſcripta perſecutio, manifeſte poſita ſunt, & à nobis, qua potuimus manifeſtatione, expoſita Sequitur. *Conquieuit & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt & exultauit*. Regnante Antichriſto vbique labor, vbique clamor, vbique dolor: quo diuina virtute proſtrato, videbuntur quieſcere omnia, ſilere omnia, exultare omnia, *quia non erit luctus, neque clamor neque vllus dolor, quia priora tranſierunt. Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te & cedri Libani*. Per abietes accipe ſublimes in ſapientia, per cedros excellentes potentia. Hæc ligna ad conſtructionem templi, vel ornatum à ſapientiſſimo Salomone aſſumpta ſacræ ſcripturæ prodit hiſtoria. Sicut autẽ templum illud figuram præferebat Eccleſiæ, ita

Isai. 14. 4.
Isai. 14. 4.
G
Isai. 14. 5.
Isai. 14. 5. & 6.
H
Isai. 14. 7.
Apoc. 21. 4.
Isai. 14. 8.
3. Reg. 5. 8.

perabie-

A per abietes & cedros, quę cęteras arbores & proceritate vincũt, & odore pręcellunt, [10] sublimes in Ecclesia, qui bonæ opinionis odore pluribus innotescunt, intellige. Qui tunc temporis tanto habebũtur sublimiores, quanto persecutionis tempore ingenti fuerint [11] fortiores; Qui profecto super antichristi interitu gloriabuntur, & in pace diu desiderata lætabuntur, quorum vox exultantium & gloriantium à Propheta subiungitur.

Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos. Somnus iste mortem significat; mortuo quippe Antichristo qui cedros abietesque succidat. Non ascendit. Ascensus superbiam, vel potentiam, vel prudentiam exprimit, vt intelligas nullum post eum tanta superbia erigi, vel exaltari potentia, vel callere prudentia, vt in paradiso Dei, in Ecclesia videlicet quoslibet perfectos, quasi cedros, & abietes à fidei possit fundamento succidere, siue per superbiam sæuiendo. Bene ergo dicitur. *Ex quo dormisti non ascendit qui succidat nos.* Sequitur *Infernus subter conturbatus in occursum tuum suscitauit tibi [12] gigantes.*
Isai. 14. 9.
B Per infernũ malignorum spirituum societas intelligitur, qui ex iniqui illius interitu, vicinum Dei iudicium sentientes turbantur, scientes quia modicum tempus habent. Sane his, qui modo perditè viuunt descendentibus ministri tartarei & pœnarum spiritus præpositi, vt eos ad debita supplicia trahant, creduntur occurrere, multo magis perditissimo mortalium ab hac luce subtracto totus vt ita dixerim occurret infernus; Gigantes; id est crudelissimos ei tortores suscitans, vt eonus fuerat sceleratior vita, eius sit & intolerabilior pœna. *Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes Principes nationum* Principes terræ vel nationum contrarias fortitudines æstimo interpretandas, quæ in hominibus terrena sapientibus, vel Gentibus ab Antichristo seductis, singulæ in singulis quasi principes in solijs, tunc temporis residebunt. Quorum omnium potentissimus, quasi cæterorum Rex, Antichristi corpus & animam, quasi omnibus alijs excellentius, sibi solium vendicabit. Hi igitur principes
C cum Regis sui conatum, quem per organum illud suum moliebantur, Christi virtute euacuatum conspexerint, territi de solijs suis, his videlicet quibus præsidebant, fugabuntur, & ruinam eius admirantes quasi respondebunt & dicent. *Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis factus es.*
Isai. 14. 10.
Hoc est illud vulnus doloris, quo tota illa societas immũdorum spirituum ferietur, cum destructo imperio Antichristi, extremum eorum in die iudicij exterminium imminebit; quod profecto vulnus nec ipse poterit euadere, quem totius malitiæ primum principem dicimus. Ideo dicunt.

Isai. 14. 10. & 11.
Et tu vulneratus es sicut & nos nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua. Et est sensus; quanto altius te extulisti, tanto profundius corruisti. *Concidit cadauer tuum.* Cadauer principis tenebrarum ipse antichristus potest non inconuenienter intelligi [13] quem præ omnibus suæ malitiæ animabit, & pessimæ eius voluntati quasi vitalem flatum effectum malitiæ ministrabit. Quod eius cadauer tunc concidet, quando eum Dominus Iesus interficiet
2. ad Thes. 2.
Spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. *Subter te sternetur tinea, & putredo, & operimentum tuum erunt*
D *vermes.* Pœna æterna, quæ totam vel diaboli, vel antichristi substantiam occupabit, satis manifeste describitur. A parte inferiori tinea demolietur, à parte superiori vermes corrodent; putredo intus consumet. Tinea pro iocunditate, vermes pro crudelitate, putredo pro libidine. Vel tinea pro illicita locutiõe putredo pro illicita cogitatione, vermes pro illicita actione. Vel tinea, q̃ occulte & quasi insensibiliter consumit, diaboli est suggestio; putredo, q̃ horrorem, & fætorẽ generat, immunda delectatio; vermes, q̃ manifeste corrumpunt, consensio. Ex his autem omnibus materia nascitur suppliciorũ, siue intus in consciętia, siue exterius in pœna. Hæc breuiter exponẽdo transcurrimus [14] animo scilicet ad alia festinãte. Temp⁹ enim est vt iter arripiam⁹, ad quod nos lex ordinis cogit, desiderium incitat, inuitat affectus Sed quomodo. vel tantũ tẽporis separabor à visceribus meis: Separabor inquam corpore, non spiritu, & scio quia affectu & spiritu tanto ero præsentior, quanto absentior fuero corpore. Humanum dico pro-
Rom. 6. 19.

E pter infirmitatem carnis meæ, voluntas mea est vt inter vos deponam tabernaculum carnis meæ, vt in manibus vestris refundã spiritum meum, vt claudatis oculos patris vestri, & sub oculis vestris reponantur omnia ossa mea. Orate proinde ô dulcia viscera mea, vt desiderium animę meæ tribuat mihi Dominus. Recolite charissimi, quia de Domino Iesu præsentiam suam discipulis subtracturo scriptum est. *Conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne [15] discederent.* Act. 1. 4.
Eius itaque vtentes exemplo, quoniam post dulce conuiuium iam à mensa surreximus, post modicum discessuri præcipimus, obsecramus, monemus, ne discedatis ab Ierosolymis. Pacem enim Ierusalem significat. Pacem itaque commendamus vobis, pacem præcipimus vobis. *Ipse enim Christus, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, conseruet vos in vnitate Spiritus, & in vinculo pacis,* cuius vos pro- Ephes. 2. 14.
rectioni & consolationi sub alis Spiritus Sancti commendo, vt ipse vos mihi, & me vobis cum pace & incolumitate [16] restituat. Accedite nunc filij mei dulcissimi &
F in signum pacis, & charitatis, quam commendaui vobis, date osculum patri, simulque omnes oremus, vt Dominus prosperum iter nobis faciat, & redeuntes vos in hac ipsa pace inuenire concedat. Qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Populis exultatio. C. Cam. Populis *christianis* exultatio.
2. Suos. Exactores Iudæorum sunt immundi Spiritus, quos diuer. err. impl. ad maledicta & C. Cam. Suos. *Petet per exactores,* & quod sequitur vsque ad, exactores *præterea* Iudæorum *modo immundi Spiritus sunt* quos diuer. err. impl. ad. *blasphemias &* maledicta &.
3. Et cum illis. C. Cam. *Cum & illis.*
4. Persona, dura. C. Cam. Persona *loquens* dura.
5. Cum dederit tibi Deus requiem. Per hanc. C. Cam. *Cum requiem tibi dederit Dominus. Hæc & ad Ecclesiam.* Et quę inseruimus vsque ad, *Nam per hanc.*
6. Et dices. Quomodo cessauit. C. Cam. Et dices. Regem Babylonis, & reliqua vsque ad *interitũ, dicens.* Quomodo cessauit.
7. Suos mundum vexabat C. Cam Suos *diuersis exactionibus* mundum vexabat.
8. Dominantium, cædentem populus. C. Cam. Dominantium. *Dicitur ipse Antichristus,* & quæ sequuntur vsque ad *cædentem populos.*
9. Crudeliter. Conquieuit. c. cam. Crudeliter. *Hæc omnia superius,* & cętera vsque ad, *Conquieuit.*
10 Sublimes in ecclesia. c. cam. Sublimes *quosque* in ecclesia.
11. Fortiores, quorum vox exultantium & gloriantium. c. cam. Fortiores. *Qui profecto super* & reliqua vsque ad, Quorum *etiam* vox *gloriantium & exultantium.*
12. Gigantes. Omnes Principes terræ. c. cam. Gigantes *Per infernum,* & quæ adijciuntur vsque ad, *Omnes principes terræ.*
13. Quem præ omnibus suæ malitiæ animabit. c. cam. Quem *omnibus artibus* suæ malitiæ animabit.
14. Animo scilicet ad alia festinante. Recolite charissimi quia de Domino IESV præsentiam. c. cam. Animo *videlicet* ad alia *dicenda* festinante. *Tempus enim est vt iter* & cætera vsque ad. Recolite *autem* charissimi quia de Domino IESV *iam iamque* præsentiam &c.
15. Discederent. Pacem vt. sig. Ierus. Eius vten. exem præ obs. ne disce. ab Ierus. Ipse enim. c. cam. Discederent. *Eius itaque vtentes exemplo,* & cętera vsque ad, Ipse *autem* Christus
16 Restituat. Quod ipse concedat. c. cam. Restituat. *Accedite nunc filij mei dulcissimi* vsque ad, *Concedat qui.*

Sermo quintus Decimus,

G
H Ecce adsum filij mei [1] charissimi, gaudium meum & corona mea [2] in Domino. Ecce adsum post multos labores, iterque satis periculosum redditus vobis, redditus affectionibus vestris. Dies iste dies est mihi exultationis & [3] lætitiæ quam in terra aliena positus, quam etiam ventis marique oppositus, diu desideraui vt viderem, & desiderium pauperis exaudiuit Dominus. O amor quam suauiter vris absentes, quam delectabiliter pascis præsentes, nec tamen satias esurientes, donec [4] ponas Ierusalem pacem, & adipe frumenti satias eam. Hæc est pax cuius primitiis interim refocillati, gustatis quam bonum & quam iocundum sit habitare fratres in vnum. Hæc est [5] pax quam vt meministis commendaui vobis, cum me lex ordinis cogeret ad tempus separari à vobis, quam nunc rediens ad vos, Deo gratias, inueni in vobis, pax vtique Christi, quæ quodam prægustu charitatis vos pascit in via, eius plenitudine satiãdos in patria. Eia fratres

A fratres dulcissimi, totum quod sum, totum quod viuo, totum quod scio vestris profectibus offero, vestræ deuoueo vtilitati. Vtimini me vt libet, nec parcatis labori meo vbicunque seruire poterit profectui vestro. Redeamus ergo si placet, imo quia placet ad opus quod intermisimus, & cœlestes thesauros quos sub tegmine parabolarum Sanctus recondidit Isaias, lumine nos [7] veritatis Sancto spiritu perfundente rimemur; describens quippe parabolam, quam contra Regem Babylonis populus ab ea tyrannide liberatus assumet, *Et erit inquit in die illa cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à [8] confusione tua & à seruitute tua dura, qua ante seruisti, sumes parabolam hanc contra Regem Babylonis.* (Isai.14.3.) Itaque parabolam intelligamus vt parabolam, non arbitrantes eam contra Nabuchonodozor terrenæ illius principem Babylonis, sed potius contra eum qui ab Aquilone est, principem confusionis esse prolatum. Sed quia hæc vltimo illo sermone, quem de his ad vos habuimus, allegorica interpretatione transcurrimus ea ipsa nunc moraliter prosequamur.

B Si quis igitur nostrum aliquando in confusione vitiorum positus, ac iugo iniquitatis oppressus, iam se gaudet & à labore quiescere, & pro transactis, nihil confusionis habere, iugum quoque pessimæ seruitutis abiecisse, sumat parabolam hanc contra Regem Babylonis. Labor in vitiis est, requies in virtute; confusio in libidine, securitas in castitate; seruitus in cupiditate, libertas in charitate. Est quippe labor in vitiis, labor pro vitiis, labor contra vitia. Labor in vitiis, quando vt pessima desideria expleantur, laborem [9] multis hostis antiquus importat. Labor pro vitiis, quando quis pro malis quæ fecit, vel inuitus affligitur, vel volens labore pœnitentiæ maceratur. Labor contra vitia, quando conuersus ad Deum diuersis tentationibus fatigatur. Est etiam Confusio in vitiis quando homo pessimis passionibus dissipatus, non ratione regitur, sed vitiorum tumultu confuse agitatur. C confusio pro vitiis, quando quis deprehensus, & coniunctus criminis alicuius confunditur, vel pœnitens, & confitens quæ commisit, salubri [10] confusione, confessione purgatur. Porro confusio contra vitia, quando homo conuersus ad Deum tentationi quam patitur ex parte, confusionis recordatione resistit. Clamat Dominus in Euangelio. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* (Matth.11.28.) Habes alias scriptum de quibusdam. *Vt inique agerent laborauerunt* (Ierem.9.5.) [11] Quis labor latronibus furibusque, vt vel viatorem opprimant, vel patrem familias domo perfossa despolient? Quis labor adulteris vel fornicatoribus, vt male cupitis patiantur amplexibus? sed & auaro agris vel thesauris inhianti alienis, labor non modicus [12] est etsi non corporis, tamen cordis.

Hunc laborem sequitur [13] confusio, quia sicut in virtutibus ordinis est pulchritudo: ita in peccatis tumultus & confusio. Si autem legendum est, quod in plerisque codicibus inuenitur *concussio* scit qui expertus est, quomodo vitiis subditus miserabiliter ab ipsis concutitur, & quasi obsessus vndique lapidatur. *Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati.* (Ioan.8.34.) O dura seruitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia, cum violentia malę cōsuetudinis D ad illud impellitur vitium, quod iam detestatur; vt mirum in modum [41] & peccatum ita velit, vt faciat; ita nolit vt ploret. A quibus omnibus cum homo fuerit liberatus, sumet parabolam hanc contra Regem Babylonis, & dicet. *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum* Audi Dominum nostrum Iesum in Euangelio dicentem Petro? *Reges Gentium à quibus accipiunt tributum à suis an ab alienis?* (Matth.17.25.) Et Petrus, *Ab alienis.* Cum Dominus, *Ergo inquit liberi sunt filij.* Sunt igitur tres exactores tributa exigentes, Cæsar, diabolus, & Deus. Cæsar imaginem suam impressam nummo, quam homini in signum suæ dominationis imposuit, quasi exactor importunus extorquet. Diabolus similitudinem suam, quam consentienti sibi animæ affectu vitiorum, stylo consuetudinis vitiosæ inseruit, durus ac crudelis exactor, quotidianæ turpitudinis solutione requirit. Deus imaginem suam, quam naturæ animæ rationalis impressit à sua rationabiliter exigit creatura. E Ad imaginem quippe & similitudinem Dei creatus (Gen.1.26.), homo quamdiu se alterius non subdidit potestati non cogebatur soluere quod constabat eum non debere. Sicut [15] autem Dei quædam similitudo lucet in virtutibus, ita similitudo diaboli in vitiis æstimatur; à qua eius similitudine tamdiu homo liber est, quamdiu non præbet crimina suadenti consensum. Consensus quippe in anima, ipsam quodammodo diaboli similitudinem, leui, vt ita dicam, tractu depingit. Quando verò consensus prorumpit ad actum, iam plenā eius imaginem affectu peccandi sibi miser [16] imponit: sicut in homine, peccato mediante, diabolus potestatem accipiens, cum eum iugo malæ consuetudinis oppresserit, quotidianum peccati tributum ab eo intolerabilis exactor extorquet.

Sed sicut Pharo plebem Israeliticam in luto affligens & latere plures sub se legitur habuisse exactores (Exod.5.14), ita princeps ille tenebrarum ad hoc tributum exigendum, F singulis suorum [17] singulos imputat impulsores, qui eis labores indicant, & suggestionibus incautos concutiant, duraque peccati seruitute depressos, in sordidis operibus desudare compellant. Sed ô quæcunque es anima, quam ab hac infelicitate Dei pietas liberauit, prębens tibi requiem à labore tuo, & concussione tua, & à seruitute tua dura, qua ante seruisti miraris certe quod tam facilis tibi est continentia, quę tibi impossibilis videbatur; miraris quod inolitæ consuetudinis iugum euanuit, ad quod deponendum, etiam conatum omnem desperatio innata [18] subtraxerat; miraris quod tam facile suggestio inimica contemnitur, cui hactenus obedire ineuitabilis quædam necessitas compellebat. Sume ergo parabolam contra Regem Babylonis; exulta cum tremore; clama cum stupore, *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum?* Institit quotidie spiritus fornicationis alicuius turpitudinis, & immūditiæ tributum exigens, nec erat repellendi facultas vel virtus resistendi: *Quomodo* ergo *cessauit exactor quieuit tributum?* G Insurgens in me spiritus iræ ad verba furoris crebrius compellebat, nunc amarum silentium, nunc furibundum clamorem, nunc quasi debitum pensum iurgij & litis indicebat horrorem: *Quomodo* ergo *nunc cessauit exactor quieuit tributum?* Spiritus gulæ ad negatos vel illicitos cibos excitans appetitum, quotidiani murmuris & detractionis à me exigens nummum; magistris intractabilem, impatientem me sociis exhibebat. *Quomodo* ergo *nunc cessauit exactor, quieuit tributum?* Spiritus acidiæ omnem statum meæ tranquillitatis euertens, & horrorem solitudinis & quietis odium ingerens discursiones inordinatas signa vana vel periculosa me sibi soluere compellebat: *Quomodo* autem *nunc cessauit exactor quieuit tributum?* Spiritus tristitiæ totam animæ meæ depascens lætitiam, rancoris vel desperationis tributum mihi imponere nitebatur: *Quomodo* ergo *cessauit exactor, quieuit tributum?* Spiritus superbiæ ipsam interiorem cordis mei sedem peruadens, subiectionis impatientem nunc cupidum dominationis faciebat, nunc ambulare in magnis & mirabilibus super me despectis cæteris cōpellebat, nunc meipsum præferre melioribus, cunctorumque profectibus inuidere persuadens H * pensimentum quotidiani doloris & indignationis imponebat: *Quomodo* ergo *cessauit exactor, quieuit tributum?* nunquid in virtute mea? nunquid in gaudio meo? Absit. Certe Dominus contriuit baculum impiorum, virgam dominantium, Dominus conterens bella; Dominus [19] nomen est illi.

*An legendum *pensum.*

Gloria tibi Domine Iesu, quod non permittis nos tentari supra quam possumus. Non dedisti gladium in manum hostis, sed baculum vel virgam; gladius enim extinguit, virga vel baculus affligit. Denique vox tua est ad Sathan de beato Iob. *Ecce in manu tua sunt cuncta quæ [20] possidet, tamen ne in eum extendas manum.* (Iob.1.12.) Deinde cum dedisset ei in corpus eius potestatem. *Verumtamen* (inquit) *animam illius serua.* (Iob.2.6.) Data [21] est virga, datus est baculus, sed negatus est gladius. Virga data est, quando concessum est ei adimere temporalia; datus est & baculus, quando in ipsum corpus eius sæuire permissus est; negatus est gladius, quando ab animæ extin-

A ctione prohibitus est. Percutit itaque virga, quando ea
quæ foris sunt tangit; percutit baculo, quando corpus
ipsum affligit; percutit gladio, quando à corpore animam
excutit. Hac triplici[22]tentatione aduersum martyres
iamdudum desæuiit diabolus, quibus etiam in fine sæcu-
li aduersum fideles per diabolum sæuiet antichristus.
Contra nos, qui quasi in medio duum temporum positi
sumus; quoniam gladius ei ademptus est virga baculoque
contendit. Itaque quando rerum temporalium damno
percutimur virga est; quando ægritudine vel alia carnis
afflictione, baculus est. Virga quoque percutit, quan-
do suadet[23]delectatione, baculo quando trahit ad con-
sensionem; gladio qñ compellit ad actum. A quib. omnib.
Isaia.14.5. cũ fuerimus liberati; ad nos vox ista pertinebit, *Cõtriuit domi-
nus baculum impiorum.* Impij sunt dæmones, qui non a-
more iustitiæ, nec corrigendi affectu, sed ex sola malitia
plagas mortalibus, [24]quibus Dei iusto iudicio domi-
nari permittũtur, vel ad tempus vt purgentur, vel in æter-
B num vt puniantur, inferre non cessant; de quorum ma-
litia apte subiungitur.

Cadentem populos in indignatione plaga insanabili. Plaga
ista insanabilis ad reprobos pertinet; qui in baculi vir-
Isai.14.6. gæue percussione murmurantes affligi possunt, sed sanari
non possunt. Et addidit. *Subiicientem in furore gentes, &
persequentem crudeliter.* Multis quippe tentationibus sub-
iecit sibi Gentes spiritus nequam, non amore iustitiæ,
sed in furore persequens eos crudeliter, non sicut Chri-
1.Reg.1.6. stus misericorditer, qui percutit vt sanet, mortificat vt
viuificet, deducit ad inferos vt[25]reducat. Eia fratres
charissimi cauete à murmuratione & à detractione par-
cite linguæ. Ecce visitat Dominus in virga iniquitates no-
stras, & in verberibus peccata nostra. Defecit messis,
pecus multum interiit. Oportebit nos forte sub hoc in-
fortunio aliquam consuetæ consolationis sustinere ja-
cturam. Sustinete quæso cum patientia virgam Domi-
ni, numquid enim mea est? nullus sibi blandiatur & di-
cat. Absit Non murmuramus contra Dominum, sed
C contra illos quorum interfuit ista cauere. Cauete vobis
filij mei charissimi, cauete vobis in hac parte. Murmu-
Exod.16.8. rabant filij Israel contra Moysen & Aaron. Et illi, *Non
Isai.14.7. est* (inquiunt) *murmur vestrum contra nos, sed contra Domi-
num, nam nos quid sumus*? Felix anima quæ transiens per
ignem & aquam potest dicere quod sequitur. *Conquieuit
& siluit omnis terra, gauisa est*[26]*& exultauit.* Redit quip-
pe ad id quod præmiserat. *Quomodo cessauit exactor quieuit
tributum?* Deinde cum respondisset. *Contriuit Dominus ba-
culum impiorum*, & cætera, Non solum inquit cessauit ex-
actor & quieuit tributum, sed insuper conquieuit
& siluit omnis terra. In terra cordis nostri & in terra
carnis nostræ quando diuersis tentationibus fatiga-
mur, qualis tumultus est, qualis clamor[27] vitio-
rum, clamantium alterius ad alterum? Felix anima,
quę in se hunc clamorem non audit; adhortationem
ducum, & vlulatum exercitus. Ipsi sunt duces, quos pau-
lo ante commemoramus, capitalium incentores vitio-
rum, quos sequitur, innumerabilium exercitus pec-
catorum. Quanta felicitas, quando conquiescit
D & silet omnis terra! quando in carne nostra quies-
cunt incentiua libidinum, aculei delectationum, spinæ
immundarum[28]passionum, quando in corde silent
tumultus cogitationum, suggestio delectationum, super-
biæ tumor, iræ impetus, murmurationis horror, suspi-
cionis vel indignationis susurrium. Cum autem quieue-
rit & siluerit clamor vitiorum, sequitur iocunditas exul-
tatioque virtutum. *Gauisa est* (inquit) *&*[29]*exultauit* de
terra loquitur quæ conquieuit & siluit. Ideo caro nostra
quam terram dixit gaudere dicitur, quia animam, cuius
est terra, gaudentem facit & exultantem. Nam & lætus
dies dicitur qui lætos facit, & tristis qui plurimis tristi-
tiam ingerit. *Gauisa est* inquit *& exultauit.* O quale gau-
dium, qualis exultatio, quando in hominis conscientia
omnia læta sunt, omnia pacifica, quando contritio sub
pedibus Satana, omniq; macula vitiorum expulsione de-
Isai.14.8. leta, in solis virtutibus anima gloriatur! Vnde sequitur.
Abietes quoque lætata sunt super te & cedri Libani. Per abi-
etes & cedros, arbores sublimes & odoriferas, virtutes E
intellige, quarum cacumen cœlum tangit, mundum
bonæ[30] opinionis odore perfundit. Tunc vere vir-
tutibus lætatur conscientia, quando & sublimes sunt cœ-
lestium intentione, & famæ integritate odoriferæ. Hoc
est quod ait Apostolus. *Prouidentes bona non tantum coram* Rom.12.17.
Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Cum igitur abietes & cedri lætatæ fuerint, id est, cum
virtutes vitiis succedentes salutari lætitia mentem perfu-
derint, *ex quo dormisti* (inquiunt) *non ascendit qui succidat
nos.* Ad regem Babylonis, principem scilicet tenebra-
rum vox ista dirigitur. Obdormisti ô Satana non inte-
riisti; nulla securitas, fratres mei, nulla securitas. Dor-
mit hostis, non periit. Facile excitatur qui dormit. Pax
est, requies est, quia ipso dormiente non ascendit qui
succidat virtutes. Veruntamen, fratres, perfectorum
vox ista est, quibus iam non est, colluctatio aduersus car-
nem, quæ plerumque innata sibi concupiscentia virtu-
tutes succidit, sed aduersus spiritales nequitias, quibus F
dormientibus, id est, à tentationibus cessantibus, requi- Ephes.6.12.
escunt perfecti, nullam[31]ex seipsis in seipsis pugnæ ma-
teriam habentes. Sciendum plane est fratres mei, quia
pax ista nec continua poterit esse, [32]nec perfecta, do-
nec nouissima inimica destruatur mors: id est, mortis au- 1.Cor.15.26.
ctor diabolus, cui non iam dormienti, sed quasi morienti,
sanctorum societas insultabit, *Vbi est* (inquiens) *mors tua* 1.Cor.15.55.
vbi est mors stimulus tuus Quod Isaias aliis verbis, *Quomodo* Isai.14.9.
(ait) *cessauit exactor, quieuit tributum? Infernus subter contur-
batus est in occursum tui suscitauit tibi gigantes.* Superato à San- Matth.12.
ctis diabolo turbatus occurrit infernus, spirituum scili- 74.& 45.
cet societas immundorum, suscitans illi gigantes, quos-
libet de suis sociis fortiores, cum quibus rediens ad do-
mum, de qua fuerat expulsus, si copia fuerit reintran-
di, faciat nouissima hominis illius peiora prioribus. Hęc
vicissitudo tentationis & pacis nobiscum agitur, donec
omnes principes terræ, id est, terrena sectantium, om-
nes etiam principes nationum, principes videlicet regni
Persarum, vel Græcorum sicut habes in Daniele; vel G
certe principes nationum, id est, vitiorum, de suis fuga- Dan.10.20.
ti sedibus, Principis sui interitum lugeant. Cuius cada-
uer, id est omnis societas reproborum, cum eo æternis
suppliciis data, tinea demolietur, putredine corrum-
petur, vermibus corrodetur. Non miremini si vos ho-
die[33] diutius tenui quam solebam, quoniam auidus
vestri post diuturnam famem, non facile potui vestra
præsentia satiari. Nec putetis quod vel nunc satiatus sim,
cum sermonem omittam fatigatus, non satiatus. Sa-
tiabor cum apparuerit gloria Christi, in quo vos nunc
amplector delectabiliter, * quibus me spero futurum *Forte
in ipso feliciter, cui est honor & gloria in sæcula sæculo- cum quibus
rum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Charissimi, gaudium. C. Cam. Charissimi *& desideratissimi.* gaudium.
2. In Domino. Dies iste est mihi exulta. C. Cam. In *Christo. Ecce adsum post*, & reliqua vsque ad Dies iste dies *mihi est* exult.
3. Lætitiæ quam diu desideraui. C. Cam. Lætitiæ *dies* quam *in terra aliena*, & quod adicitur vsque ad *expositus desiderаui* H
4. Ponas Ierusalem. C. Cam. Ponas *fines* Ierusalem.
5. Pax, quæ quodam prægustu charitatis vos pascit C. Cam. Pax, *quam vt meministis* & cætera vsque ad, quæ quodam *vos prægustu charitatis pascit.*
6. Scio vestris profectubus. C. Cam. Scio, *totum quod sentio*, vestris profect.
7. Veritatis sancto spiritu. C. Cam. *Veritatis spiritu perfundente.*
8. Confusione tua. C. Cam. Confusione *vel concussione* tua.
9. Multis hostis antiquus. C. Cam. Multis *antiquus hostes.*
10. Confusione, confessione purgatur. C. Cam *Confusione purgatur*
11. Quis labor. C. Cam.. Quis *rogo labor.*
12. Est etsi non corporis tamen cordis. C. Cam. Est *vt* si non corporis, *cordis* tamen.
13. Confusio omnis enim qui fa. pec. seruus. C. Cam. Confusio, *quia sicut in virtutibus*, & cætera vsque. ad Omnis qui fa. pec. *ait* IESVS. seruus est.
14. Et peccatum ita velit. C. Cam. Peccatum *facere* ita velit.
15. Autem Dei quædam similitudo. C. Cam. Autem *quædam Dei* similitudo.

16. Impo-

A 16. Imponit: sicut in. C. Cam. *Imponit: sic* in homine.
17. Singulos imputat impulsores, qui eis labores indicant, & suggestionibus incautos concutiant. C. Cam. *deputat* qui eis *laborem* indicant, & suggestionibus *ac tentationibus* incautos concutiant.
18. Subtraxerat. Sume ergo. C. Cam. Subtraxerat. *Miraris quod* & quæ addidimus vsque ad, *Sume ergo.*
19. Illi. Gloria tibi. C. Cam. Illi. *Gratia* tibi Domine.
20. Possidet, tamen ne. C. Cam. Possidet, *tantum* ne.
21. Est virga, datus est baculus. C. Cam. Data est *ei* virga, datus *&* baculus.
22. Tentatione aduersum martyres. C. Cam. Tentatione *aduersus* martyres.
23. Delectatione. c. cam. *Delectationem.*
24. Quibus insto Dei iudicio. c. cam. *Quibus Dei insto iudicio.*
25. Reducat. Conquieuit. c. cam. Reducat. *Eia fratres* & reliqua, vsque ad *Conquieuit.*
26. Et exultauit. In terra. c. cam. Et exultauit. *Radis quippe*, & quod sequitur vsque ad, *In terra.*
27. Vitiorum quos sequitur. C. Cam. Vitiorum *clamantium alterius* & cætera vsque ad, *Quos sequitur.*
28. Passionum, superbiæ tumor, iræ impetus, suspicionis vel indig. c. cam. Passionum, *quando in corde* & cætera vt notauimus vsque ad, *vel indig.* B
29. Exultauit. O quale gaudium. c. cam. Exultauit. *De terra loquitur*, & quod interiectum vsq; ad, *O quale gaudium.*
30. Opinionis odore perfundit. c. cam. Opinionis *odor* perfundit.
31. Ex seipsis in seipsis pugnæ. C. Cam. *In seipsis, ex seipsis pugnæ.*
32. Nec perfecta donec. c. cam. Nec *plena* donec.
33. Diutius tenui quam. c. cam. Diutius *detinui* quam.

Sermo Sextus Decimus.

POst sacra Dominicæ natiuitatis solemnia, ad indaganda Propheticæ visionis mysteria reuertentes, spirituales delitias, fratres carissimi, non omittimus sed mutamus: sed nec mutamus quidem, cum ea: quæ de his sanctis diebus impleta recolimus, vt verbis propheticis prænunciata agnoscimus. Vbique autem vno Dei verbo pascimur [1] & potamur, quod ideo caro factum est & habitauit in nobis, vt à carnalibus posset audiri, quos erudiret verbis, confirmaret miraculis, attraheret exemplis, postremo proprij effusione sanguinis redimeret. *Ioan.1.14.* C Sicut igitur natiuitatem eius, passionem & resurrectionem, in cœlis etiam ascensionem, fidem quoque gentium, & sanctæ Ecclesiæ regnum, quæ omnia gaudemus impleta, in Prophetis inuenimus prænunciata; ita profecto tyrannidem antichristi, ecclesiæ in omnibus persecutionem & perditi illius destructionem, futurum Dei iudicium, & diaboli cum omnibus [3] membris suis interitum, quæ in ipsis scripturis narrantur futura, nullus christianus ambigat esse complenda. Itaque descripta antichristi persecutione, vsque ad eius interitum, in quo & ipsius Sathanæ potestas, & principatus deijcitur, Propheticus sermo peruenit, in quem adhuc sub typo regis Babylonis inuehitur dicens, *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane* [4] *oriebaris.* De his fratres charissimi tractaturi; vtile arbitror Beatissimi Augustini verba præponere, & quid hinc ipse senserit proferre in medium, vt præcedente tantæ auctoritatis lumine, profundissimam scripturæ huius abyssum, quanto luminosius, tanto securius perscrutemur. Quod per Isaiam, inquit, dicitur, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer mane oriens, & cætera*, quæ in figura Regis D Babylonis, quasi in diabolum dicta intelliguntur: Plura in eius corpus conueniunt, quod de humano genere congregat, & in eos maxime, qui ei per superbiam cohærent, apostatando à mandatis Dei. Sicut enim corpus Christi, quod est Ecclesia, dicitur Christus, eodem modo corpus diaboli, cui caput est diabolus, id est, ipsa impiorum multitudo, maximeque eorum qui à Christo, vel de ecclesia sicut de cœlo decidunt, dicitur diabolus; & in ipsum corpus figurate multa dicuntur quæ non tam capiti quam corpori conueniunt. Itaque lucifer qui mane oriebatur & cecidit, potest intelligi Apostatarum genus vel à Christo, vel ab Ecclesia: quod ita conuertitur ad tenebras amissa luce quam portabat: quemadmodum qui conuertuntur ad Deum à tenebris ad lucem transeunt, id est, qui fuerunt tenebræ lux fiunt. Itaque secundum beatissimum Augustinũ, hæc verba non tam de persona diaboli, quam de eius membris dicuntur. E Nec tam primus ille diaboli casus, vnde Dñs ait, *Vidi* [5] *Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, *Luc.10.18* quam membrorum ipsius apostasia, ab ecclesia recedentium, in mystico sermone describitur.

QVONIAM autem omnium membrorum [6] eius pessimum dicitur antichristus, cuius tempore Apostatarum maxima erit multitudo, secundum ordinem Prophetiæ, ipsius sequaciumque eius hic ruina monstratur. Verum quia vnum corpus constat esse malorum, quicunque non ad eam redituri de ecclesia corruerunt, huius ruinæ participes non dubitemus; in quibus omnibus ipsius corporis caput, diabolus videlicet, confunditur, ad quem exprobrantis Prophetæ sermo dirigitur, *Quomodo cecidisti de cælo lucifer qui mane oriebaris?* *Isai.14.12.* lucifer potest dici antichristus vel pro splendore gloriæ temporalis, vel pro simulatione sanctitatis, vel certe pro singulari quodam, vt putabitur, lumine sæcularis sapientiæ, vel pro fallacium miraculorum exhibitione, quibus omnibus ortus eius, id est, ostensionis initia præfulgebunt. F Per hoc quod mane ortus dicitur, initium ostensionis eius declaratur; vel per mane præsens vita designatur, quæ vergens in senium quasi nocte superueniente extinguitur. Vnde Salomon de his, qui in præsenti vita spretis futuris, quibus possunt voluptatibus perfruuntur, *Væ* (inquit) *terra, cuius Principes mane comedunt.* *Eccl.10.16.* Ideo antichristi gloria temporalis erit, non æterna; breuis, & non diuturna; non stabilis, sed caduca. Ideo ait, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris.* Cœlum hic [7] templum intellige, de quo ait Apostolus loquens de Antichristo, *Qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus*; *2.Thes.2.4* Quibus verbis ostenditur habiturus [8] in ecclesia Dei potestatem, quam primo forte ingredietur specie quasi tecturus eam, re autem impugnaturus. Vnde non absurde quidam existimant, quod aliquam in ecclesia sedem excelsi nominis, aut formam regiæ dignitatis obtenturus sit, & ita paulatim tum signis & prodigijs mendacibus, tum Regum & principum fauore subnixus, in tantam proficiet potentiam, gloriam, & opinionem, vt facile Iudæis & Gentibus se Christum esse persuadeat, Dei se filium mentiatur, ostendens se tanquam sit Deus. G

Quod vero ait Apostolus. *Aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus*, Ipsas excellentiæ cogitationes, quibus ad illam excellentiam aspirabat, sanctus Isaias prophetando subiunxit. *Qui dicebas in corde tuo, In cœlum ascendam & cætera.* *Isai.14.13.* Hoc est cœlum de [9] quo improperando eum dixerat corruisse, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes:* Quod antichristus vulneraturus sit gentes vulnere graui, plaga crudeli, non poterit dubitare qui apostolum audit dicentem, *Eum, cuius est aduentus secundum potestatem Sathanæ, in omni seductione, signis & prodigijs mendacibus his qui pereunt.* *2.Thes.2.9.* *Corruisti* (inquit) *in terram*, prostratus quippe spiritu oris Dei, pro cœlo inferos possidebit, cuius [10] corpus etiã datum terræ putredine corrumpetur. Septuaginta interpretes, non *qui vulnerabas Gentes*, sed *qui mittebas ad omnes gentes*, interpretati sunt, nuncios antichristi ad omnes Gentes significantes esse mittendos, & vbique [11] contra Christi ecclesiam sæuituros. H *Qui dicebas in corde tuo, In cœlum ascendam.* Possunt hæc intelligi verba diaboli loquentis in antichristo, & vniuersam Christi ciuitatem per eum sibi subdere cupientis. Igitur antichristus diabolico afflatus spiritu, cernens se in sapientia sæculari, in signis & prodigijs, ab ipso principe tenebrarum accepisse virtutem ad id, quo nihil sublimius in hoc mundo habetur, ecclesiæ videlicet ambiget principatum; acceptaque secundum Apocalypsim, vel Danielem à bestia, id est, illius temporis regno, *Apoc.13.* decem Regibus quasi decem cornibus præfulgente, *Daniel 7.* in omnibus potestate, iniquitatem meditabitur in cubili suo dicens. *In cœlum conscendam.* id est, obtinebo in ecclesia dominatum. *Supra astra Dei*, eos videlicet, qui velut sidera sapientiæ claritate, vel religionis splendore præfulgent; *exaltabo solium meum* [12] eos decretis meis iudicijsque subijciens. Et addidit.

A SEDEBO *in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* Mons testamenti potest dici Ierusalem illa terrena, in cuius ciuitatis templo antichristum quidam existimanr regnaturum, de quo psalmista *Mons Sion* (inquit) *latera aquilonis ciuitas regis magni.* Psal.47.3. Quæ omnia melius de Christi ecclesia intelliguntur, quæ vtique est mons & Sion mons testamenti, cuius latera aquilo, id est frigida semper amabit reproborum vel persequentium [13] multitudo. Possunt & per montem testamenti excellentiores, & perfectiores qui sunt in ecclesia designari, qui nouum testamentum super legis ordinant sacrificia: in quibus sibi sedem antiquus hostis, per illum perditionis filium præparare nititur. Hoc igitur quod ait, *cœlum conscendam*, vel illud, *Sedebo in monte testamenti.* Paulus exponens, ita (inquit) *vt in templo Dei sedeat.* Ioan.14.14. *Ascendam super altitudinem nubium:* Nubes prædicatores sunt Euangelij, de quibus Dominus per hunc ipsum Isaiam, *Mandabo nubibus meis ne pluant super* (vineam) *illam imbrem.* Isai.5.6. Et alias, *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* Isai.60.8. B Super [14] huiusmodi nubes ascensurum se, diabolus per antichristum gloriatur, vt superior inferioribus dominetur, & ad suæ voluntatis consensum vel volentes illiciat, vel incautos decipiat, vel nolentes cogat, vel puniat resistentes. Sequitur, *Similis ero altissimo.* [15] Hoc ait quod ait Paulus, *Ostendens se tanquam sit* [16] *Deus.* Sed & cuilibet hæretico, vel certe hæreticorum vniuersitati hæc cuncta conueniunt, qui primo Lucifer, id est, lucem ferentes scientiæ, in tenebras labuntur errorum, sicque corruentes de ecclesiæ firmamento, peruersorum dogmatum efficiuntur magistri. Cuius apostasiæ principium superbia est, qua in ecclesia dominari, quasi in cœlum ascendere; sanctis præesse, quasi super sidera exaltari; sublimiores quosque sibi subesse, quasi sedere in monte testamenti; cæteris omnibus prædicatoribus veritatis videri in sapientia celsiores, quasi super altitudinem nubium conscendere affectent. Quia vero superbi sic semper volunt præesse, vt dedignentur subesse, eius per superbiam appetunt similitudinem, qui omnibus præest, C subest autem nulli. Cauete superbiam fratres charissimi, cauete. Quam multi enim, quod dolens dico, si forte vident se in luce sapientiæ profecisse, verbo & exemplo alijs profuisse, vt merito luciferi nomine digni habeantur, ita vt mane, id est, initio suæ conuersionis, cæteris eiusdem vitæ consortibus clariores habeantur, occulta primum intentione tumescunt, prælatos suos despiciunt, & nunc eos simplicitatis & insciencitiæ arguūt, nunc, quod in temporalibus occupantur, derident & detrahunt, & inferiores se cunctos * aspiciunt, habentes semper præ oculis quicquid in aliis reprehensibile inueniunt, & cum non inuenerint fingunt, & hoc, quod ipsi ante oculos hominum laudabile agunt, ad memoriam reuocantes, sua se vanitate interius pascunt.

* forte despiciunt.

DEINDE quisquis talis est, omnes prælatione indignos iudicans, *Ascendam* (inquit) *in cœlum.* O lucifer qui mane oriebaris, iniquitatem meditaris in cubili tuo. Quid dicis? quis ille, vel ille est vt præsit nobis, homo idiota & sine litteris, homo tota die se tradens & intricans [17] terrenis, homo nec eloquentia clarus, nec in scripturis exercitatus, nec discretus in opere, nec in arte spiritali peritus. Hæc dicens in corde suo, instar Absolon parricidium parat. 2. Reg.15.4. D *Quis me* (inquiens) *constituat iudicem super populum istum?* In cœlum conscendam, dignus [18] qui spiritalibus, id est, cœlestibus præsim, cum mea conuersatio semper in cœlis sit. Vt quid perditio hæc? perditio (inquam) tantæ sapientiæ, tantæ virtutis, & eloquentiæ quæ ita prodessent, sed quia in inferioribus sedeo, prodesse non possunt. Super sidera igitur Dei ego, instar luciferi, cæteris [19] exaltabo clarior sedem meam, in monte testamenti sedens similitudinem mihi Dei, alijs proficiendo, acquiram. Cum enim testamentum sacra appellatur scriptura, mons testamenti non incongrue charitas dici potest, quæ omnibus excellentior virtutibus, in se totam legem continet & Prophetas. Nihil ergo magis arrogans & ambitiosus, quam in [20] charitate se præesse, pollicetur: vbique contra prælatum suum in angulis susurrans, & maximæ eum duritiæ & inhumanitatis E accusans describit, & quasi ante fratrum depingit oculos, qualis debeat esse Abbas, quam modestus, quam pius, quam amans subditos, quam eorum compatiens [21] laboribus, condescendens infirmitatibus. Tunc ita charitate ordinandum esse refectorium, de infirmitorio tam misericorditer disponendum, scripturatum auctoritate confirmat; vt audientes in cordibus suis respondeant, O si [22] iste Abbas esset! Qualis Abbas iste! quam sapiens, quam eloquens, quam misericors, quam humanus? Et ille hoc animaduertens, Quis inquit similis mihi in nubibus cœli? quis in scripturis ita eruditus vt ego? quis prædicationi tam aptus?

ASCENDAM ergo *super altitudinem nubium*, vt prædicatoribus cunctis supereminens ostendam sapientiam meam, ne vlterius lateat, quod ad profectum multorum F poterit apparere. Ita in me Dei similitudo reparata lucescet, quæ maxime in sapientia, & charitate consistit. Talis aliquando cum [23] sui compos fuerit voti; & ad prælationem, quam ambierat, aut propria machinatione, aut aliorum factione promotus, Dei gratia spoliatus, de virtutibus fictis ad vitia manifesta prolabitur, & sic omnibus exosus proijcitur, vt mereatur audire, *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer qui mane oriebaris, corruisti in terra*, qui de cœlesti conuersatione gloriabaris, vt [24] appareat inferioribus tuis non medicinam alijs præbuisse, sed peccatorum potius vulnera inflexisse. Hi omnes, quoniam ad corpus illius nephandi capitis eos certum est pertinere, quali pœna digni habeantur, Propheticus sermo non tacet. Sed longum sermonem istum protraximus, ea quæ sequuntur alio tempore tractanda reseruemus, ipso iuuante [25] qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

G

VARIÆ LECTIONES.

1. Et potamur, quod ideo factum est caro, &. C. Cam. Et *nutrimur*, quod ideo *caro factum est* vt.
2. In omnibus persecutionem. C. Cam. *In nouissimis persecutionem.*
3. Membris suis. C. Cam. *Suis membris.*
4. Oriebaris, Quæ in fig. qua. Reg. Baby. in diab. dic. intelli. Et secundum Beatissimum. C. Cam. Oriebaris. *De his fratres charissimi.* Et quæ subiecimus vsque ad, *Itaque secundum beatissimum.*
5. Satanam quasi fulgur. C. Cam. Satanam *sicut* fulgur.
6. Eius pessimum dicitur. C. Cam. Eius. *pessimum pessimumque* dicitur.
7. Templum intellige. C. Cam. Templum *illud* intellige.
8. In ecclesia Dei potestatem quam primo forte ingredictur. C. Cam. In *ipsa Dei ecclesia* potestatem, quam *forte primo* ingredietur.
9. Quo improperando eum dixerat. C. Cam. Qui *eum improperando* dixerat.
11. Contra ecclesiam Christi sæuit. C. C. Contra *Christi ecclesiam* sæuit.
12. Eos decretis meis. C. Cam. Eos *meis decretis.*
13. Multitudo. Ascendam super. C. Cam Multitudo. *Possunt & per montem* & reliqua vsque ad. *Ascendam super.* H
14. Huiusmodi nubes. C. Cam. Huiusmodi *igitur* nubes.
15. Hoc ait quid. C. Cam. Hoc est quod.
16. Deus. Cauete sup. fra char. caue. Quam multi quod dolens. C. Cam. Deus. *Sed & cuilibet hæretico*, & cætera, vsque ad, *Cauete fratres charissimi, cauete superbiam.* Quam multi *enim* dolens.
17. Terrenis, nec eloquentia. C. Cam. Terrenis, *homo* nec eloquentia.
18. Qui spiritalibus, id est, cœlestibus præsim. C. Cam. Qui *cœlestibus, id est, spiritualibus* præsim.
19. Clarior exaltabo. C Cam. *Exaltabo clarior.*
20. Charitate se præesse. C. Cam. Charitate *præesse* se.
21. Laboribus, condescendens infirmitatibus. C. Cam. Laboribus *infirmitatibus condescendens.*
22. Iste Abbas esset! C. Cam. Iste *esset Abbas!*
23. Sui compos fuerit voti. C. Cam. Sui *fuerit compos* voti.
24. Appareat inferiorib. tuis. C. Cam. Appareat *te in sermonib.* tuis.
25. Qui viuit & reg. per omnia sæcula sæculorum. C. Cam. Qui *est super omnia Deus benedictus in* sæcula sæculorum.

Sermo Decimus-septimus.

HESTERNA die, fratres, de casu diaboli, quem in corpore suo patitur vel passurus est, pro ingenij nostri paupertate tractauimus: sed quia multi in ipsius perso-

A personam diaboli, ac primum eius casum, quo effe-ctus diabolus de angelo, de lucifero vesper à cœlesti corruit mansione, Prophetica hæc verba putant esse prolata, si quid in hac parte possumus, vobis non arbitror subtrahendum. Descripserat Poeta, sub nomine Regis Babylonis, diaboli vel in se, vel in membris suis interitum. *Detracta est vsque ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea, & putredo, & operimentum tuum erunt vermes.* Deinde ad pristinam eius gloriam, qua quondam fuerat in cœlestibus gloriosus, retorquens oculos, & tantam ac tam miseram mutationem ammirans, *Quomodo* inquit, *cecidisti Lucifer qui mane oriebaris?* Lucifer ideo dictus æstimatur, quod sicut stella illa matutina cæteris sideribus lucis serenitate præcellit, ita ille archangelus, cunctis angelis lucidior fuisse putatur. Cum ait Propheta Ezechiel, *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Deinde nouem lapidũ subiungit nomina, vt, secundum quosdam, nouem ordinibus angelorum probaretur ornatus, clarior cæteris sapientia, & decore cæteris eminentior. Quod autem mane ortus describitur, hoc esse arbitror, quod in libro Iob de diabolo scriptum intelligimus, *Ipse est principium viarum Dei.* Mane quod est diei principium, initium omnis creaturæ significat: dicitur ergo mane ortus, vel viarum Dei initium, quia sicut natura cæteris dignior extitit, ita creatione cunctos [1] præcessit. Alia translatio id manifestius declarat, qua dicitur. *Ipse est initium figmenti eius.* Quod autem te cœlo ceciderit ipsius Domini testimonio comprobatur, *Vidi* (inquit) *Satan sicut fulgur de cœlo cadentem.* Sequitur *Corruisti in terram qui vulnerabas gentes.* Terram vocat aerem hunc caliginosum, qui exhalationes contrahit è terra, in quem detrusos dæmones quasi in carcerem, Apostolus Petrus manifeste declarat dicens. *Qui Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reseruari. Corruisti in terram qui vulnerabas gentes.* Gentes si absurdum vobis non videtur, Angelorum illam intelligimus portionem, qui eius exemplo telo superbiæ percussi, sicut peccati illius participes, ita facti sunt pœnæ consortes.

Ezech.28.13. Iob.40.14. Luc.10.18. Pet.2.4.

B C

HACTENVS cucurrimus liberum habentes in expositione progressum. De his sane, quæ sequuntur, quid dicam? *Qui dicebas in corde tuo. In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Quærendum primum quod istud cœlum, quæ astra Dei hæc, quis mons iste testamenti, quæ aquilonis latera, quæ ista Dei similitudo? Cum enim credatur ante casum in cœlo fuisse, aliter quippe de cœlo non corruisset, in quod cœlum ascendere cupiebat? Sed & si angeli per astra intelligi debent, cum [3] ille excellentior prædicetur quomodo super eos solium suum exaltare desiderat? Obscura sunt hæc tangenda potius à nobis, quam exponenda. Itaque opinando, non affirmando procedamus. Videndum ergo primum, omnem creaturam mutabilem esse creatam, mens autem rationalis, quæ omnibus præeminet, si non esset facta mutabilis, creatoris sui non egeret auxilio, quippe quæ nec proficere in melius, nec in deterius posset deficere. Oportuit autem vt ei sua mutabilitas innotesceret, vt ipsa experientia doceretur se, sine sui conditoris auxilio, nec in eo bono, in quo conditus fuerat stare, nec ad sublimius aliquid posse conscendere, sic intelligent quod scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, vt omne os obstrueretur, & fieret omnis creatura subdita Deo. Itaque vt angelo, & homini naturę suæ mutabilitas ostẽderetur, necesse fuit vt vtetq; tentaretur; tentatus probaretur; probatus confirmaretur; quatenus in eis, qui vincerent, commendaretur gloria; in his, qui propria iniquitate delinquerent, appareret iustitia: quia nimirum ad gloriam rationalis spectabat creaturæ, vt ad beatitudinis plenitudinem, quæ ei fuerat creatoris sui beneficio conferenda, ex ipsius Domini sui gratia, aliquod eius procederet meritum, vt felicitas ipsa & donum esset, & præmium.

D

Psal.72.28. Rom.3.19.

Et tentationem hominis manifeste sacra scriptura declarat. Propositum est ei lignum pulchrum visu aspectuque delectabile, & ad vescendum suaue & dictum est ei ne tangeret. Hæc ei tentationis materia, vt si vinceret, ei esset abundantioris gloriæ causa. Forte igitur sicut homini lignum illud pulchrum, ita & angelo aliquid, in quo & ipse tentaretur. constat esse propositum, vt ipsa tentatione & naturæ mutabilitas probaretur, & libertas arbitrij commendaretur, cum in aliis gratia conferret præmium, in aliis iustitia irrogaret [4] supplicium. Vide ergo ne forte propositum sit illis cœlum illud, & mons ille testamenti, cuius dominatum, amori & obedientiæ sui creatoris, cum suis sequacibus solus ille præposuit, qui dixit in corde suo. *In cœlum conscendam. & cætera.* Sed quale hoc cœlum? & quomodo illi propositum est? Eia fratres mei, *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, de quo scriptum est. *Qui fecit quæ futura sunt.* Audi beatissimum Euangelistam Ioannem. *In principio erat verbum.* Et paulo post. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Omnia igitur antequam in se fierent, quantum ad creatorem facta perhibentur, quæ etiam in ipso creatore mirabiliter, & ineffabiliter dicuntur subsistere. Ibi loca sine loco, ibi sine temporibus tempora, sine corporibus corpora, ibi omnia sensibilia insensibiliter, omnia mutabilia immutabiliter, omnia moritura immortaliter viuunt. Ibi iste Isaias incarnationem Verbi, quæ necdum facta fuerat, quasi factam conspiciens *Paruulus* (inquit) *natus est nobis.* Ibi etiam passionem eius ammirans *Vidimus* (ait) *eum, & non erat aspectus.* Et deinceps. *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Ibi sanctus Dauid confixum clauis, cibatum felle, aceto potatum & multa alia quasi iam facta, præteriti temporis verbo commemorat.

Gen.2.15. 16.17.

E F

Eccle.18.1. Isai.46.10. Ioan 1.1.3. & 4.

Isai.9.6. Isai 53.2. & 12. Psal 68.22.

Non est ergo mirũ si angeli à creari, quibus erat natura sublimior, ipsius etiam Dei natura præsentior, in ipso creatore aliqua futura, quasi iam facta perspexerint; quæ alij superbe appeterent, alij omnibus aliis obedientiam sui conditoris præponerent. Forte ibi electorum paruam quidem multitudinem, sed humilem, sed suauem, sed suo creatori in omnibus subditam conspexerunt: aliam ex aduerso maiorũ numero, sed corde elatiorem, repugnantem Deo, minorem illam quamuis beatiorem societatem acrius impugnantem. Tentati sunt ergo ipsius liberi arbitrij mutabilitate, vtrum mallent subdi Deo in humilitate, quam talibus præesse in potestate. Vnde ille nequissimus omnium, qui omnium fuerat sublimissimus, iniquitatem meditatus est in cubili suo, in cœlum inquiens conscendam. Sicut societatem illam sanctam in qua regnaturus erat Deus, cœlum vidit nominandum, ita ipsos, in quibus ipse iam dominari affectabat, suum cœlum arroganter appellat: quamuis in ipsam sanctam societatem; quasi in ipsum Dei cœlum, quam à reprobis vidit impugnandam, ipse in eis, & per eos acrius impugnaturus, nitatur ascendere. *Super astra Dei locabo solium meum.* Solium suum dicit reprobos quosque in hoc mundo sublimes, in quibus maxime diabolus regnat, qui in hoc mundo etiam super astra Dei, Sanctos scilicet, accipiunt potestatem, vt tentent, vt premant, vt persequantur, vt puniant. Recolite fratres mei quam paruus erat Sanctorum numerus, quam abiectus, quam contemptibilis, quando omnis gloria mundi, Reges & Principes & Romani super omnia Imperatores contempto Deo & contempti à Deo, idolis sacrificabant, & paucos Dei cultores qui erant in Iudæa, dura seruitute premebant. Horum itaque sublimitatem in spiritu intuens & potestatem, Sanctorum etiam paucitatem & abiectionem, omne sublime videns, id est approbans & abiecta despiciens, ad illorum dominationem [5] istorumque oppressionem anhelans. *Supra astra Dei* (inquit) *exaltabo solium meum,* Et quasi diceretur ei. Quid ergo [6] facies Iudæis, qui mons testamenti dicuntur, qui tuis resistunt decretis? impia mox cogitatione respondet.

G H

Isai 14.13.

SEDEBO *in monte testamenti*, & si non in omnibus *in lateribus*, id est in partibus *aquilonis* illis videlicet, qui aquilonari frigore vitiorum, in suis cordibus mihi

A sedem parabunt. Ibi sublimes illi personæ Anna & Caiphas, id est, Scribæ & Pharisæi, quibus ad effectum meæ voluntatis abutar. Intuens deinde Dominum nubes suas vbique terrarum, vbi sibi resisterent mittentem, confidens in virtute sua, & in multitudine astutiarum suarum præsumens. *Ascendam* (inquit) *super altitudinem nubium.* (Isai. 14. 14.) Id est, prædicatorum, eos vel premens, vel fallens, *eroque similis altissimo*; vt sicut Deus habet Angelos suos, per quos suis consulat, suos [7] regat & attrahat: ita & ego habebo Angelos meos, refugos scilicet spiritus, Prophetas & Apostolos meos, quos nos pseudo-Prophetas & [8] pseudo-Apostolos nominamus, vt meos mihi attrahant, & [9] meæ per omnia subdant voluntati. Hæc non quasi verus Propheta ventura prædicit, sed quasi deceptus superbia, talem sibi dominatum vana cogitatione promittit. Eapropter licet verum [10] sit hoc eum dixisse, id est, ascensurum in cœlum, & solium suum super cœli sidera positurum, & cætera huiusmodi, si sano intelle-
B ctu non potest exponi quod hoc euenerit, intelligendum est eum cupidum dominationis in eos, quos in creatore relictos, non prædixisse ventura, sed verba iactantiæ [11] protulisse: nec putandum quod ita in corde locutus sit, quemadmodum nos per quasdam verborum imagines, quæ volumus, cogitamus; nec quod aliqua mora fuerit inter illam, quam diximus visionem, & superbam illam cogitationem; sed sicut sine aliquo momento temporis, in creatore quod ambiret aspexit; ita simul, sine aliqua mora temporis omnia, quæ his verbis significantur, mente concepit, & sic sine aliquo temporis interuallo corruit: quæ omnia nobis Propheta sine verbis, cum aliqua mora scriptis vel prolatis, notificare non potuit. Nam profecto superbus in cœlo stare non potuit, quod quidem aliquamdiu fecisset, si post conceptam ambitionem, cum temporis mora tanta ei cogitare licuisset. Sed admittamus illam quorundam opinionem, qua dicunt quod ipse cum his, qui ceciderunt, in inferioribus partibus, id est, in firmamento positus, ad sublime illud
C cælum, in quo Deus cum eis, qui non ceciderunt inhabitat, aspirauerit; vacillabit illa beati Gregorij expositio, super Ezechielis verba dicentis, (Eze 28.12.) *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in paradiso Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.*

Verum si illa eius expositio probabilis esse putatur, intelligendum est primum illum, qui corruit, inter cæteros angelos principatum habuisse, in quo secundum illum, Dei similitudo expressius fuit impressa, maxime cum plenus sapientia, & perfectus decore dicatur. Adijciamus etiam illud, quod idem pater super hæc ipsa verba, quæ habemus in manibus, montem testamenti populum dixerit Iudæorum; & quod beatus Hieronymus, hanc ipsam Prophetiam exponens astra cœlicos, qui fulgent in Ecclesia, interpretatus sit, montem etiam testamenti, Ecclesiam. Quomodo ergo ante casum in tanto decore positus, super eos, qui fulgent in Ecclesia, regnare, vel
D in ipsa Ecclesia sedere concupierit, nisi hæc omnia ibi prius vidisset, vbi erant etiam antequam facta [12] fuerant? Porro si & illa sententia approbatur, qua dicitur de singulis nouem ordinibus aliquos corruisse, manifestum est omnes, qui erant eiusdem ordinis, quantum ad præsentem statum eiusdem esse perfectionis. Quod ergo eorum peccatum qui corruerunt, nisi superbia? Et vnde ista superbia, nisi quia aliquid sublime, quod eis non debebatur affectabant? Et quid illud, & vbi viderant? Si secundum prædictorum sententias dominatum in Sanctos & in Ecclesiam, vbi illa viderunt, quæ necdum creata erāt? nisi ibi, antequam crearentur erant, hoc est in creatore: si autem hæc illi viderunt, qui postea corruerunt, quanto magis illi, qui in veritate steterunt? Omnes ergo viderunt. Quomodo ergo alij ceciderunt, alij perstiterunt? Nisi quod illi eleuati per superbiam, non Deo subdi, sed super ea quæ viderant dominari; isti vero Deo subdi magis, quam dominari maluerunt.

Hæc omnia si diligenter consideremus, animaduertimus omnes pares secundum ordinum gradus creatos, o-
E mnes esse eadem tentatione probatos, sed alios corruptos superbia corruisse, & alios ob tentatæ & probatæ humanitatis meritum, in illa, in qua nunc sunt, beatitudinis perfectione confirmatos fuisse. Multa adhuc de his occurrunt animo, quæ quia verbis explicare non valeo, hæc, q̄ diximus, vestris meditationib. examinanda committo, vt deinceps quis huius sit superbiæ finis, Propheta nos docente, discamus. Qui cum verbis quibus potuit, vel voluit, eius superbiam prodidisset, adiecit. *Veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci.* Digna retributio, vt qui cœlum conscendere voluit elatus, in infernum trahatur inuitus, nec ad quamlibet partem inferni, sed [13] qui summa petebat, ad inferni ima descendat. Hoc est quod ait. *In profundum laci.* Hoc etiam de membris eius, antichristo videlicet, & cæteris eius complicibus, * de quibus dici potest, quod post mundi huius gloriam impiumque dominatum, ad inferos sint [14] detrahendi, non ad superiores partes, in quibus dicuntur ante Dominicam incarnationem sancti fuisse, sed in pro-
F fundum laci, vbi ignis æternus præparatus est diabolo & angelis eius. *Qui te viderint ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Vere fratres qui viderit oculis cordis, diligenterque considerauerit ex quanta perfectione, & gloria corruerit diabolus, & angeli eius; ex quanta sanctitate, quotidie in baratrum turpitudinis corruant superbi, mirum est si non inclinatur, si non [15] humiliatur, si non ante oculos suos, & pristinam eorum gloriam, & præsentem infelicitatem obijcit.

(*Deesse videtur, *intelligatur* vel quid simile.)

Hoc est quod dicit, *Qui te viderint, inclinabuntur* humilitate; *teque prospicient* iugi recordatione. Sane quod dicit, *Ad te inclinabuntur*, ipsos maxime respicit, qui post lucis opera, post bonæ conuersationis initia, de consortio Sanctorum, quasi de cœlo cadentes, ad opera tenebrarum conuertuntur; ad quos boni quadam compassione inclinantur, eorum lugentes perditionem, quorum approbauerunt [16] sanctitatem. Recolite fratres miserum, qui, sicut Iudas inter Apostolos, ita ille inter nos vixit ha-
G bens quidem speciem pietatis, sed virtutem pietatis oppugnans. Quis eius recolens exteriora, & nunc videns interiora, non miretur lupum in oue, in agno leonem, in monacho furem tanto tempore latuisse? Felix qui hæc videns inclinatur timens sibi, compatiens illi, sicque manus suas lauat in sanguine peccatoris. Sed ad verba Prophetica redeamus. *Qui te* (inquit) *viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Sequitur vox insultantium ei, & post tantam felicitatem, tantam eius miseriam administrantium, *Nonne iste est vir, qui conturbauit terram?* Si placet charitati vestræ differamus ista vsque in crastinum, ne onus istud nimis nos oneret. Quod quia vos aliquantulum onerat vt intelligatur, rogemus Dominum vt sic oneret, vt [17] sentiatur, quod ideo vult intelligi, vt per eius gratiam caueatur. Qui viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES

H
1. Præcessit. Hactenus concurrimus. C. Cam. Præcessit. *Alia translatio*, & quæ sequuntur, vsq; ad Hactenus concurrimus.
2. Meum. Quærendum. C. Cam. Meum, *& cætera*, Quærendum.
3. Ille excellentior prædicetur. C. Cam. Ille *cæteris* excellentior prædicetur.
4. Supplicium. Sicut societatem. C. Cam. Supplicium. *Vide ergo ne forte*, & quod subijcitur, vsque ad, *Sicut societatem.*
5. Istorūque oppressione in. C. Cam. Istorum *quoque* oppressionem.
6. Facies Iudæis. C. Cam Facies *de* Iudæis.
7. Regat, & attrahat. C. Cam. Regat, *suos sibi subdat*, & attrahat.
8. Pseudo-apostolos nominamus, vt meos. C. Cam. Pseudo-apostolos *dicimus* vt meos.
9. Meæ per omnia subdant voluntati. C. Cam. Meæ *Subdant per omnia* voluntati.
10. Sit hoc eum dixisse, id est, ascensurum in cœlum. C. Cam. Sit *eum hoc dixisse*, id est, *se* ascensurum in cœlum.
11. Protulisse. Nam profecto. c cam. Protulisse. Nec putandum quod ita & quæ subsequuntur vsque ad, *Nam profecto.*
12. Fuerant, Veruntamen in infernum. c. cam Fuerant. *Porro si & illa sententia*, vsque ad, *Veruntamen in infernum.*
13. Qui summa. c. cam. Qui *cæli* summa.
14. Detrahendi, vbi ignis. c. cam. Detrahendi, *non ad superiores partes*, & reliqua vsque ad, vbi ignis.

15. Humiliatur, si non anie. C. Cam. Humiliatur, *si non timet, si non pauet,* si non anie.
16. Sanctitatem. Sequitur vox. C Cam. Sanctitatem. *Recolite fratres miserum,* vsque ad, *Sequitur vox.*
17. Sentiatur. Qui viuit. C. Cam. Sentiatur, *quod ideo vult intelligi,* & quæ adiecimus vsque ad, Qui viuit.

Sermo Decimus Octauus.

A

VErba Prophetica, quæ contra principem Babylonis figurate [1] dicuntur primum secundum ordinem Prophetiæ ad antichristum, & ipsius diaboli corpus retulimus; [2] deinde quomodo ipsi capiti poterant conuenire disseruimus, sic [3] vtriusque ruinam à sancto Propheta descriptam docuimus. Eundem itaque ordinem in his, quæ sequuntur, seruantes, dicamus virum nominati antichristum, non pro virtute, sed pro potestate. *Numquid iste est vir qui conturbauit terram?* Potuit tamen eum Propheta exprobando virum appellare, sicut de quolibet ignauo dicitur, O [4] qualis vir? *Numquid iste est vir qui conturbauit terram qui concussit regna.* Conturbabit certe antichristus terram, & regna concutiet,

B

Apoc.13.3. quando secundum Apocalypsim, homines terram inhabitantes mirabuntur post bestiam, & Reges, & regna quodam terrore concussi, ad illius pauebunt [5] potentiam. Vel per terram, illorum intellige conuersationem, qui non quæ sursum sunt sapiunt, sed quæ super terram, qui profecto visa eius potentia, in fide Christi conturbati scandalizabuntur. Porro regna, illorum Regum interpretare imperium, quorum cor in manu Dei est, de

Prou.8.15. quibus ait Dominus *Per me Reges regnāt*, quorum conuersatio in cœlis est. Ipsi sunt tunc temporis Sancti atque perfecti, qui concuti quidem possunt, sed subuerti non possunt, de qua concussione Dominus in Euangelio,

Mat.24.24. *Surgent* (inquit) *pseudoprophetæ, vel pseudoapostoli: & dabunt signa multa, ita vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi.* Sequitur *Qui posuit orbem desertum & vrbes eius destruxit.* Orbem vocat ecclesiam, de qua scriptum est.

C

Isai.14.16. Psal.95.10. *Etenim correxit orbem qui non commouebitur.* Hunc orbem desertum quodammodo faciet antichristus, quando per eum deseretur [6] à multis. In alia translatione scriptum est, *Qui posuit orbem quasi desertum.* Non enim vere deserta erit Ecclesia, qua tot continebit perfectos, sed quasi deserta, quia in comparatione illius multitudinis, qua nunc inhabitatur, quasi derelicta tunc videbitur & destructa. Cuius etiam vrbes destruet, conuenticula vtique eorum, qui in vna viuunt societate, quos vrbium nomine appellari posse, cum de antichristi persecutione tractaremus, sufficienter ostendimus. Destruet etiam ille nequam conuenticula sanctorum, dissipabit congregationes fidelium vel suis decretis subdendo, vel tormentis & proscriptionibus persequendo.

Et vinctis eius, id est orbis, *non aperuit carcerem.* Vincti orbis sunt hi, qui in ecclesia ignorantiæ tenebris inclusi, vinculis malæ consuetudinis constringuntur, de

Psal.118.61. quibus Propheta, *Funes* (inquit) *peccatorum circumplexi sunt me.* His vinctis pestilens ille non aperiet carcerem,

D

quos ab errore docendo nnn extrahet, sed actus suæ iniquitatis, & perfidiæ tenebris inuoluet. Si autem per virum [7] diabolum velis intelligi, non erit absurdum, cum & in psalmis, & in euangelio, & multis alijs sanctæ scripturæ locis, appellatus sit homo, secundum il-

Mat.13.28. Psal.9.20. lud, *Inimicus homo hoc fecit.* Et, *Exurge Domine non præualeat homo.* Ipse nec adhuc quidem cessat conturbare terram, & concutere regna. Terra dici possunt amatores mundi, & mundiales gloriæ sectatores, quos vtique nunc ira, nunc [8] inuidia, nunc bellis seditionibusque conturbat. Quicunque etiam nostrum fratres terram sapimus, aliquid etiam terrenum diligimus, huius cōturbationis expertes nō erimus, sed erimus profecto inuicē mordentes, & comedentes, & alterutrum inuidentes. Quod si cor nostrum de terrenis ad cœlesta leuemus, audituri non terra es, & in terram ibis, sed cœlum es, & in cœlum ibis; regna nostra, id est, virtutes, per quas iam Christo cæpimus conregnare, concuti quidem possunt, sed subuerti non poterunt: quomodo illius concessum est regnū, cuius pene moti sunt pedes, cuius pene effusi sunt gressus. Concussus est Iob sed non subuersus, Concussus [9] est Ioseph, quando pallium reliquit adulteræ, sed non est subuersus, qui carcerem stupro prætuli, vincula adulterio. Et nos quidem concutimur, quando tentamur; sed non subuertimur, si non consentiamus.

E

Psal.72.2. Gen.39.12.

Qui posuit orbem desertum Orbis nomine hoc in loco eos possumus accipere, qui ita sunt in orbe quasi in vrbe, circuitu semper laborantes, & ad finem numquam

Psal.11.9. peruenientes. De talibus ait Propheta, *In circuitu impij ambulant*, id est, in orbe. Hi tales non solum conturbantur vel concutiuntur, sed ita etiam subuertuntur, vt nullum in eis remaneat virtutis vestigium, vt quemadmodum solitudo bestijs, ita & ipsi exclusi virtutibus, à vitijs excludantur. Nota hæc tria genera hominum, quorum primum conturbatur, secundum concutitur, tertium subuertitur. Primum quia terra sunt, contrarijs passionibus agitati turbantur; secundum quia reges sunt, spi-

F

ritualibus nequitijs impugnantur; tertium [10] quia nihil in se habent constantiæ, sed circumferuntur omni vento doctrinæ, ab immundis spiritibus conteruntur. Huius orbis vrbes sunt conuenticula eorum de sanguinibus, præferentia speciem sanctitatis, vim eius & virtutes, abnegantia. Tales vtique vrbes princeps destruit tenebrarum, omnes eius muniriones, virtutum videlicet instrumenta cum virtutibus ipsis euertens. *Et vinctis eius* [11] *non aperiet carcerem.* Qui enim in talibus vrbibus vincti tenentur funibus peccatorum, Rex confusionis prosternet eos in carcerem desperationis, occludens eis ostium con-

Psal.68.16. fessionis; vnde Propheta, *Non me demergat tempestas aquæ,* id est, non me deijciat vis tentationis, *Neque absorbeat me profundum*, malæ consuetudinis, *Neque vrgeat super me puteus os suum*, seris desperationis claudens ostium confessionis. Ex hinc finem ipsius tentationis describens, onus quo ipse in nouissimis erit opprimendus in pœnis, cum

G

Isai.14.18. his, quos ipse oppressit peccatis, subiungit. *Omnes Reges Gentium dormierunt in gloria vnusquisque in domo sua, tu autem proiectus es de sepulchro tuo, sicut stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio.*

AVDITE hæc Reges terræ, qui concussi à Sathana non potuistis subuerti. Hic timor, hic labor, hic gemitus; hic in procinctu belli continuo positi, accipite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli; est enim merces labori vestro. Quæ merces inquis? *Omnes Reges terræ dormient in gloria* [12] Somnus certe gloriosus, quo Reges post victoriam sopiuntur, quia sicut

Psal.115.15. *pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius*; ita est nihilominus gloriosa. Quam gloriose ille Rex magnus, Paulum dico, occubuit, qui tot victoriis coronatus, somnum mortis lætus excepit, inter illos præcipuum obtinens locum, de quibus in Apocalypsi scriptum est. *Bea-*

Apoc.14.13. *ti mortui qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Omnes Reges dormient in gloria.* Magnum est [13] fratres dormire in gloria. Alij quidem obdormiunt in contumelia, alij in misericordia, alij in

H

gloria; in contumelia in peccatis perseuerantes; in misericordia pœnitentes; in gloria martyres & innocentes. Obdormiunt in contumelia, qui in suis sceleribus moriuntur; in misericordia, qui confusione & lacrymis pœnitentiæ, à suis sceleribus abluti sopiuntur; in gloria, qui multarum virtutum stipendijs gloriosi, angelicis manibus ad cœlestia transferuntur. Obdormiuit [14] diues in contumelia, & sepultus est in inferno; Lazarus in misericordia, q in sinū deducitur Abrahæ, ipse Abrahā in gloria [15] qui nō sibi, sed et Lazaro potuit esse cōsolationi. Ob-

Mat.27.5. Matth.9.2. Ioan.21.19. dormiuit in contumelia Iudas, qui laqueo se suspendit; in misericordia paraliticus, cui Dominus peccata dimisit; in gloria Petrus, qui Christum sua morte glorificauit. [16] *Vnusquisque enim in domo sua.* Hæc sunt illa æterna tabernacula, in quibus perfecti recipiunt imperfectos, illos scilicet, qui de māmona iniquitatis faciunt sibi amicos, dando temporalia vt consequantur æterna.

Hæ sunt in domo patris beatissimæ mansiones pro-

A varietate virtutum differentiæ habitationum.[17] Licet enim omnes perfecti in gloria dormiant, & ad regna Ioan.14.2. cœlorum omnes perueniant, *alia est tamen claritas solis,* 1.Cor.15.41 *& alia claritas lunæ, alia etiam stellarum. Et stella à stella differt in claritate.* Ideo omnes reges dormient in gloria, vnusquisque tamen in domo sua. Est præterea somnus contumeliosus iniquitas, somnus miserandus infirmitas, somnus gloriosus charitas. [18] Contumeliose Ephes.5.14. dormienti ait Paulus, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*[19] Dormienti in infirmitate vel pigritia dicit sermo Prou.6.9. diuinus, *Vsquequo piger dormis?* At sponsæ dormienti in- Cant.2.6. ter medios cleros, quæ de amplexibus sponsi gloriatur, [20] *Læua (inquit) eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; quæ inter verba[21] sponsi, super pectus sponsi suauiter requiescit. Voce sponsi somnus iste Cant.2.7. beatissimus confirmatur dicentis, *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis*[22] *dilectam, donec ipsa velit.* Rogo quando volet? Quando his carere amplexibus, ab his auelli vberibus, insuper sinu vel pectore volet separari? B Certe quando charitas ipsa, quæ eam hoc cœlesti somno sopiuit, excitare voluerit stans ad ostium, & pul- Cant.5.2. sans, *Aperi mihi soror mea* [23] *sponsa.* Audiens deinde illa caput amici plenum rore, & cincinnos eius guttis noctium, euigilat, surgit, aperit ostium, relictisque deliciis quibus fruebatur, ad capillos eius, id est, qui fide illi adhærent, qui ex nocte ignorantiæ aliquid aquilonaris frigoris contraxerunt, erudiendos, charitate sug- Rom.9.3. gerente, pertransit. Hinc beatissimus Paulus optabat anathema Christo esse pro fratribus, salutem multorum proprijs, licet summis, præponens delitijs. Eia fratres, omnes Reges Gentium, siue illi qui populis præsunt in ecclesia, siue illi qui cogitationes suas, sensus suos, motus etiam siue irascibiles, siue concupiscibiles, quasi diuersas gentes salutari regunt disciplina, in gloria dormiũt, vel in morte recipientes coronam vitæ, vel extracti à corporalibus, requiescentes [24] in contemplatione. Quod C autem alia translatio habet, Vir in domo sua, illud arbitror his verbis designari, quod quisque in conscientia sua, spreta aliorum æstimatione, lætatur, gloriam in semetipso habens & non in altero.

REGIBVS itaque sic dormientibus, quid erit de eo à quo concussi sunt? Quid erit? *Tu autem* (inquit) *proiectus es de sepulchro tuo, sicut stirps inutilis.* Ipsius antichristi, omniumque reproborum sepulchra eorum sunt corpora, in quibus anima eorum putredine vitiorum corrumpitur, & omnium immunditiarum sanie fœdatur: De quibus sepulchris tunc eijciuntur, quando [25] animæ à corporibus extractæ proijciuntur in tenebras exteriores. Proijciuntur autem quasi stirps inutilis, cui nihil aliud debetur [26] quam ignis. Dicitur etiam ipse antichristus, vel quilibet reprobus Pollutus, & Obuolutus. Pollutus, propter peccati contaminationem. Obuolutus, propter irrecuperabilem vitæ emendationem. Suis quippe peccatis dicitur obuolutus, qui in sceleribus vitam finiens, nulla spe euadendi consolatur. *Tu* (inquit) *proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pol-* D *lutus, & obuolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt vsque ad profundum laci.* Sed & ille, omnium iniquorum princeps, proijcietur de sepulchro suo quasi stirps inutilis. Sepulchrum eius omnes reprobi sunt, à quo tunc proijcietur, quando ipse quoque mittetur in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Permittitur enim nunc operari in filijs diffidentiæ, vt qui in sordibus est, sordescat adhuc. Cum autem impleta fuerit iniquitas peccatorum, & intulerit iniquis iustitia diuina supplicium, cum non sit vlterius cui peccatum suggerat, ab interioribus expelletur, & cum cæteris perditis in tenebras exteriores & ipse proijcietur. Qui & pollutus dici potest & obuolutus; pollutus scilicet sanguine multorum, quos gladio iniquitatis occidit; obuolutus malitia & desperatione, vt reparari non possit. Cuius sicut quam cæterorum maior est malitia, ita intolerabilior erit & pœna. Licet enim cum cæteris perditis ad fundamenta laci, id est, ad profunda descendat inferni, in ipso tamen profundo acriora expendet supplicia, qui non alieno suggestu peccauit, & alijs peccata suggessit. E Vnde Sequitur, *Quasi cadauer putridum, non habebis consortium, neque cum eis in sepultura.* Hæc est sepultura diuitis [27] purpurati, de qua dicitur in euangelio, *Mortuus est & diues, & sepultus est in inferno.* Luc.16.22.

Hæc sepultura cum omnium sit reproborum, in ea tamen non omnes æqualiter torquebuntur, sed sicut de zizanijs scriptum est, *ligate ea in fasciculos ad comburendum*, vt qui hic fuerint pares in culpa, æquales quoque efficiantur in pœna. At antichristus, vel princeps eius diabolus, sicut nullus est quem non superet in malitia, ita nullus est, cum quo consortium habeat in sepultura. Qui nimirum cadaueri putrido comparatur, vt eius abiectio, fætor atque confusio designetur. Deinde causam, pro qua talia passurus sit, subiungens ait, *Tu enim terram tuam disperdisti, tu populum tuum interfecisti.* Terram antichristi carnem eius vocat, quam ipse vitiorum passionibus disperdet vel bestijs spiritalibus disperdendam committet. Populum quoque eius ipsos in- F tellige, qui se ei regendos [28] committent, quos profecto nõ reget sed destruet, nec viuificabit, sed interficiet. Quamuis omnes fere codices non terram tuam, vel populum tuum, sed terram tantum, & populum habeant; vt intelligamus vel à diabolo, vel ab antichristo illos disperdendos, quos terræ inhærentes inuenerit; populum vero, id est, populos illorum, qui ratione honestius viuendo regebantur, ab eis spiritualiter esse necandos. Sequitur, *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.* Hæc est illa vocatio de qua dicit Apostolus, *Scimus quo-* Rom.8.28. *niam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Hac vocatione non vocabitur in æternum [30] semen impiorum, illud nimirum semen, quod tritico boni patrisfamilias inimicus superseminauit homo.

QVAM parabolam ipse Christus exponens, bonum Mat.13.25. (inquit) semen hi sunt filij regni, & zizania filij [31] ne- & 38. quam. Hoc semen est pessimum vel pessimorum, quia G propria voluntate, & pessimorum suggestione facti sunt pessimi. Hoc igitur semen pessimum non vocabitur in æternum, id est, in electorum numero non computabitur. *Præparate filios vestros occisioni in iniquitate patrum suorum.* Isai.41. 22. Quibus loquitur? Semini nimirum pessimo, id est, impiorum multitudini, qui ab antichristo vel diabolo non creati, sed per orbem dispersi, quasi seminati, sicut ipsi pessimi sunt, ita sibi doctrina & exemplo pessimos generant; quos alloquens Propheta, Præparate (inquit) filios vestros [32] occisioni. Prophetia est, non præceptum, sicut alias scriptum est, *Venite ad Bethel & impie agite.* Ac si di- Amos.4.4. ceret, Venietis ad Bethel & impie agetis. Sic & hic, Propheta cernens semen illud pessimum ab Antichristo, vel à diabolo generatum, ipsos sibi filios, errores & vitia suggerendo, generare, *Præparate (ait) filios vestros occisioni in iniquitate patrum suorum.* Ac si diceret, Sicut vos ab impijs generati, æternis estis supplicijs destinati, ita profecto filios, quos vobis vestris erroribus generastis, eidem occisioni, id est, damnationi præparatis. *Non consurgent, nec* H *hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum.* Ad reprobos arbitror hæc referenda quià pessimis doctobus internecioni parati, vlterius non consurgent; sed in carnis suæ sterquilinio putrescentes, ad illius terræ possessionem non poterunt peruenire, de qua ait psalmista, *Portio mea Domine sit in terra viuentium*, vnde Dominus in Psal.141.6. euangelio, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Neque* Mat.5.4. *implebunt faciem orbis ciuitatum*, id est, non implebunt faciem ciuitatum, quæ sunt in orbe. Per orbem significari ecclesiam superius diximus, cuius ciuitates sunt conuenticula fidelium, in vna societate viuentium, quarum facies est ipsa species sanctitatis, quæ in habitu, vultu, [13] victu, cæterisque huiusmodi coram hominibus lucet. Itaque cum fuerit princeps tenebrarum cum toto suo corpore in infernum sepultus, filij nequam ex patribus nequissimis generati, & iam occisioni, id est, extremæ damnationi parati, nec per pœnitentiam consurgent, nec ad speciem sanctitatis, quam oculis tantum hominum

exhibe-

A exhibebant, vlterius aspirabunt. Putabam me hoc sermone absoluendum, sed quia iam hora præteriit, modicum id quod restat, sequentis diei gaudio reseruemus, orantes vt sic in hac vita à Babylonis operibus liberemur, vt cum ea in futurum æternis suppliciis non oneremur per Iesum Saluatorem nostrum, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Dicuntur, primum &c. C. Cam. Dicuntur, *sicut meministis fratres carissimi*, primum.
2. Deinde quomodo ipsi. C. Cam Deinde *quemadmodum* ipsi.
3. Vtriusque ruinam. C. Cam. Vtriusque *etiam* ruinam.
4. Qualis vir! Conturbabit certe. C. Cam. Qualis vir. *Nunquid iste est vir*, & quod subiicitur vsque ad, *Conturbabit* cer e.
5. Potentiam. Porro regna. C. Cam. Potentiam. *Vel per terram*, & cetera vsque ad, *Porro regna*.
6. A multis. Destruet etiam ille. C. Cam. A multis. *In alia translatione*, & reliqua vsque ad, Destruet *itaque* ille.
7. Diabolum velis. C. Cam Diabolum *ipsum* velit.
8. Inuidia, nunc bellis seditionibusque. C. Cam. Inuidia, *Nunc ambitione*, nunc bellis seditionibusque.
9: Est Ioseph. C. Cam. Est *&* Ioseph.
10. Quia nihil in se habent. C. Cam. Quia *in se nihil* habent.
11. Non aperiet carcerem. C. Cam. Non *aperuit* carcerem
12. Somnus certe gloriosus. C. Cam. Somnus *sane* gloriosus.
13. Fratres dormire in gloria. Alij quidem obdormiunt. C. Cam. Fratres, *magnum est obdormire* in gloria. Alij enim obdormiunt.
14. Diues in contumelia. C. Cam. Diues *ille* in contumelia.
15. Qui non tibi. C. Cam. Qui non *solum* tibi.
16. Vnusquisque enim in domo. C. Cam. Vnusquisque (*inquit* in domo.
17. Licet enim omnes. C. Cam. Licet *igitur* omnes.
18. Contumeliose dormienti. C. Cam. Contumeliose *quippe* dormienti.
19. Dormienti in infirmitate. C. Cam. Dormienti *autem* in infirmitate.
20. Læua inquit eius sub C. Cam. Læua *eius inquiens* sub.
21. Vbera sponsi, super pectus sponsi. C. Cam. Vbera sponsi, *in sinu sponsi*, super pectus sponsi.
22. Dilectam donec ipsa. C. Cam. Dilectam *quoadusque* ipsa.
23. Sponsa. Audiens. C. Cam. Sponsa *mea* Audiens.
24. In contemplatione. Regibus sic dormientibus. c. cam. In contemplatione. *Quod autem alia*, & quæ sequuntur, vsque ad, Regibus *itaque* sic dormientibus.
25. Animæ à corporibus extractæ c. cam. Animæ *extracta à corporibus*.
26. Quam ignis. Sequitur. c cam. Quam ignis. *Dicitur etiam ipse*, & cetera, vt expressimus vsque ad, *Vnde* sequitur.
27. Purpurati, de qua dicitur in Euangelio. Mortuus est. c. cam. Purpurati *sicut scriptum est* in Euangelio. Mortuus est.
28. Disperdet. Populum quoque. c. cam. Disperdet, *vel bestiis spiritalibus disperdendum committet*. Populum quoque.
29. Committent. Sequitur non. C. Cam Committent. *Quos profecto non reget*, & reliqua vsque ad, *Sequitur non*.
30. Semen Impiorum, illud. C. Cam. Semen *pessimorum*, illud.
31. Nequam. Præparate. C. Cam. Nequam. *Hoc semen est*, & quod sequitur, vsque ad, *Præparate*.
32. Occisioni in iniquitate. c. cam. Occisioni. *Prophetia est, non præceptum*, & cetera vsque ad, in iniquitate.
33. Victu, ceterisque. c. cam. Victu, *ieiuniis, orationibus*, ceterisque.

Sermo Decimus nonus.

DE eo quod scriptum est *Quomodo cecidisti de cælo lucifer qui mane oriebaris*. Licet vobis sufficere videantur quæ dicta sunt, alius [1] tamen sensus mihi occurrit ad exponendum breuior & facilior ad intelligendum, quem operæpretium est, antequam ad alia transeamus, proferre in medium, vt eligat vnusquisque quod vult, cum ea sit humanæ mentis natura, vt eam sententiam semper æstimet veriorem, quam suæ capacitati audierit aptiorem. Itaque à verbis beatissimi Pauli sumamus huius expositionis exordium, qui de lege peccati & mortis salutare texens oraculum, *Regnauit* (inquit) *mors ab Adam vsque ad Moysen etiã in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* (Rom. 5.14.) Gerebat itaque mortis præpositus, id est diabolus, in homine principatum, ante Moysi legem videlicet regnans sine contradictione; lege autem subintrante, & peccato diuinis præceptis resistente, tyrannidem exercens. Vbi enim non erat lex, nec præuaricatio. Ideo lex subintrauit vt abundaret [2] delictum. (Rom. 5. 20.) Quid igitur ait Paulus, Constitutis (Rom. 6. 14.) non sub lege, sed sub gratia, peccatum (inquit) vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege sed sub gratia. Dominabatur proinde his qui erant sub lege. Igitur ab Adam vsque ad gratiam Christi dominabatur peccatum, & per peccatum præpositus peccati, ius sibi vendicans non solũ in reprobos, sed etiam in electos, necdum vocatos, necdũ iustificatos, necdum Christi sanguine redemptos. Hos à Propheta cælum vocari posse non inconuenienter existimat, qui vim prædestinationis, in qua facta sunt, quæ futura sunt, non ignorat. Cernens itaque Propheta regnum diaboli mane, id est in ipsa mundi exortum initio, totum fere mundum occupasse, Reges, & Principes, & omne hominum genus, præter paucissimos, idololatria polluisse, electos etiam & prædestinatos inuasisse, ammiransque eius tantam potestatem, Christi virtute prostratam. *Quomodo* (inquit) *cecidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris*? Lucifer vocatur, quia lucem scientiæ ferre videbatur, cum diceret, *Gustate & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* (Gen 3.5.)

F Cecidit de cælo & in terram corruit, quando ab electis electus, in solis reprobis, quasi in carcere inclusus, terram more serpentis [3] comedit Qui quidem Gentes vulnerabat, telo peccati mortalis confodiens. Qui dicebat in corde suo, *In cælum conscendam*. Videns certe diabolus instante iam Christi aduentu, totum humanum genus sibi subiectum nihil nisi terram sapere, paucissimos tamen Iudæorum Deo fide & operibus adhærentes cælestia meditari, elatus superbia, etiam ipsis se posse dominari confidit, *in cælum* (inquiens) *conscendam*. Vnde in beato Iob legitur, *Absorbebit fluuium & non mirabitur, & habebit fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* (Iob. 40. 18.) *Super astra Dei exaltabo solium meum*, id est super Sanctos [4] qui sunt in Iudæa. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis*, vt sicut in omnibus templis mundi sacrificatur, ita & in templo Ierosolymitano, de quo scriptum est. *Latera aquilonis ciuitas Regis magni*, (Psal. 47.3.) mea maiestas quasi diuina colatur. *Ascendam super altitudinem nubium*, id est omnium Prophetarum excellentiam, & existimationem transcendam. *Similis ero altissimo*, vt cum mihi fuerit Iudæa subiecta, tota terra mea sit, sicut totum cœlum Dei. Hinc est quod dominum tentans, de mundi totius Dominatu præsumpsit dicens, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* (Matth. 4. 9.) Optime ait scriptura. *Ante ruinam exaltatur cor.* (Prou. 16.18.) Eo quippe tempore quo sibi maiora promittebat, etiam [5] amisit quæ possidebat. Quasi secure possidebat atrium suum fortis armatus, sed superuenit fortior, *Dominus* videlicet *fortis & potens in prælio*, à quo fortis ille nectitur vinculis suis, & in infernum detruditur, vnde dicitur, *Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci*. De hac eius ruina Dominus in euangelio, *Nunc* (inquit) *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* (Ioan. 12. 31.) Qui te viderint oculis fidei sic eiectum, inclinabuntur humilitate, teque prospicient, id est cognoscent, vt qui te prius putauerunt fortem & magnum, sciant te in comparatione CHRISTI infirmum.

H *Nunquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concussit regna? faciens gentem consurgere contra gentem, & regna aduersus regna, qui orbem fecit Dei cultoribus desertum, qui tot destruxit vrbes, tot vinctos inclusit?* Quæ omnia eius suggestu ante Domini aduentum facta, nemo qui historias legit [6] ignorat. Expulsus itaque ab electis diabolus, & in cordibus reproborum quasi in carcere infernali inclusus, eos quos possidebat, ad persequendum Christi prædicatores & cultores, commouebat, de quibus subditur, *Omnes Reges Gentium dormierunt in gloria sua & cetera.* Quæ omnia, secundum quod superius exposuimus, intelligenda sunt. Itaque ab eo loco, in quo clausimus hesternum sermonem, deinceps procedamus. Et consurgam super eos, filios scilicet pessimos à pessimis patribus generatos, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem dicit Dominus. Nomen Babylonis est gloria mundi, reliquiæ Babylonis amor mundi, germẽ Babylonis affectus peccandi, progenies Babylonis cognitio, consensusque peccati. Nihil enim magis appetunt homines quam magnum nomẽ, quod sibi Babylonici vel

A diuitijs, vel stulta virtute, [7] vel scientia sæculari conquirunt. Quæ cum acquirere non potuerint, vel acquisita amiserint, habent quasdam omnium horum in corde reliquias, ipsum videlicet mundi amorem, qui ex iniquo germine pessimus affectus processit. Quorum progenies pessimæ sunt cogitationes, quasi paruuli filiæ Babylonis, de quibus Psalmista ait, *Filia Babylonis misera; Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram.* Quæ omnia in fine sæculi à Domino destruentur, quando nominis Babylonici nulla erit gloria, nulla in eius amore delectatio, nullus peccandi affectus: quando etiam secundum psalmistam *Peribunt omnes cogitationes eorum.* Sequitur, *Et ponam eum in possessionem ericij, & in paludes* [8] *aquarum.* Ergo in fine mundi ciuitatem confusionis ericij, & paludes possidebunt aquarum, vt spina peccati semper conscientia pungatur, & libidine & voluptate, instar cœnosæ paludis, fumum & fœtorem exhalante, cæcetur. *Et scopabo eam in* [9] *scopa terens, dicit Dominus exercituum.* Sicut domus scopis mundatur & euacuatur, ita omnem Babylonis gloriam, diuitias & delectationes disperdam, terens eam tormentis, & doloribus conterens.

Psal. 136.8. & 9.

Psa. 145.4.

B

Sed & nos, fratres charissimi, à quibus per aduentum Domini diabolus eiectus est foras, præparemus filios pessimi seminis occisioni, vt gladius Domini deuorans carnes, omnes carnales affectiones illicitasque delectationes, cogitationes etiam peruersas, ex carnali affectu quasi de pessimo semine generatas occidat, vt nec consurgant [10] vlterius, neque impleant faciem orbis ciuitatum, Ciuitates orbis memoriç nostræ meditationes intellige, q vtique memoria orbi comparatur, quia quicquid in orbe corporaliter haberi potest, totum à memoria imaginaliter comprehendi potest. Facies autem orbis vel ciuitatum, meditationum nostrarum intentio est, secundum quam omnia, quæ fiunt vel cogitantur à nobis, ab eo, quem nihil latet, iudicantur. Adesto ergo Domine Iesv, & super filios Babylonis misericordi seueritate consurge; vt in anima mea nomen pereat Babylonis, omnique confusione deleta, Ierusalem nomine [11] censeatur. Sed & antiquæ confusionis reliquias, id est, vitiorum imagines, quæ ipsis vitijs iam expulsis, in mentis meæ secretario resederunt, annihilare digneris, vt nec germen quidem vnde oriantur supersit, ne ipsius progenies germinis, pessimæ videlicet cogitationes & affectiones vlterius pullulent. *Et ponam* (inquit) *eas in possessionem ericij, & paludes aquarum.* Fiat Domine cor meum ericius plenus spinis, vt singulorum peccatorum meorum memoria, quasi spinis singulis compungatur, & sicut totam animam meam vitia possidebant, ita totam occupet compunctio salutaris, sicque libidinum suarum recordatione, quasi cœnosis paludibus stercorata pœnitentiæ fructus producere mereatur.

C

Sequitur, *Et scopabo eam in scopa terens.* Scopa terens cordis contritio est, qua Babylon in anima nostra teritur & conteritur, & omnes eius sputcitiæ egeruntur. *Prope est enim Dominus his qui contriuerunt cor, quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Sed & flagellum Dei scopa terens dici potest, quo visitat in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra, vt vitia conterens virtutes inducat, & suam à nobis misericordiam non [12] dispergat. Potest etiam, per semen pessimum hypocrisis intelligi, cuius filios simulatas dicimus esse virtutes, quas hypocrita quilibet occisioni parat, non mercedi. Qui profecto filij consurgere non possunt, quos peruersa intentio in ima demergit; nec terram hereditare viuentium, qui animam, vel ipsius animæ conscientiam exinanite possunt, implere non possunt. Super hos igitur filios consurget Dominus in malum, & non in bonum, vt perdat nomen Babylonis, id est, famam, quam falsis virtutibus acquisierat; & reliquias eius, & germen, & progeniem, vt nec ipsa virtutum species resideat; nec fructum, qui quærebatur in laudibus hominum, obtineat, imo quicquid huiusmodi simulando quæsierant, totum perdat. Ponitur deinde. *In possessionem ericij, & in paludes aquarum.* Hæc sunt duo vitia, in quæ Dei iudicio hypocritarum genus sæpissime ruit, Auaritia & Luxuria. Nam secundum sententiam Saluatoris, spinis diuitiæ & sollicitudines sæculi comparantur, quarum amore cum fuerit anima purgata, instar ericij suis armatur spinis confidens in virtute, & in multitudine diuitiarum suarum superbiens.

Psal. 50.19.

D

Mat. 13.22.

E

At paludes infertiles & lutosæ, in quibus cœno gaudentia repant animalia, luxuriæ immunditiæ comparantur, quæ vtique sordidæ sunt & lutosæ, in quibus spiritus insultant immundi, quorum princeps libentius sub vmbra dormit, in virore calami & iunci, quæ maxime nascuntur in paludibus, & locis humentibus. Talis anima scopatur, non vt mundetur sed vt conteratur. Sequitur, *Iurauit Dominus exercituum dicens, Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui sic eueniet.* Omnia quæ de onere Babylonis sanctus Propheta describit, Domini iurantis auctoritate confirmat, vt nemo dubitet esse ventura, quæ ab ipso Deo sub iureiurando constat esse prædicta. Quod autem Dominus iurare dicitur, cui etiam non iuranti credendum esse nemo qui dubitet, maximum veritatis & certitudinis inditium est. *Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui ita veniet.* Humano more loquitur hominibus, quia si loqueretur diuino, non intelligeretur ab hominibus. Verbum hoc (puto) non semper in ambiguis ponitur, cum Dominus iratus seruo suo sæpissime dicat, Puto quod Dominus tuus sim. Quod itaque dicit sese putare vel mente tractare, nulla dubitatio, nulla sollicitudo, nulla mentis distensio in Dei natura cogitetur, sed æterna & incommutabilis eius dispositio verbis quibus à nobis posset intelligi, insinuata credatur. Ideo autem existimatio vel tractatio posita sunt, vt sicut homines ea, quæ non præcipitantur, sed cum quadam hæsitatione & tractatu faciunt, finem optimum sortiuntur; ita Deus nullo mentis impetu, nullo fortuito casu, sed æterno suo consilio attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauer. Igitur sicut disposuit, sicut putauit, sicut voluit, sicut tractauit, sic eueniet. Quid eueniet?

F

Sapien. 8.1.

G

Vt conteram (inquit) *Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum.* Per Assyrium totam illam multitudinem spirituum superborum intellige, qui conteruntur [13] in terra Domini, & in eius montibus conculcantur. Refer hoc si placet ad primum Domini aduentum, in quo contritus est Diabolus in terra Domini, vt per terram paruuli & carnales intelligantur, quos ad solidi cibi perceptionem minus idoneos lacte potat Apostolus, *nihil* (inquiens) *iudicaui me scire inter vos, nisi Dominum* IESVM *& hunc* [14] *crucifixum.* In tali terra contriuit Assyrium Dominus, quando omnem eius astutiam, luce fidei coruscante, denudans, in eorum cordibus caput eius, quod est perfidia, diuina virtute comminuit. Porro per montes Apostolos atque perfectos intellige, quibus dedit Dominus potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. A quibus etiam ipsius diaboli iugum grauissimum ablatum est, quando computruit iugum à facie olei, & ille vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, ligato forti illo, captiuam duxit captiuitatem, & onus, quo eorum humeri premebantur sua virtute deposuit. *Et auferetur iugum eius ab eis & onus illius ab humeris eorum tolletur.* Est iugum siue onus iniquitatis, quod homo proprijs ceruicibus, diabolo suadente imposuit. Est quoque iugum, siue onus malæ consuetudinis, cui se homo male viuendo supponit. Est & iugum siue onus infelicitatis, cui hominem peccantem iustitia diuina prostrauit. Est graue quidem iugum vel onus peccati, quod vsque ad dominicam passionem ita mortales premebat, vt nullius iustitia, nullius virtute amoueri potuerit, sed cunctos non solum reprobos, sed etiam electos in infernum demersit, quamuis inter eos magnum chaos firmatum sit; istis, etsi non in gloria, in requie tamen constitutis, illis, locis pœnalibus infeliciter deputatis. At per passionem Christi contrito diabolo & conculcato, iugum istud onusque sublatum est, vt libero exhinc volatu, iusti quiq; atque perfecti ad cœlum vsq; ascendere potuerint.

Isai. 14.25.

1. Cor. 3.2.

1. Cor. 2.2.

Luc. 10.17.

Isai. 10.27.

H

Verumtamen fratres charissimi, adhuc nos iugum vel onus premit Assyrij, *sentientes nimirum aliam legem in membris*

A *Rom.7.23.* *bris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris nostris.* Graue hoc iugum fratres, graue hoc onus & intolerabile. *Rom.7.24.* *Quis nos liberabit de corpore mortis huius?* Quid de onere consuetudinis dicam? quod quicunque humeris suis incaute ingessit, sine graui dolore, nimioque labore deponere non poterit. Sed & *Eccle.40.1.* *graue iugum super filios Adam à die ortus sui, vsque in diem reditus sui in ventrem matris omnium.* Onerat paupertas, onerat infirmitas, somnolentia premit, pigritia deiicit, tristitia grauat, ira perturbat, fames & sitis affligit, suspicio confundit. Taceo persecutiones, orbitates, proscriptiones, diuersique generis innumerabiles morbos, terrores etiam & timores, ineuitabilesque labores, iniurias, calumnias, oppressiones, tentationes, murmurationes, detractiones, odia, maledicta, blasphemias, rebelliones, falsa iudicia, naufragia, quibus omnibus plenus est mundus, *Iob.14.1.* sicut ait beatus Iob, *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Quæ omnia cum ipsa, quæ omnium grauissima & vltima est, morte, vno infelicitatis B iugo, vel onere contineri manifestum est. Hoc est onus Babylonis, quo non solum illa premitur, sed quo ciues quoque Ierusalem, in ea peregrinantes premit. Felix, qui quamuis prematur his, non tamen opprimitur. Veniet certe dies, quo Assyrius penitus conteretur in terra, & in montibus conculcabitur: non in qualibet terra, nec in quibuslibet montibus, sed sicut Dominus ait, *Sicut cogitaui sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem illum.* Eia fratres contritus est Sathanas dominica passione, conculcatus est apostolica[15] prædicatione. Contritus est in terra infirmorum, conculcatus est in montibus perfectorum, quando primum ipso Domino, deinde Apostolis prædicantibus ab omnibus Gentibus atrocissimis renunciatum est eius legibus, quando fide credentium, persanctæ Crucis signaculum vbique, & à corporibus & à cordibus hominum eiectus *Matth.8.31* est foras. An non contritus & conculcatus videbatur, quando nec in porcos quidem per se habere potuit potestatem?

C Verum fratres non penitus contritus est nec conculcatus, cui adhuc relicta est tentandi facultas, cui in antichristo dabitur etiam sæuiendi, & persequendi potestas. At tunc plene conteretur & conculcabitur, quando nouissima inimica destruetur mors, quando in terra Domini, carne scilicet nostra iam æterna resurrectione glorificata, nullum diabolicæ potestatis remanebit vestigium, nec in montibus Domini, spiritibus scilicet nostris in excellentia contemplationis diuinæ suspensis, nullus esse poterit tentationis accessus. Conteretur (inquam) tunc penitus, quando ei tota tentandi, vel persequendi potestate sublata, in abyssum æternis ignibus cruciandus detrudetur. Tunc certe iugum hoc grauissimum infelicitatis, onusque ponderosissimum, quod multifarie, multisque modis in hac vita portamus, à nostris ceruicibus vel humeris auferetur, quando omni mortalitate, omnique infirmitate virtute resurrectionis absorpta, e- *1.Cor.15.55.* rumpemus in hanc vocem exaltationis, *Vbi est mors victoria* D *tua? vbi est mors stimulus tuus?* Hic est certe huius oneris finis, quo ciuitas confusionis, id est Babylon cum principe suo diabolo, æternis pœnis oneranda in infernum demergetur, & ciuitas pacis, id est Ierusalem cum suo principe Christo, quæ onus Babylonis, quo onerata est, vel prudenter cauit, vel magna virtute sustinuit, vel potenter euasit, in cœlum coronanda transfertur. Cauit quidem ne vitiis eius opprimeretur; sustinuit eum eius[16] persecutionibus vrgeretur; euasit cum excedens è corpore à requie exciperetur. Ne quis vero existimet de vna aliqua regione, vel ciuitate prophetam tam diuinum oraculum texuisse, omnem hinc ambiguitatem *Isai.14.26.* Dominus ipse excludens subiecit. *Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes gentes.* Quid manifestius? Ostendit quippe ea, quæ dicta sunt in hoc onere, ad vniuersum orbem, omnesque gentes pertinere, quæ quoniam in electis & reprobis diuisæ sunt, ad illos consilium, ad istos manum extentam æstimo pertinere.

E Profundum sane altumque consilium, quod electi cū reprobis in eadem societate viuentes, eodem miseriarum onere premuntur, & mirabiliter adiuuantur ne opprimantur; quod plerumque eisdem peccatis & criminibus [17] prægrauati, conuersione, & emendatiori conuersatione ab eis separantur; quod siue vitiis, siue doloribus, siue tentationibus onerentur, omnia eis in bonum cooperantur. At quam extenta manus Domini super reprobos, eorum non acceptans bona, nec mala diluens! quam extenta manus, qua omnia eis cooperantur in malum, cum & pœnis onerentur, vt delitiis corrumpantur; superbiant in virtutibus, ne quid ex eis mercedis consequantur; in peccatis non humilientur, vt veniam mereantur. Si malū deserunt, ad id denuo redeunt, si bonum quid inchoant, non perseuerant. Postremo reprobi æternaliter condemnantur, electi in vitæ æternæ gaudijs[18] coronantur. Quę omnia in hoc onere descripta, & à nobis vtcunque exposita meminisse debetis. Post verba autem Domini ea, quæ dicta sunt, confirmantis, ipse Propheta ex propria persona F subiungit, *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* *Isai.14.27.* De electis hoc dictum intelligo, de quorum salute diuini decretum consilij nullus poterit infirmare: *si enim Deus pro nobis quis contra nos?* Audi & stabile æternumque decretum, cui obuiare nemo qui audeat, quod mutare nemo possit vel debeat. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sunt eius.* *2.Tim.2.19.* Quod antem sequitur, *Et manus eius extenta, quis auertet eam?* ad reprobos vt superius diximus, arbitror referendum. Sicut enim certa, & stabilis est eius de electorum salute misericordia, ita pro certo stabilis est, & incommutabilis de reproborum damnatione iustitia. Sed iam in fine huius oneris, finem faciamus huius sermonis, obsecrantes Dominum & Deū nostrum, vt onus quod in vitiis est caueamus, onus quod in tentationibus, & miseriis est, viriliter sustineamus, vt illud, quod in pœna erit æterna, euadere mereamur, Per dominum nostrum Iesum[19] Christum cui honor & imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

G

VARIÆ LECTIONES.

1. Tamen sensus mihi occurrit; ad. C.Cam. Tamen *mihi sensus occurrit, &* ad
2. Delictum. Ab Adam igitur vsque. C.Cam. Delictum. *Quid igitur ait*, & cetera vsque ad, *Igitur ab Adam* vsque.
3. Comedit. Qui dicebat in cor. suo. In cœlum ascendam. C.Cam. Comedit, *qui quidem gentes*, & sequentia vsque ad, Qui dicebat in corde suo, In cœlum conscendam.
4. Qui sunt in Iudæa. C.Cam. Qui *erant* in Iudæa.
5. Amisit quæ possidebat vnde dicitur. C.Cam. Amisit *quod* possidebat. *Quasi secure*, & reliqua vsque ad, Vnde dicitur.
6. Ignorat. Et consurgam C.Cam. Ignorat. *Expulsus itaque ab electis*, vsque ad, Et consurgam.
7. Vel scientia clara conquirunt. C.Cam. Vel scientia *sæculari* conquirunt.
8. Aquarum vt spina peccati. C.Cam. Aquarum, *Ergo in fide mundi*, vsque ad, *vt spina.*
9. Scopa terens. Sicut domus. C.Cam. Scopa terens, *dicit Dominus exercituum.* Sicut domus.
10. Vlterius, neque impleant. C Cam. Vlterius, *neque terram cordis nostri hæreditent*, neque impleant.
H 11. Censeatur. Et ponam. C.Cam. Censeatur. *Sed & antiqua confusionis*, & cetera vsque ad, *Et ponam.*
12. Dispergat. Ponitur exinde. C.Cam. Dispergat. *Potest etiam per semen pessimum*, vsque ad, Ponitur deinde.
13. Terra Domini, vt per terram. C.Cam. Terra Domini *& in eius montibus* vsque ad, *vt per terram.*
14. Crucifixum. Porro per. C.Cam. Crucifixum. *In tali terra*, & quod sequitur, vsque ad, *Porro per.*
15. Prædicatione. An non. C.Cam. Prædicatione. *Contritus est in terra*, & quod subiicitur vsque ad, *An non.*
16. Persecutionibus vrgeretur. C.Cam. Persecutionibus *premeretur.*
17. Prægrauati, conuersione &c. C.Cam. Prægrauati, *morum* conuersione &c.
18. Coronantur. Post verba. C.Cam. Coronantur. *Quæ omnia in hac*, vsque ad, *Post verba.*
19. Christum, cui honor &c. C.Cam. Christus, *qui viuit & regnat* per omnia &c.

Sermo Vigesimus.

A

ONere Babylonis exposito, onus Philistijm exponendum suscepimus, vestris multo magis orationibus quam nostris viribus freti. Propheta igitur nomine Babylonis generaliter mundum, qui in electis reprobisque diuiditur, intelligens, quo fuerant onere vel premendi vel opprimendi, mystico sermone descripsit, Domino attestante qui ait, *Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes gentes.* Nunc de genere ad speciem transiens, singularum Gentium singula describit onera, vt quod paucis verbis de toto prophetauerat, per partes enucleatius exequatur. Et primum quidem contra Philistijm diuini iudicij pandit consilium, qui cadentes poculo interpretantur. Per quos Iudæos arbitror designari, qui legis littera quasi vino veteri inebriari, à gratia exciderunt. *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Qui enim in lege iustificari se arbitrantur, à gratia exciderunt. Hoc est vinum illud vetus, quod defecit in nuptijs, quoniam Dominus noster Iesus Christus procedens de vtero virginis, tanquam sponsus de thalamo suo, legalibus sacramentis quasi vino veteri finem dedit, & euangelij vinum nouum omnibus, ad magni Regis filij nuptias vocatis propinauit. Iudæi igitur legis litteræ inhærentes, & legislatorem ignorantes, quasi potati, & inebriati clamauerunt dicentes. *Nos legem habemus & secundum legem debet mori.* O ruina! O casus! *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Magnus casus, magna ruina à Christo cadere, & Cæsari adhærere. Et congrue satis de plurimarum Gentium tractaturus interitu, à Iudæis sumit exordium, qui primi omnium Christum suscipientes, ab eius fide primi omnium corruerunt. Sic ergo incipit.

Isai. 14. 26. — Rom. 10. 13. — Ioann. 2. 3. — B — Ioan. 19. 7.

In anno quo mortuus est Rex Achaz, factum est onus istud. Achaz Rex pessimus & superbissimus, diuinæ legis contemptor, & idolorũ venerator, diabolum significat. Vita autem eius regnum eius potest intelligi, quod in genere humano ob culpam primæ præuaricationis obtinuit. Quando igitur mortuus est Rex Achaz? Quando certe impletum est quod ait Dominus per Prophetam, *Ero mors tua ô mors.* Denique traduxit in Cruce principatus & potestates, palam triumphans eos in semetipso. Itaque fratres quamdiu diabolus in omnes gentes habuit potestatem, populus Iudæorum sua prosperitate gaudebat, habens templum, altare, ephod, Saraphim, Sacerdotes & sacrificia. At in anno, id est, in tempore, quo mortuus est rex Achaz, quo videlicet diaboli destructum est imperium, cœpit plebs illa graui miseriarum onere [1] prægrauari. Addidit quippe onus oneri, peccata peccatis, & qui prius Dominum crucifixerant, postmodum in eius discipulos grassabantur. Vnde & infelicitas infelicitati successit, donec abrasi de terra viuentium, à terra etiam morientium, quæ illis fuerat in hęreditatem concessa, penitus [2] delerentur. Hoc ergo onus cœpit spiritualiter fieri, cum intelligibilis ille Achaz suos in hominibus amisit imperium, quod factum est, id est, reuelatum prophetæ in anno, quo Rex Israel Achaz mortis debitum soluit. *Ne læteris philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga possessoris tui.* Recordamini fratres consilium illud, quod contra Dominum populus ille legitur collegisse, in quo à Caipha pontifice decretum est, oportere vnum mori hominem ne gens tota pereat: *Si enim (inquiunt) dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Viderat in somnis Sanctus patriarcha Ioseph quod esset à fratribus adorandus, quod ne fieret venditur in Ægyptum, per quod tamen accidit vt fieret. Occidendum itaq; Christum autumant, ne credentibus in eum populis, Romani eis & locum auferrent & gentem, cum ideo quia occisus est, totus in eum crediderit mundus, nihilominusq; venerint Romani, & gentem eis abstulerint & locum. Verumtamen ab hoc timore sibi videbantur liberati, quando posito in cruce IESV, & in mortem resoluto,

Isai. 14. 28. — C — Isai. 13. 14. — Coloss. 2. 15. — D — Isai. 14. 29. — Ioan. 11. 50. & 48. — Psal. 13. 5. — Gen. 37. 9.

E

nomen eius & virtutem se extinxisse gaudebant.

Reuocemus ad memoriam ea, quæ de Philistæis & Sampson sacra narrat historia, vbi manifeste Philistæi Iudæorum, Sampson autem Domini Saluatoris tenet imaginem, qui missus ad oues, quæ perierant domus Israel, meretricis Dalilæ, Ecclesiæ videlicet de gentibus concupiuit amplexus. Hic igitur Sampson à Philistæis quot [3] passus sit iniurias & insidias, quibus appetitus vinculis, quibus etiam minis pulsatus [4] sacra produnt Euangelia. Obseruant os eius Scribæ & Pharisæi, quæstiones obiiciunt, diuersarum causarum sententias exigunt, multa de lege, multa de Prophetis opponunt, vt esset vnde accusaretur, vnde iudici, vnde morti ex sententia traderetur. Veniunt autem cum quæstionibus quasi cum vinculis, quibus ruptis toties liber exiuit, quoties ab ipsis fuerat impetitus. *Licet (inquiunt) censum dare Cæsari annon?* Laqueum parauerunt pedibus eius, sed inciderunt in illum *Reddite (inquit) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Sic & de adultera, Moyses præcepit huiusmodi lapidare, quid tu dicis? Ille sic vincula rupit, vt adultera liberata, illi sua sententia ferirentur & propriæ conscientię accusationibus lapidarentur. Tandem ille Sampson amore meretricis resolutus in somnum, nudatus crine, fortitudine pariter spoliatur, Philistinorumque traditus potestati, irrisioni patuit & dolori. Sic & meus Sampson amans meretricem, quæ sub omni ligno frondoso, & in omni collo nemoroso prostrata, quot idola venerabatur, tot quasi adulteriis polluebatur, crinem deposuit, fortitudinem abscondit, vincula suscepit. Elapsis discipulis quasi caluus ascendit locum Caluariæ, & Iudæorum traditus voluntati, irridetur pendens in Cruce.

Iudic. 16. 4. — Mat. 22. 17. & 21. — F — Ioann. 8. 5.

Cernens autem Propheta in spiritu lætitia væsana perfusos ante Crucem agitare caput, improperare miracula, suadere descensum, hanc ineptam compescit lætitiam dicens, *Ne læteris Philistæa omnis tu, quia comminuta est virga [5] percussoris tui.* Percussorem suum putabant ipsum IESVM, qui percutiebat terram virga oris sui, terram cogitantes, & terram sapientes salutaribus verbis corripiens, Scribas & Pharisæos, nunc superbiæ arguens, nunc hypocrisis notans, nũc auaritię condemnãs; *Væ vobis,* inquit, *Scribæ & Pharisæi, qui estis sicut sepulchra dealbata.* Et iterum, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentam, & anetum, & omne olus, & grauiora legis dimittitis.* De parabola quoque qua coloni, quibus commissa est vinea, primum seruos, postremo autem occiderunt hæredem, quomodo percussi sunt, cum interrogante Domino, quid facturus esset Dominus vineæ talibus agricolis; responderent. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Quorum sententiam Saluator non ingrate accipiens, *ideo,* inquit, *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Quomodo præterea percussi sunt, quando de censu Cæsaris rogatus sententiam, *Reddite,* inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Sed & de adultera iudicium exigentes vt vel Moysi obuiaret, vel leges misericordiæ præteriret, virga oris sui quasi grauiter percussi, cum diceret, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat,* vnus post vnum exierunt, cum sola misericordia solam miseram relinquentes. Itaque velut percussionibus eius liberati, insultant in Cruce pendenti, præ lętitia caput mouentes & dicentes. *Si filius Dei est descendat de Cruce.* O Philistæa! O ebria! O potionata! ô væsana! Cadis, ruis, prosterneris. Comminuta tibi videtur virga, id est potestas percussoris tui; capto insultas Sampsoni, cui capilli abrasi sunt, cui eruti sunt oculi; *ne læteris Philistæa omnis tu.* Morietur Sampson, comminuta videbitur potestas eius; sed mors eius tua est desolatio, filiorum oppressio, & gloriæ vestræ diminutio, ruina templi, sublatio sacerdotij, totius plebis dispersio, Ideo *ne læteris Philistæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* Quod autem dicit (*omnis tu*,) magnitudinem gaudij, quo in Christi morte exultabant, expressit. Ne læteris, ne gaudeas, ne exultes, ne insultes, non enim tantum scelus diuina iustitia dimittet inultum. Quoniam enim characterem veritatis non receperunt, vt salui

Mat. 27. 39. — G — Mat. 23. 27. — Mat. 23. 23. — Mat. 21. 41. — Mat. 22. 21. — Ioan. 8. 7. — H — Mat. 27. 42. — 2. Thes. 2. 10.

A Ioan. 5. 43. vt salui fierent, mittet illis Deus operatorem erroris, vt credant mendacio. Hinc Dominus in Euangelio, *Ego veni* (inquit) *in nomine patris mei, & non recepistis me; alius veniet in nomine suo, illum recipietis.* Ipse est operator erroris, à Iudæis in fine sæculi suscipiendus, digno Dei iudicio, vt qui contempserunt Christum, habeant antichristum. Vnde subiungitur, Isai. 14. 29. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.*

Cum sanctus patriarcha Iacob filios benediceret, & inter ceteros Dan benedicendus accederet, ait de eo, Gen. 49. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes* [6] *in semita.* Colubrum eum quidam idcirco æstimant appellatum, quod serpentis illius tortuosi machinamento, de eius semine Antichristus sit nasciturus. Isai. 11. 1. Sicut igitur exiit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, id est Christus, ita nimirum de radice Dan qui dictus est coluber, egredietur regulus, id est antichristus. Regulus, qui & basiliscus, rex serpentium dicitur, afflatu suo atque conspectu B homines perimens. Comparatur autem serpens iste antichristo, qui eius virtute & malitia plenus erit, & rex est serpentium, id est princeps dæmoniorum; cuius afflatus nequitia, & illuminatus scientia, plures à fide veritatis occidet. Quos enim fallit astutia, aspectu eius puta esse percussos; quos autem malitia cogit, eius afflatu scias esse occisos. *Et semen* (inquit) *eius absorbens volucrem.* Singularem numerum ponit pro plurali. Sicut bonum semen verbum Dei, ita profecto semen pessimum verbum antichristi. Verbum itaque eius, prædicatio eius, doctrina eius, quasi semen eius absorbebit Iudæos, non omnes tamen, sed illos, qui superbia tumidi, nec ad cœlum possunt ascendere, nec in terram per humilitatem volunt descendere, sed sicut volucres in hoc inani inter cœlum pendentes & terram, eorum merentur consortium, qui proiecti de cœlo, in hoc aëre caliginoso sortiti [7] sunt locum. Potest & per radicem colubri diaboli malitia significari, quam iusto Dei iudicio, contra Iudæos permissus est exercere, ad eorum interitum Gentes incitans, C & ne suæ saluti consulerent, eorum corda obdurans. De radice enim colubri, id est ex suggestione diaboli egressus est regulus superbia, odium, indignatio Romanorum, quorum tunc Imperator pessimus Nero, regulo venenoso non immerito comparatur; cuius semen, id est voluntas, quam ex colubri afflatu concepit, Vespasianum misit in Iudæam, qui cum filio suo Tito omnem potentiam, & superbiam, & gloriam Iudæorum absorbuit. *Et pascentur primogeniti pauperum.* Improperat sermo propheticus infelici populo odium, quod non solum in Christum, verumetiam in eius discipulos exercebant. Quamdiu enim eorum durabat imperium, non cessabat à discipulis Christi persecutio Iudæorum, à quibus alij occisi, alij lapidati, alij suis fugati sunt sedibus, alij flagellis attriti.

Cernens itaque Propheta in spiritu, post hæc omnia Iudæos multis malis affectos, Christi vero discipulos, post eorum persecutionem, imo & in ipsa eorum persecutione, D bonæ conscientiæ confidentia alacres, *Et pascentur* (inquit) *primogeniti pauperum.* Pauperes sunt de quibus Dominus in euangelio, Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Isti sunt pauperes qui abrenunciantes mundo, & omnibus diuitiis eius, valefacientes etiam patri & matri, fratribus & sororibus, agris & possessionibus, nudi nudum Christum sequuntur. Quorum omnium primogeniti sancti fuerunt Apostoli, & discipuli Christi, qui hanc primo doctrinam ex eius ore audientes, secura conscientia dicebant, Matt. 19. 27 *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Quid ergo* [8] *erit nobis?* Hi ergo primogeniti pauperum cum viderent Iudæos fame verbi Dei laborantes, & Romanis eorum metropolim oppugnantibus, sub maximo timore viuentes, ipsi diuini verbi dapibus, & multorum fide ad Deum quotidie conuertentium pascebantur, & in bonæ conscientiæ tranquillitate, & spei sanctæ certitudine quiescentes, cum Rom. 8. 35. magna fiducia proclamabant, *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an periculum, an gladius?* E Ait ergo *Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Vere fiducialiter in Christo requieuit Petrus, quando præcipientibus sacerdotibus, ne loquerentur in nomine Iesu, respondit, Actu. 5. 29 *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Quanta etiam fiducia quiescebat Paulus, quando in conspectu iudicis stans, tam fortia de Christo eiusque præceptis disseruit, vt tonitruum verborum eius Festus non sustinens, Act. 26. 24 *Insanis* (inquit) *Paule, multæ literæ te ad insaniam prouocant.* Sane quies ista tranquillitatem mentis significat, qua nec suis persecutoribus irascebantur, quia nullo, aduersus odientes se, odio mouebantur, quia pro inimicis orare, malefacientibus benefacere, pro eorum vita, qui [9] eorum vitam sitiebant, didicerant laborare. Hinc est quod Stephanus pro lapidantibus intercedit, Actu. 7. 59 Actu. 5. 40. & 41. Petrus verberantibus verbum salutis non subtrahit, Paulus pro eis qui semel eum lapidauerant, quinquies verberauerant, 2. Cor. 11. 24 plures à quibus occideretur parauerant, & Rom. 9. 2 tristitiam magnam habet, & continuum dolorem cordis. F

Sed illis fiducialiter agentibus, & in charitatis suauitate quiescentibus, quid Philistæis factum est, à quibus Sampsoni nostro illusum est? audi quod sequitur, Et interire faciam fame radicem tuam, & reliquias tuas [10] interficiam. Radicem populi illius ipsam ciuitatem possumus intelligere, cui vrbes cæteræ, omniaque suburbana innitebantur; sicut rami à radice, sic ab ea status sui prosperitatisque expectantes viriditatem. Et certe cum plures in ipsa ciuitate obsidionis tempore peste sæuirent, fames tamen cæteris præualebat, per quam defensoribus vacuata captioni facile paruit, & Romano exercitui victoriam ministrauit. Interiit fame radix eius, quando incenso templo ciuitas pariter ruit, & tota illa nobilitas aut fame, aut gladio [11] periit. Superfuerunt tamen in eodem loco paruæ reliquiæ, quæ nihil correctionis de tanta calamitate sumentes, ab Ælio Hadriano vel interfectæ sunt, vel dispersæ, ita vt ne adhuc quidem in ea terra, quæ eis data fuerat quasi in perpetuum possidenda, vel vnus inueniatur Iudæus. G Possunt Pontifices & Sacerdotes radix gentis appellari, quoniam sicut vitalis succus à radice procedens, per totum arboris corpus ramosque diffunditur, ita per legis doctrinam à Sacerdotibus ministratam, reliquæ plebi salutis remedia parabantur. Acto. 13. 46 Qui quoniam verbum Christi repulerunt, & indignos se iudicabant regno Dei, ipsis fame pereuntibus, eorum reliquiæ, id est cætera multitudo vitam, quæ Christus est, deserentes, æterna morte puniti sunt. Hæc secundum futurorum præuaricationem dicta, moraliter sunt repetenda, vt fidem, quam prophetiæ veritas confirmat, ornent mores, vita commendet, finis coronet. Et hoc quidem onus Philistiim, non secundum id solum intelligendum est, quo premitur Philistiim vel opprimitur, sed etiam secundum hoc, quod vel premit vel opprimit. Caueamus proinde fratres charissimi à Philistæis opprimi, quoniam vt non premamur cauere non possumus. Simus ergo sicut Sampson Nazaræi, id est Domino consecrati, & crescente capitis nostri cæsarie, sancti efficiamur. H Crines nostri, in quibus est nostra maxima fortitudo, non prodantur meretrici, & sic nec vinculis constringi, nec gladiis terreri, nec includi carcere, nec à multitudine poterimus superari. Et si forte exultent Philistæi, & si aliquando capti videamur, eorum iam vinculis mancipandi, audient à Propheta, *Ne læteris Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui.* Sed quia hæc latius & manifestius prosequenda sunt, reparemus silentio vires, sensum oratione, & ad hæc indaganda mysteria crastino conueniamus, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi [12] cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* * *

A

VARIÆ LECTIONES.

1. Prægrauari. Vnde infelicitas. C. Cam. Prægrauari. *Addidit quippe onus* & cetera vsque ad, Vnde *&* infelicitas.
2. Delerentur. Ne læteris. C. Cam. Delerentur. *Hoc ergo onus*, & reliqua vsque ad, Ne læteris.
3. Passus sit iniurias & insidias. C. Cam. *Passus sit insidias.*
4. Sacra produnt Euangelia. C. Cam. Sacra *nobis* produnt Euangelia.
5. Percussoris tui. Velut percussionibus. C. Cam. Percussoris tui. *Percussorem suum putabant eum*, & quod subiicitur vsque ad. *Itaque* velut percussionibus.
6. In semita. Sicut igitur exiit. C. Cam. In semita. *Colubrum eum quidam* & quod adiacet vsque ad Sicut *ergo* exiit.
7. Sunt locum. De radice enim colubri. C. Cam. Sunt locum. *Potest & per radicem colubri* & quæ sequuntur, vsque ad. *De radice enim colubri.*
8. Erit nobis? Vere fiducialiter. C. Cam. Erit nobis? *Hi ergo primogeniti pauperum*, & reliqua vsque ad. *Vere fiducialiter.*
9. Eorum vitam sitiebant. C. Cam. Eorum *mortem* sitiebant.

B

10. Interficiam. Interiit fame radix eius quando incenso C. Cam. Interficiam. *Radicem populi illius* & cetera vsque ad. *Igitur* interiit fame radix eius, *quoniam* incenso.
11. Periit. Possunt pontifices &. C. Cam. Periit. *Superfuerunt tamen in eodem loco*, & reliqua, vsque ad, *Possunt etiam.*
12. Cui honor & gloria C. Cam. Cui *est* honor & gloria.

Sermo vigesimus Primus.

ONVS Philistiim, quod post onus Babylonis cum vestra charitate tractandum suscepimus, paucis quidem verbis Propheta comprehendit, qui tamen sensuum profunditate multorum verborum materiam ministrauit. Itaque fratres de Allegoticis montibus, ad plana tropologica descendentes, ad ipsius oneris principia redeamus, dicamusque per Philistijm superbos quosque intelligi, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine gratiarum spiritualium gloriantur. Hi sunt, qui cum Lot egressi de Sodomis, & montem virtutum conscendentes,

C

inebriantur à duabus sororibus superbia, & vana gloria, & sic insensibiliter ad turpiora illecti, etiam in abominationes pessimas dilabuntur, vt merito dicantur Philistiim, id est cadentes potione. Videat charitas vestra fratres. Cum naturaliter singulis expulsis vitiis singulæ virtutes succedant, hæc superbia, vicinior virtutibus quam vitiis, quanto magis quisque profecerit, tanto aduersus eum acrius conualescit. Est autem multiformis hæc bestia, quæ vix caueri potest, extingui autem in hac vita nullo modo potest; quippe cum mors sua vitæ materia sit, indeque robustius surgat, quo certius putatur extincta. Intelligitis[1] quæ dico. Qui honores appetit, manifeste superbit: qui vero honoris contemptu superbiam extinxit, plerumque ex ipsa eius extinctione superbiens, pernitiosius euanescit. Cum bonum aliquid facis, latebras quæris vt superbiam caueas, quam quia caues mox acrius toleras. Hinc autem fratres quanta sit eius vehementia, quantumue in ea periculum, æstimate, quod mens mortifero

D

hoc toxicata veneno, non nisi alterius veneni æquè letiferi, quamuis minus periculosi, curatur antidoto. Quis enim nesciat luxuriam æque vt superbiam æternam animæ mortem inferre? Attamen periculosior ista, quæ vt expellatur admittitur illa. Vix enim superbus libidinis euadit voraginem, quæ ei vel erroris mercede iuste attribuitur, vel ad pessimum illud vulnus sanandum, misericorditer adhiberi permittitur. Quosdam enim qui euanuerunt in

Rom.1.24. cogitationibus suis, dicentes se sapientes cum stulti fuerint, tradidit Deus in passiones ignominiæ, in immundi-

1.Reg.11.2. tiam. Dauid quoque cum forte subditis sibi alienigenis, animum ab innata sibi humilitate altius extulisset, in Bethsabee resultans amorem, quasi de cœlo in cænum ruit, tanto felicius erigendus, quanto fuerat propriam infirmitatem expertus. In anno itaque quo mortuus est Rex Achaz, factum est onus istud. Quamdiu viuunt in te vitia, quorum incentor est Achaz, & colluctatio grauis est tibi cum carne & sanguine, crebraque tibi, licet optime pugnanti, vulnera infliguntur, non[2] audet bestia illa caput erigere, non audet aduersus tumidum & pauidum in procinctu

positum, & quotidie mori formidantem, exitialem inire conflictum. At si mortuo Achaz, quieuerint incentiua[3] E

libidinum, auaritiæ æstum, iræ impetum, horrorem tristitiæ, voracitatem gulæ, liberalitas, tranquillitas, lætitia spiritalis, sobrietasque suppresserit, mox coluber tortuosus caput erigit virulentum, ac veneni sui suggestione animã inflans, primo virtutibus reddit inanem, deinde sub ipso tumore vitiorum putredinem generans, in ea, quæ se euasisse gloriabatur, vitia prosternit.

Igitur quasi in virtutum culmine positos, & iam non in Domino, sed in se gloriari incipientes alloquitur sermo propheticus. *Ne læteris* inquiens *Philistæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* Ne læteris Philistæa, quæ iam potionatis calice superbiæ, quæ inebriaris vino lætitiæ, quæ iam incipis ad inferiora de superioribus ruere. Ne læteris quia comminuta est virga percussoris tui. Iste Achaz percussor noster est, cui plerumque dat Dominus virgam in manu vt percutiat, vt flagellet, affligens tentationibus,

& suggestionibus quatiens. Quæ quidem virga tunc com- F

minuitur, quando ei tentandi potestas subtrahitur.[4] Veruntamen ne læteris ô Philistæa quasi iam euaseris, ne glorieris quasi colubrum illum venenosum tuis[5] viribus extinxeris. Caue proinde radicem eius, quam si altius in te infixerit, genimina tibi pessima procreabit. Scitis fratres quia initium omnis peccati est superbia, quasi illius pessimæ arboris radix, quam corpus peccati appellat Apostolus, quæ multos ex se generat ramos, ipso nimirum, qui ex tali radice procedit, lætali humore perfusos. Caue proinde tu esse Philistæa, caue radicem colubri, quia de radice colubri egredietur regulus; de superbia, Dei contemptus. Regulus rex serpentium est, & Dei contemptus omnium potentior vitiorum, quæ tunc magis damnabilia iudicantur, quando non ex ignorantia vel infirmitate, sed potius ex contemptu generantur. Nascitur autem contemptus ex superbia, quia nisi prius mens humana tumuerit, ad sui creatoris iniuriam non erumpit. *Et semen eius absorbens volucrem.* Semen contemptus, desperatio est, quæ confessionẽ

excludit, irridet pœnitentiam, satisfactionem abiurat. *Im-* G

pius cum venerit in profundum malorum, contemnit: blasphemus Prou.18.3.

in Deum, iniquus in proximum, pernitiosius sæuiens in semetipsum, qui quoniam de venia desperat, vitia vitiis cumulans, ipsi desperationi vehementiora fomenta ministrat. Per volucrem animal pennatum, & celeri volatu superiora petentẽ, spes significatur; per quam terrenis cœlestia, æterna temporalibus, humanis diuina præponimus; per quam etiam iam nunc salui facti sumus, & Christo in cælestibus conregnamus. Hanc itaque volucrem desperatio absorbet, quando auulsis pennis, quibus ad cælestia volatur, anima declinat ad infima, vt contemnens futura amplectatur terrestria, nihilque vltra desideret, quæ nihil quod vltra sit, sperat.

Sed & hoc quod dicitur, *Ne læteris philistæa omnis tu*, ad ipsos congrue satis dirigitur, qui minus grate diuina flagella suscipiunt, in prosperitate effusi, in aduersitate querulosi, quos fauor eleuat, persecutio conturbat.

Eia fratres vt ait Apostolus, *Quis est filius, quem non* Heb 12.6.

corripit? [6] *flagellat quippe omnem filium quem recipit.* Po- H

test itaque & ipse dici percussor, *qui percutit & sanat, mor-* 1.Reg.2.6.

tificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Ipse certe emittit virgam virtutis suæ ex Sion, vt visitet in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra [7] Magnum est fratres diuinæ miserationis inditium,

quando non parcit in præsenti, quando non misere- Osea.2.6.

tur, quando sepit vias nostras spinis, & occludit maceria, vt quærentes mortem non inueniamus, quando omnes dulcedines quibus inhiamus, multimoda aspergit amaritudine ne inhæreamus. Quid tu Philistææ cadens potione? Repleuit & inebriauit te amaritudine Dominus, potionauit te calice iræ eius, & sagittæ eius infixæ sunt tibi, quarum indignatio ebibit spiritum tuum? Certe si irasceris, si murmuras, si indignaris, si manum repellis medici, si patris virgam detestaris, philistæus es, cadens potione, inde ruinam incurrens, vnde sperare poteras erectionem. Væ tibi si auerterit zelum suum à te, vt vltra non irascatur tibi, sicut ad quosdam lo-

quitur

A Osee 4.14. quitur per Prophetam, *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, neq; super vxores vestras cum adulterauerint.* Psal. 80.12. Infelices ergo sunt de quibus conqueritur in Psalmis, *Non audiuit populus meus legem meam, & Israel non intendit mihi,* non audiuit docentem, non sustinuit corripientem, illinc rebelles & increduli, [8] hinc iniuriosi, vtrobique ingrati: Qua igitur pœna plectentur, quibus pro his afficientur & 13. tormentis? Audi quod sequitur, *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.*

Intelligat charitas vestra fratres mei. Multi pro peccatis suis corripiuntur à Domino, affliguntur inopia, persecutionibus atteruntur, debilitantur membris, diuersis tormentorum generibus excruciantur. Qui si nihil correctionis admiserint, sed sicut in prosperis superflui, ita in aduersis inueniuntur blasphemi, suspendit virgam, gladium mittit in vaginam, tradens eos in desideria cordis sui, vt eant in adinuentiones suas. Prou. 2.14. *Tunc lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Talibus ergo loquitur B Propheta dicens. *Ne læteris Philistæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui.* Ne læteris quod à percussione cessauit, qui te erudiuit, cuius virga caput serpentis exclusit, reguli venena depulit, & semen eius pessimum [9] arefecit. Ne læteris itaque quia comminuta est virga percussoris tui, facile enim ex hinc infiget tibi radicem suam coluber tortuosus. Qui vtique est voluntatis corruptio, ex qua velut ex radice pessima rami pessimi oriuntur. De radice enim colubri egredietur regulus, ex [10] voluntate scilicet corrupta delectatio immunda, cuius semen sunt opera pessima, quæ totum, quod prius in anima nostra altum sapiebat, & instar volucris pennatæ desiderio & affectu superiora petebat, obruunt & absorbent. Sed Philistæis, id est superbis, tali onere depressis, quid pauperes facient, id est humiles? Sequitur, *Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Hi sunt pauperes quibus Matth. 5.3. Dominus ait, *Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cælorum.* Paupertas ista secundum affectum æstimatur, non secundum censum, cum abundans diuitijs regnoque Psal. 69 6. sublimis dicat. *Ego vero egenus & pauper sum.* Sunt autem C quædam virtutes à quibus incipimus, quædam in quibus proficimus, quædam in quibus perficimur. Prima autem virtutum fides, quam spes corroborat, charitas remunerat. Illa autem fides virtus est, quæ per dilectionem operatur, cum sine spe remunerationis nemo bene operetur. Hi sunt primogeniti pauperum, id est humilium, qui non in se sed in Domino [11] glorientur.

Hi primogeniti necesse est vt pascantur, ne deficiant in via. Pascuntur autem ratione, auctoritate, experientia. Ea enim, quæ credimus vel speramus, & ratio commendat, & auctoritas confirmat, & experientia probat. Nam quod dicitur, fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum, de illa intelligitur ratione, quæ non inuestigare nititur, quid credendum sit vel sperandum, sed certis argumentis comprehendere hoc quod creditur, & patentibus oculis cernere quod speratur. Rom. 8.24. Sed spes quæ videtur, non est spes, & fides si transierit in scientiam, D fides non est: fidei tamen nostræ cooperatur ratio, quando ita credendum naturalium rerum probat consideratio. Verbi gratia, ex consideratione naturalis mutabilitatis creaturæ, probat ratio credendum esse, hoc, quod mutatur, aliquando non fuisse, ideo & esse cœpisse, nec à seipso cœpisse vt esset, quia se creare non potuit, cum non esset. Suadet proinde ratio vt credamus aliquid quod sit, nec esse cœperit, ac per hoc semper extiterit, & cæteris omnibus quæ sunt, dedisse vt sint; quæ profecto omnia non essent, nisi multa essent. Multa vero in vnam concordiam conuenire non possent, nisi vna vnius sapientia illa multa regerentur; vni vnius potentiæ illa omnia subderentur. Credendum quocirca ratio docet, quod omnis creatura voluntati subditur creatoris aut volens, aut nolens, aut naturaliter parens. Sed volens mercedem, pœnam nolens meretur, cum ea, quæ voluntatis expertia sunt, nec pœnam metuant, nec mercedem expectent, quæ omnia hic creduntur & sperantur, sed in futuro melius in ipsa charitate sentiuntur. Pascimur & auctoritate, quando fidei nostræ & spei, quam in Christo

E habemus, tales producimus testes, quibus tanto securius credimus, quanto manifestius videmus impleta, quæ ab ipsis constat ante fuisse prædicta. Et hæc est in præsenti fidei nostræ quædam, qua nutritur, experientia, qua ea quæ legimus in Prophetis, ipsis oculis nostris vera probamus.

Est alia quædam in hac vita experientia quæ fidem probat, & spem corroborat, nutrit autem charitatem, vnctio scilicet illa spiritus, quæ nos docet de omnibus, quæ quasdam nobis futuræ beatitudinis infundit primitias, cor nostrum simul illuminans & accendens, vt videat & amet, gustet & intelligat; quando ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus Filij Dei. Rom. 8 16. Hæ igitur virtutes si sic pascantur, si sic nutriantur, in cæteris facilius proficimus, quæ ab his introducuntur; cum fidei timor adhæreat, patientia spei, castitas charitati. Deinde timor parit prudentiam, patientia fortitudinem, temperantiam castitas, charitas iustitiam. Per has postremo ascenditur ad sapientiam, quasi per riuulos ad fontem, in qua fides F transit in spem, spes in possessionem, charitas in plenitudinem. Tunc profecto fiet quod sequitur. *Et pauperes fiducialiter requiescent.* Cum enim humiles quique, qui nesciunt in suis meritis gloriari, quos pauperes vocat Propheta, ad virtutum culmen peruenerint, fiducialiter requiescent, quibus se non ingerit pes superbiæ, & ideo nec manu peccatoris moueri possunt, nec superueniente turbine illidi. Ibi enim, id est in superbia, ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Psal. 35.13. Ibi sunt Philistæi cadentes potione, quibus coluber radicem suam inserit, ex qua regulus procreatur, cuius semen absorbet volucrem, de quibus adhuc Propheta subiungit, *Et interire faciam radicem tuam fame, & reliquias tuas* [12] *interficiam.* Tam superbi, qui in suis virtutibus extolluntur, quam humiles, qui in Domino gloriantur, fidei Catholicæ, quasi virtutum omnium radici innituntur. Quæ si fuerit erroris cuiuslibet infecta veneno, quasi radice iam mortua, tota illa virtutum arbor quadam ariditate marcescit. Sed quemadmodum, vt prædiximus, in Sanctis & G humilibus corde, vnctione spiritus fides pascitur & nutritur, ita & in superbis & tumidis, ob spiritalis gratiæ famem, facile etiam ipsa fides obruitur, & ita in diuersos errores & blasphemias dilabuntur. Qui enim dixerunt se esse sapientes, stulti facti sunt, & commutauerunt veritatem Dei in mendacium. Ait ergo. *Et interire faciam fame radicem tuam.* Vt quia non mereris gratiam; qua nutriatur, in ariditatem incidat qua moriatur. Isa. 14. 30. *Et reliquias tuas interficiam.* Interfecta radice quidni rami pariter moriantur, vt pereunte quod primum est, etiam vltima quæque deleantur. Fides radix, cæteræ virtutes reliquiæ; itaque vbi fides corrumpitur, omnes pariter virtutes euanescunt, quia *omne quod non est ex fide peccatum est.* Rom. 14. 23.

Quid igitur? nihil remedij, nihil spei superest Philistæis. Est, si quidem fecerint quod subiungitur. *Vlula porta, Clama ciuitas.* Isa. 14 31. Sed quia hæc nondum allegorice exposita sunt, moralem hanc expositionem nunc interim differamus. H Verum quia onus Philistijm, non [13] solum hoc quod premitur, sed secundum hoc quod premit potest intelligi, dicamus Philistæos immundos esse spiritus, qui inebriati superbia, à cœlesti illa mansione corruerunt. Hi sunt, qui nos suis fatigant suggestionibus, tentationibus premunt, onerant doloribus. Aduersus hos nobis est colluctatio, à quibus nonnunquam vulneramur & percutimur, quos nos vicissim & percutimus & vulneramus. Ephes. 6. 12. & 13. Induite proinde vos fratres armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli Custodite maximam fortitudinem Iudic. 16. 8. vestram, quam instar Sampson, septem vobis crines Psal. 118 61. conseruant. Instant Philistæi, dormientibus funes inijciunt, sed, nisi prius radantur septem crines, nihil proficiunt. De his funibus ait Propheta, *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Sed quia fecit Deus quod sequitur. *Et legem tuam non sum oblitus,* in alio Psalmo [14] confidenter proclamat, *Dirupisti vincula mea.* Psal. 115 16. Sunt autem tres funes quibus nos appetunt Philistæi, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Vide ô Sampson ne dormias, vide ne otio dissoluatis vide ne meretri-

A cis, vanæ videlicet gloriæ, ſeducaris illecebris. Otioſitas inimica eſt animæ, in deſiderijs enim eſt omnis otioſus. Audiant hoc qui occaſiones quærunt vagandi, quibus commune opus manuum oneri eſt; qui, fratribus neceſſarijs operibus intentis, otio vacant & fabulis. Hi ſunt, quos ſæpe cernimus Philiſtinorum innexos funibus, nunc carnis ſtimulis agitari, nunc ſtultis occupationibus infeliciter irretiri, nunc quaſi quibuſdam furijs actos, girouagando multis detractionibus exponi, quos Philiſtæi fune carnalis concupiſcentiæ trahunt ad libidinem, fune concupiſcentiæ oculorum ad vanitatem, fune ſuperbiæ ad ſuperſtitionem. Crines procedunt ex capite, cogitationes ex corde. In ſeptem itaque cogitationibus conſeruatur fortitudo tua, quarum duæ ſunt de præteritis, duæ de futuris, tres de præſentibus.

Ad præterita pertinet recordatio creationis, & redemptionis; ad futura horror damnationis, & contemplatio æternæ remunerationis; ad [15] præſentia conſideratio noſtræ infirmitatis, & diuinæ bonitatis, cum memoria illius, B quam ſæpius experimur, conſolationis. Has ſane cogitationes ſi lætali ſomno ſopitus prodideris meretrici, id eſt vanæ gloriæ abſcindēdas tradideris, quaſi impotens & infirmus Philiſtæis, nequam videlicet ſpiritibus tradēris illudendus. Quibus tamen exultantibus dici poteſt. Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quia contrita eſt virga Sampſon, cuius poſſunt iterum crines creſcere, per quos & radicem colubri, & partum reguli poterit declinare, ſi tamen vt pauper in loco paſcuæ collocatus verbi Dei famem vitare potuerit, & in ſpe diuinæ miſericordiæ fiducialiter requieuerit. Fiet enim ex Dei gratia vt cadix colubri, cum ei ſubtracta fuerit peccati materia, quaſi fame intereat, non habens vnde viuat, & ſic cætera vitia, quæ ex peſſima radice pullulauerant, moriente radice marceſcant. Sed iam tandem ſermoni huic demus finem, obſecrantes Dei miſericordiam, vt interius illo verbo paſci mereamur, quod non habet finem, quod eſt Chriſtus Ieſus, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

C

VARIÆ LECTIONES.

1. Quæ dico. Quamdiu viuunt. C. Cam. *Quæ dico. Qui honores appetit*, & quod ſubditur vſque ad, *Quamdiu viuunt.*
2. Audet beſtia illa. C. Cam. Audet *bellua* illa.
3. Libidinum. Mox coluber tortuoſus caput erigit virulentum, ac veneni ſui ſuggeſtione animam inflans. C. Cam. Libidinum, *auaritia, æſtum, ira* & cætera vſque ad, Mox *virulentum caput coluber erigit tortuoſus*, ac veneni ſui *infuſione* animam inflans.
4. Veruntamen ne læteris ô Philiſtæa. C. Cam. *Veruntamen ô Philiſtæa ne læteris.*
5. Viribus extinxeris. Caue proinde radicem colubri, quia. C. Cam. Viribus *iam* extinxeris. Caue radicem *eius, quam ſi alteris in te*, vſque ad. *Caue radicem colubri.*
6. Flagellat autem omnem. C. Cam. Flagellat *quippe* omnem.
7. Magnum eſt fratres. C. Cam *Magnum fratres, magnum eſt.*
8. Hinc iniurioſi, vtrobique. C. Cam. Hinc *murmuroſi* vtrobique.
9. Areſcit, de radice enim C. Cam. Areſcit, *Ne læteris itaq;* vſque ad, de radice enim.

D

10. Voluntate ſcilicet corrupta. C. Cam. Voluntate *videlicet* corrupta.
11. Gloriantur. Eſt alia quædam. C. Cam. Gloriantur. *Hi primogeniti neceſſe eſt vt paſcantur*, & cætera vſque ad. *Eſt alia quædam.*
12. Interficiam. Interfecta radice. C. Cam. Interficiam. *Tam ſuperbi qui in ſuis virtutibus extolluntur*, vſque ad, *Interfecta radice.*
13. Solum hoc quod premitur, ſed ſecundum hoc quod premit. C. Cam. Solum *ſecundum* hoc quod premitur, ſed *etiam* ſecundum *id* quod premit.
14. Confidenter proclamat. C. Cam. Confidenter *clamat.*
15. Præſentia conſideratio noſtræ. C. Cam. Præſentia *autem* conſideratio noſtræ.

Sermo Vigeſimus Secundus.

PEr Philiſtæos qui cadentes patione vel poculo interpretantur, ſecundum typum futurorum Iudæos diximus deſignari, qui ob necem Domini Saluatoris à Romanis depreſſi & oppreſſi, effuſi ſunt & diſperſi, quoniam Deus ſpreuit eos. Vnde Propheta, *Et interire* (inquit) *faciam fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.* Adhuc quoque calamitatem deſcribens, ſubiungit. *Vlula porta, Clama ciuitas, proſtrata eſt* [1] *Philiſtæa omnis.* Quod ciuitatem Ieruſalem obſidentibus Romanis, & clauſos armis & machinis fatigantibus, ſæpe vlulatus in porta fuerit, clamor in ciuitate, maxime cum turres arietatæ corruerent; & irrumpens exercitus obuios quoſque proſterneret, hiſtoriæ non tacent. Tunc ſane omnis Philiſtæa videbatur proſtrata, quando incenſo templo, Principibus & Sacerdotibus vel interfectis, vel ad triumphum ſeruatis, maxima plebis multitudo gladio cecidit, pars maxima fame interiit, pars non modica à victoribus deſtructa, degenerem ſeruitutem ſubiit, pars quoque haud minima aut beſtijs tradita eſt, aut deputata arenis, aut mutuis concidere vulneribus. Poſſunt etiam portæ nomine doctores intelligi, per quos alijs ad ſacra, & ad ſacrificia patebat ingreſſus. Nam portæ dicuntur Eccleſiæ, noui præcones teſtamenti, ſecundum illud. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* At nomine ciuitatis deſignatam intellige ſynagogam, quæ primo quidem Ciuitas Dei, nunc autem dicitur ſynagoga Satanæ. Prophetatur itaque tam Prælatorum quam Subditorum in illa plebe clamor & vlulatus, quibus dolor & labor, anxietas cordis, & vocis lamentatio expreſſa ſunt. Ait ergo, *Vlula porta, Clama ciuitas.* Cur autem vlulare habeat vel clamare, manifeſtat dicens. *Proſtrata eſt Philiſtæa omnis.* Hæc eſt illa ciuitatis & gentis illius deſolatio, quam & ſanctus Ezechiel deſcribit, loquente ad eum Domino. *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, & duces eum per caput tuum & barbam. Et aſſumes tibi ſtateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem combures igni, tertiam partem concides gladio, tertiam vero partem diſperges in omnem ventum, & glad um denudabis poſt eos.* Quæ omnia expoſitione non indigent, [2] ſed conſideratione.

E Pſal. 52. 6.

F Pſal. 86. 2.

Ezech. 5. 2.

Eſt & alia populi illius ruina, tanto vtique grauior, quanto anima carne eſt pretioſior. Cogitate ergo oliuam illam vberem & fructiferam, cuius radix Abraham & cæteri Patriarchæ, de qua rami inutiles, imo & pernicioſi excisi ſunt, & ab illa fidei & charitatis pinguedine, quæ ab optima cadice procedens, omnibus ſe ramis infuderat, penitus atefacti, æternis ignibus deputati ſunt. Ruina hæc grauis de fide in perfidiam, de veritate in mendacium, de cœlo in infernum. Pro hac eorum ruina vlulat porta, clamat ciuitas. Intellige hic ſi placet portam Apoſtolum Paulum, per quem cognouerunt omnes gentes gratiam Dei. Huic enim triſtitia magna fuit, & continuus dolor pro fratribus ſuis ſecundum carnem. Quem etiam luctum cæteros credo habuiſſe Apoſtolos, quamuis eum vehementiorem Paulus habuerit. Nec ſolum ipſi, ſed & tota ſancta ciuitas Dei, id eſt Eccleſia, ruinam deplorat Iudæorum, & eorum deſiderat conuerſionem. Verum qua de cauſa hæc paſſa ſit plebs illa, Propheta non tacet. *Ab aquilone enim fumus veniet, & non eſt qui effugiat* [3] *agmen eius.* Fumus qui oculos obſcurat vel excæcat, ignorantiam ſignificat, quæ eis Saluatoris aduentum abſcondit, & abſtulit cognitionem, ſicut Dominus per hunc ipſum Prophetam ait, *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem non cognouit me.* Et poſt multa. *Excæca cor populi huius.* Iſti ſunt qui ignorantes Dei iuſtitiam, corruerunt in inſipientiam. Hic autem fumus vnde proceſſit? Ab aquilone, vbi ſedes eſt Satanæ, vnde etiam malum procedit ſuper faciem terræ. Hæc eſt cæcitas, quæ contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium introiret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Venit autem fumus iſte cum agmine, quoniam multæ abominationes ſecutæ ſunt ignorantiam, odia, maledicta, blaſphemiæ, in quibus miſer ille populus quotidie creſcit in pœnis, ita vt nullus ſit reproborum, qui fumi illius agmen [4] effugiat.

G

Rom. 9. 2.

H Iſa. 1. 3.

Iſa. 6. 10.

Ierem. 1. 14.

Sequitur. *Et quid reſpondebitur nuntijs Gentium?* Nuntij Gentium ſunt Prædicatores, Apoſtoli, & Apoſtolici viri, qui pulſi à Iudæa, tranſierunt ad populum nationum, quibus eorum ruinam lugentibus, & cæcitatis illius cauſam admirantibus, reſpondetur à Spiritu Sancto, *Quia Dominus fundauit Sion.* Hoc eſt quod reſpondit Paulo

Iſa. 14. 32.

A

Spiritus Sanctus, quod multis aliis respondit Paulus, (Rom. 11. 25.) *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium introiret.* (Psal. 86. 5. & 1.) Ipsa est Ecclesia de gentibus Sion, scilicet quam fundauit Dominus, & fundamenta eius in montibus sanctis. Ideo cæcitas contigit in Israel, vt ramis naturalibus à naturali oliua excisis, locus esset ramis aliis, licet secundum carnem minus naturalibus inserendis. Ex ipsis ramis fundata est Sion, id est Ecclesia. (Matt. 20. 16.) Verum quia *multi vocati, pauci vero electi*, in ipsa soli illi sperabunt, qui fuerint pauperes populi eius, id est Syon. (Psal. 39. 6.) *Annunciaui* (inquit) *& locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Itaque reprobi cum electis Ecclesiam intrant, (Mat. 13. 47. & 48.) Apostolicaque sagena bonos congregat pisces & malos, donec in littore, fine videlicet mundi, exeuntes angeli separent malos de medio iustorum. Itaque diuites confidunt in diuitiis suis, sapiens in sapientia sua, fortis in fortitudine sua, pauperes vero, (Mat. 11. 29.) id est hi qui didicerunt à Domino esse mites, & humiles corde, reuelant Domino misericordiam suam; & sperant in eo, dicentes cum Propheta. (B) (Psal. 90. 9.) *Quoniam tu es Domine spes mea.* Sed & superbi quique, in quibus serpens antiquus radicem impietatis infixit, si radice fidei arefacta, cæteræ virtutes interierunt, non habent quo fugiant nisi ad pœnitentiæ humilitatem; quoniam sicut à mortuo, quasi qui non sit, perit confessio, ita confitens, & pœnitens, vitæ redditur beneficio. Vlula ergo ô porta, Clama ciuitas, prostrata est Philistæa omnis. Prosternitur omnis Philistæa, quando ratio in errorem, memoria in Dei obliuionem, voluntas ruit in libidinem. Prosternitur omnis, quando cor versatur in turpitudine, sermo in duplicitate, opus in sordibus, & in iniquitate. Ideo vlula cordis contritione, clama confessione. (Mat. 15. 19.) Nam cor ipsum porta dicitur, ex qua exeunt cogitationes malæ, homicidia, furta, blasphemiæ, falsa testimonia.

Quod si per portam os hominis velis intelligi, dignum videbitur vt os ipsum ad alios terrendos, vlulatum diræ vocis emittat in pœnitentiam, quod alios hortando illexit ad vitia. *Clama* (inquit) *Ciuitas.* Ciuitatem animam appellat, quæ pro diuerso statu diuersa sortitur nomina, (C) nunc Iericho, nunc Ierusalem, nunc Babylonis digna vocabulo. Huius muri, sunt virtutes vel vitia; domus, dona naturæ: populus, affectiones & cogitationes. Clamat autem hæc ciuitas aliquando Deum laudando, aliquando seipsam accusando, nonnunquam conquerendo, sæpe quoque aliquid petendo. Tunc autem ciuitas clamare dicitur, quando anima totam se in se, & ad se colligit, & ita in vocem vel laudis, vel confessionis, vel doloris, vel orationis erumpit. (Psal. 102. 1.) *Benedic* (inquit Propheta) *anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Non pars aliqua, sed tota ciuitas benedictionem Dei personabit. Vlula proinde porta, Clama ciuitas, vt in corde fit contritio, & in ore sit confessio & sic quæ prostrata fuerat per culpam, erigatur per pœnitentiam, fiatque quod scriptum est, *Restituetur Sodoma in antiquum.* Sequitur, *Ab aquilone fumus veniet.* (Ier. 1. 13.) Quid tu vides ait Dominus ad Ieremiam, *Quid tu vides?* Et ille, *Ollam*, inquit, *succensam, & facies eius à facie aquilonis.* (D) Nostis quis sit ille, cui pars placuit aquilonaris, frigida scilicet, & à Dei calore aliena corda mortalium, per quos ollam tentationis ille, qui in eis sedet, plerumque succendit, ex qua fumus egrediens multorum excæcat oculos, & à veritatis lumine alienat. Dicit enim quomodo sit Philistæa prostrata; qua etiam ratione securus quis possit esse de venia, si digna præcesserit pœnitentia. Ait quippe Paulus in infidelitate prostratus, fide erectus, (1. Tim. 1. 13.) persecutor in infidelitate, doctor in fide, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Ignorantia ipsa quasi fumus erat, quæ nimirum ab aquilone procedens, erroris tenebris mentem eius obuoluerat. Ideo facilius veniam consequitur, quia secundum æmulationem persecutus est Ecclesiam Dei, fumo ignorantiæ cæcatus, non malitia prouocatus. Et tu quoque non desperes de venia, quia etsi forte non te tetigit fumus ignorantiæ, tetigit tamen fumus suggestionis alienæ, tetigit fumus carnalis concupiscentiæ. Ille itaque qui cognoscit figmentum nostrum, tanto citius miseretur, quanto in nobis ipsis portamus, quod ollæ illius succen-

E

sæ fumo facilius obfuscatur. Ideo prosternitur certe Philistæa, id est anima quælibet elata, quia ab aquilone, id est diabolica tentatione, aut ignorantiæ, aut concupiscentiæ fumus procedens, aut circumuenit incautam, aut infirmam illexit. Sed tu vlula contritione, clama confessione, vt fiat quod in hoc ipso Propheta scriptum est. (Isa. 23. 16.) *Sume citharam circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria* [5] *tui sit.* Canta ergo & tu canticum doloris cum cithara mortificationis, vt memoria tui sit apud misericordiam redemptoris; Ipse enim scit, quia non est qui fumi huius pessimi agmen effugiat. Quis enim est, cuius carnem vel mentem, instar ollæ feruentis, hostis ille aquilonaris aliquando non succendat, ignitisque iaculis concupiscentiæ fumum non excitet? *Quid igitur respondebitur nuncijs Gentium?* Si placet, per nuncios Gentium angelos contrariæ fortitudinis intellige, qui diuersis tentationibus fatigatis, virtutis arduam viam opponunt, carnis fragilitatem & corruptionem obiiciunt, vt quadam desperatione deiecti, viam salutis refugiant. (F) Expertis loquor. In initiis conuersionis nostræ, inter graues tentationes carnis & spiritus, cum nos aliquando spiritus fornicationis vreret; nunc inflammaret ira, nunc gula desideriis agitaret, quasi impossibilis videbatur in his omnibus tolerantia, maxime cum adolescentiæ lubricus status, tentationis multiplex astus, ex infirmitate facilis casus proponeretur.

Spiritibus itaque talia suggerentibus quid respondebitur? (2. Tim. 2. 19.) Quæ spes nostra, quod refugium? Quia Dominus fundauit Sion, fratres, fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius. O Sion, ô anima, quæ quasi in specula posita, Domini tui præstolaris aduentum, non metuas, non conturberis; quoniam si irruant venti, & fluant flumina, fatigari potes, sed subuerti non potes. Fundata es enim supra firmam petram; Dominus enim fundauit Sion, (1. Cor. 10. 13.) *qui non permittet nos tentari supra id quod possumus, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.* Hæc miserorum in hac vita consolatio, hæc in tentationibus fortitudo, hæc in tribulatione securitas, hæc constantia in aduersis. (G) Dominus certe fundauit Sion, animam Dei contemplatione sublimem, in veræ humilitatis eam fundamento constituens, quæ tanto sane solidius atque securius locatur, quanto crebris probata tentationibus nec falli potest incauta, nec illici iam probata, nec exercitata superari. Sic itaque Dominus fundauit Sion, & in ipsa sperabunt pauperes [6] eius. Eia fratres charissimi si præoccupatus fuerit quis in aliquo delicto, vel præter solitum tentatione pulsatus, videat ne forte ante ruinam exaltatum sit cor, quoniam si ipsius peccati causam defleuerit, facilius pro commisso veniam impetrabit. Efficietur enim pauper spiritu, humilis mente, quia non hi, qui confidunt in diuitijs suis, sed qui in Christiana paupertate gloriantur, sperabunt in Domino. Verumtamen potest per speculam, quod interpretatur Sion, spiritalis scientia exprimi, in qua anima constans, virtutum fructus à furibus bestijsve conseruat. (H) Sed in hac scientia, quam in anima sancta fundat Dominus, non superbi confidant, non sperent elati, sed pauperes populi eius, id est humiles, qui apponentes scientiam apponunt & dolorem, vt in illa beatitudine quandoque glorientur, quam in Euangelio Dominus dicit, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, in Christo Iesu Domino nostro, cui est cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Philistæa omnis. Hoc est. C. Cam. Philistæa omnis. *Quod ciuitatem Ierusalem*, & cætera vsque ad, *Hoc est.*
2. Sed consideratione. Verum qua de causa. C. Cam. Sed consideratione. *Est & alia populi illius ruina.* vsque ad, *Verum qua de causa.*
3. Agmen eius, fumus venit cum agmine, C. Cam Agmen eius. *Fumus qui oculos*, vsque ad. *Venit autem fumus iste cum agmine.*
4. Effugiat. Quod tu vides. C. Cam. Effugiat. *Sequitur. Et quid respondebitur*, vsque ad, *Quid tu vides?*

A 5. Tui sit apud misericordiam. c. cam. Tui fit. *Canta ergo & tu.* vsque ad, *apud misericordiam.*

6. Pauperes eius, id est humiles qui. c. cam. Pauperes *populi eius.* *Eia fratres charissimi*, & quod subsequitur vsque ad, *id est humiles qui.*

Sermo Vigesimus Tertius.

EXplicito onere Philistijm contra Moab armatur sermo propheticus, cuius nominis rationem primum vobis video esse reddendam. Sanctus Loth, vt bene nostis fratres charissimi, egressus de Sodomis, cum vxor eius
Gen.19.26. retro respiciens in salis esset mutata figmentum, cum
& 30. duabus solis filiabus ascendit in montem, & post incolatum
Ibi concepit. vrbis immundæ, nouus speluncæ factus est habitator. Ibi vtraque filia ebrij patris furata concubitum, primogenita Moab, altera Ammon filios ex incestu concepit.
B Moab autem de patre, siue aqua paterna interpretatur, quem nimirum de filia pater nesciens genuit, non ex affectu amoris, qui in quadam dulcedine spiritus legitime coeuntes coniungit, sed ex eo fluxu, qui ex dormiente, vel ebrio instar aquæ, sine amoris sapore emanare consueuit. Quid dicam fratres charissimi? blasphemum ne putabitis, si in his sanctum Loth Domini Saluatoris imaginem dixero tenuisse? Recordamini quæso Iudam con-
Gen.38.15. cubitu Thamar, quam putauerat meretricem, & Dauid
2.Reg.11.4. in illicito Bethsabee amplexu, Domini Iesu, secundum sanctos patres, expressisse figuram, & hic quoque Iesum sa-
Zach.3.3. cerdotem magnum, sicut in Zacharia monstratus est, in
1.Cor.1.24. sordidis vestibus non miremini. Christus, vt scitis, Dei virtus est & Dei sapientia; ex Dei autem sapientia duplex scientia, quasi duæ filiæ procreantur, practica scilicet & theorica. Has itaque filias cum in speluncam, corda videlicet tenebrosa Gentilium, Dei sapientia induxisset, non ex voluntario patris semine, quod est charitas, sed ex propria curiositate & vanitate, quasi ex incestu, quandam diuinarum & humanarum rerum scientiam, ex bono quidem patre, sed non ordine legitimo conceperunt. Nam
C quod etiam mundi huius sapientes, Deo reuelante, multa de humanis, multa & de diuinis didicerunt, Paulus te-
Rom.1.19. stis est qui ait, *Quod notum est Dei manifestum est in illis, Deus enim* [1] *illis reuelauit.* Sed quia non ordine legitimo Dei sapientiæ inhæserant, non humiliati, sed inflati dicebant se esse sapientes, & stulti facti sunt. Itaque Moab, qui de patre vel aqua paterna interpretatur, sapientes huius sæculi, vel ipsam mundi sapientiam significat; quæ licet ex Deo processit, non ea tamen philosophi vsi sunt ad saporem diuinæ charitatis, sed ad timorem mundanæ vanitatis. Hi sunt qui contra Crucem Christi, in sapientia verbi gratia reuelata pugnauerunt; contra quos, post Iudæorum interitum, vel conuersionem, præclaram aciem Apostoli direxerunt. Vnde congrue post onus, quo Iudæorum correpta est, vel compressa vesania, Sapientium huius mundi, vel ipsius sapientiæ sæcularis onus, id est depressio prophetatur, dicente Propheta, *Quia no-*
D *cte vastata est Ar, Moab conticuit*, Nox aduersitatem tribulationemque significat, quam Saluator ipse, in hac valle positus tenebrarum, spontanea voluntate scribitur esse perpessus.

Recolite quæso quod Deus nocte traditus, & nocte illusus, instante iam nocte noscitur de cruce depositus. In hac nocte vastata est Ar, quod interpretatur aduersarius,
1.Petr 5.8. de quo beatissimus Petrus, *Sobrij* (inquit) *estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens* [2] *quem deuoret.* Huius ciuitas non inconuenienter infernus dicitur, quam Dei ciuitati aduersariam, per Christi mortem, cum principe suo constat esse vastatam, sicut i-
Osee 13.14 psum infernum Dominus alloquens ait. *Ero mors tua ô*
Ephes.4.8 *mors, morsus tuus ero inferne. Descendit quippe ad inferos, & multorum solutis doloribus, ascendit in altum, & captiuam duxit captiuitatem.* Vnde Ecclesia vocibus altisonis ipsum alloquens, cum magna exultatione proclamat, Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimens, victor triumpho
Luc.11.21. nobili ad dextram patris residens. Ista est aduersaria ciuitas illa, atrium videlicet illius fortis armati, qui à fortiori superueniente deuictus, & spolia perdidit, & [3] arma E
proiecit. Intelligens igitur quislibet mundi huius sapiens, Christi passione quasi nocte, diaboli potentiam esse destructam, ex nimia admiratione conticuit, nesciens quid obijceret, quomodo contrairet. Quamuis & ipsa hominum multitudo Ar ciuitas possit intelligi, quæ Deo aduersa, ligna lapidesque colebat: quæ quodammodo nocte vastata est, quia passione sanctorum, & patientia stupefacti quam plures, aduersariam ciuitatem sua absentatione vastauerunt. Tunc certe Moab, id est sapientia huius mundi conticuit, nihil virtutis habens in voce, qua vel suam astruere, vel Christi possit [4] doctrinam euacuare. Nam ipsa philosophorum doctrina Ar potest appellari, quæ Dei sapientiæ aduersa ab ipsa probatur esse vastata, sicut scriptum est, *Perdam sapientiam sapientium, &* 1.Cor.1.19.
prudentiam prudentium reprobabo. Sequitur, *Quia nocte vastata est murus, Moab conticuit.* Murus aduersariæ ciuitatis, id est inferni, idololatria fuit, quam per vniuersum orbem, virtute dominicæ passionis, cernimus [5] esse vastatam. F
Vel certe murus impiæ multitudinis, sæculi potentia fuit, quam, per sanctæ Crucis mysterium, virtus diuina prostrauit. Murus præterea aduersæ doctrinæ dialectica fuit, & versutia disputandi, quam in nocte, id est in persecutionibus, posita simplicitas Christiana subuertit, & omnia eius argumenta, fidei sinceritate vastauit. Tunc certe Moab, id est mundi huius sensus conticuit, quando intonans Dominus super aquas multas, obstruxit os loquentium iniqua, & euacuauit omnem, scientiam extollentem se aduersus scientiam Dei. Ideo factum est quod subiungitur. *Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum.* Isa.15.2.
Domus non solum parietes cum tecto, fundamentoque vocantur, sed etiam ea, quæ in ipsa domo est, familia, secundum bonos malosve mores, bona domus vel mala appellatur.

Igitur per domum Moab cor sapientium huius mundi intellige, in quo non parua familia sensuum, cogitationum, affectionumque versatur. Porro Dibon, quæ interpretatur fluxus, eorum ipsorum sensuum, vel cogitationum, vel etiam sententiarum diuersitatem, [6] lasciuiamque significat. In Dibon ciuitate erat locus excelsus G
idolo consecratus, ad quem immolaturi, cum clamore & lætitia ascendere consueuerant. Erat & in doctrina philosophorum locus excelsus, id est superbia, in qua pro Deo idolum venerabantur, *commutantes gloriam incorruptibilis* Rom.1.23.
Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & quadrupedum, & serpentium. Cum enim cognouissent Deum per scientiam, deuoluti sunt in idololatriam per superbiam. Cernentes autem per stultitiam Apostolicæ prædicationis, doctrinam conticescere vanitatis, totum cor suum, omnesque cogitationes, quasi domum vel familiam, totamque sensuum sublimitatem suorum, quasi Dibon ad sublimia transtulerunt; in superbia, & in indignatione spiritus, suam euersum iri doctrinam plangentes, & quomodo sanæ doctrinæ aduersarentur, subtiliter inquirentes. Ideo ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum. Potest H
etiam sic intelligi, quod Christi coruscante doctrina, domus Moab, id est familia Philosophorum, discipuli videlicet; & Dibon ciuitas, id est multitudo magistrorum, qui cum gaudio idolorum solebant interesse cultura, ad ipsa idola cum planctu ascenderint, & contra Euangelium, dæmonum responsa & auxilia flagitauerint. Verum quia sapientium huius mundi plures conuersi ad Christum, suis abrenunciauerunt erroribus, plures in innata sibi malitia perstiterunt, onus istud vtrosque tangit in his verbis, illos pœnitentia, istos cordis angustia docens esse grauatos. Multi enim philosophorum, tam discipuli quam magistri, quasi domus & ciuitas, relicta valle erroris, ad excelsa conscendere virtutis, cum planctu & lacrymis peccata sua confitentes, & de pristinis erroribus, & blasphemijs humiliter pœnitentes. Et addidit Propheta. *Super Nabo, & super Medaba, Moab vlulabit.* Nabo interpretatur sessio, Medabo de saltu. Ad magistros pertinet sessio, secundum illud, *Super cathedram Moysi sederunt* Matt.23.2.
Scribæ & Pharisæi. Per saltum, vbi sunt arbores infructuosæ & steriles, vbi non hominum sed ferarum habitatio est,

incul-

A inculta exprimuntur corda Gentilium, qui magistris errorum adhærentes, eorum dogmata multitudinis auctoritate tuebantur. Vlulatus igitur Moab super illos doctores, plebesque describitur, quos à suo consortio recedentes, ad Catholicam fidem conuerti, sine graui dolore, quod significat vlulatus, videre non poterant. Vnde subiungitur, *In cunctis capitibus eius caluitium.*

Capita Moab nominatissimos diuersarum sectarum magistros intellige, Socratem, Platonem, Diogenem, & cæteros tales. Hi sunt profecto capita Moab, principes[7] videlicet scientiæ sæcularis. Quis horum est cuius per Christi gratiam non sint rasi capilli, discedentibus ab eorum secta discipulis, qui eis tanquam capitibus suis adhærere consueuerant, & se ad Saluatoris nostri gratiam conferentibus? Certe ipsi videmus iam philosophos decaluatos, quorum sapientiæ piscatorum doctrina præfertur, quorum sectam nemo qui profiteatur, nemo qui sequatur. Nam etsi legantur à multis, omnes tamen eorum blasphemias detestantur. Ideo Propheta conuenienter subiungit, *Omnis barba radetur.* Quamdiu imberbis est homo, puer æstimatur, barbatus autem viri nomen sortitur. In puero timetur lascinia, à viro expectatur sapientia. Quasi barbati erant philosophi, cum eorum sapientia & doctrina populi regerentur; cum vero personante vbique Christi Euangelio, & eorum confutante errores, insipientes & væcordes ab omnibus crederentur, quasi rasis barbis deformes, & inhonori, & velut in puerilem redacti[8] stultitiam videbantur. In eo tamen quod ait. *Super Nabo & super Medaba Moab vlulabit.* Eorum potest accipi vlulatus, qui de sapientia sæculi, ad stultitiam Crucis conuersi, aliorum, qui in sua superbia perstiterunt, insaniam perditionemque luxerunt. Cum enim cernerent in cunctis capitibus eorum caluitium, omnemque barbam Christi nouacula rasam, plures qui crediderant, paucorum qui superant compatiebantur errori, qui nec fractis ceruicibus poterant inclinari, nec rasi, vel decaluati confundi. Naturale
C quippe est, vt homo conuersus ad dominum, eos præcæteris lugeat, eisque quodam speciali compatiatur affectu, cum quibus iisdem vitiis tenebatur, vel implicabatur er-
Isa.15.3. roribus. Sed videamus sequentia. *In triuiis eius accincti sunt sacco, & super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum.* Tria hic proponuntur, triuia, tecta, plateæ. In triuiis Philosophorum diuerticula, in tectis superbia, in plateis vita perdita figuratur. Diuerticula habebant in sophismatum deceptione, superbiam ex hominum æstimatione, vitam perditam ex carnis & mentis corruptione; quorum multi conuersi ad Dominum, in omnibus quæ peccauerunt puniti sunt. Nam pro dolis & fallaciis, quæ in triuiis exprimuntur, accincti sacco in signum pœnitentiæ perhibentur; & pro superbia, qua buccis crepantibus sententias de diuinis & humanis, quasi in recto positi promulgare consueuerant, vlulatum confessionis, & contritionis emittere ostenduntur; & pro lata illa via, qua tendebant ad mortem, humiliati & suis lacrymis loti, ad viam arctam & angustam, quæ ducit ad vitam, regredi nun-
D ciantur.

Ait ergo, In triuiis eius, haud dubium quin Moab, accincti sunt sacco, qui ad memoriam reuocantes quibus diuerticulis, & fallaciis humanæ simplicitati deluserunt, accincti sacco, id est pœnitentiæ asperitate afflicti, eum, cui peccauerant, digna satisfactione placare curarunt. *Et super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum.* Ait
Mat.10.27 Dominus in Euangelio, *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* In tecto siquidem altitudo quædam, & manifestatio [9] declaratur. Qui enim super tectum ascendens aliquid prædicat, & sublime cernitur, & manifeste auditur. Per plateas quoque, quæ latitudinem significant, latam perditionis viam accipe, per quam & ipsi incedebant, & aliis per eam gradiendi exempla præbebant. Sed qui in tectis ascenderant per elationem, humiliati descendunt per compunctionem; & qui errores suos publice, quasi in plateis prædicauerant, vlulatum vocis miserandæ in auribus
Isa.15.4. omnium emittebant. Sequitur, *Clamabit Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum.* Hesebon cogitationes, Eleale ascensio, Iasa factum, siue mandatum interpretatur. Cer-

E nentes Philosophi, multa hominum millia quotidie ad Christi fidem, & sacramenta concurrere, conturbabantur, nec facile dici potest, quantus fuerit tunc in eorum cogitatione tumultus, quomodo nunc mirabantur, nunc indignabantur, nunc erecti in superbia aduersabantur. Quæ omnia per clamorem Hesebon & Eleale, videlicet cogitationis & elationis, exprimuntur; nec iste clamor murmurque cessauerunt, donec de voce in opus procederent, vel manifeste persequendo, vel fidei & diuinis mandatis obediendo. Ideo vsque Iasa audita est vox eorum.

Hæc fratres moraliter fuerant exponenda, sed timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, Psal.54.6.
insuper & zelus domus Dei comedit me, vrget indignatio, dolor impellit, erumpunt lachrymæ, quas tamen ira Psal.68.10.
comprimit, absorbet æmulatio. Tabescere me fecit zelus Ps.118.139.
meus, & sæuire iam gestit sermo meus, sed luctum mihi magis matris meæ Romanæ Ecclesiæ indicit, quæ vtrasque manus extendens in cœlum, miserabili voce videtur F
clamare. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Licet enim Cant.1.5.
vna sit illa columba Christi, formosa Christi, perfecta Christi, cui est vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, propter diuersos tamen populos & nationes, multæ dicuntur Ecclesiæ, conuenientes in vna, subiectæ vni, vni obedientes. Ipsa est sancta Romana Ecclesia, cuius filij, sicut audistis, pugnauerunt contra eam. Alienati enim sunt quidam Psal.57.4.
à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Insuper ini- Psal.72.8.
quitatem in excelso locuti sunt. Papiæ quippe astiterunt Psal.2.2.
Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Alexandrum Christum eius. Ibi circumdederunt eum, canes multi, concilium malignan- Psal.21.17.
tium obsedit eum, ibi insurrexerunt in eum testes iniqui, Psal.26.12.
Ioannes & Guido, scilicet mentita est iniquitas sibi. Infelices & miseri, qui descendentes ab Ierusalem in Iericho, Luc.10.30.
inciderunt in latrones. Ipse est scelestissimus Octauianus, qui instar latronis, multo tempore in insidiis latitans, Papatum prædam, spolia Ecclesiam æstimauit. Infelix qui ascendit cubile patris sui, & maculauit stratum eius. Iste G
est superbissimus ille Aman, qui crucem parauit Mardo- Gen.49.4.
chæo, qui Regem compulit ferre sententiam mortis in Is- Esther 6.4.
rael. O quando vigilabit Rex, quando consurget de regno Esther 3.8.
suo, quando noctem istam tenebrosam, & opertam mortis caligine ducet insomnem? Quando audiet in annalibus suis, quanta bona ei fecerit noster Mardochæus? Quando animaduertet quod ipsam Reginam, eo præsente, ille nequissimus nititur opprimere? Ista est Regina, non vxor Artaxerxis, Regis, sed Christi, de qua Propheta, *Astitit regina à dextris tuis.* Psal.44.10

Hæc est quæ hodie in infirmis membris suis, & minus scientibus legem, clamat & dicit, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Merito terrendo, & Cant.1.6.
exprobrando respondet, *Si ignoras te egredere.* Quam mul- & 7.
ti, fratres, hodie nescientes scripturas, neque virtutem Dei, egressi sunt de Ecclesia, & separantes se à Vicario Christi, sequuntur præambulum Antichristi. Fratres nemo vos seducat inanibus verbis. Nemo vobis dicat ecce H
hic Christus, vel ecce illic, cum in fide Petri semper sit Christus, quam sancta Romana Ecclesia specialiter mutuauit à Petro, & seruat in petra quæ est Christus. Hæc igitur Ecclesia vbi cœperit, à quibus cœperit, quo processerit inspiciamus. *Oportet* (inquit Dominus) *prædicari hoc Eu-* Luc.24.47.
angelium in vniuerso mundo, incipientibus ab Ierusalem. Igitur in Ierosolymis initia eius. Ipsa erat, quæ tunc parua & quasi lactens, cum complerentur dies Pentecostes erat in Act.2.1.
eodem loco, quam Spiritus Sanctus in linguis igneis visitans, & illuminauit sapientia, & dilectione igniuit. Ex hinc omnium gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes, & quod postea factum est in omnium gentium conuersione, præcessit in linguarum omnium vnione. Huius Ecclesiæ primus princeps Petrus fuit, cui dictum est. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et iterum, Mat.16.18.
Pasce oues meas. Et, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque* Ioan.21.17.
ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et cætera. Hæc Mat.16.19.
est Ecclesia, quam primitiuorum sanctus vocat Apostolus, cuius plenitudo potestatis, in ipsius principe, primo Hebr.12.23.

A de Oriente transmigrans in Occidentem, auctoritate Spiritus Sancti in Romana resedit Ecclesia.

Ecclesiam sane Romanam non parietes, & saxa, sed Clerum à beatissimo Petro primo Romæ ordinatum, nemo sani capitis dubitat appellandum; sicut igitur Petro Clemens, Anacletus Clementi, Euatistus Anacleto successit, ita profecto Cleri illius, quem ordinauit, & instituit Petrus, alius ab aliis ordinatus, locum & dignitatem obtinuit. Sic semper pro patribus nati sunt nobis filij; qui tandem, dante Constantino, cum Ecclesia quoque terrenum suscepisset imperium, etiam iure humano constituti sunt principes super omnem terram. Ex hinc ob specialem excellentiam ipsius Ecclesiæ, Episcopi, Presbyteri, Diaconi appellati sunt Cardinales, ab his vocabuli huius mutuantes honorem, de quibus scriptum est, *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* (1. Reg. 2. 8.) Sicut enim summus Pontifex ex legitima, & vt ita dicam hereditaria successione, Petri obtinet principatum, ita cæterorum Apostolorum potestas in Cardinales constat esse transfusa. (B) Hæc est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, hæreticus est. Illius interest consulere omnibus, iudicare de omnibus, omnibus prouidere, ad quam in Petro vox ista dirigitur, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* (Luc. 22. 32.) Quicquid ipsa statuerit, suscipio, approbo quod approbauerit, & quod damnauerit damno. Ipsius est eligere nobis pastorem, & episcopum animarum nostrarum. Quod enim fuit in veteri Testamento, in constitutione Pontificis, carnalis generatio, hoc est in nouo regularis electio, quæ est quædam spiritalis generatio: quasi enim generat qui eligit, quasi generatur qui eligitur.

Itaque fratres quod Aaron fuit filios procreare, hoc fuit Christo Apostolos eligere. Cæteris filiis Aaron vnus præfertur Eleazarus, cæteris Apostolis vnus præponitur Petrus. Et Petrus cum spiritaliter plures genuisset, Clementem prætulit cæteris. Qui cum & ipse filiis abundasset, ipsius Curiæ electione, quasi spiritali quadam generatione, solus defuncto successit Anacletus. (C) Sicut igitur illi legitimi semper fuerunt Petri successores, quos Ecclesia ipsa elegit, sic & illi, quos sui singulis temporibus sibi elegerunt adiutores, veri cæterorum Apostolorum fuerunt successores. Itaque à B. Syluestro & Cardinalibus eius, vsque ad huius nostri temporis Adrianum & Cardinales eius, nulla nobis est de legitima successione cunctatio. Ecce defuncto Adriano legitimo Petri successore, stat in Cardinalibus cæterorum Apostolorum legitima successio. Cogitate nunc constitutos in medio eorum Rolandum & Octauianum, sic interim nominemus eos, quasi in vtero matris suæ Ecclesiæ Romanæ iam laborantis in partu. Rogo fratres mei, nonne partus iste similis est partui Rebeccæ? Ecce infelix Esau rufus & hispidus, quomodo ipsa viscera materna contorquet, & simplicem illum Iacob, quem totus ille interaneorum omni effectu concentus complectitur, manibus furibundis inuadit. (D) Audistis enim quomodo de collo sanctissimi viri, infelix ille mantum dæmone plenus extraxit. Et cum ei non pro voto cessisset, cum summo matris dolore egressus ab vtero, cupiditatis & ambitionis suæ pilis, summum cernentibus horrorem incussit. Secuti sunt eum duo, qui & ipsi alienati sunt à vulua errauerunt à ventre, cæteris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adhærentibus, Alexandrum sequentibus. Cernite nunc Ioannem, nunc Widonem in parte vna, & inter eos Octauianum, cernite & reliquam Curiam ex parte altera, & Alexandrum inter eos. Rogo cuius vox ista est, Exierunt à nobis, sed non fuerunt ex nobis? Certe aut in illis tribus Curia Romana est, aut in his omnibus; aut periit de terra, & inaniter fusa est illa Saluatoris oratio, de qua dicit, *Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* (Luc. 22. 32.) Quod dementis est opinari. Quis enim ita delirat, vt tot Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus exclusis, Romanæ vim Curiæ in his duobus æstimet resedisse?

Sic nunc fratres, hic loquor de istis, quasi adhuc in Ecclesia B. Petri, vbi electionem fecerat, constitutis, & ab inuicem separatis. Certe Ecclesia Romana non periit, certe, cæteris reprobatis, vt in illis tribus remanserit, nulla ratio, nullus sensus humanus admittit. (E) Restat proinde, vt in illa multitudine, quæ Alexandrum elegit, vim Apostolicæ dignitatis reseruauerit. Absit enim vt dicamus quinque Cardinales Episcopos, & quindecim, vel eo amplius Cardinales Presbyteros, siue Diaconos, à tribus illis exiisse, & non potius illos ab istis, quorum fama celebrior, vita sanctior, sensus profundior, multitudo numerosior, auctoritas sublimior. Cum igitur constet Ecclesiam esse Romanam, quæ Alexandrum elegit, de qua certum est illos exiisse, quicunque postea illis adhæsit, siue ipsissimus Ymarus, siue alius, non ad Christianos, sed ad hæreticos; non ad Catholicos, sed ad Schismaticos, non ad Ecclesiam, sed ad synagogam Satanæ, & ipse hæreticus schismaticusque accessit. Dicant inimici quicquid volunt, mentiantur quantum volunt, fingant quæcunque volunt, vbi Ecclesia esse Romana oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate; ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. Ab eius fide, quæ Christo orante non deficiet; ab eius vnitate, quam Schismaticorum prauitas, (F) Christo conseruante, non diuidet; ab eius subiectione, cuius mihi Princeps cœlum apiriet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adiuuante gratia, separabit. Hæc ad cautelam vestram fratres, propter labia iniqua & linguas dolosas, quibus hæc patria feruet, dixisse sufficiat, vt deinceps reparatis paululum per silentium viribus, ad delitias verbi Dei redeamus, cuius est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Illis reuelauit. Sequitur. Quia noc. vas. est At Moab, cont. Recolite quæso. C. Cam. Illis reuelauit, *Sed quia non ordine legitimo*, & quæ sequuntur vsque ad, *Recolite quæso*.
2. Quem deuoret Ista est aduersaria. C. Cam. Quem deuoret. *Huius ciuitas non inconuenienter*, vsque ad, *Ista est aduersaria.*
3. Arma proiecit. Quamuis & ipsa. C. Cam. Arma proiecit. *Intelligens igitur quislibet.* Et cætera vsque ad, *Quamuis & ipsa.*
4. Doctrinam euacuare. Sequitur, Quia nocte. C. Cam. Doctrinam euacuare. *Nam ipsa philosophorum.* vsque ad, *Sequitur quia.*
5. Esse vastatam. Murus præterea. C. Cam. Esse vastatam. *Vel certe murus*, vsque ad, *Murus præterea.*
6. Lasciuiamque significat. Potest etiam sic. C. Cam. Lasciuiamque significat. *In Dibon ciuitate locus*, & quod subditur, vsque ad, *Potest etiam sic.*
7. Videlicet scientiæ sæcularis. C. Cam. Videlicet *sapientia* sæcularis.
8. Stultitiam videbantur. Iam videamus. C. Cam. Stultitiam videbantur. *In eo tamen* & reliqua, vsque ad, Iam videamus.
9. Declaratur. Per plateas. C. Cam. *Declaratur. Qui enim super tectum*, vsque ad, Per plateas.

Sermo Vigesimus Quartus.

Sicut meminit charitas vestra, principia oneris Moab secundum prophetiam, sicut potuimus, heri exposuimus, moralem vero expositionem, quam tunc exequi timor interueniens prohibuit, in diem hodiernum distulimus. (H) Primum igitur secundum leges tropologicas, quis sit ille Moab inquiramus, vt manifestius quomodo vel oneret, vel oneretur, perscrutari valeamus. Interpretatur autem Moab de patre, significans nimirum aliquid, quod de Patre procedit in filium; vel ipsos, qui secundum hoc viuunt, quod ex Patre suo naturaliter mutuauerunt. Multis sane modis in sacra scriptura patrem nouimus appellari, videlicet secundum naturam, secundum creationem, secundum adoptionem, secundum imitationem, secundum ætatem, secundum dignitatem. Secundum naturam, quando homo illius hominis, qui ab eo carnaliter genitus est, pater nuncupatur, sicut Abraham pater Isaac, & Isaac pater Iacob, & Iacob pater dicitur duodecim Patriarcharum. Vel certe quando vnus aliquis omnium, qui de eius stirpe geniti sunt, pater appellatur. Vnde Dominus ad Iudæos, *Ne glorietmini quia patrem habetis Abraham.* (Matth. 3. 9.) Secundum creationem, sicut Deus omnis creaturæ suæ pater pronunciatur, à quo nimirum omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. (Eph. 3. 15.) Secundum adoptionem, sicut omnes

A omnes electi filij Dei vocantur, dicente Apostolo, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* (Rom. 8.15.) Omnes enim, qui de hac adoptione gloriantur, constanter clamant ad Deum, *Pater noster qui es in cœlis.* Secundum imitationem, sicut perfidos Iudæos diaboli filios ipse Christus appellat, *Vos* (inquiens) *ex patre diabolo estis:* (Ioan. 8. 44.) quod pro imitatione dictum sententia illa declarat, ait enim, *Et opera patris vestri vultis facere.* Hinc etiam imitando fidem Abrahæ, filij dicuntur Abrahæ, (Matth 3.9.) quos nimirum de lapidibus Dominus suscitauit. Secundum ætatem, sicut Paulus loquitur ad Timotheum, *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* (1. Tim 5.1.) Secundum dignitatem, sicut serui Naaman, (4. Reg. 5.12.) cum indignaretur aduersus Helisæum, quod non visu, oratione, & tactu, sed mandato, lepræ, quam patiebatur, mederi videretur, recedenti tamen cum indignatione dicunt, *Pater & si grandem rem tibi dixisset Propheta, vtique facere debueras, quanto magis cum dixit tibi, Lauare & mundaberis?*

B Itaque patri omnium qui nos creauit, debemus quod sumus; patri qui nos adoptauit in filios, debemus quod boni sumus; patri qui nos in carne genuit, debetur quod mortales, quod corruptibiles, quod diuersis passionibus obnoxij sumus. De patre itaque carnali, id est de natura corruptibili, nobis insunt incentiua libidinum, motus concupiscentiarum, iræ impetus, tristitiæ languor, metus inordinatus, superbiæ tumor. Hæc est gens illi nimirum contraria, quam bonus pater, qui nos adoptauit, non genuit, nobis benignus infundit, quæ est charitas, gaudium, pax, patientia, humilitas, castitas & cætera. Illa igitur Moab, ista Israel mystice nuncupatur. Contra hunc Moab iugiter nobis pugna, qui etiam congrue aqua paterna interpretatur, quia hæ corruptiones nobis ex fluxu paterni seminis inseruntur. Adsit nobis Dominus Iesus & huius Moab tale onus imporret, vt quamuis ex toto destrui non possit in nobis, sic tamen deprimatur, vt regnare non possit in nobis. Audiamus igitur onus huius Moab, *Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit. Quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.* (Isa. 15. 1.) Nox vero vt scitis, tribulationem significat.
C Interpretatur autem Ar aduersarius, & erat ciuitas Moabitarum. Gens illa naturalium passionum, in anima nostra construunt ciuitatem, quando originalia erumpunt in actualia, dum præbemus membra nostra arma iniquitatis peccato, (Rom. 6. 13.) & quæ prius patiebamur ad pœnam peccati, vertimus ad voluntatem vsumque peccandi, & quot peccatis manus damus, tot ciues pessimos in hac ciuitate suscipimus. Est autem hæc ciuitas illi ciuitati aduersa; quæ de virtutibus fundata, huic, quæ de vitiis est, probatur esse contraria. Murus autem Moabiticæ vrbis obstinatio est, quæ pœnitentiæ humilitatem excludit, vocem obturat confessionis.

Eia [1] fratres quando omnia nobis eueniunt prospera, quando læta arrident tempora, quando luxuriam omnium rerum abundantia parit, Moab iste insurgit acrius, afficit vehementius, incendit carnem, mentem dissoluit, noxia quæque ac voluptuosa suggerit, fit quidam in animo clamor vitiorum, clamantium alterius ad alterum, & dicentium, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.*
D (Psal. 136.7.) Agit proinde benignissimus Saluator vt optimus medicus, & prius morborum resecat causam, subtractisque paululum lætis, dum dura tristiaque succedunt, etiam voluptuosa euanescunt. Ita homo compulsus redire in se, nihil ibi lucidum, nihil serenum, nihil quod placeat, nihil inuenit quod delectet: sed omnia tenebrosa, omnia obscura, omnia plena horroris, noctis, & tenebrarum. In hac nocte vastatur Ar, quando & delectationes vilescunt, & pereunt voluptates, non delitiosa conuiuia, non potationes illicitæ blandiuntur. Vastatur etiam murus, id est mentis obstinatio, & omnia eius propugnacula, quæ sunt vtique excusationes in peccatis, [2] destruuntur. Quidni tunc conticescat Moab? tali quippe nocte ipsis vitiorum materiis amputatis, & vitiorum pariter incentiua conticescunt. Errant fratres charissimi qui in gula & ebrietate, in otio & dissolutione, in mulierum vel parasitorum contuberniis, aut sæpe aut iugiter permanentes, sibi de pudicitia blandiuntur. Expertus sum charissimi, credo

E quia & vos, quod crebris ieiuniis, vigiliis assiduis, laboribus continuis, quasi quibusdam malleis verberatus noster Moab, etiam contritum erigit caput, & post multi temporis silentium, rediuiuis clamoribus vrget incautos, [3] premit improuisos. Hinc est quod multi Moab istum adeo horruerunt, vt mallent ipsum corpus immoderatius conterendo in discrimen adducere, quam sub hoc timore huic esse obnoxij seruituti. Ideo, fratres, quoties gula ingerit cibi vilioris fastidium, quoties somnolentia vel corporis calor vigiliarum infundit horrorem, quoties tepor mentis intermittere cogit sacrum quotidiani operis exercitium, cogitentur quæso incentiua libidinum, turpitudo immunditiarum, inquietus & turbulentus motus membrorum: è contra castitatis suauitas, affectionum puritas, membrorum tranquillitas, & mox omnia, quæ prius æstimabantur grauia, inuenientur [4] esse facillima.

Sic vero cum siluerit Moab, & naturalis illa corruptio, nocte tribulationis vel doloris superueniente, aduersus
F bonæ voluntatis initia pugnare cessauerit, ascendet profecto domus Dibon ad excelsa in planctum. Domum animæ intellige conscientiam, in qua omnes mentis thesauros reponit, vbi locum quietis inuenit, quam à tumultu sæculi, mundique perturbationibus fugientem, læto sinu suscipit, & omnes, qui exterius sentiuntur, lenit sua tranquillitate dolores. Quid horum non agit sana ac secura conscientia? in qua vastata est Ciuitas vitiorum, & murus corruit passionum. Dibon quæ interpretatur fluxus eorum, teneritudinem exprimit affectionis, quæ per illicita quæque defluens, deuaricabat pedes suos omni transeunti. (Ezech. 16. 25.) Hæc à colluuie Moabiticæ corruptionis purgata in ipsa conscientia, de imis ad alta conscendit, de vitiis ad virtutes, de initiis bonæ voluntatis ad effectum boni operis. Ascendit autem in planctum; deserens quippe in inferioribus risum stulti, in superioribus luctum & planctum inuenit sapientis. Plangit statim se tamdiu Moabiticis erroribus fuisse delusum, plangit se tamdiu illicitis eius suggestionibus præbuisse consensum. Plangit se ea
G dulcedine, quam incipit iam gustare, tamdiu caruisse. Plangit se tempus in vanis, vel in noxiis tamdiu consumpsisse. Felix anima cui sic siluit Moab, sicut Nabo & Medeba de quibus subiungit.

Super Nabo & Medeba Moab vlulabit. (Isa. 15. 2.) Nabo interpretatur sessio; Medeba de saltu. Sessio hæc securitatem significat, quæ mater est negligentiæ, & incuriæ generatrix. Quidam enim, quod dolens dico, qui post multa crimina pœnitentialem hanc vitam professi sunt, ita se otio & pigritiæ tradunt, ita necessaria ordinis contemnunt exercitia, quasi *gens quæ iustitiam fecerit, & quæ legem Dei sui non dereliquerit.* (Isa 58 a) Alij quos quotidianæ passiones dehonestant, cum hostium tela frequenter accipiant, ita tamen secure sedent & rident, quasi iam inimicus occubuerit, vel omnis interior pugna quieuerit. Hi etiam de saltu quod est Medeba esse dicuntur, quia infructuosi, vagi, instabiles, in quibus spirituales illæ bestiæ commorantur, de quibus Propheta, *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* (Psal. 73.19.)
H His nimirum non conticessit Moab, sed frequenti vlulatu vitia suggerit, immundas ingerit affectiones, & quæque pessima suadet. Per vlulatum vero Moab, vehemens tentatio naturalium passionum exprimitur. Et additur, *In cunctis capitibus eius caluitium, omnis barba radetur.* Capita Moab, vt mihi videtur, tres naturales motus, qui in homine sunt, non incongrue dicuntur, id est Irascibilis, Concupiscibilis, Rationabilis. Ex horum vt æstimo corruptione, omnium naturalium passionum incentiua procedunt. Capilli capitis sunt ornamentum, barba virilis virtutis est inditium. Itaque quasi ornatur iræ motus, quando aduersus propria vitia homo mouetur, secundum illud, *Irascimini & nolite peccare.* (Psal. 4.5.) Ornatur etiam quando in zelum Dei, contra legis contemptores discrete assumitur, secundum illud. *Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* (Ps. 118. 138.) Vere ornatur, quandoquidem zelus iste à Domino multifariam sæpius muneratur. Nam Phinees ob meritum huius quam dicimus iræ, qua fornicantes pugione confodit, æternum sacerdotium

A meruit, & Iehu filius Namsi, ob zelum quo aduersus domum Achab exarsit, regnum Israel vsque ad quartam generationem ad posteros, Deo fauente, transmisit. Sic & motus concupiscibilis turpitudo quodam ornatu celatur, quando eo quis ad liberos tantum procreandos vtitur, vel quando ad necessariam tantum corporis sustentationem, in cibi potusve perceptione admittitur.

Num. 25. 8. & 13. 4. Reg. 10. 30.

Hinc est quod quidam sanctus coniugium Abrahæ, virginitati beati Ioannis non dubitauit æquare, respiciens nimirum ad obedientiam, qua in ipso opere coniugali diuinæ paruit voluntati, respiciens & ad honestatem intentionis in liberis procreandis, qua motus ille concupiscibilis, sine quo non redditur debitum coniugale, quasi præclaro quodam velamine tegebatur. Sed & motus rationalis sic ornatur, si contra rationem non vtimur ratione. Nam contra leges rationis, furta, latrocinia, adulteria & cætera vitia perpetrantur, quæ tamen sine opere rationis non exercentur. Nam latro locum aptum insidiis, vel

S. Aug. de bono coniugali c. 21. in fine tom. 6.

B tempus ad id negotij opportunum, sine rationis viuacitate non prouidet. Sic adulter ex vi rationis astutiam mutuans, nocte cubiculum, mariti quoque absentiam aucupatur. Itaque qui in vitiis ratione abutuntur, ipsum motum rationalem deturpant: at qui eam circa virtutes, & scientiam [5] salutarem semper exercet, pulcherrimo eam ornatu decorat. De Moab ergo, in quo corrupta sunt omnia, bene dicitur, *in cunctis capitibus eius caluitium*, quia motus illi; ex quorum corruptione vitia vniuersa procedunt, quibus bene vtitur sapiens, in his, quibus naturalia dominantur incentiua, turpes, & deformes, & omni virtute nudati, & decaluati apparent. Bene etiam subditur, *Omnis barba [6] radetur*. Barba vt diximus virilis virtutis initium est. Est autem virtus permaxima, opusque virile, ipsis naturalibus resistere incentiuis, ipsosque motus, sine quibus esse non potest, ad virtutum exercitia retorquere. Porro qui ipsis passionibus manus dederit, & se seruituti tradiderit vitiorum, omni virtute spoliatus, imberbis & quasi in fœminam resolutus agnoscitur. Videat charitas vestra fratres. Multo facilius est ante lapsum vitia de-

C clinare, quam datam eis semel manum, eorum potestati subducere. Quod [7] si vinculis consuetudinis quis fuerit irretitus, in omnibus debilis, & inermis, & quasi fœmineus inuenitur.

Isa 15. 3.

Sequitur, *In triuijs eius accincti sunt sacco: super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descendit in fletum*. De Moabitis alij sunt in triuiis, alij in plateis, alij super tecta. Qui in triuio est, potest diuertere hac atque illac, ne ab omnibus videatur. Platea oculis omnium patet, nec aliquid potest in ea esse celatum. Moris est in terra Hierosolymitana, vbi tecta domorum non in sublime eriguntur, sed sternuntur in latum, vt qui voluerint populo aliquid denuntiare, vel prædicare, super tecta conscendant. Itaque in triuiis Moab sunt, qui occulte peccant; in plateis, qui se manifeste sceleribus fœdant; super tecta, qui non solum peccant, sed etiam peccata excusant & prædicant. Qui igitur occulte peccat, simplex ei sufficit cordis corporisque contritio, quæ per saccum non inconuenienter accipitur. At qui

D manifeste flagitia quæque committit, eget vlulatu, vt eius vera non lateat conuersio, cuius non latuit scelerum magnitudo. Porro qui peccatum suum, sicut Sodoma, tumens superbia prædicat, necesse est vt descendat in fletum, vt sicut peccans in monte conscenderat elationis, ita humiliatus ad vallem descendat plorationis. Præterea quia triuium dicitur vbi tres viæ conueniunt, potest [8] per triuium triplex concupiscentia figurari, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Potest etiam triuium appellari triplex modus peccandi, cogitationis, locutionis, operis. Sed & tripartita vis animæ, per quam fit omne peccatum, memoria scilicet, voluntas, & ratio, potest triuium non incongrue dici. Igitur qui triplici concupiscentiæ cedit; qui cogitatione, sermone, opereque delinquit: cuius etiam memoriam cogitatio fœdat, voluntatem delectatio maculat, rationem peccati consensus eneruat, iste in triuiis Moab misera sorte versatur.

Saccus luctus inditium est. Iste est luctus de quo Do-

E minus in Euangelio, *Væ vobis (inquit) qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis vos*. Quia itaque in triuiis Moab lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, accingentur sacco, id est luctu miserabili contabescent. Per tecta etiamsi placet, intellige potentiam & excellentiam mundi; in plateis vero, in quibus ludi & spectacula exhibentur, libertatem peccandi. Eis itaque, qui in sæculi huius sublimitate gloriantur, vel nullo disciplinæ fræno cohibiti præcipites in vitia feruntur, sanctus Isaias descensum, fletumque prophetat; vt scilicet pro potentia, qua se super cæteros, quasi super tecta positi extollunt, & nullo prohibente, quasi in plateis positi peccant; sciant cum vlulatu ad inferos descensuros, proiiciendosque in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Quomodo autem ad hanc infelicitatem peruenerint, docet sermo propheticus. *Clamabit (inquit) Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est vox eorum*. De his quæ præmissa sunt, duplicem posuimus sensum; primum secundum conuersorum pœnitentiam, alterum secundum impiorum perpe-

Luc. 6. 25. Prou. 1. 24.

Matt. 7. 12.

Isa. 15. 4.

F tuam pœnam. Hunc ordinem & in hoc sensu seruemus. Hesebon interpretatur cogitationes, Eleale ascensio. Si igitur quæras, quomodo de triuiis ad vitæ simplicitatem, de tectis superbiæ ad humilitatem, de plateis propriæ voluntatis ad angustias peruenerint sanctæ necessitatis, induti sacco pœnitentiæ & doloris, emittentes vlulatum confessionis, & descendentes ad lacrymas contritionis, si, inquam, quæras qua via hucusque processerint, dicit tibi sermo diuinus, *Clamauit Hesebon [9] & Eleale*. Hæ sunt cogitationes inuicem accusantes & defendentes, quæ in cordibus eorum qui in noua vitæ pertractatione laborant, quasi in ascensione, quod interpretatur Eleale clamare non cessant, donec ab ipsa voluntate cui clamant audiatur vox earum, & ita audiatur vt perueniat vsque Iasa. Iasa interpretatur mandatum, siue factum. Multi sunt fratres in quibus persæpe cogitationes clamant, & inchoata quædam hominis interioris ascensio, vt relictis triuiis peccatorum, conferant se ad simplicitatem virtu-

G tum, sed non auditur vsque Iasa vox eorum, quia etsi concipiunt boni affectum, non cum tamen perducunt ad effectum.

Quoties fratres charissimi cum nostri propositi immemores in vana quæque & noxia dilabimur, & nos huius sæculi triuiis implicamus, clamant ipsæ cogitationes nostræ aduersum nos, clamat ascendendi, id est proficiendi desiderium, sed quamdiu eadem iteramus, nec voluntatem consequitur effectus, non auditur vox eorum vsque Iasa. Clament tamen assidue, clament importune, non sileant, non fatigentur, donec tædio victi, vel timore compulsi, tandem aliquando impleamus mandatum, appareatque in opere, quod diu fuit in cogitatione. Sed sicut cogitationes bonæ bonos excitant ad profectum, ita malæ malos semper prouocant ad defectum. Clamant ergo & in ipsis Hesebon & Eleale, id est cogitationes peruersæ, & timor superbiæ, nec cessant miseram animam diuersis tentationibus fatigare, donec voluntas illiciatur ad actum, quod est vsque Iasa vocis suæ perduxisse clamorem.

H Discernendæ proinde sunt cogitationes nostræ fratres charissimi, vt si peruersa suggesserint, statim obdurata aure transeamus; si vtilia vel honesta, vsque ad actum ea quæ suggesserint, prosequamur. Vtrobique autem onus animaduertatur, quia siue voluntarie puniendo quæ commisimus, vel peruersis resistendo, vel optimis quibusque consentiendo, sine onere vel premente, vel opprimente non euademus. Sed quia nos nec mala cauere, nec bona exercere nostris viribus possumus, rogemus Deum, vt ipse nobis & virtutem resistendi, & facultatem tribuat operandi, Per dilectum filium suum Dominum nostrum, qui cum eo & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Fratres quando omnia nobis. C. Cam. Fratres *charissimi* quando *cuncta* nobis.
2. Destruitur. Errant, errant fratres. C. Cam Destruitur. *Quidni*

A *tione conticescat*, & quæ sequuntur vsque ad, Erant, erant fratres.

3. Premit improuisos. Ideo fratres. C. Cam. Premit improuisos. *Hinc est quod* & cetera vsque ad, Ideo Fratres.
4. Esse facillima. Felix C. Cam. Esse facillima. *Sic vero cum siluerit Moab*, & quod deinceps vsque ad, *Felix anima.*
5. Salutarem semper exercet. C. Cam. *Salutarem exercet.*
6. Radetur. Porro qui ipsis. C. Cam. Radetur. *Barba vt diximus*, & reliqua vsque ad, *Porro qui ipsis.*
7. Si vinculis consuetudinis C. Cam. *Si vinculo consuetudinis.*
8. Per triuium appellari. C. Cam. Per triuium *triplex concupiscentia*, & cetera vsque ad, *appellari.*
9. Et Elcale. Non cessant peruersæ cogitationes miseram animam diuersis tentationibus C. Cam. Et Elcale. *Hæ sunt cogitationes inuicem*, & quæ subiecimus vsque ad, diuersis tentationibus.

Sermo vigesimus quintus.

B

Adhuc fratres onus Moab in manibus vertitur, in quo mystica quædam in vrbem, vel locorum nominibus exprimuntur. Diximus autem per Moab sapientiam sæcularem, vel ipsos certe mundi huius sapientes, qui euangelicæ doctrinæ resistunt, prophetice figuratos, de quibus dicitur. *Clamauit Hesebon & Eleale, vsque Iasa audita est* [1] *vox eorum.* In his verbis nudiustertius propheticæ expositioni finem dedimus; quæ ista sequuntur quæ hodie cum vestra charitate tractanda suscepimus. Sequitur. *Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Erat in cognitionibus sapientiũ clamor magnus, cum hinc arguerentur à manifesta per Euangeliũ veritate; hinc superbia tumidi, aduersarentur diuinæ sapientiæ. Ex tunc huius certaminis
Psalm. 52. 6. fuit finis, quando alij volentes placere hominibus, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos, alij *humiliantes se sub potenti manu Dei*, quanto fuerant ad credendũ tardiores, & ad inquirendũ subtiliores, tãto facti sunt in ipsa fide, & doctrina expeditiores. Isti sunt expediti Moab, vel quia se à retibus fallacis sapientiæ explicuerunt; vel quia expedite per
C viam euangelicam incesserunt. Isti super hoc quod prius egerant, vlulauerunt, non solum vocis strepitu, sed etiam intimo cordis affectu. Per hoc enim quod dicit. *Super hoc expediti Moab vlulabunt.* exterior confessio; per hoc vero quod sequitur. *Anima eius vlulabit sibi.* interior contritio exprimitur. Contigit autem, vt qui Moabiticæ sapientiæ renunciantes, Crucis sunt secuti stultitiam, tanto fierẽt diuinæ scientiæ capaciores, quanto fuerant in humana perspi-
Isai. 15. 5. caciores. Vnde ex persona Domini Propheta subiũgit. *Cor meum Moab clamabit.* Cor Dei sacræ scripturæ secretus dicitur intellectus, quia in ipso voluntas eius, consiliorumque arcana mysteria reuelãtur. Cor ergo Dei clamat ad Moab, qñ mens illius, qui de philosophia mundi transit ad Deum, spiritalis conscientiæ lumine copiosius [2] illustratur. Quod si vocem hic Prophetæ velis intelligere, ab hoc eodem sensu non discrepat, cum cor Prophetæ, ipsius prophetiæ secreta possint non incongrue nuncupari.

Vectes eius vsque Segor vitulam conternantem. Vectes Moab dialectica argumenta intellige, quæ in conuersis sapientibus Ecclesiæ, cui obsuerant, cœperunt prodesse; vsque Segor enim vectes Moab peruenerunt, quando philosophorum subtilia argumẽta Ecclesię profuerũt. Ecclesia quippe
D in eo statu, quo tunc fuerat, iure dicitur Segor, id est, par-
Cant. 8. 8. ua de qua dicitur in Canticis. *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ. Quia paruula est.* Paruula plane erat, quando nec fines Iudæorum excessit; & in ipsis parua, & contemptibilis latuit. Parua (inquam) erat non merito, sed numero. Vnde sterili Annæ fœcunda Phenen-
1. Reg. 1. 6. na, Ecclesiæ insultat synagoga, *Donec sterilis peperit plurimos,*
1. Reg. 2. 5. *& quæ multos habebat filios, infirmata est.* Pulchrè autem Segor, id est, Ecclesia, vitula dicitur conternans, id est tertiũ agens annum; vt primus annus sit ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia; vel vt primus annus intelligatur sub Patriarchis, secundus sub Prophetis, tertius sub Apostolis. Sane genus hoc animalis abundans est lactis, & nimiæ circa fœtum affectionis; nisi enim arte fallatur, nec ad vbera alienum fœtum admittit, nec lac emittere, nisi

E proprio præsente, consueuit. Hæc matri Ecclesiæ conuenienter aptantur, quæ lacte charitatis, & doctrinæ suauioris exuberans, quos ipsa per lauacrum aquæ salutaris non regenerat, quasi alienos, sacrosanctis mysteriis indignos existimat. Quæ & ideirco potest dici conternans, quia fide, & spe, & charitate robusta proficit in ætatem perfectam, in mensurã ætatis plenitudinis Chri-
sti. [3] Cum ergo vectes Moab ad Segor vsque peruenerint, id est cum sapientes huius sæculi omnia scientiæ suæ firmamenta & argumenta, ad Ecclesiam contulerint, tunc fit quod mox Propheta subiungit. *Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in viam Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Ephes. 4. 13.

Luith interpretatur genæ. In genis vero, interioris hominis qualitas plerumq; deprehenditur. Has quippe timor pallore, pudor rubore, dolor horrore, gaudium hilaritate, amor suauitate perfundit. Sunt autem duo quædam, secundum quæ de humanæ mentis statu iudicamus; opus
F scilicet, & sermo; nam *ex abundantia cordis os loquitur*, & secundum quod quisque diligit operatur. Ascendit igitur Matt. 12. 34.
flens Moab per Ascensum Luith, quando sapiens quilibet Ecclesiam intrans, compunctus pro peccatis præteritis, verbo simul & opere ad virtutum alta ascendit. *Et in via* (inquit) *Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Oronaim Mat. 7. 14.
interpretatur mœroris foramen. Hæc est arcta illa via, quæ Mat. 19. 24.
ducit ad vitam, foramen videlicet illud acus per quod camelus, animal gibbosum, transire non potest. Quod bene foramen mœroris dicitur, quia quicunque angusto huic foramini sese contulerit, nihil dulcius mœrore æstimabit. Mœret enim pro his, quæ commisit, illicitis; mœret pro his, quæ in præsenti sentit, aduersis; mœret pro his, quæ rimet imposterum mala, mœret pro his, quæ in futurum desiderat bona. In hac proinde via Oronaim positi mundi sapientes, clamorem leuant contritionis, scientes quia Psal. 50. 19.
sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humilia- Isai. 15. 6.
tum Deus non spernit. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt. Interpretatur enim Nemrim pardus siue præuaricatores. In pardis varietas, in varietate intelligitur impietas. Aquas igi-
G tur Nemrim philosophiam accipe sæcularem, in qua est tanta sectarum, sententiarumque varietas, vt quod vna astruit altera destruat, & quod ista probat, improbet illa, & quod altera optimum, altera pessimum arbitretur. In omnibus autem vna regnat impietas, commutantibus veritatem in mendacium, & seruientibus creaturæ potius Rom. 1. 25.
quam creatori. & 25.

Sed in his qui conuersi sunt ad Dominum, desertæ sunt aquæ Nemrim, quia doctrina euangelica imbutis, quæ Philip. 3. 7.
prius fuerunt lucra, videntur propter Christum detrimenta. *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt.* Herba grex irrationabilis pascitur, quam si forte aruerit, nec ipse rangere curat. Herbæ igitur nomine illa philosophorum sententia exprimitur, qua imperitum vulgus alioqui & docere consueuerant. Sed *aruit fœnum & cecidit flos, quia* Isai. 40. 7.
Dominus sufflauit in eum. Flante enim vbique Dei Spiritu, & mortalium cordibus cœlestem inspirante doctrinam, ad-
H eo tota illa scientia aruit, vt nec rusticanam quidem simplicitatem iam delectet. [4] Arescente autem herba germen quoque defecit, quia cessante prædicatione peruersa, & germen pariter, quod inde pullulare consueuerat, auditore deficiente cessauit. Viror etiam omnis interijt, quia viror gloriæ, quam ex opinione vulgi habebant, confestim emarcuit. Si autem id magis placet, intelligatur in herba rerum manifestarum scientia; in germine subtiliorum & profundiorum intelligẽtia, in virore exteriori eloquentia. Quæ omnia in his, qui euangelio adhæserunt, aruerunt, defecerunt, interierunt, vt talis vera succederent, exclusisque noxijs, vtilia subintrarent.
Sequitur. *Secundum magnitudinem operis, & visitatio eorum.* Isai. 15. 7.
Visitatio & secundum pœnam, & secundum profectum dici potest. *Visitabo* (inquit) *super eos mala, & sagittas meas* Deut. 32. 23.
complebo in eis. Et alias. *Non visitabo super filias vestras cum* Osea. 4. 14.
fuerint fornicatæ, nec super vxores vestras, cum adulterauerint. Sed & visitauit nos in salutari suo Deus, visitantque nos Oriens ex alto, illuminauit eos qui in tenebris sederunt & vmbra mortis. Hic quę magis delectat intellige. Si pœnam

secun-

A secundum magnitudinem operis iniqui, sic visitatos intellige, vt peccatorum suorum reciperint aut interiori contritione, aut exteriori afflictione dignam retributionem. Si vero profectum, quantum sibi videbantur magni in oculis suis & sublimes, tantum eos Spiritu visitante humiles factos aduerte. Vel certe ita visitati sunt, vt secundum mensuram qua mensi sunt, mundiali gloriæ abrenunciando pro nomine Christi, metiretur eis abundantia gratiæ Christi. [5] Sic ergo visitati ducentur ad torrentem salicũ. Hoc genus arboris talis fertur esse naturæ, vt semen eius potatum virtutem auferat generandi, vnde non incongrue virtutem significat castitatis, vel illos quos ob pudicitiæ suauitatem, spreta liberorum propagine, in torrentibus spiritualibus habitare delectat.

Igitur Moab id est sapiens quisque conuersus ad Dominum, ambulat de virtute in virtutem, de sui cognitione ad pœnitentiam, de pœnitentia ad humilitatem, de humi-
B litate ad castitatem. Possunt etiam per salices homines steriles & infructuosi accipi, qui in voluptatibus huius sæculi, quasi in torrentibus habitantes, ab omni fructu spiritali redduntur immunes. Ad quos post conuersionem suam, Oratores & Philosophi regendos & erudiendos, vel à magistris ecclesiæ quibus adhæserant, vel à Spiritu sancto ducti sunt vt fidem docerent, quam impugnauerant, doctrinamque astruerent, quam antea fuerant detestati. Possunt etiam per torrentes salicum tribulationes & [6] passiones intelligi, quas cum perditis hominibus ipsi etiam sustinuerunt, imitantes eum qui de torrente in via bibit, & propterea exultauit caput. Ostendens deinde propheta quomodo ista omnia euenerint. *Quoniam* (inquit) *circuit clamor* Isai.15.8.
Matth.3.2. *terminum Moab.* Iste est clamor Apostolicæ prædicationis; *pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, qui nullum sapientium huius sæculi latere poterat, quando
Psal.18.5. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ* [7] *verba eorum.* Ideo circuit clamor terminum Moab. Si ve-
C ro hic clamor ipsius Moab intelligere placet, tunc circuit terminum Moab clamor eius, quando Moab in omnibus clamans, alij aduersus alios, conuersi contra auersos, contra iustos impij, contra pœnitentes obstinati multiplici disputatione certarunt. Vnde subiungitur. Vsque ad Gallim vlulatus eius, & vsque ad Puteum Elim clamor eius. Gallim interpretatur arenarum tumuli; Vlulatus itaq; Moab in his, qui pœnitentes, & conuersos ab errore suo, stulta pietate luxerunt, peruenit vsque ad tumulos arenarum, in quibus nihil firmum, nihil stabile, vtpote quæ omni vento facile dissipantur. Et clamor eius in ipsis conuersis peruenit vsque ad Puteum Elim, quod interpretatur Arietes; quia & illorum obduratio dissipationem, & istorum pœnitentia ex puteo arietum, id est doctrina Apostolorum meruit consolationem. Ait ergo *Vsque ad Gallim vlulatus eius, & vsque ad Puteum Elim clamor eius*, vt idem hominum genus in aliis sterili vlulatu, in alijs salubri clamore doceat esse compunctos.

D Habet enim hunc morem sacra scriptura, vt de eadem gente loquens, nunc de eadem optima, nunc pessima quæque pronunciet, sicut Apostolus de Iudæis scribens ad
Rom.11.28. Romanos ait, *Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem charissimi propter patres.* Ipsos dixit inimicos & charissimos, quia in ipsa gente alij inimici inuenti sunt Christum persequentes, alij charissimi Christo fideliter adhærentes. Hanc loquendi regulam sæpius inuenies in Isaia, quam nisi diligenter aduertas, omnia tibi videbuntur confusa, & diffidentia. Sic ergo cum vno nomine, vel vna gente Moab, mundi huius sapientes intelligas figuratos, quorum alij reprobi, alij electi inuenti sunt, ita subtiliter tractat de singulis, vt nomine non mutato de singulis quasi de vno contrarias sententias videatur proferre. Quia igitur Moab in reprobis nihil proficeir, vlulans, & clamans aduersus sanam doctrinam, sed sicut arenarum tumuli, vento vanitatis, vel vniti sunt, vel dispersi, conuenienter dicitur de Moab, *Vsque ad Gallim* [8] *vlulatus eius.* Quia vero Moab in electis pœnitendo, vel prædicando, vel certe orando, salutaris doctrinæ meruit scientiam
Isai.15.9. adipisci, recte etiam de Moab subiungitur, *Et vsque ad puteum Elim clamor eius.* Sequitur. *Quia aqua Dibon repleta sunt*

E *sanguine.* Dibon interpretatur fluens, illos significans, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & in vana quæque, & turpia defluxerunt. Quorum aquæ, id est doctrina repleta est sanguine, illo nimirum de quo Propheta se postulat liberari dicens, *Libera me de sanguinibus Deus*; & de quo Psal.50.16.
Isai.1.15. iste ipse Isaias. *Manus* (inquit) *eorum sanguine plena sunt.* Eia fratres, Quotquot Philosophi suæ sectæ associauerunt, tot impietatis gladio perculerũt; *veloces* enim *pedes eorum ad ef-* Psalm.13.3.
fundendum sanguinem, quoniam linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Sic igitur lætandum est. Nemo miretur, quod plurimi philosophorum puteum Elim, arenarum tumulis prætulerunt, doctrinam scilicet Apostolicam, sapientiæ sæculari, quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: peruersa enim doctrina, non eorum, quos decipit, animas viuificat, sed mortificat, nec eas à sordibus mundat, sed peccati sanguine fœdat. Et addidit Propheta. *Ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, & reliquis terræ.*

F Iam manifeste separat pretiosum à vili. *His* (inquit) *qui fugerint de Moab leonem*; id est ad eorum vtilitatem, ad eorum consolationem, ad eorum profectum, ponam super Dibon additamenta; addam enim plagas plagis eorum, dolores doloribus eorum, anxietatibus anxietates, timoribus timores, quoniam & hic in fluxu suo, quod interpretatur Dibon, computrescent, & ad extremum pœnis perpetuis cruciandi ad inferna descendent. Et hoc proderit his qui fugerint de Moab, & fugiendo leonem euaserint qui *circuit quærens quem deuoret.* Nec solum illis qui fugerint de 1.Petr.5.8.
Moab leonem, sed etiam reliquis terræ, qui scilicet leonem fugerint id est diabolum, terrena quæque vitia deserentes, & virtutibus studentes, eorum proderit pœna, qui inter perditos Moabitas perseuerantes, pro fluxu rerum temporalium accipient additamenta pœnarum. Potest legi & sic. *Ponam super Dibon additamenta.* Et quasi quæreres quam diceret Dibon, exponens, subiungit, *His qui fuerint de Moab.* Quoniam enim Dibon sufficiens mœror inter-
G pretatur, illos significat qui eo modo, quo superius diximus, flentes & mœrentes fugerunt de Moab, infidelium societatem deserentes, & christiano populo adhærentes. Super quorum angustiam, quam habuerunt in pœnitentia, posuit Dominus persecutionum additamenta, quia illis datum est, non solum vt crederent in Christum, sed et- Philip.1.29.
iam vt paterentur pro Christo. Exponens quippe quæ additamenta fuerat positurus, Leonem inquit, persecutionem exprimens, quam leo ille rugiens fidelibus suscitauit, non solum de sapientia sæculari conuersis, sed sicut superius diximus reliquijs terræ. Quod si reliquijs terræ legendum est, sicut Moab Gentes, ita & in reliquiis terræ, Iudæos intellige, de quibus Apostolus, *Reliquiæ* (inquit) *secun-* Rom.11.5.
dum electionem gratiæ saluæ factæ sunt; tam enim Gentes quam Iudæos, qui fidem Christi susceperunt, hæc leonis persecutio fatigauit. Eia fratres, obscurissimum Prophetæ locum, propter propriorum nominum copiam, idcirco breuiter & continuatim, sicut potuimus, enodauimus, vt & facilius intelligeretur, & à memoria difficilius laberetur, & mora-
H lis expositio, quæ sequi debet, gratius audiretur, quam volo vos in crastinum differre, ne vel satiatos cibo, vel fatigatos labore videar onerare. Vestris autem orationibus munitus quicquid ille Spiritus, qui reuelat mysteria, suggesserit, ad vestram ædificationem eras in medium proferemus, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Deo patre & eodem Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vox eorum. Sequitur. C. Cam. Vox eorum. *In his verbis*, & reliqua, vsque ad, *Sequitur Super.*
2. Illustratur. Vectes eius. C. Cam. Illustratur *Quod si vocem hic Propheta* & quod subiecimus vsque ad, Vectes eius.
3. Cum ergo vectes. C. Cam. Cum *igitur* vectes.
4. Arescente herba, viror omnis deperiit, quia viror gloriæ, quam ex opinione vulgi habebant, statim emarcuit. Sequitur C. Cam. Arescente *autem* herba, *germen quoque defecit*, & reliqua vsque ad, Viror *etiam omnis interijt*, quia viror glo. q. ex op. vul. habebant *confestim* emarcuit. *Si autem id magis*, & *quæ* sequuntur, vsque ad, *Sequitur.*

5 Sic ergo visitati C.Cam. Sic igitur visitati.
6. Passiones designari, quas. C.Cam. Passiones *intelligi* quas.
7. Verba eorum. Sequitur. Vsque. C. Cam. Verba eorum. *Ideo circuiuit clamor*, & cetera vsque ad, *Subiungitur vsque.*
8. Vlulatus eius, & vsque ad Puteum C.Cam. Vlulatus eius. *Quia vero Moab*, & reliqua vsque ad, *Et vsque.*

Sermo Vigesimus Sextus.

A

Adestote nunc fratres charissimi, & vt intente audiatis, & vt mente oretis, quatenus ea, quæ hesterno die secũdum propheticam explanationem percurrimus, tropologice ad morum ædificationem exponere valeamus. Profunda quippe sunt nimis, & propriorum nominum obtecta velamine, & idcirco vterque, tam auditor quam expositor non parua egent intentione. Satis meminit charitas vestra quod Moab, qui interpretatur de patre, secundum legem moralem diximus figurari ea, videlicet vitia, quæ ex carnali generatione de patre procedunt in filium, sicut sunt incentiua libidinum, & iræ stimuli, & cetera huiusmodi; vel certe eos, qui his vitiis manum dantes, secundum ea viuere delegerunt. Sed & eos, qui ipsa vitia deserentes, aduersus ea spiritalem iniere conflictum, quamdiu huiusmodi tentationibus fatigantur, secundum aliquid Moab possumus appellare, quorum alij; quia minus expediti sunt, superantur, in quibus impletur quod ait, *Clamabit Hesebon & Eleale, & cetera*; alij, quia expediti concertant, clamant ad Dominum cum tribulantur, & de necessitatibus eorum eripit eos, de quibus subiungit *Super hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Dicendum primo videtur, qui sint expediti Moab. Occurrit hic Patriarchæ nostri Abrahæ opus memorabile, quo numeratis trecentis decem & octo vernaculis expeditis, hostem inuasit, fugauit, prostrauit, omnem insuper, quam de Sodomis tulerant prædam, potenter eripuit. In quo fere numero sanctusque Gedeon Madianitarum fudit exercitum, lumine lampadarum, & tubarum sono perterritum: quos ego similiter dixerim expeditos, omnibus nimirum, quos aliquod impedimentum inhabiles bello reddiderat, non minus prudenter quam audacter exclusis. Nam quos timor pauidos, & amor fecerat dissolutos, quos cupiditas eneruauerat, vel absorbuerat voluptas, diuino edoctus oraculo dux sagacissimus iusserat à bello discedere. Quibus remotis, cæteri ad aquas ducuntur probandi. Mox quidam prostrati toto ore aquas hauriunt, quidam paululum inclinati necessitati consulunt, supersedent superfluitati.

B

Psal. 106. 6

Gen. 14. 14.

Iudic. 7.

C

Videtis igitur quod non solum vitia, sed & superflua quæque impedimento sunt proficientibus, pugnantibus oneri. Multi igitur qui naturalibus incentiuis illecti, in turpia quæque prolapsi sunt, in ipsis, in quibus peccauerunt, diuitijs, & delitijs, mundique occupationibus, & pœnitere pro præteritis, & continere à futuris proponunt, & quandam morum conuersionem arripiunt, sed ad hoc non modico quidem tempore sufficiunt, non enim sunt expediti Moab. Tam diu enim in illis clamat Hesebon, id est, iniqua cogitatio, & Eleale, id est mentis elatio, donec vsque ad Iasa vox eorum audiatur, vt cogitationem pessimam, opus pessimum consequatur. Volens proinde dux noster, ad bellum hoc spiritale suos milites reddere expeditos, *Qui non* (inquit) *renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et iterum. *Qui non odit patrem aut matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Itaque expediti Moab illi dicuntur, qui vt vitiis moabiticis, in quibus deciderant, securius possint resistere, ab omnibus mundi huius negotiis & diuitiis, ab omnibus affectibus, & proprijs suis voluntatibus, sese expediunt, & nudum Christum nudi sequuntur. Hi cum se senserint aut naturalibus incentiuis, aut dæmonum suggestionibus, aut certe propriis cogitationibus infestari, vehementem cordis vlulatum, & miserabilem vocis eiulatum, cum lacrymis & suspiriis emittunt ad dominum, dicentes cum Propheta. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Hoc ipsum est quod ait Isaias, *Super hoc expediti Moab vlulabunt.* Quod vero sequitur, *Anima eius vlulabit sibi.* occultam cordis exprimit contritionem, quæ oculos hominum respuit, diuinum aspectum [1] requirit. Culpantur proinde illi, qui in angulis platearum orantes, vt videantur ab hominibus, non habent mercedem apud patrem, qui in cœlis est. Sed nec eorum anima vlulat sibi, qui tempus congruum, nec locum quærentes, aures circumstantium quibusdam clamoribus, & singultibus replent, sibi nihil vtilitatis, impedimenti plurimum alijs afferentes.

D

Luc. 14. 33. & 26.

Psal. 37. 9.

E

Matt. 6. 5.

Sequitur, *Cor meum ad Moab vlulabit.* Gratias tibi Iesu bone; vere miserationes tuæ super omnia opera tua. Si ibi intus vbi Deus videt, ad Deum cor hominis conuertitur, & conteritur, mox cor Dei ad ipsum conuertitur. Per cor Dei affectus pietatis, & compassionis eius exprimitur. *Cor meum ad Moab clamabit.* Moab vlulat timendo, Christus clamat miserando; Moab vlulat confitendo, Christus clamat remittendo. Moab videns ventum validum venientem, timet & vlulat, Christus manum porrigens & clamans, titubantem & trepidantem increpat, Modicæ fidei quare dubitasti? Respondet itaque clamor vlulatui, respondet affectus affectui, respondet misericordia misero, medicus ægro, laboranti & dolenti compassio. Vere Domine secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Clamans Domine, Clamans ibi intus in anima mea, quando desperatum in spem erigis; quando timenti & trementi, mira pietate & suauitate blanditis; quando animo iam se corporeis caloribus inclinanti, rorem refrigerij salutaris infundis; quando mentem aduersus iram, odia, vindictam, & cetera huiusmodi laborantem, interiori quadam tranquillitate componis. Sic quotiens in his, & pro his anima mea vlulat sibi, totiens cor Dei mei clamat, compatiendo mihi. Sic Iesu meus Lazarum suscitaturus, voce magna clamasti, magno clamore, magnum tuæ pietatis exprimens affectum. O Domine quamdiu aduersum me, istarum passionum tentatio molesta desæuiet? Quamdiu Moab, quem in ipso conuersionis meæ initio me euasisse putaueram, rediuiua contra me semper bella restaurabit? Audi quod sequitur. *Vectes eius vsque ad Segor vitulam conternantem.* Segor interpretatur parua, humilitatem vtique significans, quæ de diuite pauperem, de magno paruum, de superbo [2] humilem facit. Quæ congrue vitula dicitur, quod genus animalis lactis abundat, quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et super quem (inquit) requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & timentem sermones meos?

Mat. 14. 30. & 31.

F

Psal. 93. 19

Ioan. 11. 43

G

Iacob. 4. 6.
Isai. 66. 2.

Dicitur autem vitula conternans, id est tertium agens annum, quæ ætas in bobus & apta iugo, & ad fœtum [3] habilis inuenitur. Per vitulam igitur trimam, vel conternantem, humilitatis perfectio figuratur. Vectes fortitudinem, roburque significant, quod vitiis peccandi tribuit consuetudo. Quod eorum robur tunc primum experimur, quando conuersi ad Dominum, resistere consuetudini inueteratæ proponimus. Qua sine dubio tamdiu fatigamur, donec sæuissima illa bestia, superbia scilicet, profunda fuerit humilitate deleta. Ideo vectes vsque ad Segor vitulam conternantem. Possunt etiam per vitulam conternantem tres gradus, quibus humilitas perfecta cognoscitur, exprimi, quæ in triplici contemptu consistit. Primum igitur est, vt homo seipsum contemnat, subdens se maiori secundum Deum. Deinde addat nullum contemnere, nullum se inferiorem æstimare, & ita subditus sit omni creaturæ propter Deum. Postea ab omnibus se contemni, vel libenter, vel certe patienter sustineat, & solum suspiret ad Deum. In his tribus perfecta consistit humilitas, ad quam quicunque Dei miseratione fuerit prouectus, ita omnia ei tranquilla erunt, atque pacata, vt non sit in carne quod repugnet spiritui, nec in spiritu, quod Dei obuiet voluntati. Certi proinde estote, fratres charissimi, quia quotiens nos concupiscẽtia carnis vrget ad vitia, aut superbia occulta arguitur, aut manifesta confunditur, aut ne pro virtutis cuiuslibet conscientia nefandum erigat caput, præcedentis titillatione vitij deprimitur. Quocirca quicunque à carnaliũ passionum dominatu cupiunt liberari, circa humilitatis acquisitionẽ, vel

H

A vel conseruationem summum studium, & laborem impendant, in cuius perfectione, & castitatis, & tranquillitatis perfectio tota consistit. Vectes quippe Moab, id est robur carnalium passionum, vsque ad Segor vitulum consternantem perueniunt, quia vbi humilitas perfecta fuerit, tota illius vis feruorque tepescit. Vt sciamus autem, quia ad hanc valeamus conscendere perfectionem, audiamus quid Propheta subiungat. *Per ascensum enim Luith flens ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.* Luith interpretatur genæ, Oronaim foramen mœroris. *Nonne lacryma viduæ*, ait scriptura, *ad maxillam descendunt, & Dominus Deus non delectabitur in illis.* Per genas quippe lacrymæ descendunt, sed ipsarum vis, & causa, pro qua funduntur, secreta ad cœlum conscendunt.

Eccli.35.10. & 19.

Recogitans igitur homo pristinos annos suos in amaritudine animæ suæ, in lachrymas sæpe resoluitur, lauansque per singulas noctes lectum suum, & stratum lacrymis rigans, dicit cum Propheta. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Itaque per Luith, id

Psal.118. 136.

B est genarum lacrymas, flens ascendit, donec ad foramen mœroris, id est Oronaim perueniens, clamorẽ leuet contritionis. Eia fratres, non perfunctorie transeundum est quod ait, *In via Oronaim.* Est via quippe quæ ducit ad Oronaim, id est foramen mœroris. Quale hoc foramen? Quis vidit? Quis audiuit? Quis cognouit? Quis expertus est? Habet mœror salutaris ostium suum, habet fenestram, habet & foramen. Per ostium frequens est in quamlibet domum ingressus; per fenestram patens aspectus, foramen nihil corpulentum admittit, luci, soli & aeri peruium, præbens oculo explorandi libertatem, sed perscrutandi adimens facultatem. Per ostium igitur fidem, spem per fenestram, per foramen intellige speciem. Per fidem secreta Dei rimamur, per spem odoramus, per speciem tangimus. Fides docet omnia, spes promittit futura, species [4] exhibet promissa. Eia fratres charissimi, quo non peruenit fides nostra? quo non per ipsam peruenit anima? Per fidem quippe non me latet ipsa diuinæ Trinitatis vna, indiuisibilisque substantia, vna sapientia, vna maiestas, vna

C potestas, vna eademq; bonitas. Per ipsam mihi est de angelorum beatitudine, de dæmonum iniquitate & infelicitate, de mundi creatione & humani generis constitutione, de ortu, & progressu, & casu certa sententia, de Christi incarnatione, & per eam hominis reparatione, salubris & vera doctrina. Per fidem nihilominus didici quæ pœna improbos, quæ præmia maneant iustos. Hæc omnia fide comprehendimus, cum spe pauca de his, quæ futura sunt, quasi de longe odoramur. Quid species? numquid mihi adhuc ostium, numquid saltem fenestra? Vtinam vel paruo foramine mihi lux illa resplendeat, liceatque vel vno oculo cœleste illud explorare secretum, haurire mihi inde diuinæ dulcedinis vel modicam stillulam, & explorare iucunditatis suauem memoriam. Quis mihi, vel quid mihi hoc foramen aperiat, per quod id, quod credimus & speramus saltem raptim & ex parte vel modica, quasi vno oculo valeam contemplari? Quis rogo, nisi Iesus? Quid nisi mœror? Ascendat proinde quæso anima mea per ascensum Luith, id est compunctionis, vt in via diuini timoris

D vocem leuet contritionis, vt perueniat per famen mœroris, ad modicum aliquod lumen contemplationis. Est igitur triplex mœror, primus per quem homo transit ad fidem, secundus per quem erigitur ad spem, tertius per quem illuminatur ad speciem: primus est timoris, secundus consolationis, tertius desiderij, & delectationis. Cum enim fides sine operibus mortua sit, mortua autem fides, fides non sit, tunc iterato homo transit ad fidem, quando salubri mœrore compunctus, de pessima vita ad morum transit emendationem. Primum mœret homo, vt remissionem peccatorum consequi mereatur; deinde mœret, vt in spe diuinæ promissionis consoletur, & sic in hac via vocem leuet contritionis, vt mœrenti foramen ei, per quod quasi per speculum appareat ipsa species, aperiatur. O mœror dulcis & desiderabilis! per quem mortuus suscitatur, infirmus sanatur, illuminatur cæcus, cœli ianua aperitur. Non sic hypocritarum fictus mœror, de quo Propheta, *Aquæ enim Nemrim desertæ erunt.*

E Nemrim pardus interpretatur; est autem pardus animal maculosum & varium, quod vitæ & moribus congruit, hypocritarum, qui foris candidi, intus sunt obscuri, in quibus foris lucet pudicitia, intus fœtet luxuria, qui foris gloriantur in humilitate, intus pascuntur vanitate, in quorum veste vilitas, in quorum mente cupiditas, in quorum verbis veritas, in quorum vita impuritas. Exitus aquarum deducunt oculi eorum, sed aquæ istæ desertæ erunt, quando veniens ille qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, lacrymas steriles & infructuosas, ob hominum oculos tantum extortas, omni gratia & remuneratione ostendet esse priuatas. *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt.* Quasi herba initium bonæ conuersationis, quasi germen fructus boni operis, quasi viror puritas bonæ intentionis. Sed in hypocritis aruit herba, quando bonæ conuersationis principiũ vanitate corrumpitur; deficit germen, quando in laudabili opere non perseueratur: omnis viror interijt, quando

F intentionis puritas, arridente cupiditate, deseritur. Sequitur. *Secundum magnitudinem operis, & [5] visitatio eorum.* Si de hypocritis hoc sentiendum existimas, dura in eos profertur sententia, vt scilicet secundum magnitudinem scelerum, metiatur in eis magnitudo pœnarum. Quod si placet ad eos ista referri, de quibus præmiserat. *Per ascensum Luith flens ascendet, &c.* facta de damnatione hypocritarum interpositione, redit ad eos. *Secundum magnitudinem* (inquiens) *erit & visitatio eorum.* Visitatio hæc in bono accipienda est, quia scilicet corda sanctorum præsentia sua sancta lætificans, vnicuique copiam sui, sicut quisque meretur, iusta æquitate largitur. Ideo secundum magnitudinem operis, & visitatio eorum. *Ad torrentem salicum ducent eos*; Moabitas scilicet, qui de vitiis ad virtutes transeunt, & locum, vbi virtutes ipsas exerceant, auidissime quærunt. Hi igitur ad torrentes salicum ducentur. Torrentes salicum diuersi ordines sunt sæculo abrenuntiantium, qui torrentes dicuntur, vel propter lachrymarum inundationem, vel propter 3. Reg.17. 6 tentationum violentiam. Talis erat torrens de quo bibit

G Helias, quando deferebant ei corui panem, & carnes mane, & panem, & carnes vespere. Dicitur autem torrens Carith quod interpretatur caluus. Quoniam capilli corpori superfluunt, calui sunt qui superfluis renunciant, necessariorum vsu contenti. Isti sunt expediti Moab, quorum vnus fuit Helisæus, cui pueri insultantes. *Ascende* (inquiunt) *calue, ascende calue.* Isti in via bibunt de torrente, donec flu- 4. Reg.2.23. minis impetus lætificet ciuitatem Dei, & dedicet domum suam altissimus; non enim continue fluit torrens, sed tunc cum forte Austro flante glacies soluitur, aut pluuia vberius descendente, aquis valles implentur.

Talis est in præsenti hæc visitatio, quia nos Deus [6] aqua sapientiæ salutari perfundit, nunc, flante spiritu, soluens nostram suaui compunctione duritiam, nunc humiles quosque scientia spiritali, quasi aquis cœlestibus, rigans. In huiusmodi torrentibus salices crescunt, hi videlicet, qui spreta carnalium propagine liberorum, abscide-

H runt se propter regnum cœlorum, habentes in domo Dei nomẽ melius a filiis & a filiabus. Hæc est castitatis & mun- Isai.56.5. ditiæ virtus gratissima, ad quam post molestias corporis, post innumeras tentationes libidinis, post crebra incendia carnis, post periculosas suggestiones immundissimi dæmonis, per ascensum Luith & veniam Oronaim, anima [7] sancta, Spiritu sancto ducente, & comitantibus Angelis, peruenire mereatur. *Quoniam circuiuit clamor terminum* Isai.15.8. *Moab.* Hic est clamor de quo superius ait. *Cor meum ad Moab clamabit.* Clamor iste circuiuit terminum Moab, quia vox Dei loquentis in nobis, fines vitiorum discutit & ipsorum nobis horrorem infundit. Quam sæpe fratres, hunc eius clamorem aure cordis audiui, cum circumstrepente vndique tumultu vitiorum, ipse singulis obuiaret, & illis narrantibus delectationes, eorum clamorem suo clamore compesceret terminum, id est, finem huiusmodi delectationis objiciens, & turpitudinem pandens, & spiritualium delectationum dulcedinem menti captiuatæ proponens? Sed iam quis sit vtriusque clamoris finis audiamus. *Vsque ad Gallim vlulatus eius, & vsque ad puteum Elim clamor eius.* Si placet reddantur singula singulis, vt intelligatur vlulatus

A Moab, hoc est vitiorum, de quo superius dixerat. *Super Nabo & super Medaba Moab vlulauit*, clamor autem ille, de quo præmiserat, *Cor meum ad Moab clamabit*. Sed vlulatus ille ad tumulos peruenit arenarum, quod interpretatur Gallim, & clamor iste ad Elim, quod interpretatur puteus arietum.

Quasi arenæ cogitationes vagæ sunt & instabiles, quæ in vnum hoc vlulatu, quasi flante vento coactæ, vitiorum tumulos faciunt. Porro arietum puteus profunditas est scripturarum, quæ per arietes, Prophetas scilicet & Apostolos, ministratæ sunt, quarum nobis, Domino in cordibus nostris clamante, secreta reserantur. Itaque, fratres, quantum nos aut exterior persecutio, aut interior perturbatio contristat, tantum nos ex sacris literis consolatio
Rom.15.4. diuina lætificat. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus.* Dico vobis fratres, nihil potest aduersi contingere, nihil tam triste vel amarum emergere, quod non mox, vt nos pagina sacra exceperit, aut euanescat citius, aut facilius toleretur. Hic est ager, in quem san-
B ctus Isaac, inclinata iam die, pergit ad meditandum, vbi
Gen.24.63. & 67. ei occurrens Rebecca, illum, qui acciderat, sua lenit suauitate dolorem. Quotiens mihi Iesu bone dies vergit in vesperam, quotiens paruæ alicui consolationi, quasi diurnæ luci, intolerabilis dolor velut nocturna caligo succedit, vertuntur in fastidium omnia, oneri sunt cuncta quæ video! Si quis loquitur vix audio; si quis pulsat vix sentio; in modum silicis cor obdurator, hæret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tunc? Exeo certe ad meditandum in agro, sacrum reuoluo codicem, meditationes meas ceris imprimo, cum subito mihi occurrens Rebecca, tua scilicet gratia, IESV bone, sua luce tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frangit, mox suspiriis succedunt lacrymæ, lacrymas cœleste gaudium comitatur. Infelices, quos cum tristia quæque perturbant, non hunc agrum ingrediuntur vt gaudeant. Scitis fratres, cum triste aliquid acciderit mundi amaroribus, aut in vanis aut in noxiis consolationes requirunt, vt merito de tali-
Isai.15.9. bus Propheta subiungat, *Quoniam aqua Dibon repletæ sunt sanguine.*

C Aquæ Dibon quæ interpretatur fluxus eorum, lacrymas significat illorum, qui pro fluxu temporalium, aut rident si habeantur, aut plorant si amittantur. Ideo aquæ Dibon repletæ sunt sanguine, quia sicut hi, qui pro temporalibus rident, malo suo rident, ita & qui pro temporalibus plorant, malo suo plorant. Nihil enim purgationis afferunt huiusmodi lacrymæ, sed insuper eos peccati fœdant sanguine: ideo sequitur. *Ponam super Dibon additamenta.* Addit quippe Dominus dolores doloribus eorum, vt de lacrymis ad lacrymas transeant, ingrediantur que terram duabus viis, & duplici contritione conterantur. Quam misera sors eorum, qui nati de muliere breui viuunt tempore, & hic replentur multis miseriis, & post hanc vitam pœnis traduntur perpetuis? Felices è contra, qui in huius mundi laboribus, in verbi Dei visitatione & lumine consolantur, & transeuntes è mundo, æternis gaudiis perfruuntur. Quocirca & his quoque ponet additamenta, qui fugerint de Moab leonem, qui fugientes vitia, ipsum inuentorem vitiorum pariter eua-
D serunt. Sed & reliquiis terræ ponet additamenta. Notantur hic tria genera hominum, vnum eorum, qui se totos vitiis & sæculo dederunt; alterum eorum, qui sæculo abrenunciantes Christi iugum suscipiunt; tertium eorum, qui in sæculo criminibus abstinent, operibus tamen terrenis incumbunt. Primum per Dibon; secundum per eos, qui fugerunt de Moab; tertium per reliquos terræ, vel reliquias terræ figurantur. Quibus omnibus ponet Dominus additamenta, nam reprobis pro peccatis, temporales in hac vita dolores, & post hanc vitam æternos animæ, & corporis retribuet cruciatus; abrenunciantibus vero huic mundo, quæ additamenta congeminet, Euangelica probat historia dicente Domino. *Omnis qui reliquerit pa-*
Mat.19.29 *trem, aut matrem & cetera propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Porro hi qui plumbum, ferrum,
Isai.40.2. stannumque vitantes, ædificant fidei Catholicæ fundamentum lignum, fœnum, stipulam, suscipient de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Nam hi qui
E multis incommoditatibus conteruntur, & ad vltimum excepti ignibus detrimentum patientur, ipsi autem salui erunt, sic tamen quasi per ignem. 1.Cor.3.15. Quibus omnibus congruit nomen Moab, quia primi Moabiticis vitiis absorbentur, in aliis vitia Moabitica aut penitus destruuntur, aut magnifice comprimuntur, reliqui nonnunquam ipsis vitiis fœdantur, semper autem fatigantur. Vbique animaduertitur onus Moab, qui in aliis premitur, in aliis opprimit. Sed iam huic sermoni terminum demus, obsecrantes [8] misericordiam Dei nostri, vt Moabiticis expiatos suæ voluntati nos reddat acceptos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Requirit. Sequitur. C. Cam. Requirit. *Culpantur proinde illi*, & quod sequitur vsque ad. *Sequitur. Cor meum.*
2. Facit humilimum. C Cam. *Humilem facit.*
3. Habilis inuenitur, Possunt etiam. C. Cam. Habilis inuenitur. *Per vitulam igitur trimam*, & reliqua, vsque ad, possunt etiam.
4. Exhibet promissa. Est enim triplex mœror. Primus timoris. C. Cam. Exhibet promissa. *Eia fratres charissimi*, & cetera quæ inseruimus, vsque ad, Primus *est* timoris.
5. Visitatio eorum. Visitatio hæc in bono. C. Cam. Visitatio eorum. *Si de hypocritis*, & sequentia, vsque ad, *Visitatio hæc in bono.*
6. Aqua sapientiæ salutari. C. Cam. *Aqua salutari.*
7. Sancta Spiritu sancto ducente. C. Cam. Sancta *Dei* Spiritu ducente.
8. Misericordiam Dei nostri. C. Cam. *Misericordiam Domini nostri.*

F

Sermo Vigesimus Septimus.

DEus ab austro veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso. Ecce fratres charissimi, Dominus noster Iesus ex condensissima allegoricorum verborum silua, in cuius opaca densitate hactenus latuit, subito mani-
G festus erumpit, dicente Propheta, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Isai.16.1. Vere *dilectus meus stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Cant.2.9. Quis nesciat Dominum Iesum in scripturis esse quærendum, qui ipsum dicentem audit in euangelio. *Scrutamini scripturas, & cetera.* Ioan.5.39. Sed inter nos & ipsum, quasi quidam paries est ipsius scripturæ obscuritas, verborum ænigmata, & figuræ historiarum. Verum spiritales illi artifices, qui hunc nobis parietem condiderunt, fenestris illum ac cancellis variarunt, per quos plerumque dilectus ille suis se præbet amatoribus intuendum, vt nemo ambigat ipsum esse vbique in his, quæ latent, quem sic manifeste exhibent ea, quæ patent. Ait ergo, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* 1.Cor.1.21. Diximus in exordio aliquando narrando, aliquando iubendo, aliquando etiam orando [1] Prophetas loquutos fuisse. Cernens ergo Propheta in spiritu, etiam mundi sapientes Crucis esse virtuti subden-
H dos, per stultitiam quoque prædicationis credentes esse saluandos, perdendam nihilominus sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobandam, & cetera, quæ in hoc onere præmissa sunt, æstuat desiderio, causatur moram, iamiamque Christum optat adesse, implere promissa, exhibere prænuntiata; conuersusque ad patrem, filij sui aduentum ardenti exigit affectu, *Emitte* (inquiens) *agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Iste est agnus qui per Ieremiam loquitur dicens. *Et ego tanquam agnus innocens qui portatur ad victimam.* Ierem.11.19 De quo & iste idem Isaias. *Tanquam ouis ad occisionem ducetur & tanquam agnus coram tondente se obmutescet.* Isai.53.7. Quem Spiritu Sancto reuelante, Sanctus Baptista cognoscens, *Ecce* (inquit) *Agnus Dei*; Ioan.1.29. Hunc ergo mittendum à patre, venturum in mundum, subditurum sibi omnia, Propheta optantis vaticinatur affectu dicens. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* De quo & Dauid cecinit dicens, *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Psal.71.8.

De petra deserti ad montem filiæ Sion. Petram deserti vt æstimo, speluncam illam appellat, quæ in locis desertis natura Gen.19.30.

A vel arte excisa in petra, Loth excepit de Sodomis fugientem. De hac petra deserti, cum magna admiratione agnum dicit processurum, quia [3] in ea generatus est Moab, de cuius genere nata est Ruth, cuius filius obed, cuius filius Iesse, cuius filius Dauid, de cuius genere natus est Christus. Emittitur autem de petra deserti ad montem filiæ Sion, quia natus de Virgine in Bethleem, Ierusalem (in qua est mons Sion ad litteram, vel mons, id est excellentia, & gloria filiæ Sion, id est Synagoga, quæ in templi nobilitate intelligenda sunt) sua præsentia visitauit. Allegorice petra deserti dicitur Synagogæ, quæ educta de Ægypto, & quadraginta annis eremi habitatrix effecta, bibebat de spirituali consequēte eos petra: quæ idcirco [4] petra deserti dicitur, quia tanti temporis exilio multis in infidelitate pereuntibus, in perfectioribus fidei firmitatem seruauit. Ex hac fuere Apostoli, qui agnum illum, qui abstulit peccata mundi, vt dominaretur vniuerso mūdo, prædicatione sua ad Gentium populos transtulerunt, vt de synagoga nasceretur
B Ecclesia, quasi filia Sion, cuius mons est altitudo fidei, sublimitas spei, via superexcellentior charitatis. Vnde Dominus in Euangelio, *Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorū in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolymis.* Lu.24.47.
Vel certe tunc emissus est agnus dominator terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion, quando Christus ab vmbra legis, ad veritatem transiuit Euangelij, quando de petra deserti, de qua bibebant filij Israel, sacramentū nostræ redemptionis, ad veritatem sui Sacro-sancti corporis & sanguinis transtulit, quando amoto velamine litteræ, spiritualis intelligentiæ, noui testamenti præconibus, reserauit arcanum.

Et erit, Quid? Cum emissus fuerit agnus dominator terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion, *Sicut auis fugiens, & pulli de nido volantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Aaron.* Filias Moab carnales, & infirmas intellige animas. Moabiticis [5] erroribus deceptas. Quæ cernentes impletū iri vaticinia Prophetarum, Christumque vbique regnantem,
C de tenebris ad lucem conuersæ, ruptis diaboli laqueis, quibus captiuæ tenebantur, ad lumen veræ scientiæ, ignorantiæ decussa caligine, transcenderunt. Sicut (inquit) auis fugiēs accipitrem, nūc alta petendo, nūc latitādo in imis, nunc voluceri pēna aëris plana secādo, raptoris declinat insidias? & sicut pulli, si subito nidum serpens inuaserit, territi, fidi auolant, & nidi suauitate cōtempta, hac & illac præcipiti volatu feruntur? sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. Arnon interpretatur [6] illuminatio eorum. Licet intueri volucres illas rapaces, quas secundum Domini Saluatoris interpretationem, dæmonia dicimus, quantis egerint cum nouiter ad fidem Christi conuersis, etiam in transcensu cœlestis sapientiæ, quasi Arnon positis, vt relicta veritate, malitiæ suæ vnguibus raperentur; quibus & ipsi modis fallaciis eorum obuiantes, duce gratia in fide, quam susceperāt, perseuerauerint. Oportuit enim & hæreses esse, vt & probati manifesti fierent, & exploratiori indagine ipsius fidei veritas innotesceret. Cum itaque per hæreticos, vel per Philosophos, Christianæ simplicitati illuderet inimicus, & humanam infirmitatem Domini Saluatoris,
Luc.8.11.
1.Cor.11.19.
D Crucisque scandalum, & sitis, & famis, & ipsius mortis iniuriam callida insultatione obijceret, mox ad ipsius diuinitatis sublimia, fideles quiq; mentis contemplatione volantes, scandalorum laqueos declinabant. Sed & adhuc eos hæretici insequentes, ex maiestatis excellentia, dissuadebant carnis humilia, quæ vel in Deo non esse, vel phantastice fuisse asserebant. Tunc quoque Sancti de sublimibus ad ima transmissi, & in Saluatore famem, sitim, somnum, tristitiam, in veritate scientes ab Euangelistis, & Apostolis prædicari, sicut in superioribus veram diuinitatem, ita in inferioribus veram humanitatē confitentes, & hic venantium retia deluserunt. Quod si occultis suggestionibus arduum iter Euangelij callidus hostis obijciens, ab arce virtutum quemlibet Sanctorum conabatur deijcere, mox ille vitiorum materiam declinans, & virtutum pennis subuectus, mediū discretionis iter inter cœlum & & terram, quasi aëra secans, viscum mundialium voluptatum sagaciter contemnebat. Si vero his, qui in silentio &

E quiete, quasi in nido residentes, publicis disputationibus interesse nolebant, occultum hæreticæ doctrinę virus tentaret serpens ille venenosus infundere; illi statim otij sui nidum deserentes, & ad multorum examen ea, quæ suadebantur referentes, moabiticorum serpentium * euadebant. Ait ergo. *Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filij Moab in transcensu Arnon.* * deest morsum vel quid simile.

Verum vt hæretici, vel falsi Philosophi facilius ab imperitioribus possent caueri, & veritas Catholicæ fidei, ab eorum errore discerni, multorum collatione opus fuit, vt omnium Sanctorum iudicio, omnis peruersa, & fidei aduersa doctrina condemnaretur, & fidei certa regula omnibus præfigeretur. Vnde satis congrue Propheta ipsam Ecclesiam in his, atque huiusmodi fluctuantem, prophetando alloquitur, *Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem vmbram in meridiem.* Hoc primum ab Apostolis, deinde à sanctis patribus sæpissime factum litteræ sacræ non tacent. Sicut enim in actibus Apostolorum legimus, crescente Religione Christiana, & tam Iudæis, quam Gentibus ad fidem Christi certatim confluentibus, Venerunt quidam Antiochiam, vbi erat discipulorum maxima multitudo, dicentes, Oportere Gentes circumcidi, & secundū legem ingredi, nec posse eos siue legis obseruatione saluari. Ob hanc causam initum consilium ab Apostolis apud Ierosolymam, coactumque concilium, & sic libertas fidei, quæ quasi vmbra & nox multos latebat, in claram lucem, quasi in meridiem posita, omnibus sententia veritatis ab Apostolis promulgata resplenduit. Tunc patuit, quod hactenus latuit, circumcisionem nihil esse, & præputium nihil esse, sed fidem & obseruantiam mandatorum Dei. Isai.16.3. Act.15.1. F Act.15.6.

Sic ergo legendum est, Cernens Ecclesia filias Moab, id est infirmas animas de Moabiticis vitiis conuersas, hæreticorum vel philosophorum astutia, & erroribus implicari, vt veritas euangelij omnibus innotesceret, inijt cum sapientioribus quibusque doctioribusque consilium, & sic coacto concilio, de ijs, quæ in dubium venerant, certam & elucubratam proferens sententiam, posuit vmbram suam, fidei videlicet secreta mysteria, quæ prius instar noctis obscura videbantur, in meridiem, id est in manifestationem. Quæ omnia in præcipiendo, vel consulendo prænunciat esse futura. *Ini* (inquit) *consilium, coge concilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridiem.* Hoc, cum Ebion & Cerinthus, & ceteræ pestes, exulante sancto Euangelista Ioanne, peruerso dogmate sinceritatem fidei corrupissent, ab ipso Apostolo actum legimus, qui reuocatus ab exilio inijt consilium, coegitque concilium, productoq; in medium illo, quod Deo reuelante conscripserat, euangelio, errorum tenebras luce veritatis depulit, & noctem in meridiem commutauit. Deinde regnante Constantino, cum impijssimus Arrius tam auium quam pullorum, spiritualium scilicet, & carnalium, sciens animas plurimas veneno suæ malitiæ infecisset, Patrisque & Verbi vnam eandemque essentiam, æqualemque potentiam diuidere ac dissipare tentasset, initum est consilium, coactumque concilium, multorumque sanctorum collatione & auctoritate, ipsius veritatis indiuidua vnitas, quæ simplicioribus hactenus quasi nox, & vmbra videbatur obscura, manifeste omnibus propalatur esse credenda. Et hunc semper morem Ecclesia sancta seruauit, vt quoties dubium aliquod, vel obscurum de fidei puritate emersit, consilij grauitate, ac concilij auctoritate discussum certam sententiam sortiretur. G H

Verum cur ista omnia facienda sunt? Propheta declarat cum subiungit, *Fugientes absconde, & vagos ne prodas.* Fugientes & vagos, aues & pullos intellige, de quibus præmiserat, *Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.* Igitur vt fugientes abscondantur, id est vt filiæ Moab, quæ sicut aues accipitrem, ita fugiunt hæreticum, multorum auctoritate ab eius insidijs muniantur; & ne vagi quique, id est illi, qui sicut pulli huc & illuc volitāt, ita circumferuntur omni vento doctrinæ, diuersis erroribus exponantur, ineundum est consilium, cogendumque concilium, vt & fugientes certa fidei regula protegantur, & vagi in ipsa fide manifesta

veritate

A

Isai.16.4. veritate solidentur. Sequitur, *Habitabunt apud te profugi mei Moab*. Hoc in loco per Moab sapientes intellige, quos superius diximus tanto in diuinis fuisse prudentiores, quanto in sapientia illa mundiali fuerant perspicaciores. Iste est Moab; cuius vectes peruenerunt vsque ad Segor vitulam conternantem. Talis fuit beatissimus martyr Cyprianus, talis Ambrosius, talis Augustinus, atque Hieronymus; qui totum, quod de scientia hauserant sæculari, ad firmamentum profectumque Ecclesiæ transtulerunt. Tales nimirum efficacius hæreticos debellabant, tales infirmos quoslibet ab infestatione pseudo-apostolorum sua doctrina protegebant, sub quorum cura, quasi sub maternis alis, ne à dæmonibus seducerentur & raperentur, securius latitabant. Hunc Moab, id est tales mundi huius sapientes Christus alloquitur, *Habitabunt* (inquiens) *apud te profugi mei Moab; esto latibulum eorum à facie vastatorum.* Profugos suos illos appellat, quos à Zabulo quondam seductos & abductos, deuicto hoste, victoris iterum iure

B

receperat; quos nimirum Zabulus ipsi sibi dolens ereptos, suscitauit hæreticos, commouit philosophos, falsa dogmata sæuit, vt sic simplices quosque decipiens, eorum perditione, illati dispendij solatetur iniuriam. Sed donec transiret iniquitas, & manifestaretur veritas, in fide perfectorum imperfecti pendebant, & à facie talium vastatorum, sapientibus simplicibus doctrinæ, & prouidentiæ latibulum salutare præstabant. Ait ergo. *Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatorum.* Quod ne Zabuli potentiam & astutiam consideranti videretur difficile, protinus subiungit, *Finitus est enim puluis, consummatus est miser.* Doctrina diaboli pulueri comparatur, quæ tunc quodammodo fidem accipit, quando coruscante euangelio salutarem doctrinam mundus suscepit.

Eleganter Propheta diabolum miserum vocat, cui in futurum præparata est in æterno igne damnatio, cuius iniquum pectus cassa nunc vrget sollicitudo, qui semper laborans & nihil proficiens, qui electorum animas sem-

C

per sitiens, & nullum eorum perpetuo sibi subdere valens, tanto miserior ab omnibus iudicatur, quanto à terrenis & mortalibus, spiritus cœlestis & immortalibus superatur. Vere miser, qui ab Angelis premitur; cui ab hominibus illuditur: qui à perfectis contemnitur; vincitur ab *Isai 16.4.* infirmis. Ait ergo. *Finitus est puluis, consumptus* [7] *est miser.* quia mox vt doctrina Zabuli à cordibus hominum, sicut puluis à facie terræ; exsufflata est, miser ille vbique terrarum confusus est, atque consumptus, & totus eius conatus quantum ad electos, euacuatus est, vnde & subditur, *Defecit qui conculcabat terram.* Agamus gratias fratres charissimi agno illi, qui emissus de petra deserti ad montem filiæ Sion, terram, ab initio scilicet à Zabulo conculcatam, tyrannidi eius eripuit, imo ipsum qui conculcauerat, eius quam conculcauerat, pedibus prostrauit, dans ei virtutem calcandi super serpentes, & scorpiones, & omnem potestatem inimici. Vnde ad credentes loquitur Apostolus, *Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* *Rom.16 20* Terra quippe dicitur omnium Sanctorũ societas, terra profecto fertilis & fœcunda, afferens fructum aliquando triecesimum, aliquando sexagesimum, nonnunquam etiam cen-

D

tesimum. Hanc nimirum, vsque ad Saluatoris aduentum, antiquus hostis malitiæ suæ pedibus conculcabat, ob primæ præuaricationis reatum, etiam in electos ius iniquæ dominationis exercens, donec chirographum, cui innitebatur, excedens, in illum, qui nulla ei peccati cautione tenebatur, impias manus iniiceret, addicens eum morti, in quo nulla causa mortis poterat inueniri. Vnde non immerito chirographi pactique transgressor, quia vsurpauit indebitum, & debitum pariter, dictante iustitia sententiam, auarus nimis, & iniustus exactor amisit. Idcirco defecit qui conculcabat terram. *Delens* quippe Dominus *Colos.2.14. & 15.* *chirographum, quod erat contrarium nobis, affigensque illud cruci suæ, traduxit principatus, & potestates, palam triumphans eos in semetipso.* Sic, hoste deuicto, *captiuam duxit captiuitatem, accipiens dona in hominibus. Propter quod* (inquit) *exaltauit illum* *Philip.2.9.* *Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, & cetera.*

Isai.16.5. Inde iam cœpit impleri quod Propheta subiungit,

E

Et præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Accedamus fratres cum fiducia ad solium misericordiæ, quod interius præparauit in tabernaculo Dauid, id est in Ecclesia, quia nunc tempus miserendi, quod profecto sequetur tempus iudicandi. Sed quia hæc latius tractanda sunt, cum hæc ipsa, quæ hodie dicta sunt, moraliter [8] cœperint pro modulo nostro latius explicari; demus iam & huic sermoni terminum, & die crastina, si Deus voluerit, hoc ipso capitulo repetito, quod ipse suggesserit proferemus in medium, ad laudem & præconium Domini nostri Iesu Christi cui honor & imperium per omnia sæcula sæculorum, Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Prophetas locutos fuisse. Cernens ergo Propheta. C. Cam. Prophetas *futura scripsisse* Cernens *igitur* Propheta.
2. Agnus Dei, de quo & Dauid. C. Cam. Agnus Dei. Hunc ergo mittendum, & cetera vsque ad, *de quo Dauid cecinit.*
3. In ea generatus est Moab, de cuius genere natus est Christus C. Cam. In ea *genitus* est Moab, de cuius *semine nata est Ruth,* & quod sequitur vsque ad, *natus est Christus.*
4. Petra deserti dicitur quia, C. Cam. Petra deserti *congrue appellatur* quia.

F

5. Erroribus deceptas. Arnon interpretatur. C. Cam. Erroribus deceptas; *quæ cernentes impletum iri*, vsque ad, Arnon interpretatur.
6. Illuminatio eorum. Talis fuit beatissimus. C. Cam. Illuminatio eorum. *Libet intueri, volucres illa,* & reliqua infra vsque ad. *Talis fuit beatissimus.*
7. Est miser, vnde & subditur. C. Cam. Est miser, *quia mox vt doctrina,* & reliquum, vsque ad, *vnde & subditur.*
8. Cœperint *pro modulo no. lat. explicari*, demus iam & hu. ser. term. & *die crastina* si De. vo. hoc. ip. ca. rep. quod ip. sug. pro. in med. ad laud. & *præconium* Do. no. Ie. Chr. *cui honor & imperium* per omnia. C. Cam. Cœperint *explanari* de. iam & hu. ser. termi. & *cras* si Do. vo. hoc. ip. cap. rep. quod ip. sug. pro. in med. ad laud. & *gloriam* Do. no. Ie. Chr. *qui viuit & regnat* per omnia.

G

Sermo Vigesimus Octauus.

MAnifesta de Domino prophetia nec allegoricis inuolucris obuolenda, nec tropologicis est extenuanda figuris, cum nihil magis fidem nutriat, vel mores ædificet, quam vt ea quæ cernimus euidenter impleta, à sanctis prophetis legamus tanto ante prædicta. Quid enim manifestius quam agnum, quem à propheta legimus esse venturum, in Euangelio audiamus à beato Baptista monstratum, illo dicente. *Emitte agnum Domine* *Isai.16.1.* *dominatorem terræ*, & isto loco clamante, *Ecce agnus Dei, ecce* *Ioan.1.29.* *qui tollit peccata mundi*, de quo alias idem Baptista, *Qui habet* *Ioan.3.29.* (inquit) *sponsam, sponsus est.* Quæ sponsa hæc? Illa nimirum, quam pater in psalmo alloquitur dicens. *Audi filia & vide,* *Psal.44.11.* *& inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Illa itaque est, quæ nunc habens patrem Deum, primo habuit patrem diabolum, quæ dicebat lapidi. *Pater meus es tu, & ligno. Tu me genuisti.* Ecclesia est hæc de gentibus *Ierem.2.27*

H

congregata, quæ primo Moab, id est de patre diabolo genita, transiuit in adoptionem filiorum Dei. Cuius filiæ Sion, omnes animæ Christianæ, & ipsæ secundum naturam filiæ Moab, ex gratia filiæ Dei. Verum quia moraliter per Moab naturalem, quam ex patre contrahimus, corruptionem diximus figurati, congrue illas animas filias esse dicimus Moab, quæ vel carnalibus vitiis implicantur, vel eorum suggestionibus, desideriisque fatigantur. De his ergo dicitur, *Sicut auis fugiens, & pulli de nido volantes, sic erunt* *Isai.16.2.* *filiæ Moab in transcensu Arnon.* Arnon interpretatur illuminatio eorum. Vt igitur filiæ Moab agno illi, qui emissus est de petra deserti, & peccata abstulit mundi, salutaribus nuptiis copulentur; necesse est vt de inferioribus ad superiora conscendant, & relictis erroribus, & ignorantiæ tenebris, salutari lumine perfundantur, dicantque cum Propheta, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Sic au- *Psal.4.7.* tem ascendentes aui fugienti, pullisque de nido volantibus comparantur, quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

A
Ieren 1. 17
Hierem.50.8

Hæc est fuga quam nobis Ieremias Propheta suadet, *fugite* (inquiens) *de medio Babylonis*. Sed sunt diuersa genera auium, quarum sicut natura diuersa est, ita earum multitudinem, secundum diuersam morum vel naturæ qualitatem, animæ sortiunrur. Vnde sancta quædam anima tenebrarum, quas patiebatur, impatiens, cum præmisisset,

Psal.54.6 & 7.

Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ sugam meditata, *Quis* (inquit) *dabit mihi pēnas sicut columba, & volabo & requiescam?* Ipse idem nunc pellicano, nunc nycticoraci, nunc passeri, nunc aquilæ comparatur. Animaduertat charitas vestra. Euenit plerumque vt in multitudine constitutus, vitiis peccatorum vndique circumseptus, virtutum concipiat affectum, & desideret effectum. Conatur ascendere, sed premitur consuetudine; erigitur spiritus nouitate, sed trahitur peccati vicinitate; in virtutum serenitate delectatur, sed exemplo malorum illectus, quasi inuitus cogitur repetere quod detestatur. Hinc dolor si ceciderit, timor si restiterit, tremor ne in

B

his pereat, desiderium vt fugiat. Versantur tenebræ in conscientia, in corde tristitia, angustia in cogitatione.

Psal.45.8.

Ita loquens in amaritudine animæ suæ, *Quis* (inquit) *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Et subiungit dicens, *Ecce elongaui fugiens.* Acceperat quod petierat ista, quondam filia Moab, & instar auis volans, & publicum fugiens, materiasque peccatorum declinans, solitudinis secreta delegit, in qua mortificans membra sua, quæ sunt super terram, similis fit pellicano solitudinis. Pellacanus pallidi fertur coloris, qui pullos, mox vt exclusetit, rostro occidit, rursumque gemitu miserabili, & sanguinis sui effusione resuscitat. Felix anima [1] quæ mutuans sibi alas columbæ, ad solitudinis secreta volauit, in qua mortificās membra sua, quæ sunt super terram, opera sua priora, quasi proprios pullos interficit; deinde in nouam vitam dolore ac sudore, quasi sanguinis effusione, gemitibus inenarrabilibus, ac salutari compunctione viuificat.

Deinde cibos sibi cœlestes mutuans scripturarum, nycticorax efficitur spiritualis, in nocte [2] æque & in die, in

C

aduersis scilicet & in prosperis, in lætis & in tristibus, in tentationibus & consolationibus exultans, & volans, & de virtute in virtutem proficiens, donec mysticus passer effectus, & à tenebris huius infelicitatis, in illam inaccessibilem lucem euigilans, transeat in locum tabernaculi

Psal 41.5.

admirabilis, vsque ad donum Dei, in voce exultationis, & consolationis sonus epulantis. Igitur anima Moabiticis vitiis implicata, de tenebris ad lucem, quasi in transcensum Arnon progrediens, aui comparatur fugienti, pullisque de nido volantibus; vt ea hic intelligatur fuga, quæ ad abrenunciantium spectat conuersionem, & volatus, qui ad perfectorum pertinet contemplationem; in nido quippe, donec plumescant, pulli auium residentes, à matre simul & patre pascuntur. Quibus cum plumæ succreuerint, & alis pennæ firmius inhæserint, liberas auras nido præferunt, & propria sibi industria victualia quæritantes, nunc sublimia cœli volatu petunt, nunc pennis demissis se in inferiora deponunt. Est autem nidus concupiscentiæ, nidus torporis & inertiæ, nidus etiam disciplinæ. Sunt vero volucres, quæ volare conantur nec valent,

D

& dum pennis velle videntur inniti, mox carnis pondere

Num.11.31.

pressa ad infima delabuntur. Tales fuere coturnices, quæ vno tantum cubitu à terra suspensæ, sed mox instar lapidis in terram deiectæ, Israelitarum gulæ desiderata satietate satisfecerunt. Hæc sunt vitia carnis, voluptatisque corporeæ, quæ in vanam quandam lætitiam animam extollunt, sed expleta libidine, conscientiam in ima detrudunt. Hæc in nido concupiscentiæ nutriuntur, sed volatum cælestem [3] nullo modo sortiuntur. Sunt & aliæ aues, quas nidi suauitas intantum delectat, vt vix etiam parentum morsibus expellantur. Tales sunt animæ pigræ & inertes, quæ infelici quadam quiete adeo dissoluuntur, vt ad nulla virtutum opera, vel correptæ quidem, vllatenus accingantur.

Non sic columba, non sic pellicanus, non sic nycticorax, non sic passer, non sic anima, quæ se ad nidum contulit disciplinæ, vt in eo sub patre spirituali, à matre gratia cibis salutaribus pasta plumesceret, & sic alis innocentiæ

E

& simplicitatis elata, de tenebris vitiorum ad splendorem conscenderet virtutum, de publico ad solitudinem, per solitudinem ad scientiam, per scientiam ad sapiētiam. Præterea cogitationes nostræ auibus comparantur, quæ huc atque illuc mira celeritate feruntur, & volitant, nunc sublimia, nunc humilia, nunc sordida, nunc munda quæque petentes. Nam sunt aues, quæ circa cadauera, & carnes putrescentes occupatæ, cœnum cœlo præferunt. Tales sunt cogitationes sordium sectatrices, amatrices libidinum, fœtentis carnis voluptates, delectationibus animæ præferentes. Hæ tota die in immunditia versantes, de turpibus ad turpia volitant, & per diuersas libidinum, & flagitiorum imagines discurrentes, pertiosissimis, & contaminatissimis vitiorum se epulis reficiunt. Hæ in nido concupiscentiæ miserabiliter enutritæ, pennas, non quibus ad alta vehantur, sed quibus deprimantur ad ima, infelici auspicio sortiuntur. Sunt & aliæ aues, quæ ita vagæ sunt & instabiles, vt fere semper in motu sint, per ventosa huius aeris volitantes, nunc pendentes, non aliunde quam ex ipso

F

inani viuentes. Comparantur his volucribus cogitationes vana quæque somniantes ad honores & mundi huius gloriam aspirantes, & huiusmodi imaginatione, & elatione, quasi vento expetentes. Infelix qui his auibus nidum in suo pectore parat, vt Christi vestigiis, etiamsi velle videatur, adhærere non possit, reprobante eum Domino, ac dicente. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Mat.8.20.

Beatus præ his omnibus ille, qui in nido sapientiæ suas cogitationes enutrit, vt instar aquilæ volantis in ipsum cœlum empireum, pennis contemplationis subuectus, ad ipsius solis splendorem cominus intuendum irreuerberatos oculos aperiat.

Itaque filiæ Moab, id est cordis cogitationes, quæ naturali illa corruptione ad vitia illectæ, mœchatæ fuerant cum amatoribus multis, cum de carnali amore ad spiritualem, quasi de tenebris ad lucem transcendere nituntur, aui fugienti, & pullis de nido volantibus comparantur;

G

quia primum necesse est, vt & vitia, & ipsas materias vitiorum fugiant, & sic in nido disciplinæ, & postmodum in nido sapientiæ plumescentes, de inferioribus ad altiora, de humanis ad diuina, de terrenis ad cœlestia transcendant. Iam vero, quia multos de Moabitica vanitate, & voluptate conuersos, non solum regulari disciplina, sed etiam in contemplatione diuina perfectos, multorum vidit saluti profecturos, ipsos alloquitur sermo diuinus. *Ini consilium,* Isai.16.3.
coge concilium, pone sicut noctem vmbram tuam in meridiem: ac si diceret. O Moab, iam conuersus in Israel, qui hactenus in nido disciplinæ pristina vitia & errores deposuisti, & in nido sapientiæ, inter virtutes ac scripturarum delitias, quasi in abscondito vultus mei latuisti, surge, egredere, vola, discurre, vt qui hactenus audisti, deinceps dicas, Veni. Sed quia adhuc in exterioribus minus es exercitatus, Ini consilium, id est discretionis disce virtutem, & sic coge concilium, multos videlicet colligens ad salutem, ad multorum profectum, qui cum Helia, sub vmbra

H

iuniperi, angelico delectaris colloquio, vbi omnia opera 3.Reg.19.5.
tua quasi in nocte celebrantur. *Educ quasi lumen iustitiam* Psal.36.6.
tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, vt luceat lux tua co- Matt.5.16.
ram hominibus & videant opera tua bona, & glorificent patrem tuum, qui in cœlis est. Eia fratres mei, diligenter attendite quibus gradibus, ad curam ascendendum est pastoralem, vt facilius humani generis pestem, dominandi scilicet libidinem caueatis, magisque tuti velitis, vt dicitur, consistere in imo, quam periclitari in summo.

Ac primum nolite æmulari in malignantibus, qui cum sint fornicatores, adulteri, molles, masculorum concubitores, imprudenter & irreuerenter ascendunt cubile patris sui, & maculant stratum eius, thalamum Christi vertentes in prostibulum, & sanguinem eius adeo conculcantes, vt precium eius non solum in vana & noxia, sed quod horribile dictu etiam in mercedem turpitudinis deposito pudore profligent. Nolite æmulari in talibus, licet prosperētur in viis suis, quoniam *tanquam fœnum velociter arescent*, & Psal.36.2.
quemadmodū olera herbarum cito decident. Qui.n. inutilem seruū iubet proijci in tenebras exteriores; quid faciet de indigno, de impudēti, de pestilēti, de se in cathedra rur-

piter

A Piteringerenti? Sed his omissis, notate viam, quam nobis sermo Propheticus describit. Primum est, vt homo fugiens mundum, & vitia cuncta declinans, à seculi actibus se faciat alienum. Deinde omni obedientia se subdat maiori, & quicquid se meminerit deliquisse, in fame & siti, in vigiliis & laboribus, in paupertate & nuditate purget & puniat; & sic consuetudini consuetudine, pessimæ videlicet optima succedente, in nido disciplinæ virtutum alas obtineat, quia nunquam bene potest præesse, qui prius subesse non didicerit. Sic igitur purgatus à vitiis, ornatusque virtutibus, ad indagationem transeat scripturarum, vt sicut est informatus ad vitam, ita quoque illuminetur ad scientiam: cumque didicerit in scripturis omne quod viuit, & sapit, ad Dei dilectionem referre & proximi, duabus pennis, scientiæ scilicet & charitatis subuectus, ad montem contemplationis conscendens, discat secundum exemplar tabernaculi cœlestis, terreni huius tabernaculi formare structuram; audiatque eum Moyse. Vide omnia; *fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Est (Exo. 25. 40.)
B igitur primus gradus conuersionis, secundus purgationis, tertius virtutis, quartus scientiæ, quintus contemplationis, sextus charitatis. Hi sunt forte sex illi gradus in throno Salomonis [4] sicut Salomon loquitur, *Thronum sibi fecit rex Salomon, &c.* Et vt sapienti demus occasionem, vt sapientior fiat, Thronus Salomonis aperte dicitur cathedra sacerdotalis, ad quam si quis sine his gradibus nititur, non tam sessurus quam ruiturus ascendit. (3. Reg. 10. 18. & 19)

Vtrum autem duodecim leunculi illius magni leonis de tribu Iuda, duodecim filiis de quibus dicit. *Non possunt filij sponsi ieiunare quam diu cum ipsis est sponsus*; Vtrum etiam aurum sapientiæ æternitati rotunditas, fini posteriora, duæ manu duplici charitatis actioni, possint conuenientissime coaptari, vestris meditationibus discutiendum relinquo. Sequitur *fugientes absconde, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatoris.* (Isai. 16. 3. & 4.) Moab sic conuersum, sic mutatum, sic purgatum à vitiis, sic adornatum virtutibus, sic ad sublime promo-
C tum, sermo diuinus alloquitur, mandans ei facere, quod eum, gratia comitante, præuiderat esse facturum. Sic enim ipsum fugientem oportuit ab aliis abscondi, ita dignum est, vt ipse iam alios fugientes abscondat. Et sicut ipse cum vagus adhuc esset, ab his, à quibus susceptus est, non est proditus, ita ei conuenienter imperatur vagos, quos ipse susceperit, persequentibus non exponere. Fugientes igitur fornicationem secundum Apostolum, necesse est vt abscondantur, & qui adhuc vagi & instabiles corde sunt, & ad vitia proni, cauendum est ne facile malis doctoribus, vel vitiorum incentoribus prodantur. Eia fratres mei, venientes nouiter de sæculo alij idiotæ sunt, & simplices, alij docti & subtiles, alij vitiorum pessima consuetudine [5] obligati, alij licet peccatores, ab omni tamen crimine alieni, alij assueti delitijs, alij dura conuersatione attriti, alij otiosi, alij laboriosi, & alij talis naturæ, vt vix ad libidinem moueantur, alij tales vt modica occasione tentētur, alij naturali conspersione iracundi, alij naturaliter mansueti. Considerare proinde & diligenter explorare oportet singulorum, à sæculo fugientium, quali-
D tatem atque naturam; quid magis possit obesse vni, quid alteri, quo insuper quis spiritu tentetur, quo agitetur affectu, sicque prouidere, vt siue à vitijs, siue à dæmonibus, siue à sui ipsius vel natura, vel corruptione, vel affectu, vel consuetudine, siue ab alicuius hominis societate, vel suggestione, vel exemplo impugnetur, congruum singulis præbeatur latibulum.

Alij abscondendi sunt ab omni exteriori occupatione, alij à quorundam familiaritate & cohabitatione, alij sub vmbra silentij, ab ira & indignatione vtiliter absconduntur, alij sub victus paupertate, à naturalibus incentiuis salubriter proteguntur, alii laborum & vigiliarum vmbra, à cordis peruagatione, & spiritus instabilitate absconduntur, alij psalmis & orationibus, meditatione & lectione, à spirituum immundorum insidiis defenduntur. Ait ergo, *fugientes absconde, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei Moab. Esto latibulum eorum à facie vastatorum.* Vastator est spiritus fornicationis; vastator [6] superbiæ dæmon, vasta-
E tor incentiuum gulæ, vastator auaritiæ æstus, iræ impetus, tristitiæ languor, inuidiæ pestis, fastus ambitionis. Fugientibus itaque huiusmodi vastatores, Moab salubre præstat latibulum, quando prælatus quisque quondam Moab sed postmodum Israel, singula virtutum exercitia vitiis singulis, quibus sibi subditi impugnantur, opponit. Quod autem sequitur, *finitus est puluis, consumptus est miser, &c.* sermone, quem ante hunc vobiscum habuimus super ipso vitiorum principe, exposita sunt. In morali autem expositione, nihil aliud dicendum occurrit, nisi forte per puluerem peccata, quæ ex incuria, vel cordis peruagatione, vel exteriorum occupatione contrahimus, velimus intelligi: per miserum ea, in quæ per carnis huius corruptibilis legem, quæ nos miseros facit, incidimus, per eum qui conculcat terram, facinora, vel flagitia quæ totum hominem, terram videlicet infructuosam ita conculcant, & omnino conterunt, vt instar areæ post trituram, ab omni spiritali humore frugumque suauitate, sterilem eam reddant & vacuam. Cum igitur iste puluis per humilem conuersatio-
F nem fuerit finitus, & carnis huius naturalis quidem, sed fere intolerabilis feruor fuerit vigiliis, & ieiuniis laboribusque consumptus, & digna cordis contritione, & oris confessione, & operis satisfactione flagitia, vel facinora commissa defecerint, tunc certe istis taliter fugientibus & latentibus, præparabitur solium Christi in misericordia, in quo sedet in tabernaculo Dauid, id est in Ecclesia, quę adhuc peregrinatur in terra, in qua *misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Ibi etiam iudicat & quærit iudicium, iudicans eos, qui seipsos non iudicant, & quætens de nobis iudicium nostrum, ne compellamur sentire suum, quia ipse reddet velociter quod iustum est, retribuens vnicuique secundum opera sua, qui viuit & regnat per omnia secula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Quæ mutuans sibi alas columbæ. C. Cam. Quæ *mutatis* sibi *alis* columbæ.
2. Æque & in die. C. Cam. Æque *vt* in die.
3. Nullo modo sortiuntur. C. Cam. *Nullatenus sortiuntur.*
4. Sicut Salomon loquitur. C. Cam. Sicut *sacra scriptura* loquitur.
5. Oblagati, alij talis naturæ. C. Cam. Obligati, *alij licet peccatores,* & quod deinceps vsque ad, *alij talis natura.*
6. Superbiæ dæmon. Fugientibus itaque. C. Cam. Superbiæ dæmon, *vastator incentiuum gula*, & quod sequitur vsque ad, fugientibus itaque.

G

Sermo Vigesimus Nonus.

HActenus de his, qui Moabiticæ sapientiæ & vanitati renunciantes, Christi iugum suaue, & onus leue philosophicæ superbiæ prætulerunt, Sanctus Isaias oraculum texuit; nunc contra eos, qui propria superbia excæcati, in erroris sui tenebris perdurauerunt, sententiam dirigit Prophetalem. Ait ergo, *Audiamus superbiam Moab, superbus est valde.* Quid pholosophis illis superbi⁹, qui ad ea, quæ de (Isai. 16. 6.)
H Christo diuina creduntur, quasi ad cœlum ascendere non valentes: ea vero, quę de humanitate eius asseruntur, quasi vile aliquid & terrenum dedignantes, in ventoso hoc aëre, inter cœlum & terram, socij dæmonum pependerunt. Quid illis superbius, qui dicentes se sapientes esse, veram sapientiam contempserunt, elati, inflati, [1] vultu irreligiosi, cultu superstitiosi? *Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius.* Tria quædam proposuit, superbiam, arrogantiam, indignationem. Superbia in corde, arrogantia in sermone, indignatio in actu notatur. Superbia arrogantiam parit, arrogantia indignationem. Ex superbia processit contemptus Christi, ex arrogantia blasphemia in Christum, ex indignatione disputatio contra [2] Christum. Quid Porphyrio superbius, qui Propheticæ Apostolicæque doctrinæ, suam sapientiam prætulit? Quid arrogantius eo, qui Christianam doctrinam dialecticis argumentis, se euersurum iactitauit? Quid indignantius, qui literis, verbis, maledictis simplicitatem Christianam insectabatur, & quos subuertere non potuit (Isai. 16. 6.)

A infamauit? In his autem nihil proficientibus philosophis, quia nihil poterant, irascebantur, dentibus suis fremebat, & tabescebant, & adinuicem dolebant, & murmurabant.
Isai. 16. 7. Et hoc est quod sequitur. *Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulabit.* De hoc vlulatu latius disputauimus super loco vbi scriptum est, *Propter hoc expediti Moab vlulabunt, anima eius vlulabit sibi.* Isai. 15. 4. Vniuersus Moab vlulat ad vniuersum, contra bonum pessimus, contra conuersum auersus, contra humilem[3] superbus. Vel adinuicem vniuersa illa nequam societas vlulat, non valentes resistere fidei, & sequi non volentes. Potest praeterea per hunc vlulatum, dolor ille significari, quem illos in aeterno igne esse passuros non dubitamus.

Isai 6. 10. Vnde Propheta sanctos praedicatores alloquitur dicẽs. *His qui laetantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius.* O praedicatores mei, *loquimini plagas Moab, si forte videant & intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Loquimini autem his maxime, qui laetãtur super muros cocti lateris. Filij Adam Gen. 11. 1. & seqq. quondam discedentes ab Oriente, in campo Sennaar turrim inchoarunt, cuius altitudo ad coelum pertingens, diluuij, si forte iterum demetiisset, arceret periculum. B Habebant autem lateres pro lapidibus, & pro caemento bitumen. Exod 5. 7. & seqq. Pharao quoq; filios Israel, quos dura seruitute premebat, latericijs muris vrbes ędificare coegit. 3. Reg. 6. 7. At Salomon ex pretiosis lapidibus templum instruit, sic quadratis, sic politis, sic complanatis, sic sibi inuicem conformatis, vt cum parietibus insererentur, nec auditus sit in templo aut malleus tundens, aut securis incidens. Reuocate nunc oculos vestros charissimi ad lapides illos viuos, quos caemẽtarij Salomonis, nostri scilicet Doctores, & Pastores Ecclesiae, in hoc atrio illius Ierusalem coelestis, & correptionibus tundunt, & verberibus incidunt, & doctrina complanant, & moribus sibi ac fide conformant, & virtutibus quadrant, vt de imis ad superiora translati, illius templi sacris parietibus inserantur, de quo cecinit sanctus Dauid. Psal. 64. 6. *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.* Hi structores super huiusmodi lapidibus iucundantur, & in eorũ, quos C coelo prospiciunt inserendos, plurimum delectantur profectu. Porro errorum magistri, quia vero recedentes ab oriente, in campo Sennaar, quod interpretatur foetor eorum, quasi in lata via illa, quae ducit ad mortem, in qua luxuria foetet, superbiae erigũt turrim, lateres quaerũt, qui de molli luto cõpacti in igne durantur, habentes quidem lapidum similitudinem, sed virtutem ignorantes. Talia sunt lutea corda carnalium, quae peccandi consuetudine, & mentis obstinatione durantur, replẽtes sagittas acutas, quibus ad debellandas vrbes Moabiticas, Christi milites armantur.

Exod 5. 6. & seqq. De huiusmodi lateribus Pharao vrbes construit, & filios Israel, quos in seruitutem redegerit, in luto & paleis desudare compellit. De talibus etiam lateribus sapientes huius saeculi, & peruersorum dogmatum assertores, contra Christi Ecclesiam murum erexerunt, creantes sibi discipulos, qui & errorem defenderent obstinatius, & ea, quae obijcerentur, subtilius propulsarent. Super itaque cocti lateris murum laetantur ipsi, qui erigunt, quibus optimum est, vt sancti praedicatores ipsius muri ruinam plagasque loquantur, vt timore corrigantur, qui securitate nimia periclitabantur. Isai 16. 7. & seqq. Ait ergo Propheta, *His qui laetantur super muros cocti lateris, loquimini plagas eius, quoniam subur-* D *bana Hesebon deserta erunt, & vinea Sabama.* Hesebon interpretatur[4] cogitationes. Significat itaque Hesebon, vt mihi videtur, sectam philosophorum, quam miro studio, anxiisque cogitationibus condiderunt, in quam plures consensu vnanimi conuenientes, quasi vrbem, dialecticis argumentis, velut muris turribusque munitam, aduersus aliter sentientes construxerunt. Vnaquaeque autem secta proprias scholas, quasi vrbium suburbana creauit, quibus se discipuli plurimi tradentes, instar vineae dilatati sunt. Deut 32. 32 & 33. Sed de vinea Sodomorum, vinea eorum & de suburbanis Gomorrhae, vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. Fel draconum vinũ eorum. Quod ex eorum erroribus, quasi vuis pessimis expressum, multorum inebriauit corda mortalium, & sensum alienauit. Conuenienter autem dicitur vinea Sabama, quod interpretatur tollens altitudinem, inflatilem illam scientiam exprimens, de qua dicit Apostolus, *Scientia*[5] *inflat.* Hanc namque scientiam attollebant aduersus scientiam Dei, sed *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & quae stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* E 1. Cor. 8. 1. Cor. 1. 27.

Hi sunt Domini Gentium, à quibus pessimae vineae sunt excisa flagella, sicut subiungitur, *Domini Gentium exciderunt flagella eius.* Hos Gentium dominos Propheta conspexit, eorumq; principatum admirans, *Mihi (ait) nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. 17 Hi desertas fecerunt philosophorum scholas, euerterunt sectas discipulorum eorum, quasi vineae illius flagella verbi Dei gladio succiderunt, & quod magis mirandum est, *vsq; Iasa peruenerũt,* quod interpretatur fortitudo eorum. Quoniam enim non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes. Quoniam & *Iudaei signa petunt, & Graeci sapientiam requirunt, nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* 1. Cor. 1. 22. & 22. & 23. Agamus ergo gratias Domino Deo nostro, fratres, qui per verbũ Crucis, ꝙ pereuntibus stultitia est, stultam fecit sapientiam huius F mundi, & omnem doctrinam nequam, & argumentorum vim, in qua ipsius erat maxima fortitudo, christianae fidei simplicitate subuertit. Vbi famosa illa academia, in qua Socratici & Platonici gloriantes, eam, quasi ipsum diuinae sapientiae fontem, mirabantur? Vbi secta illa Peripatetica, vbi Epicurea dogmata, vbi Stoicorum tunc plurimis accepta scientia? Contemnuntur omnia, deseruntur, exsufflantur, & ad piscatorum simplicem doctrinam, Crucisque stultitiam, de terrarum orbe concurritur.

Sequitur, *Errauerunt in deserto.* De flagellis vineae hoc dictum puto, errorum scilicet discipulis, qui videntes vbiq; sapientiam deseri saecularem, per diuersas Philosophorum sectas cogitatione, & animo discurrentes, quasi per deuia quaeque errantes, quam fugerent, quam tenerent, quam defenderent, nesciebant. Sed Domini *Gentium, sicut subsequenter ostenditur, transierunt mare,* Psal. 106. 23 quia non solum mundi huius sapientes, sed etiam ad omnes Gentes, quae maris G nomine figurantur transeuntes, Christi eas iugo, & doctrinae Euangelicae subdiderunt. Ipsi quippe descenderunt mare in nauibus, & facientes operationes in aquis multis, id est miracula in Gentium populis, viderunt opera Domini, qualis, videlicet in Gentium conuersione, mutatio fuerit dexterae excelsi, & mirabilia eius in profundo, quibus tenebrosis hominũ cordibus, ipsis foris plantantibus & rigantibus, interius incrementũ praestiterit gratia Christi. Eia fratres charissimi, quam multi Sanctorum cernentes tantam ingenij subtilitatem, tantam in rebus humanis, & diuinis sensus viuacitatem perditum iri, qua pietate cõmoti sunt, [6] quam compassione soluti, quot pro eis fuderũt lacrymas misericordia affecti? Verum hanc affectionem operari in eis spiritum Sanctum quis dubitet? Hoc est quod per sanctum Isaiam ipse prosequitur dicens. *Super* Isai. 16. 9. *hoc plorabo in fletu Iaser, vinea Sabama. Quid oremus* (ait Pau- Rom. 8. 26. lus) *sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellat pro nobis.* Dicitur itaque plorare Spiritus sanctus Iaser, id est, vim & fortitudinem scientiae saecularis, & H vineam Sabama, errantium scilicet multitudinem, qui sanctos ob desiderium salutis eorum, vel ob perditionis illorum dolorem, gementes facit & flentes, quamuis ipse Propheta, vel in suam, vel in Sanctorum personam, hoc dixisse potuerit. Vnde sequitur, *Inebriabo te lacryma mea Hesebon, & Eleale.*

Lacryma dixit, id est lacrymis, singularem numerum ponens pro plurali, sicut est illud in psalmo, *dixit & venit lo-* Psal. 104. 34 *custa & bruchus.* Itaque ploratu, fletu, lacrymisque Sanctorum illi inebriãtur, qui luctu precibusq; eorum, ab errore Psal. 5. 13. vitijsque conuersi, & salubri quadam mentis alienatione, quae retro sunt obliuiscentes, & se in ea, quae ante sunt extendentes, deficiunt ab eo quod erant, & incipiunt esse ꝙ non erant. Hęc ebrietas spiritalis in cogitationibus fit, quibus mens de imis ad superiora, ad virtutes de vitijs quodam spiritus feruore conscendit. Hesebon quippe cogitationes, Eleale vero ascensio interpretatur, cogitationibus enim ascendimus, & descendimus. Descendimus recordatione in imaginationem, imaginatione in dele-

ctationem,

A ctationem, delectatione in consensum, consensu in actum; cui cum sese mens consuetudine vitiosa subdiderit, turbatur & mouetur vt ebrius, & eius omnis honestas deuoratur. Si enim primum cogitationes vestras sanctificauerit spiritus, & sacra eius inspiratione mens, quasi ex spiritali quadam seminis infusione, Dei timorem conceperit, inde ascendet ad pietatem, de pietate ad scientiam, de scientia ad fortitudinem, inde ad consilium, & sic ad intellectum, vt tandem ad sapientiam perueniens inebrietur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius Psal.35.9. potetur. Vnde autem ebrietas ista prouenerit, manifestat cum subiungit, *Quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam, vox calcantium irruit.* Vindemia & messis idem significant. Habes Dominum in Euangelio ad discipulos Luc.10.2. suos loquentem, *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios in messem suam.* Illorum operariorum vox super vindemiam, & super messem Moab irruit, quando Apostolica Euangelicaque præ- B dicatio, multos de sæcularis sapientiæ sectatoribus discipulos collegit. Hi sunt vuæ spirituales, quas torculari passionis premendas, vel fruges quasi in area persecutionis terendas, & à paleis corporum exuendas, de agro vel vinea, Domini Gentium, sancti videlicet Apostoli collegerunt Qui profecto calcantes dicuntur, ob illam specialem calcandi virtutem, de qua Dominus in Euangelio, *Ecce* Luc.10.19. (inquit) *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones.* Vnde & cuilibet sancto, atque perfecto dicit Prophe- Psal. 90.13. ta, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem* [7] *& draconem.*

Possunt & ideo calcantes vocari, quia quos ad fidem conuertunt, humiles faciunt & patientes, adeo vt se conculcari & abijci, torqueri & irrideri à mundi huius amatoribus, cum mentis tranquillitate sustineant. Horum sæpe precibus & lacrymis, magistri errorum, hi scilicet qui lætantur super muros cocti lateris, à Dei spiritu visitati atque compuncti, salutari quodam mentis excessu debriantur; vel certe ob tantorum amissionem sociorum, in C lacrymas resoluti, tristitia intolerabili & doloris immani- Isa.16.10. tate, in quandam amentiam vertuntur. Sequitur, *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo.* Carmelus mons est, & interpretatur circumcisio. Est autem circumcisio carnalis, circumcisio sensualis, circumcisio spiritualis. Circumcisio carnalis est Iudæorum, circumcisio sensualis Philosophorum, siue hæreticorum, circumcisio spiritualis Christianorum. Iudæis vnum membrum purgabatur, Philosophus omnium sensuum munditia gloriabatur, Christianus ab omni inquinamento carnis emundatur. Itaque Philosophorum circumcisio monti comparatur, propter mentis elationem, quorum mira abstinentia vel spectata continentia, mundanæ vanitati militabat; omnia enim faciebant, vt viderentur ab hominibus. Duplici autem gaudio in illa sua continentia fruebantur, quia & interius sibi placentes, in seipsis non in Deo gloriabantur, & foris laudes hominum aucupantes, in eorum æstimatione delectabantur; sed prædicantibus Christi discipulis, lætitia & ex- D ultatio ablata est à Carmelo, quia tota illa eorum superstitio cœpit esse contemptui, vnde illa exterior lætitia, non habens cui inniteretur, euanuit, & interior exultatio, desiderato fructu destituta elanguit. *Et in vineis non exultabit, neq; iubilabit.* Eadem est repetita sententia, nisi quod expressum est, hanc eorum exultationem siue iubilum, in vineis maxime personasse; in multitudine namque discipulorum positi, de contemptu mundi, de voluptatis dedecore, de corporis castigatione magnifice disputabant, & inter disputandum, vanissime tumebant, & mirantibus, laudantibusque auditoribus quæ dicebantur, & interiori iubilo & exteriori typo iocundabantur; quę omnia tuba Euangelica personante sublata sunt.

Isa.16.10. Ait ergo de Moab, *In vineis non exultabit neq; iubilabit.* Et addidit, *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat.* Illi enim de Moab, qui in sapientiæ suæ torcularibus ad hoc desudabant, vt ab auditoribus eorum exprime- Deut.32.33. retur vinum perfidiæ, de quo scriptum est, *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* In illa vinea iam non operantur, quam à pessimis magistris ereptam, paterfamilias optimis iam commisit agricolis, vt reddant E ei fructum temporibus suis. *Vocem calcantium abstuli.* Metaphoram prosequitur. Vindemiantes siue calcantes, siue etiam metentes, cum frugum, siue vuarum attulerit copia, solent cum magna alacritate gestire atque cantare, & interiorem lætitiam voce, plausu, saltu etiam, & diuersa membrorum sinuatione exprimere. At vbi succisa, vel direpta ab hostibus, vel grandinata, aut incensa fulminibus fuerit vinea, aut ager depopulatus, rarus messor vel vindemiator apparet, & vix inueniens quod colligat, demisso capite, facie squalida, mœrens & flens incedit. Ita ergo errorum magistri, qui collectis vndique discipulis, in eorum multitudine, quasi in vinea sterili gloriabantur, buccis crepitantibus, & multifaria vanitate gestientibus, ab eis fidem dictorum exigebant quasi ex vuis præmaturis, vinum perfidiæ exprimentes: Apostolis vero, Apostolorumque successoribus Dei Euangelium prædicantibus, cum eis iam vel nullus, vel rarus esset auditor, & præ dolore mærebant, & tacebant præ pudore. Gratias agamus F fratres Domino Deo nostro, qui stultam fecit sapientiam huius mundi, & simplicitate piscatorum, prudentiam & sublimitatem euacuauit philosophorum, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Vultu irreligiosi. C. Cam. *Vita* irreligiosi.
2. Christum. In his autem. c. eam. Christum. *Quid Porphyrio*, & reliqua vsque ad, In his autem.
3. Superbus. Potest præterea. c. eam. Superbus; *vel ad inuicem vniuersa*, & cætera vsque ad, Potest præterea.
4. Cogitationes. Conuenienter autem. C. Cam. Cogitationes. *Significat itaq;* & reliqua vsque ad, Conuenienter autem.
5. Inflat Sequitur. C. Cam. Inflat *Hanc namq; scientiam*, & quæ sequuntur vsque ad, Sequitur, Errauerunt.
6. Quam compassione soluti, quot pro eis fuderunt lachrymas misericordia affecti? C. Cam. *Qua* compassione soluti, *qua misericordia affecti*, quot pro eis fuderunt lachrymas?
7. Et draconem. Sequitur. C. Cam. Et draconem. *Possunt & ideo* & cætera vsque ad, Sequitur, Et auferetur. G

Sermo Trigesimus.

Ela fratres, de quibus hesterna die allegorice disputauimus, hodie moraliter exponendo repetimus. Dixerat de his, qui de vitijs ad Christum conuersi, proficiunt in virum perfectum, quantum alijs, à simili vanitate conuersis, solebant præstare solatij, *Habitabunt apud te* (inquiens) *profugi mei Moab, esto latibulum eorum à facie vastatoris.* Isa.16.4. Et ecce plerosque respiciens, pro collata sibi gratia superbire, ignorantes Dei iustitiam, in se, non in Domino gloriari, & suas arroganter iactitare virtutes, præsumptionem illorum satis eleganti exprobatu deridens, *Audiuimus* (in- Isa.16.6. quit) *superbiam Moab, superbus est valde.* Vtinam fratres, vtinam non inueniamus tales, qui in Eliud verba quotidie prorumpentes, quicquid videntur acquisisse virtutis, iactitando profligunt. Promittunt magna, fortia quæque H proponunt, ambulant in magnis, & in mirabilibus super se, nihil sibi in operibus graue, nihil in scripturis obscurum, nihil in actu difficile, ore tumido proloquentes, de quibus Propheta subiungit. *Superbia Moab, & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius.* Optime. Non æquat arrogans sermonibus opera, nec præsumptionem spiritus, qua tumet interius, nec linguam magniloquam, qua semetipsum laudat exterius, nec typum, quo cæteris, velut inferioribus indignans, se contendit cunctis euolasse superius, aliqua sequitur in sanctis operibus fortitudo. *Idcirco vlulabit Moab ad Moab.* Ecce ha- Isa.16.7. bes Moab, & Moab. Moab cui dicetur. *Habitabunt apud te profugi mei Moab*; & Moab, de quo dicitur. *Audiuimus superbiam Moab.* Primus humilis, alter superbus; primus de se præsumens, alter quicquid est Deo tribuens; primus opera sua vento vanitatis dispergens, secundus omnia bona sua, in propriæ conscientiæ thesauro recondens; primus omnia faciens, vt videatur ab

A hominibus, secundus vt solius Dei placeat obrutibus. Pri-
mus igitur Moab vlulat ad secundum, quando ob super-
biæ vitium in turpia quæque demersus, suum illi [1] cum
dolore confitetur errorem. Vlulat secundus ad primum,
quando eius plangens ruinam, suis eum gemitibus, mo-
nitisque prouocat ad pœnitentiam. Ita vniuersus vlulat
Moab, bonus & malus, humilis & superbus, conuersus &
auersus.

Igitur fratres, non statim est eius laudanda conuersa-
Matt. 6 23. rio, cuius ignoratur intentio, quia *si oculus tuus nequam fue-
rit, totum reliquum corpus tenebrosum erit.* Quocirca Prophe-
ta sanctus, eorum compescit lætitiam, qui parum discre-
te arrogantes quosque magnificant, omnia, quæ de se ipsi
iactitant, vera esse credentes; iubens eis, qui saniore iudi-
cio ista dijudicant, vt eis, quanta mala sunt arrogantibus
ventura, denuncient, *His* (inquiens) *qui lætantur super mu-
ros cocti lateris, loquimini plagas eius.* Murum cocti lateris, su-
perborum & arrogantium interioris hominis statum ap-
B pellat, qui non ex quadratis lapidibus, id est veris virtuti-
bus compactus, stabile fundamentum sortitur, sed ex luto
sordidæ intentionis, falsis simulatisque virtutibus, cupidi-
tatis igne duratus, præfert quidem speciem pietatis, sed
virtutem eius ignorat. Lutum est aurum, lutum est argen-
tum, Lutum est cuiuslibet voluptatis expletio, lutum de
homine hominis æstimatio: lutea proinde omnis, quæ
circa hæc versatur cogitatio, lutea omnis, quæ ad hæc ten-
dit intentio. Format tamen de his omnibus arrogans co-
gitationes in corde, coaceruat honorum, voluptatum, di-
uitiarum imagines, quibus cum se voluntas intentioque
tradiderit, omnia opera sua facit, vt videatur ab homini-
bus, ipsasque virtutum similitudines, quibus nititur adi-
pisci quod optat, ita desideriorum igne decoquit & ob-
durat, vt dura simul & aspera, ob pessimi huius finis con-
siderationem, sibi videantur esse facillima. Fiunt tales ad
vigilias cæteris promptiores, ad opera manuum paratio-
res, vultu cunctis seueriores, grauiores in verbis, in ieiu-
C nijs feruentiores. Indignantur infirmis, simplicibus de-
trahunt, tam magna fortiaque loquuntur, vt his, qui mi-
nus sunt in his exercitati, omnibus eos æstiment sanctio-
res. Hi sunt qui lætantur super muros cocti lateris, quibus
annunciandæ sunt plagæ Moab. Sed iam ipsas plagas au-
diamus.

Isa. 16 8. *Quoniam suburbana Hesebon deserta erunt, & vineam Saba-
ma Domini Gentium exciderunt.* Hesebon significat cogita-
tiones, Sabama attollens altitudinem. Hæ sunt cogita-
tiones, de quibus luteus ille murus compingitur, in quo
innumerabilium affectionum coaceruantur imagines. Est
autem quasi vrbs, ipsa, quæ de his cogitationibus, vel af-
fectionibus formatur, intentio; suburbana, ipsa, quæ se-
cundum hanc intentionem fiunt, virtutes & opera; quæ
profecto in superbo quolibet, Dei adiutorio præsidioque
deserta, etiam speciem boni, qua velata videbantur, amit-
tent. Sæpe enim cum superbus sua spe frustratus, suæ ca-
ruit cupiditatis affectu, non se valens vlterius continere,
in manifestam prorumpit nequitiam, patiturque, quod per
D alium Prophetam, tali animæ Dominus comminatur, *Ec-*
Ezech. 16. *ce ego nudabo te, & apparebit ignominia tua.* Deserta igitur e-
37. runt suburbana Hesebon, deserta & vinea Sabama. Plures
in scriptura sacra legimus diuersa esse genera vini. Est
Gen. 9. 21. quippe vinum dilectionis, quo sanctus Noe debriatus, in
22. & 24. figura Domini Saluatoris, abscondit fortia, & nudauit in-
firma, dormiens irridetur, vigilans illatam sibi iniuriam
Gen. 19. 32. vlciscitur. Est vinum exultationis, quo inebriatus est [2]
Loth, adeo quod Sodomitana euadens incendia, furtiuo
maculatur incendio. Est præterea vinum sapientiæ saluta-
Gen. 43 34. ris, quo fratres Ioseph meridie debriantur, quæ de vinea
scripturarum expressa, vniuersam lætificat ciuitatem Dei.
Thren. 3. 15. Habes & vinum amaritudinis, de quo Ieremias, *Inebriauit
me* (inquit) *amaritudine inimicus meus.* Porro de vino libidi-
Deut. 32 23. nis scriptura non tacet, dicente Moyse, *De vinea Sodomorum
vinea eorum, & cætera.* Sed & vinum compunctionis Psal-
Psal. 59. 5. mista commemorat, *Ostendisti* (inquiens) *populo tuo dura, po-
tasti nos vino compunctionis.* Est postremo vinum doctrinæ
Euangelicæ & Apostolicæ, vinum profecto nouum, quod
ab apotheca cœlesti in Apostolorum corda descendens,

per vniuersum orbem germinat virgines, & corda fide- E
lium desiderio perfectionis inebriat.

Itaque superbus quis vel arrogans, ad vineam scriptu-
rarum accedens, & inde diuersarum sententiarum trans-
ferens plantas, in agro sui collocat cordis, & multis medi-
tationibus colens, vineam sibi creat inflatilis cuiusdam
scientiæ, ex qua vinum sibi exprimens, quærit cui profe-
rat spiritum suum, & ostendat sapientiam suam. Vnde
non immerito vinea hæc, vinea dicitur Sabama, id est ex-
tollens altitudinem. Quicquid enim altum sapit, qui eius-
modi est, non quiescit spiritus eius, donec efferatur in pu-
blicum, ita vt modo quodam loquendi, & typo nutibus-
que oculorum proclamare videatur. *En venter meus quasi* Iob 32. 19.
mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Sed
vinea hæc descritur, quando superbus fructu, quem de
sua sperabat scientia, destitutus, & opera fastidit, & stu-
dium negligit, & ita tota eius doctrina marcessit. Sequi-
tur, *Domini Gentium exciderunt flagella eius.* Principes Gen-
tium aduersarias legimus fortitudines, vnde in Daniele F
Principem regni Persarum, Principem etiam regni Græ- Dan. 10. 20
corum. Sicut igitur spiritus illi nequam Gentibus illis, ob
quædam forte vitia, in quibus eas suis suggestionibus ma-
culari maxime delectantur, earum dominos vel principes
esse scribuntur: ita forte etiam alij spiritus aliarum gen-
tium, antequam Domini Saluatoris fidem susciperent,
verbi gratia Græcorum, Gallorum, Germanorum se Do-
minos, ac principes gloriabantur. Huiusmodi Gentium
principes vel Domini, exciderunt flagella vineæ Sabama,
ramos videlicet ex quibus botri procedunt, quando ne-
quam spiritus meditationes, quibus ex vinea scientiæ scri-
pturarum, vinum doctrinæ arrogans quislibet exprime-
re consueuit, falce suggestionum, immundarumque cogi-
tationum, ab animo superbientis excludit. Quia vero bo-
nis affectionibus vel cogitationibus, pessimis quibusque
succedentibus, aliquando etiam fides ipsa turbatur, in
quibus omnium virtutum fortitudo consistit, recte sub-
iungitur, *Vsque ad Iaser peruenerunt.* Iaser enim fortitudo eo- G
rum interpretatur. Cum enim nequam spiritus animam
possederit captiuatam, primum omnes virtutes excludit,
& sic inserens vitia etiam ipsam fidem eius labefactare
contendit.

Sequitur. *Errauerunt in deserto*, vbi erat vrbs & suburba-
na, vbi vinea, vbi Iaser, vbi desertum, locus scilicet omni
virtute vacuus, omni humore charitatis arefactus. Et sicut
transiens per desertum nec vineis, nec segetibus, nec do-
mibus, nec muris impedientibus, liberis gressibus hucil-
lucque vagatur; ita erronei spiritus animam, in qua fuerit
vinea spiritalis excisa, & exclusis virtutibus fides ipsa tur-
bata, quasi desertum locum, nullo obsistente, secuti per-
ambulant, & in quoslibet errores ebriam, & nutabundam
præcipitant. De principibus ergo vel Dominis Gentium,
qui vineæ flagella succidunt, & vsque ad Iaser perueniunt,
recte dicitur. *Errauerunt in deserto.* Et subiungitur, *Propagines
eius relictæ sunt.* Metaphoram vineæ prosequens, non solum
eam in solitudinem asserit esse redactam, sed & propagi-
nes eius, quæ alias transferri possent & transplantari, [3] H
asserit derelictas. Diximus superbum quemlibet, ex diuer-
sis scripturarum sententijs, quandam sibi in animo, instar
vineæ, formare scientiam, quæ si fuerit spirituum nequam
tentatione decisa, etiam propagines eius, sententiæ scili-
cet & meditationes, quibus poterat ipsa vinea reparari, à
Dei gratia derelictæ depereunt. *Transierunt mare.* Mare a-
maritudinem significat pœnitentiæ. Euenit autem vt post
speciem sanctitatis, lapsus quis in barathrum turpitudinis,
primum contristetur, ploret, expauescat, iudicet semeti-
psum & damnet, [4] erigat se supra se, iuret & statuat cu-
stodire iudicia iustitiæ Dei, nunquam se repetitum iri talia
deliberet, ac protestetur. Deinde, cum vel illectus concu-
piscentia, vel præuentus errore, vel vi diabolicæ tentatio-
nis oppressus, nequitiam iterans vires dederit voluptati,
minuitur affectus boni, materiæque adiectione crescit i-
gnis malitiæ, donec victus consuetudine, desperationis
incurrat abyssum, & sic præceps feratur in mortem; vt nec
timore compungi, nec pudore confundi, nec aliqua men-
tis amaritudine, à flagitiorum suorum possit turpitudine
reuo-

A reuocari. De huiusmodi igitur affectibus hominis, & cogitationibus recte dicitur, *Transierunt mare.* Et adiecit Propheta, *Super hoc plorabo in fletu Iazer, vineam Sabama.* Isa. 16.9.

Vox Christi est loquentis in Isaia. Ipse est, qui *videns ciuitatem Ierusalem, fleuit super eam, dicens. Quia si cognouisses & tu, quia venient dies in te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & cætera.* Luc. 19. 41. Conuenit Euangelistæ Propheta. Videt quippe Iesus ciuitatem pollentem honoribus, affluentem diuitijs, delitijs luxuriantem, extolli superbia, dissolui lætitia; futuram eius calamitatem prospiciens plorat ridentem, plangit exultantem, gemitque, quæ sibi ventura fuerant, nescientem. Videt & Propheta animam suis in se virtutibus extollentem, & quanta sit in ea morum ruina postmodum futura prospiciens, tam in sua, quam in aliorum sanctorum persona, quibus hæc ipsa sæpe à Dei spiritu reuelantur, plorat compatiendo; & cum prius ipsas vitiorum plagas, quæ eis fuerant infligendæ, dinumerasset, *Super hoc* (inquit) *plorabo in fletu Iazer vineam Sabama.* B Plorat duo Propheta, Iazer, & vineam [5] Sabama. Dixerat desertum iri vineam Sabama, Dominos quoque Gentium eius excidisse flagella, & peruenisse vsque ad Iazer: de quibus superius satis dictum est. Hæc gemitus huius Prophetici causa, de qua ait, *Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama.* Plorabat Iazer, id est tantam fortitudinem, qua prius mundo, sibi, dæmonique resistens anima, hominum iudicio [6] cæteris eminentior apparebat, vno superbiæ vitio deperijsse. Plorabat & vineam Sabama, id est doctrinam, quæ multis poterat prodesse, si sub humilitatis vmbraculo seruaretur, iactantiæ sarculo decisam & redactam in solitudinem aruisse.

Sequitur. *Inebriabo te lacryma mea* (inquit) *Hesebon & Eleale.* Dolor vehemens multiplicat lacrymas, nec quicquam plangendum illamentatum relinquit. *Inebriabo te* (inquit) *lacryma mea Hesebon & Eleale.* Iste dolens, iste plorans, iste plangens inebriat. Euenit enim aliquando, vt plerique ob elationis morbum, in illicita quæque prolapsi, si sanctos quoslibet sua scelera detestantes, miseratione commotos C perditionem suam, pietatis affectu viderint deplorare, ad semetipsos reuersi pœniteant de præteritis, & vino compunctionis debriati, amaritudinem pro voluptate, laborem pro requie, lacrymas amplectantur pro risu. Sic ille thesaurorum pietatis & misericordiæ, qui Christi latebant in pectore, conscius, de discipulo furem, de Christiano latronem, post Ecclesiæ secreta mysteria pernitiosissimum homicidam, inebriatus charitate etiam vsque ad secreta solitudinis insectatus, & ipsum inebriatum pœnitentia, membris Christi, à quibus fuerat auulsus, restituit. Alloquitur igitur Propheta Hesebon & Eleale, id est peruersi cuiuslibet cogitationem & elationem, vt sicut ipse inebriatus est charitate, propter eorum perditionem, ita ipse inebrietur compunctione.

Deinde doloris sui causam prosecutus adiunxit, *Quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.* Tempore messis & vindemiæ, annui laboris fructus percipiuntur. Calcantes nequam spiritus dicun- D tur, qui tempore, quo anima vanitate delusa, quæ omnia facit in superbia & hypocrisi, fructum se operum suorum percipere credit, superuenientes cum clamore irruunt in eam, & vinum, quod ob virtutum similitudinem, à sanctis Angelis regnis putabatur cœlestibus inferendum, ab ea, ad suam crudelitatem pascendam extorquent. *Et auferetur* (inquit) *lætitia, & exultatio de Carmelo.* Isa. 16. 10. Carmelus circumcisionem significat, circumcisio continentiam. Quicunque autem hominum æstimatione pascuntur, maxime solent de seruata castitate gestire, sed tempore messis & vindemiæ, cum omnia viderint, ob intentionis peruersitatem, merito carere virtutis, dolor & tristitia exultationi, lætitiæque succedunt. Vnde sequitur. *Et in vineis non exultabit, neq; iubilabit.* Quis? Moab nimirum, qui in vineis scientiæ, de quibus superius satis egimus, & interius exultare, & exterius iubilare consueuerat. Et adiungit Propheta, *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueuerat: vocem calcantium abstuli.* Hoc in loco calcantes, qui ex vuis vineæ huius vinum exprimere solebant, eos significat, qui ex scientia arrogantium aliquid sibi consueuerant mutuare, qui

E & cum ipsis doctoribus suis in ea gloriari, & quasi celeuma cantare dulce habebant. Itaque talibus magistris pereuntibus, omnia eorum gaudia, æterno damnanda silentio, Propheta minatur. Hæc succincte fratres transcurrimus, vt omnia, quæ die hesterna sub allegorica, vel Prophetica explanatione vno sermone enucleauimus, vno nihilominus sermone moraliter disserta, intelligibiliora redderemus. Reparemus nunc sensum silentio, & modicum id, quod de onere Moab restat inspiciendum, die crastina pertractemus, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

1. Cum mœrore confitetur. C. Cam. Cum *dolere* confitetur.
2. Loth, adeo quod Sodo. eua. incen. fur. ma. incendio. C. Cam. Loth, *eo* quod Sodo. eua. incen. fur. ma. *incestu.*
3. Asserit derelictas. Transierunt mare. C. Cam. Asserit derelictas. *Diximus superbum*, & reliqua vsque ad, Transierunt mare.
4. Erigat se supra se. C. Cam. Erigat se *contra* se.
5. Sabama. Plorabat Iazer. C. Cam. Sabama. *Dixerat desertum iri*, & cætera vsque ad, Plorabat Iazer.
6. Cæteris eminentior apparebat, vno. C. Cam. Cæteris *sublimior eminebat*, vno.

Sermo Trigesimus Primus.

PRocessimus fratres in onere Moab vsque ad citharam, cui ventrem suum sanctus Isaias, vel qui [1] in eo loquitur Christus, credidit comparandum. *Super hoc* (inquit) *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Sermonis huius principium, cum illius est fine continuandum, quem de futurorum vaticinio nudiustertius vobiscum habuimus, vbi à mundi sapientibus, qui per Moab Prophetice exprimuntur, Christi Euangelio coruscante, ob multorum conuersionem, omnem diximus ablatam esse lætitiam. Et nunc *super hoc* (inquit) *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* G Vox Prophetæ est vel Christi loquentis in Propheta. *Super* [2] *hoc* (inquit) quod dixi de Moab, de conuersione eius, de depressione eius, vel de damnatione eius, *Super* [3] *hoc* (inquit) *venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Venter Christi sancta dici potest Ecclesia, in ventre enim viscera continentur. Ibi cor, vitalem motum vniuerso corpori præstans; ibi hepar, calorem corporis nutriens, & vitalem sanguinem per omnia membra diffundens; ibi cætera intestina singula, singulis officijs ad nutrimentum corporis deputata. Ita in Ecclesia Dominus *ordinauit alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, quosdam autem Pastores & Doctores in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* 1. Cor. 12. 28. In cithara quoque cum multæ sint chordæ, & vnaquæque proprium habeat sonum, ita tamen omnes certis proportionibus, & numerorum rationibus disponuntur, vt in vnam concordiam omnes conueniant, & pulcherrimus sonus fiat vnus de omnibus. Ita ergo, cum in Ecclesia Christi diuersi gradus, & diuersi sint ordines, diuersa insuper habeant dona virtutum, omnia H tamen in vna charitate fundantur, per quam vnum pulcherrimum sonum de multis virtutibus disputando componunt. Per ventrem etiam Dei, sacra scriptura potest intelligi, in qua secreta ipsius, quasi in ventre viscera continentur. Ibi diuersæ sententiæ, præcepta diuersa, in vna fidei ratione conuenientes, dulcissimam quandam melodiam ad fidelium corda, simul ac aures emittunt.

Dicit ergo, *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Super his omnibus, quæ dicta sunt contra Moab, id est contra sapientes mundi, sancta Ecclesia pulcherrimum & concordissimum sonum prædicationis emisit, nunc docendo, nunc monendo, nunc increpando, nunc blandiendo, nunc omnia dialecticæ artis argumenta, Philosophicæ scilicet sectæ firmamenta, quasi murum cocti lateris validissimis rationibus debellando. Quod enim ait. *Et viscera mea ad murum cocti lateris* eiusdem sententiæ est repetitio. Quia tamen superius exposuimus, Moab duobus modis

A dici, secundum quorundam videlicet conuersionem, & secundum quorundam auersionem, videtur exposuisse de quo Moab locutus sit, illo nimirum, qui instar muri ad vocem prædicatorum obduruit. Ideo inquit, *Viscera mea sonabunt ad murum cocti lateris.* Habet præterea ventrem sanctus quilibet spiritalem, sicut ait Ieremias, *Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei conturbati sunt.* Sicut ea, quæ ventris clauduntur ergastulo, ab omnium oculis scientiaque celantur; sic nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi conscientia ipsius hominis, quæ in ipso est. Felix anima, in qua, instar chordarum citharæ, omnia composita sunt & ordinata, vbi virtutes virtutibus conueniunt, & exterioribus interiora respondent. Sunt autem virtutes quasi chordæ spiritales, quæ inter duo ligna, superius scilicet & inferius extensæ, Crucis mysterium præfigurant. Prima omnium chorda Temperantia est, per quam homo mortificans membra sua, quæ sunt super terram omnia Christo configit. Hæc chorda profundo Crucis infixa est, vt inchoans à timore, grauem sonum compunctionis & confessionis emittat. Secunda Iustitia à parte superiori Crucem tangit, vt reddens vnicuique quod suum est, in acutissimam vocem charitatis erumpat. At chorda Prudentiæ in transuerso ligno Crucis, inter alias duas consistens, vnius subtilitatem, & alterius grauitatem, discretionis suaui sono contemperat. Porro chorda quarta Fortitudo, longitudinem Crucis amplectitur, cæteris subsistendi præstans virtutem, & gratum patientiæ sonum emittens. Verum singulas has plures è latere virtutum chordæ comitantur, & in multarum chordarum diuersitatibus, certis spiritalium numerorum rationibus, in vnam harmoniam componunt.

Ier. 4. 19.

B

Moab igitur qui interpretatur de patre, sicut iam sæpe diximus, naturalem, quæ membris nostris inserta est, secundum leges tropologicas, corruptionem, vel eos, qui secundum eam viuunt, significat. Tunc proinde ad Moab venter Prophetæ instar citharæ sonat, quando aliquis perfectus, lubrico cuilibet virtutum concordiam suadet, & discordiam vitiorum; opponens frugalitatem luxuriæ, patientiam iræ, pudicitiam libidini, charitatem cupidini. Sed & vnusquisque nostrum, cum in se viderit Moab nefandum extollere caput, & membra omnia naturalis corruptelæ lege concutere; tangat citharam, & stimulos eius meditatione, vel imitatione dominicæ passionis obtundat, & lateritium murum vitiorum, [4] qui in vsum consuetudinis obduruit, crucis virtute prosternat. Huic profecto vox ista conuenienter aptatur, *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris.* Hæc est cithara Dauid, cuius lactatissimus sonus fugat dæmones, iram mitigat, extinguit libidinem. Felix, qui omnia interiora sua, quasi ventris viscera Cruci dedicat, vt aduersus carnis concupiscentias intonans, dicat cum Propheta, *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum eius.* Sequitur, *Et erit: cum apparuerit quod laborauit Moab in excelsis suis.* Tunc certe [5] apparuit quoniam frustra laborauit Moab, quando debellatis, à viris Ecclesiasticis, huius sæculi sapientibus, alijs conuersis, totus inanis & vacuus apparuit, impleto hoc quod scriptum est, *Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultitiam fecit Deus sapientiam huius mundi?* vnde & præmisit, *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et pulchre satis, *In excelsis suis* inquit, semper enim philosophi se, & sublimia loqui, & agere perfecta gloriantur; quę profecto vanitas non paruum eis laborem induxit, cum contra Euangelicam, Apostolicamque doctrinam totis viribus niterentur.

C

Isa. 16. 11.
1. Reg 16. 23.

Isa. 16. 12.

D

1. Cor. 1. 20.
& 19.

Sed huius laboris quis finis? *Et erit* (inquit) *cum apparuerit quod laborauit Moab in excelsis suis*, id est, cum viderent sapientes huius mundi frustra aduersus Ecclesiam desudasse, & excellentiam dogmatum suorum, simplicitate fidei corruisse; ad preces se lacrymasque conuerterunt, quia dæmonum, quos Deos putabant, expectabant suffragium, quorum facta venerabantur. Ait ergo, *Ingredietur ad sancta sua vt obsecret, & non valebit.* Deficientibus quippe argumentis, & omni scientia, extollente se aduersus scientiam Dei, destructa; tentant obsecrationibus & præstigijs, execrabilibusque mysterijs demoniorum, resistere Spiritui sancto, & diuinum labefactare propositum. Sed nihil profecit hæc illorum male cauta prouidentia, quia iam *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed & hi, qui Moabiticæ corruptioni se dederunt, cum in explendis voluptatibus multum temporis insumpserint, finis omnium mors indicat, quam frustra, vt inique agerent, laborauerunt. Sed cum fatuæ virgines, quæ in excelsis suis, superbia scilicet & magnitudine cordis, sine oleo lampades portarent, cum extinctis omnibus, ab olei venditoribus nihil solatij recepissent, quasi reuertentes ad sancta, preces porrigunt dicentes; *Domine, Domine aperi nobis.* Sed quam nihil hac obsecratione profecerunt, terribilis illa responsio declarat, *Amen dico vobis, nescio vos.* Ex hinc Propheta oneri finem ponens, *Hoc verbum* (inquit) *quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc.* Totum illud quod de Moab, vel ad Moab declarauerat, verbum appellat sermo diuinus. Respondet autem finis principio; sic quippe cœpit, *Onus Moab.* Ex tunc ergo, id est à tempore quo cœpit loqui de Moab, omnia hæc locutus est. Ostendit Propheta firmum, & verum esse quod dixerat, nec erroneo spiritu, sicut Montanus delirat, quod loqueretur ignorasse, sed Dei repletum spiritu intellecta vaticinasse. Qua sententia non inconuenienter inserta, ea quæ de onere Moab prophetauerat, quibus fuerant complenda temporibus, mystico sermone declarat dicens. *Et nunc locutus est Dominus dicens. In tribus annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab super omni populo multo.*

E

Psal. 18. 5.

Matt. 25. 1. & seqq.

& 11.

& 13.
Isa. 16. 13.

F

Isa. 16. 14.

Tria tempora Ecclesiæ describit sermo Propheticus, Vocationis, Probationis, Consolationis. Vocata est Apostolorum prædicatione, Probata est Martyrum persecutione, Consolata Principum conuersione. In his tribus temporibus, quasi in tribus annis, ablata est gloria Moab super omni populo multo. Tempore quippe Vocationis gloriosi adhuc Philosophi videbantur, quando vix peruersissima eorum doctrina, à viris Catholicis fuerat attentata. At tempore, quo Sanctorum patientia multis tentationibus probabatur, tanto videbatur eorum gloria maior, quanto fides [6] Christi videbatur expressior. At vbi reges sæculi, salutari fide suscepta, Ecclesiam Christi altius extulerunt, ablata est gloria eorum desuper omni populo multo, illo scilicet, qui eorum errore fuerat deceptus. Dicuntur autem hi anni, quasi anni mercenarij, quia sicut mercenarius præstolatur finem anni, ac mercedis desiderio omne tempus longum existimat, ita sapientes huius mundi his tribus temporibus, quasi tribus annis, de die in diem destructum iri doctrinam Catholicam expectabant. Vnde immundorum spirituum oraculis falsi, certum numerum annorum, quem excedere fidem Christi non posse mentiebantur, [7] construere præsumpserunt. Sequitur, *Et relinquetur in eo sicut racemus paruus & modicus, nequaquam multus.* Cum fuerit finita vindemia, sicut rarus in vinea reperitur racemus, ita multis, ab illa sapientia sæculari, Ecclesiastica falce succisis, vix quisquam, qui eam profiteatur, his iam temporibus reperitur.

G

Sed vt ad nos fratres charissimi redeamus, consideremus illum qui nobis insertus est Moab, illam scilicet quam ex patre contraximus corruptionem, ipsiusque auctorem & incentorem diabolum. Est autem in vnoquoque nostrum cogitationum, affectionum, delectationum populus multus, quibus se Moab dominari, quamdiu suggestionibus eius mens illecta consenserit, gloriatur. Sed in tribus annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab super omni populo multo. [8] Habemus enim quasi tres annos, tres profectuum status, Conuersionis, Purgationis, Contemplationis. Primus in dolore, secundus in timore, tertius in dilectione. Initium igitur nostræ Conuersionis, quasi primi anni, exordium est, vt voluntas mutetur; Deinde vt consuetudo pessima superetur, & sic quod malum est deseratur, & quod bonum est appetatur. Et hic annus primus, in quo non parum adhuc Moab gloriatur, cum eius suggestione plerumque & voluntas tepescat, consuetudo præualeat, & malum, quod contra propositum ingeritur, obrepat, & bonum, quod appetit mens, perfi-

H

A perficere non inueniat. Minuitur sane gloria eius, cum homo perfecte conuersus ad Dominum, init cum vitijs singulare certamen, & secundum ingrediens annum, satagit quantum potest vt Moabitica corruptio, quasi vetus insolitum minuatur, & nouum insolitum augeatur. Habet & in hoc anno aliquam gloriam Moab, quoniam licet non possit pugnantem expugnare, vulneret tamen aliquando necesse est, etiam optime repugnantem. In hoc anno mens spiritalibus exercitijs purgata, ad cœlestem contemplationem, & ad scripturarum transit meditationem. Tunc ei incipit virtus dulcescere, vilescere vitium, & ex quadam dilectionis infusione, gustat quam dulcis est Dominus. Tunc auferetur gloria Moab super omni populo multo, cum quicquid dilectionis immundæ in affectionibus nostris, cogitationibusque resedit, nouæ dulcedinis experientia euacuatur. Relinquitur tamen sicut racemus paruus & modicus, lex scilicet illa in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ.

B Sicut enim vastata vinea, rarus in ea reperitur racemus, ita vitiorum multitudine debilitata, ille necesse est ineuitabilis motus resideat, quem plerunque & infantes sustinent, & senes vitare non possunt. Porro mercenarij dicuntur hi anni, quia sicut mercenarius ad mercedem suspirat, sic & quilibet conuerti desiderans, quamdiu impossibilitatem sustinuerit continendi, miro æstuat desiderio, ipsam castitatis possibilitatem, quasi huius laboris sui fructum, expectans. Sed & purgationis suæ sollicitus, quamdiu vitijs impugnatur, miro modo à tentationibus absolui gestiens, requiem illam pro mercede copiosissima præstolatur. Postremo, etiam ipsam naturalem corruptionem fastidiens, rore pudicitiæ ex omni parte perfundi, omniumque virtutum suauitate impinguari, æstuanti pectore affectat. Possunt etiam per Moab hypocritæ designari, quos in occultis [9] Moabina corruptio polluit, in manifesto ficta quædam honestas extollit. Horum anni mercenarij anni sunt, quia omnia faciunt vt
C videantur ab hominibus, audituri à Domino, quia receperunt mercedem suam. Sed cum tres anni transierint, quorum primus est in hac vita, secundus post mortem, tertius vero post resurrectionem, tunc profecto auferetur omnis gloria eorum, quando deficiente oleo, & à vendentibus non impetrato audiunt à sponso, *Amen dico vobis, nescio vos.* His igitur, fratres, de tribus oneribus Babylonis, Philistijm, Moab, vtcunque digestis, stilum suspendo, volens ea, quæ dicta vel scripta sunt, ad eius referre examen, [10] quem in verborum meorum iudicem correptoremque delegi, sanctum dico G. Lundoniensem Episcopum, pro cuius arbitrio vel hæc ipsa delere, vel hic subsistere, vel [11] vltra progredi proposui. Interim aliquid meditabimur, quod vtile erit & iucundum, ad vestram ædificationem & aliorum: quod nobis præstare dignetur, qui viuit & gloriatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIÆ LECTIONES.

D 1. In eo loquitur. C. Cam. In *ipso* loquitur.
2. Hoc (inquit) quod. C. Cam. Hoc (*ait*) quod.
3. Hoc (ait) venter. C. Cam. Hoc (*inquit*) venter.
4. Qui in vsum consuetudinis. C. Cam. Qui *vsu* consuetudinis.
5. Apparuit quoniam frustra. C. Cam. Apparuit *quam* frustra.
6. Christi videbatur expressior. C. Cam. Christi *putabatur depressior.*
7. Construere præsumpserunt. C. Cam. *Constituere* præsumpserunt.
8. Habemus enim quasi. C. Cam. Habemus *autem* quasi.
9. Moabina corruptio. C. Cam. *Moabitanea* corruptio.
10. Quem in verborum meorum iudicem. C. Cam. Quem verborum meorum *sententiarum* iudicem.
11. Vltra progredi pro. In. ali. meditabimur quod vti. erit & iucun. ad ves. æd. & aliorum: quod nobis, & cætera. C. Cam. Vltra *procedere* pro. In. aliquid *aliud* quod *vel* vtile erit, *vel* iucundum, ad vestram, *vel* aliorum ædificationem *attentabimus.* Cætera vsque ad finem desunt.

Expliciunt sermones Domini Aelredi Rieuallis Abbatis de oneribus Isaiæ Prophetæ.

E

DIVI AELREDI ABBATIS RIEVALLENSIS

Compendium insequentis operis, quod inscripsit,

SPECVLVM CHARITATIS.

CAP. I.

Vt Creator ametur à sua creatura.



NIhil dignius, quam vt Creator à sua ametur
F creatura. Igitur ratio, vt ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis: nostræ videlicet necessitati, vel vtilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessarium hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, vt caueamus damnationem; commodum, vt acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse prius diligens nos, merito ipsius dilectionis exigit recompensationem. Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse; cum quo non potest nisi beatissimus semper esse: qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse.

O Domine Deus, quanta in tui dilectione iocunditas! quanta in iocunditate tranquillitas, quanta in tranquillitate securitas! non eius qui te amat errat dilectio, quia te nihil melius; non spes fallitur, quia nihil amatur fructuosius; non excessus timetur, quia nec modus amandi præscribitur; non mundialis amicitiæ direptrix mors formidatur. In tui dilectione non timetur offensio, quæ nulla
G est, nisi ipsa deseratur dilectio: non interuenit vlla suspicio, quia iudicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic iocunditas, qua timor excluditur: Hic tranquillitas, qua ira compescitur: hic securitas, qua mundus contemnitur. Comparetur quæso omnibus diuitijs, omnibus delitijs mundi, omnibus honoribus hoc vnum famulorum Christi, quod mortem non timent. Quid quæso in mundo iocundum? cum ipsa eius iocunditas Conscientiam pungat, cum timorem mortis incutiat, cum amatores suos æternæ damnationi addicat?

CAP. II.

Quod charitati nihil desit perfectionis.

DIliges Dominum Deum tuum, &c. O verbum consummans & abbreuians in æquitate! verbum charitatis; Mat. 22. 37.
verbum amoris; verbum dilectionis! verbum totius perfectionis. Verbum consummans, cui nihil potest deesse. Verbum abbreuians, in quo pendet tota lex & prophetæ.
H O Iudæe quid tantis opus est? hic circumcisio, hic Sabbathum; hic hostiæ salutares; hic odoriferum sacrificium; hic totius suauitatis incensum. Tene charitatem, & nihil horum deerit. Charitatem neglige, & nihil horum proderit, hic plane non carnalis vnius membri amputatio, sed totius exterioris interiorisque hominis vera, & perfecta circumcisio; resecans voluptatem, extinguens libidinem, coercens gulam, cohibens iracundiam; inuidiam penitus inuertens; omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spiritali quadam suauitate contemperans, segnacis acidiæ occurrit languori. Hæc auaritiæ pestem liberalitatis grauissimo mucrone confodiens, ab idololatriæ vitio animam liberat ac conseruat.

Quid rogo hac circumcisione perfectius? qua vitiorum membra resecantur; corpus peccati destruitur; protoplastorum exuuies villosa deponitur, totaque antiquæ

vetu-

A vetustatis tabes squalorque deijcitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis complexerit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia eleuat, non cenodoxiæ inanis fumus euentilat, non exagitat furor, non stimulus ambitionis euiscerat, non auaritia contrahit, non deijcit tristitia, non inuidia tabefacit; *Charitas* quippe *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.* Vides hanc spiritalem circumcisionem, omnium vitiorum esse peremptoriam? quæ omnes sensus corporis diuino quodam cultro purificat, oculorum abscindens petulantiam, aurium pruritum eradens, gustus superfluas suauitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus perniciosam mollitiem eradicans.

1. Cor. 13. 4.

B

Cap. III.

Quod amor noster aduersum se, ex charitate & cupiditate contrario appetitu diuidatur.

Gal. 5. 17.

Apostolus ait, *Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæ vultis illa faciatis.* Quia charitatis siue etiam cupiditatis, ea sola animæ nostræ portio capax est, quæ vsitatius amor* nuncupatur; ipse est, qui ex noua infusione charitatis, & ex reliquijs vetustæ cupiditatis, quasi quodam contrario appetitu, aduersus semetipsum constat esse diuisus. Vnde intelligendum est, Apostolum Spiritus, Carnisque nomine, nequaquam duas contrarias in homine vno, vt impuri somniant Manichæi, descripsisse naturas: sed spiritus appellatione, mentis ex charitatis infusione exprimens nouitatem, carnis quoque vocabulo, ex reliquijs vetustatis miseram animæ insinuans seruitutem; inter vetus nostrum inolitum nouumque insolitum, continuum in vna mente asserit oboriri conflictum. Hæc itaque concupiscentia, quam carnis esse dicit Apostolus, non quod omnis concupiscentia mala ex carne sit, quippe cum ea nequaquam dæmones careant, qui carne carent; hæc (inquam) concupiscentia mala, congruentissime cupiditas appellatur. Carnis vero concupiscentia dicitur, eo quod non ex Deo, sed ex homine sit, quem carnem in scripturis appellari non est ambiguum. Concupiscentia autem spiritus, non immerito charitas appellatur, *quæ* quidem *in cordibus nostris diffunditur per Spiritum Sanctum.*

* alias appellatur.

C

Rom. 5. 5.

Cap. IV.

Quod rationalis creatura nonnisi in beatitudinis adeptione quiescit; & quare cum beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat mira infelicitate refugiat.

Ipsis animantibus irrationabilibus magnus labor est tueri salutem, vitare perniciem, carnalium appetituum quærere satietatem: qua adepta, cum nihil habeant vltra quod appetant, conquiescunt. Rationis quippe scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt. Tibi enim, ô anima rationalis, præ cæteris animantibus hæc prærogatiua seruatur, quod te à carnis sensibus abstrahens, ad altiora contendas: nec aliquando saties appetitum, donec ad id, quod summum est, id quod est optimum; id quo nihil superius, quo nihil excellentius, felici curiositate peruenias. Vbicumque infra subsistis, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi iucundum iudicetur; misera proculdubio remanebis. Misera, quia indiga. Indiga, quia restat quod petas; restat ad quod anheles; restat postrema ipsa beatitudo, ad quam appetendam, animam rationalem vis quædam naturalis impellit.

D

Sed deploranda satis est miseri hominis cæca peruersitas, qui, cum beatitudinem vehementer exoptet, non modo non agit quibus adipiscatur optata: verum proniori affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet suam. Non secus quam si æger quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiam refugiat sectionem, adustionemve exhorreat, ac præsenti quadam suauitate pellectus, olei fomenta requirat: quamquam morbus eiusmodi sit, vt hac magis lenitate feruescat, nec sine adustionis, sectionisve dolore lentescat. Sic miser homo; Sic vel deceptus, dum putat esse felicitatem, quæ non est; vel præsentium suauitate illectus, quæ falsa est; & seipsum miseriæ addicit, & beatitudinis appetitum non amittit: ac proinde infelici circuitu laborans, nunquam quiescit. Enimuero cum animæ rationali solus sit superior Deus, par Angelus, cætera omnia iudicentur inferiora: quid dementiæ tam vicinum, quam relicto superiore, in his, quibus ipsa sit melior, requiem aucupari? Quod, vt mea fert opinio, nequaquam ageret, nisi hinc eam falsa quædam imago felicitatis deluderet; hinc veræ miseriæ similitudo terreret. Nam pauperiem, famem, sitim, & talia sustinere, miseria iudicatur: quibus tamen plerumque vera miseria præcauetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati enim pauperes,* ait Iesus, *quoniam vestrum est regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.* Pauperies ergo æternis diuitijs muneratur; luctus æterna iocunditate mutatur; esurienti satietas æterna seruatur. Hæc enim omnia, diuitias scilicet, iucunditatem, satietatem, beatitudini non deesse, nemo qui dubitet.

E

F

Matth. 5. 3.

Verum quia reprobum quemque, in qualiscumque suæ voluntatis affectu, species quædam iucunditatis eludit, & in desideriorum expletione delectatio falsa dissoluit; ignorans miser, quanta sit electis & in pressuris consolatio, & in spe congratulatio, perhorrescit quidem eam, quæ in facie patet, infelicitatis effigiem: sed sub felicitatis colore veram excipit infelicitatem; falsam iocunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beatitudo succedit.

Cap. V.

Quod requies, quam rationalis creatura naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in voluptate, neque in diuitijs quærenda sit.

G

O Mirabilis creatura, solo creatore inferior, quo te deijcis? mundum amas? sed ipsa es mundo superior. Solem miraris? sed ipsa es sole lucidior. De cæli huius volubilis situ philosopharis? sed tu cælo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? Sed te nulla natura secretior. Dubitas cum tu de his omnibus iudices, de te autem nihil horum? Sed si velis iudicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum iudicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non vt his tu beatior, sed vt esset quo tu esses superior: subijciens tibi omnia ad cumulum honoris, se tibi seruans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitiuas pulchritudines? cum tua amplius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat.

Quæris vt voluntati tuæ nihil desit, & sic requiescas? hoc ergo quære. Vbi inquis? noli in salute corporis, noli in voluntate carnis, noli in potentia, noli in diuitijs. Quid enim peruersius, quam rationalis mentis bonum, in ventris ingluuie collocare, ac id quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere? maxime cum se in his à stolidissimis belluis nihil videat posse differre. Denique & fames cruciatum & satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est: Si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in cæno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum: ita profecto nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete ac tranquillitate vacuum. Nam de eius fœditate quid dicendũ? cum hæc sordidissima lues & carnem contaminet, & mentem effeminet, ac quidquid in

H

ani-

A animo honestum, quicquid decorum, quicquid denique virile est, obruat pariter & euertat?

Et quidem cum cetera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis oppallieut, ac proinde non modo ad humanos non erubescant, immo & intumescant aspectus; Hæc sola in prima fronte tantum sui præfert horrorem, vt ea maxime hora, qua etiam carnem perstringit ac sibi vendicat, oculos vehementer refugiat.

Quid ergo his agendum, qui virginis filium ac virginitatis colunt authorem? Cauendum est profecto, ne cuiquam id eueniat, quod de quibusdam ait propheta: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Quibus verbis proprie satis finem, modumque huius spurcissimæ passionis expressit; eum, quem luxuriæ Charybdis absorbuit, carnis suæ colluuione, quin proprij stercoris egestione asserens esse corruptum; vt eum non modo extinctum æstimes vel absorptum, sed instar sepulti cadaueris, immundissimi pruritus sanie profluente, putrescentem sentias & fœtentem. Necesse est ergo mentem cui nequam hic spiritus insederit, quibusdam furiis agitari, & ignitis luxuriæ stimulis impetitam, ad quæque flagitia ebriam & vagabundam, soluto fræno totius honestatis, impelli: restinctoque semel conceptæ passionis incendio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succendi.

Ioel. 1. 17.

B

Cap. VI.

De suaui iugo charitatis.

Matt. 11. 30

TOllite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Iugum istud fraterna dilectio est. Iugum istud non premit, sed vnit: onus istud pennas habet, non pondus. Prorsus qui de huius asperitate causantur, iugum cupiditatis nondum radicitus abiecerunt. Forsitan enim sub habitu religionis ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundanas glorias & honores anhelant; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum, inexplebili auaritia æstuant. Vnde nimirum cõtinuis curis euiscerantur, inflammantur odiis, anxiis cogitationibus dissipantur; quia iugum vtique mũdi asperum est, & onus mundi graue est. Porro *Iugum Domini suaue est, & onus Domini leue est.*

C

Matt. 11. 30

Cap. VII.

Quanta sit in charitate perfectio.

QVid enim suauius, quid gloriosius, quam mundi contemptu, mundo se cernere celsiorem? ac in bonæ conscientię vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus? nihil videre quod appetat, nullum quẽ metuat, nullum cui inuideat; nihil, quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse: dumque in illam hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis dirigit mentis obtutum, sæculares diuitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, & in illud propheticum exultare: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.*

1. Petr. 1. 4.

D

Isai. 40. 6. 7. 8.

Quid rogo dulcius, quid ue tranquillius, quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendiis non aduri, ad nullum illecebrosum moueri aspectum; sed tepescentem rore pudicitiæ carnem spiritui habere substratam, non iam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualia exercitia obedientissimam adiutricem? Quid tandem diuinæ tranquillitati tam proximum, quam illatis contumelijs non moueri, nullo supplicio, nullaue persecutione terreri, vnam mentis & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri, ad eius se similitudinem conformare, *qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos?* Hæc simul omnia in caritate, & non nisi in caritate simul omnia: ac proinde in illa vera tranquillitas, vera suauitas; quia ipsa est iugum Domini, quam si Domino inuitante tulerimus, inueniemus requiem animabus nostris, quia *iugum Domini suaue est & onus leue.*

Matt. 5. 45.

E

Matt. 11. 30

Proinde cæteræ virtutes sunt nobis aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus; at caritas, quæ, licet vt aliæ virtutes virtutes sint, sit oportet in omnibus; specialius tamen ipsa & requies fatigato, & viatori mansio, & plena lux peruenienti, & perfecta corona victori. Quid enim est Fides nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur; quid Spes nisi viaticum nostrum, quo in huius vitæ miseriis sustentamur; quid quatuor illæ virtutes, Tẽperantia, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? at vbi Charitate, quæ non nisi in Dei visione perficitur, illis duntaxat quibus hic in fide inchoatur, *mens fuerit plenius absorpta; nec fides erit, quia qui cernitur & amatur, non est opus vt credatur; nec spes erit, quia brachiis caritatis Deum amplectenti, nihil restat quod speretur.

In quo charitas differt à cęteris virtutibus.

F

* alias mors.

Verum temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra aduersitates, Iustitia contra inæqualitates: sed in caritate illa, perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnet temperantia; in caritate, perfecta scientia, ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia; in caritate, vera beatitudo, ideo nulla aduersitas, quam fortitudo deuincat; in caritate, pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra quam iustitia vigilet. Agit itaque modo vera temperantia, ne illecta; vera prudentia, ne decepta; vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam caritatis excedat. Porro si subtilius aduertas, quid est temperantia nisi amor, quem nulla voluptas illicit? quid est prudentia nisi amor, quem nullus error seducit? quid fortitudo nisi amor, fortiter aduersa sustinens? quid Iustitia nisi amor, æquo quodam moderamine inæqualitates huius vitæ componens? in fide ergo charitas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur.

De officiis quatuor virtutum.

G

Verum vt sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis charitas perfecta transtulerit, cunctis iam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate consumptis; cunctis errorum tenebris diuinæ lucis contemplatione decussis; certaque securitate mundi huius succedente molestiis; depositis, vt ita dixerim, quibus hoc belli tempore vtitur armis: sola sui suauitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, vt in illa felicitate, nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudoue putetur, quam charitas: tam casta, vt nullis tentetur illecebris; tam lucida, vt nullis interpelletur erroribus; tam valida, vt nullis omnino appetatur aduersis.

Cap. VIII.

Quod opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septima vero diei requies charitati assignetur.

H

SIt ergo Fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quasi lux à tenebris, separamur. Sit Spes secundus, per quam in cælestibus habitantes, & pro fidei meritis sola supercælestia sperantes; ab his, qui terram sapientes, & à Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar dilabuntur & fluitant, Deo promouente discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra, quæ sunt super terram, mortificantibus, ac carnales concupiscentias, quasi aquas amarissimas, necessariis terminis coercentibus, appareat terra cordis nostri arida & inaquosa, sitiens dominum Deum suum. Iam vero Prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda & non facienda, quasi inter diem & noctem diuidamur: cuius adminiculo lumen sapientiæ, velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritalis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit, quasi lunæ decus appareat: per quam etiam

A praecedentium patrum exempla, quasi stellarum globos, mens deuota suspiciat; per quam inter dies & annos, menses & horas diuidat; quid distet videlicet inter eos, qui ante legem, & sub lege; quid inter hos, & illos qui sub gratia, quid singulis conueniat; quae praecepta, quae tempora, qui mores, quae sacramenta, aequa examinatione discernat. Sit nobis Fortitudo quasi dies quintus, per quam huius maris magni & spaciosi, saeculi videlicet huius procellas toleremus: ac pisces spiritales, Deo operante effecti, vitam nostram inter vndas tempestatesque seruemus: ac mentis nostrae desideria, simul & affectus, quasi volatilia pennata, ad caelestia erigentes, & ea, quae sursum sunt sapiêtes, multiplices bonorum operum fructus, Deo benedicente, reddamus.

Porro diem sextum nobis iustitia dictet, per quam diuinam similitudinem reinduti, atrocissimis vitiorum bestiis terrenisque desideriis, quasi reptilibus; corporisque motibus, quasi iumêtis, generosa auctoritate imperemus; B agentes vt corpus menti, mens Deo subdatur; sicque, iustitia dictante, cuique quod suum est tribuatur. Restat septimus dies, id est sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est Caritas virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suauis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, vt bona sint, oriuntur; in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies diuina nos gratia reficit: ipsa septimus mensis, in quo post tentationũ diluuium, arca cordis suauiter requiescit. Huic seruit. Têperantia, Prudentia vigilat, militat Fortitudo, Iustitia famulatur.

Cap. IX.

De distinctione trium sabbatorum.

LEgimus in veteri testamento, quasdam sabbatorum distinctiones: habes nempe in lege tria tempora sabbati requie consecrata, septimum videlicet diem, septimũ C annum, & post septies septem, quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum; secundum annorum; tertium non immerito dicitur sabbatum sabbatorum. Constat namque ex septem annorum sabbatis, addito vno; vt septenarius numerus in vnitate concludatur, qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiritus sancti munere promouetur, vt ad ipsum, qui vere vnus est, veniatur; vbi totum quod sumus, vnum cũ ipso efficiatur. Habemus interim sabbatum dierum, sabbatum annorum, & in quodam praegustu sabbatum sabbatorum.

Cap. X.

Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quaerenda distinctio.

D

Matt. 22.37 IN lege sic scriptum est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tuâ, & ex omni mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus praeceptis tota lex pendet & prophetae.* Necesse est ergo, vt in his duobus praeceptis, has sabbatorum quaeramus distinctiones: nam & ipsę ex lege sunt. Porro haec duo praecepta si diligenter inspicias, tria quaedam inuenis diligenda, te videlicet, proximũ

Matt. 22.39 & Deum. Vbi enim dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* manifestum est quia debes diligere & teipsum. Hoc

Ephes. 5.29. tamen non est praeceptum, quia naturae est insitum. *Nemo enim vnquam* (teste Apostolo) *carnem suam odio habuit*: & si non carnem, multo minus vtique mentem, quam quilibet, etiam nesciens, magis diligit quam carnem. Nemo est enim qui non malit infirmus carne, quam insanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio sui, sabbatum primum; dilectio proximi, sit secundum; Dei autem dilectio, sabbatum sabbatorum.

Est autem, vt superius diximus, sabbatum spiritale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur; aliquando ex dulcedine fraternae dilectionis hauritur; in diuina dilectione absque vlla ambiguitate perficitur. Hoc sane prouidendum, vt homo, sicut oportet, diligat semetipsum, proximum vero tanquam seipsum, Deum supra seipsum; quia nec se, nec proximum, nisi propter ipsum. Porro Deum non amare conuincitur, â quo proximus nô amatur. *Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* 1. Ioan. 4.20 Praecedit ergo quodammodo dilectionem Dei, dilectio proximi; dilectionem vero proximi, dilectio sui. Praecedit inquam ordine, non dignitate. Praecedit, sed illam perfectam de qua dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Matt. 22.37 Nam profecto quaedam huius dilectionis portio etsi non plenitudo, & sui, & proximi dilectionem praecedat necesse est: sine qua mortua illa vtraque est, ac proinde nulla est. Videtur enim mihi Dei dilectionem, quasi aliarum dilectionum animam esse, quae & F in seipsa plenissime viuit, & aliis sui essentiam vitalem impertit, absenti mortem inducit.

Vt ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur; vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur, vbi diuinus ille ignis paululum coalescens, ceteras tandem, quasi scintillulas quasdam, in sui plenitudinem miro modo absorbeat: totam animi dilectionem ad illud sublime, & ineffabile bonum adducens, vbi nec ipse â se, nec proximus diligatur, nisi inquantum vterque deficiens â se, totus transfertur in Deum. Interim tres hi amores & ab inuicem concipiuntur, & ab inuicem nutriuntur, & ab inuicem accenduntur, porro simul omnes perficiuntur. Agitur autem miro & ineffabili modo, vt quanquam hi tres amores omnes simul habeantur, neque enim aliter potest: non tamen semper aeque sentiantur: sed nunc requies illa, illa iocunditas in propriae conscientiae puritate sentiatur; nunc ex fraternae dilectionis dulcedine mutuetur; nunc in Dei contemplatione plenius acquiratur. Sicut enim rex aliquis diuersas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur; nunc huius, nunc G illius speciei odore perfunditur: ita mens, cellaria quaedã spiritualibus referta deliciis, intra suae conscientiae septa retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat, ac iocunditatis suae materiam, pro diuitiarum diuersitate, diuerso modo compensat.

Cap. XI.

Quomodo sabbatum spirituale in sui dilectione sentiatur.

CVm enim homo ab exteriori tumultu, intra secretarium suae mentis sese receperit, nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat, nihil quod oblatret, sed omnia iocunda, omnia concordãtia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & instar ordinatissimae, ac pacatissimae cuiusdam familiae, omnis cogitationũ, sermonum, operumque turba ipsi animo, quasi patrifamilias domus arriserit; oritur hinc subito mira securitas, H ex securitate mira iocunditas, ex iocunditate autem iubilus quidam, eo deuotius in laudes Dei erumpens, quo perspicacius conspicit eius esse muneris, quicquid in se boni recognoscit. Haec est septimi diei iocunda solemnitas, quã necesse est sex dies, id est operum praecedat perfectio; vt primum in bonis operibus desudemus, & sic demum in conscientiae tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus, puritas conscientiae nascitur; secundum quam sui dilectio iudicatur. Sicut enim is qui operatur, vel diligit iniquitatem, non diligit, sed odit animam suam; ita Psalm. 10.6 profecto qui diligit, & operatur Iustitiam, non odit, sed diligit animam suam. Haec est primi illius sabbati iocunda solemnitas, in qua seruilia mundi opera minime exerceantur, in qua nec ignis concupiscentiae turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

* *
*

A

Cap. XII.

Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur; & quomodo sex anni, qui praecedunt septimum, charitati coaptentur.

Porro si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primum hoc sabbatum celebrauit, ad illud pectoris sui diuersorium sese contulerit, vbi solet *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum scandalizatis;* (Rom.12.15. 2.Cor.11.29) senseritque ibi animam suam cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis vniri; nullis inuidiae stimulis agitari, nullis indignationum aestibus inflammari; non iaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiae morsibus consumi; sicque ad quendam tranquillissimum mentis suae sinum omnes rapiat, vbi duci quodam affectu omnes amplectatur & foueat, ac secum vnum cor & vnam animam faciat: ad huius mox dulcedinis suauissimum gustum, omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit; & fit ibi intus ab omnibus noxiis absoluta vacatio, & in fraternae dilectionis dulcedine grata, & iocũda pausatio. Huius sabbati requie ac dulcedine, Propheta Dauid in sonum gratulabundae solemnitatis erupit dicens: *Ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* (Psal.132.1.) Vere bonum, vere iocundum. Bonum plane, quia nihil vtilius; Iocundum, quia nihil sapidius.

B

Quod si ex sex illis annis, qui sabbatum hoc spirituale praecedunt, aliquid mysticum velis exsculpere, scito sex esse genera hominum in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Primo ergo dilectio nostra, naturali ordine, ad domesticos sanguinis nostri deriuatur. Quae dilectio vt habeatur, quia ipsi naturae est insitum; si non habeatur, nimis est inhumanum. Vnde Apostolus, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.* (1.Tim.5.8.) Haec autem dilectio, quoniam ab ipsa natura proficiscitur, in praeceptis, quae ad dilectionem pertinẽt proximi, primo loco sancitur, ita Deo protestante, *Honora patrem tuum & matrem.* (Exo.20.12.) Hinc ad eos, qui nobis specialis amicitiae foedere, vel officij vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur, & quodãmodo sinu ampliore laxatur. Sane vtraque haec dilectio, quanquam parum praemij seruata conquirat, quippe cum ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos prouocet, neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus in Euangelio, *Si diligitis* (inquit) *eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* (Matt.5.46.) & si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? vt ergo in aliquid amplum dilectio nostra tendatur, amplectatur & eos, qui nobiscum eidem iugo professionis subduntur. Haec plane dilectio praemio non fraudabitur, quia Deus causa est cur exhibetur.

C

Restant adhuc duo hominum genera eorum qui foris sunt, gentilium videlicet, & Iudaeorum, haereticorumque vel schismaticorum, quorum necesse est vt ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostrae orationis impertiamur, vt & ipsi inueniantur nobiscum in Christo Iesu Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternae charitatis summa consistit, in quo homo Dei filius efficitur, in quo diuinae bonitatis similitudo plenius reparatur, sicut ait Saluator in Euangelio: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniãtibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in caelis est.* (Matt.5.44) Exinde quid superest nisi annus septimus, in quo debitores repetere nõ permittimur, in quo seruus libertate donatur? (Deuter.15.2.& 12.) qui enim nouit etiam inimicos simplici oculo intueri, ille est qui veraciter dicere potest, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* (Matt.6.12.) *Omnis* (inquit) *qui facit peccatum, seruus est peccati,* (Ioan.8.34.) cui deplorandae seruituti tamdiu quisque addicitur, donec ipse dimittens & diligens, dimittatur & diligatur: & de seruo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur.

D

E

Cap. XIII.

Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperiatur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.

Verum hac gemina dilectione purgata mens, tanto deuotius, quanto securius ad ipsius diuinitatis felices gestit amplexus; ita vt nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, iamque ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur: factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id quod est, & sic semper est, & idipsum est, in illud vnum perspicacem figat intuitum, vacans & videns quoniam Dominus ipse est Deus, & inter caritatis illius suaues amplexus, sabbatizans sine dubio sabbatum sabbatorum. Hic annus Iubilaeus, in quo homo ad suam possessionem reuertitur, ipsum videlicet autorem suum, vt nimirum possideatur & possideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipsa est possessio, quae distracta vili peccati pretio, amore hominis defluente ab eo, à quo factus est, & inhaerente rei, quae facta est. Huic sabbato nõ immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo seruulis timor expellitur, carnis non solum cõcupiscentia, sed & memoria consopitur, spiritus plenitudo concipitur. *Ante* (inquit) id est ante pentecosten *Spiritus non erat datus: quia Iesus nondum erat glorificatus,* (Ioan.7.39.) non omnino non datus sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in sabbato primo, datur & in secundo: sed in sabbato sabbatorum eius infunditur plenitudo.

F

Verum quia charitas diffunditur in cordibus nostris, non alias nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, vbique septenarius numerus custoditur: sed in ipsius septenarij multiplicatione, profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies, quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, eius est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritalis quaedam sabbatizatio. Primo requies in puritate conscientiae, deinde in multarum mentium dulcissima coniunctione, postremo in ipsius Dei contemplatione. In primo sabbato vacatur à crimine, in secundo à cupiditate, in tertio ab omni prorsus distensione. In primo mens colligitur ad se, in secundo extenditur extra se, in tertio rapitur supra se. In primo gustat quam dulcis est Iesus in humanitate; in secundo videt quam perfectus in charitate; in tertio quam sublimis in deitate.

G

Cap. XIV.

Quomodo vtraque dilectio, sui videlicet & proximi, Dei dilectione seruetur.

Quoniam, vt superius diximus, vtrumque amorem quo vel nobis ipsis consulimus, vel quo proximis vnimur, quadam diuini amoris portione necesse est animari, sciendum, quod ad hãc geminam dilectionem, Dei nos dilectio mouet & promouet, secundum id quod *verbum caro factum est & habitauit in nobis.* (Ioan.1.14.) Siquidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quae in duobus est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitij alicuius, aut turpitudinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem, quia maxime voluptas ac delectatio carnis impellitur, sic eam facile quilibet respuit vel euitat: si erga carnem nostri Saluatoris pium indutus affectum, gaudet spiritualibus oculis intueri Dominum maiestatis, vsque ad praesepis inclinatum angustias, virgineis inhiare vberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis felicibus labiis osculari. Qui mentis suae obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infirmis & miseris condescendens. Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis

H

A fœtentis carnis delectatio nō sordescat? Inde suaues quędam lachrymæ, facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus extinguitur, tepescit caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur.

Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, vt illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille speciosus forma præ filiis hominum, venustam faciem suam impiis præbuit conspuendam; qua oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput tremendum principibus & potestatibus, spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobriis accōtumeliis addixit; qua crucem, clauos, lanceam, fel, acetum patienter sustinuit, in omnibus leuis, mitis, tranquillus. Denique *tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* (Isai. 53. 7.) Considera, ô humana superbia, ô superba impatientia, quis sustinuit, quare sustinuit, quomodo
B sustinuit. Cogitentur rogo hæc, non scribantur. Quis est, cuius ad hunc mirabilem intuitum, statim ira non deferueat? quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam charitatis, plenam tranquillitatis, *Pater ignosce illis*: (Luc. 23. 34.) non statim omni affectu suos amplectitur inimicos? *Pater* (inquit) *ignosce illis.* Quid lenitatis, quid charitatis huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare, voluit & excusare. *Pater* (inquit) *ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Putant legis præuaricatorem, putant diuinitatis præsumptorem, putant populi seductorem. Abscondi ab eis faciem meam, non agnouerunt maiestatem meam; Ideo *pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Igitur vt homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrūpat; vt vero carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suauitatem dominicæ carnis extendat. Porro vt perfectius ac suauius in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachiis veri amoris astringat. Sed ne diuinus hic ignis iniuriarū flatu tepescat, Domini ac saluatoris sui tranquillam patientiam, oculis
C mentis semper aspiciat.

Cap. XV.

In quibus amorem Dei constare credendum sit.

Deus in Euangelio ait *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* (Ioan. 14. 21.) Non enim secundum momentaneos affectus Dei æstimandus est amor, sed potius secūdum continuam ipsius voluntatis humanæ qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati coniungere, vt quælibet voluntas diuina præscribat, his voluntas humana consentiat; vt nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle cognoscit, hoc vtique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud quam amor; nec aliud dicendæ sunt bonæ, aut malæ voluntates, quam boni vel mali amores. Sane hæc voluntas secundum duo quædam iudicanda est, passionem videlicet & actionem; si videlicet ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit patienter sustineat, & ea quæ iusserit, feruenter adimpleat. Cæterum vt ait beatus Gregorius, *Nemo credat quicquid sibi*
D *mens sine operibus de Dei amore respondeat.* Cuiuscunque ergo voluntas Dei voluntati cōcordat, eaque quæ Deus intulerit sustinet patienter, & ea quæ iusserit exequitur feruenter, qui quantumcumque potest insistit vt Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando, sobrie, & iuste, & pie viuendo, Deum diligere sine omni cūctatione dicendus est. Eius enim est sententia qui non mentitur, *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* (Ioan. 14. 21.) Habet siquidem amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam. Interest sane quantum fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis. Affectuosus, vt dulciter; discretus, vt prudenter; fortis, vt diligat perseueranter. Affectuosus, vt quod elegit, in desiderio sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio auertat. Affectus prodest contra peruersas dulcedines; discretio contra deceptiones; fortitudo contra persequutiones. Si quis autem in his tribus noscitur esse perfectus, non solum feliciter, sed & suauiter amat. Sane si non poterit affectuosus, sit tamen discretus & for-
E tis; & si non ad præsentem suauitatem, non minus tamen ad futuram proficiet felicitatem.

Cap. XVI.

In quibus constet amor rectus, siue peruersus.

Constat autem amor iste in tribus, in electione, in motu, in fructu. Est autem electio ex ratione, motus in desiderio & actu, fructus in fine. Habet nempe amor semper comitem rationem, non qua semper rationabiliter amet, sed qua ea, quæ eligit, ab his, quæ reprobat, viuaci circumspectione discernat. Denique rationis est inter creatorem & creaturam, inter temporalia & æterna, inter amara & dulcia, inter aspera & delectabilia discernere: amoris autem, quod voluerit ad fruendum eligere. Nam si experientia cuiuslibet delectationis illecta, vel certe quolibet errore decepta mens, ea, quibus minime fruendum est, eligat ad fruendum, profecto infeliciter amat. Frui autem dicimus, cum delectatione ac gaudio vti. Ipsam sane electionem statim sequitur, vel etiam comitatur ipsius amoris motus occultus, excitans quodammodo & mouens F
animum in illius rei desiderium, quam eligendam putauit: at si eam rem, quam ad fruendum elegerit, electam desiderauerit, pro voto adeptus fuerit, in illius mox vsu cum gaudio, ac delectatione quiescit, quem vsum fructum vocamus.

In his igitur tribus charitas, sua cupiditas constare videtur, in animi scilicet electione, in motu, in fructu. Sed electio, amoris siue boni, siue mali est inchoatio; motus amoris ipsius cursus; fructus amoris ipsius est finis. Si itaque mens ad fruendum eligat quod oportet, si ad id sic moueatur vt debet, vel eo fruatur vt decet; & tam salubris electio, & tam competens motus, & tam vtilis fructus, non immerito charitatis censeri vocabulo iudicatur. Sed in hac electione charitas inchoatur, motu extenditur, in fructu vero perficitur. At si animus eligat insipienter, per desiderium moueatur indecenter, turpiter abutatur; his quasi gradibus cupiditatem consummari facile aduerti potest. Hi sunt duo fontes, bonorum scilicet & malorum origines, quandoquidem *radix omnium malorum est cupiditas*, (1. Tim. 6. 10) & radix omnium bonorum charitas. Hoc sane dicendum, quia non omne quod in vsum nostrum eligimus, diligere dicendi sumus, sed solum id quod ad fruendum eligimus. G

Deus igitur nobis præ omnibus eligendus est, vt eo fruamur, quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desiderandus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam, atque promotio: in cuius adeptione, quia perfecti boni perfecta erit dilectio, perfecta erit & beatitudo. (Quid debeamus ad fruendum eligere.) Patet igitur duo nobis eligenda ad diligendum, Deum scilicet & proximum, quanquam dissimiliter. Nam Deus diligendus, vt eo fruamur in seipso, & propter seipsum. Proximus, vt ipso fruamur in Deo, immo & Deo fruamur in illo. Nā licet verbum hoc frui districtius soleat accipi, vt videlicet nulla re alia, sed solo Deo fruendum esse dicatur, ad hominem tamen loquēs Paulus, *Ita frater* (inquit) *ego te fruar in Domino.* (Philem. 20) Cum igitur hæc duo ratio eligenda perspexerit, & cæteris omnibus horum contemplatione contemptis, mentis consensus elegerit, inchoata est profecto Dei proximique dilectio, quia ad id quod debet, fit ipsius amoris conuersio. H

Cap. XVII.

Quod ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.

Fit autem motus amoris ad duo, vel interius ad desiderium, vel exterius ad actum: ad desiderium, cum ad id, quo fruendum iudicauerit animus, se motu quodam interno & appetitu extendit; ad actum, cum mentem ad id etiam exterius agendum, amoris ipsius vis quædam occulta compellit. Proinde inuestigandum arbitror, quænam sint illa, quibus quasi incentiuis, amor ipse ad hæc duo excitetur ac moueatur; quæque ei cursum suum ordinent quodammodo, atque præscribant. Deinde quid eorum sequi debeat, vel quātū sequi debeat, quid respuere, qd admittere, quid minuere, qd augere oporteat, vt ipse motus competens sit, subtilius inquirendum. Sunt autem duo, vt

A mihi videtur, quibus animus ad duo illa, quę pręmisimus, mouetur ac excitatur, id est affectus & ratio. Aliquando enim affectu tantum, aliquando tantum ratione amor noster vel exterius ad actum, vel in occultum succenditur appetitum. Vt igitur de omnibus motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis maxime sequendus sit videamus; primo de bifaria ipsius motus origine, id est de affectu, & ratione breuiter exequamur.

Cap. XVIII.

Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur; quod spiritualis affectus dupliciter accipiatur ostenditur.

Est igitur affectus spontanea quædam, ac dulcis ipsius animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem, aut spiritalis est, aut rationalis, aut irrationalis aut officialis, aut naturalis, vel certe carnalis. Spiritalis affectus dupliciter potest intelligi. Nam spiritali quidem affectu animus excitatur, cum occulta, & quasi improuisa Spiritus sancti visitatione, in diuinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ charitatis suauitatem, mens compuncta resoluitur. Item spiritalis affectus dici potest, quiex diaboli immissione generatur. Hoc affectu Amnon filius Dauid in propriæ sororis exarsit amplexus. Hoc quoque affectu ad quam turpia constat illectos, de quibus propheta, *Spiritus* (inquit) *fornicationis decepit eos.* Gemino enim tormento, sanctorum pudicitiam, immundissimus hostis insequitur: hunc carnem intolerabili flamma succendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dissoluens.

B

2. Reg. 13. 1.

Osea, 4. 12.

Cap. XIX.

De affectu rationali & irrationali.

Rationalis affectus est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris cuiuslibet virtus, vel sanctitas explorata, vel fama diuulgante, vel certa lectione comperta, mentem nostram quadam dulcedinis suauitate perfundit. Hic est affectus qui nos, audita triumphali martyrum passione, suauissima deuotione compungit, ac memorabiles præcedentium actus quasi sub oculis, delectabili meditatione depingit. Huic affectui contrarius est irrationalis, quo quilibet erga aliquem, comperto eius vitio, quadam mentis inclinatione mouetur. Multi enim vel ob vanissimam philosophiam, vel ob stultissimam in negotio militari audaciam, vel ob quamlibet nequitiam, aliquorum sibi illiciunt & inclinant affectum.

C

Cap. XX.

De affectu officiali.

Officialem affectum dicimus, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Multi enim vel vtilitate munerum impensorum, vel obsequiorum exhibitione quorumdam sibi animos inclinarunt.

D

Cap. XXI.

De affectu naturali.

Naturalis affectus inest cuilibet ad carnem suam, matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui. *Nemo enim carnem suam odio habuit*, & *Non potest mater obliuisci infantis sui*, & *Qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Ephes. 5. 29. Isai. 49. 15. 1. Tim. 5. 8.

Cap. XXII.

De affectu carnali dupliciter accipiendo.

Carnalis affectus duplex est. Plerumque enim non quidem virtus aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo, animum sibi intuentis inclinat. Facile quippe alicuius & forma elegantior, & sermo suauior, & maturus incessus, & venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, prouocat & perstringit affectum. Hæc adeo in Moyse puero gratia relucebat, vt contra Pharaonis imperium, à parentibus tribus mensibus seruaretur, vt ait Apostolus, quod vidissent infantem. Expositus quoque periculo, formæ elegantia etiam filiæ Pharaonis sibi pietatem illexit, cui adoptatus in filium, magnus effectus est coram vniuersis quoque seruis Pharaonis. Porro quem ad noxiam voluptatem in quamlibet speciem, suauitas male blanda compũgit, carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic carnalis affectus ambulantem in solario domus suæ Dauid, ad speciem Bersabee præuenit incautum, præuentum dissoluit, obruit dissolutum. Hic affectus sapiẽtiam Salomonis absorbuit, & carnali libidine dissolutum, in spiritalis fornicationis barathrum, nefandissima idolorum cultura deiecit.

E

Hebr. 11. 23. Exod. 2. 5.

2. Reg. 11. 2. 3. Reg. 11. 4.

F

Cap. XXIII.

Quid de his affectibus sentiendum sit.

Hi affectus interim meditanti occurrunt, quos amoris origines quasdam dixerim, siue radices, non amorem. Non enim his affectibus excitari, vel pulsari valde laudabile existimamus, si boni sunt, nec exitiabile, si mali. Nam etiam carnali affectu, qui ceteris formidabilior iudicatur, aliquando viri optimi ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moueri, sed his affectibus informari, aut vtile iudicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus mouent animum, aut visitatio in bonis est, aut tentatio in malis: quando secundum hos affectus disponitur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut manifesta. Occulta, cum ex consensu desiderij agitatur interius. Manifesta, cum ipsum desiderium ad actum prorumpit exterius. Vtrum autem secundum hos affectus moueri debeat amor noster, vel quantum moueri debeat, inuestigare conabimur: si tamen prius de ratione, quam aliam amoris causam diximus, pauca præmiserimus.

G

Cap. XXIV.

Quomodo mens ad Dei proximique dilectionem ratione moueatur.

Nam animum, quem ad Dei proximique dilectionẽ nullus mouet affectus, plerumque mouet ratio, tanto vtique sacratius, quanto securius, quanto defæcatius; tanto autem defæcatius, quanto rationali amore nihil vtilius potest esse vel purius. Suadet ergo ratio primo, vt à rationali creatura creator ametur, sine quo necesse est eam semper miseram esse: cum quo non potest nisi beatissima semper esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, & in Dei desiderium sese excitauerit, prosequitur statim ratio negotium suum. Necessarium probans illius præceptis adimplendis * grauiter insistendum, si adipisci voluerit desideratum. Sic innatum internis visceribus desiderium, ratione compellente, procedit ad actum. Quia vero inter Dei præcepta id maximum inuenitur, vt proximus diligatur; instat ratio, vt ad beneficium proximo impendendum animus moueatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non inimicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest, vel profuit; non inimicus, quia non nocet, nec nocuit; Inimicus, quia obest, vel obfuit. Amicus, ex sanguine vel gratia; non inimicus, ex innocẽtia; inimicus, ex iniuria. Igitur vt amico se impendat homo, tria quędam proponit ratio; vt non inimico, duo; vt inimico, vnum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia amicus est, ex præcepto, quia proximus est. Non inimico vero, ex natura, quia homo est, ex præcepto, quia proximus est. Inimico, tantum ex præcepto, quia vt inimicus diligatur; præceptum Domini est.

H

* Forte grauiter.

Matt. 22. 39.

Matt. 5. 44.

A

His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solum amico, sed etiam inimico sese parauerit, etsi non sentiat affectum caritatis, tamen meritum non amittet. Distinguẽdi igitur sunt duo amores isti, alter ex affectu, alter ex ratione. Qua distinctione id quoque soluitur quod quærunt quidam quid videlicet distet inter amorem qui in Deo est, & illum qui exhibetur propter Deum. Affectus quippe non propter Deum assumitur, sed in ipsa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei, cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum ipsum affectum exhibeatur; iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potius propter se amatur. Si vero is, quem affectus iste complectitur, in Dei dilectione pariter assumitur, amorq; ipse ex affectu sapiat, sed eius exhibitio ex rationis moderamine pendeat; huius vtique amor non primo propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro ei, quem affectus iste respuit & euitat, si consideratione diuini præcepti nosmetipsos, vt oportet, exhibuerimus; ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit, impenderimus; iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. Igitur amicus, qui non potest non diligi, diligatur in Deo: inimicus, qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iste ex ratione.

Quid distet inter amorem in Deo, & amorem propter Deum.

B

Cap. XXV.

Quod affectus non sint in nostro arbitrio positi.

Dicendum adhuc de his affectibus, quia nequaquam in nostro arbitrio collocantur, cum quibusdam aliquando inuitissimi moueamur, nec quosdam etiam si velimus, experiri valeamus. Proinde nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus mouerit, sed cum ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur sentiendum est.

C

Cap. XXVI.

Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.

Est igitur amor ex affectu, cum affectui animus consenserit: ex ratione, cum se voluntas rationi cõiunxerit; potest & tertius amor ex his duobus confici, cum scilicet hæc tria, ratio, affectus, & voluntas in vnum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secundus durus, sed fructuosus; tertius, vtriusque prærogatiua perfectus. Ad primum sensus ex parte dulcedinis illicit, ad secundum ratio manifesta compellit, in tertio ipsa ratio sapit. Differt autem hic vltimus à primo, quia licet illo, & quod amandũ est, aliquando ametur; magis tamẽ propter ipsius affectus dulcedinem amatur. Hoc autem amatur, non quia dulce est, sed quia amore dignum, ideo dulce est.

D

Cap. XXVII.

Quid sit amare.

Igitur ex his omnibus, quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris, breuiter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremo id agat, quo ad desideratum peruenire valuerit, hic sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque feruentius, instantiusque peregerit, tanto magis & diligit. Quod si ex affectu id fecerit, dulcius vtique diligit, ac proinde facilius agit. Si autem totum hoc, quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione: minus quidem dulce diligit, sed non tardius quod desiderat obtinebit.

Cap. XXVIII.

In dilectione proximi quæ sit habenda discretio.

Si igitur proximum ad ipsius fructus societatem, quæ in Deo est, elegerimus, sana est ista electio. Sed hanc electionem si desiderium turpe, aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Porro si ipsa electio peruersa fuerit, vt quod non oporter, eligat ad fruendum, & illa, quæ ipsam sequuntur electionem, peruersa esse constabit: & talis amor peruersus erit; cupiditatis, non caritatis censendus vocabulo. Sed quicquid aliud mens ad fruendum, præter Deum in seipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit; metas veræ dilectionis excedit. Sit ergo electio sana, desiderium competens, actus rationalis; & sic non excedet limitem charitatis. Sane desiderium ipsum ad duo debet extendi, & actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse, vt sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo; & vt Deo inuicem fruamur in ipso. Quia homo ex corpore constat & anima, actus vtique noster, quantum facultas suppeditat, vtrique debet prospicere. In his quanto quisq; feruentior & prudentior, tanto vtique & in charitate perfectior: quanto autem affectuosior; tanto charitas ipsa constat esse suauior. Sicut autem ad hæc aliquando, vt diximus, affectus, aliquando mouet ratio; ita vtrumque ipsius desiderij modum actusque, pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est, vt de ipsis affectibus quis sequendus sit, & inquantum sequendus sit, videamus.

E

F

Cap. XXIX.

Qui affectus admittendi non sint, & qui sequendi.

Igitur spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationabilis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium; tres isti affectus non solum nõ sequendi, sed ne admittendi quidem sunt: immo quantum fieri potest, à cordibus nostris radicitus eruendi. Porro spiritalis affectus qui ex Deo est, non solum admittendus, sed & omnibus modis excitandus est, & augendus. Habet autem hoc affectus iste proprium, vt plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas passiones absorbeat, ac impetu quodam cœco irruens in amatum, solum id meditetur quod appetit, despiciat quicquid extra est; etiam quod graue, quod arduũ, quod impossibile quoque, ac si leue ac vacuum, laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris iniurias, præ interni amoris delectatione non sentiat. Proinde vt volũtas iugi feruore calescat, vt illatas extrinsecus passiones patienter quis, immo gaudenter sustineat vsque ad ipsius desiderij motum, affectus huius est impetus perferendus; ad voluntarios vero actus progrediens, ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coercendus. Neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas; exterior autem virtutum exercitatio, de qua dictum est, *Noli esse nimis iustus*, rationis est moderamine temperanda. Semper enim in actu ratio consulenda est, non sequendus affectus.

G

Eccles. 7. 17.

Cap. XXX.

Inquantum rationalis affectus sequendus sit.

H

Rationalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, ceteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur, constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis inditium, est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui vtilissimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu facilius excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed & desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium. Nihil enim obest, immo & prodest plurimum, si eius desideremus præsentiam, cuius exẽplo corrigamur si mali sumus, si boni promoueamur, si æque perfecti mutua collatione firmemur. Est autem præsentia sanctorum temporalis, & ipsa quidẽ desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis; ad quam tendimus, non terrarum spatia peragrando, sed sancte, & iuste, & pie viuendo.

A

Cap. XXXI.

Officialis affectus in quo cauendus sit, in quo admittendus.

SEQVITVR officialis affectus, cæteris, qui admittendi sunt, periculosior. Siquidem admittendus est, sed permaxime cauendus. Admittendus, ne sit ingratus officio; cauendus, ne non tam homini impertiatur, quam vitio. Quid enim cauendum magis, quam ne delinitus obsequijs, vel muneribus illectus, aut foueas vitia, aut faueas vitioso? Proinde, quamuis in muneribus vel obsequijs suscipiendis, magna sit habenda discretio; hoc attendendum, vt ipsius personæ dignitas diligentius inspiciatur, vt si forte eius meriti sit, affectus ipse officialis transeat in rationalem; & quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiat, quia virtutibus adornatus. Ipsa sine obsequiorum, vel munerum redibitio, secundum rationem, non secundum affectum impendatur. Sed & desiderium, quo amati præsentia desideratur, vel actus, quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur, non affectum. Ipse quoque affectus, qui hominem, siue alterius causæ respectu, sponte complectitur, per omnia temperandus.

B

Cap. XXXII.

Quis modus in naturali sit seruandus affectu.

IAM nunc in naturali affectu, quis modus seruandus sit, diligentius inquiramus. Hunc sane affectum, sicut non admittere impossibile est, ita non sequi, summæ virtutis est. Semper etenim affectus iste mollia suggerit, & suauia, quod iucundum, quod tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum, libenter amplectitur, quod vero arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit, & euitat. Quocirca huius affectus exequutio; amor peruersus est. Hic amor Saluatoris auctoritate interdicitur, cum dicit *Qui amat animam suam perdet eam, & qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam.* Proinde, vt ait sanctus ille, *Si male amaueris, tunc odisti; si bene oderis tunc amasti.* Qui eam amat secundum affectum, vtique odit: quia *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui vero odit secundum affectum, secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit *in hoc mundo*, quia quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Qui itaque animam suam secundum effectum amat in hoc mundo, amat quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat. Distinguendi sunt ergo illi amores, de quibus superius loquuti sumus, alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quod homo erga se & suos affectum habet, sed amorem secundum affectum habere non debet, secundum rationem vero habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum dicitur *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Amor autem secundum affectum, ipsius Saluatoris voce interdicitur, qui ait; *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Amor secundum rationem indicitur, cum idem Apostolus dicit; *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Amor secundum affectum arguitur, cum futura mala prænuncians idem Paulus, ait inter cætera, *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores, magis quam Dei.* Hic itaque modus in naturali seruetur affectu, vt habeatur quidem, & sentiatur, sed in omnibus, & per omnia, rationis moderamine temperetur.

C

Ioan. 12. 25.
Aug. tract. 51 in Ioan.
Psal. 10. 6.
1. Ioan. 2. 16

D

Ephes. 5. 29.
Luc. 14. 26.
1. Timot. 5. 8.
2. Timot. 3. 2.

E

Cap. XXXIII.

De affectu carnali, quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus.

CARNALIS affectus, quem parturit quidem exterioris hominis ornatus, nec omnino respuendus est, nec ita vt se profuderit admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia; & nisi iste prudentius caueatur, ille sine sensu pœnę patientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter, admittitur, si tñ suspense, & tẽperate quodãmodo admittatur, vt videlicet, si virtus in eo claruerit, facilius amplectatur: si vero vitium, correctioni eius vehemẽtius insistatur. Sicut. n. in suauiloquio non est falsitas admittenda, sicut in duro rusticoque sermone non est veritas aspernenda; simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat, nec in homine duro & austero virtus displiceat. Quicquid enim de officiali affectu diximus, de carnali quoque sentiendum nihilominus arbitremur. Ab his tamen, quia adhuc carnalibus vitijs appetuntur consulte affectus iste respuitur, à quibus rarissime, sine vitij titillatione sentitur. Proinde cum affectus noster quanquam rationalis, vel etiam spiritalis, vsque ad suspectam ætatem vel sexum sese protenderit, consultissimum est, vt infra ipsum mentis sinum cohibeatur, nec ad inania quædam blandimenta, mollesque teneritudines patiatur effluere: nisi forte ob id aliquando mature, ac temperate progrediatur, vt virtus amara & laudata feruentius exerceatur.

F

Cap. XXXIV.

Quod diuersi affectus in vna sæpius mente luctentur.

DICENDVM adhuc de his affectibus, quod plures aliquando in vna mente compugnent, ac quodammodo inuicem se expugnare contendant. Quod cum contigerit, magna discretione opus est, vt quis cui præponendus sit agnoscatur; virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Deinde Abraham proprium filium immolare iussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit, sed cum naturalis, quo filium, spiritalis quo Deum amplectebatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit: immo ob superiorem inferiorem contempsit. Ipse etiam Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis secundum carnem* vt eos, proposita mirabili charitate sua, traheret ad salutem, affectum quidem, quem sentiebat, prodidit; consilium non expressit. Verum vtique dixit, quia quod affectu sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari, verum nihilominus dixisset; quia rationis consilium prodidisset. Saluator etiam noster, cum ex affectu naturali, quo *nemo vnquam carnem suam odio habuit*, proclamasset, *Pater si fieri potest transeat à me calix iste*, spiritali, quo patri semper inhæsit, rationis eum sub iure submisit, *Veruntamen* (inquiens) *non sicut ego volo.*

G

Rom. 9. 3.

Mat. 26. 39.

H

Ipse itaq; ex affectu, quem à nobis & pro nobis, voluntarie suscepit, vt transiret hora passionis, optauit; sed ex consilio rationis ipse, ne transiret, effecit. Proinde in his affectib. hæc ratio seruãda est, vt is, quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur: deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

Cap. XXXV.

De vtilitate horum affectuum.

HIs itaque, quæ de affectuum dilectione dicta sunt, diligenter inspectis, patet, ni fallor, quæ in illis sit quærenda vtilitas. Illa nimirum, vt in eorum desiderium quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi

A neceſſitati ſimul & ſaluti conſulimus; quemadmodum ſecundum rationem ordinandi ſint, pro poſſe noſtro breuiter dicamus. Tit. 2. 12. Videtur Apoſtolus omnem perfectæ vitæ ſtatũ paucis inſinuaſſe ſermonibus, *Sobrie* (inquiens) *& iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo.* Eſt enim ſobrietas, humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, vtramque nimietatem prudenter euitans, & regia via, inter dextram & ſiniſtram, curſum noſtrum deducens. Cum enim ille, ad quem ſumme tendimus, ſummus quidam modus ſit, cui nihil deeſt, nihil ſuperfluit, nihil deficit; ad quem cum peruenerimus, nihil erit exterius quod appetamus, nihil interius quod faſtidiamus: neceſſe profectò eſt, vt noſmetipſos in quadam menſura modoque ſeruemus, nec infra quam neceſſe eſt dilabamur, nec ſupra quam oportet, peſtifera præſumptione feramur. Iuſtitiam ſane ab Apoſtolo illam hic æſtimo nominari, qua proximorum neceſſitati ſiue ſaluti conſulentes, & in ipſis beneficijs quid cui conueniat, quis cui præferendus ſit diſcernentes, quod B iuſtum eſt cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus ſobrietatis & iuſtitiæ, ne de his philoſophi, vel quilibet à Chriſti fide alieni glorientur, conſultiſſime addidit pietatem, quæ in fide ſincera, & pura intentione conſiſtit. Porro ipſa intentio in amoris electione, de qua iam diſputatum eſt, conſtare videtur. Hic fortaſſe lector exiget, vt viuendi modum vnicuique præſcribamus. Quod quam ſit arduum, difficileque tractatu, quis non videat? cum tot ſint hominum qualitates, quot homines; nec ſaltem duo inueniantur, quibus cuncta æque conueniant. Nam quod vni ſatis eſt, hoc alteri parum eſt; quo iſte proficit, ille deficit; & quod alteri neceſſarium eſt, alteri conſtat eſſe ſuperfluum. Dicendum tamen aliquid videtur quod conueniat omnibus, quod quiſque ſibi poſſit aptare, & vtrum neceſſarium viuendi modum excedat, diſtricta poſſit ratione conijcere.

C a p. XXXIX.

C *De tribus ordinibus humanæ conuerſationis, & primo de naturali ordine.*

IGitur tres ordines humanæ conuerſationis occurrunt, primus naturalis, ſecundus neceſſarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, ſecundus indicitur, tertius offertur. Primus ex poteſtate, ſecundus ex neceſſitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, ſecundo miſericordia, tertio gloria. Eſt enim ordo naturalis, vt qui nulla commiſit illicita, ſi velit ipſe, licitis vtatur, licite tamen. Eſt autem licitus, verbi gratia, vſus carnium, vini, potus, vſus coniugij, diuitiarum poſſeſſio. Modum ſane quendam ſeruandum omnibus, nec à quolibet pacto quolibet excedendum, Saluator ipſe præſcribit dicens. Luc. 21. 34. *Videte ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* In vſu igitur cibi & potus, hic modus ſeruandus eſt; vt in eorum perceptione, infra crapulam & ebrietatem, ſe quiſq; contineat. D In vſu cæterorum, quibus licite vtuntur homines, quis modus ſeruandus ſit, diligens inquiſitor per ſe inueniet. Iam nunc de ordine neceſſario aliqua perſtringamus.

C a p. XL.

De neceſſario ordine.

ESt quippe ordo neceſſarius, vt qui cõmiſit illicita, ab vſu licitorum ſeſe reſtringat. In qua reſtrictione duo conſideranda ſunt, modus ſcilicet ſatisfactionis, & neceſſitas purgationis. Modus ſatisfactionis, vt ſecundum modum culpæ, rigor continentiæ extendatur; quatenus ſecũdum Baptiſtæ vocẽ, dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Matth. 3. 8. Verum non ſatisfactionis modus tantum ſeruandus eſt, ſed etiam purgationis neceſſitas perquirenda. Nec pro ſola ſatisfactione à licitis continendum, ſed etiam pro expellendis, vel minuendis paſſionibus, quæ vitioſa conſuetudine inoleſcunt, laborioſis operibus inſiſtendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia, interioris hominis inſtru- E menta, quibus & paſſiones vitioſæ, quæ ipſam inficiunt animã, facilius abſcindũtur, & interiores faciei ſordes, quaſi confectione quadam aſperiori plenius diluũtur. Proinde ſuę purgationis ſollicitudo, primo neceſſe eſt vt paſſiones, quibus impugnatur, attẽdat; deinde quæ ſint, quibus maxime fatigatur, inſpiciat; poſtremo quæ inſtrumenta, quib. paſſionibus magis obuiẽt ſagaciter perquirat. Quibus inſpectis, congruum inſtrumentũ cuilibet paſſioni obijciat, & quæ magis impugnat, feruentiori inſtantia, vt ipſa obruatur, inſiſtat. Denique paſſionem libidinis facile comprimit ventris reſtrictio; vagum cor & inſtabile vigiliarum confirmat afflictio; iram ſilentium mitigat; tædium mentis operis ſollicitudo caſtigat. Nec ſic tamẽ vnius paſſionis extinctioni, tota vehementia inſiſtendum eſt, vt ad cætera comprimenda inſtrumentum corporale deſpiciat; nec importunius laborandum eſt, vt non qualibet paſſio ſentiatur; ſed cum ſurrexerit, vt ſecundum rationis iudicium compeſcatur. F

C a p. XLI.

De ordine voluntario, & quis in eo ſeruandus ſit modus.

SEquitur ordo voluntarius, à nobis deinceps inſpiciendus, de quo Pſalmiſta. *Voluntarie* (inquit) *ſacrificabo tibi.* Pſal. 53. 8. Eſt quippe holocauſtum gratuitum acceptabilis hoſtia, ſacrificium voluntarium; cum quis ab his, quæ conceſſa ſunt, per ea, quæ præcepta ſunt, ad ea, quæ potioris gloriæ præmia ſuſpitantibus propoſita ſunt, ſpiritus libertate conſcẽdit. Ad quod perfectionis culmen, feruentiores quoſque Saluator inuitans, *Si vis* (inquit) *perfectus eſſe, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Mat. 19. 21. Et alias. *Sunt ſpadones* (inquit) *qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat.* Mat. 19. 12. Itaque ſæculi abrenunciatio, caſtitatis propoſitum, cuiuslibet arctioris vitæ profeſſio, inter voluntaria ſacrificia computantur. Abſit enim vt iſta vitæ perfectio, quam voluntarie ſubijt quis, G non coactus; inter neceſſaria & coactitia, & non potius inter voluntaria numeretur: cum & ipſa neceſſitas, quam inuito nullus impoſuit, ſed cui ipſe ſe, deſiderio perfectionis, ſponte ſubiecit, voluntaria dicenda ſit, non coactitia.

Qui igitur ad hæc excelſa & ſublimia ſeſe cõtulerit, primo voti vel propoſiti ſui normã, in quib. & in quantis conſtet, diligenter inſpiciat; deinde interioris, & exterioris hominis vires, experientiæ libra trutinet & diſcernat. Vires dico interiores, quibus contra tentationum bella, exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet ſtatum proficienti, neceſſarius ſit & interioris, & exterioris hominis labor, ei tamen, quem adhuc carnis paſſiones impugnant, neceſſaria magis eſt hominis exterioris afflictio. Ipſis autem paſſionibus ſopitis vel extinctis, licet ab exterioribus modicum temperare; ipſa autem ſpiritalia inſtantius & feruentius exercere. H Nec ſic tamen, vt profeſſionis ſuæ normam præſumptuoſus excedat; nec temporum diſtinctiones, quæ in regula, cui ſe ſubdidit, præſcribuntur, deſtruat vel confundat; ſed ſeruato cuilibet operi tempore præſtituto, in ipſis ſe vel ſedatius, vel feruentius, ſicut vtile ſibi norit, exerceat.

C a p. XLII.

Item modus in ipſis exercitijs ſeruandus deſcribitur.

HVnc ſane modum in ipſis exercitiis, quemlibet ſeruare vtile eſt, quatenus ſic ſe in vno habeat, vt in cæteris non deficiat: illud tamen, in quo ſe magis proficere ſentit, maiori feruore exerceat. Habeo ad manum de hac re cuiuſdam verba ſapientis. *Meditatio* (inquit) *in moribus primo conſiderat quæ debita ſunt, ſiue ex præcepto, ſiue ex voto, & ea primum agenda iudicat, quæ ſic facta habent meritum, vt non facta generent reatum.* Hæc ergo primum facienda ſunt,

A quæ sine culpa dimitti non possunt. . Post hæc, si quid voluntarie superadditur, sic faciendum est, vt debitum non impediatur. Alij volunt quod non debent, qui non valēt id quod debent: alij & si valent ꝙ debent voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione pręcipue cauenda sunt, afflictio scilicet, & occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur; per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est quando pro his, quæ non valet, per impatientiam vritur. Occupatio quando in his, quæ valet, agendis, per intemperantiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat; ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

Cap. XLIII.

Quid homo proximo suo debeat ostenditur.

B HÆc de modo, singulis seruando gradibus, dicta sint; quo ad eum, qui summe diligendus est, contendentes, & animæ saluti consulimus, & corpori debita naturæ concedimus. Quoniam autem proximum, æque vt ipsi, à nobis diligi diuina tradit auctoritas, primo necesse est, vt, cui quis ordo conueniat, nos minime lateat, deinde summopere elaborandum, ne quis in quolibet ordine præscriptum viuendi modum excedat. Sed quia quosdam pręesse quosdam subesse, quosdam coesse manifestum est, cum à quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere, par parem corripere, superior inferiorem etiam, si sit necesse, cōpellere.

Ipsa sane correptio siue compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur; vt in suggestione subiectio, & in correptione dilectio, & in compulsione sentiatur compassio. Qui in superiori ordine legitime obseruatur, vt ad superiora conscendat, moneri potest, C cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit, secundum professionis suæ modum tractari debet, ad arctiora vero compelli, eius inconsulta voluntate, non debet.

Cap. XLIV.

Quomodo sibi & proximo exhibenda sit dilectio:

Mat.22.39. SCriptura ait, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Consulte non ait, *Diliges proximum tuum* quantum teipsum, sed *sicut teipsum.* Modum ergo diligendi præscripsit, non quantitatem indixit. Sic autem sua sibi exhibeatur dilectio, vt primo animæ suæ, quæ potior sui pars est, consulat ad salutem, deinde corpori ad necessitatem. Quod si aliquando incumbat necessitas alterum contemnēdi, etiam corporis patiatur interitum, dum tamen animæ non sustineat detrimentum. Nec hoc est corpus odire, sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nunquam recedat, & ad consulendum proximo securus accedat. Agat ergo cum proximo, quantū potest, vt & saluus corpore, & sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit, profecto proximum, qui ex vtroque con- D stat, non diligit. Nulla sane ratione vel præcepto compellitur, suæ animæ perditione, animæ fraternæ comparare salutem, nec sui corporis interitu, fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipimur animas pro fratribus ponere, ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim non ad perditionem, sed potius ponitur ad salutem. Vnde sic animam ponere, ipsi vtrique animæ consulere est. Sed & illud forte laudabiliter fieri potest, vt ex sola dilectione quis, pro alterius corpore, suum corpus obijciat: vt autem, non dico pro vnius animæ, sed etiam pro totius mundi salute, suæ animæ de- Mat.16.26. trimentum sustineat, saluo veræ dilectionis ordine, fieri non potest. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei, si lucretur vniuersum mundum* etiam ad salutem, *anima autem sua detrimentum patiatur?* Est enim detrimentum animæ, ab eius, qui summe diligendus est, dilectione recedere. A Dei dilectione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur; vel aliquid, sine quo non est salus, prætermittitur. E

Quicquid autem, præmissa ratione, fraternæ dilectioni adijcitur, totum profecto diuinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum, quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit seipsum, quando minus diligit Deum. Porro seipsum qui diligit, cuius perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut seipsum, qui non diligit nec seipsum? Nam & Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo, pro fratribus meis* affectum quidem prodidit, consilium non expressit. Rom.9.3. At quam diuersa in vna mente suggerant affectus & ratio, superius satis ostendimus. Vnde Apostolus cum illud diceret, verum quidem dixit, quia affectum, quē sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari: verum nihilominus dixisset, quia rationis consilium prodidisset. Illud tamen quod ait, *Optabam anathema esse à Christo, pro fratribus meis*, sic quoque non inconuenienter F potest intelligi, vt ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus Iesu suauiter quiescebat; ab illa ineffabili contemplationis eminētia, qua coëlestium mysteriorum secreta, purissimis oculis perlustrabat; ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine quam animam illa cœlestia sitientem, spiritualium affectuum suauissimis stillulis perfundebat; ad mundi strepitum, ob fratrum salutem, optauit euocari. Quam euocationem, à Christo separationem, ille non ambigit nominandam; qui pro modulo suo gustat & videt, quoniam dulcis est Dominus; quam beatus omnis qui sperat in eo. Porro qui sic à Christo separari, vel fraterna dilectione prouocatus elegit, vel superiorum auctoritate coactus consensit; prouidendum sibi est ne obruat ista necessitas, & pereat illa suauitas.

Cap. XLV.

De quibus dispensatio fieri possit.

G SVnt itaque media quædam, vtpote Lectio, Meditatio, Labor corporis, Ieiunium ventris, Suauitas orationis, cæteraque huiusmodi; quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutāda, non nunquam etiam sunt Philip.2.4. prætermittenda: de quibus Apostolus, *Non quæ sua* sunt (inquit) *singuli quærentes, sed quæ aliorum.* Et item. 1.Cor.10.33. *Sicut ergo per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Verum quod de lectione, vel oratione diximus, etiam de commodis corporis, immo de ipso corpore sentiendum est: vt quicquid pro sua salute contemnendum, impendendum, variandumque perspexerit; pro salute quoq; proximi, idipsum faciendum agnoscit. Hoc sane prouidendum vt ipsa mutatio vel variatio, dispensatio sit, non omnimoda destructio. Cum custodia charitatis vitiorum emēdatio, vt ipse beatus Benedictus insinuat, ipsius institutionis causa sit; sic profecto ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione magis, quam institutione nutriuntur vitia, charitas violatur; certe* periculosa ipsa dispensa- *alias periculose.
mprobatur.
tio co H

Cap. XLVI.

De modo dispensationis.

ERgo qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat, primo charitatem, qua Deo maxime propinquamus immo qua Deo inhęremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit; quasi destinatum finem, quo cursum suum dirigat, indesinenter aspiciat: deinde via, quam ei voti, vel professionis suæ norma præscribit, ad eius plenitudinem infatigabilis spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, inuigilet lectio, quotidianus labor insudet, Quod si aliquo horum charitas, cuius causa instituta sunt, violari cognoscitur; tunc demum ei, cui diperet

A peret ac disponat, quatenus non horum causa charitatis deseratur, sed eius fructus in omnibus requiratur: nec sic tamen, vt aliqua eorum, quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora, certis quibusque exercitijs attributa confundantur, nisi extrema cogat necessitas; alioquin non erit dispensatio, sed destructio: sed vt certis temporibus certa exercitia pro cuiusque qualitate, ac mentis statu modificentur. Hoc est quod ipse Sanctus, cum de opere manuum legem poneret, *Sic* (inquit) *omnia temperet atque disponat, quatenus animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant.* Et alias. *Omnia tamen mensurate faciant propter pusillanimes.* Nunquid dixit hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes? *Immo & infirmis* (inquit) *& delicatis talis ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Ergo & infirmi & delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, vt non opprimantur. Quem rogo de opere absoluit, apud quod etiam infirmos & delicatos compellit?

B

CAP. XLVII.

De optima lege claustralium.

Psal. 72. 23. VT *iumentum factus sum apud te.* Vere vt iumentum facti sumus, quocunque ducimur sine contradictione euntes, quodcunque imponitur, sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus, otio aut dissolutioni nullum tempus. Est quidem cibus parcior, vestis asperior, potus è fonte, somnus plerumque in codice. Quam illud quoque mirandum, quod innumeris hominibus, vnius hominis voluntas est lex? Adeo vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tanta cura seruetur ab omnibus, ac si in id omnes coniurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint. Et quod miro modo delectat, nulla est personarum acceptio, nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diuersitatem, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur, distribuitur singulis, non vt carnalis affectus aut priuatus amor dictauerit, sed prout cuique opus fuerit.

C

CAP. XLVIII.

Quare laborent aliqui sub iugo Christi.

Mat. 11. 29. INVITAT nos Dominus ad requiem dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & cætera.* Sane charitas est iugum illud suaue, & onus leue, ad quod nos Saluatoris inuitat clementia *& inuenietis* (inquiens) *requiem animabus vestris.* Verum quia plerique nostrum, qui videmur huic iugo supposuisse ceruices, in multis conuincimur laborare, conemur ostendere cupiditatis iugum hunc parturire laborem. Radix enim omnium malorum cupiditas, sicut è diuerso radix omnium virtutum charitas. Proinde quamdiu in ipsis animæ præcordijs, radix hæc virulenta resedit, licet summatim quidem ramusculi recidantur, germine rediuiuo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa euulsa radicitus, vnde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, vlterius non relinquatur.

D

CAP. XLIX.

Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur.

SAne labor iste, de quo causamur, non carnis sed cordis est; sicut & requies, de qua hic agimus, cordis constat esse non carnis, quanquam exterioris labor pro interioris qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor vllus, si interior fuerit nullus: verbi gratia, attende venatores, vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores. Si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosius? Si mentis qualitatem, quid delectabilius? Idipsum etiam in laudabilibus videre

E facillimum est. Quantus Apostolis labor exterior, cum in carcerem truderentur, cum astringerentur vinculis, cum flagris acerrime cæderentur? & tamen *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5. 41. Quoniam multis tunc sacrilegis similis pœna? sed quia dissimilis conscientia, illi vtrobique miseri, & interius & exterius laborabant; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exultabant.

His igitur diligenter inspectis, patet profecto nequaquam exteriores corporis passiones, interiorem parturire laborem, sed radicem interius visceribus residentem, quicquid exterius accidit, pro sui conformare natura. Quid enim est, quod duobus ad eandem mensam residentibus, eisdem appositis cibis, alter exultat, murmurat alter? Quid quod eisdem exceptis vulneribus, alter tristitiæ languore deijcitur, alter mira iucunditate perfunditur? Duo simul orbitatis siue paupertatis infortunio feriuntur, & tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species F vtriusque ingeritur oculis, & vnius turpiter commouetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cuiuslibet, alter dominandi libidine inflammatur, alter aspernatur.

CAP. L.

Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate; cupiditas omnia corrumpat sua peruersitate.

NONNE & in corporibus idipsum accidere manifestum est, vt pro sanitatis vitijue qualitate, ea, quæ exterius accidunt, aut molesta experiantur aut grata? Nam cibus qui morbum auget alterius, alterius proficit sanitati; & sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano iucundius illucescit. Sicut ergo in corporibus pro interioris naturæ modo, ea, quæ exterius adhibentur, aut salubria G inueniuntur, aut noxia; ita perspicuum est ex interna mentis qualitate, huius requiem, istius pendere laborem. Mentem enim, quam suauissimum ac tranquillissimum Domini iugum, charitas videlicet perfecta possederit; in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundit: non sinens eam vllis rerum perturbationibus commoueri, sed ipsas rerum perturbationes, ad sui profectus vsum prouenire compellens. Ac si mens grauissimo fuerit iugo cupiditatis addicta, quamdiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici iugi suauitatem requies remissa mentitur; sed causa cuiuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessibus, quasi de abditissimis cauernis, bestia sæua prorumpens, durissimis passionum morsibus miseram animam lacerat & cruentat, nullum pacis, nullius ei requiei tempus indulgens. *Computrescat itaque iugũ à facie olei,* iugum scilicet cupiditatis à præsentia charitatis, & statim experitur sarcina Christi quam sit leuis, quam suauis, quam iucunda, quam in Isai. 10. 27. cœlum rapiens, & à terra eripiens. Quocirca si requiei huius dulcedinem volumus experiri laboris nostri causas & H radices sollicite exquiramus; nõ affectu rapido, quasi ferro retuso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines, vehementiori desiderio penetrantes.

CAP. LI.

Quod à triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur.

PVto autem quia, si subtilius indagemus, quicquid nobis laboris oboritur, vel à carnis concupiscentia, vel à concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, quasi quibusdam venenosis fontibus deriuari, manifestissime cognoscemus. Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborem mihi concupiscentia carnalis indicit nec ideo laboro quia iugum Christi suscepi, sed quia non plene iugum cupiditatis abieci.

Quod si lautioris edulij inflammatus ardore, vilioris

appo-

A appositione conturbor, vel si solito minus, si vel tardius, vel negligentius præparetur, murmurationis peste consumor; Quis mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suauitas charitatis?

Cap. LII.

De concupiscentia oculorum.

Concvpiscentiam oculorum, curiositatem sancti patres appellant, & eam non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ad exteriorem curiositatem pertinet omnis superflua multitudo, quam amant oculi in varijs formis, in nitidis & amœnis coloribus, in diuersis opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diuersisque figmentis, vsum necessarium & moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad
B illecebras expetunt oculorum, foras sequentes quod faciunt intus, relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris quorundam monachorum, grues & lepores, damulæ, & cerui, picę & corui, non quidem Antoniana vel Machariana instrumenta, sed muliebria oblectamenta; quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt.

Cap. XLIII.

De interiori curiositate.

Cvriositas interior in tribus consistit, inapperiiu scilicet noxiæ, vel inanis scientiæ; in peruestigatione alienæ vitæ, non ad mittendum, sed ad inuidendum si bona est, vel insultandum si mala, vel certe sola curiositate tantum, vt sciatur, siue mala sit siue bona; postremo in curiosa quadam secularium rerum,
C vel actuum agnitione. Ex quibus omnibus, mentibus captiuatis non modicus labor innascitur. Inde est etiam, quod cum tota die inanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti, à nobis quodammodo exierimus, reuertentes, iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus; & cor plenum simulachris, ad locum quietis ferentes, noctes ducimus insomnes, variaque negotia in ipsa psalmodia, vel orationibus nostris, otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, attentantur; exploratio scilicet suæ sanctitatis, per miraculorum exhibitionem, quod
Deut. 6. 16 est Deum tentare. Vnde, *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

*Cap. LIV.

De quorumdam sententia, qui exteriores labores charitati, & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.

D Sed assiduis (inquies) vigilijs corpus tabefacere, quotidianis laboribus carnem affligere, vilissimis cibis membrorum labefactare vigorem, non solum non modici laboris, sed & ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contrarium; vt totam mentis suauitatem euacuans, omni eam spiritali dulcedine reddat effœtam. Hæc est illa ridenda quorundam opinio, qui spiritalem dulcedinem in carnis quodammodo suauitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones, interioris minuere sanctitatem. Cum enim (inquiunt) caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est suas inuicem communicent passiones, ac si impossibile vt non huius oppressione alterius hilaritas perturbetur, ita vt in illud gaudium spiritale, mœroris quadam anxietate deiectus, spiritus nullatenus valeat respirare: Acute hæc vel inuestigari videntur, vel probari. O rem pudendam!

E secundum regulas Hippocratis gratia quæritur spiritalis. Sic nimirum, sic errant, qui physicis argumentis magis, quam præceptis apostolicis innituntur. Ipsius namque sunt hæc, qui super ventrem repit, qui terram comedit, qui sub vmbra dormit in locis humentibus, qui negotium ventris & libidinis, sub colore actitat sanctitatis. Sic enim facilius simplices quosque ab Apostolica paupertate & Euangelica puritate cogitat exterrendos, si maiorem diuinæ dulcedinis gratiam, in remissiori vita sibi æstiment affuturam.

Plane hæc est sapientia non desursum descendens, sed prorsus terrena, animalis, diabolica. Hæc est * prudentia verbi, sapientia carnis, quæ cum suauitatem doceat carnis, crucem Christi euacuare contendit: in qua profecto, quantum ad carnem, nihil est suaue, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa euacuatur. Illa potius hanc delicatam doctrinam euertit, quam claui sacris inditi membris expugnant, quam lancea illa, dulcibus impressa visceribus, acumine salutari debellat. Ego prorsus
F contra sentio, audacterque pronũcio carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, & fuerit seruata discretio, quam tamen non propria coniectura, sed exemplis maiorum capere oportet, ne forte remissio & dissolutio sub colore se discretionis oppallient, sic (inquam) carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed necessariam; sed nec diuinam minuere consolationem, sed potius sentio prouocare; adeo vt hæc duo semper æquari in hac duntaxat vita existimem, exteriorem scilicet tribulationem, & interiorem consolationem. Quid enim? Forte Deus huic diuitijs, & delicijs affluenti, suæ consolationis dulcedinem impertit, quã à pauperculo suo, pro se quotidie moriente, rigida censura suspendit? Absit, absit. Absit hoc de illo dulcissimo, suauissimo, compatientissimo sentire vel credere: sed si ego dico, potes forsitan dubitare? si autem Christus dicit, hæreticum est non credere. Quid ergo (inquis) tu ne sententiæ magis, quam propriæ credam experientiæ? Et quid
G si alius, longe aliud, se testetur expertum? Certe ille, quo magis affligitur, eo maiorem diuinæ dulcedinis gratiam experitur. Plane cui vult miseretur.

* Lego prudentia non verbi, sed sapientia carnis.

Cap. LV.

Apostolica & prophetica auctoritate, præmissa sententia confutatur.

Accedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur, qui quotidie pro Christo moritur, qui omnem tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, qui non gratis panem suum manducat, sed in fatigatione nocte & die operatur, cuius manus & sibi, & qui cum eo sunt, necessaria subministrant, qui deniq; in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in frigore & nuditate sub signis Iesu, acerrimus miles insudat: ille (inquam) hanc dirimat quæstionem, & vtrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, cõsolationem ei subtraxerit spiritalem, ostendat. Dicat ergo
H Paulus, vtrum suos in præsenti tribulatione, pius ille cõsolator sine consolatione relinquat, & hæresim Iouiniani iterum pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior tamen hæc hæresis, quam Iouiniani videtur; nam cum illa epulas abstinentiæ æquarit, ista præponit. Ergo qui maiorem diuinæ dulcedinis consolationem, in carnis suauitate quam tribulatione constituunt, Paulum audiãt
2. Cor. 1. 3. dicentem. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Siue ergo ieiunijs maceremur, siue afficiamur vigilijs, siue laboribus atteramur; *benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et si lapidibus obruamur, etsi vinculis astringamur, etsi cædamur virgis, etsi carceris toleremus angustias; *benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Fremat diabolus, sæuiat mundus, insectetur odijs, aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet famam; *benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione*

A *bulatione nostra, vt possimus* (inquit) *& ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Et hic non his qui in diuitijs & delicijs; sed his qui in omni pressura sunt, suam consolationem promittit. Et nihil quæstionis relinquens adiecit. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* 2.Cor.1.5.

Quid manifestius? Hoc est plane quod paulo ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores passiones, & interiores consolationes. Denique Salomon, quibus diuina consolatio sit infundenda, mysticis verbis declarat dicês. Pro.31.6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro animo sunt. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.* Aperte his verbis vinum illud, quod lætificat cor hominis, non otio dissolutis, non diem in cachinno, & fabulis expendentibus, sed his, qui amaro sunt animo repromittit: siceramque illam, quę de pomis nouis & veteribus, quæ in sponsi delicijs sponsa conseruat, conficitur, non epulantibus & potantibus, sed propter angustias huius vitæ mœrentibus, & egestate & dolore laborantibus, B pronunciat esse donandam. *Bibant* (inquit) *& obliuiscantur egestatis suæ*; laboris videlicet magnitudinem, diuina consolatione asserens minuendam. Cui sententiæ apertissime Psal.93.19. concinit Psalmista. *Secundum multitudinem* (inquiens) *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

O consolatio quæ infirmos sanat, debiles roborat, alleuat desperatos! Ipsa est consolatio gemêtibus, pausatio laborantibus, tentatis protectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem deuoluuntur, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certe in Psal.76.4. propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contemnens, *Renuit* (inquit) *consolari anima mea.* Quid ergo? Sine omne consolatione relictus es? Absit. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Nemo ergo arduam illam viam, quę ducit ad vitã, exhorreat. Nemo remissionem, quam semel abiecit, timida infelicitate repetat, sed sicut ait noster legislator, sustinens nõ lassescat nec discedat, sciens, quia secundum multitudinem C laborum, quos tolerat pro Christo, consolationes eius lætificabunt animam illius. Verum gustata dulcedine spiritali, non statim otio dissoluaris, mox enim è latere spiritalis insurget Amalech, non armis, sed orationibus euincendus. Quoties enim in têtationibus animus plus nimio fatigatur, sollicita orationum deuotione ad materna vbera Iesu properandum, ex quorum abundantia lac tibi miræ 2.Cor.1.3. consolationis eliciens, dicas cum Apostolo. *Benedictus Deus,* 2.Cor.1.5. *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

CAP. LVI.

Quomodo charitas & cupiditas in proficiente operentur.

D HActenus hæc forte non inutiliter præmisimus; quæ omnia si attente, si diligenter, postremo si humiliter inspiciatur, erit ni fallor perfacile intueri, conuersũ quêlibet ex noua charitatis infusione, alacri conatu, ac leuissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli: sed cupiditate deorsum premente, & omni, cui inhæserit, naturali pondere ad ima semper vrgente, in ipso suo conatu nonnihil laborare; & quanto frutex perniciosa altius in ipsis animæ recessibus, radices infixerit, tanto in earũ auulsione maior difficultas, perinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis, ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus agrũ suum, parua licet ex parte tribulis, ac spinis obsitum tardius euacuat, & emundat; impiger aũt ac sollicitus, ac huius disciplinæ industrius, etiãsi oẽm agri superficiem occupauerit, vepriũ dẽsitatem citius eradicat, ac de sterili & infœcundo, pinguem reddit & vberem: sic nimirũ abrenuncians quis mũdo, si tardus, si tepidus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanq̃ in sæculo minus extitit inquinatus, tardus in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem: at si feruens spiritu, si diligẽs ac E sollicitus, si discretionis virtute fũdatus, assumptis spiritalium exercitiorũ instrumentis, vitiorum germina ab agro cordis sui potẽter euellat; in aures conscientię purioris citius respirabit, ac iugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionũ, inueniet quia *iugum Domini suaue est, & onus eius leue est.*

CAP. LVII.

Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriaq́; iucunditas.

SIcque probabit expertus, non modo nullius laboris, imo summæ esse iucunditatis, pudicitiæ suauitate perfundi; quanquã onerosum sit naturalia incentiua, immũdaq; desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, fræno temperantiæ cohibere. Similiter non solum iucundum, sed insuper gloriosum, cum gulę fuerit concupiscentia superata; non se seruum sui ventris, sed Dominũ intueri: illa mira exultatione tripudians. *Ego autem didici in quibus* F Phil.4.11. *sum sufficiens esse. Scio humiliari, scio & abundare*; (vbiq; & in omnibus institutus sum) *& esurire, & satiari, & abundare, & penuriam pati.* Sed & amor carnis si fuerit perfecte sopitus, vel certe igne diuini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor; quia nõ proderit mens eius afflictione turbari, cuius non potest dilectione dissolui. Suauitas ergo iugi Dominici, & leuitas oneris eius, in voluptatum contemptu consistit. Nemo ergo æstimet maiorem in vitijs, quam in virtutibus esse delectationem.

DIVI AELREDI ABBATIS RIEVALLENSIS SPECVLVM CHARITATIS.

Epistola cuiusdam ad Aelredum de sequenti opere.



G EST quidem sanctorum virtus permaxima humilitas; sed si vera, sed si discreta: neque enim humilitas in parte constituenda est mendacij, nec inobedientiæ sacrilegio conseruanda. Rogaui fraternitatem tuam, imo præcepi, imo sub attestatione diuini nominis adiuraui, vt mihi pauca quædam scriberes, inter quæ etiam quorũdam querimonijs, qui de remissioribus ad arctiora nituntur, obuiares. Non damno, nõ reprehendo excusationem; sed prorsus obstinationem accuso. Fuerit humilitatis excusasse; sed nunquid humilitatis est non obedire? nunquid humilitatis est non acquiescere? Imo *quasi peccatum ariolandi* 1.Reg.15.23. *est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Sed clamas femineos humeros graui sarcinæ subducendos, cautiusq; onus oblatum non subire, quam sub fasce, cum subieris, ruere. Sit ergo graue quod iubeo, sit arduum, sit imH possibile. Sed nec sic excusationem habes. Persisto in sententia mea; præceptum ingemino. Quid facies? Nonne is, in cuius verba iurasti, Sciat, (inquit) iunior hoc sibi expedire, & confidens de adiutorio Dei obediat? fecisti vtiq; quantum debuisti, si non plus quam debuisti: quousq; licuit, processisti. Causas tuæ impossibilitatis ostendisti, dicẽs te minus grammaticum, imo pœne illiteratum, qui de coquinis, non de scholis ad eremum veneris: vbi inter rupes & montes, agrestis & rusticus victitans, pro diurno pane in securi desudes & malleo; vbi magis discitur silere quam loqui; vbi sub habitu pauperum piscatorum, cothurnus non admittitur Oratorum.

Accipio gratissime excusationem tuam, qua desiderij mei scintillam augeri potius sentio, quam extingui; cum dulcius mihi debeat sapere, si id proferas, quod non in cuiuslibet grammatici, sed in schola didiceris Spiritus Sancti: cum forte thesaurũ ob id habeas, in vase fictili, vt sub- 2.Cor.4.7. limitas sit virtutis Dei; & non ex te. Id quoq; quam iucundum, quod quodam præsagio futurorum, de coquina sis translatus ad eremum? cui forte ad horam in Regia domo

A carna'ium ciborum fuit credita dispensario, vt aliquando in domo Regis nostri, spiritalibus spiritalia comparares, ac cibo verbi Dei esurientes reficeres. Sed nec ardua mon-
Ioel. 3. 18. tium, nec aspera rupium, nec vallium concaua perhorres-
Psal. 64. 14. co, cum in diebus istis montes stillent dulcedinem, & col-
Deut. 32. 13. les fluant lac & mel; in quibus valles abundant frumento, in quibus sugitur mel de petra, oleumque de saxo durissimo, & in rupibus & in montibus sunt pascua ouium Christi. Vnde arbitror, quod malleo illo tuo, aliquid tibi de rupibus illis excuderis, quod sagacitate ingenii, de magistrorum scriniis non tulisses; & nonnumquam tale aliquid in meridiano feruore, sub vmbris arborum senseris, quale numquam didicisses in scholis. Non tibi ergo, non tibi, sed nomini eius da gloriam, qui non solum de lacu miseriæ & luto fæcis, de prostibulo mortis & cœno turpitudinis eripuit desperatum; sed & memoriam faciens mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, ad peccatorum spem cumulatius erigendam, illuminauit cæcum, indoctum erudiuit, docuit imperitum.

B Proinde cum id quod exigeris, tuum non esse nouit omnis, qui te nouit; cur erubescis, cur trepidas, cur dissimulas, cur ad eius vocis imperium qui dedit, renuis erogare quod dedit? An præsumptionis notam, vel aliquorum formidas inuidiam? Quasi aliquid vtile quis vnquam sine inuidia scripserit; aut præsumptionis possis argui, qui Monachus Abbati parueris. Præcipio itaque in nomine Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, quatenus ea, quæ tibi diuturna meditatione nota sunt, de excellentia charitatis, de fructu eius, de ordine eius, stylo adnotare non differas: vt & quid sit charitas; & quanta in eius possessione habeatur dulcedo, quanta in cupiditate, quæ ei contraria est, sentiatur oppressio; quam non ipsam dulcedinem charitatis minuat, vt quidam putant, sed potius augeat hominis exterioris afflictio; postremo qualis in eius exhibitione sit habenda discretio, in ipso opere tuo, quasi in quodam speculo agnoscamus. Verum vt pudori tuo parcatur, hæc ipsa epistola in fronte operis præfigatur: vt quicquid in Speculo charitatis, (hoc enim libro nomen imponimus,) lectori displicuerit, non tibi, qui parueris, sed mi-
C hi, qui inuitum coegerim, imputetur. Vale in Christo dilecte frater.

Incipit prologus Aëlredi.

VEre Sanctorum vera, & discreta humilitas virtus est; mea autem, & mei similium defectus virtutis: de
Psal. 118. 153. qua Propheta, *Vide humilitatem meam, & eripe me,* Neque enim à virtute aliqua se eripi postulabat, aut de humilitate extollebat, sed deiectioni suæ subuentionem implorabat. Quam miseram humilitatem meam, & vtinam sicut humilitatem veram, sic quoque virtutem discretam, ne aliqua inobedientiæ importunitate velare videar; tantæ dignationis petitioni, iussioni, attestationi, quia dignum est, minus digne licet, quod quidem mea interest, tamen pareo. Suscipio itaque opus impossibile, inexcusabile,
D dignum accusatione: ex mea pusillanimitate impossibile, ex præceptione vestra inexcusabile, accusationi subiacens ex cuiusuis inspectione. Quis enim digne ferat prima fronte, quadam auctoritate Apostolica, de excellentiori via charitatis scribere præmittentem, non solum scribendi rudem, aut sicut vobis placuit illiteratum, sed etiam elinguem, & lactis potum nondum idonee lingentem? Aut qualiter rorum portio vna, aut certe nulla, de charitatis eminentia; incompositus, de eius ordine; sterilis, de fructu disserat; infatuatus & insipidus, eius dulcedinem eliciat; cupiditate victus, contra eam se erigat? denique qualiter carnis contritione charitas augeatur, & eius discretam exhibitionem, quis ego qui explicem? qui secus ac vobis videtur, quod tamen pace vestra dico, de coquinis ad eremum veniens, locum non officium mutaui?

Atqui diceris, Excusare non debes. Scio Domine mi, scio. Sed quia excusare non licet, libet accusare; vt adueniens lector minus gratus non cogatur vlterius progredi, dum in ipso limine cernit, quo iure possit offendi. Illud tamen ad scribendum quantam fiduciam præstat, quod

E sanctissimum charitatis affectum, ad suscipiendas molestias, quæ mihi digne irrogari poterunt, incunctanter obiecistis? Itaque spem perficiendi vix habens, de charitate quæ iussistis, illo malleo nostro, cui allusistis, vt Speculum perficeretur, vt potui, compegi: in hoc certissimum esse *1. Cor. 13. 13.*
reperiens, quod, cum spes & cætera exciderint, semper maneat charitas. Præstitit autem gratiam, qui artem non tribuit. Et quidem in hoc charitatis speculo, nulli, nisi in dilectione manenti, vultus se charitatis infundet: sicut nec nisi in luce existenti, sua cuique in quouis speculo, redditur facies. Sane * autem præsentis operis suscipiendi ** Lego aut*
propositum, quædam ipse mecum meditando, quædam vero quasi mecum. imo magis mecum, quia illa vnanimi meo reuerendissimo Priori Hugoni, qui plus mecum, quam ego ipse mecum, communicanda epistolarum more sparsim dictaueram: ex quibus præsenti intentioni materiam sumens, sed & ipsa eadem vt congruere videbantur inserens, tribus incisionibus totum distinxi. Quarum licet de qualibet in singulis mentionem fecerim, specialiter tamen
F in prima parte charitatis excellentiam, tum ex eius dignitate, tum ex aduersæ ei cupiditatis improbatione commendare; in secunda ineptis quorundam querimoniis obuiare, in tertia qualiter exhibenda sit charitas, monstrare laborat intentio. Si quid igitur in hoc sudore nostro proposito congruens processit, gratia largitori, & vestræ orationi debetur: si quid vero aliter, mihi artem, aut vsum non habenti donetur. Verum ne occupationem vestram terreat operis huius tanta prolixitas, capitula, quæ subiecta sunt, primo percurrite; & eorum inspectione quid legendum, quid vero negligendum sit discernite.

Incipiunt Capitula Primi libri.

I. *Quod nihil dignus, quam vt Creator, à sua ametur creatura.*

II. *De natura, specie, vsu, quæ omnibus creaturis communiter collata sunt.*

III. *Quod homo ad imaginem sui Creatoris conditus, etiam beatitudinis capax sit.*

IV. *Quod amore, in quo plenius ipsius erat beatitudinis gustus, à Deo recesserit, & sic miser effectus, Dei in se imaginem corruperit, nec tamen aboleuerit.* G

V. *Quod post Saluatoris aduentum, Dei in homine renouetur imago, & quod non hic, sed in futuro speranda sit ipsius renouationis perfectio.*

VI. *Disputatio cõtra insipientẽ, qui dicit in corde suo, Non est Deus.*

VII. *Quod mentis affectu homo à Deo recesserit.*

VIII. *Quod ex charitatis affectu, homo in Dei imaginem reformetur.*

IX. *Quod amor noster aduersum se, ex charitate & cupiditate, contrario appetitu diuidatur.*

X. *Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat, nec tamen ad bonum & malum æque sufficiat.*

XI. *Quod gratia liberum non tollat arbitrium.*

XII. *Quod nec saluatis, nec damnatis liberum arbitrium auferatur, & quod gratia non nisi in libero arbitrio operetur.*

XIII. *Ratio cur non ad bonum & ad malum, liberum arbitrium æque sufficiat.*

XIV. *Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, & illam, quam habent prædestinati in mundo; & quod iuste imputetur homini mala voluntas, licet ad illam obtinendam, liberi arbitrii non sufficiat facultas.* H

XV. *Quod iustissima sit etiam paruulorum damnatio.*

XVI. *Quod charitati nihil desit perfectionis.*

XVII. *De spiritali circumcisione, quæ in charitate continetur.*

XVIII. *Quod verum sabbatum, ac spiritale in charitate quærendum sit.*

XIX. *Quantum dies septimus cæteris præferatur, & quod in eo Dei charitas commendetur.*

XX. *Cur senarius in Dei opere, septenarius in eius requie commendetur.*

XXI. *Quod in omnibus creaturis quoddam vestigium diuinæ charitatis appareat, & ideo quasi ad sabbatum, id est requiem omnia tendant.*

XXII. *Quod rationalis creatura non nisi in beatitudinis adeptione quiescit, & quare cum beatitudinem optet, viam*

tamen

tamen, quæ eam obtineat, mira infelicitate refugiat.
XXIII. De prærogatiua rationalis creaturæ; & quod requies, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec mundi huius sit quærenda diuitijs.
XXIV. Quid sit inter diuites electos, & reprobos.
XXV. Quod nec in mundiali amicitia requies sit quærenda.
XXVI. Quod nec in corporis voluptate, nec mundi potentia, requies inueniatur.
XXVII. Quod charitas sit illud iugum suaue, sub quo vera requies, quasi verum sabbatum inuenitur.
XXVIII. Exemplum de seipso & sua conuersione.
XXIX. Quantum errent, qui de Dominici iugi asperitate causantur, cum quicquid laboris sentitur, ex reliquijs sit cupiditatis, quicquid requiei, ex infusione charitatis.
XXX. Quod hi, qui de Dominici oneris grauitate queruntur, mundi potius onere comprimuntur.
XXXI. Quanta sit in charitate perfectio, & quid ipsa à cæteris virtutibus distet, & quod cæteræ virtutes sine ipsa virtutes non sint.
XXXII. Quomodo opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimi vero diei requies charitati assignetur.
XXVIII. Quod in hac vita cæteræ virtutes charitati famulentur, post istam vitam in charitatis plenitudinem transfundentur.
XXXIV. Interueniente morte amici triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, & in eius epitaphium primus hic liber terminatur.

DIVI AELREDI SPECVLUM CHARITATIS.

LIBER PRIMVS.

Cap. I.

Quod nihil dignius, quam vt Creator à sua ametur creatura.

EXTENDISTI Domine sicut pellem cœlum tuum, ponens in eo stellas vt luceant nobis in hac nocte, in qua pertranseunt bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant nos escam sibi: qui etiam tegis aquis superiora eius, quibus per quasdam secretissimas cataractas compluas terram cordis nostri, vt multiplicetur à fructu frumenti, vini & olei sui, & non casso sudore quæramus panem nostrum, sed quærentes inueniamus, inuenientes pascamur, & gustemus quoniam tu dulcis es Domine. Anima mea, anima arida, anima sterilis & infructuosa, sitit his suauissimis complui stillicidijs, vt & illi appareat panis ille cœlestis, qui Angelos pascit, quem paruulus sugit, & sapiat interiori palato meo omne oblectamentum, nec amplius suspirem ad ollas carnis quas reliqui in Ægypto, vbi exigente Pharaone, etiam ablatis paleis, lateres luteos exoluebam. Sonet ergo vox tua in auribus meis bone Iesu, vt discat quomodo te amet cor meum, amet te mens mea, ament te ipsa viscera animæ meæ, amplectatur te intima medulla cordis mei, vnum & solum verum bonum meum, dulce & delectabile gaudium meum.

Sed quid est amor, Deus meus? mira ni fallor animi delectatio, eo dulcior, quo castior; eo suauior, quo sincerior; eo iucundior, quo latior: & est palatum cordis cui sapis, quia dulcis es; oculus quo videris, quia bonus es; & est hic locus capax tui, qui summus es. Qui enim amat te, capit te; & tantum capit, quantum amat, quia ipse amor es, quia charitas es. Hæc est illa vbertas domus tuæ, qua inebriabuntur dilecti tui, deficientes à se, vt transeant in te. Et quomodo Domine, nisi amando te? Sed hoc ex toto se. Descendat, quæso Domine, in animam meam aliqua portiuncula huius tantæ dulcedinis tuæ, qua dulcescant ei panes amaritudinis suæ. Prægustet cuiusdam sorbitiunculæ experientia, quid desideret, quid concupiscat, ad quid suspiret in hac peregrinatione sua. Prægustet esuriendo, bibat sitiendo. Qui enim edunt te, adhuc esurient, & qui bibunt te, adhuc sitient: satiabuntur autem cum apparuerit gloria tua, cum manifesta fuerit illa magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, quia non reuelas nisi diligentibus te. Interim Domine, quæram te, & amando quæram te, quia qui proficit amando te, vtique Domine quærit te: & qui perfecte amat te, ipse est Domine, qui iam inuenit te. Et quid iustius, quam vt creatura tua amet te, qui hoc ipsum accepit à te, vt possit amare te? non enim irrationabilia, aut insensibilia possunt amare te; non enim est iste modus eorum. Habent nempe & ipsa modum suum, speciem suam, ordinem suum; non quo beati sint, aut esse possint amando te, sed quo pulchra, & bene ordinata ex te, ad illorum gloriam proficiant, qui possunt beati esse, quia possunt amare te.

Cap. II.

De natura, specie, vsu; quæ omnibus creaturis communiter collata sunt.

DEus enim noster, cui est summum & incommutabile esse, cui est semper idem esse dicente Dauid. *Tu idem semper es*, omnibus creaturis sui communiter hæc tria distribuit, Naturam, Speciem, Vsum: Naturam, qua bona sunt; Speciem, qua pulchra sunt; Vsum, vt bene ordinata alicui rei proficiant. Qui enim fecit vt essent, fecit etiam vt bona essent, vt pulchra, vt ordinata. Quoniam enim ab ipso sunt, qui summe & incommutabiliter est, ideo sunt omnia: quoniam ipse à quo sunt summe & incommutabiliter pulcher est, pulchra sunt omnia; ab ipso qui summe & incommutabiliter bonus est, bona sunt omnia; ab ipso qui summe & incommutabiliter sapiens est, bene ordinata sunt omnia. Sunt ergo bona per naturam, pulchra per speciem, bene ordinata ad ipsius vniuersitatis decorem. *Vidit* (inquit) *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Inquantum itaque sunt, bona sunt; inquantum vnaquæque pars toti suo congruit, pulchra sunt; in quantum in ipsa vniuersitate, vnaquæque res conuenientem sibi & locum, & tempus, & modum obtinet, optime ordinata sunt. Locum quippe qui sibi congruat, quæque res habet, in quo sit; verbi gratia Angelus cœlum, irrationabilia solum, homo medius medium paradysum. Tempus itidem quando, vel quamdiu sint; vt videlicet in ipsius vniuersitatis pulchritudine, aliud quidem simul totum incipiat, sed nunquam desinat, vt natura Angelica; alia vt simul omnia nequaquam incipiant, cœpta tamen nequaquam vel ipsa desinat vt homines; alia vt nec simul incipiant, & esse quandoque desinant vt irrationabilia. Psal. 101. 28. Genes. 31.

PORRO de modo, quemadmodum quæque creatura subsistat, quam congruentem sibi modum sortiantur omnia, tacuisse videamur, quid rationali creaturæ magis congruum quam beatitudo, si iusta est? quid ei magis conuenit quam miseria, si iniqua est? Denique irrationali, itemque insensibili creaturæ quis modus aptior? Quæ cum ipsa nec beata, nec misera esse possit, illorum saluti subseruiat, horum infelicitatem accumulet. Verissime quidem à quodam sapiète dicitur, *Aqua ignis, & ferrum, lac, & panis, & mel, botrus vuæ, oleum & vestimentum, hæc omnia sanctis in bona, sic impijs & peccatoribus in mala conuertentur.* Nec causetur homo quod iam communem locum sortiatur cum belluis, qui *in honore positus non intellexit, & ideo comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* Nec loco solum: quis enim facile dixerit, abolita in mente rationali etsi non imagine, diuina tamen similitudine quanta irrationabilium iumentorū similitudo succreuerit? Sed* hinc alias. Nunc animaduertenda simul, & prædicanda creatoris sapientia, qui cum non sit malorum creator aut incentor, est tamen ipsorum malorum prudentissimus ordinator. Cur ergo non sineret dulcissimus simul, & omnipotentissimus Dominus meus malum esse? quod nequiret vel modice æternum suum labefactare propositum; quo insuper manifestior appareret ipsa eius omnipotentia, sapientia mirabilior, suauior misericor- Eccl. 39. 31. Psal. 48. 13. *Lego hac.

A dia, cum de malis bona faceret omnipotenter, inordinata ordinaret sapienter, miseris conferret beatitudinem misericorditer.

C a p. III.

Quod homo ad imaginem sui creatoris conditus, etiam beatitudinis capax sit.

HOMINI ergo in ipsa vniuersitatis creatione dedit non solum esse, nec vt cæteris bonum tantum esse, nec solum pulchrum aut ordinatum quid esse, sed insuper beatum quid. Sed quemadmodum nulla creatura nec à seipsa est, nec à seipsa pulchra aut bona est; sed ab ipso qui summe est, qui summe bonus & pulcher est, & ideo bonitas bonorum omnium, pulchritudo pulchrorum omnium, causa existentium omnium: ita nec à seipsa beata est, sed ab ipso, qui summe beatus est, ac per hoc beatitudo beatorum omnium. B Huius beatitudinis sola rationalis creatura capax est. Ipsa quippe ad imaginem sui Creatoris condita, idonea est illi adhærere, cuius est imago, quod solum rationalis creaturæ bonum est, vt ait sanctus Dauid, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. 72.28. Adhæsio plane ista non carnis, sed mentis est, in qua tria quædam naturarũ auctor inseruit, quibus diuinæ æternitatis compos efficeretur, particeps sapientiæ, dulcedinis degustator. Tria hæc memoriam dico, scientiam, amorem siue voluntatem. Æternitatis quidem capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum, quem memoria retinebat sine obliuione, scientia agnoscebat sine errore, amore amplectebatur sine alterius rei cupiditate. Hinc beatus.

C a p. IV.

Quod amore, in quo plenius ipsius erat beatitudinis gustus, à Deo recesserit, & sic miser effectus, Dei in se imaginem corruperit, nec tamen aboleuerit.

C VErum licet in his tribus, ipsa perficiatur beatitudo, in hoc tamen tertio proprie est ipsius beatitudinis gustus. Quanquam enim in pessimis delectari miserrimum sit, vbi tamen nulla delectatio, nec vlla beatitudo. Porro vbi amor nullus, nulla delectatio. Denique ipsius summi boni quanto maior dilectio, tanto maior delectatio, tanto maior & beatitudo. Pariat licet multa memoria, capiat licet profunda scientiæ, nulla tamen delectatio, si non ad parta vel nota, ipsius fiat voluntatis conuersio. At primus parens noster libero muneratus arbitrio, poterat quidem, Dei tamen adiutus gratia, ipsum Deum perpetuo amando, in eius memoria notitiaque perpetuo delectari, perpetuoq; beatus existere; potuit & ipsum amorem suum ad aliquid minus reflectere, sicque ab eius D amore recedendo frigescere, seseque miseriæ addicere. Sicut.n. rationalis creaturæ nulla alia est beatitudo, quam Deo adhærere; ita hoc eius miseria, à Deo recedere. Verum ille in honore positus non intellexit. Quid? fortassis id, quod quidam ingrediens sanctuarium Dei, & intelligens non modo in præsentia, sed etiam in nouissima, *Quoniam ecce,* (inquit) *qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Psal. 72.27. Non intellexit, quia qui fornicantur à Deo per superbiam, deuoluuntur in insipientem; & qui per rapinam Dei vsurpat simitudinem, merito iumentorum induit dissimilitudinem.

Libero ergo male vsus arbitrio, amorem suum ab illo incommutabili bono deflexit, & ad id quod minus erat, propria cupiditate cæcatus reflexit: sicque à vero bono recedens, & ad id, quod ex se bonum non erat, deficiens, vbi aucupabatur profectum, inuenit defectum; peruerseque diligendo seipsum, & se perdidit & Deum. Sicque iustissime actum est, vt, qui contra Deum Dei appetebat similitudinem, quo voluit fieri curiositate similior, eo cupiditate fieret dissimilior. Corrupta est itaque in homine E Dei imago, non abolita penitus. Proinde habet memoriã, sed obnoxiam obliuioni; scientiam quoque, sed subditam errori; nihilominus & amorem, sed pronum cupiditati. Perseuerat adhuc in anima rationali, in hac trinitate etsi misera, ipsius beatę Trinitatis impressio, quę ad ipsam animæ relata substantiam, quæ & sui reminiscitur, se nouit, se diligit; quæ ipsam sui memoriam diligit, nouit, reminiscitur; ipsam sui scientiam reminiscitur, nouit, & diligit; item ipsam sui dilectionem diligit, reminiscitur, nouit; & in substantia vnitatem, & in his tribus, quæ perstrinximus, vocabulis præfert trinitatem. Vnde Psalmista, *Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* Psal. 38.7. Breuiter quidem, sed expresse satis, his verbis sanctus Dauid vtrumque insinuat animæ non deesse humanę, & ex natura imaginem, & ex peccato corruptionem. Nam & memoriam corrumpit obliuio, scientiam error obnubilat, amorem cupiditas coangustat.

C a p. V.

F *Quòd post Saluatoris aduentum, Dei in homine renouetur imago, & quod non hic, sed in futuro, speranda sit ipsius renouationis perfectio.*

POrro iam per mediatorem Dei & hominum hominem Christum IESVM, soluto debito, cui obnoxia tenebatur humana natura; deleto chirographo, cuius cautione obstructos nos tenebat antiqui hostis dira superbia; Coloss. 2. 14. 15. expoliatis Principibus & potestatibus, quibus nos addixerat diuina iustitia; pacato denique Deo patre, illa singulari in Cruce hostia; reparatur tandem memoria per sacræ scripturæ documentum, intellectus per fidei sacramentũ, amor per charitatis quotidianum incrementum. Perfecta imaginis reformatio, si memoriam obliuio non interpolet, scientiam nullus error obnubilet; nulla amorem G cupiditas interpellet. Sed vbi istud? & quomodo illud? Hæc pax, hæc tranquillitas, hæc in patria speratur facilitas; vbi nullus locus obliuioni, viuentibus in æternitate; nulla erroris subreptio, fruentibus veritate; nulla cupiditatis impulsio, diuina absorptis charitate. O æterna & vera charitas! ô vera & chara & æterna veritas! ô æterna, & vera, & chara trinitas! Hic, hic requies, hic pax, hic felix tranquillitas, hic tranquilla felicitas, hic felix & tranquilla iucunditas. Quid agis ô anima humana, quid agis? quid per diuersa raptaris? Porro vnum est necessarium. Vt quid multa? Quicquid appetis in multis, in vno est. Si excellere, si scire, si delectari, si abundare; totum hic, & perfecte hic, & nunquam nisi hic. Nunquid enim in hoc lacu miseriæ, & luto fæcis vera excellentia? Nunquid in hac regione vmbræ mortis perfecta scientia? Numquid in hoc loco horroris & vastæ solitudinis vera delectatio? inter tot ærumnas vera abundantia?

H Porro quæ in mundo excellentia, quam timor non deijcit? quanta hominis scientia, qui nec seipsum capit? Denique si delectaris in carne, hoc & *equus & mulus, quibus non est intellectus.* Psal. 31. 8. Si in gloria, si in diuitijs, *Cum interieris non sumes omnia, neque descendet tecum gloria tua.* Psal. 48. 18. Ibi ergo vera excellentia, vbi nihil superius quod ambiatur; ibi vera scientia, vbi nihil ignoratur; illa vera delectatio, quæ fastidio non minuitur; illa vera abundantia, quæ numquam exhauritur. *Væ nobis quia recessimus à te Domine!* Osea 7.13. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est?* Psal. 119. 5. *Quando veniam & apparebo ante faciem tuam?* Psal. 41.3. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Psal. 54. 7. Plumescat interim Domine Iesu, plumescat quæso anima mea in nido disciplinæ tuæ; pauset in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Amplectatur te interim crucifixum, sumat tui dulcissimi sanguinis haustum. Occupet interim memoriam meam hæc suauis meditatio, ne ex toto eam obliuio obscuret. Iudicem me interim nihil *scire nisi Dominum meum, & hunc crucifixũ,* 1 Cor. 2. 2. ne sciẽtiã meã à soliditate fidei vnus error abducat: Vẽdicet sibi totũ amorẽ meũ hęc tua mira dilectio, ne illũ cupiditas mũdalis absorbeat. Quid ergo? mihi soli id optauerim

A Psal.21.28. rim? Impleatur quæso Domine, impleatur illud propheticum, *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ.* Reminiscentur inquit. Absconditam ergo, non sepultam omnino in mente rationali, Dei intellexit memoriam, vt non tam nouum aliquid insertum, quam illud antiquum sentias reparatum. Nisi enim naturaliter quodammodo in ipsam Dei memoriam, vel modicum ratio scintillaret humana, puto non esset vnde vel insipiens diceret in corde suo Non est Deus.

Cap. VI.

Disputatio contra insipientem, qui dicit in corde suo, Non est Deus.

Dic, inquam, quicunque es adeo insipiens, vt dicas in corde tuo, *Non est Deus*; Aliquemne putas sapientem? forte teipsum. Ita sit. Itane tamen sapiens, vt fieri B non possis & insipiens? Aut si insipiens, eousque vt non possis fieri & sapiens? Si quid horum abnuas, iam non te desipere, sed potius non viuere dixerim. Ergo si tu desipueris, perire æstimas sapientiam? Sed fieri potes & sapiens. Aliunde quæso quam à sapientia? Erit ergo & te desipiente, sapientia. Erit, inquis, sed in homine sapiente. Sed quis est homo qui non possit desipere? Si ergo omnes homines desipiant, erit nihilominus sapientia; aliquin non possent denuo sapere. Sed in Angelis inquis. Sed & ipsos posse natura duntaxat desipere, indicat illa insipientium Angelorum tanta multitudo; quibus quidem cum cæteris par natura, sed impar gratia. Nulla ergo creatura ex se sapiens. Vnde ergo nisi à sapientia? Et illam vbi inuenit insipiens, vt denuo sapiat? Si eam inuenit, est vtique sapientia, quæ inueniatur ab insipiente, vt sit sapiens: alioquin quomodo inueniatur, quod non est, nisi prius cæperit esse? Non (inquis) eam ita inuenio; sed meditando, & exercendo facio C meipsum sapientem. Ergo facis sapientiam tuam? Quare non fecerim? Ego te proposueram insipientem, & ecce adeo factus es sapiens, vt & sufficias, tibi facere sapientiam. An hoc est parum sapere, sapientem facere? Sed & si quis dicat, stultum facere posse sapientem, quis audiens non ridebit? Vnde ergo sapientia stulto? forte à quolibet homine sapiente. Et ipse vnde sapiens? An ipse se fecit sapientem? Sed antequam se faceret sapientem, quid erat nisi insipiens? Prædicta igitur sequitur abusio, vt insipiens fecerit sapientem. Si & Angelum dixeris posse facere sapientem; & ipse vnde sapiens? Si & ipse se fecit sapientem, prædicta nihilominus sequitur abusio.

Restat ergo vt non sit facta sapientia, quæ cæteros faciat sapientes. Ipsa non potest desipere, quia sapientia non potest esse insipientia, sicut nec mors vita, quamuis mors Christi, nostra sit vita, sicut lux tenebræ? Ephes.5.8. *quamuis fuerimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Do-* Ioan.1.18. *mino.* Nam nec Ioannes *erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem D hominem venientem in hunc mundum. Ipsa est sapientia, quæ in animas sanctas se transfert, vt & ipsæ sint sapiẽtes. Parumne hoc tibi, ô insipiens? Quæro iterum, vtrum scias te esse; Quis, inquis, hoc ignoret? Plane nec Academicus. Semperne fuisti? Vnde ergo accepisti vt esses? An teipsum fecisti? Sed quomodo qui non eras aliquid, facere potuisti tam magnum aliquid? Vnde ergo tibi esse? An ab alio homine? Et ipse vnde? numquid ab Angelo? Et Angelus vnde? Restat ergo vt non sit facta essentia, à qua cætera omnia habent esse: sicut nec facta est sapientia, vnde cætera omnia habent sapere. Sileat ergo tibi, sic & sic sapere; sic & sic esse: loquatur tibi in corde ipsum sapere, & ipsum esse, & iam non dices in corde tuo, *Non est Deus*, in ipso plane perspiciens nec posse saltem te esse, qui diceres in corde tuo, *Non est Deus*, nisi esset & Deus. Iterum quæro, Vtrum velis te esse & sapere? Puto quia non abnuis. Iunge igitur hæc tria, Esse, Sapere, Velle. Redi ergo præuaricator ad cor. Considera in his tribus quanta vnitas, quanta sit æqualitas, & cum inueneris hæc E tria in te esse, & à te non esse; cogita æternam essentiam, æternam sapientiam, æternæ sapientiæ & essentiæ æternam voluntatem, & ne dicas in corde tuo, *Non est Deus*, sed potius reminiscens conuertere ad Dominum tuum, cum omni fine terræ.

Cap. VII.

Quod mentis affectu homo à Deo recesserit.

Mirabilis *facta est Domine scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Amplectar interim te Domine Iesv, paruus paruum, infirmus infirmum, homo hominem amplius dicam, pauper pauperem. Nam & tu Domine pauper, *sedens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Sic ergo te amplectar Domine. Nam tota magnitudo mea, non nisi quod paruum est tui; tota fortitudo mea, quod infirmum est tui; tota sapientia mea, quod stultum est tui. Curram Domine in odorem vnguentorum istorum. Miraris quod vnguenta appellem, quæ infirmum sanant, roborant debilem, mœstum lætificant? Sequar ergo te, Domine Iesv, horum vnguentorum excitatus odore, refocillatus aspergine. Sequar te Domine, & si non in montibus aromatum, vbi te inuenit sponsa tua, vel in horto, Domine, vbi seminata est caro tua. Illic quidem salis; hic dormis. Hic Domine, hic dormis, hic cubas; hic dulce quoddam sabbatum sabbatizas. Consepeliatur tibi Domine caro mea, vt quod iam viuo in carne, non viuam in me, sed in te, qui tradidisti temetipsum pro me. Coungatur tibi Domine pudicitiæ myrrha, vt iam non regnet peccatum in meo mortali corpore, nec fiam velut iumentum in proprio computrescens stercore. Sed vnde venisti in hortum? Vnde, nisi de Cruce? Vtinam Domine & ego accipiam Crucem tuam, & sequar te. Sed quomodo sequar te? Quomodo (inquis) recessisti à me? Puto Domine quia non pedum passu, sed mentis affectu. Nollens enim substantiam animæ meæ seruare ad te, accepi eam ad me, & volens meipsum possidere sine te, perdidi & me. Et ecce factus sum mihimet ipsi grauis; factus sum mihimet locus miseriæ & tenebrarum; locus horroris & regio egestatis. *Surgam ergo, & ibi ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cælum & coram te.* Psal.138.6. Matt.21.5. F G Luc.15.18.

Cap. VIII.

Quod ex charitatis affectu homo in Dei imaginem reformetur.

Patet, ni fallor, quia sicut non pedum passu, sed mentis affectu, à summo bono recedens, & in seipsa inueterascens humana superbia, Dei in se corrupit imaginem; ita mentis affectu ad Deum accedens humana humilitas, renouatur in imaginem eius, qui creauit eum. Vnde Apostolus, *Renouamini (inquit) spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est.* Quomodo autem fiat ista renouatio nisi nouo charitatis præcepto, de quo ait Saluator, *Mandatum nouum do vobis*? Proinde hanc charitatem si mens perfecte induerit, profecto duo illa, quæ æque corrupta diximus, memoriam scilicet & scientiam ipsa reformabit. Ideo salubertime nobis indicitur istius vnius præcepti compendium, in quo & veteris hominis expoliatio, & mentis renouatio, & diuinæ imaginis consistit reformatio. Amor quippe noster veneno cupiditatis infectus, tenacique voluptatis visco miserabiliter irretitus, quæ in ima semper, id est, de vitio in vitium proprio pondere ferabatur, charitate desuper influente, ac innatum torporem suo calore dissoluente, ad altiora se subrigit: sicque exuens vetustatem ac induens nouitatem, sortitur pennas columbæ deargentatas, quibus ad illud sublime & purum bonum euolet, de quo & genus ducit, beato Paulo id apertius Atheniensibus profitente. Cum enim de Deo subtiliter disseruisset, & ex Philosophorum quoque libris Deum vnum instantissime comprobaret, *in quo viuimus, mouemur &* Ephes.4.23. H Ioan.13.34.

A *Act.17.28.* *ſumus*, ait inter cætera, *Cuius & noi genus ſumus.* Et addidit, *Genus ergo cum ſimus Dei.* Nec quis exiſtimet genus nos Dei ita dixiſſe Apoſtolum, vt eiuſdē naturæ ſubſtātiæue probarit, cuius & Dei, alioqnin nec mutabiles, quin nec corruptibiles, ſed nec miſeri aliqn̄ eſſe poſſemus; ſicut nec eius vnigenitus, qui de eius ſubſtantia natus, in omnib. ipſi patri cōprobatur æqualis: ſed ideo nos genus aſſerit Dei, vel potius non negat, quia ad eius creata imaginē aīa rationalis, ipſius ſapientiæ ae beatitudini participari poſſe cognoſcitur. Animam itaq; noſtram ad id, ad quod facta eſt, charitas ſubleuat; ad id vero, ad quod illa ſponte defluxit, premit cupiditas.

Cap. IX.

Quod amor noſter aduerſum ſe, ex charitate & cupiditate, contrario appetitu diuidatur.

Compendij. cap. 3. VErū quia charitatis, ſiue ēt cupiditatis, ea ſola animæ noſtræ portio capax eſt, quæ vſitatius amor nūcupatur, ipſe eſt qui ex noua infuſione charitatis, & ex reliquijs vetuſtæ cupiditatis, quaſi quodā cōtrario appetitu, aduerſus

B *Rom.7.15.* *Galat.5.17.* ſemetipsū conſtat eſſe diuiſus: de quo & Apoſtolus, *Non quod volo ago.* Et itē, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritū, & ſpiritus aduerſus carnē. Hæc ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumq; vultis illa faciatis.* Intelligendū ſane Apoſtolum, ſpiritus carniſq; nomine, nequaquā duas contrarias in homine vno, vt impuri ſomniāt Manichæi, deſcripſiſſe naturas: ſed ſpiritus appellatione, mentis ex charitatis infuſione exprimens nouita-

Rom.5.5. tē, *charitas quippe Dei diffuſa eſt in cordib. noſtris, per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis*; carnis quoq; vocabulo, ex reliquijs vetuſtatis miſeram animæ inſinuans ſeruitutem: inter vetus noſtrum inolitum, nouumque inſolitum, continuum in vna mente aſſerit oboriri conflictum.

Cap. X.

Quod liberum arbitrium in anima locum medium teneat, nec tamen ad bonum & malum æque ſufficiat.

Compendij capite 3. C INter hæc duo, concupiſcentiam ſ. quam carnis eſſe dicit Apoſtolus, non quod omnis concupiſcētia mala ex carne ſit, quippe cū ea nequaquā dæmones careant, qui carne carent; ſed quod non ex Deo, ſed ex homine ſit, quem carnem in ſcripturis appellari non ambiguum eſt: inter hanc ergo concupiſcentiā, quæ cupiditas congruētiſſime appellatur, & illam ſpiritus, quam charitatem non immerito dicimus, quę

Rom.5.5. vtiq; ſpiritus eſt, non noſtri, ſed Dei; *charitas.n. Dei diffuſa eſt in cordib. noſtris, per ſpiritum ſanctū, qui datus eſt nobis*: inter hæc inquam duo, id quod in homine liberum dicitur arbitriū, medium quodāmodo locum tenet, vt ad quodlibet eorum ſe verterit anima, libero nimirum fiat arbitrio. Nemo ſane ita

2.Cor.3.5. *Phil.2.13.* *Rom.9.16.* deſipiat, vt ęqualem homini & ad bonum & ad malum, ex libero arbitrio aſcribere audeat facultatem; eum *non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, cum Deus ſit, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*; cum deniq; *neq; volentis neq; currentis, ſed miſerentis ſit Dei.* Quid ergo? His omnib. liberū in homine negatur ineſſe arbitriū? Abſit. Eſt quippe liberū arbitriū ea animæ vis, ſiue natura, vel, ſi quid aliud congruentius dici poteſt, id hominis, quo cuilibet rei non ſine iudicio rationis conſentit: non huius aut

D illius rei, boni maliue conſenſus, ſed id quo conſentitur.

Sicut enim aliud eſt viſus, aliud viſio, nam viſus quidē ſenſus eſt corporis vnus de quinque, viſio aūt ipſius ſenſus actus; ita aliud dicimus ipsū conſenſum, aliud id quo conſentitur. Nam conſenſus quidem quędam animę actio eſt; liberum arbitrium quædam animæ vis atque natura, qua conſentit, habens iudicium ſibi inſitum, quo eligit cui rei conſentiat. Sed quia conſenſus fit voluntate, iudicium ratione, hæc duo voluntas & ratio liberum cōſtituunt arbitrium. Ratio bona vel mala, iuſta & iniuſta, ſiue ea quę media ſunt, quaſi proponit; voluntas conſentit: cuicunq; aūt rei conſentiat, non niſi voluntate; vbi aūt voluntas, ibi & quędā libertas. Ex his ergo duobus, vt diximus, liberū videtur conſtare arbitriū, ex libertate .ſ. voluntatis, & arbitrio rationis. Vides igitur quam non libero pręſcribat arbitrio, vndecunq; homini bona oriatur voluntas; quandoquidē nec in bona, nec in mala voluntate admittit voluntatē, ac per hoc nec libertatem, ſed nec rationē, ideo nec iudiciū. Quid enim? Quia Deus eſt, qui operatur in nobis velle, id-

E eo amiſimus velle? aut quia Dei eſt, quod ratione bene vtimur, ideo ratione nō vtimur? vel quia ex Deo nobis eſt quicquid boni perficimus, ideo bonum non perficimus? aut quia

non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis quoniam ex Deo eſt noſtra ſufficientia, ideo non eſt ſufficientia? Hæc omnia, licet ex Dei gratia eſt quod agimus, tamen agimus: nec ſine voluntate, nec ſine ratione agimus, ac per hoc non ſine libero arbitrio agimus. *2.Cor.3.5.*

Cap. XI.

Quod gratia liberum non tollat arbitrium.

NAm qui & volūtate carent ac ratione, ac per hoc libero arbitrio, nihil hmōi Deus in eis operatur, vt ſunt pecora, ae per hoc, nec ipſi aliquid hmōi operantur. Quicquid aūt boni Deus per nos, vel de nobis ſine noſtra operatur voluntate, tantū Dei eſt, non ēt noſtri; quicquid aūt cum noſtra voluntate, & illius eſt, & noſtrum. *Si.n. volens id facio,* (ait Apoſtolus) *mercedem accipio; ſi aūt inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Quocirca vt opus quod in nobis, ſiue per nos o- *1.Cor.9.17.*

peratur, ēt noſtrum ſit, inclinat voluntatem vt conſentiamus; ſicq; ex eius gratia, merces fit noſtra: ſi.n. volens id facio, mercedem accipio. Vt aūt ſim volens in bono opere, Deus eſt, qui operatur & velle: ipſe deinde voluntatē excitans ad petendum, ad quęrendū, ad pulſandum, dat gratiā pro gratia, perficere ſ. pro bona voluntate. Poſtremo, quia vita æterna bonorū operum merces eſt, ipſam dans coronat dona ſua, quæ voluit eſſe merita noſtra. Vide hoc totū in Paulo. *Qui fui* (inquit) *blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus.* Hic voluntas, ſed mala; merita, ſed peſſima. Sed miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem. Ecce voluntas bona ſed vide vnde. Non quia aliquid boni in me præceſſit, ſed quia eius miſericordia me præuenit miſericordiā .n. conſecutus ſum, vt fidelis eſſem. Nempe, vt ait B. Auguſtinus, *ire ad Eccleſiam, audire verbum Dei, ſacramentum percipere Chriſti aliquis poteſt nolens, credere nemo poteſt niſi volens.* F *1.Tim.1.13.*

Audi & de opere. *Plus illis omnibus laboraui.* Hoccine habes Paule quod non accepiſti? Imo accepi; & quidem *plus illis omnib. laboraui, non aūt ego.* Quomodo vtrumq; verum, ego, & non ego? Non ego, quia non ex me, non viribus, non ſapientia mea, non deniq; meritis meis, ſed gratia Dei. Quid ergo? itane vt liberum tibi tollat arbitrium, deſtruat volūtatem, iudicium rationis abſumat? Abſit. Dixi non ego, quia gratia Dei; ſed tñ ego, quia gratia Dei mecum. Quomodo mecum? Agens ſ. vt conſentiam operanti, & ſic ipſe cooperer, ne ſi me inuito, de me aut per me operetur, non ſim qui dicam, *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Non ergo liberum arbitrium ad aliquod bonum ſufficit, ſed in ipſo, vel cum ipſo vel per ipſum, Deus multa bona perficit. In ipſo, quando illud occulta inſpiratione ad aliquod bonum erigit; cum ipſo, quando ipſo liberum arbitrium ſibi per conſenſum iungit; per ipſum, quando, Deo operante, alter per alterum proficit. *Repoſita eſt mihi* (inquit) *corona iuſtitiæ.* Quæ corona, niſi vita æterna? *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Reddet (inquit) Ergo quia redditur, merces eſt vita æterna, merces plane quia bonum opus præceſſit; *bonum* enim *certamen certaui.* Sed hoc opus vnde? *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Merita itaque noſtra Dei eſt gratia, propter quę merita dat vitam æternam; *gratiam pro gratia.* Denique *reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Sed illa tantum opera cœleſti mercede donantur, quæ prius eius munere largiuntur. Nam quod vita æterna gratia ſit, ipſum iterum audi; *Stipendium enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Gratia inquam vita æterna, & duplex gratia. Gratia, quia pro gratia data; gratia, quia meritis præponderat gloria: *Non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* *1.Cor.15.10* G *1.Tim.4.7.* H *Rom.2.6.* *Rom.6.23.* *Rom.8.18.*

Cap. XII.

Quod nec ſaluatis, nec damnatis liberum arbitrium auferatur, & quod gratia non niſi in libero arbitrio operetur.

SEd numquid in illa gloria aut ſine voluntate erimus, qua tanto bono conſentiamus, aut ſine ratione,

A ne, qua hoc bonum nostrum iudicemus ? Ergo nec sine libero arbitrio: non quo vllum malum poterimus, sed quo illius boni capaces existimamus. Non enim pecora aut damnationi obnoxia, aut salutis possunt esse capacia, vtique quia sunt rationis ac voluntatis expertia. Nam infantes quidem, in quibus etsi non maior, tamen gratia est euidentior, in quibus nec ex dono vlla sunt merita, licet ob infirmitatem, quæ ex peccati pœna accidit, sine libero & viuant & moriantur arbitrio; exuti tamen hoc, quo impediuntur, carnis inuolucro, nequaquam credendi sunt, absque rationali voluntate, æternæ felicitatis, vel debitæ damnationis esse participes. E quibus quotquot saluantur, euidentiori fit gratia, quippe quibus liberum deest arbitrium, cui possint ascribi merita: cæterum illa mihi videtur cumulatior, qua & merita donantur, & præmia. Igitur in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. Quis enim te discernit ô homo? liberum arbitrium ? Ita plane: sed à iumentis, non ab iniustis. Nam & iniusti liberum habent arbitrium, B sine quo non possent esse vel iniusti: excepto duntaxat originali peccato, quod alia ratione etiam inuitos quosque constringit; nemo nisi voluntate iustus, nemo nisi voluntate potest esse iniustus, ac proinde nec sine libero arbitrio.

Sed voluntatem ad iustitiam sola gratia erigit, in iniustitiam ipsa se deiicit. Porro vbicunque voluntas, ibi & libertas. Vbicunque enim voluntate est, ibi non cogitur vt sit necessitate. Habet ergo innatam sibi quodammodo voluntas libertatem, quia nullam potest pati necessitaté. Vis audire quandam etiam in iniustitia libertatem ? Audi Rom. 6. 20. Apostolum. *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Videsne quod non desit libertas voluntati, etiam in seruitute peccati? Sed numquid in libertate iniustæ voluntatis, iudicium deest rationis, quo id quod vult, discernat ab eo quod non vult? quo sibi commodum, vel bonum, vel voluptuosum iudicet etiam id, quod male vult ? Nam si vtrumlibet horum deesset, posset forte voluptuosa tantú appetere, carne more iumentorum sentire; non autem il- C lis rationali quodam iudicio cõsentire vel dissentire, quod est liberi arbitrij. Nam quod ratione etiam ad malum abuti Ierem. 4. 22 possit homo, probat illud propheticum, *Sapientes sunt vt faciant mala.* Nam nec in pœnis inferni liberum deest arbitrium, quo voluntarie, ac per hoc libere à malis dissentiant, quæ patiuntur; nec iudicium rationis, quo seipsos accusent, & iudicent, quia suis meritis talia patiuntur. Patet ni fallor ratio, quod nec gratia liberum arbitrium destruat, nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodo enim gratia liberum arbitrium auferat, cum gratia non nisi in libero operetur arbitrio ? Neque enim gratia ista de qua loquimur, aut in brutis animalibus, aut in rebus operatur insensibilibus, sed in his tantum, quæ præceptionis, aut prohibitionis capaces audiunt, fac hoc, & fac illud, & noli hoc, & noli illud: quæ proculdubio non dicuntur nisi his, quibus inest liberum arbitrium, quo possint velle hoc aut illud. Vt autem bonum velint, Dei gratia operatur, nõ liberum destruens arbitrium vt nihil velint, sed ad hoc in- D clinans vt bonum velint. Quocirca cum aliquid boni facis, non existimes hoc tuis viribus agere, nec tamen à tua id alienes voluntate; quandoquidem non dicendum est opus bonum, nisi sit & voluntarium.

Cap. XIII.

Ratio cur non ad bonum & ad malum liberum arbitrium æque sufficiat.

SEd dicet aliquis, Assentio iam, & quidem satis probatum est, Dei gratiam ita posse omnia in omnibus operari, vt nihil arbitrij præiudicet libertati. Sed vtrum ita sit quis nouit? Quæ ratio, vt cum nullius adminiculo ad malum egeat, ad bonum sibi non sufficiat? Et quis est cui satis non sit, quod huic assertioni consentiat fides catholica, probet quotidiana vniuscuiusque bene proficientis experientia, affirment insuper prophetica simul & Apostolica testimonia, & quod his maius est, illa illius veridici oris Ioan. 15. 5. sententia qua dicit, *Sine me nihil potestis facere?* Porro oculis hac fide purgatis ratio deesse non poterit, aderit intelligẽ- E tia, lumen se ingeret veritatis. Videat ergo qui potest; credat qui videre non potest. Qui videt, gaudeat, sed humiliter; qui non videt, credat, sed perseueranter, quia nisi credideritis, non intelligetis. Videat inquam, quia cum omnis creatura de nihilo sit facta, & mutabilis facta, naturali quodam suæ mutabilitatis impulsu, semper ad id, de quo facta est, id est ad nihilum vergit. Et reuera perfacile est videre omne, quod natura mutabile est, quodam incommutabili indigere, vt non mutetur. Nullum siquidem mutabile in se habet incommutabilitatem, alioquin ne mutabile quidem esset; quanto minus alteri confert ? Si vero nullius fulcita præsidio creatura mutetur, quis non facile videat eam naturalius, vt ita dicam, & expressius ad id, de quo facta est, impetu quodam necessario commutari ? Quapropter vt in inferiora sua mutabilitate non defluat; vt in eo quod est, suam mutabilitatem cohibeat; vt ad altiora auspicio feliciori se subrigat; semper illius eget gratia, cuius est creata potentia. F

Cap. XIV.

Quid sit inter gratiam, quam primi homines in paradiso, & illam, quam habent prædestinati in mundo; & quod iuste imputetur homini mala voluntas, licet ad illam obtinendam liberi arbitrij non sufficiat facultas.

VNde & in cœlis Angelo, & homini in paradiso, licet nulla eos coartaret infirmitas, quibus nulla dominabatur iniquitas, quia tamen vterque mutabilis natura, vtrique hæc gratia necessaria; quæ vtique si collata non esset, excusabiliter vterque peccasset. At quia ex creante gratia, bona eis erat collata voluntas, ex adiuuante gratia, si ipsi vellent, in ea perseuerandi * facilitas; nulla superest de mutabili natura causatio, cui sustentandæ, ac promouendæ non deesset diuina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas. Vtrum autem reprobis aliquando etiam nunc talis gratia conferatur, vt & bona eis inspiretur voluntas, addatur gratia qua non desit, si tamen ipsi velint, perseuerandi facultas, non audeo præcipitare sententiam. Sane electis, quia maior quam primis in paradiso hominibus, incumbit miseria, maior confertur & gratia: & quo maior impugnat infirmitas, eo vberior præstatur resistendi facultas. Illis enim, vt dictum est, datum nouimus posse perseuerare si vellent, istis insuper vt perseuerent. Sed quod (inquis) hominis vitium, si bonam non habuerit voluntatem, quam nec propriis viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus retentare? At qui bonę voluntatis conditus, cuius est vitio peioratus ? Cur nõ iustissime ipsa ei impotentia imputetur, quam non ei creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit ? Et si forte æquum non videtur vt hinc culpetur, si nunc bonam non habeat voluntatem, quam quidem habere non poterit si non acceperit; iniustumne vt imputetur ei, quod acceptam amisit ? iniustum * vt imputentur mala, quæ nullo cogente deliquit?

* Forte *facultas.*

G

* An legendum H *vt imputetur mala, quæ nullo?*

Cap. XV.

Quod iustissima sit etiam paruulorum damnatio.

AT hæc (inquit) ratio iustissime illos condemnat, qui rationis capaces, nec iudicio eligendi, nec voluntate carent consentiendi: cæterum paruulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit iniustos ? Quid enim ? Iniustum æstimas vt lignum inutile, & infructuosum ignis depascat ? Cogita quæso totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice viciatum, vtpote veneno antiqui serpentis inficiatum, iustissime addictum flammis, igni destinatum, adiudicatum damnationi. Quid ergo ? Ingratum te præbes ô lignum inutile, quod quidam ramusculi à tua præmortua præcisi radice, eripiuntur incendio, quatenus stipiti cuidam fructuoso inserti, pristinæ venustati donentur?

A Vide lignum illud viride, lignum vitæ, lignum cuius non defluunt folia, cuius omnia facta prosperantur, in ipso suo dulcissimo latere, quod idcirco voluit in Cruce aperiri, ramis, ab illa damnata radice, sola sua miseratione discretis, dedisse locum; vt sibi inserti & complantati, & vnum cum eo effecti, non sua virtute, quæ nulla est, sed illius spiritus participatione reuiuiscant & virescant, susceptaq; pluuia illa voluntaria, quam segregat Deus hæreditati suæ, sole quoque diuinæ charitatis incalescente, resumpto nouo cælestis gratiæ succo, fructus afferant spirituales, supernis nimirum horreis recondendos. Sed relictus sum ego, ait ramus ille inutilis. Relictus plane. Quid causatis? Matt.20.15 *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Multis quidem dedi, quod nulli debui; & tu hinc nequam, hinc inuidus, hinc opponis, hinc calumniam struis. Sed cum vtrosque (inquis) paruulos, par teneat inuolutos damnatio, cur ille eligitur, iste respuitur? Audi quare. Rom 9.13. & 21. Quia *Iacob* (inquit) *dilexi, Esau autem odio habui.* Iniustum clamas. *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* B

Si ergo homo ex vasis quæ facit, quæ voluerit deputat honori, quæ voluerit exponit contumeliæ, nec quisquam est qui causetur iniustum; tu calumniatis si Deus, ex vasis omnibus iustissimæ cōtumeliæ expositis, quæ voluerit assumat, quæ voluerit relinquat, quæ voluerit in pristinum reformet honorem, quibus voluerit debitam inferat damnationem? Si (inquam) figulus in vasis, quæ de eodem luto compingit discernendis, ipsa eius voluntas iustitia est; quomodo non multo magis in omnibus, quæ ex nihilo creauit omnipotens, discernendis, ordinandis, sumendis, deserendis, saluandis, damnandis, ipsa eius voluntas summa iustitia sit? Rom 9.15. & 18. Ergo miseretur cui voluerit, & misericordiam præstat, in quem sibi placuerit, & quem vult obdurat iustissime deserendo, & quem vult emollit piissime miserando; & quicquid vult facit, nec iniustum aliquid facit, quandoquidem inter iustum & iniustum, sola eius discernit voluntas, quæ non est aliud quam ipsa æquitas: C nec eius voluntas ex alia pendet lege iustitiæ, sed lex iustitiæ ex eius vtique pendet voluntate. Hæc diximus ne iniusta videatur damnatio paruulorum. Itaque, ô homo, Rom.11.20. *noli altum sapere sed time.* Si enim ramis, cum quibus tibi est æqua conditio, par meritum, non parcit Deus, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo seueritatem & bonitatem Dei; in his quidem, qui deseruntur seueritatem, in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate. Alioquin & tu relinqueris. Porro vt non relinquaris, sed à relictis potius discernaris, noli de te præsumere, noli de Dei bonitate desperare, noli esse negligens ad operandum, noli esse segnis ad orandum cum Propheta, qui ait, Psalm. 42.1 *Discerne causam meam de gente non sancta.* Verum vt in bonitate hac perseueres, non tibi de tuis viribus blandiaris, sed de illo præsume, cui item clamat Propheta, Psalm. 11.8. & 9. *Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum,* illa scilicet generatione, de qua statim subiecit, *In circuitu impij ambulant.* Hi sunt qui D instar Sampson decisis virtutum crinibus, defossisque sciētiæ rationisque luminibus, deputantur ad molam, vt deferentes compendium charitatis, circuitum teneant cupiditatis.

Cap. XVI.

Quod charitati nihil desit perfectionis.

QVid tu, ô anima mea, satisne es hoc intricata circuitu? Psal.139.10 *Caput* (inquit) *circuitus eorum, labor labiorum ipsorū operiet eos.* Quod, quæso, huius laboris emolumentum? Aliud nequam porcorum siliquæ? Nec hinc quidem satietas; & si forte satietas, qualis? O quam suauior, quam iocundior, quam denique gratior esuries charitatis, quam satietas cupiditatis? Cæterum de beatitate nulla comparatio. Quanto enim quisque saginatior cupiditate, tanto veritate inanior, tanto proinde & miserior. Ps.30.13.14. Audiens quapropter, ô anima mea, vituperationem multorum commorantium in circuitu, esto quasi vas perditum, quatenus à temetipsa deficiens, & tota in Deum transiens, nescias tibi viuere, nec tibi mori, sed ei, qui pro te mortuus est & resurrexit. E O quis dabit mihi hoc salutari poculo debriari, hoc mentis stupore perfundi, hoc suauissimo lethargo sopiri! vt diligens Dominum Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omni virtute mea, nunquam quæram quæ mea sunt, sed quæ Iesu Christi: diligensque proximum tanquam meipsum, non quæram quod mihi vtile est, sed quod alteri. O verbum consummans & abbreuians in æquitate! Compendij cap.2. verbum charitatis, verbum amoris, verbum dilectionis, verbum totius perfectionis. Verbum consummans, cui nihil potest deesse; verbum abbreuians, in quo pendet tota lex & Prophetæ. O Iudæe, quid tantis opus est? Hic Circumcisio, hic Sabbatum, hic Hostiæ salutares, hic odoriferum sacrificium, hic totius suauitatis incensum. Tene charitatem, & nihil horum deerit; charitatem neglige, & nihil horum proderit.

Cap. XVII. F

De spirituali circumcisione, quæ in charitate continetur.

HIc plane non carnalis vnius membri amputatio sed totius interioris, exteriorisque hominis vera & perfecta circumcisio, Compendij cap.2. resecans voluptatem, extinguens libidinem, coercens gulam, cohibens iracundiam, inuidiam penitus euellens, omnium vitiorum generatricem expugnans superbiam. Hæc edaces tristitiæ stimulos spirituali quadam suauitate contemperans, sequacis accidiæ occurrit languori. Hæc auaritiæ pestem liberalitatis gratissimo mucrone confodiens, ab idololatriæ vitio animam liberat, ac cōseruat. Quid rogo hac circumcisione perfectius, qua vitiorum membra resecantur, corpus peccati destruitur, protoplastorum exuuies villosa deponitur, totusque antiquæ vetustatis squalor, tabesque reiicitur? Mentem enim, quam dulcedo charitatis oppleuerit, non timor angustat, non libido commaculat, non ira dilaniat, non superbia eleuat, non cenodoxiæ inanis fumus euentilat, nō G exagitat furor, non stimulus ambitionis euiscerat, non auaritia contrahit, non deiicit tristitia, non inuidia tabefacit. *Charitas* quippe *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.* 1.Cor.13.4. Vides hanc spiritalem circumcisionem, omnium vitiorum esse peremptoriam, quæ omnes sensus corporis diuino quodam cultro purificat, oculorum abscidens petulantiam, aurium pruritum eradens, gustus superfluas suauitates propellens, linguæ procacitatem detrahens, meretricios odores excludens naribus, tactus perniciosam mollitiem eradicans?

Cap. XVIII.

Quod verum Sabbatum, ac spiritale in charitate quærendum sit. H

IAm quale hoc Sabbatum aduertat Iudæus, si tamen vilis homuncio, gemens sub sarcina peccatorum, vinculatus retibus passionum, qui certe nihil aut perparum huius dulcedinis degustauit, hinc aliquid loqui potuerit. O si daretur mihi vel modica requies ab exactoribus Pharaonis, vt liceret animam meam, dimidia saltem hora, in huius silentij sabbato repausare! profecto in pace in idipsum dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus & Consulibus, qui ædificant sibi solitudines, & replent domos suas argento. Iob.3.13.14.15. Sed vnde misero tanta spes? Quæram, quæram sabbatum istud, si forte desiderium pauperis audias Domine, & eductum aliquando de lacu miseriæ, & luto fæcis, Psalm.39.3. Psal.30.20. dones vel stillulæ alicuius experientia, videre quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, quia non reuelas nisi diligentibus te. Qui enim diligunt te, requiescunt in te, & ibi vera requies, vera tranquillitas, vera pax, verum mentis sabbatum.

Tibi

A Gen. 2. 2. Tibi autem Iudææ vnde sabbatum? Quia *requieuit* (inquis) *Dominus die septimo ab omnibus operibus suis.* Quid ergo? in præcedentibus sex non requieuit? Imo (inquis) sex diebus fecit Deus cælum & terram, septimo requieuit. Hinc ergo tibi præcipitur vacare; vacare inquam, non saltare. O si scires vacare, & videre quoniam Iesus ipse est Deus; sublato certe mox infidelitatis obscuro, reuelata facie in charitate perfectum cerneres sabbatismum; Psalm. 41 5 nec magnopere iam carnales carnalis tui sabbati epulas affectares, qui ingressus locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis sonus epulantis, in illud canticum gratulabundus erumperes, Cant. 1. 3. *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Sed & illud Abacuch in cumulum tuæ iucunditatis assumeres, Abac. 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

Cap. XIX.

B *Quantum dies septimus cæteris præferatur, & quod in eo Dei charitas commendetur.*

Sed iam septimi diei prærogatiuam paucis aduertamus; Gen. 1. 3. & 7. & quidem magnus dies ille, in quo decussis tenebris, lux Deo iubente resplenduit: magnus & ille, quo aquas inferiores & superiores, intertiecto firmamento vox diuina discreuit. & 9. Pretiosus nihilominus ille, quo aquis Dei verbo in vnum congregatis, & 11. terra arida vestitur herbis, venustatur arboribus, decoratur floribus; fructibus fœcundatur. & 14. Nec ille inferior, in quo cælum luminibus adornatur, quibus dierum successus, temporum vices, anni cursus, signorum ordines disponuntur. & 20. Illius quoque quæ eminentia, quo aqua diuersorum animantium genus emittens, partem suis mergit gurgitibus, partem transmisit in aëra. Gen 1. 24. 25. & 26. 27 Nec vacat admiratione dies sextus, quo quadrupedia & serpentia producuntur è terra, quo demum homo formatus è limo, diuino flatu animatur. At nullus horum diei septimo videtur comparandus, in quo nulla quidem naturæ creatio, sed ipsius Dei requies, omniumque creaturarum commendatur perfectio. C Gen. 2. 2. Sic enim habes, *Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit ab vniuerso opere quod patrarat.* Magnus hic dies, magna requies, magnum sabbatum. O si intelligas! Ni fallor dies iste non huius visibilis solis cursu peragitur, non eius inchoatur exortu, nec terminatur occasu; denique non habet mane, non vespere. Porro de die primo, si tamen primus dicendus est, non enim eum scriptura primum appellat, sed vnum. Gen. 1. 5. Sed quomodo (inquis) sequens dicitur secundus, si non iste primus? Vide ne forte secundo dicatur dies vnus, dicatur & tertio; vt vno die sexies repetito, senarius nobis numerus commendetur.

Gen. 1. 5. Gen. 1. 8. Verum quoquo modo se habeat ista obscuritas, *Factum est* (inquit) *vespere & mane, dies vnus.* Et infra, *Factum est vespere & mane dies secundus.* Idipsum & de reliquis. Puto his verbis omnium creaturarum mutabilitatem esse signatam, defectum & profectum, initium & finem. De die septimo nihil tale. Non ei ascribitur vespere, non mane, non finis, nō initium; D ergo dies requietionis Dei, non temporalis sed æternus. Tu paulo ante Deum tibi finxeras temporaliter laborantem, quasi fatigatum temporaliter quiescentem. Hoc non erat Deum cogitare, sed idolum fabricare. Cauendum tibi est ne non habens idolum in templo Hierosolymitano, habeas illud in corde tuo. Non aliquid laborans fecit, quia *dixit & factum est.* Non fatigatus vno aliquo tantum die requieuit, quia dies requietionis eius æternus est, ergo requies eius æternitas eius, quod non est aliud quam diuinitas eius. Putaueras eū tibi similem, ideo quasi indigentem aliquid creasse, quo oblectaretur aspiciendo, vel in quo requiesceret fruendo: idcirco non in aliqua creatura requies eius describitur, vt scias nullius indigentem, sed sibi in omnibus sufficientem, nec creasse aliquid, vt suæ consuleret egestati, sed vt satisfaceret suæ plenissimæ charitati.

Porro creauit vt essent omnia, sustentat vt maneant, quæ manent omnia, ipse ad debitos fines perducit vniuersa. Nec id agit vlla necessitate, sed sola sua suauissima voluntate. E Sapien. 8. 1. Denique *attingit à fine vsque ad finem fortiter*, præsentissima & omnipotentissima maiestate, sed disponit omnia suauiter, quietus semper, & quiescens in sua placidissima charitate. Ipsa incommutabilis & æterna requies eius, æterna & incommutabilis tranquillitas eius, æternū & incommutabile sabbatum eius; ipsa sola causa cur creauit creanda, regit regenda, administrat administranda, mouet mouenda, promouet promouenda, perficit perficienda: ideoque aptissime vbi eius requies commemoratur, ibi omnium rerum perfectio demonstratur. Charitas enim eius, ipsa est voluntas eius, ipsa est & bonitas eius, nec hoc totum aliud quam esse eius. Hoc est enim ei in sua dulcissima charitate, in sua placidissima voluntate, in sua abundantissima bonitate semper quiescere, quod semper est esse. Quocirca sicut diebus succedentibus, & quasi vices suas mane ac vespere variantibus, in quibus creata narrantur omnia, creaturæ mutabilitas designatur; sic die hoc, die cui nihil aduenit, nihil præterit, nihil succedit, qui nec initio angustatur, nec fine concluditur, F ipsa eius æternitas non immerito commendatur, in qua eius requies aptissime describitur, ne indigens aut laborans aliquid creasse putetur. Sed cur ibi senarius numerus, hic septenarius? Et hinc accipe quale possumus documentum.

Cap. XX.

Cur senarius in Dei opere, septenarius in eius requie commendetur.

Senarius sane numerus perfectionem maximam continere videtur; ex omnibus quippe suis partibus constat, nec eas excedit. Partes eius sunt vnum, duo, tres. Nam si quæras vnum quota pars sit senarij, respondetur sexta; quota duo, responderi potest tertia; quota tres, respondetur media. Iam in senario nullus alius est numerus, de quo posset responderi quota sit pars eius. Omnes igitur partes senarij, vnum, duo, tres. Hos coniunge, nec plus, nec minus inuenies quam sexies. Is ergo numerus in mundi creatione seruatus est, vt in vniuersitate creaturæ nihil superfluum, G nihil æstimes imperfectum. Porro septenarius numerus in Dei requie dedicatur. Requiem Dei eius diximus charitatem. Nec immerito. *Pater* (inquit) *diligit filium, & omnia monstrat ei quæ ipse facit.* Ioan. 5. 20. Et iterum, *Sicut ego præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione.* Ioan. 15. 10. Et ipse pater, *Hic est* (inquit) *filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. 18 Hæc mutua patris filijque dilectio, amor suauissimus, gratus complexus, charitas beatissima, qua pater in filio, filius repausat in patre. Hæc plane, hæc vtriusq; imperturbabilis requies, sincera pax, æterna tranquillitas, incomparabilis bonitas, vnitas indiuisibilis; hoc vtriusque vnum, imo in quo vterque vnum, dulce, suaue, iucundum, sanctum dicimus spiritum, qui & idcirco creditur hoc sibi vocabulum proprie assumpsisse, quod esse constat vtrisque commune. Nam cum pater & filius vterque sit spiritus, vterque sanctus; hic tamen qui vtriusque est, charitas scilicet, & vnitas consubstantialis amborum, proprie dicitur spiritus sanctus. H Qui licet sit vnus, & cum patre & filio vnum; propter septiformem tamen gratiam, quæ ex illius fontis plenitudine creditur emanare, in scripturis septenario numero designatur. Vnde & in lapide vno, iuxta Zachariam, septem cernuntur oculi, Zachar. 3. 9 & secundum Apocalypsim, septem sunt spiritus ante thronum Dei. Apocal. 1. 4. Vides ergo quanta præstantia charitatis, in qua omnium Creator & rector, perenne quoddam, & ineffabile sabbatum sabbatizat.

Cap. XXI.

Quod in omnibus creaturis quoddam vestigium diuinæ charitatis appareat, & ideo quasi ad sabbatum, id est requiem omnia tendant.

Porro si omnem creaturam, à prima vsque ad nouissimam, à summa vsque ad imam, à summo angelo vsque ad minimum vermiculum, subtilius contempleris; cernes profecto diuinam bonitatem, quam non aliud dicimus quam eius charitatem, non locali

A infusione, non spaciosa diffusione, non mobili discursione, sed substantialis præsentiæ stabili, & incomprehensibili, & in se permanente simplicitate omnia continentem, omnia ambientem, omnia penetrantem, ima superis coniungentem, contraria contrariis, frigida calidis, siccis humida, lenibus aspera, duris mollia, concordi quadam pace fœderantem: vt in ipsa creaturę vniuersitate nihil aduersum, nihil possit esse contrarium, nihil quod dedeceat, nihil quod perturbet, nihil sit quod ipsam vniuersitatis pulchritudinem decoloret, sed in ipsius ordinis tranquillitate, quem ipsi vniuersitati præfixit, cuncta quasi tranquillissima quadam pace quiescant. Vnde id quod tumescens foras, ordinem excedit diuinæ bonitatis, excipitur mox ab ordine eius inuictissimæ potestatis; vt quanquam in se inquietum sit, & inordinatum, tranquillitati tamen ipsius vniuersitatis non modo non obsit, sed etiam prosit plurimum: dum comparatione eius, quæ pulchra sunt, pulchriora; quæ bona sunt, iudicentur esse meliora.

B Hinc est quod singula quæque ad suum ordinem tendunt, sua loca petunt, extra ordinem suum inquieta sunt, ordinata quiescunt. Nam si lapidem libres in aëra, nonne mox quasi vim passus proprio pondere se deponit ad solida, ibi tantum requiem habiturus, vbi nec deflectet in latera, nec in ima, solidi alicuius oppositione, labatur? At si oleum ceteris subfundas liquoribus, continuo suæ deiectionis impatiens penetrat ad superna, nec alias deponit conatum, quam cæteris supereminens ordinis sui quiete potiatur. Quid olera? quid arbusta? nonne quo feracius vberiusque fructificent, hæc solidiorem, hæc molliorem, hæc pinguiorem, hæc argillosam, hæc arenosam quasi appetunt terram? Quæ cum fuerint, secundum naturæ suæ ordinem, posita vel transposita, plantata vel transplātata, nihil se vlterius affectare, ipsius incrementi sui voce testātur. Denique si singula quæque corpora diligenter attendas, cernes nimirum singula suis constare partibus, partes partibus quasi vnitatis quodam vinculo colligari, ordinē suæ seruare naturæ, in eo quasi quadam pace quiescere; ita

C vt si velis ab eo modo, in quo quæque res est, eam transferre, pax partium quodammodo perturbetur, donec adductæ in eum, quem velint modum, quadam iterum as-

Compendij cap. 4. sumpta tranquillitate quiescant. Porro animantibus irrationabilibus quis labor est tueri salutem, vitare perniciē, carnalium appetituum quærere satietatem? qua adepta, cum nihil habeant vltra quod appetant, conquiescunt. Rationis quippe, scientiæque expertia, quod sensum carnis excedat, ne appetere quidem possunt.

Cap. XXII.

Quod rationalis creatura non nisi in beatitudinis adeptione quiescit, & quare cum beatitudinem optet, viam tamen, qua eam obtineat, mira infelicitate refugiat.

Compendij cap. 4. Tibi enim, ô anima rationalis, prę cæteris animantibus hæc prærogatiua seruatur, quo te sensibus carnis e-

D mergens ad altiora contendas, nec aliquando saties appetitum, donec ad id quod est summum, id quod est optimū id quo nihil superius, nihil excellentius, felici curiositate peruenias. Vbicunque infra substiteris, tametsi altum, tametsi magnum, tametsi iocundum iudicetur, misera proculdubio remanebis. Misera, quia indiga; indiga, quia restat quod petas, restat ad quod anheles, restat postrema ipsa beatitudo, ad quam appetendam, animam rationalem vis quædam naturalis impellit. Quocirca cum omnes homines beatos esse velle, singulorum testis sit conscientia, cum hæc voluntas vllo modo nequeat aboleri, patet rationalem creaturam, optatam omnibus requiem, non nisi in beatitudinis adeptione sortiri.

Proinde deploranda satis est miseri hominis cæca peruersitas, qui cum beatitudinem vehementer exoptet, non modo non agit quibus adipiscatur optata, verum proniori affectu ea committit, quibus miseriam magis accumulet suam. Quod, vt mea fert opinio, nequaquam ageret, nisi hinc eum falsa quædam felicitatis imago deluderet, hinc

E veræ miseriæ similitudo terreret. Nam pauperiem, luctū, famem, sitim, quis non videat miseriæ fore non modicam portionem? quibus tamen plerumque vera miseria præcauetur, æterna beatitudo conquiritur. *Beati enim pauperes* (ait Iesus) *quoniam vestrum est regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuritis nunc, quia saturabimini.* *Matth. 5.* Pauperies ergo æternis diuitiis muneratur; luctus æterna iocunditate mutatur; esurienti satietas æterna seruatur. Hęc enim omnia, diuinas scilicet, iocunditatem, satietatem, beatitudini non deesse nemo qui dubitet.

Verum quia reprobum quemque in qualicunque suæ voluntatis affectu, species quædam iocunditatis eludit, in desideriorum expletione delectatio falsa dissoluit; ignorans, miser, quanta sit electis & in pressura consolatio, & in spe gratulatio, perhorrescit quidem eam, quæ in facie pater infelicitatis effigiem, sed sub felicitatis colore veram excipit infelicitatem: falsam iocunditatem, quæ verum dolorem non effugit, ei miseriæ præferens, cui vera beati-

F tudo succedit. Non secus quam si æger quispiam salutem vehementer exoptet, sed ob præsentem molestiam refugiat sectionem, adustionem exhorreat, ac præsenti quadam suauitate pellectus, olei fomenta requirat: quanquā morbus eiusmodi sit, vt hac magis lenitate feruescat, nec sine adustionis, sectionisue dolore lentescat. Sic miser homo, sic vel deceptus, dum putat felicitatem esse, quæ non est, vel præsentium suauitate illectus, quæ falsa est: & seipsum miseriæ addicit, & beatitudinis appetitum non amittit, ac perinde infelici circuitu laborans numquam quiescit. Enimuero cum anima rationali solus sit superior Deus, par angelus, cætera omnia inferiora iudicātur; quid dementiæ tam vicinum, quam relicto superiore, in his, quibus ipsa sit melior, requiem aucupari?

Cap. XXIII.

De prærogatiua rationalis creaturæ, & quod requiem, quam naturaliter appetit, nec in salute corporis, nec in mundi huius sit quærenda diuitiis.

G O Mirabilis creatura solo creatore inferior, quo te deiicis? Mundum amas? sed ipsa es mundo superior. *Compendij cap. 5.* Solem miraris? sed ipsa es sole lucidior. De cæli huius volubilis situ philosopharis? sed tu cælo sublimior. Secretas creaturarum causas rimaris? sed te nulla creatura secretior. Dubitas, cum tu de his omnibus iudices, de te autem nihil horum? Sed si velis iudicare, noli tamen amare. Sed nec ipsum iudicare ama. Ipsum ama, qui his omnibus te præposuit, non submisit. Præposuit, non vt ex his tu beatior; sed vt esset, quo tu esses superior: subiiciens tibi omnia ad cumulum honoris, se tibi seruans ad fructum beatitudinis. Quid ergo sequeris fugitiuas pulchritudines, cum tua ipsius pulchritudo nec senectute marcescat, nec paupertate sordescat, nec palleat ægritudine, nec ipsa saltem morte depereat? Quod quæris, quære; sed noli ibi. Quæris vt voluntati tuæ nihil desit, & sic requiescas: hoc ergo quære. Vbi inquis? noli in salute corporis, quæ si sic ametur, vt in ea

H requies ista quæratur; cerne si desit, quanto labore acquiritur; quam pœnali exitio, pœnalis plerumque morbus expellitur. Porro si adsit, quanta necesse est cura seruetur? quot ei insidiantur morbi, quot febres, quot pestes, quot denique mortes? Quid ergo? numquid in diuitiis? Sed quis labor in acquirendis, quæ sollicitudo in seruandis, quis timor ne amittantur, quis dolor si delabantur? Auxisti pecuniam, & timorem nihilominus auxisti. Timetur potens, ne auferat; timetur latro, ne minuat; timetur seruulus, ne prodat.

Deinde quam crebro id quoque eueniat, quod quidam sapiens ait, *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui*: quis dixerit? *Eccles. 5. 11.* Magis ergo requiescit pauper. Vacuus enim viator, & nudus, vt quidam ait, non timet latronis insidias. Securus à nocturnis furibus dormit pauper, etsi claustra non muniat. Inde est & illud poeticum, Cantabit vacuus, coram latrone, viator. Cæterum mordaces diuitum curas, quidā sapiens satis eleganter irridens, *Saturitas* (inquit) *diuitis non sinit eum dormire.* *Eccles. 5. 11.* Quod licet ad literam plerumq; contingat,

A tingat, vt diues quispiam saturatus ad nauseam, dum prægrauato stomacho se colligit ad quietem, crebris ructibus excitetur; intelligendum tamen dictum illud de illo potius somno, de quo sponsa gloriatur in Canticis, *Cant.5.2.* *Ego* (inquiens) *dormio, & cor meum vigilat*; de quo & psalmista, *Psalm.4.9.* *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Hic est somnus, in quo sopitis sensibus carnis, ac temporalibus curis, ac penetralibus *Psalm.33.9.* sui cordis extrusis, sancta anima in Dei suauitate quiescit, gustans & videns quam dulcis est Dominus, quam beatus omnis, qui sperat in eo. Hoc ergo somno absit vt diuitem quempiam æstimes consopiri, qui semper lucris inhians, quo plura congesserit, eo inexplebiliori ingluuie non habita concupiscit; *Eccles.5.9.* vnde Salomon, *Auarus* (inquit) *non satiabitur pecuniis; & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Qui propheticum quoque illud maledictum incurrit, *Abac.2.6.* *Væ qui congregat non sua.* Statimque idem metallorum eius subsannans congeriem, *Vt quid aggrauat contra se densum lutum?*

B

Cap. XXIV.

Quid sit inter diuites electos & reprobos.

Eccles.5.9. Notandum sane quod non ait Salomon, Qui habet diuitias, sed, *Qui amat* (inquit) *diuitias, fructum non capiet ex eis.* Nam profecto electi quique, etsi forte diuitias habeant, non tamen eas amant, proinde nec in his requiem *1.Tim.6.17* quærunt, sed audientes præcipientem Apostolum diuitibus, nō superbe sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum, vt apprehendant veram vitam; ex suis diuitiis non modicum fructum accipiunt, audituri nimirum *Mat.25.34.* à Domino *Venite benedicti patris mei, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Et cætera.* Hi sane non laborant in diuitiis acquirendis, timentes illud Apostoli, *1.Tim.6.9.* *Quia qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli:* hos in conseruandis cassa sollicitudo non cruciat, sponsionem Domini altius recitantes, qui & sollicitudinem prohibet, & necessaria C *Mat.6.31. & 33.* spondet, *Nolite* (inquiens) *solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Et paulo post, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Postremo *Hebr.10.34* harum amissione non murmurant; imo & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, considerantes se habere meliorem, & manentem substantiam.

At peruersis in contrarium cedit. Dum enim rationalis animæ appetitum, cui solus Deus satis est, vilissima mundialium rerum copia existimant posse sopiri; quia nihil quantarumlibet rerum ingestione proficiunt, nec ad modicum curis se infelicibus exuūt, nec aliquando laborem deponunt: & tamen, quod miserius est, talium rerum quęstu vana cæcitate tumescunt. Et hæc quidem in præsenti: At quis horum finis? Vltima eorum verba, quæ sacra *Sapien.5.3. & 7.* scriptura non tacet, potius audiamus. *Dicent* (inquit) *inter se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*; eorumque verba subnectit, in quibus sunt hæc, *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles viam autem* D *Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantes aquas, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire: ita & nos nati continuo desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno qui peccauerunt, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Alias ergo *hæc requies*, & hoc sabbatum videtur esse quærendum.

Cap. XXV.

Quod nec in mundiali amicitia requies sit quærenda.

Sed amare, inquis, & amari quid tranquillius? Siquidem in Deo, & propter Deum, non improbo, imo & probo plurimum. E At si secundum carnem vel mundum, cerne quot inuidiæ, quot suspiciones, quot zelantis animi vrentia flagra quietem mentis excludunt. Quod si nihil horum euenerit, mors, quam omnes experiri necesse habent, hanc dirimet vnitatem, dolorem viuenti, pœnam importabit discedenti. Quanquam & in hac vita, inter amicissimos graues inimicitias obortas, nouimus. Sane de ea, quæ inter bonos est, dilectione alias disseremus.

Cap. XXVI.

Quod nec in corporis voluptate, nec mundi potentia requies inueniatur.

Compellimur quasi næuum quendam huic corpori inserere, de carnali scilicet voluptate sermonem; de qua tacendum quidem foret, nisi plerosque quasi exutos homine, belluina quadam similitudine adeo, cerneremus indutos, vt in ventris, eorumque quæ sub ventre sunt voluptate, omnem vitæ suæ fructum æstiment collocandū. F Ne quis ergo existimet in his mentis suæ requiem esse quærendam, paucis hinc dicendum. Quid enim peruersius, quam rationalis mentis bonum in ventris ingluuie *Compendij cap.5.* collocare, ac id, quod præcellit in homine, vilissimæ cuidam carnis suæ portioni substernere? maxime cum se in his, à stolidissimis belluis nihil videat posse differre. Denique & fames cruciatum, & satietas fastidium parit. Nam etsi voluptati satisfaciat, necessitatis metas excedat necesse est; si autem naturæ modum excesserit, dolorem corporis vitare impossibile est. Porro libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis, in cœno turpitudinis volutari, sicut nihil turpius, nihil fœdius, nihil magis erubescendum, nihil tam confusione dignum; ita profecto nihil magis inquietum, nihil ita omni quiete, ac tranquillitate vacuum. Nam de eius fœditate quid dicendum, cum hæc sordidissima lues & carnem contaminet, & mentem effœminet, ac quicquid in animo honestū, quicquid denique virile est, obruat pariter & euertat?

G Et quidem cum cætera vitia plerumque se quibusdam virtutum tegumentis obpallient, ac perinde non modo ad humanos non erubescant, imo & intumescāt aspectus; hæc sola in prima fronte tantum sui præfert horrorem, vt ea maxime hora, qua etiam carnem perstringit ac sibi vendicat, oculos vehementer refugiat. Nempe & ipsis membris, humano corpori à sapientissimo Creatore honeste insertis, ob sui obscœnitatem tātum turpitudinis ingessit, vt is, qui ea maluit cernere, quam reuerenter obtegere, æterna patris maledictione multetur; quibus autem hoiū nuditas verecundiæ notam inussit, benedictionis perpetuæ gratia munerentur. Nec mirandum, iam triumphante, ac vbiq; coruscante illa mollitiei debellatrice cruce Iesu, huius passionis colluuiem proditam ac nudatam; cum in illa dæmonicola plebe, in qua callidissima dæmonum factione, falsorum deorum flagitia pro sacris colebantur, pro eorum quasi reuerentia in theatris saltabatur, nec saltem sub spurcissimo Ioue spurcus quisquam notam aliquando confusionis exuerit. H Nam & ab ipsis adulterorum deorum cultoribus, & adulterium puniebatur, & castitas plurimum laudabatur.

Quid ergo his agendum, qui virginis filium, ac virginitatis colunt auctorem? Cauendum est profecto ne cuiquā id eueniat, quod de quibusdam ait Propheta, *Computruerunt iumenta in stercore suo.* *Ioel.1.17.* Quibus verbis proprie satis finē, modumque huius spurcissimæ passionis expressit, eum quem luxurię charybdis absorbuit, carnis suę colluuione, quasi proprij stercoris egestione, asserēs esse corruptum: vt eum non modo ęstimes extinctū vel absorptum, sed instar sepulti cadaueris, immundissimi pruritus sanie profluente, putrescentem sentias & fœtētem. Necesse est ergo mentē, cui nequam hic spiritus insederit, quibusdā furiis agitari; & ignitis luxuriæ stimulis impetitum, ad quæque flagitia ebriū & vagabundū, soluto freno totius honestatis impelli: restinctoq; semel cōceptæ passionis incēdio, in aliud nihilominus æstu vehementiore succēdi. Perabsurdum est ergo, in eiusmodi voluptate rationalis mentis requiem aucu-

A aucupari, præsertim cum à diuina iustitia numquam ma-
iorem pœnam in præsenti vita legimus irrogari, quam cum
propriis desideriis quislibet traditur maculandus, dicente
Psal.80.12. scriptura, *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non
intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Et
Apostolus manifestius de his, qui commutauerunt glo-
Rom.1 24. riam Dei in idola, *Propter quod* (inquit) *tradidit illos Deus in
desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant
corpora sua in semetipsis.* Non quod eos Deus, quasi malorum
incentor, ad hæc probra compulerit, sed quod ab eo iu-
stissime derelicti, hæc facinora vitare nequiuerint.

Supprimo multa silentio, quę mihi contra hanc immũ-
dissimam luem animo suggeruntur, verens nimirum pu-
dicissimos oculos tuos, mi amantissime ac desideratissi-
me, cui præsens opusculum destinaui. Videor enim mihi
quasi cernere pudoratam faciem tuam, ad hæc quæ scripta
sunt, honestæ verecundiæ nota perfundi, ac suauissimo o-
culorum nutu mihi silentium imperare. Noui enim illud
B castissimum pectus, tanta charitatis suauitate perfusum,
ac suaue olentis pudicitiæ refertum floribus, tam cælestẽ
ac diuinum spirare odorem, vt huius colluuionis fœtorem
saltem audire onerosum sit. Proinde ad alia transeuntes,
de aurium, oculorumue, ac cæterorum sensuum volupta-
te, de dominatu ac potentia, ille Rex ditissimus, potentis-
simus, delicatissimus, sed sapientissimus Salomon videli-
cet consulatur, imo in ipso, ipsa sapientia intentissime au-
diatur. Primo igitur ex sua, siue aliorum persona pronun-
Ecclesi. 2.1. & 4. cians, *Dixi* (inquit) *in corde meo, Vadam & affluam delitiis, &
fruar bonis.* Et infra. *Aedificaui domos, plantaui vineas, feci hortos
& pomaria, & conseui cuncti generis arboribus.* Multaque hu-
& 7. iusmodi addens adiecit, *Possedi seruos & ancillas, & familiam
multam nimis. Coaceruaui mihi argentum & aurum, substantias
Regum & Prouinciarum.* Et cum de voluptate aurium addi-
& 8. & 10. disset, *Feci mihi cantores, & cantatrices,* post pauca subiunxit;
*Quicquid desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor
meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ
parauerant.*

C Quid rogo delicatius? Quid suauius? Quid secundum
hanc vitam iocundius? Sed audi quia nihil vanius. *Cumque
& 11. conuertissem me* (inquit) *ad cuncta opera mea, & labores meos, in
quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictio-
nem spiritus, & nihil permanere sub sole.* Ideoque generalem
Eccles.1. 14. sententiam præmiserat dicens, *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole,
& ecce omnia vanitas, & afflictio spiritus.* Addamus & illam
Ioan. 8. 34. Saluatoris nostri sententiam. *Omnis qui facit peccatum, seruus
est peccati.* Coniungantur ergo hæc tria, Vanitas, Seruitus,
Afflictio spiritus. Vbi igitur requies? vbi sabbatum? maxi-
Leuit.23. 8. me cum lex dicat. *Nullum opus seruile facietis in eo.* Certe o-
mnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Vbi ergo ab
hoc seruili opere certa vacatio? Vbi cauetur huius seruitu-
tis contagio? Vbi fit vera & perfecta sabbatizatio? Deni-
Eccles.7.2. que *non est iustus super terram qui non peccet* Porro *in iniquitati-
Psalm.50.7 bus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, ait san-
ctus Dauid.

D
CAP. XXVII.

*Quod charitas sit illud iugum suaue, sub quo vera requies, quasi ve-
rum sabbatum inuenitur.*

Ioan.8.36. AVdiamus quapropter eum qui ait, *Si vos filius libera-
uerit, tunc vere liberi eritis.* Ipsum, inquam, audiamus
vocantem, clamantem, & ad requiem, & ad sabbatum, la-
Matt.11. 28 borantes inuitantem, *Venite* (inquit) *ad me omnes, qui labo-
Comp.c.6. & 29. ratis & onerati estis, & ego vos reficiam.* Ecce refectio, quasi
sabbati præparatio. Iam ipsum sabbatum audiamus, *Tollite
iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis
& 30. corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ecce requies, ecce
tranquillitas, ecce sabbatum. *Et inuenietis requiem animabus
vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Prorsus
iugum istud suaue est, & onus leue; ideo inuenietis requiẽ
animabus vestris. Iugum istud non premit, sed vnit; onus
istud pennas habet, non pondus. Iugum istud charitas est,
onus istud fraterna dilectio est. Hic requiescitur, hic sab-
batizatur, hic à seruilibus operibus vacatur. Denique *cha-*

ritas non agit perperam & non cogitat malum: & *dilectio proximi* E 1.Cor.13.4.
malum non operatur. Vides Iudæe vbi sabbatum, in quo etsi Rom.13.10.
contingat non quidem ex charitate, sed ex infirmitate ali-
qua peccati subreptio, quia tamen *charitas operit multitudi-* 1.Pet.4.8.
nem peccatorum, non perit sabbati feriatio. Et merito septi-
mo die hæc vacatio dicatur, quia *charitas Dei diffusa est in* Rom.5.5.
cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Porro
septenario numero Spiritum sanctum significari, iam su-
perius diximus.

CAP. XXVIII.

Exemplum de seipso & sua conuersione.

ECce dulcis Domine, perambulam mundum, & ea
quæ in mundo sunt, quia *quicquid in mundo est* (ait ille 1.Ioan.2.16
arcanorum tuorum conscius) *aut concupiscentia carnis, aut
concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Quæsiui in his re-
quiem infelici animæ meæ, sed vbique labor & gemitus, F
dolor & afflictio spiritus. Clamasti Domine, clamasti, vo-
casti, terruisti, rupisti surditatem meam: percussisti, verbe-
rasti, vicisti duritiam meam; obdulcuisti, sapuisti, prodidi-
sti amaritudinem meam. Audiui, sed heu sero clamantem,
Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis; Et ego, *Operi* Iob.14.15.
(inquam) *manuum tuarum porriges dexteram.* Iacebam enim
pollutus & obuolutus, ligatus & captiuatus, irretitus visco
tenacis iniquitatis, oppressus mole inueteratæ consuetu-
dinis. Itaque intendi meipsum quis essem; vbi essem; qua-
lis essem. Exhorrui Domine, & expaui propriam effigiem
meam; terruit me tetra imago infelicis animæ meæ. Di-
splicebam ipse mihi, quia tu placebas. Volebam fugere à
me, & fugere ad te, sed retinebar in me. *Retinebant me*, vt ait Augustin.
quidam, *nugæ nugarum, & vanitas vanitatum, antiquæ amicæ* Confes.c.11.
*meæ, vinculabat me catena pessimæ consuetudinis meæ, vinciebat a-
mor sanguinis mei, stringebant vincula socialis gratiæ, maxime no-
dus cuiusdam amicitiæ, dulcis mihi super omnes dulcedines illius
vitæ meæ.*

Sapiebant ista, placebant ista, sed tu magis. Attendens G
enim singula ista, vidi amaris dulcia, lætis tristia, aduersa
prosperis esse permixta. Placebat amicitię grata connexio,
sed semper timebatur offensio, & certa erat futura quan-
doque diuisio. Consideraui iocunditatum illarum initia,
attendi processus, finem prospexi: Vidi nec initia repre-
hensione, nec media offensione, nec finem carere posse
damnatione. Mors suspecta terrebat, quia talem animam
post mortem certa pœna manebat. Et dicebant homines
attendentes quædam circa me, sed nescientes quid agere-
tur in me. O quam bene est illi! O quam bene est illi! Igno-
rabant enim quia ibi mihi male erat, vbi solum poterat
bene esse. Valde enim intus erat plaga mea, crucians, ter-
rens, & intolerabili fœtore omnia interiora mea corrum-
pens; & nisi cito admonuisses manum, non tolerans mei-
psum, forte pessimum desperationis remedium adhibuis-
sem. Cœpi ergo conicere, quantum inexpertus potui, i-
mo quantum tu dedisti, quanta in tui dilectione iocundi-
tas, quanta cum iocunditate tranquillitas, quanta cum H
tranquillitate securitas. Nõ eius qui te amat errat electio,
quia te nihil melius: non spes fallitur, quia nihil amatur
fructuosius; non modi excessus timetur, quia in tui dile-
ctione nullus modus præscribitur; non mundialis amici-
tiæ diremptrix mors formidatur, quia vita non moritur. In
tui dilectione non timetur offensio, quia nulla est, nisi i-
psa deseratur dilectio; non interuenit vlla suspitio, quia
iudicas ipsius conscientiæ testimonio. Hic iocunditas,
quia timor excluditur; hic tranquillitas, quia ira compe-
scitur; hic securitas, quia mundus contemnitur.

Cæpisti interim paulatim sapere palato meo, quanquã
minus sano, & dicebam, O si sanarer! Et rapiebar ad te; sed
iterum recidebam in me. Et tenebant me quasi compedi-
tum ea, quæ per carnem delectabiliter sentiebam, vi qua-
dam consuetudinis, sed magis placebant ea, quæ animus
cõiiciebat vi rationis. Et dicebã sæpe in auribus etiam alio-
rum, Vbi rogo modo sunt oẽs delitiæ nostræ, oẽs voluptates,
omnes iocunditates, quibus vsque in hanc horam vsi su-
mus? Iam nunc hoc momento temporis, quid inde sen-
timus?

A timus? Quicquid iocundum fuit, hoc abijt: hoc solum de his omnibus superest, quod conscientiam pungat, quod timorem mortis incutiat, quod nos æternæ damnationi addicat. Comparetur quæso omnibus diuitijs nostris, omnibus delitijs, omnibus honoribus, id vnum famulorum Christi, quod mortem non timent. Vilui ipse mihi in his verbis sæpe, & flebam aliquando amarissima contentione animæ. Viluit mihi quicquid aspiciebam, sed carnalis delectationis consuetudo premebat. Sed qui audis gemitus compeditorum, & soluis filios interemptorum, dirupisti vincula mea; & qui meretricibus, & publicanis offers paradysum tuum, me omnium peccatorum primum conuertisti ad te. Et ecce respiro sub iugo tuo, & repauso sub onere tuo, quia iugum tuum suaue est, & onus leue est.

Cap. XXIX.

B *Quantum errent qui de dominici iugi asperitate causantur, cum quicquid laboris sentitur, ex reliquijs fit cupiditatis, quicquid requiei, ex infusione charitatis.*

Errant Domine, errant, falluntur, qui ignorantes semetipsos, & quid in se agatur non aduertentes, de iugi huius asperitate, ac oneris grauitate causantur. Quid ergo, inquis, tu, qui videris huic iugo supposuisse ceruices, ac oneri humeros subiecisse, nunquam laboras? Imo persæpe: nam hodie quoque nonnihil laboraui: Cum enim paulo ante incautius mihi verbum exilisset, ita illud amicissimus quidam meus moleste accepit, vt etiam offensionem suam vultu proderet, & prostratum me ad pedes eius paulo tardius erigeret. Nec plane adhuc exsudauit animus meus mœrorem illum, Domine tu scis, non ideo quia ego tarde erectus, sed quia ille offensus, & ego incauto sermone præuentus. Et forte ob singularem familiaritatem, qua ei magis nude loqui consueui, hic mihi facilius sermo subrepsit, secundum id

C quod vulgo dicitur, Priuatus Dominus stultum mancipium facit.

Et nunc Domine inspector infirmitatis meæ, medicus animæ meæ, vnica spes salutis meæ, tibi soli peccaui, etiam quod in ipsum peccaui. Non enim ideo peccatum est, quia illum offendi; sed quia ne offenderem, tu prohibuisti. Tibi Domine, tibi soli peccat, quicunque peccat; quia cum peccatur, aut non fit quod iubes, aut fit quod prohibes. Homicidium Domine peccatum est, quia tu

Exod. 20. 13. 1. Reg. 15. 3. & 22. dixisti; *Non occides.* Et ideo cum tu aliquando diceres, Occide, non solum peccatum non fuit occidere, sed, scelus maximum nolle, te iubente, occidere. Fraudem quoque damnat tua lex; & tamen cum te iubente, Hebræi

Exod. 11. 2. & 12. 36. mutuatis vasis, & vestibus spoliarent Ægyptum, quoniam tibi paruerunt, non vtique peccauerunt. Dicis nihilominus, Non fornicaberis, & idcirco fornicari immanissimum scelus est; nec tamen te iubente, dubitauit Propheta tuus sumere sibi mulierem fornicariam, vt faceret filios fornicationis; quod vtique non faceret, si vxorio vinculo sibi eam copulasset. Quanquam dubitetur

Osee 1. 2.

D vtrum ad litteram sic factum sit. *Tibi ergo soli peccaui.* Neque occurrit in scripturis, hoc facile homini dictum, *Tibi peccaui*; quanquam dictum sit, *In te peccaui.* Nescio quid magnum innuit quod dictum est, *Tibi.* Quid est ergo, *Tibi peccaui*? nisi, tuo arbitrio æstimandum est peccatum meum, tuo arbitrio iudicandum, tuo arbitrio puniendum? *Tibi soli peccaui.* Vt quid parat lapidem Iudæus? *Tibi soli pec-*

Ioan. 8. 7. *caui, Qui sine peccato est* (inquit) *vestrum, primo in illam lapidem mittat.* Illi ergo soli peccaui, cui congruit de peccato iudicare; cuius iudicij est, quod hoc constat esse peccatum. Tu ergo Domine, tu ignosce quia peccaui, quia tibi soli peccaui: quia tamen & in illum peccaui, proijciam me adhuc ad pedes eius; tu autem inspira ei, vt & ipse ignoscat quod illum offendi: quanquam, sicut tu scis, tunc eum offendere non cogitaui, non volui.

Sed vt redeam ad priora, nunquid hic labor meus de iugo dominico, & non potius de morbo proprio? Sentio profecto, quicquid mihi est tranquillitatis, quicquid pacis, quicquid est iocunditatis, hoc totum mihi, hoc suauissimum iugum parturire: quicquid vero laboris, quicquid fatigationis, quicquid denique grauitatis, ex reliquijs mundialis concupiscentiæ prouenire. Sub iugo E enim illo, quod infelicissimæ ceruici meæ, Babylonis, id est confusionis, Princeps imposuit, infirmata est virtus mea; contrita sunt ossa mea; & quamuis ex aliqua parte sit soluta captiuitas, restat tamen ex antiqua oppressione nonnulla infirmitas; ex qua plerunque turbatur, iam aliquantulum ex parte, suauitatis serenitas, donec ille, qui propitiatur omnibus iniquitatibus meis, sanet etiam omnes infirmitates meas, redimensque de interitu vitam meam, Psal. 102. 3. coronet me in misericordia & miserationibus; cum corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem, & impleatur sermo qui scriptus 1. Cor. 15. 53. est: *Absorpta est mors in victoria.* Interim ex iugi huius suauitate non modica consolatio, & contra inditam infirmitatem nonnulla conflictatio.

Cap. XXX. F

Quod hi, qui de dominici oneris grauitate queruntur, mundi potius onere comprimuntur.

Proinde qui de iugi huius asperitate causantur, forte grauissimum mundialis concupiscentiæ iugum, aut non plene abiecerunt, aut abiectum cum maiori confusione resumpserunt, ac à foris iugum dominicum præferentes, sed ab intus humeros sæcularium negotiorum sarcinæ supponentes, labores & dolores, quibus semetipsos addicunt, grauitati dominici oneris imputant: sicque *præcepta Domini*, quæ sicut dicit Ioannes, *grauia non sunt*, fastidientes, & vt canes proprium vomitum repascentes, sub 1. Ioan. 5. 3. habitu abstinentium, ventrem colunt; sub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias & honores anhelant; sub sacro amictu continentium, carnis sordibus maculantur; sub agnino vellere, lupinum gerentes animum; ac inexplebili auaritia æstuantes, domum ad domum, agrum agro copulant, viduis non parcunt, orphanis non miserentur, patrimonia sibi pauperum vendicant, pro his ad lites G & contentiones proni, ad iudicia parati, pro his continuis curis euiscerantur, inflammantur odijs, anxijs cogitationibus dissipantur, quia iugum non Domini, sed mundi asperum est, & onus mundi graue est. Porro *iugum Domini suaue est, & onus Domini leue est.* Mat. 11. 28.

Cap. XXXI.

Quanta sit in charitate perfectio, & quid ipsa à cæteris virtutibus distet, & quod cætera virtutes sine ipsa virtutes non sint.

Quid enim suauius, quid gloriosius, quam mundi contemptu mundo se cernere celsiorem, ac in bonæ conscientiæ vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus; nihil videre quod appetat, nullum quem metuat, nullum cui inuideat; nihil, quod possit ab alio auferri, suum esse; nihil, quod ab alio sibi possit inferri, malum esse? Dumque in illam hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis, dirigit mentis obtutum, sæculares diuitias quasi corruptibiles, carnales illecebras quasi contaminatas, omnes mundi pompas quasi marcessibiles, quadam mentis nobilitate contemnere, & in illud Propheticum exultare, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni; exsiccatum est fœnum & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.* Quid rogo dulcius, quidve tranquillius, quam turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendijs non aduri, ad nullum illecebrosum moueri aspectum, sed tepescentem rore pudicitiæ carnem, spiritui habere substratam, non iam ad carnales voluptates illectricem, sed ad spiritualia exercitia obedientissimam adiutricem? Quid tandem diuinæ tranquillitati tam proximum, quam ad illatas contumelias non moueri, nullo supplicio, nullave persecutione terreri,

Compendij c. 7.

H

1. Petr. 1. 4.

Isa. 40. 6.

A vuam mentis & in prosperis, & in aduersis habere constantiam, inimicum & amicum eodem oculo intueri, ad eius se similitudinem conformare, *qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos?* Hæc simul omnia in charitate, & nonnisi in charitate simul omnia; ac perinde in illa vera tranquillitas, vera suauitas, quia ipsa est iugum Domini, quam si Domino inuitante tulerimus, inueniemus requiem animabus nostris, quia *iugum Domini suaue est & onus leue.* Denique *charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, &c.*

Matt. 5. 45. Mat. 11. 28. 1 Cor. 13. 4.

Proinde cæteræ virtutes sunt nobis, aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, aut quasi lucerna caligantibus, aut quasi arma pugnantibus: at charitas, quæ, licet vt aliæ virtutes virtutes sint, sit oportet in omnibus, specialius tamen ipsa & requies fatigato, & viatori mansio, & plena lux peruenienti, & perfecta corona victori. Quid enim est fides nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur? quid spes nisi viaticum nostrum, quo in
B huius vitæ miserijs sustentamur? quid quatuor illæ virtutes, temperantia, prudentia, fortitudo, iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? At vbi charitate, quæ nonnisi in Dei visione perficitur, illis duntaxat quibus hic in fide inchoatur, mors fuerit plenius absorpta; nec fides erit, quia qui cernitur & amatur, non est opus vt credatur; nec spes erit, quia brachijs charitatis Deum amplectenti, nihil restat quod speretur. Verum temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra aduersitates, iustitia contra inæqualitates; sed in charitate perfecta castitas, ideoque nulla libido, contra quam pugnet temperantia; in charitate perfecta scientia, ideoque nullus error, contra quem pugnet prudentia; in charitate vera beatitudo, ideo nulla aduersitas, quam fortitudo deuincat; in charitate pacata sunt omnia, ideo nulla inæqualitas, contra quam iustitia vigilet. Sed nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur; nec spes, nisi quod speratur, ametur. Porro si subtilius aduertas, quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas
C illicit? quid prudentia, nisi amor, quem nullus error seducit? quid fortitudo, nisi amor fortiter aduersa sustinens? quid iustitia, nisi amor æquus, quodam moderamine inæqualitates huius vitæ componens? In fide ergo charitas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in seipsa perficitur.

Cap. XXXII.

Quomodo opera sex dierum cæteris aptentur virtutibus, septimi vero diei requies charitati assignetur.

Compendij cap. 8.

Sit ergo Fides nobis quasi primus dies, quo fideles ab infidelibus, quasi lux a tenebris separamur; sit Spes secundus, per quam in cœlestibus habitantes, & pro fidei meritis sola supercœlestia sperantes, ab his qui terram sapientes, & a Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar, dilabuntur & fluitant, Deo pro-
D mouente discernimur. Temperantia nobis quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra, quæ sunt super terram mortificantibus, ac carnales concupiscentias, quasi aquas amarissimas, necessarijs terminis coercentibus, appareat terra cordis nostri arida, & inaquosa, sitiens Dominum Deum suum. Iam vero Prudentia quasi diei quarti lumen erumpat, per quam inter facienda & non facienda, quasi inter diem & noctem diuidamus; cuius adminiculo lumen sapientiæ, velut solis splendor effulgeat; lux scientiæ spiritalis, quæ in aliquibus nobis crescit, in aliquibus deficit, quasi lunæ decus appareat; per quam etiam præcedentium patrum exempla, quasi stellarum globos mens deuota suscipiat; per quam inter dies & annos, menses & horas diuidat; quid distet videlicet inter eos, qui ante legem, & sub lege; quid inter hos, & illos qui sub gratia, quid singulis conueniat, quæ præcepta, quæ tempora, qui mores, quæ sacramenta, æqua examinatione discernat. Sit nobis Fortitudo quasi dies quintus, per quam huius maris magni & spaciosi, sæculi videlicet huius procellas toleremus, ac pisces spiritales effecti, Deo operante, vitam nostram inter vndas tempestatesque seruemus: ac mentis nostræ desideria simul & affectus, quasi volatilia pennata ad cœlestia erigentes, & ea quæ sursum sunt sapientes, multiplices bonorum operum fructus, Deo benedicente, reddamus. Porro diem sextum nobis Iustitia dictet, per quam diuinam similitudinem reinduti, atrocissimis vitiorum bestijs, terrenisque desiderijs quasi reptilibus, corporisque motibus quasi iumentis, generosa auctoritate imperemus, agentes vt corpus menti, mens Deo subdatur, sicque iustitia dictante, cuique quod suum est tribuatur.

Hic iterum benedictio, non bestijs, non iumentis, non reptilibus, sed hominibus. Monemur plane de hac historia, licet ad literam facta, spiritales carpere fructus, qui piscibus maris, & volatilibus cœli Dei benedictionem legimus accessisse, quam tamen bestijs ac iumentis, siue reptilibus terræ, diuinam largitatem non cernimus contulisse, quanquam & ipsa crescant, & multiplicentur; quod F
muneris piscibus & volatilibus cœli, præfata benedictione Deus cernitur concessisse. Sic enim scriptum est, *Benedixit illis Deus dicens, Crescite & multiplicamini & replete aquas maris, auesq́ multiplicentur super terram.* Bestijs & iumentis nihil horum. Nimirum virtutibus sanctisque affectibus, quos piscibus volatilibusque credidimus comparandos, debetur benedictio, debetur multiplicatio, debetur spiritali generatione successio. Verum sicut homini, ad Dei imaginem & similitudinem creato, bestiæ & iumenta, Deo benedicente, subduntur: sic in ipsam imaginem & similitudinem iustitiæ, meritis reparato, spiritales bestiæ, de quibus Psalmista, *Ne tradas* (inquit) *bestijs animam confitentem tibi*, quibus successio non debetur, Dei imperio substernuntur. Restat septimus dies, id est sabbatum, in quo omnia ista opera consummantur, in quo requies vera suscipitur, in quo labori nostro terminus ac finis indicitur. Ipsa est charitas, virtutum omnium consummatio, sanctarum animarum suauis refectio, honesta morum compositio. Ipsa radix, ex qua omnia bona opera, vt bona sint oriuntur, in qua omnia bona opera perficiuntur. Ipsa septimus dies diuina nos gratia refecit; ipsa septimus mensis, in quo, post tentationum diluuium, arca cordis suauiter requiescit. Huic seruit temperantia, prudentia vigilat, militat fortitudo, iustitia famulatur. G

Gen. 1. 22. Psal. 73. 19.

Cap. XXXIII.

Quod in hac vita cæteræ virtutes charitati famulentur, post istam vitam in charitatis plenitudinem transfundentur.

Cvm enim sit Temperantiæ vis vt illecebrosos carnis, animive motus cohibeat ac retundat, ne scilicet noxiæ voluptatis dulcedinem, germanæ dilectionis suauitati, mens illecta præponat, prudentiæque peruigil cura, inter amanda & non amanda discernat; ne cor incautum, charitatis colore, cupiditas palliata præueniat, toburque fortitudinis non ob aliud se mundi huius aduer- H
sis opponat, nisi vt rebus minus pro voto cedentibus, vel etiam asperis quibusque conglobatim irruentibus, nequaquam leges charitatis animus oppressus excedat: patet profecto hæc tria, virtutum vocabulo sic esse censenda, si eorum vsus ad charitatem obtinendam, vel conseruandam omnimodis dirigatur. Alioquin nec virtus ea temperantia æstimatur, quæ, etsi carnis pruritum contegat vel refrenet, dum tamen mens nomine castitatis, in auaritiam turpis quæstus abutitur, tam perniciosam interioris hominis lasciuiam non coercet. Sed nec virtus ea est prudentia iudicanda, qua quisque fallere doctus, non inter amanda & non amanda, sed inter lucra temporalia, damnaque discernit, ac charitatis fine relicto, aliorum pernicie, sibi commodi quippiam comparare contendit. Absit autem vt fortitudo Catilinæ inter virtutes numeretur, quia licet omnia aduersa incredibili modo ferro sufficeret; pro hac tamen fortitudine, nonnisi potentiæ mundialis, vel certe propriæ voluptatis pretium captans, semetipsum debito

A bito virtuti præmio defraudauit. Proinde quantulumcunque sibi temperans, popularis gloriæ cupidus videatur; quantumlibet prudens, pecuniosus quilpiam, & astutus vulgi iudicio æstimetur; quanquam etiam immani stupore durascens philosophus quis, nullis aduersitatibus moueatur; quicquid de radice charitatis non pullulauerit, à virtutum fructibus sequestrandum nostri Philosophi censuerunt; quicquid structuræ recta linea, ad culmen illum vnum non dirigitur, extra spiritalis arcæ fabricam metiendum subtiliter peruiderunt.

Compendij cap. 7. Agit itaque vera temperantia, ne illecta; vera prudentia, ne decepta; vera fortitudo, ne oppressa mens rationalis normam charitatis excedat. Verum vt sui sectatores in regnum suæ tranquillitatis, charitas perfecta transtulerit, cunctis jam carnis illecebris cum ipsa carnis mortalitate consumptis; cunctis errorum tenebris, diuinæ lucis contemplatione decussis, certaque securitate mundi huius succedente molestijs, depositis, vt ita dixerim, quibus hoc B belli tempore vtitur armis, sola sui suauitate reficiet ipsa victores. Ita enim tunc cæteræ virtutes in charitatis plenitudinem sese refundent, vt in illa felicitate nihil aliud temperantia, prudentia, fortitudine putetur, quam charitas; tam casta, vt nullis tentetur illecebris; tam lucida, vt nullis interpelletur erroribus; tam valida, vt nullis omnino appetatur aduersis. Cuius tranquillitatis statum Dominus mystico nobis sermone promittens, *Et auferam* (inquit) *malas bestias de terra, & dormire vos faciam fiducialiter.* Oseæ 2.18. Atrocissimis namque passionum bestijs à terra nostra, carne scilicet, quam gestamus, ablatis, cœlesti nos faciet somno sopiri; cum immenso diuinæ illius claritatis pelago absorpti, ac ineffabiliter extra nosmetipsos elati, perfecte vacabimus & videbimus, quoniam Dominus ipse est Deus, perenne illud charitatis sabbatum celebrantes, quod sanctus Isaias Propheta describit, *Et erit* (inquiens) *mensis ex mense, & sabbatum de sabbato*, Isa. 66.23. cum scilicet ex hoc sabbato, quo quædam charitatis initia degustantes, quantum diei sufficit malitia, à negotiosis actibus feriamur, in illud C perfectum fuerimus introducti, vbi nulla interpellante molestia, nulla carnis præpediente miseria, diligemus Dominum Deum nostrum ex tota anima nostra, & ex tota virtute nostra, & ex omnibus viribus nostris, & proximos nostros tanquam nosmetipsos. Mat. 22.37.

Porro iustitiam, qua cuique quod suum est tribuitur, secundum illud Apostoli. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui timorem timorem, cui honorem honorem*, Rom. 13.7. fraternæ dilectionis quoddam dixerim incentiuum; cuius quidem initium est, nulli nocere; profectus, sine querela se omnibus exhibere. Plurimum enim sibi aliorum mentes beneuolentiæ suauitate conciliat, qui quieta sui conuersatione offendit neminem, obtemperans senioribus, contemperans æqualibus, iunioribus condescendens: primis timorem & reuerentiam, medijs honorem & gratiam, posterioribus humilem exhibens compassionem. In re quoque pecuniaria, hæc virtus ad charitatis bonum prouocat intuentes, quæ, secundum præmissum Apostoli præceptum, non differt debitum, donec exigat importunus exactor, sed cum quadam potius hilaritate præuenit D repetentem. Si ergo hæc virtus temporalium tantum dispensationes amplectitur, nec ipsam tranquillitati illius felicissimi status vereor abrogare; quo summa illa æquitate, singulis secundum merita, vel præmia, vel supplicia dispensante, illi irreuocabili damnationis sententia feriuntur, illi æternæ beatitudinis præmio munerantur; vt cum fuerit vtrobique æternitas, nulla temporalium possit esse varietas. Verum si altius ipsius iustitiæ regulas contempleris, nemo melius, nemo perfectius, vnicuique quod suum est tribuit, quam is, qui diligit diligenda, & tantum diligit, quantum sunt diligenda: Deum videlicet supra seipsum, proximum tanquam seipsum, Deum nonnisi propter ipsum, se, & proximum nonnisi propter Deum. Vides ni fallor ex charitatis perfectione perfectionem pendere iustitiæ, vt nihil aliud videatur esse iustitia, quam charitas ordinata, in qua quantum quisque profecerit, tantum & requiescit.

Cap. XXXIV.

Interueniente morte amici, triplicis concupiscentiæ consideratio differtur, & in eius epitaphium primus hic liber terminatur.

E Considerandа quapropter illa tria videntur, quæ in mundo esse sanctus describit Apostolus, *Concupiscentia carnis, Concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ*, 1. Ioan. 2.16. ne forte, quicquid minus iocundum sub dominico iugo perferimus, ex harum passionum virulenta radice procedat. Sed vlterius progredi dolor prohibet, & ad flendi magis negotium, recens mors Simonis mei violenter impellit. Hinc forte timor ille nocturnus, mentem exagitans meam. Hinc terror ille somniorum necessariam mihi quietem eripiens, quia videlicet dilectissimus meus subito rapiendus erat terris. Nec mirandum si mea mens, F quadam sui perturbatione eius præsagiebat excessum, cuius vita tam delectabiliter fruebatur. Ecce *iam timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit.* Iob 3.25. Quid dissimulo? Cur sileo? fortasse ideirco manet super me ista tribulatio. Procedat ad oculos, procedat ad linguam, quod corde tegitur, si forte, si forte lacrymarum guttulis, stillulisque verborum, conceptam in imis præcordijs mœstitiam, cor dolentis exsudet. *Miseremini mei, miseremini mei, si qui estis amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Iob 19.21. Miramini lacrymantem, imo magis miramini viuentem. Quis enim non miretur Halredum sine Simone viuere, nisi is, qui nescit quam dulce fuit simul viuere, quam dulce foret simul in patriam redire? Patienter ergo ferte lacrymas meas, gemitum meum, rugitum pectoris mei.

Et tu dilecte mi, quanquam introductus in gaudium Domini tui, ad mensam illius summi patrisfamilias delectabiliter epuleris, illoque nouo genimine vitis in regno patris, cum tuo Iesu feliciter debrieris; patere tamen vt libem tibi lacrymas meas, resoluam tibi affectum meum, refundam tibi, si fieri potest, totum animum meum. Noli G has lacrymas prohibere, quas dulcis memoria tui, mi charissime frater, educit. Non sit tibi onerosus hic gemitus, quem non excitat desperatio, sed affectus, nec cohibeas has lacrymas, quas pietas elicit, non fidei defectus. Et certe si meministi quo veneris, quid euaseris, vbi illum tuum familiarem reliqueris, cernes profecto quam iustus sit dolor meus, quam flenda plaga mea. *Dimitte me ergo vt plangam paululum dolorem meum.* Meum. Neque enim tua mors flenda est, quam tam laudabilis, tam amabilis, tam omnibus grata vita præcessit, quam commendat illa stupenda conuersio tua, illa prædicanda conuersatio tua, illa beata perseuerantia tua. Vere stupenda conuersio tua! Quis enim non obstupeat, quis non miretur, puerum tenerum & delicatum, clarum genere, forma conspicuum, talem arripuisse viam, & sic arripuisse? Recessisti, mi dulcis frater, scienter nescius, & sapienter indoctus; qui instar primi illius Patriarchæ egressus de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, ibas qua ignorabas, Gen. 12.1. veniebas quo nesciebas.

H Sed sciebat ille, qui te ducebat, qui tenerum adhuc cor tuum flamma suæ dilectionis succenderat, & tu in odorem vnguentorum illius currebas. Præcessit te ille *speciosus forma præ filijs hominum*, ille *vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, vnctus spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis*, Psal. 44.3. & 8. Isa. 11.2. & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Præcessit te humilis ille spiritalis per ardua & montuosa, itinera spargens sua aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, Cant. 3.6. & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Præcessit puerum suum puer Iesus, ostendens ei præsepium paupertatis suæ, reclinatorium humilitatis suæ, cubiculum charitatis suæ, refertum floribus gratiæ suæ, pinguescens messe dulcedinis suæ, respersum balsamo consolationis suæ, & tu in odorem vnguentorum istorum currebas. Nescio quid magnum, quid ineffabile iam tunc mens illa prægustauerat, quæ corpusculo fame deficienti, quasi iumento lacessenti fœni pabulum credidit

A miniſtrandum. Fugiebat pius puer à facie patris ſui, ſed (Pſal.44.11. & 12.) magis ad faciem patris ſui. Voluit quidem obliuiſci populum ſuum, & domum patris ſui, vt concupiſceret Rex Regis filius decorem ſuum, & eſſent duo in ſpiritu vno, quatenus eius fieret pater per gratiam, qui illius eſt per naturam. O mira deuotio! O mira ſui ipſius obliuio! Parum fuit æmulatori venerabilis Patriarchæ Ioſeph, relicto (Gen.39.12.) mulieri Ægyptiæ palliolo, quo tenebatur aſtrictus, nudum è manibus amplectentis elabi, ſed inſuper Euangelicæ perfectionis ſtrenuus executor de craſtino non cogitabat.

Denique iter laborioſum ſatis, ſine viatico arripiens, deficientibus iam iamque præ inedia membris, Audiui (inquit) ſeruos Chriſti herbis paſci; Quare non & nos? diuertenſque paulum ab itinere cœpit carpere. O (inquit) quam dulce! O bone puer! quid tibi ſapiebat? quid rogo? herba illa, an fides? fœnum, an charitas? Sapiebat plane, ſed Ieſus in corde, & ideò fœnum in ore. Vnde B quæſo, vnde iſta puero? Tua ſunt iſta, Domine Ieſu, qui das & accipis, præſtas & exigis. Quis enim tibi dat aliquid non tuum? Sed etſi quis dare voluerit quod à te non accepit, non dignaris accipere. Accepit ergo, Domine Ieſu, puer iſte, accepit à te & reddidit, accepit & obtulit. Accepit & obtulit hanc mentis deuotionem, hunc fidei feruorem, hunc dilectionis ardorem. Tua ergo omnia, Domine, qui primordia conuerſionis eius his miraculis dedicaſti, qui piæ conuerſationis eius gratum poſtmodum ſacrificium ſuſcepiſti, qui nunc holocauſtum illud acceptiſſimum, in ſublime illud templum tuum, miſericorditer tranſtuliſti. Ibi in ſinu Abrahæ requieſcit Simon meus, dulciſſimus amicus meus, tuus autem pauper, Domine Ieſu, vbi requieſcit translatus de morte ad vitam, de labore ad requiem, de miſeria ad felicitatem. Ecce qui dolere cœperam, inueni vnde gaudeam. Inueni (Luc.23.28.) plane, ſed in te, mi dilecte frater, non in me. *Nolite* (ait) *flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Tibi, mi dilecte frater, tibi congaudeo, ſed mihi condoleo. Tibi gaudendum eſt: ego C flendus, ego dolendus, qui poſſum ſine Simone viuere. Mirum tamen ſi viuere dicendus ſum, cui ablata eſt tanta portio vitę meæ, tam dulce ſolatium peregrinationis meę, tam vnicum leuamen miſeriæ meæ. Quaſi auulſa ſunt viſcera mea, quaſi dilaniata infelix anima mea, & viuere dicor? O miſerum viuere! ô dolendum viuere! ſine Simone viuere.

(Gen.37.34. Gen.50.1. Reg.1.17.) Fleuit Patriarcha Iacob filium ſuum; fleuit Ioſeph patrem ſuum, fleuit ſanctus Dauid Ionathan chariſſimum ſuum. Omnia hæc mihi vnus Simon fuit, filius ætate, pater ſanctitate, amicus charitate. Plora ergo miſer chariſſimum patrem tuum, plora amantiſſimum filium tuum, plora dulciſſimum amicum tuum. Rumpantur cataractæ miſeri capitis, deducant oculi lacrymas per diem & noctem. Plora (inquam) non quia ille aſſumptus, ſed quia tu relictus. Pater mi, frater mi, fili mi, quis mihi det vt ego moriar tecum? nollem enim pro te; hoc enim non eſſet tibi, ſed potius mihi ipſi conſuluiſſe. Dicebat quidem hoc D de filio parricida ſanctus Dauid, *Abſalon fili mi, fili mi Abſa-* (2.Reg.18.33) *lon, quis mihi det vt ego moriar pro te?* Nunquid hoc dixit de Ionatha amico ſuo? Nunquid hoc Ioſeph de patre ſuo? de parricida dici debuit; de peccatore hoc dici debuit, (Pſal.33.22.) quia *mors peccatorum peſſima.* Pium erat velle mori pro impio, vt eſſet qui pœniteret, eſſet qui fleret, eſſet cui miſereretur Deus, ne in æternum periret. At illi tranſlati ad requiem, non erant vlterius in hanc miſeriam reuocandi, non erant tot doloribus iterum ſubijciendi. Denique & (Ier.31.15.) *Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari.* Quid plorabat? Affectus: Affectus autem conſolaretur, ſi filius à mortuis reuocaretur, ſi eius aſpectibus iterum mater frueretur. Hoc noluit Rachel. Quare? Quia ſi ille à mortuis reuocaretur, de beatitudine in miſeriam deuolueretur. Noluit autem vt filius reuocaretur, ſed vt illa ad filium in requiem aſſumeretur. Affectus filios requirebat; ne reuocarentur, affectui ratio obſiſtebat; matris vero aſſumptionem diuina prouidentia differebat. Ideo Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari. Similis cauſa mihi.

Doleo dilectiſſimum meum, vnicordem meum mihi E ereptum; gaudeo eum in æterna tabernacula aſſumptum. Quærit affectus dulcem eius præſentiam, qua delectabiliter paſcebatur, ſed non acquieſcit ratio, vt dilecta mihi anima carne ſoluta, iterum carnis miſerijs addicatur. Optat anima mea, ſimul cum illa ſua portione, frui amplexibus Chriſti, ſed obſiſtit infirmitas mea, obſiſtit iniquitas mea, obſiſtit etiam diuina prouidentia. (Mat.25.10.) Certe qui paratus erat, intrauit cum ſponſo ad nuptias, mihi miſero adhuc clauſa eſt ianua. Vtinam Domine Ieſu, vtinam quandoque aperiatur! Spero autem in tua miſericordia, Domine, quod aliquando aperiatur. Præmiſi primitias meas, præmiſi theſaurum meum, præmiſi non modicam mei portionem. Sequatur ad te, quod mei reſtat. Vbi eſt theſaurus meus, ibi ſit & cor meum. (Matt.6.21.) Sequar hic, Domine, itinera eius, vt in te fruar conſortio eius. Et poteram quidem, Domine, lento licet pede, cum oculis his obijceretur pia conuerſatio eius; cum ſuperbiam meam retunderet conſpecta humilitas eius; cum inquietudinem F meam reprimeret conſiderata tranquillitas eius; cum leuitas mea conſtringeretur freno miræ grauitatis eius. Memini me ſæpe, cum oculis huc illucque diſcurrerem, ad vnum eius aſpectum tanto pudore perfuſum; vt ſubito intra memetipſum receptus, manu grauitatis omnem illam compeſcerem leuitatem, ac me ad me colligens, inciperem mecum aliquid vtile actitare. Simul quidem loqui ordinis noſtri prohibebat auctoritas, ſed loquebatur mihi aſpectus eius, loquebatur mihi inceſſus eius, loquebatur mihi ipſum ſilentium eius. Aſpectus pudicus, maturus inceſſus, grauitas in ſermone, ſilentium ſine amaritudine. Denique hoc vltimo anno vitæ ſuæ, quaſi futuræ vocationis ſuæ non inſcius, quanta tranquillitate, quanta pace, quanta circumſpectione vitam exigebat?

Videbatur quaſi omnium exteriorum, etiam mei oblitus, ac intra quaſdam ſuæ mentis incluſus anguſtias, virum illum expreſſius depinxiſſe, quem ſanctus Ieremias Propheta deſcribens, *Bonum eſt* (inquit) *viro cum portauerit* (Thren.3.11. 27.) G *iugum ab adoleſcentia, ſedebit ſolus & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe.* Suſcepit quidem iugum diſciplinæ tuæ, Domine Ieſu, floreſcente ætate, eligens illam arctam viam quæ ducit ad vitam, in ſudore vultus ſui veſci pane ſuo, & alieno iudicio ſuam ſubdere voluntatem. Portauit etiam graue iugum infirmitatis ab ipſa adoleſcentia, qua eum vſque ad extrema eius, per octennium vt reor, ſine vlla pæne interpolatione paterno flagellaſti affectu. Et ideo exterius nihil pæne inueniens, quo oblectaretur, in interiorem ſuæ mentis ſolitudinem ſeſe recluſerat, ſolus ſedens & tacens, non tamen otio torpens. Scribebat enim, vel legebat, vel meditationi ſcripturarum, quippe cui erat vigil ſenſus, ſecretius intendebat. Vix cum Priore, ſaltem de neceſſariis loquebatur. Incedebat tanquam ſurdus non audiens, & ſicut (Pſal.37.14. 15.) mutus non aperiens os ſuum, factus ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Verum ſi quis eum, accepta occaſione, quolibet conueniret affatu, tanta mox redolebat in eius ſermone ſuauitas, tanta in H vultu, ſine omni diſſolutione, apparebat hilaritas; vt quam fuerit ſilentium eius vacuum amaritudinis, plenum dulcedinis, & modus loquendi, & humilitas proderet audiendi. Ecce quid perdidi, ecce quid amiſi.

Quo abijſti ô exemplar vitæ meæ, compoſitio morum meorum? Quo abijſti? quo receſſiſti? Quid faciam? Quo me reuertam? Quem mihi iam ſequendum proponam? Quomodo auulſus es ab amplexibus meis, ſubtractus oſculis meis, ſubductus oculis meis? Amplexabar te, dilecte frater, non carne, ſed corde. Oſculabar te non oris attactu, ſed mentis affectu. Dilexi te, qui me ab ipſo initio conuerſionis meæ in amicitiam ſuſcepiſti; qui te mihi præ cæteris familiarem exhibuiſti, qui in ipſis viſceribus animæ tuæ, tuo me Hugoni aſſociaſti. Tanta enim tibi erat circa vtroſque dilectio, tam ſimilis affectio, tam vna deuotio, vt ſicut mihi videtur ex verbis tuis collegiſſe, neutrum alteri tuus præferret affectus, quamuis eius ſanctitatem mihi omnino præferendam, certa ratio iudicaret. Cur ergo me abſente tranſiſti? Cur quem ſolum pro duobus præſentem

A tem habuisti, discedens præsentem noluisti? An parcendum vtrisque, scilicet & tibi, & mihi æstimauisti? ne me conspectus tuus exitus affligeret, & lætum tuum exitum ac tranquillum, dolor meus vel modice contristaret? An forte, quod magis credo, tibi soli pietas diuina prospexit, vt tranquillam ac pacificam illam animam, in desideratam tibi patriam, ab huius vitæ miserijs cum omni tranquillitate transferret, ac corporei habitaculi vinculum te pæne nesciente, tanta solueret facilitate, vt nec modicus mortis timor dilectam sibi animam molestaret? Denique is qui lectulo accubabat tuo, nullum in re vicinæ mortis deprehendit indicium, imo vultus hilarior, sermo facilior, spem reuocandæ salutis augebant. Porro cum caput tuum suauiter reclinans spiritum reddidisses, obdormisse te credidit, non obiisse.

Tibi ergo, dilecte mi frater, tibi consultum est, qui cum tanta tranquillitate transisti, qui pacifica tua morte, à pacis ministris te fuisse susceptum, manifestissime prodidisti. B Nec mirum. Non enim horam illam horruisti, sed potius desiderasti; qui pridie quam à nobis discederes, visitanti te monasterij nostri Præposito, nullam te vlterius vitæ induciam optare dixisti. Quid igitur profecisti ô amara mors? quid profecisti? Inuasisti certe tabernaculum eius, in quo peregrinabatur, sed rupisti vinculum, quo tenebatur. Obruisti domicilium, quo interim fruebatur, 2.Cor.5.1. sed tulisti sarcinam, qua premebatur. *Scimus* (inquit Apostolus) *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus domum, non manufactam, à Deo, æternam in cælis.* Ergo iam illa anima, amica virtutibus, quietis cupida, studiosa sapientiæ, victrix naturæ, exuto huius carnis inuolucro, liberioribus (vt ita dixerim) pennis, ad illud sublime & purum bonum euolat, ac diu cupitis Christi excipitur amplexibus. Sed caro (inquis) terræ mandata, in cineres soluitur. Ita plane. Sed quid exultas? mortua est, vt viuificetur; dissoluitur, vt melius re- 1.Cor.15.42. paretur. *Seminata est in infirmitate, sed surget in virtute. Seminata est in corruptione, sed surget in incorruptione.* C *Seminata est in ignobilitate, sed surget in gloria. Deniq; seminatum est corpus animale, surget spiritale.*

1.Cor.15.55. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Certe vbi videris in eum aliquid fecisse, inde conuinceris profuisse. In me ergo totum tuum virus euomuisti, & illum appetens, dira mihi vulnera inflixisti. Ego, ego tuli quod doloris, quod amaritudinis, quod acerbitatis; cui ablatus est dux itineris mei, magisterium conuersationis meæ. Sed quidnam est, ô anima mea, quod dulce illud funus tamdiu sine lacrymis aspexisti? Quid est quod dilectum tibi corpus illud, sine osculis dimisisti? Dolebam miser & rugiebam, & ab intimis præcordijs trahebam longa suspiria, nec tamen flebam: tantumque mihi dolendum esse peruidebam, vt nec dolere me crederem, etiam cum vehementer dolerem. Sic postea sensi. Tantus quippe stupor mentem inuaserat meam, vt etiam nudatis iam ad lauachrum membris, transisse non crederem. Mirabar enim eum, quem arctis dulcissimi amoris vinculis mihi astrinxeram, D subito elapsum manibus: mirabar animam illam, quæ cum mea vna erat, sine mea, corporeis posse exui compedibus. Sed iam cessit ille stupor affectui, cessit dolori, cessit compassioni. Nunc quid agitis ô oculi? quid agitis? Nolite quæso parcere, nolite dissimulare. Præbete in exequijs dilecti mei quicquid potestis. Quid erubesco? An solus ploro? Ecce quot vndique lacrymæ, quot ge- Ioan.11.35. mitus, quot suspiria. An hæ lacrymæ reprehendendæ? Sed excusant nos tuæ lacrymæ, Domine Iesu, quas in morte amici tui fudisti, exprimentes quidem nostram affectionem, sed tuam insinuantes charitatem. Induisti, Domine, nostræ infirmitatis affectum, sed quando voluisti; ideo & non flere potuisti. O quam dulces lacrymæ tuæ! quam sua- & 36. ues! O quantum sapiunt anxiæ menti meæ! quantum consolantur! *Ecce* (inquiunt) *quomodo amabat eum.* Et ecce quomodo meus Simon amabatur ab omnibus, amplectebatur ab omnibus, ab omnibus fouebatur.

Sed forte iudicant nunc aliqui fortes lacrymas meas; nimis carnalem existimantes amorem meum. Interpretentur eas vt volent; tu autem Domine vide eas, respice E eas. Videant alij quid exterius agitur, quid interius patiar, non attendunt. Ibi tui oculi Domine. Certè in oculis meis nihil habuit hic seruus tuus, quod vel impedimento ei sit ad tuos transire amplexus. 1.Cor.2.11. Sed nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Hebr.4.12. Tu autem, Domine, oculus penetrat vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum, & est discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et vt ait quidam laudabilis seruus, Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate discutiatur. Ecce, Domine, vnde timor meus, ecce vnde lacrymæ. Attende eas, ô pijssime, dulcissime, misericordissime. Suscipe eas, ô vnica spes mea, vnum & solum refugium meum, finis intentionis meæ, Deus meus, misericordia mea. Suscipe eas, Domine, sacrificium, quod tibi offero pro dilectissimo amico meo, & si quæ in eum maculæ resederunt, aut ignosce, aut mihi imputa. Ego, ego percutiar, ego flageller, ego totum pendam; tantum, quæso, ne illi abscondas beatam F faciem tuam, ne illi subtrahas dulcedinem tuam, ne illi differas piam consolationem tuam. Experiatur, mi Domine, dulcedinem misericordiæ tuæ, quam tam vehementer optauit, de qua tanta securitate præsumpsit, quam tanto affectu commendauit: quæ ei tam delectabiliter sapuit nocte illa, cum cæteris sese ad quietem recipientibus, vno ei fratre ad excubias relicto, in hanc vocem gratulabundus erumperet, Misericordiam, Misericordiam, Misericordiam.

Conabatur, vt aiunt, versiculum illum ex integro psallere, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Psal.100.1. Verum, vt reor, primi illius verbi dulcedine reuocatus, in eius repetitione familiarius immoratur. Denique conuertens se ad eum, qui eius lectulo assidebat, eundem sermonem crebro repetit. Cernens quoque illum quodam quasi stupore suffundi, velut indignatus tantam eius insensibilitatem, quod videlicet simili non perfunderetur dulcedine, simili sapore frueretur: cœpit manu quasi velle G excitare sopitum, & expressiori, arctiorique voce ingeminat, Misericordiam, Misericordiam. Quid est quod intueor mi Domine? Videor mihi certe quasi oculis cernere mentem illam, ad huius versiculi haustum quodam ineffabili gaudio resolutam, dum cerneret peccata sua, immenso hoc pelago diuinæ miserationis absorpta, nihil reliquisse quod premeret, nihil quod eius conscientiam vel modice obfuscaret. Libet intueri animam illam, fonte diuinæ misericordiæ dilutam, deposito pondere peccatorum, ipso naturali impulsu leuissimis quibusdam motibus ad superiora conari, carnisque exuuijs iam iamque exui gestientem, ipsam tantum Dei misericordiam, cui tota innititur, meditari. Psal.114.7. Eia *conuertere nunc, ô anima, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; transi ad locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis.* Psal.41.5. Ego te prosequar lacrymis meis, prosequar te qualibuscunque precibus meis, prosequar te affectu meo, prosequar ipso singulari mediatoris nostri sacrificio. Et tu pater Abraham, etiam atque etiam extende, Luc.16.22. H ad suscipiendum hunc pauperem Iesu, alium quendam Lazarum, manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinum, & à vitæ huius miserijs reuertentem pie suscipe, foue, consolare. Mihi quoque misero, qualicunque dilectori suo, in ipso sinu tuo cum ipso aliquando locum quietis indulge. Amen.

FINIT LIBER PRIMVS.

Incipiunt Capitula Libri Secundi.

I. *Quid in primo libro proposuerit considerandum, & quod manifeste vitiosi ab hac sint consideratione remouendi.*

II. *Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur, & exterior labor interiori aliquando minuatur.*

III. *Quod omnia accidentia charitas sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrumpat peruersitate.*

IV. *Quod à triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur.*

A
V. De quorundam sententia, qui exteriores labores charitati, & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.
VI. Apostolica & prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur.
VII. Quæstio cur quidam ampliori dulcedine in remissiori vita, quam in arctiori compungantur.
VIII. Quod triplex sit causa spiritualis visitationis.
IX. Quod primum genus compunctionis, sicut alia quædam gratiæ, & reprobis ad iudicium, & electis proueniat ad profectum.
X. De duplici ratione secundæ visitationis, & quod de ista ad tertiam, quæ cæteris excellentior est, transitur.
XI. Quid in singulis his visitationibus Deus operetur.
XII. Quod in prima visitatione specialiter timor, in secunda consolatio, in tertia sit dilectio.
XIII. Quis sit fructus in singulis, & quare quidam secundæ visitationis consolatione priuentur.
XIV. Proponuntur quædam diuina testimonia, secundum quæ statum suum quisq; metiatur.
B.
XV. Quibus modis ad spiritales consolationes transitur.
XVI. Quod non sit deserendum ab aliquo arctioris vitæ propositum, quamuis illum dulcem non experiatur affectum.
XVII. Interrogationes cuiusdam nouitij, & sua responsiones inseruntur.
XVIII. In quibus amorem Dei constare credendum sit.
XIX. Quis sit diuersarum compunctionum fructus, nouitio interroganti exponitur.
XX. Nouitius ille vnde Deum se magis amasse probat, & inde minus amasse conuincitur, &, quibus lacrymarum profusio proficiat, ostenditur.
XXI. Quod ex his quæ inserta sunt, quid charitas, quid cupiditas in proficiente operetur, possit aduerti.
XXII. Quanta sit in voluptatum contemptu, victoriaq; iucunditas.
XXIII. De vana aurium voluptate.
C
XXIV. De concupiscentia oculorum, quæ in exteriori & interiori curiositate consistit, quæ ad viam perfectiorem conuersos affligit.
XXV. Tractans de superbia vitæ primo agit de vanitate.
XXVI. De dominandi libidine.

DIVI AELREDI SPECVLVM CHARITATIS.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quid in primo libro proposuerit considerandum, & quod manifeste vitiosi, ab hac sint consideratione remouendi.

D
SVperiore opusculi huius parte, de charitatis perfectione differentes, in ea omnium virtutum summam consistere, sicut valuimus, demonstrauimus. Neque enim virtus dicenda est, quam radix ista non protulerit, nec opus perfectum æstimabitur, quod finis iste non concluserit. In hac & legis consummatio, & Euangelica probatur esse perfectio; cum in ea & spiritalis interioris, exteriorisque hominis circumcisio, vera mentis sabbatizatio, veritas sacrificiorum, & omnis sit plenitudo præceptorum. Et de circumcisione quidem superius pauca perstrinximus; mentis sabbatum nusquam, nisi in charitate esse, aut esse posse ostendimus. Ipsa est namque iugum illud suaue, & onus leue, ad quod nos Saluatoris inuitat clementia, *Et inuenietis* (inquiens) *requiem animabus vestris.* (Mat. 11. 29.) Verum quia plerique nostrum, qui videmur huic iugo supposuisse ceruices, in multis conuincimur laborare, conati sumus ostendere, cupiditatis iugum hunc parturire laborem. Vnde tria illa proposuimus consideranda, in quibus Euangelista Ioannes omnigenam videtur comprehendisse cupiditatem, Concupiscentiam scilicet carnis, Concupiscentiam oculorum, & Superbiam vitæ. (1. Ioan. 2. 16.) Sed interueniente morte dilectissimi nostri, interruptum est opus, aliquodque tempus lacrymis, & planctui indulgentes, hanc considerationem alteri exordio reseruauimus.

E
Igitur vt à Pauli verbis sumamus initium, dicimus quia *radix est omnium malorum cupiditas*, sicut è diuerso radix omnium virtutum charitas. (Compendij c. 48.) Proinde quamdiu in ipsis animæ præcordijs, radix hæc virulenta resederit, licet summatim quidam ramusculi recidantur, germine rediuiuo necesse est alios pullulare, donec radix ipsa euulsa radicitus, vnde perniciosissima vitiorum soboles oriatur, vlterius non relinquat. Porro sunt quidam qui manifestioribus, & vt ita dicam crassioribus implicati vitijs, confusionis suæ notam prima mox fronte prætendunt, quos à præsenti consideratione æstimo semouendos, quod eorum mentem omni vacuam requie, satis superius demonstratum sit. At nos, qui Euangelico iugo, quod suauissimum Saluatoris sententia manifestat; dominicoq; oneri, quod leuissimum eiusdem nihilominus probat auctoritas, videmur mentis humeros subiecisse, & tamen conuincimur laborare; nos (inquam) professores Crucis Christi, assumpta claue verbi Dei, reseremus claustra pectoris nostri, & penetrantes vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, discernamus cogitationes & intentiones cordis, (Hebr. 4. 12.) & sine adulatoria palpatione, quid in ipsis animæ recessibus secretius latitet peruidentes, ipsas potius morborum radices eruere conemur.

F

CAP. II.

Quod labor exterior pro interioris qualitate formetur, & exterior labor interiore aliquando minuatur.

G
SAne labor iste non carnis sed cordis est, sicut & requies, de qua agimus, cordis constat esse non carnis; (Compendij c. 49.) quanquam exterior labor pro interioris qualitate formetur, nec dicendus sit exterior labor vllus, si interior fuerit nullus: verbi gratia, attende venatores vel aucupes, vel quoslibet talium vanitatum sectatores. Si exteriores corporis motus perspexeris, quid laboriosius? si mentis qualitatem, quid delectabilius? Idipsum etiam in laudabilibus indagare facillimum est. Quantus Apostolis labor exterior, cum in carcerem traderentur, cum astringerentur vinculis, cum flagris acerrime cæderentur? Et tamen *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* (Act. 5. 41.) Quam multis tunc sacrilegis similis pœna? sed quia dissimilis conscientia, illi vtrobique miseri, & interius & exterius laborabant; isti ad interiorem requiem in pœnis exterioribus exultabant. Nec mirandum, cum plerumque interiore labore exterior minuatur, & grauissimi corporis æstus, æstibus animi temperentur.

H
Quis enim labor adulteris? quæ pœna latronibus? Illis, vt male cupitis excipiantur amplexibus; istis, vt alienis spolijs perfruantur. Sed ille interius face libidinis ardens, quid exterius patiatur ignorat: hunc auaritiæ flamma secretior, manifestas facit pœnas corporis non sentire; de quibus Propheta, *Vt inique agerent, laborauerunt.* (Ier. 9. 5.) His igitur diligenter inspectis, patet profecto nequaquam exteriores corporis passiones, interiorem parturire laborem, sed radicem internis visceribus residentem, quicquid exterius accidit, pro sui conformare natura. Quid enim est, quod duobus ad eandem mensam residentibus, eisdem appositis cibis alter exultat, murmurat alter? Quid, quod exceptis eisdem vulneribus, alter tristitiæ languore deijcitur, alter mira iocunditate perfunditur? Duo simul orbitatis, siue paupertatis infortunio feriuntur, & tamen iste blasphemat, gratias agit ille. Eadem species vtriusq; ingeritur oculis, & vnus turpiter commouetur, alius solita sibi pace perfruitur. Oblata occasione honoris cuiuslibet ambiedi,

alter tanta dominãdi libidine inflammatur, vt spe culminis potiundi, nihil sceleris committere pertimescat; adeo alter ab hac pessima passione liber existit, vt oblatas quoq; dignitatum infulas aut non, aut vix suscipere acquiescat.

Capvt III.

Quod omnia accidentia charitatis sua temperet tranquillitate, cupiditas omnia sua corrumpat peruersitate.

Nonne & corporibus id ipsum accidere manifestum est, vt pro sanitatis vtique qualitate, ea, quæ exterius accidunt, aut molesta experiantur aut grata? Nam cibus, qui morbum auget alterius, alterius proficit sanitati; & sol qui lumen oculo eripit lippienti, sano iocũdius illucescit. Sicut ergo in corporibus, pro interioris naturæ modo, ea, quę exterius adhibentur, aut salubria inueniuntur aut noxia; ita præmissis indicijs facile peruiderut, ex interna mẽtis qualitate huius requiem, istius pendere laborem. Mentem enim, quam suauissimum ac tranquillissimum Domini iugũ, charitas videlicet perfecta possederit, in suæ tranquillitatis statum accidentia quæque transfundet: non sinens eam vllis rerum perturbationibus commoueri, sed ipsas rerum permutationes ad sui profectus vsum prouenire compellens. At si mens grauissimo fuerit iugo cupiditatis addicta, quamdiu quidem nulla fuerit commotionis occasio, dominici iugi suauitatem requies remissa mentitur: sed causa cuiuslibet indignationis oborta, mox de cordis recessibus, quasi de abditissimis cauernis, bestia sæua prorumpens; dirissimis passionum morsibus miseram animam lacerat & euentat, nullum paci, nullum ei requiei tempus indulgens. Computrescat itaque iugum, à facie olei, iugum scilicet cupiditatis à præsentia charitatis; & statim experitur sarcina Christi, vt ait quidam, quam sit leuis, quam suauis, quam iocunda, quam in cœlum rapiens, & à terra eripiens. Quocirca si requiei huius dulcedinem volumus experiri, laboris nostri causas & radices sollicite exquiramus; non affectu tepido, quasi ferro retunso, exteriora tantum recidentes, sed ad ipsas morborum origines vehementiori desiderio penetrantes.

Capvt. IV.

Quod à triplici concupiscentia omnis labor interior oriatur.

Compendij Cap. 51.

Pvto autem quia si subtilius indagemus, quicquid nobis laboris oboritur, vel à carnis concupiscentia, vel à concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, quasi quibusdam venenosis fontibus deriuari, manifestissime cognoscemus Si ergo adhuc cibus me contristat asperior, laborẽ mihi concupiscentia carnalis indicit, nec ideo laboro quia iugum Christi suscepi, sed quia non plene iugum cupiditatis abieci. Quid si lautioris edulij inflammatus ardore, vilioris appositione conturbor, vel si solito minus, si vel tardius, vel negligentius præparetur, murmurationis pestẽ consumor? Quid mihi has parit angustias, passio cupiditatis, an suauitas charitatis? Quid si monachus quis pro numero nocturnalium lectionum, à suo Pręposito numerum sibi exigat ferculorum, & pro solemnitatis cuiuslibet excellẽtia dapes esculẽtiores, ac peregrinos expetat sapores? Quid si cu[illegible]horum aliquid aliqua occasione defuerit, in lites & contentiones erumpat, ac pessimæ passionis æstus ferre non sustinens, importuuis clamoribus, occultis susurrationibus fratrum pacem deturbet? Nonne ei iugum huius miseræ seruitutis, ac vilissimi laboris angustias concupiscentia mundialis inuexit? Quos bene Iacobus redarguens. *Vnde* (inquit) *lites & contentiones in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Iacob. 4. 1.

Capvt V.

De quorundam sententia, qui exteriores labores charitati, & interiori dulcedini dicunt esse contrarios.

Sed assiduis (inquis) vigiliis corpus tabefacere, quotidianis laboribus carnem affligere, vilissimis cibis mẽbrorum labefactare vigorem, non solum non modici laboris, sed & ei, quam tantopere niteris commendare, adeo charitati constat esse contrarium, vt totam mẽtis suauitatem euacuans, omni eam spiritali dulcedine reddat effœtam. Hæc est illa ridenda quorundam opinio, qui spiritalem dulcedinem in carnis quodammodo suauitate constituunt, asserentes corporis afflictionem contrariam esse spiritui, exteriorisque hominis passiones, interioris minuere sanctitatem. Cum enim (inquiunt) caro ac spiritus affectu sibi naturali cohæreant, necesse est suas inuicem communicent passiones; ac sic impossibile, vt non huius oppressione alterius hilaritas perturbetur, ita vt in illud gaudium spiritale, mœroris quadam anxietate deiectus spiritus, nullatenus valeat respirare. Acute hæc vel inuestigari videntur, vel probari. O rem pudendam! secundum regulas Hypocratis gratia quæritur spiritalis. Sic nimirum, sic errant, qui sic physicis argumentis, magis quam præceptis Apostolicis innituntur. Plane hæc est sapientia non de sursum descendens, quæ primo quidem pudica est, deinde pacifica; sed prorsus terrena, animalis, diabolica. * Hæc est sapientia verbi, quæ cum suauitatem doceat carnis, Crucem Christi euacuare contendit, in qua profecto quantum ad carnem nihil est suaue, nihil molle, nihil tenerum, nihil omnino delicatum. Sed non illa euacuatur. Illa potius hanc delicatam doctrinam euertit, quam claui sacris inditi membris expugnant, quam lancea illa, dulcibus impressa visceribus, acumine salutari debellat.

Compendij cap. 54.

* Lego Hæc est [sa]pientia [non] verbi, [sed] carnis, quæ

Ego prorsus contra sentio, andacterque pronuntio, carnis afflictionem, si sana præcedat intentio, & fuerit seruata, discretio, quam tamen non propria coniectura, sed exemplis maiorum capere oportet, ne forte remissio & dissolutio, sub colore se discretionis obpallient; sic (inquam) carnis afflictionem non spiritui contrariam, sed necessariam; sed nec diuinam minuere consolationem, sed potius sentio prouocare; adeo vt hæc duo semper æquari in hac duntaxat vita existimem, exteriorem scilicet tribulationem, & interiorem consolationem. Quid ergo inquis? Tuæne sententiæ magis, quam propriæ credam experientiæ? Et quid si alius, longe aliud, se testetur expertum? Cui vestrum potissimum credam? Tu, arrepta arctiori conuersatione, diminutam tibi autumas gratiam spiritalem; ille, quo magis affligitur, eo maiorẽ diuinæ dulcedinis gratiam experitur. Cuius ergo sententiæ accommodanda est fides? An & hic physicis rationibus diuinam gratiam substernendam putabimus? Absit; absit. Plane cui vult miseretur. Forte ergo Deus huic diuitiis & delitiis affluenti, suæ consolationis dulcedinem impertit, quam à pauperculo suo, pro se quotidie moriente, rigida censura suspendit? Absit hoc de illo dulcissimo, suauissimo, pijssimo, compatientissimo sentire. Sed si ego dico, potes dubitare, si autem Christus dicat, hæreticum est non credere.

Capvt VI.

Apostolica & Prophetica auctoritate præmissa sententia confutatur.

Compendij cap. 55.

Accedat ergo ille athleta fortissimus, testis fidelissimus, disputator egregius, in quo Christus loquitur, qui pro Christo quotidie moritur, qui oẽm tribulationem patitur, cui foris pugnæ, intus timores, qui castigat corpus suum & in seruitutem redigit, qui non gratis panem suum manducat, sed in fatigatione nocte ac die operatur, cuius manus & sibi, & qui eum eo sunt, necessaria subministrant, qui denique in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate, sub signis Iesu acerrimus

A miles insudat: ille (inquam) hanc dirimat quæstionem, &
vtrum tanta tribulatio, tam mira fatigatio, consolationem
ei subtraxerit spiritalem, ostendat. Forte caput tot vigiliis
& laboribus, ab omni humore naturali siccatum, nullam
producere lacrymam præualebat; & cor ob tot pressuras
2. Cor. 2.4. marcidum, nihil spiritualis dulcedinis hauriebat. Sed
2. Cor. 12. 21 video eum scribentem quibusdam, cùm multa tribulatio-
ne & angustia cordis, per multas lacrymas; video eum lu-
gentem quosdam, qui ante peccauerunt, & non egerunt
Rom. 12. 15. pœnitentiam, video eum gaudere cum gaudentibus, flere
2. Cor. 5. 4 cum flentibus; audio ingemiscentem eo quod nolit expo-
liari, sed superuestiri. De spiritali eius dulcedine quid di-
cam? cum ad eius suauissimum gustum, etiam quæ sibi vi-
Philip. 3. 8. debantur lucra, arbitratur vt stercora. Nonne mira dulce-
Philip. 1. 23 dine prouocatus, ad ipsos Christi gestit amplexus, *Cupio*
Gal. 6. 14. (inquiens) *dissolui, & esse cum Christo, multo enim melius*? Non-
ne mira Christi dilectione debriatus, omnem gloriam
prorsus abiurat, *Nisi* (inquit) *in Cruce Domini mei Iesu Christi*?
1. Co. 16. 22. Nonne feruore nimiæ charitatis excitus, anathematizat
B non amantes Dominum Iesum, *Si quis* (inquit) *non amat
dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit Maran Atha?*

Ipse tamen dicat, vtrum sine consolatione in sua sit tri-
bulatione relictus, & quid in nostra tribulatione nobis
sperandum sit manifestet, sicque serpentinum caput, quod
virus hoc noxium humanis insibilat sensibus, Apostolico
mucrone confodiat. Ipsius namque sunt hæc, qui super
ventrem repit, qui terram comedit, qui sub vmbra dormit
in locis humentibus, qui negotium ventris & libidinis,
sub colore actitat sanctitatis. Sic enim facilius simplices
quosque ab Apostolica paupertate, & euangelica puritate
cogitat exterrendos, si maiorem diuinæ dulcedinis gra-
tiam in remissiori vita sibi æstiment affuturam. Si sanctius
credant inter epulas & vina, inter regalia fercula & appa-
rata conuiuia, inter otiosas confabulationes & nocturnas
potationes, madentia lacrymis ora proferre: quam in la-
bore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore
& nuditate, & propriæ voluntatis mortificatione, in diur-
C na fatigatione, in mundi contemptu & carnis despectu,
pallentia ora siccis præferre obtutibus. Dicat ergo Paulus,
vtrum suos in præsenti tribulatione, pius ille consolator
sine consolatione relinquat, & hæresim Iouiniani iterum
pullulantem, sua auctoritate præoccupet. Perniciosior ta-
men hæc hæresis quam Iouiniani videtur, nam cum illa
epulas abstinentiæ æquarit, ista proponit.

Ergo qui maiorem diuinæ dulcedinis consolationem,
in carnis suauitate, quam tribulatione constituunt, Pau-
2. Cor. 1. 3. lum audiant dicentem, *Benedictus Deus, & pater Domini nostri
Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis,
qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Siue ergo ieiuniis
maceremur, siue afficiamur vigiliis, siue laboribus attera-
mur, Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribu-
latione nostra. Et si lapidibus obruamur, & si vinculis a-
stringamur, & si cędamur virgis, & si carceris toleremus an-
gustias, *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione
nostra.* Fremat mundus, sæuiat mundus, insectetur odiis,
aggrediatur maledictis, diripiat substantiam, commaculet
2. Cor. 1. 4. famam; Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tri-
D bulatione nostra. *Vt possimus* (inquit) *& ipsi consolari eos, qui
in omni pressura sunt.* Et hic non his, qui in diuitiis & delitiis,
sed his, qui in omni pressura sunt, suam consolationem
2. Cor. 1. 5. promittit. Et, nihil quæstioni relinquens, adiecit. *Quoniam
sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abun-
dat consolatio nostra.* Quid manifestius? Hoc est plane quod
paulo ante diximus, duo scilicet hæc coæquari, exteriores
passiones & interiores consolationes.

Quis est ergo tam hebes, tam præsumptuosus, vt contra
manifestissimam veritatem, & Apostolicam auctoritatem,
physicis rationibus innitens, communicationem passio-
num Christi contrariam esse spiritui, & spiritualis dulcedi-
nis imminuere gratiā, impudenti vanitate affirmet? Com-
municare passionibus Christi est regularibus disciplinis
subdi, carnem per abstinentiam, vigilias & labores morti-
ficare, alieno iudicio suam subdere voluntatem, nihil obe-
dientiæ præferre; & vt breui multa complectar, possessio-
nem nostram, quæ secundum regulam beati Benedicti fa-
cta est, exequi; hoc est passionibus Christi participari, teste E
eodem legislatore nostro, qui ait, Et ita in monasterio vs-
que ad finem perseuerantes, passionibus Christi per pati-
entiam participemur, vt regni eius mereamur esse consor-
tes. Hoc ipsum & Apostolus, *Sciens* (inquit) *quoniam sicut so- 2. Cor. 1. 7.
cij passionum estis, sic eritis & consolationis.* Quam sit autem ne-
cessaria exterioris hominis afflictio, manifestissime perdo- 2. Cor. 4. 16
cemur, eodem Apostolo pronunciante, *Etsi exterior homo
noster corrumpitur, tamē is, qui interior est renouatur. Id enim quod
in præsenti est momentaneū, & leue tribulationis nostræ, supra mo-
dum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Denique Salomon, quibus diuina consolatio sit infun-
denda, mysticis verbis declarat dicens. *Date siceram mœren- Prou. 31. 6.
tibus, & vinum his, qui amaro animo sunt. Bibant & obliuiscantur
egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.* Aperte his ver-
bis vinum illud quod lætificat cor hominis, non ocio dis-
solutis, non diem in cachinnis & fabulis expēdentibus, sed
his, qui amaro sunt animo, repromittit; siceramque illam,
quę de pomis nouis & veteribus, quę in sponsi delitiis spō-
sa conseruat, conficitur, non epulantibus & potantibus, F
sed propter angustias huius vitæ mœrentibus, & egestate
& dolore laborantibus, pronuntiat esse donanda. *Bibant*
(inquit) *& obliuiscantur egestatis suæ,* laboris videlicet ma-
gnitudinem, diuina consolatio asserens minuendam. Cui
sententiæ apertissime concinit Psalmista, *Secundum multi- Psal. 93. 19.
tudinem* (inquiens) *dolorum meorum in corde meo, consolationes
tuæ lætificauerunt animam meam.* Nemo ergo arduam illam
viam, quæ ducit ad vitam exhorreat, nemo remissiorem,
quam semel abiecit, timida infelicitate repetat; sed (sicut
ait noster legislator) sustinens non lascescat nec discedat,
sciens quia secundū multitudinem laborū, quos pro Chri-
sto tolerat, consolationes eius lætificabunt animam illius.

*Quæstio cur quidam ampliori dulcedine in remissiore vita, quam
in arctiore compungantur?*

CAPVT. VII.

SED quid est (inquis) quod cum aliquanto remissius
viuerem, saginatioribus vterer cibis, poculis paululum
relaxarer, plusculo somno indulgerem, nec corpus labore,
aut tanta vestium asperitate attererem, ne silentio tanto
supprimerer; ita compungebar, ita afficiebar, ita quadam
mentis dulcedine resoluebar? at tunc in hac districtione G
ita aridus & siccus incedo, vt nec vi quidem ab oculis meis
lacrymas valeam extorquere. Et ego quæro à te, quid de eo
æstimes iudicandum, qui cum immani vitiorum gurgite
absorptus, omni se spurcitiæ & immunditiæ traderet, nihil
prorsus flagitij perhorresceret; in tali vita sæpius compun-
gebatur, sæpius lacrymabat, nec solum timore pœnæ, &
peccatorum suorum recordatione, quod forte nemo mi-
raretur, sed ēt miro affectu in amoris Iesu dulcedinem re-
solutus, quodam mētis osculo ipsum videretur amplecti?

Quid ergo? Huiusne æmulanda vita, hi sectandi mores,
tradenda caro illecebris, membra subdenda libidini, vt
simul dulcedine perfruamur? Quis hoc dementissimus di-
xerit? Nec ego ista quasi ambigua, sed, sicut nouit ipse Ie-
sus, certa & vera pronuntio. Noui & ipse fratrem, qui cum
tota die sæcularibus viris ac fœminis immixtus, fabulis & H
potationi vacauerit, sero rediens monasterium ita in lacry-
mas ac suspiria erumpit, vt etiam importunis gemitibus
multorum aures compellet, nec ideo vel modicum ab hu-
iusmodi illecebris temperet. Huiusce igitur [illegible] compun-
ctionis regularis districtio deferenda, & simi[illegible] est sectan-
da spurcitia? Cuius non hoc abhorret auditus?

Quod triplex sit causa spiritualis visitationis.

CAPVT VIII.

NOVERIMVS ergo, quia huiusmodi visitatio nō sem-
per sanctitatem ostendit, nam sæpe prouocat, sæpe &
conseruat. Est autem, quantum in præsentiarum occurrit,
triplex huius visitationis causa. Fit enim aliquando ad ex-
citationem; nonnunquam ad consolationem, plerumque
ad præmium. Ad excitationem dormientibus, ad consola-
tionem laborantibus, pro præmio ad cœlestia suspiranti-

A bus. Prima ergo excitat torpentes; secunda reficit laborantes; tertia suscipit ascendentes. Prima hæc compunctio ad sanctitatem pronocat; secunda sanctitatem conseruat; tertia remunerat. Prima terret contemnentem, vel illicita timentem; secunda fouet & promouet annitentem, tertia amplectitur venientem. Prima est quasi stimulus, deuium corrigens, secunda quasi baculus, debilem sustentans, tertia lectulus, quietum suscipiens. Sicut igitur diuina clementia plerumque verbo, plerumque exemplo, nonnunquam correptione, aliquando etiam flagello, tepide vel perdite viuentes prouocat ad salutem, ita etiam occulta compunctione, quam vel timor excitat, vel generat affectus, ad melioris vitæ statum inuitat. Huius autem visitationis causa bipartita est, fit enim electis ad profectum, reprobis ad iudicium.

CAPVT IX.

Quod primum genus compunctionis, sicut alia quædam gratia, & reprobis ad iudicium, & electis proueniat ad profectum.

B NEc mirandum hanc gratiam reprobis & electis plerumque esse communem, cum excellentiora illa charismata, sermo videlicet scientiæ, propheria, genera linguarum, graria miraculorum etiam reprobis nouerimus impertita. Nam & Saul inter Prophetas, & inter Apostolos Iudas. *Et multi* (inquit) *dicent mihi in illa die. Nonne in nomine tuo signa multa fecimus, & tunc confitebor illis, qui nō noui vos.* Quod vt similiter de gratia compunctionis videamus, cōpunctus Balaam. *Moriatur* (inquit) *anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Qui propriam quoque peruersitatem deplorans ait, *Dixit Balaam filius Beor, dixit auditor sermonum Dei, qui cadens apertos habet oculos.* Nihil tamen hac compunctione profecit, qui docuit Balaac ponere scandalum coram filijs Israel, fornicari, & bibere, & comedere de idolothitis.

1. Re. 10. 11. Matt. 10. 4. Matt. 7. 22. Nu. 32. 10. Nu. 24. 3. Apoc. 2. 14.

C Quam sæpe filij Israel in eremo, correpti à Moyse, fleuerunt coram Domino? quibus nihil illa compūctio profuit, pristinis concupiscentiis denuo resolutis. Sed & introducti in terram repromissionis, cum loqueretur illis Angelus in loco flentium, lauauerunt vocem & fleuerunt, & nihilominus post hęc addiderunt facere malum coram Domino. Quid Iudas? nonne compunctus ait. *Peccaui tradens sanguinem iustum?* Verum quam nihil profit peruersitatem iterantibus huiusmodi compunctio, testis est sapiens ille qui ait, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Baptizatur à mortuo, qui viam suam omni calore feruoris expertem, vel certe vitiis fœtidam ac sepultam, compunctus deplorat. Sed nihil proderit talis lauatio, nisi fuerit secuta correctio. Porro electi, quibus omnia cooperantur in bonum, huiusmodi cōpunctione excitantur, nō ad iudicium sed ad profectum, qui hac cœlesti visitatione perciti, nequaquam securius in remissiore vita torpescūt, sed quo maiore diuinę dilectionis dulcedine perfruuntur, eo ardentius ad fortiora virtutum exercitia accinguntur.

Iud. c. 2. 4. & 11. Mat. 27. 4. Eccli. 34. 30. Rom. 8. 28.

CAPVT X.

D *De duplici ratione secundæ visitationis, & quod de ista ad tertiam, quæ ceteris excellentior est transitur.*

QVi excusso tepore, statim vt sudores & agones pro Christo susceperint, ab illo excellentiori cōpunctionis genere excipiuntur, quæ infirmos sanat, debiles roborat, alleuat desperatos. Ipsa est consolatio gementibus, pausatio laborantibus, tentatis profectio, viaticum itinerantibus. Quam quidem consolationem illi sibi adimunt, qui statim ad primos sudores resilientes, vel in pristinum torporem deuoluuntur, vel viles quasdam consolationes in crebra confabulatione, vel amicorum visitatione, vel certe propriæ voluntatis libertate conquirunt. Quas consolationum sordes sanctus Propheta contemnens, *Renuit* (inquit) *consolari anima mea.* Quid ergo? sine omni consolatione relictus es? Absit. *Memor fui Dei & delectatus sum.* Et huius similiter visitationis ratio duplex. Prouenit enim aliquando tentatis, ne corruant, aliquando tentandis, vt leuius ferant. Prima reficiuntur, altera armantur. Nemo ergo secundum primum illud visitationis genus, suam metiatur sanctitatem, quod reprobis nonnunquam accidere manifestum est: sed neque secundum istud, quod licet excellentius sit, sanctitatem tamen præparat, non ostendit. In illo enim quasi parturitur, in isto nutritur. Sane in hoc secundo genere crebra compunctione assuefactus, crebris sorbitiunculis diuinæ dulcedinis pastus, in illud sublimius gradu excellentiore prouehitur, quod non iam debilem corroborat & confortat, sed quasi perfectum victorem, gratia abundantiore remunerat.

Psal. 76. 4.

E

CAPVT XI.

Quid in singulis his visitationibus Deus operetur.

IN primo igitur statu anima suscitatur, in secundo purgatur, in tertio sabbati tranquillitate perfruitur. In primo statu operatur misericordia, in secundo pietas, in tertio iustitia. Misericordia enim quærit perditum, pietas reformat inuentum, iustitia munerat iam perfectum. Misericordia F erigit iacentem, pietas adiuuat pugnantem, iustitia coronat victoriam. Et reuera quid poterit esse maius diuinæ miserationis indicium, quam vt illa suauitas, illa iocunditas, illa mira serenitas, in qua nihil inquinatum incurrit, animę inquinatæ adhuc gratiam suæ visitationis impertiat? nec solum terrore concutiat, sed omnia mentis claustra, seris vitiorum obserata, sua penetrabilitate perscindēs, fœdis adhuc labiis quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, ac ineffabili suauitate sua blandiatur auerrēti, cunctantē alliciat, animet desperantem: O Dulcis *Domine, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi! O quam suauis est in omnibus spiritus tuus! Vere Domine misericordia tua magna est super me, qui emisisti manum tuam de alto, eripiens & liberans me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum, qui eripuisti animam meam de inferno inferiori, in quo elinxi quandam dulcedinis tuæ stillam, & audiui vocem tuam quasi de longinquo.* Quid agis indigne & sordide? Vt quid in his sordibus volutaris in his turpibus G delectaris? Ecce quid apud me dulcedinis, quid suauitatis, quid iocunditatis.

Psal. 115. 12. Sap. 12. 1. Psal. 85. 13. Psal. 143. 7.

An scelerum tuorum immanitate desperas? Sed qui persequor fugientem, reijciam venientem? Qui auertētem te faciem tuam à me, amplector & attraho, sub alas misericordiæ meæ fugientem repellam? Et vox tua, Domine, inspiratio tua. Vnde enim animæ desperatæ tanta spes, nisi te Domine donante, qui miris modis curas infirmitates nostras, formas deformia nostra? Sed iam de secundo illo statu quid dicendum? in quo diuina pietas miserabiliter operatur in homine, vt ex tentatione proficiat, ex infirmitate amplius conualescat? Et cum omnis anima naturaliter labores, tentationes, & dolores refugiat, tot cōsolationibus in suis tentationibus animatur, vt non solum sustineat irruentes, sed etiam retardantes prouocet quodammodo ac requirat. In quem statum sanctus ille profecerat, qui ait, *Proba me Domine & tenta me.* Et iterum. *Proba me Domine & scito cor meum.* In hoc statu innumerabilibus cœlestium affectuum incentiuis assuefacta mens, paulatim in illud sublimissimum, ac perpaucis expertū visitationis genus prouehitur, vbi quasdam futuræ suæ remunerationis primitias H incipiat prægustare, transiens in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domū Dei, &c. effundens super se animam suam, cœlestium secretorum nectare debrietur, futuræque quietis suæ locum purissimis contemplans obtutibus, exclamet cum propheta. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Sicut ergo in illo statu, vbi nulla præcedunt merita, sola operatur misericordia, ita in isto, in quo coronat munera sua, quę tamen esse voluit merita nostra, cum misericordia operatur iustitia.

Psal. 25. 2. Psal. 143. 23 Psal. 131. 14

CAPVT XII.

Quod in prima visitatione specialiter timor, in secunda consolatio, in tertia fit dilectio.

POrro notandum arbitror, quia licet in prima illa visitatione, nonnunquam timori dulcedinē suauitatis admisceat, in secunda vero, cum suauitate stimulum plerumque timoris adhibeat, proprie tamen illa ad timorem, ista pertinet

A pertinet ad consolationis dulcedinem, nam in terra perfecta charitas foras mittit timorem. Initium enim sapientiæ, timor Domini; consummatio autem sapientiæ, amor Domini. In timore inchoatio; in dilectione perfectio. Hic labor, ibi præmium. Hoc ad illam ascenditur, nec tamen ad ipsam, nisi per ipsam, peruenitur. Menti etenim, quam plerumque timor afficit, vrget dolor, deijcit desperatio, absorbet tristitia, corrodit accidia; quædam miræ suauitatis gutta descendens à balsamo illius montis pinguis; montis coagulati, quasi quodam placidissimo se superinfundit elapsu: ad cuius radiantis diuini splendorem luminis, omnis illa irrationabilium sensuum nebula dissoluitur; ad cuius suauissimum gustum, tota illa amaritudo fugatur, dilatatur, mens impinguatur, & ascendendi facultas miro modo præparatur.

Sic timore, tepor excluditur; timor, gustu diuinæ dulcedinis temperatur. Ne mens in infimis torpeat, timor excitat; ne laborando deficiat, pascit affectus. His nimirum alternantibus tamdiu eruditur, donec tota mens illa ineffa-
B bili charitate absorpta, iam nunc ex dilectione pinguescat, sed illius speciosissimi forma præ filiis hominum desideratissimos ardens amplexus, incipiat velle dissolui & esse
Psal. 119. 5. cum Christo, dicens quotidie cum Propheta, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Sic benedictionem dabit legislator, administrans incipientibus vinum compunctionis, cum timore eius: proficientibus lac, ab vberibus consolationis eius, & cum auulsi fuerint à lacte epulabuntur ab introitu gloriæ eius. Igitur prima illa visitatio arguit iniquitatem, secunda sustentat infirmitatem, sane tertia ostendit sanctitatem. Nemo ergo glorietur in prima, in qua conuincitur iniquus & tepidus, sed nec in secunda, in qua probatur infirmus; in tertia autem qui gloriatur, in Domino glorietur.

CAPVT XIII.

Quis sit fructus in singulis, & quare quidam secunda visitationis consolatione priuentur.

C PORRO fructus primæ visitationis, vera est ad Deum conuersio; fructus secundæ, propriæ volūtatis & omnium passionum mortificatio; fructus tertiæ, perfecta est beatitudo. Denique, accepto fructu primæ compunctionis, in excellentia perfectæ conuersionis, cessante iam illa, quæ suum (vt ita dixerim) expleuit negotium, statim sequitur tentationum & laborum probatio, vt merito succedat illa, quæ est dulcis in Deum deuotio. Non enim facile dulcedinis huius affectus sine præcedente, vel comitante, vel certe statim subsequente labore, aut tentatione donatur; quæ nequaquam pro vitæ merito, sed pro infirmitate sustentanda, vel tentatione alleuianda donatur. Ideoque hi, qui ad primas mox tentationes & labores resiliunt, & instar quorundam discipulorum Domini scandalizati, communica-
Ioan. 6. 61. tionem, dominici corporis & sanguinis, id est passionis illius imitationem abhorrent, dicentes: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* ac si regno Dei minus apti retro respi-
D ciunt, vel certe abiectissimas illas terrenas, & humanas consolationes admittunt: hi (inquam) ab huius consolationis dulcedine semetipsos excludunt, & vbique miseri, nec ad sublime illud visitationis genus ascendunt, & virtutū exercitia sine huiusmodi consolatione fastidiunt, ad pristina vero redire, conscientia resistente, non præsumunt.

Qui merito forte de diuinæ consolationis desertione causari erit, si perfecte pristinis abrenunciātes, ac propriam voluntatem plene mortificantes, nequaquam viles & abiectas mundi consolationes, Dei consolationi præponerent. Nunc vero, cum ingressi arctioris propositi viam, statim incipiant nescio quas dignitatum infulas somniare, ac vanissima præsumptione sui libertatē vsurpare, nec ex-
Luc. 14. 10 pectent miseri donec dicatur eis, *Amice ascende superius*, sed ipsi se, quantum possunt, ad altiora impudenter impingat,
Mat. 23. 6. & 7. appetantque (vt euangelicis sermonibus vtar) primas cathedras in synagogis, primos discubitus in cœnis, primas salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, affectantes nimirum esse magistri, qui ne vna quidem die didicerunt esse discipuli; cum ergo talium ineptiarum ipsi sibi consciј sint, miror qua fronte, qua ue irreuerentia, diuinam
E sibi dulcedinem impertiendam, ac animam terrenis affectibus constupratam, suauissimis ac purissimis amplexibus Iesu existiment confouendam. Quibus profecto, si qua cœlestis dulcedinis gutta profluxerat, non sanctitatis nec laboris solatium, sed quasi in infimis positis, ad excitationem certum sit prouenire. Quanquam post acceptam notitiam veritatis, ac arreptam viam perfectæ puritatis, voluntariæ peccantibus, vel in inertia torpentibus, aut vix, aut nunquam huiusmodi gratia largiatur. Hoc sane dicendum, aliud esse terrenis illis affectibus attentari solum, aliud vix in aliquem rarissime cadere, aliud cedere & consentire, vel se eis ex toto dedere; aliud, si quid huiusmodi occupationum imponatur, inuitum suscipere.

CAPVT XIV.

Proponuntur quædam diuina testimonia, secundum quæ statum suum quisque metiatur.

PROINDE si visitationis tuæ causas, ac rationes velis lucidius intueri, primo statum, in quem profecisti sagaci F
inspectione discutito, ac vitæ morumque tuorum qualitatem, non secundum propriam cōiecturam, sed secundum regulas scripturarum, & cœlestium præceptorum lineas, propriæque confessionis normam, teste conscientia, subtili inquisitione examina. Ait nempe Dominus, *Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Luc. 21. 34.
Et item. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, & qui dixerit Racha, reus erit consilio, & qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Mat. 5. 22.
Et alias, *Qui voluerit inter vos maior esse, sit omnium seruus.* Mat. 20. 26
Item. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines bona, & vos facite illis.* Matt. 7. 12.
Et. *De omni otioso sermone, quem locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Mat. 12. 36.
Ait & Apostolus Paulus, *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & pudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum nostrum Iesum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Rom. 13. 13.
Et ipse. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* 2. Tim. 2. 4
Et ad Galat. *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Galat. 5. 15.
Et ad Thessal. *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & vt operemini manibus vestris, & vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* 1. Thes. 4. 10 G
In secunda quoque epistola ad eosdem. *Quia si quis (inquit) non vult operari, nec manducet.* 2. Thes. 3. 10

Iacobus quoque: *Fratres mei (inquit) nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.* Iacob. 2. 1.
Item. *Si zelum amarū habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari: vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Iacob. 3. 14.
Et paulo post. *Quicunque voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur.* Iacob. 4. 4.
Idem in consequentibus. *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.* Iacob. 4. 11.
Veniamus ad Apostolorum Principē. *Obsecro vos (inquit) tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs.* 1. Pet. 2. 11. & 1.
Ex in eadem epistola. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones.* Et infra. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* 1. Pet. 4. 11
Et post pauca ad Pastores. *Pascite qui in vobis est gregem non turpis lucri gratia, neque dominantes (inquit) in Clero. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatem insinuate.* 1. Pet. 5. 2. & 5. H
Item in secunda epistola. *Fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* 2. Pet. 1. 4.
Et item. *Sobrij estote & vigilate.* 1. Pet. 5. 8.
Iam nunc ad illum discipulum, quem diligebat Iesus, veniendū est. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* 1. Ioan. 2. 4. & 15.
Et. *Nolite (inquit) diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.*
Et infra. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* 1. Ioan. 3. 15.
Iudas quoque Apostolus. *Væ illis, (inquit) qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes.* Iuda. vers. 11. & 16.
Et post pauca. *Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes.* & 23.
Et infra. *Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

Hæc ergo, & his similia, Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ testimonia, tibi quasi quoddam speculum spiritale proponens, vultum animæ tuæ sollicitius contemplare, & si adhuc inueneris temetipsum lautiore epulis, mero crebrius incalescere, sæcularibus negotijs implicari, distendi curis mūdi, ac carnis desiderijs incubare, litibus & fabulis occupare diem, impuris detractionū morsibus fraternam lacerare carnem, inerti dissolutum otio, quasi quibuslibet

stimulis

A stimulis inquietatum, mobili discursione huc atque illuc volitare, & non proprio labore, sed sanguine & sudore pauperum ventris delitias comparare, si denique ira, impatientia, inuidia, inobedientia crebrius maculari, & sollicitius curam vẽtris, quam mentis agere, metas professionis tuæ sine cessatione transgredi: si igitur in his omnibus nitid⁹ ac crassus incedas, noli quæso de tuis lacrymis multum gloriari; quæ forte, vt & nos aliquid secundum physicos dicamus, tumescentibus mero venis, ac diuersis ciborum saporumve nidoribus, humore capitis succrescente, facilius elabuntur: vel certe, si Dei timore, vel affectu in hoc statu compungaris, noli tanta Dei gratia tam impudenter abuti, vt securius in tuis sordibus voluteris, & Deũ, qui nequaquam te adhuc à calore viscerum suorum, hoc videtur indicio penitus abiecisse, tuo tempore compellas ad vomitum, & fiãt nouissima tua peiora prioribus. Quod multis euenire, quotidianis experimentis perdocemur.

B

Capvt XV.

Quibus modis ad spiritales consolationes transitur.

Ceterum si talibus affectuum aculeis excitatus, sordidas Ægyptiorum ollas abiecisti, ac paupertatem Iesu cunctis mundi opibus prætulisti, si regalia fercula grossioris panis, & vilissimi oleris commutasti edulio; si subiectionem & abiectionem honoribus compensasti, si mundi curis ac negotiis exutus, non cum rusticorum maledictione, sed proprio tuo, ac communi fratrum tuorum labore victum quærere delegisti, si pro loquacitate silentium, pro crebris litibus fraternæ dilectionis induisti affectum; si iam cœpisti reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua, si (inquam) his atque huiusmodi inditiis deprehenderis temetipsum exisse de Ægypto, & huius maris magni & spatiosi, sæculi videlicet huius fluctus, quasi verus Israelita transisse; si non statim cœlestis dulcedinis tibi manna profluxerit, noli aduersum Deum murmurare, noli

C Deum tentare & dicere, Si Deus in nobis est, an non; cum præceptorum illius executio, præsentiæ illius aptissi-

Ioan.14.23. mum iudiciũ sit, ipso dicente. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Noli (inquam) murmurare, incidasque in illam blasphemiam vt dicas, *Vanus est qui seruit Deo,*

Malac.3.14 *& quid emolumenti qui custodiuimus præcepta eius:* Et illud psalmistæ. *Ergo sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocentes*

Ps.72.13.14 & 12. *manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis,* quandoquidem ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias, & quod est summum, diuitias spiritales.

Si in amplioribus diuitiis amplior præstatur & gratia, vt quid mortificamur tota die, æstimamur vt oues occisionis, Nonne meli⁹ est manducare & bibere, & frui bonis in ista vita & in alia? Nonne insulsi hominis est, id ingenti corpo-

Psal 43.22. ris quærere cruciatu, quod facile possit, & sine labore conqueri? Sed vbi est quod ait Paulus. *Per multas tribulationes*

Act.14.21. *oportet nos introire in regnum Dei?* Et ad Thess. *Nemo,* inquit,

1.Thess.3.3. *moueatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.* Sed miraris quod non statim te dulcedo cœlestis

D excipiat. Et tamen filij Israel, qui in Ægypto quidem crebrius diuinorum miraculorum gloria excitati, ac mystici illius agni sacris sunt carnibus pasti, post maris rubri transitum non statim Angelici pabuli meruere solatium: imo

Exod.15.23 27. & 16.1. 4. primo ad aquas Mara adducti, ibique tẽtati sunt, ac inde per duodecim fontes ad secretioris eremi abdita peruenientes, cœlesti pane mirabiliter saginantur. Et tu ergo egressus de Ægypto, si intumescentes huius sæculi fluctus sicco vestigio pertransisti, ducend⁹ primo ad aquas Mara, id est amaras, vt te corporalium laborum amaritudo deterreat, ex-

Matt.7.14. periarisque illud euangelicum, Quia *arcta est via, qua ducit ad vitam:* ibique tentaberis à Domino, si forte ad illorum merearis transire consortium, quibus dicit. *Vos estis, qui per-*

Luc.22.28. *mansistis mecum in tentationibus meis.*

Inde ad duodecim fontes, ad Apostolicæ videlicet fluenta doctrinæ, gradu excellẽtiore transibis, vt assidua scripturarum meditatione assuefactus, quodammodo extra

E mundum efficiaris, & è diuinis eloquiis, quæ sunt nimirũ argentum igne examinatum, mutuatis tibi pennis colum- Psal.11.7.

bæ deargentatis, quasi turtur castissimus ad eremum per- Psal.67.14.

uoles spiritalem: vbi si quid tibi stillicidij spiritalis pietas conditoris effuderit, scito non tui esse arbitrij quando colligas, aut quãtum colligas, aut quamdiu, quod collegeris, serues. Nam si sabbato egressus aliquid cælestis edulij colligere tentaueris, ne inueniri quidem poterit. Ceteris vero diebus certam tibi quantitatẽ Gomor, id est Diuini iudicij mensura, præscribet. Porro si quid in crastinum seruare tẽ-

taueris, vt sine labore diurno cœlesti pascaris alimento, Exo.16.27. & 18. & 20.

vermes tibi tua expectatio procreabit. Verum gustata dulcedine spiritali, non statim otio dissoluaris, mox.n. è latere spiritalis insurget Amalech, non armis sed orationibus euincendus. Ita succedentibus sibi, ex diuina quidem pietate nonnullis consolationibus, ex propriis autem concupiscentiis, multis laboribus, post innumeros agones, ad illud ineffabile visitationis genus munerandus ascendes, vt ex integro charitatis ardore flãmescens, ab introitu glo-

rię Dei, quasi ex fructu terrę re, pmissionis, feliciter satieris, F

ac igne diuini amoris iugum concupiscentiæ penitus absumente, requiescas in pallore auri, in splendore sapientiæ, in suauitate contemplationis diuinæ, experiarisque ex

toto, quia *iugum Domini suaue est, & onus eius leue.* Matt.11.30.

Capvt XVI.

Quod non sit deserẽdum ab aliquo arctioris vitæ propositum, quamuis illum dulcem non experiatur affectum.

Sed esto nihil tibi huiusce dulcedinis profluat, nulla te lachrymarum suauitas mulceat. Nec sic tibi est ad pristina redeundum, imo vtriusq; conuersationis conferendi sunt fructus, ac libra conscientiæ æquo examine trutinandi, ne forte in tua æstimatione præponderent minora maioribus, deteriora melioribus comparentur, ne securis dubia, aut pluribus præiudicent pauciora. Nam si aliter non possis, satius profecto tibi est vno membro debilitato, vel si necesse sit amputato, in ceteris validus ac sanus incede- G

re, quam omnibus artubus arefactis, vnius sanitati importunius inniti.

Capvt XVII.

Interrogationes cuiusdam nouitij, & suæ responsiones inseruntur.

Cvm ante non multum tempus, frater quidam abrenuntians mundo, nostro se monasterio contulisset, traditus à reuerendissimo Abbate nostro meæ paruitati, disciplinis regularibus instituend⁹, cœpit aliqñ admirans quærere, quænam mihi causa videretur, q̃ in sæculari adhuc habitu, ac conuersatione positus, ita sæpius cõpungebatur, ac in quendam diuini amoris resoluebatur affectũ, tantaq; spiritus suauitate fruebatur, quantum (inquit) modo non dicam diutius retinere, sed ne raro quidem degustare sufficiam. Tum ego. Sanctioremne (inquam) illam tuam conuersationem, Deoque acceptiorem fuisse existimas? nequaquam, inquit, id dixerim, prę sertim cum multa iam agam, quorum si vnum aliquid tunc egissem, non modo sanctus, imo ab omnibus crederer (ita vt dixerim) adorandus. Rogo (inquam) in quantis illud Apostolicum ex-

periebaris, Quia *per multas tribulationes oportet nos introire in* H

regnum Dei? illudque beati Iob, *Si iustus fuero, non leuabo ca-* Act.14.21.

put meũ, saturatus afflictione & miseria? Nihil (inquit) horum Iob.10.15.

sensisse memini, sed plerumque expressius, ac dulcius me Christum amare persensi. Et ego. Tantane tunc patereris pro Christo, quanta nunc pateris? Ne vna (inquit) hora, quanta hic sine cessatione sustineo. Nam vt cetera taceam, nullo modo saltem vna die, tanto me finerer premi silentio, aut me vlla ratione ab otiosis ac vanis sermonibus continerem. Quinimo post illas, quas præfatus sum lacrymas, statim ad cachinnos redibam & fabulas, ac pro impetu animi, huc atque illuc mobili discursione ferebar, ac meæ voluntatis possidens libertatem, parentum pręsentia gratulabar, sociorum confabulationibus arridebam, conuiuis apparatis intereram, potationes non abhorrebam, matutinos somnos pro libitu carpebam, cibo ac potu supra metas etiam necessitatis distendebar.

A Taceo iræ stimulos, quibus nonnunquam vrgebar, lites, contentiones, ac mundialium rerum cupiditates, quibus pro posse intendebam. At nunc (inquã) qui mores tui, quæ vita, qui actus? Et ille subridens, in promptu (inquit) est dicere, non enim ignorari se sinunt. Est quidem cibus parcior, vestis asperior, potus è fonte, somnus plerumq; in codice, denique fatigatis membris male mollis matta substernitur, dum somn⁹ suauior fuerit, surgere campana pulsante compellimur. Taceo quod in sudore vultus nostri vescimur pane nostro, quod tribus solum hominibus, & hoc rarissime, & vix de necessariis loquimur. Nonne istud Apostolicum manifestissime impletur in nobis, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et istud psalmistę. *Vt iumentũ factus sum apud te.* Vere vt iumentũ facti sumus, quocunque ducimur sine vlla contradictione euntes, quodcumq; imponitur sine reluctatione ferentes. Propriæ voluntati nullus locus, otio aut dissolutioni nullũ tẽpus. Prętereunda non æstimo quędam, quę non minus delectant, quam ista fatigant; nusquam lites, nusquam rusticorũ ob diram oppressionem querulus planctus, pauperum iniuriatorum miserandus clamor, placita nulla, sæcularia iudicia nulla. Vbiq; pax, vbiq; tranquillitas, & à mundialiũ tumultuum mira libertas. Inter fratres tanta vnitas, tantaq; concordia, vt singula videantur omnium, & omnia singulorum. Et quod me miro modo delectat, nulla est personarum acceptio, nulla natalium consideratio. Sola necessitas parit diuersitaté, sola infirmitas disparilitatem. Quod enim in communi laboratur ab omnibus, distribuitur singulis, non vt carnalis affectus aut priuatus amor dictauerit, sed prout cuique opus fuerit. Quam illud quoque mirandum, quod trecẽtis vt reor hominibus, vnius hominis voluntas est lex? adeo vt quod semel ex eius ore elapsum fuerit, tanta cura seruetur ab omnibus, ac si in id omnes coniurauerint, vel ab ipsius Dei ore audierint.

Coloss. 3. 5. Psal. 72. 23. B

Et vt breuiter multa comprehẽdam, nihil prorsus perfectionis in Euangelicis vel Apostolicis præceptis audio, nihil in literis sanctorum patrũ inuenio, nihil in antiquorum monachorum dictis intelligo, quod non huic ordini, & huic cõsonet professioni. Tum ego. Nouitius (inquam) es, ideo non hæc iactantiæ, sed feruori potius assignarim. Volo te tamen cautum esse, ne vllam omnino professioné esse existimes in hac vita, quæ fictos non habeat; ne si forte quemquam perspexeris aut sermone, aut actu excedere, quasi præter æstimationé tuam noui aliquid acciderit, cõturberis. Attamen hæc omnia, quæ tam feruenter enumeras, illisne lacrymis tuis æstimas comparãda? Absit, inquit, cum securam mihi conscientiam nunq̃ illa lacrymarum profusio reddiderit, nunq̃ metu mortis exuerit. At nunc non multum curo, & opto plurimum, vt post modicum tollat me factor meus. Quod licet forte pusillanimitatis sit, vt exprobrare mihi soles, quod videlicet malim his laboribus eximi; nullo modo tñ sine certa spe diuinæ miserationis id possem, vnde satis miror, cur ampliori amore Deum amabam, qñ minori securitate fruebar. Rogo (inquam) si duo tibi essent serui, quorum alter præceptis tuis nõ solum obedientissime pareret; imo nonnullos labores tui causa sustineret; alter præceptorum tuorum quotidianus transgressor, nihil prorsus aduersi pro te ferre consensisset, dicentibus vtrisque, Diligo Dñm meum, cui potius credere deligeres? Quis (inquit) non videat hunc copiosissime munerandũ, illũ non modo transgressionis, sed nimiæ impudentiæ arguendum? Sic te (inquam) inter hos duos status tuos oportet iudicare. Sed vt propriæ (inquit) experientiæ non credã, quę mihi ratio persuadere poterit? Si quis (inquam) quęrat abs te, quisnam sit melior, qui amplius, an qui minus Deum diligit, nõne sine omni cunctatione eum pronuntiabis meliorem, quem plus noueris diligentem? Insani capitis est (inquit) saltem hinc hæsitare.

C D

Quæso nunc (inquam) semoueas si quid tibi adhuc, vt pote nouitio, de sæculari suauite blanditur, si quid expertæ delectationis alludit, nec attendas quid caro suggerat, sed quid ratio dictet: respondeasque mihi secundum regulas veritatis, ac conscientiæ tuæ testimonium, vtrum malles te in illo statu nunc esse, quam in isto, quo nunc es. Prorsus (inquit) si non velim fallere meipsum, nec agere vt sit mihi proprium os oleum peccatoris id impinguandum caput meum, necesse habeo confiteri, quia si illum statum prælegissem, esset plane hoc non propter Christum, sed propter mundum, nec desiderio maioris perfectionis, sed fastidio præsentis laboris, vel certe appetitu maioris delectationis. Iam nunc (inquam) quasi feruoris tui conscius non cunctor affirmare, nolle te nunc in eo esse statu. Non falleris, inquit. Sed si in eo (inquam) statu Deum magis amabas, profecto melior eras. Si tunc melior, quare nunc securior? An eligis securior esse, quam melior? Sed & si quis dixerit meliorem illum, qui amplius, quam qui minus præceptis Domini adimplendis institerit, puto quia non abnues: Coarctor, inquit, vndique, & quasi de scopulo ad scopulum impulsu rationis allidor, nec inuenio exitum. Nam quod tunc Deum magis amauerim, & dulcibus quibusdam lacrymis in eius amorem sæpius respirauerim, quasi de re experta dubitare non debeo; at quin is melior sit, qui in Dei amore fuerit feruentior, negare non audeo. Porro ne vitam illam huic conuersationi præponam, omnis sanctarum scripturarum repugnat auctoritas, obsistit ratio, ipsa conscientia nostra reclamat. Vnde eum dubitare meliorem, cuius moribus magis scripturæ concordat auctoritas, insanissimum iudico. Sic cum in his nõ parua repugnantia sit, considerandum mihi est, vnde dubitare minus sit periculosum, de scripturarum veritate, an de manifestissima ratione, an potius de iactura propriæ experientiæ.

E Psal. 140. 5. F

Sed contra scripturam (inquam) nemo catholicus, cõtra manifestam rationem nemo pacificus; verum in sui æstimatione cui non facile subrepat fallacia? Denique experimentum fallax, & sicut scriptum est. *Non omni spiritui credendum est, & aliquando satanas transfigurat se in angelum lucis.* Veruntamen licet, inquit, tunc forte Deum magis amauerim, quia tamen nunc eius voluntati magis obtempero, magis pręceptis eius adimplendis insisto; amplius pro eius nomine memetipsum affligo: Hinc mens securior, hilarior conscientia, & tot laborum conscius animus, ad ipsam subeundam mortem, spe præmiorum promptior. Duo, inquam, valde sibi contraria asseris, quod scilicet amplius Deum amaueris, & minus eius voluntati parueris. Quam opinioné tuam, sententia ipsius Saluatoris euacuat, ita dicentis. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit.* Sed & iterum. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me,* Et iterum. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Hinc discipulus ille, quem diligebat Iesus, cuius reclinatorium capitis sacrum illud pectus factum est, *In hoc est charitas Dei, vt mandata illius custodiamus.* Proinde vt ait quidam sanctus. Quicunque dictu, vel actu, vel etiam cogitatu improbo Dei mandata violauerint, frustra se Deum diligere credũt. Vnde etiam B. Gregorius. *Amor Dei nunquam est otiosus; aut enim operatur magna si est, aut si operari contemnit, amor non est. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis.*

1. Ioan. 4. 1. 2. Cor. 11. 14. G Ioan. 14. 23. & 22. & 24. 1. Ioan. 5. 3.

Quid ergo, inquit, Vanusne fuisse dulcissimus ille affectus credendus est, deceptoriasque illas lacrymas iudicabimus? Minime, inquam, imo maximus earum fructus, si tamen intelligas. Noueris igitur primo, quod nequaquam secundum momentaneum illum, &, vt ita dixerim horarium affectum, Dei pensandus sit amor, quod ex contrariis exemplis perspicuum est intueri. Cum enim in tragœdiis vanisve carminibus, quisquam iniuriatus fingitur vel oppressus, cui⁹ amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicetur affectus, si quis hæc vel cum canuntur audiens, vel cernens si recitentur, vsque ad expressionem lacrymarum quodam moueatur affectu, nonne perabsurdum est ex hac vanissima pietate, de amoris eius qualitate capere coniecturam? Vt hinc fabulosum illum, nescio quem, affirmetur amare, pro cuius ereptione, etiamsi hæc omnia vere præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? Similis profecto ineptiæ est, imo multo maioris insaniæ, si quisquam luxuriosus aut tepidus, occulta Dei dispensatione, ob quosdam internos compungatur affect⁹, ad vana & ludicra, & sordes pristinas denuo reuersurus, secundum steriles has lacrymas, ac momentaneos affectus, de eius dilectione ferre sententiam, vbi hinc Deum plus illo

H

A credatur amare, qui adeo se diuinæ seruituti subiecit, vt quicquid eius voluntati nouerit esse cõtrarium, omni detestetur horrore; quicquid fuerit laboris impositum, pro eius nomine omnia amplectatur feruore.

Ad hæc verba quodam ille pudore perfusus, demisso capite, fixisque in terram luminibus, verissime, inquit, verissime. Nam & in fabulis, quæ vulgo de nescio quo finguntur Arturo, memini me nonnũquam ad effusionem lacrymarum fuisse permotum: vnde non modicum pudet propriæ vanitatis, qui si forte ad ea, quæ de Domino pie leguntur, aliquam mihi lacrymam valuero extorquere; ita mihi statim de sanctitate applaudo, ac si magnum aliquid, ac insitatum mihi miraculum contigisset. Et reuera vanissimæ mentis indicium est, pro his affectibus, si forte pro pietate contingant, vana gloria ventilari, quibus in fabulis & mendacijs * solebant compungi. Sed quia non modicum fructum inesse affectibus paulo ante dixisti, rogo vt ea, quę cœperas, prosequaris. Libentissime inquam. Neque enim tibi deneganda est cognitio veritatis, pro qua nec tibi ipsi existimas esse parcendum. Nam plerique, si forte audiant aliqua cõtra suam inertiam disputari, sophisticas quasdam ratiunculas, quibus veritati resistant, reclamante etiam conscientia, moliuntur, ac declinantes cor suum in verba malitiæ, amant excusationes in peccatis. Melius est profecto confiteri Domino, & dicere. *Miserere mei quoniam infirmus sum*, quam dicere, *Diues ego sum & locuples, & nullius egeo, cum miser, & miserabilis, & cæcus, & pauper, & nudus.* Sed ad propositum veniamus.

* An forte solebam.

B

Psal. 140. 4.

Psal. 6. 3. Apoc. 3. 17

Capvt XIIX.

In quibus amorem Dei constare credendum sit.

Compendij cap. 15.

IGitvr vt diximus, non secundum hos momentaneos affectus, quos minime nostræ subesse voluntati, nullus spiritalis ignorat, Dei æstimandus est amor, sed potius secundum continuam ipsius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati coniungere, vt quælibet voluntas diuina præscribat, his voluntas humana consentiat, vt nulla sit alia causa cur hoc aut illud velit, nisi quia hoc Deum velle cognoscit, hoc vtique Deum amare est. Nam ipsa voluntas nihil est aliud quam amor, nec aliud dicendæ sunt bonæ aut malæ voluntates, quam boni vel mali amores. Denique ipsa Dei voluntas amor est eius, qui nihil est aliud quam sanctus spiritus eius, *per quem diffunditur charitas in cordibus nostris*, quæ charitatis diffusio, diuinæ est & humanæ voluntatis coniunctio, vel certe diuinæ voluntatis subiunctio. Quæ tunc fit, cum Spiritus sanctus, qui vtique Dei voluntas & amor est, & Deus est, humanæ se voluntati ingerit & infundit: eamque ab inferioribus ad superiora sustollens, totam ipsam in sui modum, qualitatemque transformat, vt ei indissolubili glutino vnitatis adhærens, vnus cum eo spiritus efficiatur. Apostolo hoc idem manifestius intimante. *Qui adhæret* (inquit) *Domino vnus spiritus efficitur.* Sane hæc voluntas secundum duo quædam iudicanda est, passionem scilicet & actionem, si videlicet ea, quæ Deus intulerit vel inferri permiserit, patienter sustineat, & ea, quæ iusserit, feruenter adimpleat.

C

Rom. 5. 5.

1. Cor. 6. 17.

D

Cæterum vt ait beatus Gregorius, Nemo credat quicquid sibi mens, sine operibus, de Dei amore respondeat. Eius est enim sententia qui non mentitur, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me.* Quocunque igitur modo hos insuetos affectus, internasque visitationes, iudicia Dei, quæ sunt abyssus multa, dispensent; quibuscunque etiam causis, his non quærentibus nec pulsantibus, nonnunquam (vt ita dixerim) subito infundantur: illis, licet omni conatu in acquisitione laborantibus, subtrahantur; cuiuscunque voluntas Dei voluntati concordat, eaque, quæ Deus intulerit, sustinet patienter, & ea quæ iusserit exequitur feruenter, Deum diligere sine omni cunctatione dicendus est. Alioquin si secundum affectus noster metiendus est amor, vt tunc solum Deum, vel hominem quemlibet amare dicamur, cum huiusmodi affectum experimur, non vtique continue, sed perrarissima quædam interualla amare dicendi sumus. Dicendum sane quod si forte homo iustus aliquando velit, verbi gratia, salutem alicuius, quod tamen nolit Deus, non tamen eius voluntas à Dei voluntate discordat; quandoquidem vt hoc velit, Dei vtique operatur voluntas, qui ideo vult omnes homines saluos fieri, quia à suis id facit optari.

Homil. 30. in euangelia.

Ioan. 14. 21.

Psal. 35. 7.

E

1. Tim. 2. 4

Habet præterea amor iste inchoationem suam, profectum suum, perfectionem suam; de quibus omnibus enucleatius disserere nec huius temporis, forte nec nostræ est facultatis. Proinde affectus illos sentire, non ita, vt autumas, Deum amare est, sed oblatam, imo infusam menti quandam dulcedinis illius guttam, interioris palati, quasi præsentem, suaui præsentire attactu. Nam aliud est mellee dulcedinis cupidum, in eius acquisitione pro viribus laborare; aliud si cuiuslibet non quærentis nec amantis infusa fuerit labiis, sensum dulcedinis illius non posse effugere. Ille non gustat, amat tamen; iste non amat, & tamen gustat. Vt ergo simplicioribus verbis vtar quo facilius intelligas; qui, quantumcunque potest, insistit vt Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando, & secundum Apostolica & Euangelica præcepta sobrie, & iuste, & pie viuendo, etsi nihil huius dulcedinis gustet, Deum tamen diligere dicendus est, ipso attestante qui ait. *Qui mandata mea custodierit, ille est qui diligit me.* Qui vero quotidie hunc experitur affectum, & nihilominus diuinæ voluntati sua desideria præponit; non quidem Deum diligere, sed ingestum suæ menti diuina dispensatione spiritalem saporem, non nisi sentire posse credendus est.

F

Ioan. 14. 21.

Capvt XIX.

Quis sit diuersarum compunctionum fructus initio interroganti exponitur.

HÆc tamen dulcedinis experientia, negligentibus quidem, ad bona opera magna excitatio; in bonis operibus desudantibus, necessaria consolatio, in culmine perfectionis consistentibus, suauis, & secura refectio est. Operatur ergo ille mire misericors, miris & ineffabilibus modis salutem nostram; ipse sapientia illuminans, ipse iustitia terrens, ipse dulcedo suauitatis illiciens. Velut si quemlibet ignarum mellis, ad eius velles appetitum accendere, sed cernens eum aliis speciebus, minus licet sapientibus delectatum, nec sermone, nec eius qualibet laude in illius desiderium inflammari, sumpta modica liquaminis illius gutta, eius faucibus instillares, illeq; sumpto gustu, ita in eius æstuaret appetitum, vt pro eius acquisitione, ne immensos quidem labores aggredi perhorreret, quoties tamen, immanitate laboris, cerneres fatigatum à cœpto feruore tepescere, simul cum dulcedinis stilla mulceres: Sic clementia piissimi Saluatoris nostri, illecebris carnis immersos, quos nec lumen rationis, nec futuri examinis timor, à male blanda præualet suauitate compescere, quodam internæ dulcedinis gustu allicit ad salutem, donec propria voluptate paulatim attracti secundum illud, Trahit sua quemque voluptas, iugum eis suæ seruitutis imponat. Sed quia accedens quis ad seruitutem Dei, audit scripturam dicentem. *Sta fortiter, & præpara animam tuam ad tentationem.* Necesse est, vt quoties labor tentationis oppresserit, nutanti iam pœneque desperanti, spiritalis quidam sapor interfluat, cuius recreatus aspergine, vitiorum colluctationem acriori mentis æstu suscipiat, magnanimiter toleret, facilius superet, vel euitet. Teipsum diligentius intuere. Nonne post illam dulcissimi affectus experientiam, ad ludicra vanaque reuersus, cum iterum redires in te, confundebaris, ac quodam (vt ita dixerim) odio salutari contra teipsum accendebaris? Hinc meditari arctiorem vitam arripere, tantamque tibimet apponere necessitatem, vt si etiam talibus consentiret voluntas, nulla tamen foret ad talia redeundi facultas. Omnino (inquit) ita est.

G

H

Vides ergo quia feruens conuersatio tua, ista districta admodum conuersatio tua, quasi illarum lacrymarum fructus est? Ad hoc enim datæ sunt, hoc paulatim opera-

A bantur, imo per illas Deus. Quid ergo mirum si suo (vt ita dixerim) negotio consummato cessarunt? Nunc quidem labores tibi pro Christo subeundi sunt, virtus patientiæ exercenda, carnis insolentia crebris vigiliis, ac ieiunijs castiganda, perferendæ tentationes, & ab omni terrena sollicitudine animus auocandus, præcipue autem virtute obedientiæ propria mortificanda voluntas: quoties vero in his animus plus nimio fatigatur, sollicita orationum deuotione, ad materna vbera Iesu properandum, ex quorum abundantia, lac tibi miræ consolationis eliciens, dicas cum Apostolo, *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione.* Et. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* (2. Cor. 1. 3. & 5.) Sic affectus ille pius, qui prius torpentem excitauerat ne periret, consolabitur laborantem ne deficiat, donec post innumeras victorias, quasi emeritus iam miles effectus, his tentationibus, quibus nunc quasi nouitius fatigaris, penitus consopitis, in virtutum suauitate repauses: ad illud quoque sublimissimum consolationis genus, gratia

B diuinæ pietatis admissus, quod quasi Præmium constat esse iustorum, dicas cum Propheta. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?* (Psal. 30. 20.) Tum ille obortis lacrymis, Placet (inquit) & valde placet quod dicis, quia non solum hæc ita esse ratione magistrante conijcio, verum in me ipso luce clarius perspicio. Nam primum illud visitationis genus, sic prorsus, vt asseris, expertus sum, secundum vero, quod in me iam incipiat actitari, te instruete persentio, at sublime illud & ineffabile, quandoque me adepturum confido.

Capvt XX.

Nouitius ille vnde Deum se magis amasse probat, & inde minus amasse conuincitur, & quibus lacrymarum profusio proficiat, ostenditur.

Vide igitur (inquam) quam præter opinionem tuam res acta sit. Quomodo, inquit? Ne forte (inquã) vnde te Deum magis amare credebas, hinc minus conuincaris

C amasse. Aliquantisper (inquit) & mihi hæc ratio interlucet, velim tamen plenius eam, te disputante, cognoscere. Nonne (inquam) quanto quisque negligentior fuerit, vel mente infirmior, tanto in Dei amore probabitur imperfectior? Negari (inquit) non potest. Sed sicut, inquam, temetipsum dicis clarius intueri, primus ille affectus arguebat errantem, secundus iste sustinet infirmantem. Prorsus (inquit) ita. Conuincunt igitur (inquam) imperfectius amantem. Tunc ille suspirans. O, inquit, quam miserabiliter falluntur, qui sunt suæ salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus, ac damnabilibus implicati, si parum quid huius, de quo loqueris, expetiantur affectus; non solum sibi veniam de præteritis pollicentur, imo ad eadem securius quodammodo reuertuntur; nec aliquid hoc spiritali incitamento proficiunt, sed sanctiores hic semetipsos arbitrantes, in suis sordibus vel negligentiis impudentius volutantur. Forte talibus ait Apostolus, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant; & aures vt non audiant.* (Rom. 11. 8.)

D Numquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum duntaxat, qui immanissimas vitiorum sordes, sine pœnitentiæ fructibus, paucis his lacrymis æstimant abluendas.

Est profecto, inquam gratissimum, & acceptissimũ Deo sacrificium profusio lacrymarum, & pro omnibus admissis sufficiens holocaustum, sed pœnitentibus & confitentibus, sed ea, vnde pœnituerint, non iterantibus, sed cum spiritu humilitatis & animo contrito, ad pia viscera Iesu fugientibus, sed dignis pœnitentiæ fructibus pro posse insistentibus. Quocirca tibi, omnique suæ salutis sollicito elaborandum est, quatenus hæc carnis mortificatio, hæc vigiliarum ac laborum sollicitudo, hæc vestium vilitas, hæc ciborum asperitas, hęc silentij grauitas, hæc (inquam) omnium membrorum interioris & exterioris hominis, quasi acceptissimum holocaustum, sagimine (vt ita dixerim) lacrymarum, ac deuotissimarum affectuum suauitate pinguescat, vt in ara cordis, igne charitatis admisso, sua-

E ue redoleat, & sic secundum Prophetam, *holocaustum tuum pingue fiat.* (Psal. 19. 4.) Ceterum si vtrumque non possis, satius est sine lacrymis in Apostolica paupertate, quam cum quotidianis lacrymis, quotidie diuinis obuiare mandatis. Nam licet mortuos suscitent, dæmonia eijciant, cæcos illuminent, nihilominus tamen audient à Domino, *Discedite à me quicunque fuerint operarij iniquitatis.* (Matt. 7. 23.)

Capvt XXI.

Quod ex his, quæ inserta sunt, quid Charitas, quid Cupiditas in proficiente operetur possit aduerti.

Hactenus hæc forte non inutiliter inseruimus quæ omnia si attente, si diligenter, postremo si humiliter inspiciantur, erit ni fallor perfacile intueri, conuersum quemlibet, ex noua charitatis infusione, alacri conatu, ac leuissimis quibusdam mentis suæ motibus ad altiora sustolli: sed cupiditate deorsum premente, & omne cui inhæserit, naturali pondere ad ima semper vrgente, in ipso (Compendij cap. 56.)

F suo conatu nonnihil laborare. Et quanto frutex perniciosa, altius in ipsis animæ recessibus radices infixerit, tanto in earum auulsione maior difficultas, perinde in ascensione minor facilitas. Sed sicut piger quis ac desidiosus, ac agriculturæ imperitus, agrum suum, parua licet ex parte, tribulis ac spinis obsitum, tardius euacuat & emundat; impiger autem ac sollicitus, ac huius disciplinæ industrius, etiamsi omnem agri superficiem occupauerit, veprium densitatem citius eradicat, ac de sterili & infœcundo, pinguem reddit & vberem: sic nimirum abrenuntians quis mundo, si tardus, si tepidus, si suæ purgationis minus fuerit curiosus, quanquam in sæculo minus extitit inquinatus, tardius in conscientiæ serenitatem, ac charitatis proficiet libertatem; at si feruens spiritu, si diligens ac sollicitus, si discretionis virtute fundatus, assumptis spiritalium exercitiorum instrumentis, vitiorum genimina ab agro

G sui cordis potenter euellat, in auras conscientiæ purioris, citius respirabit, ac iugo cupiditatis excusso, ac onere deposito passionum, inueniet quia iugum Domini suaue est, & onus eius leue est.

Capvt XXII.

Quanta sit in voluptatum contemptu victoriaque iocunditas.

Sicque probabit expertus, non modo nullius laboris; imo sũmæ esse iucũditatis. pudicitiæ suauitate pfundi: (Compendij cap. 57.) quanquam onerosum sit naturalia incentiua immundaq; desideria, quæ de concupiscentia carnis emergunt, fræno temperantiæ cohibere. Similiter nõ solum iocundum, sed insuper gloriosum, cum gulæ fuerit concupiscentia superata, non se seruum sui ventris, sed Dominum intueri, illa mira exultatione tripudians, *Ego autem didici in quibus sum sufficiens esse, scio & abundare, & penuriam pati.* (Philip. 4. 11. & 12.) Sed & amor carnis si fuerit perfecte sopitus, vel certe igne diuini amoris absorptus, nullus erit in exterioribus labor; quia non poterit mens eius afflictione turbari, cuius non potest di-

H lectione dissolui. Illecebris sane odorum, licet nonnulli turpiter abutantur; quia tamen hi, de quibus nunc sermo est, vel parum, vel nihil in eorum appetitu, vel amissione laborant, hic plura loqui supersedeo. Porro oculorum auriumque voluptas, plurimis non modicum laboris importat, qui nequaquam recte iugo Saluatoris ascribitur, cum totum peruersa potius pariat consuetudo. Quam quia abscindere sentiunt onerosum, de Dominici iugi, cuius non experti sunt leuitatem, malunt asperitate causari; quæ cum in voluptatum contemptu consistat, non minorem profecto contemnentibus confert libertatem, quam vana illa & ludicra, damnosam pariunt suauitatem.

A

Caput XXIII.

De vana aurium voluptate.

SED quia aperte malos ab hac consideratione putauimus remouendos, de his nunc sermo sit, qui sub specie religionis negotium voluptatis obpalliant: qui ea, quæ antiqui patres in typis futurorum salubriter exercebant, in vsum suæ vanitatis vsurpant. Vnde quæso, cessantibus iam typis & figuris, vnde Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suauitatem? Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic succinit, ille discinit; alter supercinit, alter medias quasdam notas diuidit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito, in fœmineæ vocis gracilitate acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumuolutiones torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu exspirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione, quasi minitari silêtium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totũ corpus agitatur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio; & vbi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius seruiri clamatur.

B

Stans interea vulgus sonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum, tremens attonitusque miratur; sed lasciuias cantantium gesticulationes, meretricias vocum alternationes & infractiones, non sine cachinno risuque intuetur, vt eos non ad oratorium, sed ad theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes conuenisse: nec timetur illa tremenda maiestas cui assistitur, nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur, vbi Christus mystice pannis inuoluitur, vbi sacratissimus eius sanguis calice libatur, vbi aperiuntur cœli, assistunt Angeli, vbi terrena cœlestibus iunguntur, ab Angelis homines sociantur. Sic quod sancti patres instituerunt, vt infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in vsum assumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præferendus est sonus, sed sonus cum sensu, ad incitamentum maioris affectus, plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse sonus, tam moderatus, tam grauis, vt non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed sensui maiorem relinquat portionẽ. Ait nempe B. Augustinus, *Mouetur animus ad affectum pietatis, cantico audito: sed si magis sonum, quam sensum, libido audiendi desideret, improbatur.* Et alias. *Cum me*, inquit, *magis cantus quam verba delectant, pœnaliter me peccasse confiteor, & mallem non audire cantantem.* Cum igitur aliquis spreta ridiculosa illa, & damnosa vanitate, antiquæ patrum moderationi sese contulerit, si ad memoriam nugarum theatricarum, prurientibus auribus, immane fastidium grauitas honesta intulerit, sicq; totam patrum serenitatem, quasi rusticitatem contemnat ac iudicet, modo cantandi, quem sanctus Spiritus per sanctissimos patres, quasi per organa sua, Augustinum videlicet, Ambrosium, maximeque contrarium Gregorium instituit, Hyberas vt dicitur nænias, vel nescio quorum scholasticorum nugas vanissimas anteponens; si ergo hinc crucietur, hinc doleat, hinc ad ea quæ euomuerat anxius anhelet, quæ rogo huius laboris origo, iugum charitatis, an onus concupiscentiæ mundialis?

C

Aug. 10. conf. cap. 33.

D

Caput XXIV.

De concupiscentia oculorum, quæ in exteriori, & interiori curiositate consistit, quæ ad viam perfectiorem conuersos affligit.

Compendij cap. 52.

SED iam de concupiscentia oculorum pauca dicenda sunt, quam, Curiositatem sancti patres videntur appellandam; nam eam non solum ad exteriorem, sed etiam ad interiorem hominem æstimant pertinere. Ergo ad exteriorem pertinet curiositatem omnis superflua pulchritudo, quam amant oculi in variis formis, in nitidis & amœnis coloribus, in diuersis opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, picturis, sculpturis, diuersisque figmentis, vsum necessarium & moderatum transgredientibus: quæ omnia amatores mundi ad illecebras experunt oculorum, foras sequentes quod faciunt, intus relinquẽtes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt. Inde etiam in claustris monachorum grues & lepores, damulæ & cerui, & picæ & corui, non quidem Antoniana, vel Machariana instrumenta, sed muliebria oblectamenta; quæ omnia nequaquam monachorum paupertati consulunt, sed curiosorum oculos pascunt. Si quis ergo paupertatem Iesu his oculorum illecebris præferens, infra metas necessitatis sese recluserit, & pro superflua illa ædificiorum amplitudine, ac superuacua altitudine, pauperum quorundam fratrum cubilia expetierit, cum forte ingrediens oratorium impolito constructum lapide, nihil pictum, nihil sculptum, nihil occurrerit pretiosum, non marmora strata tapetibus, non vestiti parietes ostro, historias Gentium, pugnas Regum, vel certe scripturarum seriem præferentes, non ille cereorum attonitus fulgor, non in diuersis vtensilibus radiantis metalli splendor; cum ergo nihil horum occurrerit intuenti, si incipiant ei cuncta sordere quæ cernit, ac se quodam paradyso excussum, ac carcerali quodam squalore queratur immersum, vnde hæc mentis angustia, vnde totus hic labor?

E

F

Rogo si didicisset à Domino Iesu mitis & humilis corde, ac contemplari secundum Apostolum non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, quę enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna, si interioris illius gloriæ vel modicum degustasset, de qua scriptum est. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*; illudque Apostoli, *Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit & non in altero*: quod si non in homine altero, quanto minus in muto insensibilique metallo? si (inquam) interiori ceruice iugo diuinæ dilectionis supposito, ibi, ibi intus Iesus ille dulcis dulciter sapuisset, multumne, quæso, gloriolas has exteriores affectasset? Nunc de interiori illa curiositate pauca dicenda sunt, quæ maxime in tribus constat, in appetitu videlicet noxiæ, vel inanis scientiæ; in peruestigatione alienæ vitę, non ad imitandum, sed ad inuidendum si bona est, vel insultandum si mala, vel certe sola curiositate tantum vt sciatur, siue mala sit, siue bona, postremo in curiosa quadam, pro sæcularium rerum vel actuum agnitione, inquietudine. Ex quibus omnibus, mentibus captiuatis non modicus labor innascitur, cum vel intemperate exercentur, vel libenter exercentibus prohibentur.

2. Cor. 4. 18.

Psal. 44. 14. Galat. 6. 4.

G

Compendij cap. 53.

Hinc est quod plerique, qui inani philosophiæ dedere animum, quibus etiam moris est cum euangelijs bucolica meditari, Horatium cum Prophetis, cum Paulo Tullium lectitare; tunc etiam metro ludere, lasciuiosisque carminibus amatoria texere, vel inuectionibus inuicem prouocare: cum eo sese contulerint, vbi hæc omnia, quasi seminaria vanitatis, vel initia iurgiorum, vel libidinis incentiua regulari districtione damnantur; incipiunt contristari, irasci, & cum non habeant quibus semina conceptæ vanitatis effundant, in illa Eliu verba videntur prorumpere. *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit.* Vnde ergo labor iste nascitur, in promptu est iudicare. Inde est etiam, quod cum tota die inanibus spectaculis dediti, vel rumoribus audiendis intenti, à nobis quodammodo exierimus; reuertentes iterum ad nos, vanitatum imagines introducimus, & cor plenum simulachris ad locum quoque quietis nostræ ferentes, pro ineptissima vanitate noctes ducimus insomnes: Regum prælia, victorias ducum, quasi sub oculis stultissima præsumptione depingimus, omniaque regni negotia in ipsa psalmodia, vel orationibus nostris, otiosis discursibus ordinamus. Est adhuc aliud curiositatis pessimum genus, quo tamen hi soli, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, attentantur; exploratio scilicet suę sanctitatis per miraculorum exhibitionem, quod est Deum tẽtare. Quod curiositatis genus lege Mosaica ita prohibetur. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, vnde etiam Apostolus. *Neq; tentemus*

H

Iob. 32. 19.

Deut. 6. 16. 1. Cor. 10. 9.

A mus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Cui pessimo vitio si quis consenserit, ex nimia mentis angustia, cum compos non fuerit voti, vel laqueos desperationis, vel sacrilegium incurret blasphemiæ.

Capvt XXV.

Tractans de superbia vitæ, primo agit de vanitate.

1. Ioan. 2. 16 Restat noxiæ radicis tertius ramus, quem superbiam vitæ sanctus Apostolus nominauit. Cuius cum multa sint genera, ad præsentem quæstionem de duobus pertinet disputare. Et primum quidem est, quod amorē vanæ laudis infundit; secundū, libidinem inserit dominandi. Ex his ergo quantus oriatur labor, quāta mētis angustia, quis facile dixerit? Quoties plane correptus vel iniuriatus conturbor, vel qualibet detractione vel oblocutione cōfundor, aut, quod est lugubrius, tristitiæ peste cōsumor: si velim B laboris huius causas expressius indagare, inuenio in ipsis animę recessibus radicem vanitatis altius latitantem, qua animus de se magna præsumens, talem se delusa depingit, qui non modo non corripi vel obiurgari, sed insuper laudari ab omnibus, & honorari debuerit. Vel certe cùm mens, veneno huius nefandæ pestis infecta, in aliorum existimatione sanctum se finxerit & mirandum, statim vt à sua vanitate alios dissentire perspexerit, gloria sua gaudioque frustratus, quod videlicet in aliorum æstimatione falsa opinione locauerat, necesse est tristitiæ stimulis corrodatur. Ex hoc quoque pessimo morbo primæ cathedræ, salutationes primæ, prima vox in consiliis, primæ in conuentu sedes turpiter appetuntur; quæ omnia quantum oblata vel acquisita delectant, tantum negata vel ablata conturbant.

Capvt XXVI.

De dominandi libidine.

C At si mentem libido dominandi corrupit, quantum ei laboris imponit, solus ille nosse potuerit, qui huius pessimæ passionis expertus tyrannidem, Dei tandem auxilio ab eius est dominio liberatus. Statim enim vt noxium hoc virus mens insana conceperit, ei à quo desiderij sui aucupatur affectum, degeneri vilitate substernitur, & antequam ille alijs præferatur, ipse omnium, quos sibi obesse vel prodesse posse perspexit, abiectissimus seruus efficitur. Inde ob eorum timorem veritatis suppressio, ob eorum fauorem turpis adulatio? itaque ei tota vocis libertas admittitur, vt laudare cogatur quæ cōscientia viderit arguenda, arguere quæ ipsa iudicauerit approbāda. Denique si quemlibet eius cui innititur familiaritati, propius accedere perspexerit, mox suspitionum iaculis mens captiua confoditur, ne is ad eos, quos ipse ambit, honores citius assumatur, ægritudine timoris afficitur: itaque inuidiæ virgis ferreis cæditur, vt nec cibus ad vtilitatem, nec D ei somnus proueniat ad quietem. Tunc ad detractiones susurrationesque conuertitur, ac quicquid in eo perspexerit arguendum, prodit & publicat? quicquid publice arguere non potest, sinistra interpretatione commaculat.

VERVM si tota sua spe frustratus, alius prouehatur? quæ tunc illi animæ cruces, quæ tormenta? Confunditur, conteritur, conturbatur, dissipatur, internosque æstus ferre non sustinens, aut è congregatione, tot passionum ictibus arietatus, excutitur; vel si humano pudore deninctus in congregatione resederit, totus in contrarium vertitur, conceptamque semel ambitionis flammam ferre non valens, anhelat, æstuat; cruciat: ita vt in silentio eius amaritudo appareat, & in verbis indignatio, & vasis testei instar, ad vim fornacis occultæ, per exterioris hominis motus infeliciter crepat, mordaciter loquēs, truculenter aspiciens, & ad omnia, quæ obijciuntur, turgida inflatione respondens. Tunc quibus prius turpiter adulabatur, aperta fronte resistit, contradicit, obloquitur; clam malitiosa detractione corrodens, palam siue omni reuerentia & honeste obiurgans. E Tunc omnia seniorum suorum verba male curiosus attendens, singulis insidiatur syllabis, explorat facta, & omnes, vt ita dixerim, motus & itinera impudicis oculis perlustrans, enumerat omnia, de omnibus iudicat, ac pro malitiæ suæ liuore omnia interpretatur. Quod si forte, vt se habet humana infirmitas, excessu aliquo præuentus senior fuerit, iam tunc ille nactus locum, suæ, vt sibi videtur, iniuriæ vleiscendæ, erigit supercilium, rugat frontem, labia importunis dilatat clamoribus. Verum vt se Dei zelo agi intuentibus mentiatur, quasdam sibi aliquando extorquet guttulas lacrymarum, dolosa producit suspiria, querulis satis vocibus charitatem deseri queritur, puritatem transgredi, conculcari iustitiam ingemiscit: dicas, si nescias, eo spiritu agi eum, quo quondam Ieremias propheta flammascens, *Factus est* (inquit) *sermo Domini, quasi ignis æstuans in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* Ierem. 20. 9 Sic ille, igne zeli Dei interiora sua depasci proclamans, se pro instiria erigi, certare pro ordine, pro charitate etiā odia subisse mentitur. F

Quid plura? Ita tandem rebellis ac contumax experitur, vt vel expelli eum extrema necessitas vrgeat, aut certe aliqua propriæ voluntatis libertate leniri. Hinc mira quædam orta abusio est. Cum aliquando status religionis pure admodum tractaretur, sicut se habet regula veritatis, quicunque humiliores, quietiores ad obedientiam, ad opprobrium promptiores, in omnibus bonis feruentiores, qui honores maxime non appeterent, hi tales vel ad alios regendos, vel ad aliquas administrationes, non dico promouebantur, sed compellebantur: nunc è contrario, dum quorundam timetur insolentia, vel cauetur rebellio, vel improbitas formidatur, quia querulosi, quia iracundi, quia leues & accidiosi, nō valentes in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc intus; quia denique timentur, promouentur, & quæ illis debuit esse causa dilectionis & humilitatis, fit fomes tumoris. Sed de trimoda hac cupiditate hæc satis sint. In quibus omnibus si quis animæ suæ vultum, quasi in quodam speculo diligenter attenderit, G inueniet ni fallor, non modo quid habeat deformitatis, sed & ipsius deformitatis causas occultas sub veritatis luce cognoscet: ac sic non Domini iugi asperitatem, quæ nulla est, sed propriam arguet peruersitatem. His ergo passionum radicibus, quasi totius laboris nostri causis, euulsis penitus, ac mentis nostræ humeris charitatis iugo suppositis, discemus à Domino Iesu, quia mitis est & humilis corde, & inueniemus requiem animabus nostris, sabbatizantes non cum Iudæis sabbatum carnale, sed in dulcedine charitatis æternum & spiritale. Mat. 11. 29.

Explicit liber secvndvs.

Incipiunt Capitula libri tertij.

I. *Lex de sabbatorum distinctione proponitur.*
II. *Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quærenda distinctio, & quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio.*
III. *Quomodo sabbatum spiritale in sui dilectione sentiatur.*
IV. *Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, & quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.* H
V. *Quomodo vtraque hæc dilectio Dei dilectione seruetur.*
VI. *Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperitur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.*
VII. *Quid sit amor, quid Charitas quid Cupiditas.*
VIII. *Quomodo in electione, in motu, in fructu, amoris rectus vsus constet, siue peruersus.*
IX. *Quid nos oporteat ad fruendum eligere.*
X. *Quod ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.*
XI. *Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur, & quod spiritalis affectus dupliciter accipiatur, attenditur.*
XII. *De affectu rationali & irrationali.*

XIII. De affectu officiali.
XIV. De affectu naturali.
XV. De affectu carnali dupliciter accipiendo.
XVI. Quid de his affectibus sentiendum sit.
XVII. Quomodo ad Dei proximique dilectionem ratione moueatur.
XIIX. Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis.
XIX. Quid sit quod homo beneuolus ac suauis, quamuis minus perfectus, maiori, quam austerus & perfectior, & dulciori diligatur affectu gemina comparatione probatur, & quomodo vtriusque amor non sit periculosus ostenditur.
XX. Quod tres sunt amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.
XXI. Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, & quomodo vera Dei cognoscatur dilectio.
XXII. In proximi dilectione quæ sit habenda consideratio.
XXIII. Qui affectus admittendi non sunt, & quantum spiritalis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus.
XXIV. De rationali affectu, inquantum & ipse sequendus sit.
XXV. Officialis affectus in quo cauendus sit, in quo admittendus.
XXVI. Quis modus in naturali sit seruandus affectu, & quid sit diligere in Deum, & quid propter Deum.
XXVII. De affectu carnali quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus.
XXVIII. Quod affectum non solum origo, sed etiam processus & finis scrutetur, & quod affectus transeat in affectum exemplis ostenditur.
XXIX. Quod diuersi affectus in vna sæpius mente luctentur, & quis cui præponendus sit exemplis manifestatur.
XXX. In affectibus quæ sit quærenda vtilitas.
XXXI. Quibus affectibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis proximisque consulere.
XXXII. De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine seruanda sobrietas ostendit.
XXXIII. Modum satisfactionis in ordine necessario pugationisque describit.
XXXIV. Quid sit ordo voluntarius, & quis in eo seruandus sit modus.
XXXV. Disputatio contra cuiusdam epistolam, de monachorum regula & professione.
XXXVI. Item modus in ordine voluntario seruandus describitur.
XXXVII. Quid homo sibi, quid proximo debeat ostēditur; & vtrum se proximo, an proximum sibi præferre debeat declaratur.
XXXVIII. Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit distinguitur.
XXXIX. Qui sint, quibus in hac vita frui valeamus.
XL. Quomodo inuicem frui debeamus.
XLI. Epilogus totius operis, & auctoris excusatio sui.

DIVI AELREDI SPECVLVM CHARITATIS

LIBER TERTIVS.

CAPVT. I.

Lex de Sabbatorum distinctione proponitur.



Compendij cap. 9. LEGIMVS in veteri testamento quasdam sabbatorum distinctiones, quorum considerationi libri huius dedicam⁹ exordium. Habes nempe in lege tria tempora sabbati requie consecrata, septimum videlicet diem, septimum annum, & post septies septem quinquagesimum annum. Primum ergo sabbatum dierum, secundum annorum, tertium non immerito dicitur sabbatum sabbatorum; constat namque ex septem annorum sabbatis, addito vno, vt septenarius numerus in vnitate concludatur, qui & ab vnitate progreditur, & in vnitate perficitur. Nam & omne opus bonum ab vnius Dei fide inchoatur, quod septenario Spiritus sancti munere promouetur, vt ad ipsū, qui vere vnus est, veniatur, vbi totum quod sumus, vnum cum ipso efficiatur. Et quia in vnitate nulla diuisio, nulla sit ibi per diuersa mentis effusio, sed sit vnum in vno, cum vno, per vnum circa vnum, vnum sentiens, vnum sapiens, & quia semper vnum, semper requiescens, & sic perenne sabbatum sabbatizans. Interim habes sabbatum dierum, sabbatum annorum, & in quodam prægustu sabbati sabbatorum. Quis ita illuminatus est Dei spiritu, vt has sabbatorum distinctiones non ex aliorum verbis mutuet, memoria mediante, sed in seipso agi sentiens, loquatur non solum ex memoria, sed etiam ex sententia? Adesto tu bone Iesu, adesto huic pauperculo tuo, mendicanti non micas diuitis purpurati, sed instar catuli micas, quæ cadunt de mensa dominorum meorum filiorum tuorum. Magnus enim ille filius tu⁹, & quia filius tuus, Domin⁹ meus, sanctus scilicet Moyses, admissus nimirum ad mensam tuam, epulat⁹ in ferculo Salomonis panem tuum. Et scio, mi dulcis Domine, dixisti enim. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Sed quia catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, tu frange catulo tuo panem istum, vt micas colligat, qui non sufficit ad crustulam.

Leuit. 23. 3. 25. 4. & 8. — Luc. 16. 21. Mat. 15. 27. — Cantic. 3. 9. Mat. 15. 26.

CAPVT II.

Quod in dilectione triplici, istorum sabbatorum sit quærenda distinctio: & quæ sit in triplicis dilectionis distinctione complexio.

AVDIAMVS ergo frangentem. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Si igitur credimus, imo quia credimus veritati, necesse est in his duobus præceptis has sabbatorum quæramus distinctiones, nam & ipsæ ex lege sunt. Porro hæc duo præcepta si diligenter inspicias, tria quædam inuenis diligenda, te videlicet, proximum, Deum. Vbi enim dicitur. *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, manifestū est quia diligere debes & teipsum. Hoc tamen non est præceptum, quia naturæ est insitum. *Nemo enim vnquam* (teste Apostolo) *carnem suam odio habuit*; & si non carnem, multo minus vtique mentem, quam qnilibet homo, etiam nesciens, magis diligit quam carnem. Nemo est enim qui non malit infirmus carne, quam insanus viuere mente. Sit ergo homini dilectio sui sabbatum primum, dilectio proximi sit secundum, Dei autem dilectio sabbatum sabbatorum.

Compē. c. 10. Mat. 22. 37. 39. 40. — Mat. 22. 39. — Ephes. 5. 29.

Est autem, vt superius diximus, sabbatum spiritale requies animi, pax cordis, tranquillitas mentis. Et hoc sabbatum nonnunquam in propria dilectione sentitur, aliquando ex dulcedine fraternæ dilectionis hauritur, in Dei autem dilectione absque vlla ambiguitate perficitur. Hoc sane prouidendum, vt homo sicut oportet diligat semetipsum, proximum tanquam seipsum, Deum autem supra seipsum, quia nec se, nec proximum, nisi propter seipsum. Sed hæc dilectio, quemadmodum vel sibi, vel proximo exhibenda sit, si Dominus voluerit, postea adnotabimus Nunc vero considerandum est, quia licet in hac trina dilectione manifesta sit distinctio, inest tamen eis mira quædam complexio, ita vt singulæ in omnibus, & omnes inueniantur in singulis, nec vna sine omnibus habeatur, & vna vacillante, ab omnibus recedatur. Nam neque se diligit, qui vel proximum, vel Deum non diligit, nec proximum diligit tanquam seipsum, qui nō diligit semetipsum. Porro Deum non amare conuincitur, à quo proximus nō amatur. *Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Præcedit ergo quodammodo dilectionem Dei dilectio proximi, dilectionem vero proximi dilectio sui; præcedit (inquam) ordine non dignitate. Præcedit, sed illam perfectam, de qua dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam profecto quædam huius dilectionem præcedat necesse est, sine qua vtraque illa mortua est, ac proinde nulla est.

Ioan. 4. 14. — Mat. 22. 37.

Videtur enim mihi Dei dilectionem, quasi aliarum dilectionum animam esse, quæ & in seipsa plenissime viuit & aliis, sua presentia, essentiam vitalem impertit, absentia, mortem

A mortem inducit. Vt ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur, vt diligat proximum, capaciori quodammodo sinu concipitur: vbi diuinus ille ignis paululum calescens, certas tandem, quasi scintillulas quasdam, in sui plenitudinem miro modo absorbeat: totam animi dilectionem ad illud sublime, & ineffabile bonum abducens, vbi nec ipse à se, nec proximus diligatur, nisi quantum vterque deficiens à se, totus transfertur in Deum. Interim hi tres amores & ab inuicem concipiuntur, & ab inuicem nutriuntur, & ab inuicē accenduntur, porro simul omnes perficiuntur. Agitatur autem miro & ineffabili modo, vt quanquam tres amores simul omnes habeantur, neque enim aliter potest, non tamen semper æque sentiantur: sed nunc requies illa, illa iocunditas, in propriæ conscientiæ puritate sentiatur; nunc ex fraternæ dilectionis dulcedine mutuetur, nunc in Dei contemplatione plenius acquiratur. Sic enim Rex aliquis diuersas aromatum possidens apothecas, nunc hanc, nunc illam ingreditur, nunc huius, nunc illius speciei odore perfunditur: ita mens cellaria
B quædam spiritualibus referta diuitiis, intra conscientiæ suæ septa retentans, nunc hoc, nunc illud inambulat; ac iocunditatis suæ materiam, pro diuitiarum diuersitate, diuerso modo compensat.

CAPVT III.

Quomodo sabbatum spiritale in sui dilectione sentiatur.

Compendij cap. 11. CVm enim homo ab hoc exteriori tumultu intra secretarium suæ mentis sese receperit, &, contra circūstrepentium turbas vanitatum clauso ostio, interiores gazas perlustrauerit; nihilque occurrerit inquietum, nihil inordinatum; nihil quod remordeat, nihil quod oblatret; sed omnia iocunda, omnia concordantia, omnia pacifica, omnia tranquilla, & instar ordinatissimæ cuiusdam familiæ, omnis cogitationum, sermonum, operumque turba ipsi animo, quasi patrifamilias domus arriserit: oritur hinc subito mira securitas, ex securitate mira iocunditas, ex iocunditate autem iubilus quidā, eo deuotius in Dei laudes erumpens, quo perspicacius conspicit, eius esse muneris,
C quicquid in se boni recognoscit. Hæc est septimi diei iocunda solemnitas, quam necesse est sex dies, id est operum præcedat perfectio, vt primum in bonis operibus desudemus, & sic demum in cōscientiæ tranquillitate pausemus. Ex bonis namque operibus puritas conscientiæ nascitur,
Psal. 10. 6. secundum quam sui dilectio iudicatur. Sicut enim is qui operatur vel diligit iniquitatem, non diligit sed odit animam suam, ita profecto qui diligit & operatur iustitiam, non odit sed diligit animam suam. Hęc est primi illius sabbati iocunda solemnitas, in qua seruilia mundi opera minime exercentur, in qua nec ignis concupiscentiæ turpis accenditur, nec passionum onera comportantur.

CAPVT IV.

Quale sabbatum ex fraterna dilectione capiatur, & quomodo sex anni, qui præcedunt septimum, charitati coaptentur.

D Compendij cap. 12. Rom. 12. 15. 2. Cor. 11. 29. POrro si ab hoc secretiori cubiculo, in quo primū hoc sabbatū celebrauit, ad illud pectoris sui diuersorium sese contulerit, vbi solet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, vri cum scandalizatis, senseritque ibi animam suam, cum omnium fratrum suorum animabus glutino charitatis vniri; nullis inuidiæ stimulis agitari, nullis indignationum æstibus inflammari, non iaculis suspicionum atteri, non edacis tristitiæ morsibus consumi; sicq, ad quendam tranquillissimū mentis
Act. 4. 32. suæ sinum omnes rapiat, vbi dulci quodam affectu omnes amplectatur & foueat, ac secum vnum cor, & vnam animam faciat: ad hui' mox dulcedinis suauissimum gustum, omnis cupiditatum silet tumultus, ac vitiorum strepitus conquiescit, & fit ibi intus ab omnibus noxiis absoluta vacatio, & in fraternæ dilectionis dulcedine grata & iocunda pausatio. Nam quod in huius sabbati quiete, nullum prorsus vitium residere charitas fraterna permittat, testis est huius ipsius sabbati continuus feriator Apostolus Pau-
Rom. 13. 9. lus; sic enim ait. *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum.*

E Huius sabbati requie ac dulcedine perfusus propheta Dauid, in sonum gratulabundæ solemnitatis erupit dicēs. *Ecce quam bonum & quam iocundum, fratres habitare in vnum.* Psal. 132. 1. Vere bonum, vere iocundum. Bonum plane, quia nihil vtilius; iocundum, quia nihil sapidius. Sicut autem primo illi in sabbato vnus tantum dies dedicatur quia videlicet singulare est, quod in propriæ cuiusque conscientiæ tranquillitate consistit; ita non immerito huic annus integer consecratur: quia sicut ex multis diebus annus efficitur, ita ex multis animabus vnum cor, & vna anima charitatis igne conflatur. Quod si ex sex illis annis, qui sabbatum hoc spirituale præcedunt, aliquid mysticum velis exsculpere, scito sex esse genera hominum, in quorum dilectione necesse est animus exerceatur. Sicut autem annus multos dies complectitur, ita in singulis illis generibus, multi nobis homines dilectionis copula coniunguntur. Primo ergo dilectio nostra, naturali ordine, ad domesticos sanguinis nostri deriuatur. Quæ dilectio vt habeatur, quia ipsi naturæ est insitum: si non habeatur, nimis est inhumanum. Vnde Apostolus. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* F 1. Tim. 5. 8.

Nec hanc Apostolicam sententiam, dominicis verbis quisque æstimet se contrariam, quibus dicit. *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. 26. Sed de his in consequentibus videbimus. Igitur quia sunt nonnulli, qui immaniores bestijs, nec domesticos attendunt, iam aliquantulum ad sabbatum hoc spiritale procedit, qui suos, ita vt oportet, diligit. Hæc autem dilectio quoniam ab ipsa natura proficiscitur, in præceptis, quæ ad dilectionē pertinent proximi, primo loco sancitur, ita Deo protestante. *Honora patrem tuum & matrem.* Exod. 20. 12. Hinc ad eos, qui nobis specialis amicitiæ fœdere, vel officij vicissitudine copulantur, dilectio nostra progreditur, & quodammodo sinu ampliori laxatur. Sed hæc dilectio Pharisæorum iustitiam non transcendit, quibus dictum est. *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Matt. 5. 43. Sane vtraque hæc dilectio, quanquam parum præmij seruata conquirat, quippe cum ad illam lex naturalis impellat, ad istam gratia impertita nos prouocet, neglecta tamen cumulum damnationis importat. De his Dominus G in euangelio. *Si diligitis* (inquit) *eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis.* Mat. 5. 46. Vt ergo in aliquid amplum dilectio nostra tendatur, amplectatur & eos, qui nobiscum eodem iugo professionis subduntur. Hæc plane dilectio præmio non fraudabitur, quia Deus causa est cur exhibetur.

In hoc statu mens vestimentis adglutinata Iesu, aliquid sibi illius vnctionis elingit, quæ discedens à capite, etiam barbæ influit veri Aaron, & ad oram vsque vestis attingit, Psal. 132. 2. cuius vncta pinguedine aliquantisper extenditur; & primum omnes, ad quos vnctio ipsa pertingens, participium illius nominis Iesu, vt ab vncto vncti, id est, à Christo Christiani vocentur, impertit, & laxiori sinu recipit diligendos. Restant adhuc duo hominum genera, quæ si pe- H ctori nosto amoris vinculo astringantur, nihil profecto obstabit, quin veri illius sabbati requie perfruamur. Nam & eorum qui foris sunt, Gentilium videlicet & Iudęorum, Hæreticorum vel Schismaticorum necesse est vt ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, malitiam defleamus, ac pio affectu solatium illis nostræ orationis impertiamus, vt & ipsi inueniantur nobiscum, in Christo Iesu Domino nostro. Inde ad illud transeundum est, in quo fraternæ charitatis summa consistit, in quo homo Dei filius efficitur, in quo diuinæ bonitatis similitudo plenius reparatur, Sicut ait Saluator in Euangelio. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.* Mat. 5. 44.

Exinde quid superest nisi annus septimus, in quo debitores repetere nō permittimur, in quo seruus libertati donatur? Deut. 15. 2. & 12. Qui enim nouit etiam inimicos simplici oculo intueri, ille est qui veraciter dicere potest, *Dimitte nobis sicut & nos dimittimus.* Mat. 6. 12. *Omnis,* inquit, *qui facit peccatū seruus est peccati.* Ioan. 8. 34.

Cui deplorandæ seruituti tamdiu quisque addicitur, donec ipse dimittens & diligens, dimittatur & diligatur, & de seruo non modo liber, sed etiam amicus efficiatur. Verè tempus pacis, tempus quietis, tempus tranquillitatis, tempus gloriæ & exultationis. Quid enim molestiæ, quid perturbationis, quid mœroris, quid anxietatis eius poterit interpolare lætitiam, qui sub primo illo sabbato, in quo laborum suorum fructibus pascitur, ad huius diuinæ similitudinis statum gratia pleniore progreditur? vt omne hominum genus vno mentis amore complectens, nullius iniuria moueatur: sed sicut indulgentissimus aliquis pater, erga charissimum sibi filium phrenesi laborantem, ita ille erga suos afficitur inimicos; vt quo magis ab eis iniuriatur, eo profundiori charitatis affectu inferentibus sibi molestiam compatiatur. Hac igitur virtute possessus, tunc maxime sabbatum hoc celebrare dicendus est, cum ingrediens cor suum, in fraternæ dilectionis dulcedinem intendit animum, & erga charissimos sibi, in quendam suauissimum resolutus affe- B ctum, gustat quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.

Cap. V.

Quomodo vtraque hac dilectio Dei dilectione seruetur.

Compendij cap. 14. Verum quia vt superius diximus, vtrumque hunc amorem, quo vel propriæ saluti consulimus, vel quo proximis puro affectu vnimur, quadam diuini amoris portione necesse est animari: sciendum quia ad hanc geminam dilectionem, Dei nos dilectio mouet & promo- *Ioan. 1. 14.* uet, secundum id, quod *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Siquidem in hac gemina dilectione acquiritur innocentia, quæ in duobus constare manifestum est. Innocens quippe est, qui nec sibi, nec alteri nocet. Sibi autem nocet, qui semetipsum vitij alicuius, aut turpitu- C dinis labe corrumpit. Ad quam corruptionem quia maxime voluptas, ac delectatio carnis impellit, sic eam facile quislibet respuit vel euitat, si erga carnem nostri Saluatoris pium indutus affectum, gaudet spiritalibus oculis intueri Dominum maiestatis, vsque ad præsepis inclinatum angustias, virgineis inhiare vberibus, maternis amplexibus stringi, tremuli senis, sancti videlicet Simeonis, felicibus labijs osculari. Qui mentis suæ obtutibus imaginari dulce habet, quam mitis aspectu, quam dulcis affatu, quam peccatoribus compatiens, quam infirmis *Luc. 7. 39.* & miseris condescendens. Quod mira benignitate nec *Matt. 9. 11.* meretricis attactum, nec Publicanorum refugit conui- *Ioan. 8. 7.* uium; quod vnius adulteræ suscipit causam ne lapidetur, *Ioan. 4. 7.* quod alteri confabulatur, vt de adultera Euangelista quodammodo efficiatur. Quis est, cui ad hoc dulce spectaculum, omnis fœtentis carnis delectatio non sordescat? Inde suaues quædam lacrymæ facile oriuntur, quibus omnis concupiscentiarum æstus extinguitur, tepescit D caro, gulæ voracitas temperatur, omnis vanitatum titillatio sedatur.

Porro ad inimicorum dilectionem, in qua fraternæ charitatis consistit perfectio, nihil nos ita animat, vt illius miræ patientiæ grata consideratio, qua ille speciosus forma præ filijs hominum, venustam faciem suam impijs præbuit conspuendam; qui oculos illos, quorum nutu reguntur omnia, velamini subdidit iniquorum; qua latera illa sua flagellis exposuit; qua caput tremendum principibus & potestatibus, spinarum asperitati submisit; qua semetipsum opprobrijs ac contumelijs addixit: qua tandem Crucem, Clauos, Lanceam, Fel, Acetum patienter sustinuit; in omnibus lenis, mitis, tranquillus. Denique *tan- Isa. 53. 7. quam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Considera ô humana superbia, ô superba impatientia, quid sustinuit, quis sustinuit, quomodo sustinuit. Cogitentur rogo, non scribantur. Quis est cuius ad hunc mirabilem intuitum non statim ira deferueat? Quis illam audiens mirabilem vocem, plenam dulcedinis, plenam charitatis, plenam immutabilis tranquillitatis, *Pater ignosce illis*, non statim omni affe- E ctu suos amplectitur inimicos? *Pater* (inquit) *ignosce illis.* *Luc. 23. 34.* Quid lenitatis, quid charitatis huic addi potuit orationi? Addidit tamen. Parum fuit orare; voluit & excusare. *Pater* (inquit) *ignosce illis*, non enim sciunt quid faciunt. Sunt quidem magni peccatores, sed pusilli æstimatores, ideo pater ignosce illis. Crucifigunt; quem tamen crucifigant nesciunt, quia *si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ cruci- 1. Cor. 2. 8. fixissent*; ideo *pater ignosce illis*. Putant legis præuaricatorem; putant diuinitatis præsumptorem; putant populi seductorem. *Abscondisti ab eis faciem meam, non agnouerunt maiestatem meam*, ideo *pater ignosce illis*, quia nesciunt quid faciunt. Igitur, vt homo se diligat, nulla se carnis delectatione corrumpat. Vt vero carnali concupiscentiæ non succumbat, omnem affectum suum ad suauitatem Dominicæ carnis extendat. Porro vt perfectius, ac suauius in fraternæ charitatis delectatione quiescat, etiam inimicos brachijs veri amoris astringat. Sed ne diuinus hic ignis iniuriarum flatu tepescat, dilecti Domini ac Salua- F toris sui tranquillam patientiam, oculis mentis semper aspiciat.

Cap. VI.

Quomodo perfectum sabbatum in Dei dilectione reperitur, & quomodo quinquagesimus annus huic dilectioni comparetur.

Verum hac gemina dilectione purgata mens, tanto *Compendij* deuotius, quanto securius, ad ipsius diuinitatis feli- *cap. 15.* ces gestit amplexus; ita vt nimio desiderio succensa velamen carnis excedat, intransque in illud sanctuarium, vbi spiritus sit ante faciem suam Christus Iesus, ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbeatur; factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus; in id quod est, & sic semper est, & idipsum est, in illud vnum perspicacem figat intuitum; vacans & videns quoniam Dominus ipse G est Deus, & inter charitatis ipsius suaues amplexus, sabbatizans sine dubio sabbatum sabbatorum. Hic annus iubileus, in quo homo ad suam possessionem reuertitur, ipsum videlicet auctorem suum, vt nimirum possideatur & possideat, habeatur & habeat, teneatur & teneat. Ipsa est possessio, quæ distracta vili peccati pretio; amore hominis diffluente ab eo, à quo factus est, & inhærente rei, quæ facta est.

Huic sabbato non immerito quinquagenarius numerus dedicatur, in quo seruilis timor expellitur, carnis non solum concupiscentia, sed & memoria consopitur, spiritus plenitudo concipitur. *Ante* (inquit) id est ante Pentecosten, *spiritus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorifica- Ioan. 7. 39. tus.* Non omnino non datus, sed non tanta plenitudine, non tanta perfectione. Datur profecto in sabbato primo, datur & in secundo, sed in sabbato sabbatorum eius infunditur plenitudo. In gemino enim illo sabbato Iesus cernitur paruus, non magnus: humilis, non sublimis; in- H iuriatus, non glorificatus. Ideo *spiritus nondum erat datus, Ioan. 7. 39. quia Iesus nondum erat glorificatus.* Verum quia *charitas diffun- Rom. 5. 5. ditur in cordibus nostris*, non alias nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis, vbique septenarius numerus custoditur, sed in ipsius septenarij multiplicatione, profectus ipsius charitatis dignoscitur. Nam septimus dies quasi charitatis est inchoatio, septimus annus promotio, quinquagesimus annus, qui est post septies septem, eius est plenitudo. In singulis requies, in singulis vacatio, in singulis spiritalis quædam sabbatizatio. Primo requies in puritate conscientiæ; deinde in multarum mentium dulcissima coniunctione; postremo in ipsius Dei contemplatione. In primo sabbato vacatur à crimine; in secundo à cupiditate; in tertio ab omni prorsus distentione. In primo gustat mens, quam dulcis est Iesus in humanitate; in secundo videt quam perfectus in charitate; in tertio quam sublimis in Deitate. In primo colligitur ad se, in secundo extenditur extra se, in tertio rapitur supra se.

A Mat. 4.10. piat, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quod
nullo modo dixisset, si esset quælibet natura sublimior,
cui humana natura singulare illud deberet obsequium,
Compendij cap. 16. vel à qua beatitudinis posset præmium expectare. Ipse i-
gitur nobis præ omnibus eligendus est, vt eo fruamur,
quod est amoris inchoatio; ipse præ omnibus desideran-
dus, quod est ipsius amoris quasi cursus quidam atque
promotio, in cuius adeptione, quia perfecti boni perfecta
erit dilectio, perfecta erit & beatitudo. Merito igitur pri-
mum mandatum & maximum, de Dei dilectione lex diui-
Mat. 22.37 na contradidit, *Diliges* (inquiens) *Dominum Deum tuum.*
Verum quia hoc beatifico bono, cum adepti fuerimus,
quisque pro sua capacitate fruetur, capaciores autem e-
runt omnes simul quam singulus quisque, erit sine dubio
ipsa beatitudo cumulatior, si hoc, quod quislibet minus
capax habere non poterit in seipso, habere incipiat vel in
altero. At alterius bonum suum non erit, nisi hoc ipsum
bonum in altero dilexerit; quod æque impossibile erit,
B nisi alterum ipse dilexerit. Congruentissime ergo secun-
& 39. dum præceptum diuina sanxit authoritas, *Diliges proxi-
mum tuum.* Sed quoniam summum bonum nostrum De-
us erit, & in seipso, & in nobis, & in altero, ipse ex toto
præcipitur diligendus. *Diliges itaque Dominum Deum tuum
ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni virtute tua.*
Quia vero tantundem gaudij nobis conferet proximi
bonum, quantum proprium, merito dicitur, *Diliges proxi-
mum tuum, tanquam teipsum.* Patet igitur duo nobis eligen-
da vt his fruamur, Deus scilicet & proximus, quanquam
dissimiliter: nam Deus, vt eo fruamur in seipso, & pro-
pter seipsum; proximus, vt ipso fruamur in Deo, imo &
Deo fruamur in illo. Nam licet verbum hoc frui distri-
ctius soleat accipi, vt videlicet nulla re alia, sed solo Deo
fruendum esse dicatur, ad hominem tamen loquens Pau-
Philem. ver. 20. lus. *Ita frater* (inquit) *ego te fruar in Domino.* Cum igitur hæc
duo & ratio, vt diximus eligenda perspexerit, & cæteris
omnibus horum contemplatione contemptis, mentis
consensus elegerit; inchoata est profecto Dei proximi-
C que dilectio, quia ad id quod debet, fit ipsius amoris con-
uersio.

C A P. X.

Quod ad actum & desiderium amor noster moueatur, & quod aliquando affectu, aliquando ratione ad hæc duo moueatur.

Compendij cap. 17. HÆc de electione dixisse sufficiat, vt deinceps de i-
psius amoris motu, quæ dicenda sunt, prosequamur.
Fit autem motus eius ad duo, vel interius ad desiderium,
vel exterius ad actum. Ad desiderium, cum ad id quo
fruendum iudicauerit, animus se motu quodam interno,
& appetitu extendit. Ad actum, cum mentem ad aliquid
etiam exterius agendum, amoris ipsius vis quædam oc-
culta compellit. Proinde inuestigandum arbitror, quæ-
nam sint illa, quibus quasi incentiuis, amor ipse ad hæc
D duo excitetur ac moueatur, quæque ei cursum suum or-
dinent quodammodo atque præscribant. Deinde quid
eorum sequi debeat, vel quantum sequi debeat; quidve
respuere, quid admittere; quid minuere, quid augere o-
porteat, vt ipse motus competens sit, subtilius inquiren-
dum. Sunt autem duo, vt mihi videtur, quibus animus ad
duo illa quæ præmisimus, mouetur quodammodo ac ex-
citatur, id est affectus & ratio. Aliquando enim affectu
tantum, aliquando tantum ratione amor noster vel ad
publicum actum, vel in occultum succenditur appetitum:
quocirca de singulis his, quantum necesse videbitur, dis-
putare conabimur. Hoc sane dicendum; Cum superius
duo quædam ad fruendum, Deus scilicet & proximus,
ratio docuerit eligenda, cæteris omissis, quemadmodum
ad hæc duo amor noster moueri oporteat, deinceps esse
tractandum. Igitur de omnibus motibus, quibus amor
noster multipliciter variatur, quis maxime sequendus sit
videamus. Sed primo de bifaria ipsius motus ori-
gine, quæ cœpimus exequa-
mur.

C A P V T XI.

Quid sit affectus, & quot sint affectus declaratur, & quod spiritalis affectus dupliciter accipiatur ostenditur.

EST igitur affectus spontanea quædam, ac dulcis ipsius Compendij cap. 18.
animi ad aliquem inclinatio. Affectus autem spiritus
est, aut rationalis, aut irrationalis, aut officialis, aut natu-
ralis, vel certe carnalis. Spiritalis affectus dupliciter po-
test intelligi. Nam spiritali quidem affectu animus exci-
tatur, cum occulta & quasi improuisa Spiritus sancti visi-
tatione, in diuinæ dilectionis dulcedinem, vel fraternæ
charitatis suauitatem mens compuncta resoluitur. Cu-
ius visitationis modum & causas, quam lucide à nobis Lib. 2. ca. 8. & seqq.
fieri potuit, superius memini demonstrans Huic affe-
ctui ille contrarius, qui ex diaboli immissione generatur;
quo illos ad turpia quæque constat illectos, de quibus F
Propheta, *Spiritus* (inquit) *fornicationis decepit eos.* Gemino Osea 4. 12.
enim tormento Sanctorum pudicitiam immundissimus
hostis insequitur, nunc carnem intolerabili flamma suc-
cendens, nunc mentem perniciosæ dulcedinis affectu dis-
soluens. Ni fallor Amnon filius Dauid, ex immissione 2. Reg. 13.
callidissimi hostis, noxiæ suauitatis resolutus affectu, in 14.
illicitos propriæ sororis exarsit amplexus, ac tanti patris
domum incestu commaculans, fratris in se gladium pro-
uocauit: ac futuri parricidij, quo proprium patrem infe- & 18.
lix Absolon regni cupidus infestauit, occasiones quasdam 2. Reg. 15. 10
præseminauit & causas. Nemo sane exhorreat quod hunc
affectum dicimus spiritalem, pro eo quod à spiritalibus
nequitijs generatur, nec causetur de nomine, cum res ipsa
manifesta sit.

C A P. XII.

De affectu Rationali & Irrationali.

RAtionalis affectus est, qui ex consideratione alienæ G Compendij
virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris cuius- cap. 19.
libet virtus vel sanctitas explorata, vel fama diuulgan-
te, vel certe lectione comperta, mentem nostram qua-
dam dulcedinis suauitate perfundit. Hic est affectus
qui nos, audita triumphali Martyrum passione, suauis-
sima deuotione compungit, ac memorabiles præceden-
tum actus, quasi sub oculis delectabili meditatione de-
pingit. Hinc vox illa qua admirabilis athleta Iesu,
Paulum dico, fortia sua gesta commendat, conceptæ
gratulationis indices, ab oculis audientium, plerum-
que lacrymas elicit animumque ad eius iam iamque ge-
stientem amplexus, infusa subito pietate perstringit.
Quis enim audiens pericula illa fluminum, pericula la- 2. Cor. 11. 26.
tronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, illam
insuper vocem virtutis; Vbique & in omnibus institu- Phil. 4. 11. 12.
tus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pa-
ti; *Omnia possum in eo, qui me confortat;* quis (inquam) hæc au- & 13.
diens vel legens, in talem virum non mirabili moueatur H
affectu?
Hic affectus inter Dauid & Ionathan sacratissimi amo-
ris primitias consecrauit, ac socialis vinculum gratiæ, ne
paterna quoque auctoritate soluendum, fœdere gratissi-
mæ charitatis innexuit. Visa namque immutabili pecto- 1. Reg. 17.
ris illius constantia, qua loricatum gygantem puer inermis 50.
prostrauerat; quod alteri foret inuidiæ seminarium, opti-
mo adolescenti virtutis extitit incrementum: dum virtu-
tis amicus, in virtuosi iuuenis excitatur affectum, dicen-
te Scriptura. *Anima Ionathæ colligata est animæ Dauid, & di-* & c. 18. 1.
lexit eum Ionathas quasi animam suam. Hunc ipse Iesus mi-
re misericors misericorditer in se transformans affectum,
intuitus adolescentem, qui ei suas virtutes prodiderat,
vt ait Euangelista, *Dilexit eum.* Huic affectui contrarius Marc. 10. 21
est irrationalis, quo quilibet erga aliquem, comperto e-
ius vitio, quadam mentis inclinatione mouetur. Multi e-
nim vel ob vanissimam philosophiam, vel ob stultissi-
mam in negotio militari audaciam, quorundam sibi
ani-

A animos inclinatunt. Et quod lugubrius est, multi, quia prodigi, quia luxuriosi, quia pudicitiæ proditores & insecutores, quia turpissimorum hominum fautores & sectatores, quia inanium spectaculorum vanissimi, sed intentissimi spectatores, aliquorum sibi illiciunt, & inclinant affectus.

Cap. XIII.

De affectu Officiali.

Compendij cap. 20. Exod. 2.15. & seqq. PORRO Officialem eum dicimus affectum, qui munerum vel obsequiorum gratia parturitur. Moyses sanctus cum Pharaonis declinaret insidias, sacerdotis Madian, officio memorabili, sibi comparauit affectum. Cuius dum filias virgines à pastorum improbitate constantissime, licet alienigena, protexisset, admiratus adolescentis beneuolentiam homo, non solum amicum eum

B 2. Reg. 17. 27. sibi, sed & generum fieri postulauit. Berzellai quoque Galaadites Regis Dauid, quem fugientem à facie Absolon officiosissima deuotione susceperat, muneribus nihilominus gratum excitauit affectum; qui viri constantissimi animo tam perseuerante rinhæsit, vt inter hæreditaria præ-

3. Reg. 2. 7. cepta, tantæ munificentiæ recompensationem, filio Salomoni Rex statim moriturus indixerit.

Cap. XIV.

De affectu naturali.

Compendij cap. 21. Eph. 5. 29. Isa. 49. 15. 1 Tim. 5. 8. EST præterea affectus naturalis cuilibet ad carnem suam, matri ad filium, homini ad domesticum seminis sui; *Nemo enim carnem suam odio habuit*, &, *Non potest mater obliuisci infantis sui, vt non misereatur filio vteri sui.* &, *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.* Primus horum etiam viros sanctissimos non effugit, qui eo affectu, quo nemo carnem suam odio habuit, de sepultura solliciti, narrantur sacramentis po-

C Gen. 47. 29. & 30. & 50. 24. 3. Reg. 3. 16. steros obligasse, ne in alieno, sed in sepulchris patrum mortui conderentur. Secundum sapientissimus Salomon, cum pro superstite puero, nam alterum mater oppresserat, meretrices fœminæ in eius præsentia disceptarent, credidit explorandum. Denique allato ense, cum diuisionem pueri Regia sublimitas iudicasset, matrem affectus prodidit naturalis & cessit affectu, quæ non cesserat improbitati, & quæ laborauerat ne vera mater proprio pignore fru-

& 26. straretur, laborare cœpit vt alteri traderetur. *Obsecro* (ait) *date huic infantem viuum & non occidatur.* Et contra, quæ ad aliena viscera expers pietatis obduruit, *nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.*

Porro tertius in pectore sanctissimi Ioseph, etiam fratricidali præponderauit iniuriæ, qui cum fratribus fratricidis dispensatoria seueritate explorationis crimen inureret, cernens eos non mediocriter fatigari, ac sera satis pœnitentia de fratris proditione torqueri, cedens affe-

Gen. 42. 24. ctui, vt scriptura ait, *Auertit se parumper & fleuit.* Hunc affe-

D ctum à pijs visceribus patriarchæ Dauid, nec filij particidalis abrasit immanitas, à quo cum quæreretur ad mortem, mittens qui eius obuiarent insaniæ, oblitus iniuriæ, memor naturæ, vt se sciret patrem, dissimulans nosse per-

2. Reg. 18. 5. secutorem, *Seruate* (inquit) *mihi puerum Absolon.* Hunc in se Saluator ipse mirabili compassione transfundens, videns ciuitatem, quæ ei secundum carnem metropolis fuit, ex qua illi patres secundum carnem, naturali pietate commotus, cum suffusione lacrymarum futurum eius deplo-

Luc. 19. 41. rauit excidium. Cuius imitator Paulus, naturali vt reor

Rom. 9. 3. compunctus affectu, optabat aliquando *anathema esse à Christo, pro fratribus suis secundum carnem.*

Cap. XV.

De affectu carnali dupliciter accipiendo.

Compendij cap. 22. CARNALIS deinde affectus duplex occurrit origo. Plerunque enim cuiuslibet non quidem virtus aut vi-

E tium, sed quædam exterioris hominis habitudo, animum sibi intuentis inclinat: facile quippe alicuius & forma elegantior, & sermo suauior, & maturus incessus, & venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse homo sit, prouocat & perstringit affectum. Hæc adeo in Moyse puero adhuc gratia relucebat, vt contra tyrannicum Pharaonis imperium, quo masculos Hebræorum neci destinauerat, à parentibus tribus mensibus seruaretur, (vt ait Apostolus) eo Hebr. 11. 23. Exod. 2. 3. quod vidissent elegantem infantem. Expositus quoque periculo, formæ elegantia etiam filiæ Pharonis sibi pietatem illexit, cui adoptatus in filium, magnus effectus est coram vniuersis quoque seruis Pharonis. Porro quem ad noxiæ voluptatis memoriam, in quamlibet speciem suauitas male blanda compungit, carnali motum affectu, nemo sani capitis dubitabit. Hic affectus ambulantem in solario domus suæ Dauid, ad speciem Bersabee præuenit in- 2. Reg. 11. 2. cautum, præuentum dissoluit, obruit dissolutum. Contrarioque modo quem in alienæ vxoris illicitum eneruauit & 15. amplexum, in proprij militis crudelem armauit interi- F tum. Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit, & car- 3. Reg. 11. 4. nali libidine dissolutum, in spiritalis fornicationis barathrum nefandissima idolorum cultura deiecit.

Cap. XVI.

Quid de his affectibus sentiendum sit.

HI affectus interim meditanti occurrunt, quos amoris origines quasdam dixerim, siue radices, non amorem. Non enim his affectibus excitati, vel pulsati valde laudabile existimamus si boni sunt, nec exitiabile si mali. Nam & eo, quem primo loco posuimus, quanquam optimo, plerique in sui perniciem, vt superiori libello docuimus, abutuntur; & hoc vltimo, qui cæteris formidabilior iudicatur, aliquando viri optimi ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moueri, sed secundum hos affectus moueri, aut vtile iudicamus, aut noxium. Quando enim hi affectus mouent animum, aut visitatio est, aut tentatio; quando secundum hos affectus mouetur, plena est ipsius voluntatis consensio. Consensio autem aut occulta est, aut etiam manifesta. Occulta, cum ex consensu desiderij agitatur interius; manifesta, cum ipsum desiderium ad actum prorumpit exterius. Vtrum autem secundum hos affectus moueri debeat amor noster, vel quantum moueri debeat, inuestigare conabimur, si tamen prius de ratione, quam etiam ipsius motus causam diximus, pauca præmiserimus. Compendij cap. 23. G

Cap. XVII.

Quomodo ad Dei, proximiq; dilectionem ratione moueatur.

NAm animum, quem ad Dei proximique dilectionem nullus mouet affectus, plerumque mouet ratio, tanto vtique sacratius, quanto securius; tanto securius, quanto defæcatius; tanto autem defæcatius, quanto rationali amore nihil vtilius potest esse, vel purius. Igitur ratio vt ad desiderium conditoris sui animum excitet tepescentem, tribus innititur argumentis, nostræ videlicet necessitati, vel vtilitati, illius autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia necessarium hoc nobis, quia commodum, quia dignum. Necessarium, vt caueamus damnationem; commodum, vt acquiramus glorificationem; dignum, quia ipse prior diligens nos, merito ipsius dilectionis exigit recompensationem. Desiderandus est homini Deus tanquam bonum suum, sine quo necesse est eum semper miserum esse, cum quo non potest nisi beatissimus semper esse, qui bonorum nostrorum non indigens, pro nobis voluit miser esse. Huic igitur rationi si mens consenserit, &, si non ex affectu, ex voluntate tamen in Dei desiderium sese excitauerit; prosequitur statim ratio negotium suum, necessarium probans illius præceptis adimplendis gnauiter insistendum, si adipisci Compendij cap. 24. H

volue-

A voluerit desideratum. Sic innatum inretnis visceribus desiderium, ratione compellente, procedit ad actum.

Quia vero inter eius præcepta id maximum inuenitur, vt homo proximo suo consular sicut sibi, instat ratio vt ad beneficium proximo impendendum animus moneatur. Omnis autem proximus aut amicus est, aut non inimicus, vel etiam inimicus. Amicus, quia prodest vel profuit; non inimicus, quia non nocet, nec nocuit; inimicus quia obest vel obfuit. Amicus, ex sanguine vel gratia; non inimicus, ex innocentia; inimicus ex iniuria. Igitur vt amico se impendat homo, tria quædam ptoponit ratio; vt non inimico, duo; vt inimico, vnum. Amico debetur beneficium ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo, vel etiam domesticus est; ex officio, quia amicus est; ex præcepto quia proximus est. Non inimico vero ex natura, quia homo est, ex præcepto quia proximus est. Inimico tantum ex præcepto; quia vt inimicus diligatur, præceptum Domini est. His igitur rationibus cedens animus, si ad beneficium impendendum non solum amico, sed etiam inimico sese parauerit, etsi non sentiat affectum, charitatis tamen meritum non amittet. B

D Cap. XVIII.

Distinctio gemini amoris, inter quos animus fluctuat proficientis.

Compendij cap. 24.

DIstinguendi sunt igitur duo amores isti, vnus ex affectu, alter ex ratione. Inter hos duos amores sæpe animus proficientis, & ordinatum amorem habere cupientis, timet & fluctuat; dum putat se minus amare eum, qui amplius amandus est; aut amplius amare eum, qui minus amandus est. Hic est enim amor ordinatus, vt nec diligat homo quod diligendum non est, diligat autem quicquid diligendum est; amplius tamen non diligat quam diligendum est, nec æque diligat, quæ dissimiliter diligenda sunt, nec dissimiliter, quæ æque diligenda sunt. C

Constituamus igitur duos homines ante oculos nostros, quorum alter sit lenis, blandus, tranquillus, suauis, & omnium bonorum aptus consortio, inuitans cæteros ad familiaritatem sui, dulcis eloquio motibus, temperatus, in quibusdam tamen virtutibus minus perfectus. Porro alter, licet in summa virtute perfectior, vultu tamen tristior, aspectu seuerior, & fronte austeris moribus irrugata, qui omnibus benefaciat, præster quod poscitur, non sit tamen suauis consortio, nec sua cunctos inuitet beneuolentia. Vt igitur illum diligat, animus quodam spontaneo mouetur affectu; vt istum, vrget ratio & ordinata regula charitaris. Sentiens itaque homo animum suum, illum quadam amplecti dulcedine, erga istum omni vacuum suauitate durescere, anxiatur, dolet, timet regulam excedere charitatis, dum putat se amare illum quidem supra quam oportet, istum nec quantum oportet.

D Cap. XIX.

Quid sit quod homo beneuolus ac suauis, quamuis minus perfectus, maiore quam austerus & perfectior, & dulciori diligatur affectu, gemina comparatione probatur, & quomodo vtriusq; amor non sit periculosus ostenditur.

VOlo nunc primo latebras propriæ explorare conscientiæ, vt non me fallat affectus iste, si eius causam & originem contigerit ignorare. Cum igitur iste, cui animus meus dulci quadam inclinatione mouetur, etsi minus perfectus, non sit tamen vitiosus, imo multis virtutibus adornatus; cur non iste affectus ex virtute credatur habere principium, ac proinde non timendus sit, sed potius amplectendus? Sed si eius originem vel causam dixerim esse virtutem, cur non erga istum, quem magis virtuosum agnosco, faciliori vel saltem simili motu dirigitur? Ergone carnalis iudicandus est affectus iste, qui quadam exterioris hominis competentia generatur? Sed si ita est, E cur alium æque exterioribus adornatum moribus, quia tamen æstimo vitiosum, non eiusdem dulcedinis suauitate complector? Contigit enim mihi aliquando, vt alicuius exterior habitudo, quamdiu in eo vel virtus sperabatur, vel vitium ignorabatur, plurimum sibi animum inclinauerit meum: proditum autem eius vitium, totum illum affectum absorbuerit, ac non modicum menti horrorem iniecerit. Quid ergo? forte virtus aut vitium, quasi animæ cibus vel vtilis vel noxius, æstimanda sunt? exterioris vero hominis vel austeritas vel benignitas, quasi vasa quædam vel rusticana, vel vrbana iudicanda? Et vtilis quidem cibus in vasis plerumque deformibus sumitur, noxius autem nec in pretiosis admittitur.

Contingit autem & quidem persæpe, vt cibus aliquanto vilior, ob vasis decorem iocundius admittatur, pretiosissimus autem, ob vasis horrorem insuauius assumatur. Sic nonnunquam euenit, vt homo vitiosus & in summo corporis ornatu displiceat, virtus autem etiam in quadam exterioris hominis duritia, & austeritate plurimum placeat. F Nihilominus & id contingere manifestum est, vt minorem virtutem in homine beneuolo quis, ac iocundo libentius videat, maior autem in homine duro & austero insuauius sapiat. Sed erit elegantior, puto quia & expressior similitudo, si virtus veritas, falsitas vitium æstimetur; nimia autem morum seueritas, quasi sermo durus & rusticus, exterioris autem hominis grata suauitas, quasi sermo comptus & eloquens. Sicut ergo in suauiloquio non est falsitas admittenda, sic in duro rusticoque sermone veritas non aspernanda. Simili modo nec in homine exterius ornato vitium placeat, nec in homine quanquam duro & austero virtus displiceat.

Denique si duo homines incipiant aliqua persuadere quorum vnus obtuse, deformiter, frigide id faciat, alter acute, ornate, suauiter, vehementer, donec nescitur quis eorum veritati innitatur, quis diffluat falsitate: non est mirum si in eius sermone magis delectatur auditor, G qui nouit ope sermonis conciliare auersos, remissos erigere, beneuolum, intentum, docilem auditorem procemio reddere, nescientibus quo eius tendat oratio, quid expectare debeant intimare. Quod si vterque æque verа, æque magnifica persuadere cognoscitur, in huius verbis cum quadam amaritudine salubritas sumitur, in istius & suauis salubritas, & salubris suauitas gratius auidiusque percipitur. Quanto enim magis in vera affectione appetitur iocunda suauitas, tanto facilius salubritas prodest. Verum si vterque vera, sed ille minus eloquens magnificentiora ac profundiora conetur asserere, illa quidem quæ dicuntur suauiter, quanquam minora, suauius auribus illabuntur: non modica autem vi opus est, ne illa potiora, ob sermonum quibus proferuntur ineptiam, audire animum tædeat, intelligere non placeat, credere posttremo non libeat. Non secus si duo homines proponantur, quorum alter beneuolus, affabilis, gratus aspectu, iucundus affatu, quadam exterioris hominis suauitate in corda intuentium sese refundat; H alter durus, austerus, nimia quadam grauitate intuentibus quasi metum incutiat; quamdiu vtriusque virtus latet, vel vitium, quis reprehendat, si illum dulcius interior sensus accipiat, istum non voluntas aut ratio, sed affectus reijciat? Si vero in cæteris virtutibus pares vtrosque cognouerit, vel si etiam illum iocundiorem, in aliquibus imperfectiorem inuenerit; non mirum nec ratione vacuum, si cui virtus interior in exteriori oblata suauitate, quasi veritas in pulchro sermone, iocundius sapiat, veritatem in morum austeritate nimia, quasi veritatem in duro rusticoque sermone, cum quadam mentis anxietate, vel etiam coactione suscipiat.

Sed sicut est quædam eloquentia quæ iuuenilem decet ætatem, quædam autem quæ senilem, & quæ in iuniori ætate feruor & viuacitas, in maturiori leuitas arbitratur, ita profecto in adolescente si sit beneuolentia hilarior, promptior, pronior ad obsequium, agilior ad actum, in seniore vero honesta, grauis, sine omni dissolutione, hilaris, vacuum leuitatis, plenum maturitatis, nec ille leuitatis, nec iste debet argui austeritatis. Quomodocunque

ergo

A ergo varietur, istius amatoris affectus, si isti, quem animus eius affectuose complectitur, nec sui copiam, nec aliud quid præter rationem præbuerit, illi nihil, quod ratio impendendum esse monstrauerit, præbere omiserit, charitatis vtique regulam non excedit. Nam cum affectus isti nequaquam in nostro arbitrio collocentur, eum quibusdam aliquando inuitissimi moueamur, nec quosdam, etiamsi velimus, experiri valeamus; nequaquam tunc amor ex affectu est, cum mentem affectus mouerit, sed cum mens ipsum motum secundum affectum direxerit. Similiter de motu, qui ex ratione generatur, sentiendum est.

Compendij cap. 25.

Cap. XX.

Quod tres sint amores, ex affectu, ex ratione, ex vtroque.

B Est ergo amor ex affectu, cum affectui animus consenserit; ex ratione, cum se voluntas rationi coniunxerit; potest & tertius amor ex his duobus confici, cum scilicet hæc tria, ratio, affectus & voluntas in vnum coierint. Primus dulcis, sed periculosus; secundus durus, sed fructuosus; tertius vtriusque prærogatiua perfectus. Ad primum sensus expertæ dulcedinis illicit; ad secundum ratio manifesta compellit; in tertio ipsa ratio sapit. Differt autem hic vltimus à primo, quia licet illo, & quod amandum est aliquando ametur, magis tamen propter ipsius affectus dulcedinem amatur; hoc autem amatur, non quia dulce est, sed quia amore dignum, ideo dulce est.

Compendij cap. 26.

Cap. XXI.

Recapitulatio eorum quæ dicta sunt, & quomodo vera Dei cognoscatur dilectio.

C Igitur ex his omnibus quæ dicta sunt, in quo tota vis consistat amoris breuiter colligamus. Primo si mens aliquid ad fruendum elegerit, deinde ad id quodam interno desiderio sese extenderit, postremo id agat quo ad desideratum peruenire valuerit, hoc sine dubio amare dicendus est. Hoc autem quanto quisque feruentius instantiusque peregerit, tanto magis & diligit: quod si ex affectu id fecerit, dulcius vtique diligit, ac proinde facilius agit. Si autem totum hoc quod alius ex affectu, alter ex sola fecerit ratione; minus quidem dulce diligit, sed non tardius, quod desiderat, obtinebit. Porro si ipsa electio peruersa fuerit, vt quod non oportet eligat ad fruendum, & illa, quæ ipsam sequuntur electionem, peruersa esse constabit: & talis amor peruersus erit, cupiditatis non charitatis vocabulo censendus. Sed sicut superius docuimus, quicquid aliud mens ad fruendum præter Deum in ipso, proximum autem in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit, metas veræ dilectionis excedit. Potest præterea ipsa electio sana esse, motus tamen vterque peruersus. Potest & electio, & sequens motus in desiderio, ex ratione consistere, alter autem motus, qui in actu est, totam dilectionem corrumpere; quod exemplis manifestius fiet.

Compendij cap. 27.

Compendij cap. 28.

D Si quis igitur Deum ad fruendum elegerit, sana est ista electio; si vero in ipso fructu carnale aliquid desiderauerit, existimans cum ad Deum peruenerit, quod ibi vt Iudaicæ fabulæ ferunt, & epulis effluere, & voluptatibus habeat incubare, nihil proderit electionis integritas, quam sequitur desiderij tanta peruersitas. Sed & si Deum ad fructum sibi felicitatis elegerit, nec in Deo quicquam nisi Deum desiderauerit; si tamen alijs quam oportet actibus, verbi gratia aut Iudaicis cæremonijs, aut Gentilium sacrificijs, vel alia aliqua superstitione ad tantum bonum ambierit, totum vtique dilectionis fructum euacuabit. Sit ergo electio sana, desiderium competens, actus rationalis, & sic non excedet limitem charitatis. Interest sane quantum fuerit quis in hac dilectione affectuosus, discretus, fortis; affectuosus, vt dulciter; discretus, vt prudenter; fortis, vt diligat perseueranter. Affectuosus, vt quod eligit in desiderio sapiat; discretus, ne in actu modum excedat; fortis, ne inde aliqua eum tentatio auertat. Affectus prodest contra peruersas dulcedines; discretio contra deceptiones; fortitudo contra persecutionem. Si quis autem in tribus his noscitur esse perfectus, non solum feliciter, sed & suauiter amat. Sane si non poterit affectuosus, sit tamen discretus & fortis; & si non ad præsentem suauitatem, non minus tamen ad futuram proficiet felicitatem.

E

Caput XXII.

In proximi dilectione quæ sit habenda consideratio.

Hæc eadem in proximi dilectione consideremus. Si igitur proximum ad ipsius fructus societatem qui in Deo est elegerimus, sana est ista electio; sed hanc electionem si desiderium turpe, aut actus inordinatus subsequitur, tota electionis sanitas maculatur. Verum in Dei dilectione nobis; non ipsi consulimus; *Deus enim noster est, & bonorum nostrorum non indiget*: in mutua autem dilectione, quoniam mutuo indigemus, necesse est vt nobis inuicem consulamus. Quocirca desiderium ipsum ad duo debet extendi, & actus nihilominus dupliciter exerceri. Debet quippe desiderium ad hoc esse, vt sicut decet, mutuo nobis fruamur in Deo, & vt Deo inuicem fruamur in ipso. Quia vero homo & ex corpore constat, & ex anima, actus vtique noster, quantum facultas suppeditat, vtrique debet prospicere. In his quanto quisque feruentior & prudentior, tanto vtique & in charitate perfectior; quanto autem affectuosior, tanto charitas ipsa constat esse suauior. Sicut autem ad hæc aliquando (vt diximus) affectus, aliquando mouet ratio, ita vtrumque ipsius desiderij modum actusque, pro sui qualitate ordinare contendit. Proinde diligenti consideratione opus est, vt de ipsis affectibus quis sequendus sit, & in quantum sequendus sit, videamus.

Compendij cap. 28. F *Psal. 15. 2.* G

Cap. XXIII.

Qui affectus admittendi non sunt, & quantum spiritalis, qui ex Deo est, sit sequendus affectus.

Igitur spiritalis affectus qui ex diabolo est, irrationalis qui pro vitio est, carnalis qui ad vitium, tres isti affectus non solum non sequendi, sed ne admittendi quidem sunt, imo quantum fieri potest, à cordibus nostris radicitus euendi. Porro spiritalis qui ex Deo est non solum admittendus, sed & omnibus modis excitandus est & augendus: quem desiderium nostrum salubertime sequitur, vt quanto dulcius se nobis innotescit tanta excellentia, tanto feruentius eius desiderabilis desideretur præsentia. Sane hoc affectu etiam actus noster excitari habet, sed secundum hunc ordinari non debet. Excitari habet, vt nunquam voluntas bene, imo perfecte operandi tepescat; ordinari autem secundum affectum operatio ipsa non debet, ne metas corporeæ possibilitatis excedat. Corpus enim hoc quoddam est instrumentum, quo ipsum exerceri habet, quod cum luteæ qualitatis sit, innumerabilibus obnoxium passionibus, vim feruentis spiritus ferre non sustinens, nisi quodam moderamine actus exterior temperetur, infecto negotio proculdubio deficiet ac succumbet.

Compendij cap. 29. H

Habet autem hoc affectus iste proprium vt plerumque modum nesciat, humanas non metiatur vires, corporeas passiones absorbeat, ac impetu quodam cæco irruens in amatum, solum id meditetur quod appetit, despiciat quicquid extra est, etiam quod graue, quod arduum; quod impossibile quoque, ac si leue ac vacuum laboris opus aggrediens, molestissimas hominis exterioris iniurias, præ interni affectus delectatione non sentiat. Proinde vt voluntas iugi feruore calescat, vt illatas extrinsecus passiones patienter quis, imo gaudenter sustineat, vsque ad ipsius desi-

A desiderij motum, affectus huius est impetus perferendus: ad voluntarios vero actus progrediens, ne metas corporeæ possibilitatis excedat, rationis est moderamine coercendus. Quam mensuram vitæ quidam ignorantes, ac totum affectus sui impetum importune sequentes, debiliores fiunt quam sanctiores, ac sic affectu ob actus immoderationem tepescente, ipsa quoque voluntas immoderatius oppressa tepescit. De ipsa sane actus moderatione, quæ secundum rationem fieri necesse est, si quid vtile ipse affectuum bonorum inspirator & ordinator, malorum autem tantum ordinator spiritus suggerere voluerit, suo loco adnotabimus. Nunc de ipsorum affectuum distinctione quæ cœpimus exequamur.

CAP. XXIV.

De rationali affectu in quantum & ipse sequendus sit.

B *Compendij cap.30.* Rationalem igitur affectum, qui ex alterius contemplatione virtutis oboritur, cæteris, quibus ad proximi dilectionem accendimur constat esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium est ipse amor virtutis. Denique huic consentire affectui vtillimum est, tum pro ipsarum æmulatione virtutum, quæ ipso affectu facilius excitatur, tum pro horrore vitiorum, quæ ex virtutum diligenti consideratione sordescunt. Sed & desiderium nostrum, si secundum hunc dirigatur affectum, nec perniciosum arbitror esse, nec noxium: nihil enim obest, imo & prodest plurimum, si eius desideremus præsentiam, cuius exemplo corrigamur si mali sumus, si boni promoueamur, si æque perfecti mutua collatione firmemur. Est autem præsentia Sanctorum temporalis & ipsa quidem desideranda, sed magis illa, quæ cum Christo erit æterna in cœlis. Licet autem in vtriusque desiderium simili excitemur affectu, non tamen simili actu ad vtramque pertingimus. Nam ad corporalem Sanctorum præsentiam, si forte absunt, aliqua terrarum spacia peragrando; ad æternam tendimus sancte, & iuste, & pie viuendo.

C Si ergo ad vtrumque hunc actum eodem incitemur affectu, iste vltimus, quantum ad interiorem exercitationem, eius impetum sine cunctatione sequatur, neque enim timenda est in interiori sanctitate nimietas; exterior autem virtutum exercitatio, de qua dictum est, *Noli esse nimium iustus*, rationis est moderamine temperanda. Porro Sanctorum præsentia corporalis, etsi vtiliter desideretur, non tamen semper vtiliter quæritur: vnde in actu hoc, ratio consulenda est, non sequendus affectus. Quam grata fuit fratribus Antiochenis Pauli ac Barnabæ præsentia corporalis, quorum scientia instruebantur, quorum firmabantur exemplo, disputationibus contra diuersa sentientes tuebantur? Audientes tamen à Spiritu Sancto, *Segregate mihi* *Act.13.2.* *Barnabam & Paulum in ministerium quo vocaui eos*, quanquam repugnaret affectus, imponentes tamen eis manus & orantes, dimiserunt eos. Nonne Paulus ex profusione lacrymarum Timothei probauit affectum; cui si vir tantus

D consensisset, vtique irrationabiliter Pauli vestigiis inhæsisset. *Gratias (inquit) ago Deo meo, memoriam tui faciens, memor* *2.Tim.1.3. & 4.* *lacrymarum tuarum vt gaudio implear.*

CAP. XXV.

Officialis affectus in quo cauendus sit, in quo admittendus.

Compendij cap.31. Sequitur officialis affectus, cæteris qui admittendi sunt periculosior: siquidem admittendus est, sed permaxime cauendus est. Quid enim tam dignum, tam consonum rationi, quam vt vicem rependas amanti, obsequenti officium, gratiam munera porrigenti? Quid deinde cauendum magis, quam ne delinitus obsequiis vel muneribus illectus, aut foueas vitia, aut faueas vitioso? Nec de his mihi sermo est qui diligunt munera, sequuntur retributiones; qui iustitiam venalem habentes, non homini sed muneribus fauent, sed de his qui obsequiis vel mune-

E ribus prouocati, non iam munera, sed ipsum hominem quodam interno complectuntur affectu. Admittendus est (inquam) iste affectus, sed & cauendus; admittendus ne sit ingratus officio; cauendus, ne non tam homini impertiatur quam vitio. Proinde quamuis in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna sit habenda discretio; hoc attendendum, vt cum erga eum cuius beneficiis vtimur, vel obsequiis adiuuamur, quodam mouemur affectu, ipsius personæ dignitas diligentius inspiciatur, vt si forte eius meriti sit, affectus ipse officialis transeat in Rationalem; & quem cœpimus diligere quia nobis gratus; diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus.

Euenit aliquando vt vir optimus, ob exteriorem quandam austeritatem (vt superius diximus) non facili affectu in cor influat intuentis, quem si aliqua occasione oblata, munificum nobis senserimus, insensibiliter ipse, quem austeritas illa oppresserat quodammodo & obruerat, erigitur, vt ita dicam, & excitatur affectus; & virtus, quæ prius

F placebat sed non sapiebat, ipsi affectui quasi cordis palato, licet ad aliud adhibito, sua se suauitate ingerat & infundat, ac sic mirabili modo delectetur & sapiat. Quod si talis forte fuerit, in quo non sit virtus quæ placeat, quantum quidem eius desiderari potest correctio, affectus admittendus est: simplex autem affectus ille, qui quamuis certis quibusdam causis moueatur & moueat, hominem tamen sine alterius respectu causæ complectitur, per omnia temperandus. Ipsa sane obsequiorum vel munerum redibitio, vtique secundum rationem, non secundum affectum impendatur. Sic & desiderium, quo eorum præsentia desideratur, vel actus, quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequatur non affectum.

CAP. XXVI.

Quis modus in naturali sit seruandus affectu, & quid sit diligere in Deo, & quid propter Deum.

Iam nunc in naturali affectu quis modus seruandus sit, diligentius inquiramus. Hunc sane affectum sicut non G *Compendij cap.32.* admittere impossibile est, ita non sequi summæ virtutis est. *Nemo enim seipsum odio habuit*, & tamen, *Qui venit ad me* *Luc.14.26.* (ait Saluator,) *& non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*. Similiter *Qui venit (inquit) ad me, & non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus*. E contra Apostolus, *1.Tim.5.8.* *Qui suorum maxime autem domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior*. Quid ergo? Contraria sensisse æstimandi sunt magister & discipulus, seruus & Dominus, ipsa veritas & animus veritatis? Absit. Distinguendi sunt ergo duo illi amores, de quibus superius locuti sumus, alter secundum affectum, alter secundum rationem. Naturale quidem est, quod homo erga se & suos affectum habet, sed amorem secundum affectum habere non debet, secundum rationem vero habere debet. Affectus ipse ostenditur, cum per Apostolum dicitur, *Nemo vnquam car-* *Ephes.5.29.* *nem suam odio habuit*. Amor autem secundum affectum ipsius Saluatoris auctoritate interdicitur, qui ait. *Qui venit* H *ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam* *Luc.14.26.* *suam, non potest meus esse discipulus*. Amor secundum rationem indicitur cum idem dicit Apostolus, *Qui suorum, ma-* *1.Tim.5.8.* *xime autem domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior*. Amor secundum affectum arguitur, cum futura mala prænuntians idem Paulus ait inter cætera, *Et erunt homines seipsos amantes*, Quod vero hic amorem secun- *2.Tim.3.2.* cundum affectum intellexerit, docent sequentia. *Erunt enim (inquit) homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei*. Semper etenim affectus iste mollia suggerit & suauia; quod iocundum, quod tenerum, quod voluptuosum, quod delicatum libenter amplectitur; quod vero arduum, quod asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit & euitat.

Quocirca affectus huius executio, amor peruersus est, hominem exuens homine, formam induens bestialem; quod rationis, quod honestatis, postremo quod vtilitatis, obruens quodammodo & abscondens. Hic amor proprie conuenit bestiis, excusatur in pueris; nam illis ratio

A — *Ioan. 12. 25.* — *August. tra. 51. in Ioan.* — *Psal. 10. 6* — *1. Ioan. 2. 16*

non infunditur, in istis sopitur. Denique vtrumque hunc amorem breuiter satis Saluator ipse distinguens, *Qui amat* (inquiens) *animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam.* Proinde, vt ait Sanctus ille, *Si male amaueris tunc odisti, si bene oderis tunc amasti.* Qui enim amat secundum affectum, vtique odit, quia, *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*; qui vero odit secundum rationem diligit. Ad hoc enim addidit, in hoc mundo, quia *quicquid in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Qui itaque animam suam secundum affectum amat, in hoc mundo amat; quia in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum, in superbia vitæ, quæ omnia affectus suggerit, amat.

Compendii cap. 24. — B

Hac distinctione id quoque soluitur quod quærunt quidam, quid videlicet distet inter amorem, qui in Deo est, & illum qui exhibetur propter Deum? Affectus quippe non propter Deum assumitur, sed in ipsa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde si ei, cui animus quadam spontanea ac dulci inclinatione sese refundit, totus amor secundum istum affectum exhibeatur, iste nec in Deo, nec propter Deum, sed potius propter se amatur. Si vero is, quem affectus iste complectitur, in Dei dilectionem pariter assumitur, amorq; ipse ex affectu sapiat, sed eius exhibitio ex rationis moderamine pendeat, huius vtique amor non primo propter Deum assumitur, sed in Deo salubriter exercetur. Porro ei, quem affectus ipse respuit & euitat, si consideratione diuini præcepti nosmetipsos vt oportet exhibuerimus, ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit impenderimus, iste non propter se, sed tantum propter Deum diligitur. Igitur amicus qui non potest non diligi, diligatur in Deo; inimicus qui non propter se potest diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iste ex ratione. Hic itaq; modus in naturali seruetur affectu, vt habeatur quidem & sentiatur, sed in omnibus & per omnia rationis moderatione temperetur.

C — *Gen. 42. 24* — *Luc. 19. 41.* — *Ioel. 3. 3.* — D — *Isai. 42. 14.*

Denique Ioseph sanctus prius lacrymis naturalem erga fratres protestatur affectum, quem si vir sanctus ratione postposita sequeretur, nequaquam fratres salubri dolore à proditionis crimine purgarentur. Saluator quoque pium erga suos indutus affectum, ruituram ciuitatem compassione mirabili deplorauit, nihilominus tamen eiusdem ciuitatis scelera, summæ calamitatis iniuria ex rigore iustitiæ castigauit. Ad quam regulam vtinam Rectores ecclesiæ suum castigarent affectum, quorum multi domesticos sanguinis sui nimis carnaliter amplectentes, non solum eos à mundi vanitate & voluptate nullo rigore compescunt, imo ex ipso pretio sanguinis Christi, vnde suas expleant libidines, damnabili præsumptione prospiciunt. Proh dolor! Sic est ingredi domos quorundam Episcoporum nostrorum, & quod magis pudet cucullatorum, quasi quis ingrediatur Sodomam & Gomorram. Procedant quidam capillati & effeminati seminudis natibus, cultu meretricio, de qualibus scriptura, *Et posuerunt* (inquit) *pueros in prostibulo.* Et in talium libidines tuus sanguis assumitur Domine Iesu, erigitur crux tua, panduntur vulnera tua, insumitur pretium mortis tuæ. Vt isti habeant currentes canes, aues volantes, equos spumantes, nudantur in pauperibus latera tua, ridentur verbera tua, effunduntur viscera sua. Vides ista Iesu meus, vides ista & taces; sed numquid semper tacebis? Imo (inquis) vt parturiens loquar. Sed ad propositum redeamus.

Cap. XXVII.

De affectu carnali quod nec omnino respuendus, nec plene sit admittendus.

Compendii cap. 33. — E

Igitur carnalis affectus, quem parturit quidam hominis exterioris ornatus, nec animo respuendus est, nec ita vt se profuderit, admittendus. Vicinus enim illi est affectus ille, qui ducit ad vitia; & nisi iste prudentius caueatur, ille sine sensu pæne patientis illabitur. Ad hoc igitur affectus iste salubriter admittitur, si tamen suspense & temperate quodammodo admittatur; vt videlicet si virtus in eo claruerit, facilius amplectatur; si vero vitium, correctioni eius vehementius insistatur. Quicquid enim de officiali affectu diximus, de hoc quoq; sentiendum nihilominus arbitremur. Ab his tamen, qui adhuc carnalibus vitiis appetuntur, consulte affectus iste respuitur, à quibus rarissime sine vitii titillatione sentitur.

Cap. XXVIII.

Quod affectuum non solum origo, sed etiam processus & finis scrutetur, & quod affectus transeat in affectum exemplis ostenditur.

F

Porro horum affectuum non solum origo scrutanda est, sed & processus ipse, ac finis sagaciter attendendus. Subtilissime enim aliquando vnus oritur, & in alium terminatur vel certe mutatur; quod de duobus vel tribus ostendisse satis sit. Fama cuiuslibet virginis excitus quis, quia & sancta corpore & spiritu, fide sincera, discretione præcipua, vsque ad perfectum contemptum sui humilitatis virtute fundata, præclaræ abstinentiæ, summæ prædicatur obedientiæ: ob tantarum admirationem virtutum, summo eam veneratur affectu. Quem quidem affectum, rationalem superius nominauimus. Huius ergo si incipiat familiaritate potiri, venerari obsequio, recreari colloquio, eulogiis, vel litteris, vel certe quibusdam munusculis frequentari; rationalis iste affectus pæne insensibiliter transit in officialem, & quæ cœperat amari ob meritum sanctitatis, frequentari incipit ob gratiam mutuæ liberalitatis. Deinde affectus iste, dum ad quædam blandimenta se porrigit, etiam carnalis ille, qui cæteris perniciosior est, vitio tentante subrepit.

G — *Compendii cap. 33.* — H

Noui ego viris pudicissimis & abstinentissimis, omnemque spurcitiam summo horrore detestantibus accidisse, vt dum quosdam in tenera adhuc ætate summis virtutibus cernerent accessisse, ac mirabili morum grauitate ac vitæ sanctitate, in quosdam canos (vt ita dixerim) spiritales incredibiliter profecisse, deuotissimo eos ac dulcissimo colerent simul, & amplecterentur affectu. Quibus dum sui copiam pronius indulgerent, ac in eorum aspectu, & (vt ita dicam) amplexu suauius requiescerent, vitioso quodam affectu subtilius irrepente plurimum fatigati sunt; & qui alios eius criminis conscios non dico non aspicerent, imo à nauseantis animi sinu summo horrore reiicerent, istos pudicissimos, grauissimos, forte etiam virgineo decore serenos, quos & impudicus quis ob ipsam desperationem non nisi pudice conspiceret, vix sine quadam vitii titillatione frequentare potuerint. Cur hoc? Profecto quia facilius affectus in affectum mutatur, quam vel pectore pudico impudicus amplectatur, vel in impudico quis manifestæ pudicitiæ appetatur. Proinde cum affectus noster quanquam rationalis vel etiam spiritalis, vsque ad suspectam ætatem vel sexum sese protenderit, consultissimum est vt infra ipsum mentis sinum cohibeatur, nec ad inania quædam blandimenta, mollesque teneritudines patiatur effluere, nisi forte ob id aliquando mature ac temperate progrediatur, vt virtus amata & laudata feruentius exerceatur.

Cap. XXIX.

Quod diuersi affectus in vna sæpius mente luctentur, & ideo quis cui præponendus sit exemplis manifestatur.

Compendii cap. 34. — *Gen. 22. 2.*

Dicendum adhuc de his affectibus, quod plures aliquando in vna mente compugnent, ac quodammodo inuicem se expugnare contendant. Quod cum contigerit magna discretione opus est, vt quis præponendus sit agnoscatur; virtusque necessaria, ne ab inferiore superior expellatur. Denique Abraham proprium filium immolari iussus, nequaquam ad propria viscera expers naturalis affectus obduruit, sed cum naturalis, quo filium, spiritalis quo Devm amplectebatur, in sancti viri pectore compugnarent, superiorem inferiori præposuit, imo ob superiorem inferiorem contempsit. Optimus quoque adolescens Ionathas, non in patris iniuri-

A injuriam consilium, quo Dauid neci destinauerat, eidem sacro fœdere copulatus prodidit, sed rationalem affectū naturali legitimo iure præposuit. Nec mirum si amici gratia in eius sacratissimo peccatore patris obliterauit affectum, ob quam propriam, vt putabatur, iniuriā immutabili virtute contempsit. Denique Dauid fugienti à facie Saul, cum in secretioribus locis vir inuictæ charitatis occurreret, patris ei consilia proditurus; inter amplexus & oscula cum se mutuis lacrymis perfudissent, ac pio fletu pium protestarentur affectum, renouato rursus fœdere intulit Ionathas, *Tu quidem eris Rex, ego autem ero secundus post te.* O virum summis laudibus efferendum! virum expertem inuidiæ, cupiditatis vacuum, qui amicum regno prætulit, qui quod videbatur suum, esse voluit alienum. Ego (inquit) ero secundus post te. O summæ humilitatis pectus! Vir Regij seminis, cui ex successione sperabatur hæreditas, cui spem auxerant culminis potiundi genus, virtus, militum gratia, populi fauor, ipsius etiam mirabilis fama triumphi, quo, vno tantum fulcitus comite, armatos cuneos agminis hostilis inuasit, ac suæ genti insperatam victoriam reportauit, infra seruum semet deijciens, *Ego* (inquit) *ero secundus post te.*

1. Reg. 20. 34.

B

1. Reg. 23. 17

Hic (inquam) in cuius adhuc laudibus canitur, *Sagitta Ionathæ nunquam abijt retrorsum, & gladius eius non est reuersus inanis*, quasi seipsum nesciens vt sciret amicum, *Tu* (inquit) *eris Rex, & ego ero secundus post te.* Quis, rogo, hæc etiam de vterino suo fratre sine immani saltem cogitaret inuidia? Quis amici causa tantam spem in desperationem deduceret? Filij patriarchæ Iacob, paternæ gratiæ, qua vnus cæteris dulcius fouebatur, immoderatius inuidentes, seruitutem fratri, patri summam inuexere tristitiam. Primus ille pontificum cum sorore prophetissa, præuentus ni fallor inuidia, fratri mansuetissimo detrahens, vix ipso orante Moyse diuinam vltionem euasit. Sapientissimus Salomon fratrem æmulum regni, accepta qualibet occasione deleuit. Ionathas solus infra amicum, patrem, patriam regnūq; despiciens, *Tu* (inquit) *eris Rex, & ego ero secundus post te.* Qui si dixisset, Ego ero Rex, tu autem eris secundus post me, nec legem amicitiæ, nec amici gratiam violasset. *Flebant autem ambo*, vt ait scriptura, *sed Dauid amplius.* Instabat nimirum illa amarior morte diuisio, qua indiuidua illa pectora mutuo frustrarentur aspectu, qua cessare habuit illa dulcis confabulatio, illa periculorum omnium alleuiatrix consolatio, illa quoque vitæ ipsi præferenda mutui secreti reuelatio; ideo flebant ambo.

Gen. 37. 10. & seqq.

Num. 12. 1.

3. Reg. 21. 3. 17.

C

Cerne quæso ordinatissimæ dilectionis hominem. Debebat quippe Ionathas animo affectum, sed patri obsequium; amico gratiam, sed paternæ senectuti custodiam: si secutus affectum inhæsisset amico, paternæ dilectionis iura læsisset; sed si monente, imo etiam compellente patre, amico gratiam subtraxisset, initi fœderis ac sacratissimæ amicitiæ legem violasset. Ex affectu itaque vtrique placebat coniunctio, sed ex ratione placebat diuisio. Flendo igitur soluebant quod debebant affectui; sed se diuidēdo, coacti licet, cedebant rationi. Vterque flebant, quia vterq; diligebat. Cur igitur Dauid amplius? Prædixerat nimirū Ionathas suum quodammodo defectum, amici profectū, se regno priuandum, Dauid assumendum: idcirco lex amicitiæ exigebat, vt ille compassione amici fleret iniuriam, iste ne amici videretur dolere successus, aliquantisper lacrymis temperaret. Affectum igitur naturalem rationali præposuit, actum vero secūdum rationem ordinauit. Dauid quoque ipse, cum fidelis ei exercitus de filio parricida victoriam reportasset, naturali cedens affectui, filij sui lugebat interitum; sed correptus à milite, officialem naturali præposuit, depositoque luctu, victori populo gratulabundus occurrit. Saluator etiam noster cum ex affectu naturali, quo nemo vnquam carnem suam odio habuit, proclamasset, *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, spiritali quo semper patri inhæsit, rationis eum iure submisit; *Veruntamen* (inquiens) *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Proinde in his affectibus hæc ratio seruanda est, vt is, quo animus noster excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur; deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

D

2. Reg. 18. 33

2. Reg. 19. 5. & seqq.

Mat. 26. 39.

Cap. XXX.

In affectibus quæ sit quærenda vtilitas.

E

His itaque, quæ de affectuum distinctione dicta sunt, diligenter inspectis, patet ni fallor, quæ in illis sit quærenda vtilitas. Illa nimirum, vt in eorum desiderium, quæ diligenda sunt, ipsis affectibus, quasi amoris quibusdam aculeis excitemur; vt ipsum amorem, ipsorum affectuum infusa dulcedine suauius, ac proinde diligentius teneamus; vt actus ipsos, quibus ad desiderata tendimus, quanto affectuosius, tanto delectabilius; quanto autem delectabilius, tanto feruentius exerceamus. Ipsum sane desiderium etsi affectum excitare habet, rarissime tamen ipsum affectum sequi debet, sicut superius monstratum est. Similiter ad bonorum operum exercitia affectum excitari, in ipsis operibus ex affectu teneri vtillimum est: sed ipsa opera secundum affectum ordinare, præter ordinem est. Restat igitur vt, quemadmodum ipsa sint opera secuncundum rationem ordinanda, pro modulo nostro paucis dicamus. Nam ipsum desiderium secundum rationem vniforme est, quod in eo tamen amore, qui ex affectu est, sentitur; in eo autem qui ex ratione, in sola voluntate computatur.

Compendij cap. 35.

F

Cap. XXXI.

Quibus actibus nos oporteat ad Deum tendere, quibus nobis, proximisque consulere.

Sunt itaque actus quidam, quibus spiritaliter ad illud summum bonum, quod summe diligendum est, summeque desiderandum contendimus; sunt & alij, quibus vel nostræ necessitati, proximorum autem necessitati simul & saluti consulimus, quæ tamen prouidentia, ad illū æque finem referenda non ambigimus. Videtur autem Apostolus omnem perfectæ vitæ statum paucis sinuasse sermonibus: *Sobrie* (inquiens) *& iuste, & pie viuamus in hoc sæculo.* Est enim sobrietas humanæ vitæ modus quidam ac temperantia, vtramque nimietatem prudenter euitans, & regia via inter dextram & sinistram cursum nostrum deducens. Hanc virtutem sæculi huius sapientes frugalitatem nominant, cuius excellentiam illorum omnium eloquentissimus lucide satis exponens, *Vt volet* (inquit) *quisq; accipiat, ego frugalitatem, id est modum & temperantiam virtutē maximam puto.* Cum enim ille, ad quem summe tendimus, quidam modus sit, cui nihil deest, nihil obest, nihil superfluit, nihil deficit; ad quem cum peruenerimus, nihil erit exterius quod appetamus, nihil interius quod fastideamus: necesse profecto est, vt nosmetipsos in quadam mensura modoque seruemus, nec intra quam necesse est dilabamur; nec supra, quam oportet pestifera præsumptione feramur.

Compendij cap 38.

Tit. 2. 12.

G

Cicero orat. pro Deiotaro.

Iustitiam sane ab Apostolo illam hic æstimo nominari, qua proximorum necessitati siue saluti consulentes, & in ipsis beneficiis quid cui conueniat, quis cui præferendus sit discernentes, quod iustum est cuique tribuimus. His autem duabus virtutibus, sobrietati scilicet & iustitiæ, ne de eis Philosophi, vel quilibet à Christi fide alieni glorientur, consultissime addidit pietatem, quæ in fide sincera, & pura intentione consistit. Porro ipsa intentio in amoris electione, de qua iam disputatum est, constare videtur. Hic fortasse lector exiget, vt ipsum viuendi modum, quem periculosum immo perniciosum videtur excedere, manifestius euoluamus. Quod quam sit arduum, difficileque tractatu quis non videat? cum tot sint hominum qualitates, quot homines, nec raro saltem duo simul inueniantur, quibus cuncta æque conueniant: nam quod vni satis est, hoc alteri parum est; & quo iste proficit, ille deficit; & quod alteri necessarium est, alteri constat esse superfluum. Dicendum tamen aliquid videtur quod conueniat omnibus, quod quisque sibi possit aptare, & vtrum necessarium viuendi modum excedat, ductrice possit ratione conijcere.

H

A

Cap. XXXII.

De modo humanæ vitæ tractare incipiens, quæ sit in naturali ordine seruanda sobrietas ostendit.

Compendij cap. 39.

IGitur tres ordines humanæ conuersationis occurrunt, primus naturalis, secundus necessarius, tertius voluntarius. Primus conceditur, secundus indicitur, tertius offertur. Primus ex potestate, secundus ex necessitate, tertius ex voluntate. Primo debetur gratia, secundo misericordia, tertio gloria. Sed de singulis quam lucide possumus, quæ dicenda videntur exsequamur. Est autem ordo naturalis, vt qui nulla commisit illicita, si velit ipse licitis vtatur, licite tamen. Est autem licitus verbi gratia esus carnium, vini potus, vsus coniugij, diuitiarum possessio. Vt enim ait Apostolus, *Omnia munda mundis, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* (Tit. 1. 15. 1 Tim. 4. 4.) Nam & hæretici ab ipso Apostolo iudicantur, *qui prohibent nubere, & iubent abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* (B 1. Tim. 4. 3.) Verum vt horum vsus licitus sit, modus seruandus est, tempus, locus, genus, diligentius attendenda. Modum sane quendam seruandum omnibus, nec à quolibet, pacto quolibet excedendum, Saluator ipse præscribens, *Videte* (inquit) *ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.* (Luc. 21. 34.) Et de vsu coniugij ait Paulus, *Sciat vnusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij.* (1. Thessal. 4. 4. 5.) Vestium quoque vsum describens *Petrus, *Non in veste* (inquit) *pretiosa.* (*Lego Paulus. 1. Tim. 2. 9.)

In licitorum igitur vsu hic modus seruandus est, vt quis in cibi potusque perceptione, infra crapulam & ebrietatem sese contineat, in diuitiis seruandis anxiam sollicitudinem tollat, in vsu coniugis ignominiosas passiones euitet; in vestium cultu non pretium, sed necessitatem requirat. Sed & tempus congruum cuilibet vsui seruandum est, ne verbi gratia his temporibus, quibus traditio ecclesiastica à cibis præcipit abstinere, ieiunium sine rationabili necessitate soluatur; ne temporibus, quibus orationi necessario vacandum est, nuptialis vsus exerceatur; (C) ne diebus, quos salubri vacationi ad audiendum verbum Dei christiana sacrauit auctoritas, curis mundialibus insistetur; ne diebus, quibus dolorem vel pœnitentiam, vestium mutatione præferre religio sacra constituit, solemnibus quis vestibus abutatur. Locus itidem in omni vsu necessario prouidetur; nam in ecclesia vacare epulis, vel vti coniuge, vel exercere negotia, quis non sacrilegium iudicet? Corinthiis scribēs Apostolus, in cibi potusque perceptione tempus legitimum eos arguit non seruasse, *Conuenientibus* (inquiens) *vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare; vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* (1. Cor 11. 20. 21.) Non enim tempus congruum obseruabant, qui ante perceptam Eucharistiam, communes cibos contra scita Apostolica præsumebant.

De modi quoque transgressione, eosdem ipsos inculpans subiecit. *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* (1. Cor. 11. 21.) Deinde loci contemptum improperans, *Nunquid domos* (inquit) *non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?* (1. Cor 11. 22. D) Postremo earum rerum, quibus vti licitum est, genus subtilius discernendum, nō quod aliquid creaturarum Dei immundum, sine sacrilega impietate credatur: sed quia his, quæ in dæmoniorum sacrificiis noscuntur exhibita, vel aliis furto, vel rapina probantur ablata, ne eorum vsus impiis, vel infirmis, impietatis videatur esse consensus, sacra nos abstinere compellit auctoritas. Vnde Apostolus, *Si quis dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite comedere.* (1. Cor. 10. 28.) Tobias quoque sanctus cum balatum pecoris, quod pro mercede operis vxor aduexerat, oculis quidem captus, sed mente integer aduertisset, timens ne ciui iniuriā, sibi maculam illicitus esus inueheret, *Videte* (inquit) *ne furtiuus sit.* (Tob. 2. 21.) Hæc de naturali ordine dicta sint, in quibus licet non omnia, quibus licite vtūtur homines, adnotauimus; ex his tamen quis modus in ceteris seruandus sit, diligens inquisitor inueniet. Iam nunc de ordine necessario aliqua perstringamus.

E

Cap. XXXIII.

Modum satisfactionis in ordine necessario purgationisque describit.

Compendij cap. 40.

EST quippe ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu quoque licitorum sese restringat. In qua restrictione duo consideranda sunt, modus scilicet satisfactionis, & necessitas purgationis. Modus satisfactionis, vt secundum modum culpæ rigor continentiæ extendatur, quatenus secundum Baptistæ vocem dignos pœnitentiæ fructus faciamus. (Matth. 3. 8.) Sed de ipsa satisfactionis qualitate, cum ad pastoralem curam pertineat, & à sanctis patribus libri scripti, ac sententiæ præfinitæ sint, plura dicere supersedeo. Verum non satisfactionis modus tantum conseruandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. (F) Sunt enim exterioris hominis exercitia, interioris hominis instrumenta, quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsam inficiunt animam, facilius abscindūtur; & interioris faciei sordes, quasi confectione quadam asperiori plenius diluuntur.

Proinde suæ purgationis sollicito, primo necesse est vt passiones, quibus impugnatur, attendat; Deinde quæ sint, quibus maxime fatigatur, inspiciat; Postremo quæ instrumenta, quibus passionibus magis obuient, sagaci circumspectione perquirat. Quibus inspectis, congruum instrumentum cuilibet passioni obiiciat, & quæ magis impugnat, feruentiori instantia, vt ipsa obruatur, insistat. Denique passionem libidinis, facile comprimit ventris restrictio, vagum cor stabile, vigiliarum confirmat afflictio; iram, silentium mitigat; tædium mentis, operis sollicitudo castigat. Nec sic tamen vnius passionis exstinctioni tota vehementia insistendum est, vt ad cætera comprimenda instrumentum corporale deficiat; nec importunius laborandum est vt non quælibet passio sentiatur, sed, cum surrexerit, vt secundum rationis iudicium compescatur. (G) Hæc de modo purgationis breuiter tetigisse sufficiat. Cæterum qui vitiorum impugnationem, atq; remedia plenius nosse desiderat, legat librum Ioannis Cassiani, quem de instituendis abrenuntiantibus intitulauit, in quo eorum origines, impugnationis modum, expulsionis remedium luculento stilo digessit.

Cap. XXXIV.

Quis sit ordo voluntarius, & quis in eo seruandus modus.

Compendij cap. 41.

SEquitur ordo voluntarius à nobis deinceps inspiciendus, de quo Psalmista, *Voluntarie* (inquit) *sacrificabo tibi.* (Psal. 53. 8.) Est quippe holocaustum gratuitum, acceptabilis hostia, sacrificium voluntarium; cum quis ab his, quæ concessa sunt, per ea, quæ præcepta sunt, ad ea, quæ potioris gloriæ præmia suspirantibus proposita sunt, spiritus libertate conscendit. (H) Ad quod perfectionis culmen, feruentiores quoque Saluator inuitans, *Si vis* (inquit) *perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* (Matt. 19. 21.) Et alias; *Sunt spadones* (inquit) *qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* (Mat 19. 12.) Itaque sæculi abrenunciatio, castitatis propositum, cuiuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur. Nam licet post sæculi abrenunciationem retro respicienti, regni cęlorum non patescat ingressus; post votum castitatis illicita sit quælibet carnis corruptio, post arctioris vitæ propositum ruina sit ad remissiora relabi; absit tamen vt ista vitæ perfectio, quam voluntarie subiit quis, non coactus, inter necessaria & coactitia, & non potius inter voluntaria numeretur; cum & ipsa necessitas, quam inuito nullus imposuit, sed cui ipse se desiderio perfectionis sponte subiecit, voluntaria dicenda sit, non coactitia.

Qui igitur ad hæc excelsa & sublimia sese cōtulerit, primo

A voti vel propositi sui normam, in quibus, & in quantis cõstet, diligenter inspiciat; Deinde interioris & exterioris hominis vires, experientiæ libra trutinet & discernat. Vires dico interiores, quibus contra tentationum bella exercitatione quotidiana confligat; vires exteriores, quibus corporalium laborum onera infatigabili longanimitate toleret. Licet autem in quemlibet statum proficienti, necessarius sit & interioris & exterioris hominis labor; corporalia tamen ipsam animam specialiter à passionum sordibus diluunt; spiritualia autem exercitia quasi quædam cœlestia aromata, spiritualium eam odoramentorum suauitate perfundunt. Proinde quia vitiorum squalore sordenti non congruit vnctionis illa dulcedo, profecto ei, quem adhuc carnis passiones impugnant, necessaria magis est hominis exterioris afflictio. Ipsis autem passionibus sopitis vel extinctis, licet ab exterioribus modicum temperare, ipsa autem spiritalia instantius & feruentius exercere: nec sic tamen, vt professionis suæ normam præsumptuosius excedat, nec temporum distinctiones, quæ in regula, B cui se subdidit, præscribuntur, destruat vel confundat; sed seruato cuilibet operi tempore præstituto, in ipsis se vel sedatius, vel feruentius, sicut vtile sibi norit exerceat.

Cap. XXXV.

Disputatio contra cuiusdam epistolam, de Monachorum regula & professione

POrro licet ad materiam non omnimodis pertinere videatur, consultum tamen arbitror, quatenus nobis, qui Monachi dicimur, consulentes, ipsius regulæ nostræ vim diligentius inspiciamus; & cum ibi multa de spiritalibus, multa de corporalibus differantur, in quibus maxime ipsius regulæ vis, ac professionis nostræ norma consistat, diligentiori inquisitione vestigemus. Legi cuiusdam literas, qui super hanc quæstionem, cuidam sciscitanti ita respondit. Non timeo dicere monasticæ conditionis re-C gulam esse, sed virtutem monastici ordinis, imo substantiam monasticæ professionis ea, quæ aliis cessantibus monachum faciunt; & sine quibus cætera, non dico non faciunt, sed nec sapiunt. Sed quæ sunt hæc? Illa quæ iurauimus, in quorum stabilitatem & obseruantiam, Deum & sanctos eius attestati sumus. Et quæ sunt hæc? Stabilitas (inquit) in nostro monasterio; Conuersio morum nostrorum, & Obedientia secundum regulam Sancti Benedicti. Et infra. Cupio Beati Benedicti volumen ad monachos reuoluere, & quæ eius, quam nostræ regulæ imo monasticæ professionis substantiam præscripsimus, in eo esse cognouero, vt necessaria mente complectar, vt vota, & in quæ iuraui, reddere prout mihi Dominus dederit, tota deuotione contendam. Cætera vero non vt regulæ nostræ corpus, sed tanquam ipsam iuuantia, ipsam nutrientia opere complere tentabo.

Dubitaremus forte quæ essent ista cætera, nisi postmodum ipse insinuasset: Claustrum scilicet non exire; Opus D manuum exercere; Quantitas, vel multiplicitas, vel certe varietas cibi & potus, lecti stratura, feminalium vsus non nisi in viam directis. Quid enim inquit? numquid si de substantia monasticæ professionis essent, vel ad momentum in ea aliquid liceret dispensari, vel aliquid ex eis permutari? Alioquin nõ existente substantia, nec monachus inuenior, qui monachi substantiam in me destruxero. Et in fine tractatus; Sic, (inquit) frater diligende, sic quia in his dispensari licet, vt & ipse beatus Benedictus dispensat in esu carnium omnino debilibus, in feminalium vsu saltem in via directis; sic (inquam) quia in his dispensari & mutari potest, ergo non sunt de substantia professionis. Hæc ille. Verum quod de esu carnium dixit, vtrum beati Benedicti dispensatio, vel institutio dici debeat, ipse viderit. Sane senibus & infantibus misericordiam impendendam, non ex dispensatione, sed ex regulæ auctoritate præcepit. Regulæ (inquit) auctoritas eis prospiciat. Sed ad priora redeamus. Manifestum est quid dixerit regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam; Loci scilicet stabilitatem, Conuersionem morum, & Obedientiam secundum regulam sancti Benedicti. E

Sed miror cum de his, quæ non tam regulam, quam ipsam iuuantia asserit, loqueretur, de lectione tacuerit. Nã cum ipse dispensationem admittat, manifestum est secundum ipsum, eam ad regulæ corpus non pertinere. Cum igitur opus manuum; panis potusque quantitas; pulmentariorum numerus; modus induendi; quantitas vigilandi; lectisternij qualitas; silentij grauitas; lectionis prolixitas, psalmorum modulatio; ieiunij protelatio; hospitum susceptio, & si qua alia huiusmodi sunt, nec regulæ corpus, nec monasticæ professionis substantia habeantur; quippe cum in eis dispensationes & mutationes multæ inueniantur; ita vt per plura monasteria nihil horum per omnia, secundum quod in regulis præfinitum est; exerceant, vbi quæso in regula regulæ corpus inueniam; & monasticæ professionis substantiam? Nonne de his omnibus, imo pæne his solis regula tota compacta est? Sed enim (inquies) ea sola quæ profitemur regulæ corpus, ac monasticæ professionis substantiam dico, tria videlicet illa F quæ præscripsimus; de loci ergo mutatione nulla fieri potest dispensatio? Quid est igitur quod iam regula facta & promulgata, ipse pater Benedictus Maurum misit in Gallias?

Quod si eiusmodi mutationem descriptam in regula legissem, vtique non eam dispensationem, sed potius regulæ institutionem nominandam arbitrarer. Nunc vero cum eam non regula præscriptam, sed post regulæ institutionem factam inuenio, cur non eam libere dispensationem appellem, cum ille esum carnium, quem omnino debilibus regulę concedit auctoritas, dispensationi assignet? nonne huiusmodi dispensationes quotidie ab Abbatibus nostris fieri cernimus? Quam sæpe non dico de monasterio ad monasterium, sed & de regionibus, ad regiones, Abbatum suorum dispensatione monachi transferuntur? Quomodo ergo ad regulæ nostræ corpus ac monasticæ professionis substantiam, quæ dispensationem nõ admittit, loci stabilitas, tam multiplici dispensationi obnoxia, pertinebit? Quid quod plerumque in Clericatum assumpti, non dico à loci illius stabilitate, sed & ab ipsius Abbatis sui obedientia, auctoritate ecclesiastica absoluuntur? G Tantane permutatio monachi substantiam destruit? Quæ est igitur dispensatio, quæ si de loci stabilitate fiat, monachum destruet?

Dicet fortasse, Si de monasterio ad monasterium, sine Abbatis sui consensu, nullo salutis suæ periculo compellente transmigret. Hæccine est dispensatio, & non potius præuaricatio? Quod si præuaricatio non est, constanter dico, quia nec talis mutatio monachum destruet. Forte ergo pœnitebit eum argumenti sui, nec ideo tria hæc monasticæ professionis substantiam, quod dispensationem non admittant, sed quod ea sola monachus profiteatur, affirmabit. Interim & nos hoc ipsum concedamus. Si ergo regulæ corpus, ac monachi substantia, Loci Stabilitas; Morum conuersio; Obedientia secundum regulam sancti Benedicti. Rogo demus interim dextras, & qualis sit hæc loci stabilitas, hæc morum conuersio, hæc obedientia diligentius inquiramus. Vellem tamẽ scire vtrum sicut hoc H vltimum, ita duo illa priora secũdum regulam, an simpliciter sine determinatione, monachum profiteri existimet? Quod nullo modo quæsitu dignum arbitrarer, nisi quosdam comperissem, qui sic se professos dicant, vt scilicet solam obedientiam secundum regulam, duo autem priora non secundum regulam, sed sine aliqua determinatione se promisisse affirment.

Sed cum alia sit regula beati Augustini, cui Canonici; alia sancti Benedicti, cui monachi, interposita se professione submittunt: quæro inter horum professiones quæ habeatur distinctio? vtrique enim & loci stabilitatem, & morum conuersionem, & obedientiam profitentur. Sed si duo illa priora sine determinatione promittuntur, videtur quod in Obedientiæ tantum professione, à cæteris regulis regula discrepet sancti Benedicti. Ergone alia erit obedientia secundum regulam Benedicti, alia secundum regulam Augustini? Commendat beatus Benedictus obedientiam,

A dientiam, quam nec tardam vult esse nec tepidam, non tristem nec murmurantem, non in iniuriis vel contrariis lassessentem, nec ante mortem deficientem. Alia ne erit illa secundum regulam sancti Augustini? Alia ne erit vel illa, quam Clericus Episcopo, Episcopus Archiepiscopo, Archiepiscopus Episcoporū debet Episcopo? Illa ne aut tarda potest esse vel tepida, aut tristis, aut murmurans, aut in iniuriis contrariisue lassessens, aut ante mortem deficiens? In quibus ergo istarum professionum constat diuersitas? An forte obedientia secundum regulam est, ipsius regulæ præceptis subdi, quibus aliarum regularum professores non sunt obnoxij?

Quæ sunt igitur ista præcepta? Si ea quæ de charitate, de humilitate, de patientia, cæterisque virtutibus disserit; quis non dico Canonicus, sed etiam Christianus his præceptis non est obnoxius? An aliam charitatem in sua regula Benedictus, aliam in sua commendat Augustinus? An non potius vterque illam, quam commendat in lege & euangelio Christus? Quod de cæteris virtutibus similiter B quæri potest. Quis enim sani capitis ad virtutes cohortās, sua hæc, & non potius Christi dicat esse præcepta? Quæ ergo erit in diuersis regulis præceptorum diuersitas? Profecto sic vesci, sic indui, sic legere, sic psallere, sic corripere & corripi, & cætera huiusmodi, quæ in diuersis regulis diuersa inueniuntur. Quæ idcirco vel Augustini, vel Basilij, vel Benedicti specialiter dicuntur, quia non euangelica auctoritate Christianis omnibus imponuntur, sed proponuntur, ipsis autem regularum professoribus non iam proponuntur, sed etiam imponuntur. Aut si ista non sunt, quæ sunt? Profecto quicquid in suis regulis de Charitate, de Humilitate, cæterisque virtutibus ponunt, non hoc quasi sua, sed quasi Dominica præcepta commendant; nec ad ea, quasi ad sua, quis enim illis crederet, sed quasi ad Christi præcepta, non solum monachos, sed quoslibet Christianos inuitant. *Si ergo obedientia secundum regulam sancti Benedicti est, ipsius regulæ præceptis obedire, ipsius autem præcepta regulæ, in his quæ supra commemorauimus constant, cum illa quam profitemur obe- C dientia, monasticæ sit professionis substantia, quomodo substantiam monasticę professionis seruat, qui illa non seruat?

Sed dicet fortasse, quod vtique dici debet, etiam priora illa duo nos secundum regulam profiteri, affirmetque quod non in loci stabilitate, vel obedientia, quæ monachis, Clericis, Canonicis, Episcopis eædem iniunguntur, regularum constet ista diuersitas, sed in morum tantum conuersione. Nam de loci stabilitate nonne omnibus vna incumbit necessitas? ne videlicet sine eius, qui sibi præest consensu, temeraria præsumptione locum mutet. Porro si morum conuersio non secundum regulam, sed simpliciter sine determinatione profitemur; hoc & hi, qui in Ecclesia dicuntur pœnitentes, hoc ad coniugij portum de fornicationis naufragio fugientes. Quis enim horum non profitetur morum conuersionem? Restat ergo inquirere, quæ sit secundum regulam sancti Benedicti morum con- D uersio? Si autem hic ad virtutes confugimus, vt verbi gratia, qui hactenus superbus, deinceps humilis; qui hactenus iracundus, deinceps lenis inueniatur; dicimus profecto quia hæc morum conuersio, non *tantum ex regula sancti Benedicti monachis, quam ex Euangelio omnibus indicitur Christianis. Proinde vt inter conuersiones morum quæ secundum regulas diuersas, diuersæ profitentur, aliqua inueniatur diuersitas, non est quo fugiamus nisi ad illa, quæ sola in diuersis regulis diuersa constituuntur, de quibus iam satis dictum est. Quomodo ergo professionem suam seruat, qui ista non seruat?

*Forte iā.

Sed dicet aliquis, Si ergo quis superbus, contumax, impatiens fuerit, omnia tamen illa, quæ supra commemorata sunt, seruauerit, regulam sancti Benedicti seruare dicendus est? Constanter dico, quia si quælibet ista contra Dei regulam monachus commiserit, si secundum modum in regula præscriptum ista correxerit, professionis suæ reus non erit. Sed quid si quis regulam sancti Benedicti, quasi quoddam instrumentum intelligat, quo vitia facilius re-

E secentur, præcepta euangelica sollicitius impleantur; posseque contingere vt optimo hoc instrumento abutens quis, non eo vitia sua resecet, nec virtutes adquirat, ideoque in sui perniciem regulam quidem habeat, Christi tamen præcepta non impleat. Nonne ipse beatus Benedictus hoc ipsum insinuat? Constituenda est (inquit) à nobis dominici schola seruitij, in qua nihil asperum, nihil graue nos instituturos speramus. Quod & si quid districtius? His primum quæro quæ sit districtio, quam ne incipientes formident hortatur? Profecto in hac districtione institutionem suam esse confirmat. Si patientia, si humilitas, si cæteræ virtutes cogitentur, hæccine se instituturum quasi noui aliquid diceret? Profecto non est quo fugiamus nisi ad illa, quæ ipse noua instituit; non lex, aut propheta, aut ipse Christus præcepit. His nimirum, incipientibus non modica videtur inesse districtio, considerantibus cibi potusque paruam, vilemque quantitatem, vestium asperitatem, ieiuniorum ac vigiliarum afflictionem, quotidiani operis contritionem, & cætera talia, quæ in ipsa regula ab F eo instituta inueniuntur.

Si quis autem regulam in solis his constare non acquieuerit, saltem concedat, quod non nisi obstinacia pertinaci negatur, professionem nostram & regulam in vtrisque, virtutibus scilicet obseruantiisque constare, ac proinde vtraque à nobis necessario seruanda non neget. Quanquam ipse regulæ institutor in illis verbis, quæ considerare cœpimus, aliud probare videtur. Quod & si quid (inquit) districtius dictante æquitatis ratione, propter custodiam charitatis, & emendationem vitiorum processerit; Rogo quid tenebras in luce quærimus? quid nodum in cirpo? quid in meridie, quasi in nocte palpamus? Nonne in omni institutione aliud est ipsa institutio, aliud causa institutionis? Nonne ipse hic manifestissime inter institutionem, causamque institutionis diuisit? Nonne hic custodiam charitatis, ac vitiorum emendationem, suæ institutionis causam testatur? Sed ecce alius è latere surgens, Quid mihi de regula obiicis? Habe charitatē & fac quicquid vis. Ergo manducemus & bibamus, non quia cras G moriemur, sed quia charitate pleni sumus. Charitate, rogo, an vanitate? Quid ergo, inquis? Qui charitatem habet, regulam non implet? Quam multi Canonici sancti, sacerdotes sancti, episcopi sancti, sed & coniugati sancti charitatem se habere sentiunt, qui tamen se monachorum regulam, & professionem nec promisisse, nec seruare non nesciunt? Si autem de ipsius regulæ professoribus dicitur, verum dicitur, si tamen intelligatur quod dicitur.

Quid igitur (inquis) me ad illa aspera regulæ auctoritate compellis? Imo si charitatem habes, non est necesse vt compellaris reddere vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Quod si ea quæ vouisti inscriptione interposita, Deo & sanctis in testimonium vocatis, reddere contemnis, profecto charitatem non habere conuinceris. Quomodo enim eum diligis quem irrides? Vt si aliter (inquit) fecerit, videlicet quam promisit, à Deo se damnandum sciat, quē irridet. Quid igitur? dispensationes, quæ in ipsa regula à patribus factæ sunt vel fiunt, damnamus? Imo hinc eas ra- H tionabiliter fieri posse, quod de hominis, non de Dei præceptis fiunt, astruimus. Non enim de diuinis præceptis aut mutare aliquid, aut minuere vlli hominum fas est. Hoc sane prouidendum est, vt ipsa mutatio vel variatio, dispensatio sit, non omnimoda destructio. Cum enim custodia charitatis, vitiorum emendatio, ipsius institutionis causa sit; sic profecto ipsa dispensatio rationabilis erit, si causæ huic dispensatio ipsa profecerit. Si autem dispensatione, magis quam institutione, nutriuntur vitia, charitas violatur; si forte non damnosa, certe periculosa ipsa dispensatio comprobatur.

CAP.

A

CAP. XXXVI.

Item modus in ordine voluntario seruandus describitur.

Compendii cap. 46.

Ergo qui ordine voluntario ad culmen perfectionis aspirat, primo charitatem, qua Deo maxime propinquamus, imo qua Deo inhæremus, eique conformamur, in qua totius perfectionis plenitudo consistit, quasi destinatum finem, quo totum cursum suum dirigat, indefinenter aspiciat: deinde via, quam ei voti, vel professionis suæ norma præscribit, ad eius plenitudinem infatigabili spiritus alacritate contendat. Huic itaque fini militet abstinentia, famulentur vigiliæ, inuigilet lectio, quotidianus labor insudet. Quod si aliquo horum charitas, cuius causa instituta fuit, violari cognoscitur, tunc demum ei, cui dispensatio credita est, incumbit necessitas, vt sic omnia temperet ac disponat, quatenus non horum causa charitas deseratur, sed eius fructus in omnibus requiratur: nec sic tamen vt aliqua eorum, quæ instituta sunt, prætermittantur, aut certa tempora certis quibusque exercitiis attributa confundantur, nisi extrema cogat necessitas; alioquin non erit dispensatio sed destructio, sed vt certis temporibus certa exercitia, pro cuiusque qualitate ac mentis statum modificentur. Hoc est quod ipse sanctus, cum de opere manuum legem poneret, *Sic inquit, omnia temperet atque disponat, quatenus animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant.* Et alias; *Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.* Numquid dixit, hoc aut illud prætermittatur propter pusillanimes. *Imo & infirmis, inquit, & delicatis talis ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur.* Ergo & infirmi & delicati operentur, sed eorum opus sic temperetur, vt non opprimantur. Quem rogo de opere absoluit, ad quod etiam infirmos & delicatos compellit?

B

Compendii cap. 42.

C

Hunc sane modum, in ipsis exercitiis, quemlibet seruare vtile est, quatenus sic se in vno habeat, vt in cæteris non deficiat, illud tamen in quo se magis proficere sentit, maiori feruore exerceat. Habeo ad manum de hac re cuiusdam verba sapientis, & congruentius arbitror quæ præsto sunt inserere, quam de eadem sententia noua verba componere. Meditatio (inquit) in moribus primo considerat quæ debita sunt, siue ex præcepto, siue ex voto, & ea primum agenda iudicat, quæ sic facta habent meritum, vt non facta generent reatum. Hæc ergo primum facienda sunt, quæ sine culpa dimitti non possunt. Post hæc si quid voluntaria exercitatione superadditur, sic faciendum est, vt debitum non impediatur. Alii volunt quod non debent, qui non valent id quod debent; alii etsi valent quod debent, voluntaria impedimenta adducunt, volendo quod non debent. Item duo mala in bona actione præcipue cauenda sunt, afflictio scilicet, & occupatio. Per afflictionem dulcedo mentis amaricatur, per occupationem tranquillitas dissipatur. Afflictio est, quando pro his quæ non valet, per impatientiam vritur; occupatio, quando in his quæ valet agendis per intemperantiam agitatur. Ne igitur male amaricetur animus, suam impossibilitatem patienter sustineat; ne autem male occupetur, possibilitatem suam extra mensuram suam non extendat.

D

CAP. XXXVII.

Quid homo sibi, quid proximo debeat ostenditur, & vtrum se proximo, an proximum sibi præferre debeat, declaratur.

Compendii cap. 43.

Hæc de modo, in singulis seruando gradibus, dicta sint; quo ad eum, quem summe diligendum cernimus, contendentes, & animæ saluti consulimus, & corpori debita naturæ concedimus. Quoniam autem proximum æque vt ipsi à nobis diligi, diuina tradit auctoritas, primo necesse est, vt cui quis ordo conueniat, intelligentiam nostram non lateat: Deinde summopere elaborandum, ne quis in quolibet ordine, præscriptum viuendi modum excedat. Sed quia quosdam præesse, quosdam subesse, quosdam coesse manifestum est; cum à quolibet horum legitima mensura transgreditur, debet quidem inferior superiori suggerere, par parem corripere, superior inferiorem etiam, si sit necesse, compellere. Ipsa sane suggestio, siue correptio, siue compulsio, secundum qualitatem singulorum temperetur, vt & in suggestione subiectio, & in correptione dilectio, & in compulsione sentiatur compassio. Qui in inferiori ordine legitime obseruatur, vt ad superiora conscendat moneri potest, cogi autem non potest. Qui superiori sua se sponte submisit, secundum professionis suæ modum tractari debet, ad arctiora vero compelli, eis inconsulta voluntate, non debet.

E

Compendii cap. 44.

F

Ita sane sit de proximi dilectione sollicitus, quem debet diligere sicut seipsum, ne modum dilectionis excedat, qua diligere debet seipsum, quod tunc fit, cum ipse negligitur, quem diligere debet supra seipsum. Neque enim audiendi sunt, qui sic arbitrantur accipiendum quod dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, vt vnumquemlibet diligere debeat tanquam seipsum, duos autem aut plures supra seipsum, ideoque magis suam, quam aliorum debeat velle perditionem. Sed *quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quid prodest ei si lucretur vniuersum mundum, etiam ad salutem, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Animaduertendum quoque est, quia quicquid præmissa ratione fraternæ dilectioni adiicitur, totum profecto diuinæ dilectioni subtrahitur. Cum enim secundum modum quo Deum diligit, sui dilectio metiatur, tunc solum minus diligit seipsum, quando minus diligit Deum. Porro seipsum qui diligit, cuius perditioni non parcit? Quomodo ergo alium diliget sicut seipsum, qui non diligit nec seipsum? Nam & Apostolus cum ait, *Optabam aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis secundum carnem*, vt eos proposita mirabili charitate sua traheret ad salutem, affectum quidem prodidit, consilium non expressit. At quam diuersa in vna mente suggerant affectus & ratio, superius satis ostendimus. Vnde Apostolus cum diceret, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus*, verum quidem dixit, quia affectum, quem sentiebat, expressit. Qui si postea dixisset, Mallem totum mundum perire, quam me solum à Christo separari, verum nihilominus dixisset; quia rationis consilium prodidisset. Nam & ipse Saluator ex affectu, quo nemo vnquam carnem suam odio habuit, quem à nobis & pro nobis voluntarie suscepit, vt transiret hora passionis optauit; sed ex consilio rationis ipse ne transiret effecit.

Mat. 22. 39.

Mat. 16. 26.

Rom. 9. 3.

G

Sed & scriptura consulte non ait, *Diliges proximum tuum quantum teipsum*, sed *sicut teipsum*, modum ergo diligendi præscripsit: non quantitatem indixit. Sit autem sua sibi exhibeatur dilectio, vt primo animæ suæ, quæ potior sui pars est consulat ad salutem, deinde corpori ad necessitatem. Quod si aliquando incumbat necessitas alterum contemnendi, etiam corporis patiatur interitum, dum tamen anima non sustineat detrimentum. Nec hoc est corpus odire, sed animam corpori in dilectione præferre. Ab hac ergo sui dilectione nunquam recedat, sed ipsa constanter & perseueranter retenta, ad consulendum proximo securus accedat. Modum autem consulendi, ex ea, qua sibi consulit, regula accipiat. Agat ergo cum proximo quantum potest, vt & saluus corpore, & sanus sit mente. Nam si alterum horum negligit, profecto proximum, qui ex vtroque constat, non diligit. Si vero talis fuerit proximus, qui sine quodam corporis detrimento ad salutem animæ non accedat; cum quadam compassione ac cordis contritione, carnis eius patiatur interitum, vt spiritus saluus sit in die Domini. Nulla sane ratione vel præcepto compellitur, suæ animæ perditione, animæ fraternæ comparare salutem; nec sui corporis interitu, fraterni corporis interitum propulsare. Nam quod præcipitur animas pro fratribus ponere, ad vitæ contemptum, non ad animæ pertinet detrimentum. Sic enim 1. Cor. 5. 5.

H

A non * perditionem sed potius ponitur ad salutem. Vnde sic animam ponete, ipsi vtrique animæ consulere est.

* Lego ad perditionem

Porro hi, qui temporalium dominorum suorum mortem temporalem, motte sua temporali propulsant, qui recte id faciunt, non tam pro alieni corporis, quam pro suæ animæ salute id faciunt. Sic enim habet eorum conscientia, Dominis suis fidem esse seruandam, vt in tali periculo eorum vitam suæ æstiment præferendam. Qui autem non pro fide seruanda, sed pro gloria capessenda opprobrioque vitando id faciunt, stulte quidem id faciunt, nec tamen pro corpote alieno, sed pto suæ famæ pretio id faciunt. Sed hoc forte laudabiliter fieri potest, vt ex sola dilectione quis pro alterius corpore, suum corpus obiiciat: vt autem, non dico pro vnius animæ, sed etiam pro totius mundi salute, suæ animæ detrimentum sustineat, saluo veræ dilectionis ordine fieri non potest. Est enim detrimentum animæ, ab eius, qui summe diligendus est, dilectione recedere. Quod aliquando laudabiliter, vel saltem inculpabilitet fieri posse quis dicat? A Dei sane dile-

B ctione receditur, cum vel aliquid dignum damnatione committitur, vel aliquid, sine quo non est salus, prætermittitur. Sunt ptæterea media quædam, vt pote lectio, meditatio, labor corporis, ieiunium ventris, suauitas orationis, ceteraque huiusmodi, quæ omnia pro fraterna salute dispensanda, varianda, mutanda, nonnunquam etiam sunt prætermittenda, de quibus Apostolus, *Non quæ sua sunt*, inquit, *singuli quærentes, sed quæ aliorum.* Et item. *Sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

Compendii cap. 45.

Phil. 2. 4. 1. Cor. 10. 33.

Denique quod ait, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus*, sic quoque non inconuenientet potest intelligi, vt ab illo orationum suarum secreto, quo inter amplexus Iesu suauiter quiescebat; ab illa ineffabili contemplationis eminentia, qua cælestium mysteriorum secreta purissimis oculis perlustrabat; ab illa gratissimæ compunctionis dulcedine, quæ animam illam cælestia sitientem, spiritalium affectuum suauissimis stillulis perfundebat, ad mundi strepitum ob fratrum salutem optauerit auocari. Quam euocationem, à Christo separationem ille non ambigit no-

C minandam, qui pto modulo suo vacat & gustat * quoniam dulcis est Dominus, quam beatus omnis qui sperat in eo. Porro qui sic à Christo separari, vel fraterna dilectione prouocatus elegit, vel Superiorum auctoritate coactus consensit: prouidendum sibi est, ne obruat ista necessitas, & pereat illa suauitas. *Verum quod de electione vel oratione diximus, etiam de commodis corporis, imo de ipso corpore sentiendum est: vt quicquid pro sua salute contemnendum, impendendum, variandumque perspexerit, pto salute quoque proximi id ipsum faciendum agnoscat.

*Lego quã

Cap. XXXVIII.

Inter ipsos proximos, quis cui præponendus sit, distinguitur.

D Quoniam igitut de Charitate tractantes, secundum eius leges quid homo sibi, quid proximo debeat ostendimus, cum omnibus ad corporalem necessitatem sufficere tanta nos multitudo non sinat, restat vt inter ipsos, quis cui præponendus sit, ratio consulta discernat. Consideremus itaque cordis nostri latitudinem, quasi arcam quandam spiritalem, lignis imputribilibus, moribus scilicet bonis virtutibusque compactam; in qua mansiunculas, & tristegas, spiritalia videlicet receptacula collocantes, singulis singula, pro cuiuslibet dignitate vel ordine, deputemus. Igitur bestias, bestiali scilicet more sæuientes, ac sanguinem nostrum ferali rabie sitientes, inimicos videlicet nostros in inferioribus includamus: quibus & orationis solatium, & post cæteros, communis huius vitæ præbeamus subsidium. Sed quia sunt mansiunculæ interiores & exteriores, de hoc hominum genere his, qui foris sunt, exteriora sufficiant; illos vero qui, specie tenus licet, communem nobiscum sortiuntur fidem, interior mansio non repellat. Superior his locus reptilibus, iumentisq; conceditur, qui terrena licet sapientes, ac semetipsos

E ventris sordibus, ac libidinis spurcitia maculantes, infra hominem sese deiiciunt; nihil tamen inhumanum, nihil crudele, nihil in nos moliuntur aduersum. His & orationis remedium, & adhortationis auxilium, & correptionis cauterium, & præ inferioribus, sed post superiores, necessitatis præbeamus supplementum. Inter quos, qui vel sanguinis communione, vel officii humanitate nobis viciniores sunt, in isto gradu intima sortiantur; ab exterioribus cæteri non excludantur.

Iam vero in superioribus homines collocemus, illos nimirum, qui etsi supra hominem perfectionis desiderio non vehuntur, non tamen in bestias feritate, non in pecudes voluptate, non in reptilia sordibus deuoluuntur. Et in hoc quoque gradu, quanto quis nobis aut carne propinquior, aut amicitia gratior, aut beneficiorum fuerit largitione propensior; tanto sit & in pectoris mansione interior. Porro locus excelsior volatilibus cedat, qui supra hominem virtutum pennis spiritalibus vecti, quanto sunt

F Deo propinquiores, tanto in arca hac spiritali esse debent superiores. Inter quos, quicunque dulcissimo nobis spiritalis amicitiæ vinculo copulantur, in interioribus ac secretioribus pectoris nostri locis suauius recondantur, astringantur arctius, dulcius foueantur. Est præterea locus cæteris omnibus eminentior, cui spiritalis huius arcæ fabricator simul ac reparator Iesus, solus sine comite speciosus insidens, ac inferiora omnia sua suauitate componens, in omnibus sapiat, in omnibus flagret, in omnibus luceat, in omnibus splendeat, totamque inferiorem latitudinem ad vnum suæ dilectionis cubitum, linea rectiore traducat. Ipse solus in omnibus, ipse solus præ omnibus & affectum nostrum afficit, & amorem exigit, ipse sibi sedem non solum potiorem, sed & superiorem; nec solum superiorem, sed & interiorem in pectoris nostri mansione requirit. Hæc itaque ratio in hac distinctione seruetur, vt seruata omnibus consulendi voluntate, cum ad omnes præsens indigentia non sufficiat, inferiori gradus superior præponatur, in singulis autem gradibus interiori potius consulatur.

G

Cap. XXXI.

Qui sint quibus in hac vita frui valeamus.

Vnum adhuc restat, de quo ratio diuisionis nostræ deinceps tractare compellit. Diximus enim in hoc constare charitatem, si mens ad fruendum eligat quod oportet, moueatur vt decet, competenter vtatur. De electione & motu, quantum ad præsens opus, satis egimus. Sed si electio sana, motus integer fuerit, nunquid vsus peruersus erit? Sed in ipsius quem diligit adeptione, & motus variari potest, & æstimatio falli. Potest enim aliquis etiam intentione recta, & competenti motu, eius, quem ad fruendum elegit, præsentiam comparare; in ipso tamen fructu & intentione, mutare & variare motum, & modum excedere. Verum quia in diuersis gradibus meritisq; diuersis, paulo superius proximos ordinauimus, dicendum sane est vtrum omnibus, vel certe aliquibus frui debeamus, aut valeamus. Sed est fructus temporalis, quo inuicem in hac vita frui possumus, sicut Paulus fruitus est Philemone: & est fructus æternus, quo inuicem fruemur in cælo, sicut se fruuntur Angeli pura mentium vnitate. Proinde cum frui sit cum gaudio ac delectatione vti, manifestum arbitror in præsenti nequaquam nos omnibus frui posse, sed admodum paucis. Nam vt mihi videtur, vti quidem possumus quibusdam ad probationem, quibusdam ad eruditionem, quibusdam ad consolationem, quibusdam ad sustentationem. Inimicis siquidem ad probationem, magistris ad eruditionem, senioribus vtimur ad consolationem, necessaria ministrantibus ad vitæ sustentationem; solis autem his, quos suaui quodam affectu complectimur, de quocumque horum genere sint, ad vitæ dulcedinem ac spiritus delectationem. His igitur etiam in præsenti frui possumus, id est enim gaudio ac delectatione vti. Quocirca charitas in hac vita, quantum ad electionem & motum qui in actu est, exhiberi omnibus ab omni-

Compendii cap. 36.

cap. præcedenti.

H

Phil. 5. 20.

A bus potest; quantum vero ad fructum à paucis, vel certe à nullo exhiberi omnibus potest. Pauci enim sunt, si tamen aliqui sunt, à quibus omne hominum genus non solum rationali, sed etiam affectuosa dilectione colatur.

Denique ipsi Deo, à multis, & electione & motu charitas exhibetur, quibus ipsius dilectionis fructus non in hac vita conceditur, sed post hanc vitam in eius beatissima visione seruatur. Nam & hi quibus in contemplationis lumine, in compunctionis dulcedine, quidam huius dilectionis fructus inchoatur; si ad futura gaudia spectes, nec ipsi Deo frui dicendi sunt; sed potius vti. Nam illius dulcedinis suauissimum gustum, non tam pro fructu dilectionis, quam sustentatione infirmitatis plerisque largiri, satis superius monstratum est. Porro non modicum vitæ huius solatium est habere, quem tibi affectu quodam intimo, ac sacratissimi amoris vnire possis amplexu; habere in quo requiescat spiritus tuus; cui se refundat animus tuus; ad cuius grata colloquia, quasi ad consolatoria quædam carmina, inter tristia quæque confugias; ad cuius amicitiæ gratissimum sinum, inter tot sæculi scandala securus accedas; cuius amantissimo pectori, ac si tibi ipsi, omnium cogitationum tuarum viscera sine cunctatione committas; cuius spiritalibus osculis, quasi medicinalibus quibusdam fomentis, languores tumultuantium curarum exsudes; qui tibi collacrymetur in anxiis; collætetur in prosperis; tecum quærat in dubiis; quem vinculis charitatis in illud secretarium tuæ mentis inducas, vt licet absens corpore, spiritu tamen præsens sit; vbi solus cum solo tanto dulcius, quanto secretius fabuleris: solus cum solo conferas, acquiescente mundi strepitu, in somno pacis, in amplexu charitatis, in osculo vnitatis, interfluente Spiritus sancti dulcedine, solus cum solo repauses; imo ita te ei adiungas & applices, & animum animo misceas, vt de pluribus vnum fiat.

Lib. 2. c. 13.

B

His igitur in præsenti frui possumus, quos non solum ex ratione, sed etiam ex affectu diligimus; inter quos his maxime, qui nobis spiritalis amicitiæ gratissimo fœdere, cæteris familiatius arctiusque iunguntur. Cuius charitatis sacratissimum genus, ne cui improbandum videretur, ipse Iesus noster per omnia nobis condescendens, per omnia nobis patiens & compatiens, in suæ dilectionis exhibitione transformans; vni, non omnibus suauissimi pectoris sui reclinatorium, in signum præcipuæ dilectionis indulsit: vt virgineum caput virginei pectoris floribus fulciretur, ac thalami cælestis odorifera secreta, fragrantiam spiritalium vnguentorum virgineis affectibus, quanto vicinius, tanto copiosius instillarent. Hinc est quod licet à piissimo magistro discipuli omnes, summæ charitatis dulcedine fouerentur, huic tamen hoc cognomen familiarioris affectus prærogatiua concessit, vt diceretur discipulus ille, quem amabat. Iesus.

C

Ioan. 13. 23.

Cap. XL.

Quomodo inuicem frui debeamus.

D

Compendii cap. 37.

QVI igitur amico frui dulce habet, videat vt fruatur in Domino, non in sæculo; non in carnis voluptate, sed etiam in spiritus iocunditate. Sed quæris quid sit frui in Domino? Dicit de Domino Apostolus. *Qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio.* Cum igitur Dominus sapientia sit, sanctificatio, & iustitia; in Domino frui, est frui in sapientia, frui in sanctificatione, frui in iustitia. Sapientia vanitas sæcularis excluditur; Sanctificatione spurcitia carnis abscidituг, Iustitia assentatio omnis adulatioque compescitur. Tunc enim *charitas est, si sit,* vt ait Apostolus, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Purum cor suscipit sapientiam, pudicitia serenat conscientiam, fides non ficta exornat iustitiam. Sunt qui se fruuntur in vanis & ludicris, in sæculi pompis & mundi spectaculis, in studio vanitatis & gaudio falsitatis. Hi non se fruuntur in sapientia, ac proinde non in illo, qui Dei virtus est, & Dei sapientia. Alii etsi non deteriores, certe sordidiores, quibus pœne de homine nihil est, quos obscœna turpitudo transformauit in bestia; qui se in luxuriosis conuiuiis, & immundis fruuntur desideriis; quia se non in sanctificatione, quæ in castitatis suauitate consistit, fruuntur, vtique in Domino; qui factus est nobis à Deo sanctificatio, non fruuntur.

1. Cor. 1. 30.

Tim. 1. 5.

1. Cor. 1. 24

E

At hi qui se assentatorie fruuntur, inuicem palpantes, inuicem consentientes, qui dum alterutram cauent offensionem, mutuam incurrunt pernitiem, quia non se in libertate fruuntur iustitiæ, in Domino non fruuntur. Ergo si mutua delectat verborum collatio, sit sermo de moribus, sit sermo de scripturis; nunc de miseriis huius vitæ congemiscamus; nunc in spe futurorum bonorum congaudeamus; nunc mutui secreti reuelatione recreemur; nunc simul ad illam beatam visionem Iesu, ac bona cælestia suspiremus. Si vero, quod nonnunquam vtile est, tensum animum ad inferiora quædam ad iocunda laxemus; sint laxamenta ipsa plena honestatis, vacua leuitatis; & si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione. *Fruamur inuicem in sanctificatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere,* id est proprium corpus, *in sanctificatione & honore, non in passione desiderii.* Fruamur in iustitia, vt in spiritu libertatis mutuo cohortemus, mutuo corripiamus, scientes quia *meliora sunt amici vulnera, quam fraudulenta inimici oscula.*

Thess. 4. 4.

F

Prou. 27. 6.

Cap. XLI.

Epilogus totius operis, & Auctoris excusatio sui.

HÆ sunt, amantissime Pater, de Charitate meditationes meæ; in quibus si excellentia eius, si fructus eius, si competens modus exhibitionis eius, quasi imago quædam illius ostenditur; liber ipse, vt scripsistis, Charitatis Speculum nominetur. Obsecro tamen ne Speculum illud efferatis in publicum, ne forte in eo non charitas luceat, sed potius auctoris imago sordescat. Quod si illud in meam, vt vereor, confusionem emiseritis, per illud dulce nomen Iesu obtestor lectorem, ne me ex præsumptione ad hoc opus æstimet accessisse, ad quod & paterna auctoritas, & fraterna charitas, & propria me coegit necessitas. Nam Superiori non obedire periculosum; cum absente charissimo meo, de huiusmodi in spiritu fabulari dulce ac iocundum; vagos & inutiles luxuriantis animi mei excursus, harum meditationum vinculis alligare necessarium duxi. Si quis autem horum lectione aut affectu, aut cognitione profecerit, sudoribus meis hanc vicem rependat, vt pro innumerabilibus peccatis meis, apud iustum & misericordem iudicem intercedat.

G

EXPLICIT LIBER III.

DIVI AELREDI ABBATIS RIEVALLENSIS OPVS DE SPIRITVALI AMICITIA.

H

Prologus.



CVM adhuc puer essem in scholis, & sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, inter mores & vitia quibus ætas illa periclitari solet, tota se mea mens dedit affectui, & deuouit amori: ita vt mihi nihil dulcius, nihil iocundius, nihil vtilius quam amari, & amare videretur. Itaque inter diuersos amores & amicitias fluctuans, rapiebatur animus huc atque illuc, & veræ amicitiæ legem ignorans, eius sæpe similitudine fallebatur. Tandem aliquando mihi venit in manus liber ille, quem de Amicitia Tullius scripsit, qui statim mihi & sententiarũ grauitate vtilis,

& elo-

A & eloquentiæ suauitate dulcis apparebat. Et licet nec ad illud amicitiæ genus me viderem idoneum, gratulabar tamen quandam me amicitiæ formulam reperisse; ad quam amorum meorum, & affectionum valerem reuocare discursus. Cum vero placuit bono Domino meo corrigere deuium, elisum erigere, salubri contactu mundare leprosum, relicta spe sæculi ingressus sum monasterium: & statim legendis sacris literis operam dedi, cum prius nec ad ipsam earum superficiem, oculus lippiens & carnalibus tenebris assuetus sufficeret. Igitur cum sacra scriptura dulcesceret, & parum illud scientiæ, quod mihi mundus tradiderat, earum comparatione vilesceret, occurrebant animo quæ de amicitia in præfato libello legeram, & iam mirabar quod non mihi more solito sapiebant. Iam tunc enim nihil, quod non dulcissimi Iesu fuisset melle mellitum, nihil quod non sanctarum scripturarum fuisset sale conditum, meum sibi ex toto rapiebat affectum. Et iterum atque iterum ea ipsa reuoluens, quærebam si forte possent B scripturarum auctoritate fulciri. Cum autem in sanctorum patrum libris de amicitia plura legissem, volens spiritualiter amare nec valens, institui de spiritali amicitia scribere, & regulas mihi castæ sanctæque dilectionis præscribere. Opusculum,*igitur in tribus distinximus libellis; in primo quid sit amicitia, & quis eius fuerit ortus vel causa commendantes; in secundo eius fructum excellentiamque proponentes; in tertio quomodo, & inter quos possit vsque in finem indirupta seruari, prout potuimus, enodātes. In* huius igitur lectione si quis profecerit, Deo gratias agat, & pro peccatis meis apud Christi misericordiam intercedat. *Si quis autem superfluum, aut inutile putat esse quod scripsimus, parcat infelicitati meæ, quæ fluxum cogitationum mearum, huius meditationis*meę me compulit occupatione restringere.

igitur istud in. *Cam.*

hu. lect. *Cam.*

quis. sup. *Cam.*

meæ. *Cam.*

DE ORTV AMICITIÆ

LIBER PRIMVS.

AELREDVS. Ecce ego & tu, & spero quod tertius inter nos Christus sit. Non est modo qui obstrepet; C non est qui intercidat amica colloquia, gratæque huic solitudini nullius vox vel tumultus irrepit. Age nunc charissime, aperi pectus tuum, & amicis auribus quicquid placet instilla, nec ingrate accipiamus locum, tempus & otium. Nam paulo ante in turba fratrum me residente, cum omnes vndique circumstreperent, & alius quæreret, alius disputaret; & iste de scripturis, ille de moribus, alter de vitiis, de virtutibus alter quæstiones ingererent; tu solus tacebas, & nunc caput erigens, parabas aliquid proferre in medium; sed quasi vox in ipsis interciperetur faucibus, iterum demisso capite tacebas: nunc paruo interuallo secedens à nobis, & iterum rediens tristem vultum præferebas: quibus omnibus mihi duntaxat dabatur intelligi, te ad proferendum tuæ mentis conceptum, & horrere multitudinem, & optare secretum. IVO. Profecto ita est, & D gratulor plurimum, intelligens quod cura tibi est de puero tuo, cuius tibi mentem mentisque propositum, non alius quam spiritus charitatis aperuit. Et vtinam hoc mihi tua concedat dignatio, vt quotiescunque filios tuos, qui hic sunt visitaueris, vel semel mihi liceat, cæteris remotis, tui habere copiam, & æstus pectoris mei sine perturbatione proferre. AELREDVS. Faciam quidem & libens. Delector enim plurimum, quod te pronum ad hæc vana & ociosa non video, sed semper aliquid vtile, & profectui tuo necessarium proloqui. Loquere ergo secure, & cum amico omnes curas tuas cogitationesque commisce, vt vel discas aliquid vel doceas, des & accipias, profundas & haurias. IVO. Ego quidem discere paratus sum non docere, non date sed accipere, haurire non profundere; sicut mihi ætas præscribit, imperitia cogit, hortatur professio. Sed ne in his tempus ad alia necessarium insipienter insumam, volo me aliquid de spirituali amicitia doceas, videlicet quid sit, quid pariat vtilitatis, quod eius*principium, quis finis: vtrum inter omnes esse possit, & si non inter omnes, inter quos: quomodo etiam possit indirupta seruari, & sine aliqua dissensionis molestia sancto fine E concludi. AEL. Miror cur à me hæc æstimas esse quærenda, cum satis superque ab antiquissimis, excellentissimisque doctoribus de his omnibus constet esse tractatum; maxime cum pueritiam tuam in huiusmodi studiis triueris, & Tullii Ciceronis librum de Amicitia legeris: vbi copiosissime de omnibus, quæ ad eam spectare videntur, iocundo stilo disseruit, & quasdam, vt ita dicam, leges in ea ac præcepta descripsit. IVO. Non vsquequaque ipse mihi ignotus est liber, vtpote qui in eo aliquando plurimum delectabar; sed ex quo mihi de sanctarum scripturarum fauis, aliquid cæpit emanare dulcedinis, & mellifluum Christi nomen sibi meum vendicauit affectum: quicquid sine cælestium literarum sale, ac dulcissimi illius nominis condimento, quamuis*subtiliter disputatum, legero vel audiero, nec sapidum mihi potest esse, nec lucidum. Ea propter vel ea ipsa quæ dicta sunt, si tamen sunt consona rationi, vel certe alia, quæ disputationis istius poscit vtilitas; velim mihi scripturarum auctoritate probari: & quemadmodum ea ipsa, quam inter nos oportet F esse, amicitia, & in Christo inchoetur, & secundum Christum seruetur, & ad Christum finis eius & vtilitas referatur, plenius edoceri. Constat enim Tullium veræ amicitiæ ignorasse virtutem, cum eius principium finemque, Christum videlicet, penitus ignorauerit. AELR. Victus sum fateor, vt quasi meipsum nesciens, nec vires proprias metiens,*de his non quidem te doceam, sed tecum potius conferam, cum tu ipse viam vtrisque aperueris, lumenque illud splendidissimum, in ipsa inquisitionis nostræ ianua accenderis, quod nos non sinat errare per deuia, sed certo tramite ad certum finem propositæ quæstionis perducat. Quid enim sublimius de amicitia dici potest, quid verius, quid vtilius, quam quod in Christo inchoari, & secundum Christum produci, & à Christo*perfici debeat, probetur; Age nunc, & quid primum de amicitia videatur esse quærendum, edicito. IVO. Primum quid sit Amicitia arbitror disserendum, ne videamur in inani pingere, si nesciamus quid sit illud, de quo debeat disputationis nostræ series, tenorque procedere. AEL. Nonne satis tibi est hinc quod ait Tullius, Amicitia est rerum humanarum & diuinarum, cum beneuolentia & charitate consensio? IVO. Si tibi sufficit ista definitio, mihi iudico G satisfactum. AEL. Ergo quibuscunque fuerit de rebus humanis atque diuinis sententia eadem, eademque voluntas cum beneuolentia & charitate, ad amicitiæ perfectionem eos peruenisse fatebimur. IVO. Quidni? Veruntamen charitatis vel beneuolentiæ nomine, quid Ethnicus ille significare voluerit, non video. AEL. Forte nomine charitatis mentis affectum, beneuolentiæ vero operis expressit effectum. Nam ipsa in rebus humanis atque diuinis, mentibus vtriusque chara, id est suauis & pretiosa debet esse consensio. beneuola etiam & iucunda, in rebus exterioribus, operum exhibitio. IVO. Fateor, placet mihi satis ista definitio, nisi & Ethnicis & Iudæis, iniquis insuper Christianis eam conuenire putarem. Quod autem vera amicitia inter eos, qui sine Christo sunt, esse non possit, mihi fateor esse persuasum. AEL. Satis nobis in con- H sequentibus elucescet, vtrum definitio minus aliquid habeat, vel superabundet in aliquo; vt vel reprobetur à nobis, vel quasi sufficiens, & extra nihil recipiens admittatur. Ex ipsa tamen diffinitione, quamuis forte tibi minus videatur esse perfecta, intelligere vtcunque poteris quid sit amicitia. IVO. Non sim tibi oneri, rogo te, si non ista sufficiant, nisi ipsius vocabuli rationem mihi enucleaueris. AEL. Geram tibi morem, si tamen parcas inscientiæ meæ, vt me non cogas docere quod nescio. Ab amore, vt mihi videtur, amicus dicitur, ab amico amicitia. Est autem amor quidam animæ rationalis affectus, per quem ipsa aliquid cum desiderio quærit, & appetit ad fruendum, per quem & fruitur eo cum quadam interiori suauitate, amplectitur & conseruat adeptum. Cuius affectus & motus in *Speculo nostro, quod satis cognitum habes, quam lucide potuimus, ac diligenter expressimus. Porro amicus quasi amoris, vel, vt quibusdam placuit, ipsius animi custos dicitur; quoniam amicum meum amoris mutui,

prin. quis processus, quis fi. *Ca.*

sub, & eloquenter dis. *Cam.*

his quidē non quid te. *Cam.*

per debere pro. *Cam.*

Quid sit amicitia.

Vnde dicatur amicitia.

* Insinuat opus suum inscriptum *Speculum Charitatis*

vel

A vel ipsius animi mei oportet esse custodem, vt omnia eius
quod hinc patet scriptum fuisse ante præsens opusculum. vel. Cam.
secreta fideli silentio seruet; quicquid in eo vitiosum viderit, pro viribus curet & toleret; cui & gaudenti congaudeat, & dolenti condoleat, & omnia sua esse sentiat, quæ amici sunt. Amicitia igitur ipsa virtus est, qua talis dilectionis ac dulcedinis fœdere, ipsi animi copulantur & efficiuntur vnum de pluribus. Vnde ipsam amicitiam non inter fortuita* & caduca, sed inter ipsas virtutes, quæ æternæ sunt, etiam mundi huius Philosophi collocarunt,
Prou.17.17.
quibus Salomon in Prouerbiis consentire videtur, *Omni, inquiens, tempore diligit qui amicus est*; manifeste declarans amicitiam æternam esse, si vera est; si autem esse desierit, nec veram fuisse cum videretur existere. Ivo. Quid est igitur quod inter amicissimos graues ortas inimicitias legimus? Ael. De his suo loco vberius, si Deus voluerit,
nun. eum verũ fuisse Cam.
disputabimus; hæc volo interim credas, * nunquam fuisse amicum, qui lædere potuit eum, quem in amicitia semel
B
recepit: sed nec eum veræ amicitiæ gustasse delicias, qui vel læsus desiit diligere quem semel amauit, Omni enim tempore diligit qui amicus est; etsi arguatur, etsi lædatur, etsi tradatur flammis, etsi cruci affigatur, omni tempore diligit qui amicus est; & vt ait noster Hieronymus, Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit. Ivo. Cum tanta sit in amicitia vera perfectio, non est mirum quod tam rari fuerint hi, quos veros amicos antiquitas commendauit. Vix enim, vt ait Tullius, tria vel quatuor amicorum paria, in tot retro sæculis fama concelebrat. Quod si nostris, id est Christianis temporibus, tanta est raritas amicorum, frustra, vt mihi videtur, in huius virtutis inquisitione desudo, quam me adepturum, eius mirabili sublimitate territus, iam pæne despero. Ael. Magnarum rerum, vt ait quidam, etiam ipse conatus magnus est. Vnde virtuosæ mentis est sublimia semper & ardua meditari, vt vel adipiscatur optata, vel lucidius intelligat, & cognoscat optanda; cum non parum credendus sit profecisse, qui virtutis cognitione didicit, quam longe sit à virtute.
C
Quamuis de nullius virtutis acquisitione desperandum sit Christiano, cui quotidie ex Euangelio vox diuina re-
Matth.7.8.
sultat, *Petite & accipietis: & cætera.* Nec mirum si inter Ethnicos veræ virtutis rari fuerunt sectatores, qui virtutum, largitorem & Dominum nesciebant, de quo scriptum est,
Psal.23.10.
Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. In cuius profecto fide non dico tria vel quattuor, sed mille tibi proferam paria amicorum; qui, quod illi de Pilade & Oreste pro magno miraculo dicunt vel fingunt, parati erant pro inuicem
Act.4.32.
mori. Nonne, secundum Tullianam diffinitionem, veræ amicitiæ virtute pollebant de quibus scriptum est, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quomodo non inter eos rerum diuinarum & humanarum, cum charitate & beneuolentia fuit summa consensio, qui-
erat. cor. Cam.
bus * cor erat vnum & anima vna? Quot martyres pro fratribus animas posuerunt? quot non pepercerunt ex-
D
pensis, non laboribus, non ipsius corporis cruciatibus? Credo te multotiens, non sine lacrymis, legisse puellam illam Antiochenam, pulcherrima cuiusdam militis fraude ereptam lupanaribus, ipsum postmodum socium habuisse martyrii, quem custodem pudicitiæ inuenerat in
Desunt in Cam. vsq; ad *Annunciauit.*
lupanari. * Multa tibi huius rei proferrem exempla, nisi & prolixitas prohiberet, & silentium nobis ipsa copia indixisset. Annunciauit enim, Christus Iesus, & loquutus
Psal.39.6. Ioan.15.13.
est, & multiplicati sunt super numerum. *Maiorem* (inquit) *hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ivo. Ergone inter amicitiam & charitatem
arbitramur. Cam.
nihil distare * arbitrabimur? Ael. Imo plurimum. Multo enim plures gremio charitatis, quam amicitiæ amplexibus recipiendos, diuina sanxit auctoritas. Non enim
Matt.5.44.
amicos solum, sed & inimicos sinu dilectionis excipere, charitatis lege compellimur. Amicos autem illos solos dicimus, quibus cor nostrum, & quicquid in illo est committere non formidamus; illis vicissim nobis, eadem fidei lege & securitate, constrictis. Ivo. Quam multi sæculariter viuentes, & sibi in quibuslibet vitiis consentientes simili sibi fœdere copulantur. & præ cunctis mundi delitiis gratum, & dulce etiam talis amicitiæ vinculum expe-

riuntur? Non sit tibi molestum inter tot amicitias, illam quam Spiritalem, ad differentiam aliarum credimus nominandam, quæ illis quodammodo inuoluitur & obscuratur, & illam quærentibus & desiderantibus occurrunt & obstrepunt, ab earum vt ita dixerim communione secernere: vt illarum comparatione clariorem eam nobis, ac proinde optabiliorem faciens ad eius nos acquisitionem vehementius excites & accendas. Ael. Falso sibi præclarum amicitiæ nomen assumunt, inter quos est conuenientia vitiorum; quoniam qui non amat, amicus non est; non autem amat hominem, qui amat iniquitatem; qui enim diligit iniquitatem, non amat sed odit animam suam: qui vero suam non diligit animam, vtique alterius amare non poterit. Vnde colligitur, eos amicitiæ solo nomine gloriari, fallique eius similitudine, non veritate fulciri. Veruntamen cum in hac tali amicitia, quam vel libido commaculat, vel auaritia fœdat, vel incestat luxuria, tanta ac talis experiatur dulcedo; libet coniicere quantum habeat suauitatis illa, quæ quanto honestior est, tanto est & securior; quanto castior, tanto iucundior; quanto liberior, tanto & felicior. Patiamur tamen, vt propter quandam, quæ in affectibus sentitur, similitudinem, etiam illæ amicitiæ, quæ veræ non sunt, amicitiæ nuncupentur; dum tamen ab illa quæ spiritalis est, & ideo vera, certis indiciis distinguatur. Dicatur itaque amicitia alia Carnalis, alia Mundialis, alia Spiritalis. Et Carnalem quidem creat vitiorum consensus; Mundialem spes quæstus accendit; Spiritalem inter bonos, vitæ, morum, studiorumque similitudo conglutinat. Verum amicitiæ Carnalis exordium ab affectione procedit, quæ, instar meretricis, diuaricat pedes suos omni transeunti, sequens aures & oculos suos per varia fornicantes; per quorum aditus, vsque ad ipsam mentem pulchrorum corporum, vel rerum * voluptuarium infertur imago; quibus ad libitum frui, putat esse beatum; sed sine socio frui, minus æstimat esse iocundum. Tunc motu, nutu, verbis, obsequiis animus ab animo captiuatur, & accenditur vnus ab altero, & conflantur in vnum; vt inito fœdere miserabili, quicquid * sceleris, quicquid sacrilegii est, alter agat & patiatur pro altero, nihilque hac amicitia dulcius arbitrantur, nihil iudicant iustius, idem velle, & idem nolle, sibi existimantes amicitiæ legibus imperari. Hæc itaque amicitia nec deliberatione suscipitur, nec iudicio probatur, nec regitur ratione, sed secundum impetum affectionis per diuersa raptatur; non modum seruans, non honesta procurans, non commoda incommodaue prospiciens, sed ad omnia inconsiderate, indiscrete, leuiter immoderateque progrediens. Idcirco vel quasi quibusdam furijs agitata, à semet ipsa consumitur, vel eadem leuitate resoluitur, qua contrahitur. At amicitia Mundialis, quæ rerum vel bonorum temporalium cupidine parturitur, semper est plena fraudis atque fallaciæ; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; quippe quæ semper cum fortuna mutatur, & sequitur marsupium. Vnde scriptum est, *Est amicus secundum tempus, & non permanebit in die tribulationis.* Tolle spem quæstus & statim desinet esse amicus. Quam amicitiam * quidam versus ita eleganter derisit; Non est personæ sed prosperitatis amicus; Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat. Attamen huius amicitiæ viriosæ principium, quosdam plerumque ad quandam veræ amicitiæ prouehit portionem, eos scilicet, qui primum spe lucri communis fœdus ineuntes, dum sibi in iniquo mammona, fidem seruant in rebus duntaxat humanis, ad maximum perueniunt gratumque consensum. Attamen vera amicitia nullo modo dicenda est, quæ commodi temporalis causa suscipitur & seruatur. Amicitia enim spiritalis, quam veram dicimus, non vtilitatis cuiusque mundialis intuitu, non qualibet extra nascente causa, sed ex propria naturæ dignitate, & humani pectoris sensu desideratur, ita vt fructus eius præmiumq; non sit aliud quam ipsa. Vnde Dominus in euangelio, *Posui vos* (inquit) *vt eatis & fructum afferatis.* id est, vt inuicem diligatis. In ipsa namq; vera amicitia proficiẽdo, & fructus capit perfectionis illius dulcedinẽ sentiendo. Amicitia itaq; spiritalis, inter bonos vitæ, morum, studiorumque similitudine parturitur, quæ

est

Right margin notes: E; F; Triplex amicitia. Carnalis, Mundana, Spiritalis.; voluptuosarum. Ca.; G; quic. turpitudinis quicquid sec. Cam.; Eccli.6.8.; H; qui. eleganti versu ita. Cam.; Ioan.15.16.

A

est in rebus humanis atque diuinis, cum beneuolentia & charitate consensio. Quæ quidem diffinitio, ad amicitiam exprimendam, satis mihi videtur esse sufficiens, si tamen more nostro charitas nuncupetur, vt ab amicitia omne vitium excludatur; beneuolentia autem ipse sensus amandi, qui cum quadam dulcedine mouetur interius, exprimatur. Vbi talis est amicitia, ibi profecto est idem velle & idem nolle, tanto vtique dulcius quanto sincerius, tanto suauius quanto sacratius; vbi sic amantes nihil possunt velle, quod deceat, nihil, quod expediat, nolle. Hanc nempe amicitiam prudentia * dirigit, iustitia regit, fortitudo custodit, temperantia moderatur, de quibus suo loco disputabimus. Nunc autem si de eo, quod primum quærendum putasti, videlicet quid sit amicitia satis * datum existimas, edicito. Ivo. Sufficiunt plane ea, quæ dicta sunt, nec aliquid mihi suggeritur vltra quod quæram. Sed antequam ad alia transeamus, scire desidero, Vnde primum amicitia inter mortales orta est, natura an casu, an necessitate aliqua, vel certe præcepto, aut lege

diligit. *Cam.*

dictum. *Cam.*

B

humano generi imposita, in vsum venerit, vsus vero eam commendabilem fecerit. Ael. Amicitiæ, vt mihi videtur, primum ipsa natura humanis mentibus impressit affectum, deinde experientia auxit, postremo legis auctoritas ordinauit. Deus enim summe potens & summe bonus, sibi ipsi sufficiens bonum est, quoniam bonum suum, gaudium suum, gloria sua, beatitudo sua, ipse est; nec est aliquid extra ipsum quo egeat, non homo, non angelus, non cælum, non terra, nec aliquid quod in ipsis est. Cui omnis creatura proclamat, Deus meus es, quoniam bonorum meorum non eges. Nec tantum sibi sufficit ipse, sed & omnium rerum sufficientia ipse est, dans aliis esse, aliis & sentire, aliis insuper & sapere, ipse omnium existentium causa, omnium sentientium vita, omnium intelligentium sapientia. Ipse itaque summa natura omnes naturas instituit, omnia suis locis ordinauit, omnia suis temporibus discrete distribuit. Voluit autem, nam & ita ratio eius æterna præscripsit, vt omnes creaturas suas pax

Vnde orta sit amicitia.

C

componeret, & vniret societas; & ita omnia ab ipso, qui summe & pure vnus est, quoddam vnitatis vestigium sortirentur. Hinc est quod nullum genus rerum solitarium reliquit, sed ex multis quadam societate connexuit. Nam vt ab insensilibus ordiamur, quæ humus, vel quod flumen vnum vnius generis gignit lapidem? aut quæ silua vnam vnius generis arborem profert? Ita inter ipsa insensilia quasi amor quidam societatis elucet, cum nihil eorum solum sit, sed cum quadam sui generis societate & creetur, & persistat. Verum inter ipsa sensibilia quanta amicitiæ species, & societatis amorisque fulgeat imago, quis facile dixerit? Certe cum in cæteris omnibus irrationabilia deprehendantur, in hac tamen parte ita humanum animum imitantur, vt pœne ratione agi æstimentur. Ita se sequuntur, ita colludunt sibi, ita motibus simul & vocibus suum exprimunt & produnt affectum, tam auide & iucunde mutua societate fruuntur, vt nihil magis quam ea, quæ amicitiæ sunt, curare videantur. Sic etiam in An-

D

gelis diuina sapientia prouidit, vt nō vnus videlicet crearetur sed plures, inter quos grata societas, & amor suauissimus eandem voluntatem, eundem crearet affectum: ne cum alter superior, inferior alter videretur, locus pateret inuidiæ, si non obstetisset charitas amicitiæ, & ita solitudinem excluderet multitudo, iucunditatem augeret in pluribus charitatis communio. Postremo cum hominem condidisset, vt bonum societatis altius commendaret, *Non est bonum* (inquit) *hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*. Nec certe de simili, vel saltem de eadem materia hoc adiutorium diuina virtus formauit, sed ad expressius charitatis & amicitiæ incentiuum, de ipsius substantia masculi feminam procreauit. Pulchre autem de latere primi hominis secundus assumitur, vt natura doceret omnes æquales quasi collaterales, nec esset in rebus humanis superior vel inferior, quod est amicitiæ proprium. Ita natura mentibus humanis, ab ipso exordio amicitiæ & charitatis impressit affectum, quem interior mox sensus amandi, quodam gustu suauitatis adauxit. At post lapsum primi hominis, cum refrigescente charitate cupi-

Gen. 2.18.

E

ditas subintrasset, fecissetque bono communi priuata præponi, amicitiæ charitatisque splendorem auaritia inuidiaque corrupit, contentiones, æmulationes, odia, suspiciones corruptis hominum moribus inuehens. Tunc boni quique inter charitatem & amicitiam distinxerunt, animaduertentes quod etiam inimicis, atque peruersis sit impendenda dilectio, cum inter bonos & pessimos esse non possit voluntatum, vel consiliorum vlla communio. Amicitia itaque, quæ sicut charitas inter omnes primum & ab omnibus seruabatur, inter paucos bonos naturali lege resedit; qui videntes à multis sacra fidei & societatis iura violari, arctiori se dilectionis & amicitiæ fœdere constrinxerunt; inter mala, quæ videbant & sentiebant, in mutuæ charitatis gratia quiescentes. Verum his, in quibus omnem virtutis sensum obliterauit impietas, ratio, quæ in eis extingui non potuit, ipsum amicitiæ & societatis affectum * non reliquit; adeo vt sine sociis nec auaro diuitiæ, nec ambitioso gloria, nec voluptas placere posset luxurioso. Compacta sunt itaque etiam inter pessimos

aff reliquit *Cam.*

F

quædam societatis fœdera detestanda, quæ amicitiæ pulcherrimo nomine palliata, lege & præceptis à vera amicitia fuerant distinguenda, ne cum ista appeteretur, in illa propter quandam eius similitudinem incaute incideretur. Sic amicitiam quam natura instituit, quam roborauit vsus; legis auctoritas ordinauit. Manifestum proinde est amicitiam naturalem esse sicut virtutem, sicut sapientiam, & cætera, quæ propter se, quasi bona naturalia & appetenda sunt & seruanda: quibus omnis, qui ea habet, bene vtitur, quibus nullus prorsus abutitur. Ivo. Nonne, quæso te, sapientia multi abutuntur, qui ex ea hominibus placere cupiunt, vel in seipsis pro collata sibi sapientia superbiunt, vel certe hi, qui eam vænalem habent, & quæstum existimant pietatem. Ael. Hinc tibi satisfaciet noster Augustinus, cuius verba sunt hæc. Qui sibi placet, stulto homini placet, quia profecto stultus est, qui sibi placet. Qui vero stultus est, sapiens non est. Et qui sapiens non est, non habendo vtique sapientiam sapiens non est. Quomodo igitur sapientia male vtitur, qui sapientiam non habet? Sic & superba castitas virtus non est, quia superbia ipsa, quæ vitium est, eam quæ virtus putabatur, sibi conformem facit, & ideo iam non virtus sed vitium est. Ivo. Sed pace tua dico * non congruum mihi videtur quod amicitię sapientiam adiunxisti, cum inter illas nulla sit comparatio. Ael. Sæpe minora maioribus, bona melioribus, inferiora * fortioribus, etsi non coæquantur coniunguntur tamen, maxime in virtutibus, quæ licet à se graduum diuersitate discrepent, quadam sibi tamen similitudine vicinantur. Vicina enim est virginitati viduitas, viduitati coniugalis castitas; & quamuis inter has virtutes magna sit differentia, in eo tamen, quod virtutes sunt, nonnulla est conuenientia. Neque enim ideo pudicitia coniugalis virtus non est, quia præcellit continentia vidualis; quibus licet * sancta præferatur virginitas, earum tamen gratiam non obliterat. Quamuis si ea, quæ de amicitia dicta sunt, diligenter aduertas, inuenies eam sapientiæ sic vicinam vel insertam, vt pœne dixerim amicitiam nihil aliud est quam sapientiam. Ivo. Obstupesco fateor, nec facile id mihi persuaderi posse existimo. Ael. Excidit ne tibi dixisse scripturam. *Omni tempore diligit qui amicus est*? Ait etiam, sicut meministi, noster Hieronymus, Amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit. Amicitiam etiam nec subsistere quidem sine charitate, satis superque monstratum est. Cum igitur in amicitia & æternitas vigeat, & veritas luceat, & charitas dulcescat, vtrum nomen sapientiæ tribus his debeas abrogare, tu videris. Ivo. O quid est hoc? dicamne de amicitia quod amicus Iesu Ioannes de charitate commemorat. Deus amicitia est? Ael. Inusitatum quidem hoc, nec ex scripturis habet auctoritatem: quod tamen sequitur de charitate, amicitiæ profecto dare non dubito, quoniam, Qui manet in amicitia, in Deo manet, & Deus in eo. Quod cum de ipsius fructu vel vtilitate cœperimus disputare, manifestius * peruidebimus. Nunc si quid sit amicitia pro simplicitate ingenioli nostri satis diximus, cætera, quæ enucleanda proposuisti, alio tempori reseruemus. Ivo. Licet auiditati meæ nimis

G

non incongruum mi. vid. quod am citiam sapientiæ. *Cam.*

for. sancta sanctioribus etsi *Cam.*

pr. sa virg. *Cam.*

H

Prou. 17.17.

peruidebis *Cam.* nunc quid. *Cam.*

A ista sit molesta dilatio, ad hoc tamen non solum tempus cœnæ, cui deesse non permittimur, sed etiam multorum, quibus debitor * tu es, expectatio satis onerosa cõpellit.

deb. tui es. Cam.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

DE FRVCTV AMICITIÆ ET EXCELLENTIA EIVS.

LIBER SECVNDVS.



AELR. * Iam nunc frater accede, & quidnam causæ fuerit quod paulo ante, cum carnalibus illis carnalia compararem, solus sedebas modicum semotus à nobis, & nunc oculos huc illucque vertebas, nunc frontem confricabas manu, nunc capillos digitis contrectabas, nunc iram ipsa facie præferens, aliquid tibi præter votum accessisse, crebra vultus mutatione querebaris, B edicito. GALTERVS. Profecto ita est. Quis enim patienter sustineat tota die, nescio quos exactores Pharaonis tui habere copiam, nos autem, quibus specialiter debitor es, nec rarum tecum habere posse colloquium. AEL. Et illis quoque gerendus est mos, quorum vel optamus beneficia, vel maleficia formidamus. Quibus vel nunc tandem exclusis, tanto mihi gratior est solitudo, quanto molestior inquietudo præcessit. Nam optimum cibi condimentum fames est, nec mel aliaue species vinum sic sapidum reddit, vt sitis vehemens aquam. Quocirca erit tibi forte hæc nostra collatio, quasi cibus vel potius quidam spiritalis, eo iocundior, quo æstus præcessit ardentior. Age iam, & quod anxio pectore paulo ante parabas euoluere, in medium proferre non differas. GALTERVS. Faciam quidem, nam si velim de hora causari, quam isti nobis reliquere breuissimam, videbor ipse eam mihi facere breuiorem. Dic nunc rogo te, vtrum elapsum animo sit, an adhuc memoria teneas, quid inter* te quondam & tuum C Iuonem de amicitia * spiritali conuenerit; quas tibi ipse proposuerit quæstiones, quantum in earum enucleatione processeris, quid de his quoque stilo tradideris. AEL. Equidem charissimi mei recordatio, immo continuus amplexus & affectus, ita mihi semper recens est; vt licet humanis exemptus conditioni satis dederit, in meo tamen animo nunquam videatur obiisse. Ibi enim semper mecum est; ibi mihi religiosus eius vultus elucet; ibi mihi dulces eius arrident oculi; ibi eius iocunda mihi verba sic sapiunt, vt vel ego videar cum eo ad meliora transisse, vel ipse mecum adhuc in inferioribus conuersari. Scis autem quia plures præterierunt anni, ex quo schedula ipsa, cui de Spiritali amicitia eius interrogationes, measque responsiones impresseram, nobis elapsa est. GALT. Non me latent ista; sed vt verum fatear, hinc tota ista auiditas & impatientia tota descendit, quod schedulam ipsam ante hoc triduum repertam, & tibi traditam à quibusdam accepi. Ostende eam quæso puero tuo, non enim requiescit spiritus meus, donec conspectis omnibus, & quid illi disputationi desit aduertens, ea quæ mihi vel mens propria, vel inspiratio occulta suggesserit esse quærenda, ad tuæ Paternitatis examen proferam aut reprobanda, aut admittenda, aut exponenda. AEL. Geram tibi morem, sed solus volo legas quod scriptum est, nec efferatur in publicum, ne forte aliqua resecanda, addenda nonnulla, plurima vero corrigenda æstimauerim. GALT. Ecce adsum habens aures ad tua verba suspensas, tanto certe auidius, quanto id, quod de amicitia legi, dulcius sapuit. Quoniam igitur quid sit Amicitia legi magnifice disputatum, quid cultoribus suis pariat vtilitatis velim mihi insinues. Cum enim res tanta sit, vt certis rationibus visus es comprobasse, tunc primum vehementius appetitur, cum finis eius fructusque cognoscitur. AEL. Non id, pro tantæ rei dignitate, à me explicari posse præsumo, cum in rebus humanis nihil sanctius appetatur, nihil quæratur vtilius, nihil difficilius inueniatur, nihil experiatur dulcius, nihil fructuosius teneatur. Habet enim fructum vitæ præsentis, quæ nunc est, & futuræ. Ipsa enim omnes virtutes sua

Iam frater Cam.

te & Cam.

spiri. quondã conuc. Cam.

D

E condit suauitate, vitia sua virtute confodit, aduersa temperat, componit prospera; ita vt sine amico inter mortales nihil fere possit esse iocundum, homo bestiæ comparetur, non habens qui sibi collætetur in rebus secundis, in tristibus contristetur; cui euaporet si quid molestũ mens conceperit, cui communicet si quid præter solitum sublime, vel luminosum accesserit. *Væ soli, qui cum ceciderit non habet sublevantem se.* Solus omnino est, qui sine amico est. At quæ felicitas, quæ securitas, quæ iocunditas habere cũ quo æque audeas loqui vt tibi, cui confiteri non times si quid deliqueris, cui non erubescas reuelare, in spiritalibus si quid profeceris; cui cordis tui omnia secreta committas, & commendes consilia? Quid igitur iucundius, quam ita vnire animum animo, & vnum efficere de duobus, vt nulla iactantia timeatur, nulla formidetur suspicio, nec correptus alter ab altero doleat, nec laudantem alter alterum adulationis notet, vel arguat? *Amicus* (ait sapiens) *medicamentum vitæ est.* Præclare quidem id. Non enim validior, vel efficacior, vel præstantior est vulneribus nostris in omF nibus temporalibus medicina, quam habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans: vt secundum Apostolum iunctis humeris onera sua inuicem tollerent, nisi quod vnusquisque propriam leuius, quàm amici portat iniuriam. Amicitia ergo secundas res splendidiores facit, aduersas partiens communicansque leuiores. Optimum ergo vitæ medicamentum amicus. Nam vt Ethnicis etiam placuit, nõ aqua, non igne, pluribus locis vtimur quam amico. In omni actu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet euentu, in secreto & publico, in omni cõsultatione, domi forisque, vbique amicitia grata, amicus necessarius, vtilis gratia reperitur. Quocirca amici, vt ait Tullius, & absentes adsunt sibi, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod difficiliꝰ dictu est, mortui viuunt. Igitur amicitia diuitibus pro gloria; exulibus pro patria; pauperibus pro censu; ægrotis pro G medicina; mortuis pro vita; sanis pro gratia; imbecillibus pro virtute; robustis est pro præmio. Tantus enim amicos honor, memoria, laus, desideriumque prosequitur, vt & eorum vita laudabilis, & mors pretiosa iudicetur. Et quod his omnibus excellit, quidam gradus est amicitia vicinus perfectioni, quæ in Dei dilectione & cognitione consistit, vt homo, ex amico hominis, Dei efficiatur amicus, secundum illud Saluatoris in euangelio, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* GALT. Ita fateor tua me mouit oratio, ita in amicitiæ desiderium totum animi mei succendit appetitum, vt nec viuere me crediderim, quamdiu, huius tanti boni, tam multiplici fructu caruero. Sed hoc quod vltimum posuisti, quod me totum rapuit, & pæne abripuit à terrenis, plenius mihi enodari desidero; quod scilicet amicitia optimus ad perfectionem gradus existit. Et opportune satis hic nunc noster GRATIANVS intrauit, quem ipsius amicitiæ alumnum iure dixerim, cuius totum studium est amari & amare; ne forte amicitiæ nimium auidus, eiusque similitudine deceptus, falsam pro vera, fictam pro solida, pro spiritali carnalem recipiat. GRATIANVS. Ago gratias humanitati tuæ frater, quod non vocato, sed se impuH dentius ingerenti, nunc tandem ad spiritale conuiuiũ concedis accessum. Nam si me serio, non ludo alumnum amicitiæ appellandũ putasti, debueram in sermonis principio accersiri, nec auiditatem meam posita verecundia prodidissem. At tu Pater perge quo cœperas, & causa mei aliquid mensis appone, vt, si nõ satiari vt iste, (qui nescio quot ferculis deuoratis, nunc me quasi ad reliquias suas fastidiosus asciuit) saltem modicum valeam refocillari. AEL. Non verearis fili, quoniam tanta restant adhuc de amicitiæ bono dicenda, quæ si quislibet sapiens prosequeretur, nos nihil dixisse putares. Verum quomodo ad Dei dilectionem & cognitionem, gradus quidam sit amicitia, paucis aduerte. In amicitia quippe nihil inhonestum est, nihil fictũ, nihil simulatum, & quicquid est, id sanctum, & voluntarium, & verum est. Et hoc ipsum quoque charitatis proprium est. In hoc vero amicitia speciali prærogatiua prælucet, quod inter eos, qui sibi amicitiæ glutino copulantur, omnia iocunda, omnia secura, omnia dulcia, omnia suauia sequuntur. Ex charitatis igitur perfectione plerosque diligi-

Eccl. 4. 10.

Eccli. 6. 16.

Ioan. 15. 15.

Quod amicitia gradus sit ad dilectionem Dei.

A diligimus, qui nobis oneri sunt & dolori: quibus licet honeste, non ficte, non simulate, sed vere voluntarieq; consulimus, ad secreta tamen eos amicitiæ nostræ non admittimus. Quocirca in amicitia coniunguntur honestas & suauitas, veritas & iucunditas, dulcedo & voluntas, affectus & actus. Quæ omnia à Christo inchoantur, per Christum promouentur, in Christo perficiuntur. Non igitur videtur nimium grauis vel innaturalis ascensus, de Christo, amorem inspirante quo amicum diligimus, ad Christum, semetipsum amicum nobis præbentem, quem diligamus; vt suauitas suauitati, dulcedo dulcedini, affectus succedat affectui. Itaque amicus, in spiritu Christi adhærens amico, efficitur cum eo cor vnum, & anima vna, & sic per amoris gradus ad Christi conscendens amicitiam, vnus cum eo spiritus efficitur in osculo vno. Ad quod osculum anima quædam sancta suspirans, *Osculetur me* (inquit) *osculo oris sui*. Consideremus istius osculi carnalis proprietatem, vt de carnalibus ad spiritalia, de humanis ad diuina transeamus. Duobus alimentis vita hominis sustentatur, cibo & aere. Et sine cibo quidem aliquamdiu potest subsistere, at sine aere ne vna quidem hora. Itaque vt viuamus, ore haurimus aerem & remittimus. Et ipsum quidem quod emittitur vel recipitur, spiritus nomen obtinuit. Quocirca in osculo duo sibi spiritus obuiant, & miscentur sibi, & vniuntur: ex quibus quædam mentis suauitas *nascens, osculantium mouet & perstringit affectum. Est igitur Osculum Corporale, osculum Spiritale, osculum Intellectuale. Osculum Corporale impressione fit labiorum; osculum Spiritale coniunctione animorum; osculum Intellectuale per Dei spiritum, infusione gratiarum. Osculum proinde Corporale non nisi certis, & honestis causis aut * offerendum est, aut recipiendum: verbi gratia in signum reconciliationis, quando fiunt amici, qui prius fuerant inimici adinuicem. In signum pacis, sicut communicaturi in ecclesia, interiorem pacem exteriori osculo demonstrant. In signum dilectionis, sicut inter sponsum & sponsam fieri permittitur; vel sicut ab amicis, post diuturnam absentiam, & porrigitur & suscipitur. In signum catholicæ vnitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. Sed sicut plerique aqua, igni, ferro, cibo & aere quæ naturaliter bona sunt, in suæ crudelitatis vel voluptatis satellitium abutuntur; ita peruersi & turpes, etiam hoc bono, quod ad ea significanda quæ diximus, lex naturalis instituit, sua quodammodo flagitia condire nituntur: ipsum osculum turpitudine tanta fœdantes, vt sic osculari nihil sit aliud quam adulterari. Quod quam sit detestandum, quam abominandum, quam fugiendũ, quam aduersandum, quilibet honestus intelligit. Porro osculum Spiritale proprie amicorum est, qui sub vna amicitiæ lege tenentur, non enim fit oris attactu, sed mentis affectu: non coniunctione labiorum, sed commixtione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, & ex sui participatione cælestem immittente saporem, Hoc osculum non inconuenienter osculum dixerim Christi, quod ipse tamen porrigit non ore proprio sed alieno, illum sacratissimum amantibus inspirans affectum * vt illis videatur quasi vnam animam in diuersis esse corporibus: dicantque cum Propheta, *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*. Huic ergo osculo assuefacta mens, & à Christo totam hanc dulcedinem adesse non ambigens, quasi secum reputans & dicens, O si ipsemet accessisset, ad illud intellectuale suspirat, & cum maximo desiderio clamans, *Osculetur* * *me* (dicit) *osculo oris sui*: vt iam terrenis affectibus mitigatis, & omnibus, quæ de mundo sunt, cogitationibus desideriisque sopitis, in solius Christi *delectetur osculo, & * quiescat amplexu, exultans & dicens, *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* GRAT. Amicitia hæc, vt video, non est popularis, nec qualem eam somniare consueuimus. Nescio quid hic Galterus hactenus senserit; ego aliud nihil amicitiam esse credidi, quam inter duos tantam voluntatum identitatem, vt nihil velit vnus, quod alter nolit; sed tanta sit inter vtrosque in bonis malisque consensio, vt non spiritus, non census, non honor, nec quicquam, quod alterius sit, alteri denegetur ad fruendum pro voto, & abutendum.

[Margin: Cantic.1.1. — B — innascens. Cam. — De triplici Osculo Corporali, Spirituali & Intellectuali. — off. aut recip. est. Ca. — C — vt vid. illis. Cam. — D — Psal.132.1. — me ait osculo Cam. — delecter. Cam. — quiescam. Cam. — Cantic.2.6.]

E GALT. Longe aliud in priori dialogo memini me didicisse, * vbi ipsa diffinitio amicitiæ posita & exposita, merito ad eius fructum altius inspiciendum me vehementius animauit. De qua sufficienter instructi, certam nobis metam, quatenus debeat amicitia progredi, cum diuersorum diuersa sententia sit, petimus præfigi. Sunt namque quidam qui contra fidem, contra honestatem, contra commune bonum vel priuatum, fauendum putant amico. Quidam solam fidem detrahendam iudicant, cætera non cauenda. Alii pro amico contemnendam pecuniam, expuendos honores, maiorum inimicitias subeundas, exilium etiam censent non fugiendum; seipsum, in quibus non obsit patriæ, nec contra fas alium lædat, etiam in inhonestis & turpibus exponendum. Sunt & qui hanc metam in amicitia constituunt, vt vnusquisque, sicut erga seipsum, sic & afficiatur erga amicum. Quidam amico in omni beneficio vel obsequio vicem rependere, satis dare amicitiæ credunt. Mihi sane nulli horum esse *cedendum, hac nostra collatione satis persuasum est: vnde aliquam certam mihi in amicitia metam à te opto constitui, maxime propter hunc Gratianum, ne forte secundum nomen suum, ita velit esse gratiosus, vt incaute fiat vitiosus. GRAT. Haud ingrate hanc tuam pro me accipio sollicitudinem: nisi tamen sitis audiendi præpediret, forte iam nunc tibi redderem talionem. Sed quid potius ad tuas inquisitiones respondere velit, pariter audiamus. AEL. Certam in amicitia metam Christus ipse præfixit: *Maiorem* (inquiens) *hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ecce quousque rendi debet amor inter amicos, vt scilicet velint pro inuicem mori. Satisne vobis istud? GRAT. Cum maior esse non possit amicitia, cur non satis sit? GALT. Quid si pessimi quique vel Ethnici, in consensu facinorum & flagitiorum sic se diligant, vt velint pro inuicem mori, eos ne ad summam amicitiæ conscendisse fatebimur? AEL. Absit, cum inter pessimos amicitia esse non possit. GRAT. Describe nobis, quæso, inter quos vel oriri potest vel seruari. AEL. Breuiter dico: inter bonos oriri potest, inter meliores proficere, consummari autem inter perfectos. Quamdiu enim quemquam ex studio malum delectat, quamdiu ei voluptas gratior est puritate, temeritas moderatione, adulatio correptione; quomodo ad amicitiam vel aspirare eum fas est, cum ortus eius ex virtutis opinione procedit? Difficile igitur, imo impossibile tibi est vel initia eius degustare, si fontem, de quo oriri potest, nescieris. Fœdus est enim amor, nec amicitiæ nomine dignus, quo turpe aliquid exigitur ab amico; quod necesse est eum facere, qui, necdum vitiis aut sopitis aut depressis, ad quælibet illicita vel illicitur, vel impellitur. Vnde illorum detestanda sententia est, qui, contra fidem & honestatem, pro amico æstimant faciendum. Nulla enim excusatio peccati est, si amici causa peccaueris. Protoplastus Adam salubrius præsumptionis arguisset vxorem, quam, gerendo ei morem, vetitum vsurpasset. Multo etiam * melius serui Regis Saul fidem Domino seruauerunt, contra eius imperium manum sanguini subtrahentes, quam Doeg Idumæus, qui Regiæ crudelitatis minister, Domini sacerdotes sacrilegis manibus interfecit. Ionadab quoque amicus Amnon laudabilius amici prohibuisset incestum, quam, quo potiretur optato, consilium præbuisset. Sed nec amicos Absalon amicitiæ virtus excusat, qui, perduellioni præbentes assensum, contra patriam arma tulerunt. Et vt ad hæc nostra tempora veniamus, multo certe felicius Otto, Romanæ Cardinalis Ecclesiæ, ab amicissimo suo recessit Guidone, quã Ioannes suo adhæsit in tali schismate Octauiano. Cernitis igitur, nisi inter bonos amicitiã stare non posse. GRA. Quid igit nobis cũ amicitia qui boni non sumus? AEL. Ego bonũ non ita ad viuum reseco vt quidam, q nemine volunt esse bonum, nisi eum cui ad perfectione nihil desit. Nos hominẽ bonum dicimus, qui sc̃dm modum nostræ mortalitatis sobrie & iuste, & pie viuens in hoc sæculo, nihil à quolibet inhonestũ petere, nec rogat⁹ velit præstare. Inter tales pfecto amicitiã oriri, à talibus perfici posse nõ ambigimus. Nã q vel fidẽ, vel patriæ periculũ, vel alterius contra ius & fas læsionem excipientes, semetipsos amicorum exponunt libidini,

[Margin: ibi Cam. — F forte credendum. — Ioan.15.13. — Inter quos possit oriri amicitia & perfici. — G — me. illius serui. Cam. — 2.Reg.22.18 — 2.Reg.13.5. — H — 2.Reg.16.21 17.1.]

A

bidini, eos non tam stultos dixerim, quam insanos: qui parcentes aliis, sibimet non æstimant esse parcendum; & aliorum prouidentes honestati, suam infeliciter prodnnt. GALT. Fere in illorum cado sententiam, qui amicitiam dicunt esse cauendam, rem videlicet plenam sollicitudinis atque curarum, nec timoris vacuam, multis etiam obnoxiam doloribus. Nam cum vnicuique satis superque sit, sui curam gerere, incautum dicunt se sic aliis obligare, vt necesse sit eum multis implicari curis & affligi molestiis. Nihil præterea difficilius æstimant, quam amicitiam vsque ad diem vitæ extremum permanere, turpeque nimis sit, post initam amicitiam, tem in contrarium verti. Vnde tutius iudicant sic quemquam amare, vt possit odire cum velit; sic amicitiæ laxandas habenas, quas vel astringat, cum velit, vel remittat. GRAT. Frustra igitur tu in loquendo, nos in audiendo laborauimus, si tam facile ab amicitiæ tenuerimus appetitu, cuius nobis fructum tam sanctum, tam vtilem, tam acceptum Deo, perfectioni tam vicinum, tam multipliciter commendasti. Sit *illi ista sententia, cui placet sic amare hodie, vt cras oderit; sic amicus omnibus esse, vt nulli sit fidus; hodie laudans, cras vituperans; hodie blandiens, cras mordens, hodie paratus ad oscula, cras ad opprobria promptus; cuius amor vili pretio comparatur, leuissima recedit offensa. GALT. Felle putabam carere columbas: veruntamen hæc istorum sententia, quæ sic displicet Gratiano, qualiter refelli possit edicito. AEL. Pulchre de his Tullius. Solem (inquit) è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt, qua *nihil à Deo melius habemus, nil iucundius. Qualis sapientia amicitiam detestari, vt sollicitudinem caueas, curis careas, exuaris timore? quasi virtus vlla sine sollicitudine vel acquiri possit, vel seruari. Itane in re, sine tua magna sollicitudine, aut prudentia contra errores, aut temperantia contra libidines, aut iustitia contra malitiam, aut fortitudo contra ignauiam pugnat? Quis rogo hominum, maxime adolescentium, sine dolore maximo vel timore tueri pudicitiam, vel lasciuientem refrænate valet affectum? Stultus Paulus, qui noluit sine aliorum cura & sollicitudine viuere; sed intuitu charitatis, quam virtutem *maximam credidit, [a] infirmabatur cum infirmis, vrebatur cum scandalizatis. Sed [b] & tristitia illi magna erat, & continuus dolor cordi eius, pro fratribus suis secundum carnem. Deserenda igitur illi charitas erat, ne sub tot timoribus ac doloribus viueret, nunc quos [c] genuerat iterum parturiens, nunc [d] fouens vt nutrix, nunc [e] vt magister corripiens, nunc [f] timens ne sensus illorum à fide corrumperentur, nunc [g] cum multo dolore, multisque lacrymis ad pœnitentiam prouocans, nunc [h] eos, qui non egerunt pœnitentiam, lugens. Videtis quomodo virtutes auferre nituntur è mundo, qui comitem illarum sollicitudinem è medio tollere non formidant? Stulte Chusai Arachites amicitiam, quæ erat ei cum Dauid, tanta fide seruauit vt sollicitudinem securitati præferret, malletque amici participare doloribus, quam parricidæ gaudiis, honoribusque dissolui. Ego eos non tam homines quam bestias dixerim, qui sic dicunt esse viuendum, vt nulli consolationi sint, nulli etiam oneri vel dolori, qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua aliis peruersitate inferant, amare nullum, amari à nullo curantes. Absit enim vt eorum quemquam amare concesserim, qui amicitiam quæstum putant, tunc se solis labiis profitentes amicos, cum spes alicuius commodi temporalis arriserit, vel cum amicum cuiuslibet turpitudinis ministerium facere tentauerint. GALT. Cum igitur certum sit multos amicitiæ similitudine falli, expone quæso cuiusmodi amicitias cauere, quas appetere, colere & *seruare debeamus. AEL. Cum dictum sit eam, nisi inter bonos non posse subsistere, facile tibi est peruidere, nullam amicitiam quæ bonos dedeceat recipiendam. GRAT. Sed nos fortasse in hac discretione quid deceat, vel non deceat caligamus. AEL. Geram vobis morem, & quæ nobis occurrerint fugiendæ breuiter annotabo. Est amicitia puerilis, quam vagus & lasciuiens creat affectus, diuaricans pedes suos omni transeunti, sine ratione, sine pondere, siue mensura, siue alicuius commodi vel incommodi

B — illius. — à Deo nihil Cam. — C — max. esse cred. Cam. — a 2 Co. 11. 29 — b Rom. 9. 2. — c Gal. 4. 19. — d 1 Thess. 2. 7 — e Coloss. 1. 28 — f 2 Cor. 11. 3. — g 2 Cor. 2. 4. — h 2 Co. 12. 21 — 2. Re. 16 32. — D — conseruare Cam.

E

consideratione. Hæc ad tempus vehementer afficit, *stringit, blandius allicit. Sed affectus sine ratione motus bestialis est, ad quæque illicita pronus, imo inter licita & illicita discernere non valens. Licet autem plerumque amicitiam affectus præueniat, nunquam tamen sequendus, nisi eum & ratio ducat, & honestas temperet, & regat iustitia. Igitur hæc amicitia, quam diximus puerilem, eo quod in pueris magis regnet affectus, vt infida, & instabilis, & impuris mixta semper amoribus, ab his quos spiritalis amicitiæ dulcedo delectat, omnimodis caueatur; quam non tam amicitiam, quam amicitiæ dicimus esse venenū, cum in ea amoris nunquam modus possit seruari legitimus, qui est ab animo ad animum; sed honestam eius venam, ex carnis concupiscentia fumus quidam emergens, obnubilet & corrumpat, & neglecto spiritu, ad carnis desideria trahat. Eapropter primordia amicitiæ spiritalis, primum intentionis habeant puritatem, rationis magisterū, temperantiæ frænum; & sic suauissimus accedens affectus ita profecto sentietur dulcis, vt esse nunquam desinat ordinatus. Est & amicitia quam pessimorum similitudo morum conciliat, de qua dicere supersedeo, cum nec amicitiæ nomine digna, vt superius diximus, habeatur. Est præterea amicitia, quam consideratio alicuius vtilitatis accendit, quam multi ob hanc causam & appetendam & colendam, & conseruandam existimant. Quod si admittimus, quam multos omni amore dignissimos excludemus? qui cum nihil habeant, nihil possideant, profecto nihil commodi temporalis ab eis vel adipisci poterit quis, vel sperare. Si vero inter commoda duxeris consilium in dubiis, consolationem in aduersis, & cætera huiusmodi, hæc vtique ab amico expectanda sunt, sed sequi debent istam amicitiam, non præcedere. Necdum enim quid sit amicitia didicit, qui aliam *eius vult esse mercedem quam ipsam: quæ tunc plane merces erit colentibus eam, cum tota translata in Deum, in eius contemplatione sepelit quos vniuit. Nam cum multas & magnas vtilitates pariat amicitia fida bonorum, non illam tamen ab istis, sed ab illa istas procedere non ambigimus. *Neque enim à beneficiis, quibus Berzellai Galaadites Dauid parricidam filium fugientem & suscepit & fouit, & munerauit amicum, inter tantos viros partam credimus amicitiam, sed ab ipsa potius tantam gratiam processisse non dubitamus. Nam quod Rex viri illius prius eguerit, nemo qui cogitet. Verū quod ipse vir magnarum opum, nihil pro his mercedis à Rege sperauerit, hinc aduertere perspicuum est, quod omnes delitias diuitiasque ciuitatis pronius offerenti, nihil suscipere adquieuit, suis volens esse contentus. Sic & fœdus illud venerabile, quod inter Dauid & Ionatham non spes futuræ vtilitatis, sed virtutis contemplatio consecrauit, multum vtrisque nouimus contulisse; cum istius industria, vita sed alterius conseruata, illius beneficio, huius non sit posteritas delera. Cum igitur in bonis semper præcedat amicitia, sequatur vtilitas; profecto non tam vtilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat. Vtrum igitur de fructu amicitiæ satis dixerimus, vtrum etiam certas personas, inter quas & oriri, & seruari possit, & perfici, lucide dixerimus; vtrum præterea assentationes, quæ falso amicitiæ nomine pallientur, manifeste prodiderimus; vtrum quoque certas metas, quousque tendi debeat amor inter amicos, ostenderimus; vos iudicate. GRAT. Hoc vltimum non satis recordor enodatum. AEL. Recolitis vt credo eorum me refellisse sententiam, qui metas amicitiæ in flagitiorum & facinorum consensu constituunt; illorum quoque, qui vsque ad exilium progrediendum putant, &c. sine alterius læsione, quamlibet turpitudinem. Nihilominus & illorum, qui secundum speratæ vtilitatis modum, quantitatem amicitiæ metiuntur. Nam duas earum quas proposuit Galterus, nec mētione dignas existimaui. Quid enim ineptius esse potest, quam amicitiam hactenus extendi, vt in officiis vel obsequiis vicem rependat amico? cum omnia illis debeant esse communia, quibus nimirum esse debet & cor vnum, & anima vna. Quam turpe & illud, vt non aliter afficiatur quis erga amicum, quam erga seipsum? cum vnusquisque de se humilia, sublimia sentire debeat de amico. His igitur falsis amicitiæ finibus explosis,

arctius stringit. Cam. — F — vult eius. Cam. — G — 2. Reg. 17. 27 & 19. 31. — 1. Reg 20 11. — H

A finem amicitiæ ex verbis Domini proferendum putauimus, qui mortem ipsam pro amicis sanxit non esse fugiendam. Verum ne forte, si quilibet turpes sic affecti vellent pro inuicem mori, ad amicitiæ summam crederentur euecti, diximus inter quas personas oriri possit, & perfici amicitia; deinde illos, qui ob multas solicitudines & curas quas generat, cauendam eam existimant, ineptiæ credidimus arguendos. Postremo, quæ amicitiæ bonis omnibus sunt cauendæ, quam breuiter potuimus enodauimus. Patet proinde ex his omnibus certa, & vera spiritalis amicitiæ meta; nihil scilicet negandum amico, nihil pro amico non sustinendum, quod minus sit quam ipsa pretiosa corporis vita, quam ponendam pro amico diuina sanxit auctoritas.

Ioan. 15. 13.

Quocirca cum vita animæ corporis sit multo præstantior, hoc omnino negandum censemus amico, quod mortem inferat animæ, quod nihil aliud est quam peccatum, quod Deum separat ab anima, animam à vita. Verum in his, quæ vel exhibenda sunt amico, vel

B pro amico toleranda, quis seruandus sit modus, quæ cautio adhibenda, non est temporis huius euoluere. GRAT. Non parum mihi Galterum nostrum fateor contulisse, cuius interrogatione prouocatus, summam omnium, quę disputata sunt, breui comprehendens epilogo, quasi præ oculis in ipsa memoria depinxisti. Age iam precor, & in ipsis officiis amicorum quis seruandus sit modus, vel quæ cautio adhibenda, nobis expone. AEL. Et hæc, & alia quædam de amicitia restant dicenda; sed hora iam præteriit, & ad aliud negotium isti, qui modo venerunt, sua vt cernitis importunitate compellunt. GALT. Inuitus certe recedo, cras profecto cum se tempus obtulerit rediturus. Videat autem Gratianus vt præsto sit mane, ne ipse nos incuriæ, aut nos eum tarditatis arguamus.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

QVOMODO, ET INTER QVOS, POSSIT AMICITIA INDIRVPTA SERVARI.

C

LIBER TERTIVS.



AEL. Vnde & quo? GRAT.* Non latet aduentus mei causa. AEL. Num adest Galterus? GRAT. Videat ipse; certe tarditatis non potest arguere nos hodie. AEL. Vis ea quæ præposita sunt prosequamur? GRAT. Habeo ei fidem: Nam & præsentiam eius mihi reor necessariam, cui & sensus est acutior ad intelligendum, & lingua eruditior ad interrogandum, & memoria tenacior ad retinendum. AEL. Audisti Galtere? Amicitior tibi est Gratianus quam putabas. GALT. Quomodo mihi amicus non esset, qui nullius non est? Sed quia vtrique assumus promissi tui non immemores, otio huic non simus ingrati. AEL. Fons & origo amicitiæ amor est: nam amor sine amicitia esse potest, amicitia siue amore nunquam. Amor autem aut ex natura, aut ex officio, aut ex ratione sola, aut ex solo affectu, aut ex vtroque simul procedit.

nō te latet Cam.

D Ex natura, sicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati & accepti, quodam speciali affectu coniungimur. Ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex præcepti necessitate diligimus. Ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola, quæ corporis sunt, verbi gratia pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, sibi quorundam inclinat affectum. Ex ratione simul & affectu, quando is, quem ob virtutis meritum ratio suadet amandum, morum suauitate, & vitæ lautioris dulcedine, in alterius influit animum; & sic ratio iungitur affectui, vt amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu. Quis horum vobis amicitiæ videtur commodatior? GAL. Hic vltimus sane, quem & virtutis contemplatio format, & morum suauitas ornat. Sed vtrum omnes, quos sic diligimus, ad illud amicitiæ admittendi sint dulce secretum, scire desidero. AEL. Primo ponendum est solidum quoddam ipsius spiritalis amoris fundamentum, in quo eius sunt collocanda principia, vt sic recta quis linea ad eius altiora conscendens, ne fundamentum negligat vel exce-

Quod amicitiæ fundamentū amor Dei sit.

dat, maximam cautelam adhibeat. E Fundamentum illud Dei amor est, ad quem omnia, quæ vel amor suggerit vel affectus; omnia, quæ vel occulte aliquis spiritus, vel palam quislibet suadet amicus, referenda sunt: diligenterque inspiciendum, vt quicquid astruitur, fundamento conueniat, & quicquid illud excedere deprehenditur, ad eius formam reuocandum, & secundum eius qualitatem omnimodis corrigendum, non dubites. Nec omnes tamen, quos diligimus, in amicitiam sunt recipiendi, quia nec omnes ad hoc reperiuntur idonei. Nam cum amicus tui consors sit animi, cuius spiritui tuum coniungas & applices, & ita misceas, vt vnum fieri velis è duobus, cui te tanquam tibi alteri committas, cui nihil occultes, à quo nihil timeas: primum certe eligendus est qui ad hæc aptus putetur, deinde probandus, & sic demum admittendus. Stabilis enim debet esse amicitia, & quandam æternitatis speciem præferre, semper perseuerans in affectu. Et ideo non, puerili modo, amicos mutare vaga quadam debemus sententia.

F Quoniam enim nemo detestabilior, quam qui amicitiam læserit, nihilque magis animum torqueat, quam vel deseri ab amico vel impugnari; cum summo studio eligendus est, & cum maxima cautela probandus: admissus autem sic tolerandus, sic tractandus, sic sequendus, vt quamdiu à præmisso fundamento irreuocabiliter non recesserit, ille ita tuus, & tu illius sis tam in corporalibus, quam in spiritualibus, vt nulla sit animorum, affectionum, voluntatum, sententiarumque diuisio. Cernitis ergo quatuor gradus, quibus ad amicitiæ perfectionem * conscenderunt, quorum primus est Electio; secundus Probatio, tertius Admissio, quartus Rerum diuinarum & humanarum, cum quadam charitate & beneuolentia, summa consensio. GALT. Recordor te in prima illa tua disputatione, quam cum tuo habuisti, Iuone, diffinitionem hanc satis probasse; sed quia de multis amicitiarum generibus disputasti, vtrum omnes comprehendat, scire desidero. AEL.

conscenditur. Ca

G Cum vera amicitia nisi inter bonos esse non possit, qui nihil contra fidem, vel bonos mores velle possint aut facere, profecto non quamlibet, sed ipsam, quæ vera est, amicitiam diffinitio ista complectitur. GRAT. Quare non & illa, quæ ante hesternam collationem me plurimum delectabat, æque probanda est, idem * scilicet velle & idem nolle? AEL. Certe inter eos, quorum fuerint emendati mores, vita composita, ordinati affectus, nec istam arbitror repudiandam. GALT. Videat Gratianus vt tam in seipso, quam in eo quem diligit, ista præcedant, & sic idem velit & nolit cum ipso, nihil sibi volens concedi, nihil ipse præstare rogatus, quod iniustum, vel inhonestum, vel indecens sit. Sed de quatuor bis quæ præmisisti, quid sentiendum sit, à te expectamus doceri. AEL. Primum * igitur de ipsa electione tractemus. Sunt vitia quædam, quibus * si quis fuerit inuolutus, non diu amicitiæ leges vel iura seruabit. Huiusmodi ad amicitiam non facile eligendi sunt; sed si alias eorum vita moresque placuerint, agendum cum eis summopere est, vt sanati ad amicitiam habeantur idonei: videlicet iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi. Difficile quippe est eum, quem sæpe iracundiæ furor exagitat, non aliquando insurgere

sci. & velle & nolle. Cam.

De Electione amici.

quidē de. Cam.
quib. quilibet fu. Ca

H in amicum, sicut in Ecclesiastico scribitur. *Est amicus qui odium, & rixam & conuitia denudabit.* Vnde ait scriptura, *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne sumas scandalum animæ tuæ.* Et Salomon, *Ira* (inquit) *in sinu stulti requiescit.* At cum stulto diu seruare amicitiam, quis non credit impossibile? GALT. * Et nos te vidimus, si non fallimur, cum iracundissimo homine summa religione colere amicitiam, quem vsq; ad vitæ eius finem nunquam à te læsum, quanquam ipse te sæpe læsisset, audiuimus. AEL. Sunt quidam ex naturali conspersione iracundi, qui tamen ita hãc comprimere, & temperare soliti sunt passionem, vt in quinque, quibus, teste scriptura, amicitia dissoluitur atque corrumpitur, nunquam prosiliant; quãuis nonnunquam amicum inconsiderato sermone, vel actu, vel zelo minus discreto offendant. Tales si forte in amicitiam receperimus, patienter tolerandi sunt, & cum nobis constet de affectu certitudo, si quis fuerit vel sermonis, vel actionis excessus, amico id indulgendum,

Eccli. 6. 9.
Prou. 22. 24.
Eccle. 7. 10.
Forte. At

vel

A vel certe fine aliquo dolore, iucunde insuper, in quo excesserit, commonendum. GRAT. Ille tuus, quem præ omnibus nobis, vt multis videtur, tibi probas amicum, aliquid, quod tibi displicere nullatenus potuit ignorare, ante paucos dies, vt nos putabimus, ira præuentus & dixit & fecit, cui tamen nihil prioris gratiæ * imminutum nec credimus, nec videmus. Vnde non parum obstupuimus, quod cum tu,* vbi nos mutuo loquimur, nihil velis vel modicum præterire, quod veli ipse, ipse modicum quid, tui causa, non potuerit sustinere? GALT. Audacior me multo est iste. Nam & ego ista noui, sed tuum erga eum animum non ignorans, nihil tibi de his loqui præsumpsi. AEL. Homo certe ille mihi charissimus est, & semel à me receptus in amicitiam, à me nunquam poterit non amari. Vnde si forte in hac parte fortior illo fui, & vbi vtriusque voluntas non concurrebat in vnum, meam mihi facilius fuit, quam illi suam frangere voluntatem; vbi nulla interueniebat inhonestas, nec fides lædebatur, nec minuebatur virtus, cedendum amico fuit, vt & tolerarem in quo videbatur excessisse, & vbi pax eius periclitabatur, voluntatem eius meæ præferrem. GALT. Sed cum prior ille iam in fata concesserit, alter tibi licet nos non viderimus satisfecerit, illa nobis quinque, quibus amicitia sic læditur vt dissoluatur, velim nobis enucleès, vt eos, qui nullo modo eligendi sunt in amicos, cauere possimus. AEL. Audite non me sed scripturam * loquentem. *Qui conuiciatur amico dissoluit amicitiam. Ad amicum (inquit) etiamsi produxerit gladium non desperes, est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas.* Vide quid dicat. Si forte ita præuentus amicus eduxerit gladium, vel si verbum protulerit triste; si quasi non amans ad tempus tibi sese subtraxerit, si tuo suum aliquando prætulerit consilium, si à te in aliqua sententia vel disputatione dissenserit, non his amicitiam æstimes dissoluendam. Est enim ait *concordia ad amicum, excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterii reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Diligentius proinde hæc quinque consideremus, ne nos eis amicitiæ vinculis constringamus, quos ad hæc vitia vel iracundiæ furor, vel alia quælibet passio compellere consueuit. Conuitium quippe lædit famam, charitatem extinguit. Tanta enim est hominum malitia, vt quicquid, ira instigante, ab amico iaculatum fuerit in amicum, quasi à secretorum suorum prolatum conscio, si non credatur, verum tamen esse clametur. Multi enim sicut *propriis laudibus, ita in aliorum vituperationibus delectantur. Quid vero scelestius Improperio? quod etiam, falsa obiectione, innocentis faciem miserando rubore perfundit. At Superbia quid minus ferendum? quæ solum id, quo lactæ amicitiæ subueniendum foret, humilitatis & confessionis excludit remedium, reddens hominem audacem ad iniuriam, tumidum ad correctionem. Sequitur mysteriorum, id est secretorum Reuelatio, qua nihil est turpius, nihil execrabilius, nihil amoris, nihil suauitatis relinquens inter amicos; sed omnia replens amaritudine, & indignationis, & odii, atque doloris felle cuncta conspergens. Hinc scriptum est, *Qui denudat arcana amici perdit fidem.* Et paulo post. *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.* Quid enim infelicius illo, qui fidem perdit, & desperatione languescit? Vltimum illud; quo dissoluitur amicitia, Plaga dolosa est, quæ non est aliud quam occulta detractio. Plaga certe dolosa; plaga serpentis & aspidis mortifera. *Si mordeat serpens in silentio* ait Salomon *nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Quemcunque igitur in his vitium assiduum inuenetis, cauendus tibi est ille, nec donec sanetur, ad amicitiam eligendus. Abiuremus conuitia, quorum vltor est Deus. * Semei, fugientem à facie Absalon sanctum Dauid, conuitiis impetens,*inter hęreditaria verba, quæ* pater filio moriens delegauit, auctoritate Spiritus sancti decernitur occidendus. Improperium nihilominus caueamus. Infelix Nabal Carmelus, Dauid fetuitutem & fugam improperans, à Domino percuti meruit & occidi. Quod si forte contigerit, in aliquo nos legem amicitiæ præterire, vitemus superbiam, & amici gratiam humilitatis beneficio reperamus. Rex Dauid amicitiam, quam

im. credimus vel videmus. *Cam.*
vt. *Cam.*
B
dicerent. *Cam.*
Eccl. 22 25. *& seqq.*
regressus *Cam.*
Quinque sunt quæ amicitiam dissoluunt
C
Conuitiū
sic. in prop. *Cam.*
Improperium.
Superbia.
Reuelatio secretorū.
D
Eccl. 27.17. *&* 24.
Plaga dolosa.
Eccle. 10.11.
2. *Reg.* 16.5.
3. *Reg.* 2.8.9
filio pater *Cam.*
1. *Reg.* 25.10 *&* 36.
2. *Reg.* 10.2.

E Naas Regi filiorum Ammon exhibuerat, cum filio eius Hanon misericorditer obtulisset, ille superbus & ingratus amico, contumeliam adiecit contemptui: ob quam causam tam ipsum, quam populum eius & vrbes, gladius simul & ignis absumpsit. Super omnia autem, amicorum reuelare secreta sacrilegium arbitremur, quo fides amittitur, & animæ captiuatæ desperatio importatur. Hinc est quod impiissimus Architophel, patricidæ consentiens, cum ei partis consilium prodidisset, cernens suum, quod contra illud dederat, non manciparum effectui, dignum proditore finem, laqueo suspensus promeruit. Postremo detrahere amico venenum amicitiæ reputemus, quod Mariæ frontem lepra perfudit, & eiectam extra castra sex diebus, populi communione priuauit. Nec solum nimium iracundi, sed etiam instabiles; & suspiciosi in hac electione cauendi sunt. Cum enim * amicitiæ magnus fructus sit securitas, qua te credis & committis amico, quomodo in eius amore aliqua potest esse securitas, qui omni circumfertur vento, omni acquiescit consilio? Cuius affectus molli luto comparatus, diuersas & contrarias tota die, pro arbitrio imprimentis, suscipit & format imagines. Quid præterea magis competit amicitiæ, quam pax quædam ad inuicem & tranquillitas cordis, cuius semper expers est suspiciosus? Nunquam enim requiescit. Suspiciosum quippe semper curiositas comitatur, quæ continuos ei stimulos acuens, inquietudinis & perturbationis ei materias subministrat. Si enim viderit amicum secretius loquentem cum aliquo, proditionem putabit. Si se beneuolum alteri præbuerit vel iucundum, il'e se minus diligi proclamabit. Si eum corripuerit, odium interpretabitur. Si laudandum crediderit, irrisum se calumniabitur. *Vides* (inquit sapiens) *hominem promptulum ad loquendum, magis illo spem habet stultus.* Is igitur tibi eligendus est in amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas diuidat, non conterat suspitio, non verbositas à debita grauitate dissoluat. Præcipue vtile est vt eum eligas, qui tuis conueniat moribus, tuæ consonet qualitati. Inter dispares quippe mores (vt beatus ait Ambrosius) amicitia esse non potest: & ideo conuenire debet sibi vtriusque gratia. GALT. Vbi ergo talis inuenietur, qui nec iracundus sit, nec instabilis, nec suspiciosus? Nam verbosus quisquis est, latere profecto non potest. AEL. Licet non facile queat reperiri qui non his passionibus sæpius moueatur, multi certe sunt, qui his omnibus superiores inueniuntur, qui iracundiam patientia comprimāt, leuitatem seruata grauitate cohibeant, suspitiones dilectionis contemplatione propellant. Quos maxime in amicitiam quasi exercitatiores assumendos dixerim, qui vitia virtute vincentes tanto securius possidentur, quanto fortius etiam tentantibus vitiis resistere consueuerunt* GRAT. Ne quæso irascaris si loquar. Ille tuus, de *quo paulo ante fecimus mentionem, quem à te receptum in amicitiam non dubitamus, vtrum tibi iracundus videatur scire desidero. AEL. Est quidem; at in amicitia minime. GRAT. Quid est rogo te in amicitia non esse iracundum. AEL. Inter nos contractam amicitiam non * dubitatis. GRAT. Prorsus. AEL. Quando inter nos iras, rixas, dissensiones, æmulationes, vel contentiones ortas *audistis? GRAT. Nunquam; sed hoc non illius, sed tuæ patientiæ imputamus. AEL. Fallimini. Nullo modo enim iram, quam non refrænat affectus, cuiusquam patientia refrænabit; cum patientia * magis iracundum excitet in furorem, in hoc aliquid sibi vel modicum solatium præstari cupiens, si in iurgiis se illi aliquis parem exhibeat. Ille sane de quo nunc nobis sermo est, ita mihi amicitiæ iura conseruat, vt commotum aliquando, etiam iam prorumpentem in verba solo nutu cohibeam, & ea quæ displicent nunquam producat in publicum, sed ad euaporandum suæ mentis conceptum, semper expectet secretum. Quod si non ei amicitia sed natura præscriberet, nec ita virtuosum, nec ita laude dignum iudicarem. Si vero, vt assolet, *ab eius aliquando meus sensus dissentiat, ita alterutro nobis deferimus, vt aliquando ille meam suæ, plerumque ego suam meæ præferam voluntatem. GALT. Satis datum est Gratiano. Sed mihi velim enuclees, si forte quis

2. *Reg* 17.1. *&* 23.
Numer. 12. 10. *& seqq.*
enim amicitiæ, magnus sit fructus. *Cam.*
F
Prou. 29.20
G
Galt. *Cam.* quo Gratianus p... fecit. *Cam.*
H
dubitas. *Cam.*
audisti. *Ca*
iracundū magis excitet. *Cam*
aliquando ab eius. *Ca.*

A quis incautius in eorum inciderit amicitias, quos cauendos paulo ante dixisti, vel si qui eorum quos eligendos dixisti, aut in ea ipsa vitia, aut in alia forte deteriora corruerint, *qualis eis seruanda sit fides, qualis exhibenda gratia. AEL. Hæc, si fieri potest, in ipsa electione, vel etiam probatione cauenda sunt, ne videlicet nimis cito diligamus, maxime indignos. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis causa est cur diligantur. Attamen in his, qui probati dignique putantur, erumpent sæpe vitia tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundat infamia. Talibus amicis omnis diligentia adhibenda est vt sanentur. Quod si impossibile fuerit, non amicitiam rumpendam, vel *discutiendam arbitror, sed vt quidam eleganter ait, potius paulatim dissuendam; nisi forte quædam intolerabilis iniuria exarserit, vt neque rectum neque honestum sit, vt non statim alienatio vel disiunctio fiat. Si enim aliquid molitur amicus aut in patrem aut in patriam, quod subita & festinata egeat correctione, non amicitia læditur, si perduellis & inimicus prodatur. B Sunt alia vitia, pro quibus amicitiam non rumpendam, vt diximus, sed paulatim dissoluendam iudicamus; ita tamen vt non vsque ad inimicitias, ex quibus iurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur, erumpant. Turpe enim nimis est cum eo huiusmodi *gerere bellum, cum quo familiariter vixeris. Nam etsi his omnibus ab eo, quem in amicitiam receperas, impetaris, quibusdam quippe motis est, vt cum ipsi sic vixerint vt iam non mereantur amari, si forte eis aliquid euenerit aduersi, culpam retorqueant in amicum, læsam dicant amicitiam, & omne consilium, quod amicus dederit, suspectum habeant, & *proditi, cum eorum in palam culpa processerit, non habentes vltra quid faciant, in amicum odia & maledicta congeminent, detrahentes in angulis, in tenebris susurrantes, se mendaciter excusantes, & alios similiter accusantes. Si igitur his omnibus, post dimissam amicitiam, impetaris, quamdiu tolerabilia fuerint, ferenda sunt, & hic honos veteri amicitiæ tribuendus, vt in culpa sit qui faciat, non is qui patiatur iniuriam. Amicitia quippe æterna est, C vnde, *Omni tempore diligit qui amicus est.* Si te læserit ille, quem diligis, tu tamen dilige. Si talis fuerit vt *illi amicitia subtrahatur, nonnunquam tamen subtrahatur dilectio. Consule quantum potes saluti eius; prospice famę, nec vnquam amicitię eius prodas secreta, quamuis tua ipse prodiderit. GALT. Quæ sunt rogo illa vitia, pro quibus amicitiam paulatim dicis esse soluendam? AEL. Quinque illa quæ paulo ante descripsimus, maxime autem reuelatio secretorum, & occulti morsus detractionum. His sextum addimus, Si eos, qui tibi æque diligendi sunt, læserit, eisque, quorum tua interest prouidere saluti, ruinæ & scandali materiam, etiam correptus præbere non desierit, maxime vbi vitiorum te tangit infamia. Non enim amor præponderare debet religioni, non fidei, non charitati ciuium, non plebis saluti. Rex Assuerus superbissimum Aman, quem præ cæteris amicum habuerat, suspendit in cruce, amicitiæ, quam ille fraudulentis consilijs læserat, salutem multitudinis, & charitatem præponens vxoris. Iahel vxor Aber Cinei, licet pax fuerit inter Sisaram D & domum Aber, plebis tamen salutem huic amicitiæ pręferens, ipsum Sisaram clauo sopiuit & malleo. Sanctus propheta Dauid, cum de iure amicitiæ cognationi Ionathæ debuerat pepercisse, audiens tamen à Domino, propter Saul & domum eius, & sanguinem, quia occiderat Gabaonitas, populum fame tribus annis iugiter laborasse, septem viros de cognatione eius, Gabaonitis *dedit puniendos. Hoc autem nolo vos ignorare, inter perfectos quos sapienter electos, & caute probatos, vera & spiritalis amicitia *copulauit, non posse interuenire dissidium. Cum enim amicitia de duobus vnum fecerit, sicut id quod vnum est non potest diuidi, sic & amicitia à se non poterit separari. Patet igitur hanc amicitiam, quæ patitur sectionem, ex ea parte qua læditur, nunquam fuisse verā. *In hoc tamen amicitia probabilior, & magis virtus probatur quod nec in eo qui læditur, desinit esse quod fuit, diligens eum à quo non diligitur; honorans eum à quo spernitur; benedicens eum à quo maledicitur; benefaciens ei, qui sibi quod perniciosum est machinatur. GALT. Quomodo *ergo amicitia soluitur, si exclusо talia sunt exhibenda ab eo, à quo soluitur? AEL. Ad amicitiam quatuor specialiter pertinere videntur; Dilectio & Affectio; Securitas & Iucunditas. Ad Dilectionem spectat, cum beneuolentia beneficiorum exhibitio: ad Affectionem, interior quædam procedens delectatio: ad Securitatem, sine timore vel suspitione, omnium secretorum & consiliorum reuelatio; ad Iucunditatem, de omnibus, quæ contingunt, siue læta sint siue tristitia; de omnibus, quæ cogitantur, siue nociua sint siue vtilia; de omnibus, quæ docentur vel discuntur, quædam dulcis & amica collatio. Videsne in quibus ab his, qui merentur, soluenda est amicitia? Subtrahitur certe illa interior delectatio, quam ex amici pectore iugiter hauriebat; perit securitas, qua sua illi arcana reuelabat; seponitur iucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas proinde illa, in qua talia continentur, ei neganda est, non subtrahenda dilectio, & hoc cum quadam moderatione & reuerentia, vt si non nimius fuerit horror, semper antiquæ amicitiæ quædam videantur remansisse vestigia. *GRAT. Mihi certe *placent ista quæ dicis. AEL. Iam, de electione si sufficiunt ista quæ diximus, insinuate. GALT. Vellem vt eorum, quæ dicta sunt, summa sub breui nobis epilogo traderetur. AEL. Geram vobis morem. Amorem amicitiæ diximus esse principium. Nec qualemcunque, sed qui de ratione simul & affectu procedit. Qui quidem & castus est ex ratione, & affectu dulcis. Deinde amicitiæ ponendum diximus fundamentum, Dei scilicet dilectionem, ad quam omnia, quæ suggeruntur, referenda sunt, & vtrum ei conueniant, vel ab ea diffideant explorandum. Quatuor subinde gradus in amicitia, quibus ad eius summam peruenitur, custodiendos putauimus, cum amicus primum sit eligendus, deinde probandus, tunc demum admittendus, & sic postea vt decet tractandus. Et de electione tractantes, iracundos, instabiles, suspitiosos atque verbosos exclusimus, non *omnes tamen sed eos dumtaxat qui has passiones nec ordinare, nec moderari possunt, aut nolunt, Nam multi his perturbationibus sic tanguntur, vt non solum eorum in nullo lædatur perfectio, sed etiam virtus in eorum moderatione laudabilius augeatur. Nam qui velut infrænes, his passionibus acti semper feruntur in pręceps, in ea vitia ineuitabiliter dilabuntur & corruunt, quibus amicitia, teste scriptura, & læditur & dissoluitur: conuitia scilicet, & improperium, & secretorum reuelatio, superbia, & plaga dolosa. Si tamen hæc omnia patiatis ab illo, quem semel in amicitiam suscepisti, non statim eam rumpendam dicimus, sed paulatim soluendam, talisque seruetur antiquæ *amicitiæ reuerentia, vt licet ipsum à secretis tuis amoueas, nunquam tamen ei dilectionem subtrahas, auxilium tollas, neges consilium. Quod si etiam ad blasphemias & maledicta eius prorumpat insania, tu tamen defer fœderi, defer charitati, vt in culpa sit qui intulit, non ille qui pertulit iniuriam. Porro si patri, si patriæ, si ciuibus, si subditis, si amicis inuentus fuerit perniciosus, statim familiaritatis rumpendum est vinculum, nec vnius amor perditioni multitudinis præferatur. Hæc ne prouenian, in ipsa electione cauendum, vt videlicet is eligatur, quem non ad ista furor impellat, aut leuitas trahat, aut verbositas præcipitet, aut abducat suspitio, maxime, qui non nimium à tuis dissentiat moribus, nec à qualitate discordet. Quia vero de vera amicitia loquimur, quæ non potest esse nisi inter bonos, de illis, de quibus quod non sint eligendi nulla potest esse cunctatio, vt turpes, auari, ambitiosi, criminosi, nullam fecimus mentionem. Si vobis de electione satis datum est, ad probationem deinceps transeamus. GALT. Opportunum hoc; nam mihi semper ad ostium oculus est, ne forte quis irrumpat, qui vel nostris delitijs finē ponat, vel quid amaritudinis misceat, vel aliquid superducat inane. GRAT. Cellararius adest, cui si concedatur ingressus, non erit tibi facultas vlterius procedendi. Sed ecce ego obseruo ianuam, tu pater perge quo cæperas. AEL. Quatuor quædam probanda sunt in amico, Fides, Intentio, Discretio, Patientia: Fides, vt ei te tuaq; omnia secure committas; Intentio,

Marginalia: qualis sit eis seruāda *Cam.* — discindendam *Cam.* — bellum gerere. *Cam.* — cum proditi eorum *Cam.* — *Prou* 17. 17. — ci. *Cam.* — *Esther.* 7. 9. — *Iudic.* 4. 21. — 2. *Reg.* 21. 7. — tradidit *Cam.* — copulauerit. *Cam.* — verā, quia amicitia quæ desinere potest nunquam — E vera fuit. In *Cam.* igitur. *Ca.* — F Galter. *Ca.* perplacēt. *Cam.* — tamen omnes. *Cam.* — G — antiq. amicitiæ seruetur reuerentia *Cam.* — H — De probatione amici. Fides. Intentio. Discretio.

A

vt nihil ex amicitia nisi Deum, & naturale eius bonum * expectes; Discretio, vt quid præstandum amico, quid ab amico petendum, in quibus contristandum pro amico, in quibus amico congratulandum, & quoniam amicũ nonnunquam corripiendum credimus, pro quibus id causis * debeat fieri, modum etiam ipsum, tempus quoque & locum non ignoret; Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem vel contemnat, vel odiat, vt eum pro amico quælibet aduersa sustinere non pigeat. Nihil in amicitia Fide præstantius, quę ipsius & nutrix videtur & custos. Ipsa se in omnibus aduersis & prosperis, in lætis & tristibus, in iucundis & amaris præbet æqualem, eodem intuens oculo humilem & sublimem, pauperem & diuitem, fortem & debilem, sanum & ægrotum. Fidelis quippe amicus nihil in amico, quod extra animum eius sit, intuetur, virtutem in propria sua sede complectens; cætera omnia, quasi extra eum posita, nec multum probans si adsint, nec si absint requirens. Ipsa tamen fides in prosperis quidem latet, sed eminet in aduersis. In necessitate * enim (vt ait quidam) probatur amicus. Amici diuitis multi. Sed vtrum vere amici sint, interueniens paupertas explorat, *Omni tempore* (ait Salomon) *diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Et alias arguens infidelem; *Dens putridus* (inquit) *& pes lapsus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* GRAT. Si prospera nostra nulla vnquam aduersitas interpolet, quomodo amici probabitur fides? AEL. Multa sunt alia quibus fides probatur amici, quamuis in sinistris maxime. Nam vt superius diximus, nihil est * quod amicitiam magis lædit, quam consiliorum proditio. Euangelica vero sententia est, Qui in modico fidelis est, & in multo fidelis erit. Amicis itaque, quibus adhuc probationem credimus necessariam, non omnia, nec profunda nostra sunt committenda secreta, sed primo exteriora vel modica, de quibus non magnopere curandum est an celentur an nudentur, cum tanta tamen cautione, ac si plurimum obessent prodita, prodessent autem celata. In quibus si fidelis fuerit inuentus, in maioribus experiendum non dubites. Quod si forte sinistrum aliquid de te fama vulgauerit, si * quisquam malitia famam tuam fuerit persecutus, & ille nullius ad credendum adducatur suggestione, nulla moueatur suspicione, nulla dubitatione turbetur, de eius fide vlterius nulla tibi debet esse cunctatio, sed quasi de certa & stabili, non parua exultatio. GRAT. Recordor nunc tui illius amici transmarini, de quo nobis fecisti sæpe mentionem, quem ob hoc verissimum tibi ac fidelissimum probasti amicũ, quod falsę de te referentibus, non solum non adhibuerit fidem, sed nec vlla sit hæsitatione pulsatus: quod nec de tuo amicissimo, antiquo scilicet Clareuallis Sacrista, præsumendum putasti. Sed quoniam de probatione fidei satis actum est, ad cætera enucleanda procede. AEL. Diximus & intentionem esse probandam. Pernecessarium hoc: sunt enim plerique, qui in rebus humanis nihil bonum norunt, nisi quod temporaliter fructuosum sit. Hi sic amicos sicut boues suos diligunt, ex quibus aliquid commodi se sperant capturos; qui profecto germana & spirituali carent amicitia, * per se, & propter Deum & se expetenda, nec in seipsis naturale amoris contuentur exemplar, vbi facile deprehendatur vis eius, & qualis sit, & quanta sit. Ipse Dominus ac Saluator noster veræ nobis amicitiæ formam præscripsit, *Diliges* (inquiens) *proximum tuum sicut teipsum.* En speculum. Diligis teipsum. Ita plane, si Deum diligis; si nempe talis es, qualem in amicitiam eligendum descripsimus. Aliquam, rogo, à te ipso, huius tuæ dilectionis mercedem iudicas exigendam? Minime profecto, sed quod per se sibi quisque charus est. Nisi igitur & tu hunc ipsum in alium transferas affectum, * charus ille tibi, æque vt tu, esse non poterit. Tunc enim erit ipse, quem diligis, tanquam alter tu, si tuam tui in ipsum transfuderis charitatem. Non enim, vt ait Sanctus Ambrosius, vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratia. Virtus est enim non quæstus, quia pecunia non parturitur sed gratia, nec licitatione pretiorum, sed concertatione beneuolentiæ. Eius igitur, quem elegisti, subtiliter est probanda intentio, ne secundũ spem commodi cuiuslibet tibi velit in amicitia copulari, mercenariam eam ęstimans non gratuitam.

expectet. Cam.

fieri debeat. Cam.

Patientia.

De fide.

deest enim Cam.

B

Prou. 17. 17.

Prou. 25 19.

quo amicitia ma. læditur. Ca.

C

cuiusquã m.f.f. persecuta. Ca.

De intentione.

propter. Cam.

D

Mat. 22. 39.

aff. gratis amicũ diligens eo q per se charus tibi videatur amicus, qd vera sapiat amicitia sentire ab poteris. Tunc. Ca.

E

Certiores aũt plerumq; sunt amicitiæ inopum quam diuitum, cum spem lucri sic tollat paupertas, vt amicitiæ non minuat, sed potius augeat charitatẽ. Diuitibus itaq; assentatorie gratificatur; erga pauperem nemo simulator est. Verum est quicquid defertur pauperi, cuius amicitia inuidia vacat. Hæc diximus, vt in amicis mores probemus, non æstimemus censum. Sic ergo probatur intentio, si eũ videris tuorum magis cupidum, quam tui. Aucupari semper aliquid, quod tua sibi conferri possit industria, honorẽ, gloriam, diuitias, libertatem, in quibus omnibus si dignior illo præferatur, vel certe in tua non sit potestate quod appetitur, qua tibi intentione adhæserit facile peruidebis. Iam nunc de discretione videamus. Quidam peruerse satis, ne dicam impudenter, talẽ amicũ habere volunt, quales ipsi esse non possunt. Hi sunt, qui leues quoq; amicorum transgressiones impatienter ferunt, austere corripiunt, & carentes discretione magna negligunt, contra minima quæq; se erigunt, confundunt oĩa, non locũ seruantes vbi, non tempus quando, non personas quibus quælibet vel publicare conueniat, vel celare. Quocirca illius, quẽ eligis, est probanda discretio, ne si improuidũ quemq̃ vel imprudentẽ tibi in amicitia sociaueris, lites quotidianas & iurgia tibi ipse pquiras. Sane hanc in amicitia necessariam esse virtutẽ satis * facile est puidere, qua si quis caruerit, instar nauis absq; gubernaculo, pimpetu spiritus, instabili & irrationabili semper motu ferẽ. Sic & multæ causæ deesse nõ poterunt, quib. illius quem cupis esse amicum probetur patientia, cum necesse sit * arguere enm quem diligis, ꝙ aliquando quasi ex industria durius fieri oportet, vt sic eius vel pbetur, vel exerceatur tolerantia. Id sane attendendũ est, vt licet talia reperiantur in eo quẽ probas, quæ offendant animum, vel alicuius secreti incauta reuelatione, vel alicuius temporalis cõmodi cupiditate, vel minus discreta correptione, vel aliqua debitæ lenitatis transgressione, nõ statim à proposita dilectione vel electione resilias, quamdiu correctionis eius spes vlla relucet. Nec quemq̃ in amicis eligendis, vel pbandis tædeat esse sollicitum, cum huius laboris fructus vitę sit medicamentũ, & immortalitatis solidissimum fundamentũ. Cum n. plurimi in thesauris multiplicandis, in bobus & asinis, in ouibus & capris nutriendis, eligendis, cõparandis satis periti * sint, indiciaq; certa in his omnib. cognoscendis non desint, dementiæ res est, eandem in amicis acquirendis, vel probandis non dare operam, & quasdam addiscere notas, quib. hi, quos eligim⁹ in amicos, ad amicitiã pbentur idonei. Cauendus sane est quidam impetus amoris, qui præcurrit iudicium, & probandi adimit potestatem. Est proinde viri prudentis sustinere, hunc refrænare impetum, ponere modum beneuolentię, paulatim procedere in affectum, donec iam probato se totũ dedat, & cõmittat amico GAL. Fateor adhuc me mouet illorũ sententia, q sine huiusmodi amicis viuere tutius arbitranẽ. AEL. Mirũ hoc, cum sine amicis nulla prsus vita iucunda sit. GALT. Cur rogo te? AEL. Ponamus totum genus humanũ exemptum mundo, te solum superstitẽ reliquisse. Et ecce coram te oẽs mundi delitiæ & diuitiæ, aurum, argentum, lapides pretiosi, vrbes muratæ, castra turrita, ampla ædificia, sculpturæ, picturæ. Sed & teformatum te in antiquũ cogita statũ, omnia habere subiecta, oues & boues vniuersas, insup & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, q perambulant semitas maris Dic rogo nunc, vtrũ sine socio omnia tibi hæc possent esse iucunda? GALT. Minime. AEL. Quod si vnũ haberes cuius nescires linguã, ignorares mores, cui⁹ te lateret & amor & animus? GALT. Si nõ aliquib. signis efficere posse vt esset amic⁹, mallem nullum q̃ talẽ habere. AEL. Si aũt vnus adesset, quẽ æq; vt teipsum diligeres, à quo te similiter diligi nõ dubitares, nonne oĩa, q prius videbanẽ amara, dulcia redderentur & sapida? GAL. Prorſ⁹ ita est, AEL. Nonne quanto plures haberes de talibus, tanto feliciorẽ te indicares? GALT. Verissime. AEL. Hæc est illa mira & magna felicitas q̃ expectamus, Deo ipso operante, & diffundente inter se & creaturã suam, q̃ sustulerit, inter ipsos grad⁹ & ordines, quos distinxerit, inter singulos quosq;, quos elegerit, tantã amicitiam & charitatẽ, vt sic quisq; diligat aliũ sicut seipsum; ac p hoc sicut vnusquisq; de propria, sic & de alterius felicitate lætetur, & ita singu-

De discretione.

F

fa. probatũ est. Cam.

De patientia.

cum arguere. Cam.

G

secretaque. i.h.o.c.n.d. indicia. Cam.

H

A singulorum beatitudo omnium sit, & omnium beatitudinum vniuersitas singulorum. Ibi nulla cogitationum occultatio, nulla affectionum dissimulatio. Hæc est vera & æterna amicitia, quæ hic inchoatur, ibi perficitur? quæ hic paucorum est, vbi pauci boni? ibi omnium, vbi omnes boni. Hic necessaria probatio, vbi est sapientum & stultorum permixtio? ibi probatione nō egent, quos beatificat angelica illa, & quodammodo diuina perfectio. Ad hanc proinde similitudinem comparemus amicos, quos non secus ac nosipsos diligamus, quorum nobis nuda sint omnia, quibus omnia nostra pandamus secreta, qui firmi sint, & stabiles, & constantes in omnibus. Putasne quemquam mortalium esse, qui non velit amari? GALT. Non æstimo. AEL. Si quem videris inter multos viuere, & omnes habere suspectos, quasi insidiatores capitis sui timere omnes, nullum diligere, nec se diligi à quo quam putare, non eum miserrimum iudicares? GALT. Miserrimum plane. AEL. Ergo ipsum felicissimum non
B negabis, qui in eorum, inter quos viuit, visceribus requiescit, amans omnes & amatus ab omnibus, quem ab hac suauissima trāquillitate nec suspicio diuidat, nec timor excutiat. GALT. Optime ac verissime. AEL. Quod si forte de omnibus difficile inuentu sit in præsenti, cum id nobis in futurum seruetur, quando plures* nobis abundant huiusmodi, tanto nobis feliciores æstimabimus. Nudiustertius cum claustra monasterij circuirem, consedente fratrum amantissima corona, & quasi inter paradysiacas amœnitates singularum arborum folia, flores, fructusque mirarer? nullum inueniens in illa multitudine quem non diligerem, & à quo me diligi non confiderem, tanto gaudio perfusus sum, vt omnes mundi huius delitias superaret. Sentiebam quippe meum spiritum transfusum in omnibus, & in me omnium transmigrasse affectum, vt dicerem cum Propheta *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum!* GRAT. Num omnes illos quos sic diligis, & a quibus sic diligeris, te in amicitiam assumpsisse putabimus? AEL. Plerosque omni affectu com-
C plectimur, quos tamē ad amicitiæ secreta non admittimus? quæ maxime in oīm secretorum & consiliorum nostrorū reuelatione consistit: vnde Dominus in euangelio, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos?* causamq; subiungens, qua amici nomine digni haberentur, *Quia omnia* (inquit) *quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* Et alias, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. De his verbis* (vt sanctus ait* Ambrosius) *dedit formam amicitiæ quam sequamur, vt faciamus amici voluntatem, vt aperiamus secreta nostra amico quæcunque in pectore habemus, & illius* arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis aperiat suum. Nihil enim occultat amicus. Si verus est, effundit animum suum, sicut effundebat mysteria patris Dominus IESVS.* Hæc Ambrosius. Quam multos ergo diligimus, quibus minus cautum est sic nostrum propalare animum, & effundere viscera? quorum vel ætas, vel sensus, siue discretio ad talia sustinenda non sufficit. GALT. Hæc amicitia tam sublimis & perfecta est, vt ad eam aspirare non audeam. Mihi & huic Gratiano illa sufficit, quam tuus Augustinus describit, colloqui scilicet &
D corridere, & vicissim beneuole obsequi, simul legere, simul conferre, simul nugari, & simul honestari, dissentire interdū sine odio, tanquam homo sibi, atq; ipsa rarissima dissensione cōdire consensiones plurimas, docere aliquid inuicem, aut discere ab inuicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere aduenientes cum lætitia. His atque huiusmodi, a corde amantium & redamantium procedentibus signis per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, & ex pluribus vnum facere. Hoc est quod nos diligendum credimus in amicis, ita vt rea sibi nostra videatur conscientia, si non amauerimus redamantem, aut si amantem non redamauerimus. AEL. Amicitia hæc carnalium est, & maxime adolescentium, quales aliquando fuerant ipse, & suus, de quo tunc loquebatur, amicus: quæ tamen exceptis nugis & mendacijs, si nulla intercesserit inhonestas, spe vbertioris gratiæ toleranda est, quasi quædam amicitiæ sanctioris principia? quibus, crescente religione & spiritualium studiorum parilitate, accedente etiam

abundant nobis huiusmodi. *Cam.*

Psal. 132. 1.

Ioan. 15. 15.

Ioan. 15. 14.

ait sanctus *Cam.*

Ambros. l. 3. *de offic. c.* 22.

secreta. *Cam.*

Lib. 4 *med. cap.* 8.

E maturioris ætatis grauitate, & spiritualium sensuum illuminatione, purgatiori affectu ad altiora, quasi è vicino conscendant; sicut hesterna die ab hominis ad Dei ipsius amicitiam, ob quandam similitudinem diximus facilius transeundum Sed iam tempus est, vt, quemadmodum amicitia sit colenda, deinceps videamus. Firmamentum igitur stabilitatis, & constantiæ in amicitia fides est; nihil est enim stabile quod infidum est. Simplices quippe, & communes, & consentientes, & qui iisdem rebus moueantur, esse debent amici ad inuicem: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Non enim fidum potest esse multiplex ingenium, & tortuosum. Neque vero hi, qui non iisdem rebus mouentur, nec eisdem consentiunt, stabiles esse possunt aut fidi. Præ omnibus autem cauenda suspicio, est amicitiæ venenum, vt nunquam male de amico sentiamus, nec mala dicenti credamus vel consentiamus. Accedat huc in sermone iucunditas, hilaritas in vultu, suauitas in moribus, in oculorum etiam nutu serenitas, in quibus haudquaquam mediocre in amicitia condimen-
F tum. Tristitia namque & seuerior facies, habet quidem honestam plerumque grauitatem, sed amicitia quasi remissior aliquando debet esse, & liberior, & dulcior, ad comitatem * felicitatemque, sine leuitate & dissolutione procliuior. Est præterea ius amicitiæ, parem esse inferiori superiorem. Sæpe enim quidam inferioris gradus vel ordinis, vel dignitatis, vel scientiæ, ab excellentioribus in amicitiam assumuntur, quos oportet omnia, quæ extra naturam sunt, contemnere & æstimare quasi nihilum & inane: & in pulchritudinem amicitiæ, quæ non sericis vel gemmis ornatur, non possessionibus dilatatur, non pinguescit delitiis, nec abundat diuitiis, non honoribus extollitur, non dignitatibus inflatur, semper attendere: & sic ad originis recurrentes principium, æqualitatem quam natura dedit, non * autem circumpendentia, quæ mortalibus cupiditas præstitit, subtili examinatione considerare. Itaque in amicitia, quæ naturæ simul & gratiæ optimum donum * est, sublimis descendat, humilis ascendat, diues egeat, pauper ditescat, & ita vnusquisque alteri su-
G am conditionem communicet, vt fiat æqualitas sicut scriptum est, *Qui multum non abundauit, & qui modicum non minorauit.* Nunquam ergo tuo te præferas amico, sed si forte in his quæ diximus superior inueneris, tunc te magis amico submittere non cuncteris, præstare confidentiam, extollere verecundum; & tanto plus ei conferre honoris, quanto minus conferendum vel conditio, vel paupertas præscribit. Præstantissimus iuuenum Ionathas non Regium stemma, nec regni expectationem attendens, fœdus iniit cum Dauid, & seruulum in amicitia adæquans Domino, sic fugatum à patre, sic latitantem in eremo, sic adiudicatum morti, neci destinatum, sibi prætulit, & se humilians & illum exaltans, *Tu,* (inquit) *eris Rex, & ego ero secundus post te.* O præclarissimum veræ amicitiæ speculum! Mira res! Rex furebat in seruum, & quasi in æmulum regni totam patriam excitabat, sacerdotes arguens proditionis pro sola suspitione trucidat, lustrat nemora, valles exquirit, montes & rupes * armata obsidet manu, omnes
H se Regiæ indignationis spondent vltores: solus Ionathas, qui solus iustius poterat inuidere, patri resistendum putauit, deferendum amico, præbendum in tanta aduersitate consilium, & amicitiam regno præferens, *Tu eris,* (ait) *Rex, & ego ero secundus post te.* Et vide quomodo pater adolescentis contra amicum excitabat inuidiam, conuiciis vrgens, terrens minis, spoliandum regno, honore priuandum commemorans. Cum enim in Dauid mortis sententiam protulisset, Ionathas amico non defuit, Quare morietur Dauid? Quid peccauit? Quid fecit? Ipse posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & lætatus es. Quare ergo morietur? Ad hanc vocem versus in insaniam Rex, lancea nisus est confodere Ionatham cum pariete, addensque conuicia minis, *Fili,* (inquit) *mulieris vltro virum rapientis, scio quia diligis eum in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ.* Deinde totum virus, quo pectus iuuenis aspergeretur, euomuit, adiiciens verbum ambitionis incitamentum, fomentū inuidiæ, zeli & amaritudinis incentiuum; Quamdiu vixerit filius Isai, non stabilic-

Quemadmodum amicitia sit colenda.

forte facilitatemque.

deest aut. *Cam.*

optimum est donum *Cam.*

2. *Cor.* 8. 15.

1. *Reg.* 23. 17

armata manu obsidet *Cam.*

1. *Reg.* 20. 30. & seqq.

A bilietur regnum tuum. Quis non moueretur his verbis, non inuideret? Cuius amorem, cuius gratiam, cuius amicitiam non corrumperent, non minuerent, non obliterarent? Ille amantissimus adolescens amicitiæ iura conseruans, fortis ad minas, patiens ad conuicia, propter amicitiam regni contemptor, immemor gloriæ, sed memor gratiæ, *Tu eris*, (inquit) *Rex, & ego ero secundus post te.* Repertos quosdam dicit Tullius, qui pecuniam præferre amicitiæ sordidum æstimarent, illos autem impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes non * amicitiæ anteponant; vt cum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera ius amicitiæ, non multa illa malint. Imbecillis est enim natura ad contemnendam potentiam. *Vbi enim* (ait) *inuenies, qui honorem amici anteponat suo?* Ecce inuentus est Ionathas victor naturæ, gloriæ ac potestatis contemptor, qui honorem amici suo præferret, *Tu eris*, (inquiens) *Rex, & ego ero secundus post te.* Hæc est vera, perfecta, stabilis & æterna amicitia, quam inuidia non corrumpit, non suspicio minuit, non dissoluit ambitio; quæ sic tentata non cessit, sic arietata non

[margin: * amicitiæ non ante po. Cam.]

B corruit; quæ tot conuiciis pulsata cernitur inflexibilis, tot lacessita iniurijs permansit immobilis. Vade ergo, & tu fac similiter. Verum si tibi præferre quem diligis, durum vel etiam impossibile iudicas: vel parem eum tibi facere, si vis esse amicus, non negligas. Non enim amicitia recte colitur, à quibus æqualitas non seruatur. *Defer amico vt æquali* (ait Ambrosius) *nec te pudeat vt præuenias amicum officio.* Amicitia enim nescit superbiam. Fidelis quippe amicus medicamentum est vitæ, immortalitatis gratia. Iam in beneficiis, quomodo colenda sit, attendamus, & hinc aliquid de alienis manibus extorqueamus. *Hæc lex* (ait quidam) *in amicitia sanciatur, vt ab amicis honesta petamus, & pro amicis honesta faciamus, nec expectemus vt rogemur; cunctatio semper absit.* Si perdenda est pecunia propter amicum, multo magis amici vtilitatibus, vel necessitatibus conferenda. Sed non omnes omnia possunt. Abundat iste pecunia, ille agris & possessioni-

[margin: Lib.3.de off. cap. 21.]

C bus, alter in consiliis plus potest, alter magis excellit in honoribus. In his qualem te debeas exhibere amico, prudenter aduerte. Et de pecunia satis dedit scriptura, *Perde* (inquit) *pecuniam propter amicum.* Sed quia oculi sapientis in capite eius, si nos simus membra & Christus caput, faciamus quod ait Propheta, *Oculi mei semper ad Dominum*, vt ab eo accipiamus viuendi formam, de quo scriptum est, *Si quis indiget sapientia, postulet à Domino, qui dat omnibus affluenter & non improperat.* Sic igitur des amico vt non improperes, non mercedem expectes, non frontem obducas, non vultum auertas, non deponas oculos; sed serena facie, hilari vultu, sermone iucundo intercide verba petentis: occurre beneuolentia, vt non rogatus videaris præstare quod petitur. Ingenuus animus nihil magis erubescendum æstimat, quam rogare. Cum igitur tibi esse debeat cum amico cor vnum, & anima vna iniuriosum nimis est, si non sit & pecunia vna. Hæc igitur lex in hac parte inter amicos teneatur, * vt sic

[margin: Eccli.29.13. Psal.24.15. Iacob.1.5. * vt se sibi sic Cam.]

D se sibi suaque impendat, vt qui dat, seruet hilaritatem, qui accipit, non perdat securitatem. Booz cum Ruth Moabitidis aduertisset inopiam, post messores suos legentem spicas alloquitur, consolatur, inuitat ad conuiuium puerorum, & verecundiæ eius ingenue parcens, iubet messoribus etiam de industria spicas relinquere, quas illa * colligeret absque pudore. Sic & nos debemus amicorum necessitates subtilius explorare, petiturum beneficijs præuenire, talem in dando modum seruare, vt ille gratiam videatur præstare qui accepit, magis quam ille qui dedit. GAL. Nobis igitur quib. nihil accipere, nihil dare permittit, qualis erit in hac parte spiritalis amicitiæ gratia? AEL. *Felicissimam vitã* (ait sapiens) *ducerent homines, si duo hæc verba de medio tollerentur, Meũ & Tuũ.* Magnam certe præstat spiritali amicitiæ firmitatem sancta paupertas, quæ ideo sancta est, quia voluntaria. Cum n. peremptorium sit amicitiæ cupiditas, tanto certe facilius amicitia parta seruatur, quanto anim' ab illa peste purgatior inuenitur. Sunt tamẽ alia in spiritali * amore beneficia, quib: & adesse sibi, & prodesse possunt amici. Primum vt solliciti sint pro inuicem,

[margin: Ruth.2.8. * absque pudore colligeret. Ca. * amicitia. Cam.]

E orent pro inuicem, erubescant alter pro altero, alter gaudeat pro altero, alterius lapsum vt suum lugeat, alterius profectum suum existimet. Quibus modis potest erigat pusillanimem, suscipiat infirmum, consoletur tristem, iratum sustineat. Sic præterea oculos reuereatur amici, vt nihil quod inhonestum sit agere, nihil quod dedeceat loqui præsumat. Cum enim quicquid ipse deliquerit, ita redundet in amicum, vt non solum intra se erubescat & doleat, sed etiam is qui videt vel audit, sibi, ac si ipse peccasset, improperet, profecto licet non sibi, amico tamen credit esse parcendum. Optimus itaque comes amicitiæ verecundia est, & ideo maximum ornamentum tollit amicitiæ, qui ab ea tollit verecundiam. Quam sæpe conceptam ab intus iracundiæ flammam, & iam in publicum erumpentem, amici mei nutus compescuit vel extinxit? quoties verbum indecens vsque ad fauces progressum, austerior illius aspectus repressit? Quam sæpe incautius resolutus in risum, vel in otiosa lapsus, in eius aduentu debitam grauitatem recepi? Præterea quicquid suaden-

F dum est, ab amico facilius recipitur, & securius retinetur; cuius magna in suadendo debet esse auctoritas, cum nec fides eius dubia, nec adulatio sit suspecta. Amicus igitur amico, quod honestum est, suadeat secure, manifeste, libere. Nec solum monendi sunt amici, sed si opus fuerit obiurgandi. Nam cum quibusdam molesta sit veritas, siquidem ex ea nascitur odium secundum illud, Obsequium amicos, veritas odium parit; obsequium tamen illud multo molestius est, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum * fieri sinit. Maxime autem culpandus est amicus, & hinc præcipue obiurgandus, si veritatem aspernatur, & obsequiis atque blanditiis in crimen impellitur. Non quod non debeamus amicis dulciter obsequi, & plerumque blandiri, sed in omnibus seruanda moderatio est, vt monitio acerbitate, obiurgatio contumelia careat. In obsequiis vero vel blanditiis, suauis quædam & honesta affabilitas assit, assentatio vero vitiorum adiutrix procul amoueatur. Quæ non solum amico,

[margin: * ferri. Cam.]

G sed nec libero quidem digna est. Cuius autem aures veritati clausæ sunt, vt ab amico verum audire * nequeant, huius salus desperanda est. *Quomodo circa* (sicut ait Ambrosius) *si quid vitii in amico deprehenderis, corripe occulte; si te nõ audierit, corripe palam. Sunt n. bonæ correctiones, & plerũq; meliores quã tacita amicitia. Et si lædi se putet amicus, tu tamen corripe. Et si amaritudo correptionis animum eius vulneret, tu tamen corripe. Tolerabiliora n. sunt amici vulnera; quam adulantium oscula.* Errantem igit amicum corripe. Super omnia tamen, cauenda est in correptione ira & amaritudo mentis, ne non tam videat amicũ velle corrigere, quã suo stomacho satisfacere. Vidi n. aliquos in amicis corrigendis, conceptam amaritudinem ebullientemq; furorem, nunc zeli, nunc libertatis nomine palliare, & secutos impetum non rationẽ, sua tali correptione nunquam prodesse, imo & obesse plurimum. At inter amicos nulla vitii huius excusatio est. Debet n. amicus amico compati, condescendere, vitiũ eius suum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat eum vultus tristior, sermo deiectior, intercipiant verba lacrymæ, vt non so-

[margin: * non possit. Cam. Prou.27.6.]

H lum videat, sed etiam sentiat correptionem ex amore, & non ex rancore procedere. Si forte primã correptionẽ respuerit, recipiet vel secundam. Tu interim ora, tu plora tristem præferens vultum, pium seruans affectum. Exploranda est ẽt animi illius qualitas, nam sunt quibus blanditiæ prosunt, & his libentius acquiescunt. Sunt quæ pro nihilo eas ducunt, & facilius verbo vel verbere corriguntur. Amicus proinde ita se conformet & aptet amico, vt eius congruit qualitati: & cui in exteriori aduersitate dẽt adesse, his, quæ sunt aduersa spiritui, multo magis festinet occurrere. Igitur sicut monere & moneri proprie * amicitiæ est, & alterum libere facere nõ aspere, alterum patienter accipere non repugnanter: sic habendũ est, in amicitiis nullam pestem esse maiorem, quã adulationem & assentationẽ, quæ sunt leuium hominũ atq; fallacium, ad voluntatem loquentium oĩa, nihil ad veritatem. Nulla proinde sit inter amicos cunctatio, simulatio nulla, quæ maxime repugnat amicitiæ. Debet quippe amico veritatẽ, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. *Corripiet me* (ait S. Dauid) *iustus in misericordia, & increpabit me, oleũ autẽ pecca-*

[margin: * est amicitiæ. Cam. Psal.140.5.]

A

Isai.3.12. *Prou.* 11. 9. ore dc. *Ca.*

toris non impinguet caput meum. Simulator & callidus prouocat iram Dei. Inde Dominus per Prophetam, *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* *Simulator* enim* *ore* (vt ait Salomon). *decipit amicum suum.* Quocirca sic colenda est amicitia, vt si forte certis ex causis admittenda videatur dissimulatio, sed simulatio nunquam. GAL. Quomodo quæso dissimulatio necessaria est, quæ (vt mihi videtur) semper vitium est? AEL. Falleris fili: nam & Deus dissimulare dicitur peccata delinquentium, nollens mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. GALT. Distingue rogo, inter simulationem & dissimulationem. AEL. Simulatio (vt mihi videtur) deceptorius quidam consensus est contra iudicium rationis, quam Terentius in persona Gnatonis satis eleganter expressit, Negat quis? Nego. Ait? Aio. Postremo imperaui egomet omnia mihi assentari. Et * forte hæc Ethnicus ille de nostris mutuauit thesauris, sensum prophetæ nostri suis exprimens verbis. Nam & hoc ipsum, ex persona plebis peruersæ, dixisse Prophetam manifestum est. *Videte nobis vana; loquimini nobis placentia.* Et alias, *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manu, & populus meus dilexit talia.* Hoc vitium vbique detestandum est, semper & vbique cauendum. Porro Dissimulatio dispensatoria * quædam est vel pœnæ, vel correptionis dilatio sine consensu interiori, pro loco, pro tempore, pro persona. Neque enim si quis * amicus constitutus in plebe deliquerit, subito & palam obiurgandus est, sed dissimulandum pro loco, imo &, quantum salua veritate fieri potest, excusandum quod fecit, & ad debitam correptionem inferendam expectandum familiare secretum. Sic eo tempore, quo animus intentus pluribus, minus est ad ea quæ dicenda sunt idoneus, vel, aliis superuenientibus causis, paululum commotior sensus ei fuerit aliquantulum perturbatus, dissimulatione opus est, donec interiori tumultu sedato, corripientem aure pacatiore sustineat. Dauid Rex, cum præuentus concupiscentia homicidium adulterio copulasset, correpturus eum Propheta Nathan Regiæ deferens maiestati, non subito, nec mente turbata tantæ personæ crimen impegit, sed congrua dissimulatione præmissa, prudenter ipsius Regis, contra seipsum, sententiam extorsit. GALT. Mihi perplacet ista distinctio. Sed scire velim, si amicus potentior fuerit, possitque ad honores vel quaslibet dignitates, quos voluerit promouere, vtrum debeat eos quos diligit, & à quibus diligitur, ceteris in tali promotione præferre, & inter ipsos, quos amplius diligit, eis quos minus diligit anteferre? AEL. Et in hac parte quomodo colenda sit amicitia, operæpretium est indagare. Sunt enim nonnulli, qui se putent non amari, quia non possunt promoueri; seque contemni causentur, si non curis & officiis implicentur. Vnde non paruas discordias inter eos, qui putantur amici, ortas nouimus, ita vt indignationem diuortium sequeretur, diuortium maledicta. Itaque in dignitatibus vel officiis, maxime ecclesiasticis, magna cautio adhibenda est: nec attendendum quid possis præstare, sed quid ille, cui præstas, poterit sustinere. Plures quippe sunt diligendi, qui tamen non sunt promouendi; & multos laudabiliter & dulciter amplectimur, quos non sine graui nostro peccato, & illorum summo periculo, curis & negotijs implicaremus. Quocirca semper in his ratio sequenda est non affectus, nec his imponendus est honos vel onus istud, quos habemus amicitiores, sed quos ad ea sustinenda credimus aptiores. Vbi tamen virtutis inuenitur æqualitas, non multum improbo, si aliquantisper affectus suas inserit partes. Nec quisquam se idcirco dicat contemptum, quia non promotum; cum Dominus Iesus Petrum Ioanni in hac parte prætulerit, nec ideo subtraxerit Ioanni affectum; quia Petro dederat principatum. [a] Petro commendauit Ecclesiam suam; [b] Ioanni dulcissimam matrem suam. [c] Petro dedit claues regni sui, [d] Ioanni reseruauit arcana pectoris sui. Petrus ergo sublimior, Ioannes securior. Petrus licet in potestate constitutus, dicente Iesu, [e] *Vnus ex vobis tradet me*, cum cæteris timet & trepidat; Ioannes ex sinus sui participatione factus audacior, innuente Petro, quisnam ille esset, interrogat. Petrus ergo exponitur actioni, Ioannes reseruatur affectui; quia *Sic* (inquit) *eum volo manere donec veniam.* Exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Præstemus amico quicquid amoris est, quicquid gratiæ, quicquid dulcedinis, quicquid charitatis, * futiles honores & onera illis, quos præscripserit ratio, imponamus, scientes * quia nunquam vere diligit amicum, cui amicus * ipse non sufficit, nisi hæc vilia & contemptibilia adiecerit. Cauendum autem magnopere est, ne tenerior affectus maiores vtilitates impediat, dum eos, quos ampliori charitate complectimur, vbi magna spes fructus vberioris elucet, nec absentare volumus, nec onerare. Hæc est enim amicitia * ordinata, vt ratio regat affectum, nec tam quid illorum suauitas, quam quid multorum petat vtilitas attendamus. Recordor nunc duorum amicorum, qui licet exempti præsentibus, mihi tamen viuunt semperque viuent, quorum primum in initiis meæ conuersionis, quadam mihi morum similitudine & studiorum parilitate comparaueram, cum adhuc essem adolescens; alterum ab ipso fere pueritiæ suæ tempore à me electum, & multifarie multisque modis probatum, cum iam ætas mihi variaret capillos, in summam amicitiam assumpsi. Et illum quidem nullo adhuc curæ pastoralis onere pressus; nulla rerum temporalium sollicitudine distentus, claustralium delitiarum & spiritalium dulcedinum, quibus tunc initiabar, socium consortemque delegeram: nihil exigens, nihil præstans præter affectum & ipsius affectus suaue quoddam, prout charitas dictabat, indicium. Istum iam iuuenem, in meæ sollicitudinis partem ascitum, in his sudoribus meis habui coadiutorem. Inter vtramque hanc amicitiam, memoria præeunte, discernens, video priorem inniti magis affectui, alterum rationi; quamuis nec illi affectus defuerit, nec illum ratio deseruerit. Denique prior, in ipsis amicitiæ nostræ principijs ereptus mihi, eligi potuit * sicut præscripsimus, non probari; alter à puero vsque ad mediam ætatem dimissus mihi, & à me dilectus, per omnes amicitiæ gradus, quousque talium * potuit imperfectio, mecum ascendit. Et primum quidem virtutum eius contemplatio illi meum inclinauit affectum, quem ego olim ab australibus partibus in aquilonarem hanc solitudinem duxi, ego regularibus disciplinis primus institui. Ex tunc ipse victor corporis, laboris etiam & inediæ patiens, plurimis exemplo fuit, admirationi multis, mihi gloriæ & delectationi. Ex iam tunc eum in amicitiæ principijs nutriendum putaui, vtpote quem onerosum nulli, sed omnibus gratum intuebar. Ingrediebatur & egrediebatur pergens ad imperium seniorum humilis, mansuetus, grauis moribus, sermone rarus, indignationis nescius, murmuris, & rancoris, & detractionis ignarus; incedebat *quasi surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum.* Vt iumentum factus est sequens obedientiæ frænum, & iugum disciplinæ regularis mente, & corpore infatigabiliter portans. Ingressus aliquando adhuc puer * cellam infirmorum, correptus est à sancto patre & prædecessore meo, quod tam cito puer se quieti inertiæque dedisset: sic erubuit, vt mox egressus iam feruenter corporalibus se subderet exercitiis, vt multis annis nec cum graui * ægritudine vrgeretur, aliquid sibi de consueto rigore laxauerit. Hæc cum mihi inuisceerauerant miris modis, & ita in animum induxerant meum, vt mihi eum de inferiori socium, de socio amicum, de amico * amicissimum facerem. Videns enim eum in quosdam canos virtutis, & gratiæ profecisse, fratrum vsus consilio, onus ei Supprioratus imposui. Quod quidem inuitus, sed quia * tantum obedientiæ sese deuouerat, modeste suscepit. Egit tamen * mecum multum secreto vt dimitteretur, prætendens ætatem, prætendens inscitiam, prætendens

amici-

Marginalia (left): forte Ethnicus. *Ca.* — B — *Isai.* 30. 10 *Ierem* 5. 31. — est quædã *Cam.* — amic. diliq. con in plebe *Cam.* — C — 2. *Reg.* 12. 1. & *seqq.* — D — De Petro & Ioanne. — a *Ioan.* 21. 15. 16. 17. — b *Ioa* 19. 26. 27. — c *Matt.* 16. 18. 19. — d *Ioã.* 13. 23. 24.

Marginalia (right): E — e *Ioan.* 13. 21. 24. — *Ioan.* 21. 22. — fut. hos ho *Cam.* — quod *Ca.* — ille. *Cam.* — ord. ami. *Cam.* — F — G — nõ pro. sic. præ. *Cam.* — imp. potuit. *Cam.* — *Psal.* 47. 14. — H — infirmo. cellam. *Cam.* — infirmitate. *Cam.* — facc. amicissimum. *Cam.* — totum sese obed. deu. *Cam.* — multis sec. mec. *Cam.*

A amicitiam * quam iam initiabamur, ne forte hac occasione vel minus diligeret, vel * diligeretur minus. Sed his nihil proficiens, cæpit libera voce quicquid timebat vtrisque, quicquid sibi in me minus placebat; humiliter & modeste proferre in medium: sperans, vt postea confessus est, hac me quasi præsumptione offensum; ad id posse, quod petebat, facilius inclinari. Sed hæc eius mentis vocisque libertas, amicitiæ nostræ cumulum addidit, quia volebam eum amicum habere non * minimum. Cernens tunc ille me gratum habere quod dixerat * respondisse humiliter ad singula, satis dedisse de omnibus, se non modo nihil offensionis, sed insuper copiosiorem fructum percepisse: cæpit me & ipse arctius solito diligere, habenas laxare affectui, & meo se pectori totum infundere. Ita & mihi eius libertas, & mea sibi probata patientia est. Ego quoque vicem rependens amico, accepta occasione durius obiurgandum putaui, nec quibusdam quasi conuitiis parcens, eum libertati meæ nec impatientem reperi, nec ingratum. Cæpi deinde consiliorum meorum ei reuelare secreta, & fidelis inuentus est. Ita inter

B nos amor creuit, concaluit affectus, charitas roborabatur, donec ad id ventum est, vt esset nobis cor vnum & anima vna, idem velle & idem nolle: essetque hic amor timoris vacuus, offensionis nescius, suspicione carens, adulationem exhorrens. Nihil inter nos simulatum, fucatum nihil, nihil inhoneste blandum, nihil indecenter durum, circuitus nullus, nullus angulus, sed omnia nuda & aperta, qui meum pectus * quodammodo suum putarem, & eius meum, ipseque similiter. Ita in amicitia recta linea gradientibus, nullius correptio indignationem, nullius consensio culpam pariebat. Vnde se amicum in omnibus * probans, meæ paci, meæ quantum poterat prospiciebat quieti. Ipse se periculis obiiciebat, scandalis emergentibus obuiabat. Volebam ei aliquando aliquid de his temporalibus, quia iam infirmabatur, præbere solatium: sed ille prohibebat, cauendum dicens ne amor noster, secundum hanc carnis consolationem metiretur;

C ne id magis carnali affectui meo, quam eius necessitati ascriberetur, & sic mea auctoritas minueretur. Erat igitur quasi manus mea, quasi oculus meus, baculus senectutis meæ. Ipse spiritus mei reclinatorium, dolorum meorum dulce solatium, cuius amoris sinus excipiebat laboribus fatigatum, cuius consilium recreabat tristitia vel mœrore demersum. Ipse commotum pacificabat, ipse leniebat iratum. Quicquid minus lætum emergebat referebam ad eum, vt quod solus non poteram, iunctis humeris facilius sustinerem. Quid ergo? Nonne quædam * beatitudinis portio fuit sic amare, & sic amari; sic iuuare & sic iuuari; & sic ex fraternæ charitatis dulcedine in illum sublimiorem * dilectionis diuinæ splendorem altius euolare, & in scala charitatis nunc ad Christi ipsius complexum conscendere, nunc ad amorem proximi ibi suauiter repausandum descendere? In hac igitur amicitia nostra, quam exempli gratia inseruimus, si quid cernitis imitandum, ad vestrum id retorquete profectum. Sed vt tan-

D dem collationem hanc nostram vel sole ruente claudamus, ab amore profectam amicitiam non dubitatis. Qui vero semetipsum non amat, alium amare qui potest? Et cum ex similitudine amoris, quo ipse sibi charus est, amorem proximi debeat ordinare, se autem non diligit, qui turpe aliquid vel inhonestum, vel à se exigit vel sibi impertit? Primum igitur est vt semetipsum quisque castificet, nihil sibimet indulgens quod indecens sit, nihil sibi subtrahens quod vtile sit. Sic vero seipsum diligens, diligat & proximum, eandem regulam sequens. Sed quia hic amor multos colligit, ex ipsis eligat * quem ad amicitiæ secreta lege familiari admittat, in quem suum copiose infundat affectum, denudans pectus suum vsque ad inspectionem viscerum & medullarum, cogitationum & intentionum cordis. Eligatur autem non secundum affectionis lasciuiam, sed secundum rationis perspicaciam, similitudine morum & contemplatione virtutum. Deinde sic se impendat amico, vt leuitas omnis absit, iucunditas adsit, nec ordinata desint beneuolentiæ, & charitatis officia vel obsequia. Iam exinde probetur * fides eius,

E probetur honestas, probetur patientia. Accedat paulatim consiliorum communio; assiduitas parilium studiorum, & quædam conformatio vultuum. Sic enim conformari sibi debent amici, vt statim cum alter alterum viderit, etiam similitudo vultus vnius in alterum transfundatur, siue fuerit deiectus tristitia, siue iucunditate serenus. Ita electus atque probatus, cum certum tibi fuerit * nihil eum velle, quod dedeceat vel petere ab amico vel præstare rogatus, * constiterit tibi amicitiam eum virtutem putare non quæstum, adulationem fugere, detestari assentationem: inuentusque fuerit liber cum discretione, patiens in correptione, firmus & stabilis in dilectione; tunc illa spiritalis sentitur dulcedo, quam bonum scilicet, & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quam vtile tunc dolere pro inuicem, laborare pro inuicem, onera sua portare inuicem, cum vnusquisque pro altero semetipsum negligere dulce habet, alterius voluntatem suæ præferre, illius necessitati magis, quam

F suipsius occurrere, aduersis semet opponere & exponere. Interea quam dulce habent conferre inuicem, sua studia mutuo patefacere, simul examinare omnia, & de omnibus in vnam conuenire sententiam? Accedit & pro inuicem oratio, quæ in amici memoria tanto efficacius, quanto affectuosius ad Deum emittitur, profluentibus lacrymis quas vel timor excutit, vel affectus elicit, vel dolor educit. Ita pro amico orans Christum, & pro amico volens exaudiri à Christo, ipsum diligenter & desideranter intendit, cum subito & insensibiliter aliquando affectus transiens in affectum, & quasi è vicino ipsius Christi * tangens dulcedinem, incipit gustare quam dulcis est, & sentire quam suauis est. Ita à sancto illo amore, quo amplectitur amicum, ad illum conscendens, quo amplectitur Christum, spiritalem amicitiæ fructum pleno lætus * ore carpebit, plenitudinem omnium expectans in futurum: quando timore sublato, quo nunc pro inuicem metuimus & solliciti sumus; omni aduersitate depulsa, quam oportet nunc vt pro in-

G uicem sustineamus; mortis insuper aculeo cum ipsa morte destructo, cuius nunc punctionibus plerumque fatigati, necesse est vt pro inuicem doleamus; securitate concepta, de summi illius boni * æternitate gaudebimus, cum hæc amicitia, ad quam hic paucos admittimus, transfundetur in omnes, & ab omnibus refundetur in Deum, cum Deus fuerit omnia in omnibus.

EXPLICIT LIBER III.

DIVI AELREDI TRACTATVS SVPER EVANGELIVM.

Cum factus esset IESVS *annorum duodecim.* Luc. 2.



H PETIS à me, fili charissime, I. quatenus ex lectione euangelica, qua duodennis pueri Iesu pia gesta narrantur, aliqua piæ meditationis, & sancti amoris eliciam semina, & sportulis litterarum commendans, tibi colligenda transmittam. Adhuc nuncius ista loquebatur, & ecce sensi in ipsis medullis cordis mei ex quanto, ex quali, ex quam ardenti, ex quam dulci tua id fraternitas petebat affectu: cum subito mihi venit in mentem vbi aliquando fuerim, quid senserim, quid in me ipsa euangelica verba nonnumquam egerint, vel cum legerentur, vel cum cantarentur.

Respexi, respexi miser, respexi, & vidi quam longe post tergum meum illa suauia, ac iucunda reliqueram, quam longe ab his deliciis occupationum ac solicitudinum me funes abstraxerint, adeo vt quæ rangere tunc nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sint: hæc recor-

Marginal variants: ua iam. Cam. — minus diligeretur Ca. — minus. Ca. — humili. resp. Cam. — suum quodam. Cam. — præbens. Cam. — por. fu. bea. Cam. — diu dilect. Cam. — quos. Ca. — eius fides. Cam. — quod nihil velit. Cam. — constiterit que. Cam. — dulc. tang. Cam. — ore etiam carp. Cam. — æter. cum hæc. Cam.

A recordatus ſum & effudi in me animam meam, cum emiſſa ad me manus Domini tetigit cor meum, & vnxit illud vnctione miſericordiæ ſuæ.

Cernis in ipſo tuæ inquiſitionis modo, quid luminis, quid ſplendoris tuus mihi ſcintillat affectus? cum inſinuari tibi flagitares, puer Ieſus, triduo illo quo quærebatur à matre, vbi fuerit, quo ſit vſus hoſpitio, quibus cibis alitus, quorum delectatus conſortio, quibus negociis occupatus. Sentio, fili mi, ſentio ea ipſa quam familiariter, quam affectuoſe, cum quibus lacrymis in orationibus tuis ſanctis ab ipſo Ieſu ſoleas ſciſcitari, cum ante oculos cordis tui, illa dulcis pueri dulcis verſatur imago, cum illum ſpecioſiſſimum vultum ſpiritali quadam imaginatione depingis, cum oculos illos ſuauiſſimos, ſimul ac mitiſſimos in te iucundius radiare perſentis. Tunc vt mihi videtur intimo clamas affectu. O dulcis puer, vbi eras? vbi latebas? Quo vtebaris in hoſpitio, quorum fruebaris conſortio? vtrum in cœlo, an in terra, an in do-
B mo aliqua interim morabaris, vel certe cum aliquibus, tuæ tunc ætatis puerulis ſecreto loco conſiſtens, eis ſecretorum myſteria profundebas, ſecundum tuam in Eu-
Marc.10.14 angelio vocem: *Sinite pueros venire ad me, & nolite prohibere illos?* Felices, ſi qui fuerunt illi, quibus tot diebus tuam tam familiariter præſentiam indulſiſti. Sed quid eſt, mi dulcis Domine, quod ſanctiſſimæ matri tuæ quærenti, dolenti, ſuſpiranti non compatiebaris? Denique ipſa, & pater tuus dolentes quærebant te. Immo tu Domina mea dulciſſima, cur puerum quærebas, quem Deum eſſe non ignorabas? An ne cruciaretur fame, ne frigore vexaretur, ne à quolibet ſuæ ætatis puero iniuriaretur, formidabas? Nonne ipſe eſt, qui paſcit omnia, omnia nutrit, qui
Matt.6.29. & ſeqq. *fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur,* glorioſius à Salomone veſtit & ornat? Quin potius, Domina mea, pace tua dico, dulciſſimum filium tuum cur tam facile amiſiſti, tam incurioſe cuſtodiſti, tam ſero quod deerat animaduertiſti? Vtinam mihi inſpirare dignetur ipſe Ieſus, quid tibi ſic quærenti, ſic flagranti, ſic æſtuanti, in-
C terno ac ſpiritali ſermone reſponderit, vt nota tibi ſcribere, ac guſtata eructare ſufficerem. Videamus tamen, ſi placet, quidnam ſit quod Dominus Ieſus in Bethlehem naſcitur, latet in Ægypto, nutritur in Nazareth, & inde duodennis ad templum, & metropolim ciuitatem aſcendit, nec ſolus tamen, ſed ſub parentum diſciplina. Vt quid iſta omnia? Quia profecto dux eſt Dominus meus
Pſal.18.7. Ieſus, quia medicus, quia doctor. Et vt dux noſter *exultauit vt gigas ad currendam viam*, quoniam à ſummo cœlo egreſſio eius, & vſque ad Bethleem deſcenſus eius. Vbi plena cęleſtium odoramentorum relinquens veſtigia, poſuit tenebras, id eſt Ægyptum, latibulum ſuum. Et cum ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, lucem ſupernæ gratiæ infudiſſet, & Nazareth ſancta ſua nobilitauit præſentia: ſicque Nazaræus effectus, templum ingreditur quaſi puer, diſcens non docens, audiens & interrogans, & in his omnibus à parentum diſciplina non recedens.

Sic Domine, ſic præcedis miſeros, ſic ſanas ægrotos:
D hanc viam errantibus, hanc aſcendentibus ſcalam, hunc exulibus reditum præmonſtras. Quis dabit mihi, Ieſu bone, tuis inhærere veſtigiis, & ſic currere poſt te, vt quan-
Luc.15.12. & ſeqq. doque apprehendam te? Ego prodigus ille filius, qui accepi ad me ſubſtantiam meam, nolens cuſtodire ad te fortitudinem meam, profectus ſum in regionem longin-
Pſal.84.13. quam, regionem diſſimilitudinis, *comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis redditus illis.* Ibi diſſipaui omnia mea viuendo luxurioſe, & ſic cœpi egere. Infelix egeſtas! cui & panis defuit, & porcorum cibus non profuit. Sequens
Pſal.106.4. & ſeq. quidem animalia immundiſſima *erraui in ſolitudine, in inaquoſo,* viam ciuitatis habitaculi non inueniens. Eſuriens & ſitiens anima mea in malis contabuit. Et dixi. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Dum ſic clamarem ad patrem, exaudiuit me deducens in viam rectam, vt irem in ciuitatem habitationis. Quam? niſi illam quæ abundat panibus, & domus panis dicitur? id eſt, Bethleem? Confiteantur tibi Domine miſericordiæ tuæ, quia ſatiaſti animam inanem, & animam eſurientem ſatiaſti bonis; pane vtique illo qui de cœlo deſcendit, & poſitus in præſepi, ſpiritalium cibus E
factus eſt iumentorum. Et hæc quidem conuerſionis, quaſi ſpiritalis cuiuſdam natiuitatis ſunt initia, vt conformemur paruulo, Paupertatis ſuſcipiamus inſignia, & facti vt iumentum apud te Domine, præſentiæ tuæ deliciis perfruamur. Sed quia ſcriptum eſt, *Fili acceßiſti ad ſeruitutem* Eccli.2.1.
Dei, ſta fortiter, & præpara animam tuam ad tentationem: abſcondit modicum faciem ſuam à nobis Dominus Ieſus, non vt diſcedat, ſed vt lateat; & ecce Ægyptus, ecce tenebræ, ecce turbatio. Sedentes quippe in tenebris, & vmbra mortis, laborantes expertæ iucunditatis inopia, vincti, & compediti ferro, proprii videlicet cordis duritia: neceſſe eſt vt clamemus ad Dominum cum tribulamur, & ipſe de neceſſitatibus noſtris eruet nos. Luce enim ſuæ conſolationis, diſſipans tenebras huius tentationis, & gratia internæ compunctionis, rumpens vincula duritiæ interioris, ſereniori vultu nos præcedit ad Nazareth: vt ibi inter flores ſcripturarum, & virtutum fructus, ſub ſeniorum diſciplina nutriti, duodecimi anni delicias ſor- F
tiamur. Sicut enim Dominus Ieſus in nobis naſcitur, & concipitur, ita profecto & creſcit, & nutritur in nobis:
donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis Ephеſ.4.13.
plenitudinis Chriſti.

Cum ergo factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis in Hieruſalem ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſq; diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem.

PRIMVM itaque ne nos prætereat ſanctiſſimæ huius hiſtoriæ mira ſuauitas, ſciendum id moris fuiſſe Iudæis, vt aſcendentes ad diem feſtum, ſeorſim viri, ſeorſim incederent fœminæ: ne forte aliquid coinquinationis ſubreperet, præſcribente lege diuina, vt mundi tantum ſacris ſolemniis intereſſent. Vnde credibile eſt puerum Ieſum in illo itinere nunc patri, & viris adhærentibus ei; nunc matri, & mulieribus comitantibus eam, ſuæ præſentiæ dulcedinem indulſiſſe. Cogitemus, rogo, quanta fuit eorum fœlicitas, quibus datum eſt tot diebus videre faciem eius, & mellifluos illius audire ſermones, conſiderare in homi-
ne & puero, ſigna quædam cæleſtis radiare virtutis, & in- G
ter confabulationes mutuas myſterium ſapientiæ ſalutaris inſerere. Stupent ſenes, iuuenes admirantur, & ſuę tunc ætatis pueri morum grauitate, & ſermonum illius pondere deterrentur. Credo enim in illo ſpecioſiſſimo vultu, tantam gratiæ cæleſtis elegantiam refulſiſſe, vt omnium in ſe conuerteret aſpectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne quæſo quemadmodum à ſingulis rapitur, à ſingulis trahitur. Senes oſculantur; amplectuntur iuuenes, pueri obſequuntur. Et quæ lacrymæ à pueris, cum diutius à viris teneretur? quæ ſanctis mulieribus querimoniæ cum paulo plus cum patre, & eius ſociis moraretur?
Credo ſingulos intimo proclamare affectu. *Oſculetur me* Cant.1.1.
oſculo oris ſui. Et pueris eius præſentiam ſuſpirantibus, ſed ſenum contuberniis ſe inſerere non audentibus, illud fa-
cillime coaptatur. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem* Cant.8.1.
vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer? Cum hac igitur iucunditatę ingredientibus cunctis ſanctam Ciui-
tatem, contemplare, rogo, inter ſingulas familias quam H
pia fuerit ac ſancta contentio, cunctis deſiderantibus ſibi eius dulciſſimam, ac iucundiſſimam præſentiam indulgeri. Felix qui vincit. Forte ob hanc cauſam conſummatis omnibus, cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Arbitrans enim vnuſquiſque quod eſſet cum altero, vtpote qui amabatur ab omnibus, ab omnibus petebatur, non cognouerunt parentes eius quod abeſſet, donec itinere diei vnius expleto, per ſingulas familias, quæ ſimul aſcenderant, quæreretur inter cognatos, & notos. Et non inuenientes regreſſi ſunt in Hieruſalem. Poſt triduum autem inuenerunt eum in templo. Per illud itaque triduum, vbi eras bone Ieſu? Quis tibi cibum miniſtrauit ac potum, quis lectulum ſtrauit, quis detraxit calceamenta, quis membra puerilia vnguentis fouit, & balneis? Scio certe, quia ſicut voluntate noſtram infirmitatem ſuſcepiſti, ita cum velles propriam virtutē oſtendiſti, & ideo, cum velles, his obſequiis nō eguiſti. Vbi ergo eras Domine? De his omnib. æſtimare, vel conijcere, vel opinari aliquid libet: affirmare autē temere

nihil

A nihil licet. Quid dicam Deus meus? An vt te per omnia nostræ conformares paupertati, [79] & omnes in te [80] humanæ miseriæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me [81] buccellarum illatum mendicatarum participem fieri, vel saltem diuini illius edulij reliquijs saginari?

Sed [82] vt ad sublimioris opinionis secreta veniamus: prima forte die paternis se vultibus præsentauit, non [83] vt consederet, sed [84] vt de ordine susceptæ dispensationis paternam voluntatem consuleret. [85] Nec absurda videtur talis opinio, si æstimetur Dei filius de his, [86] quæ in diuina natura ipse simul cum Patre & Spiritu sancto coæqualis, & [87] consubstantialis vtrisque dispofuerat, in forma serui quam [88] suscepit, homo Deum, paruus magnum consuluerit: non vt disceret, quod ipse cum Patre in forma Dei æternaliter nouerat, sed [89] vt patri per omnia deferret, obedientiam offerret, præferret humilitatem. Ibi
B igitur in illo secreto cubiculo patris de [90] baptismate suscipiendo, de eligendis discipulis, de condendo Euangelio, de miraculis faciendis, postremo de tolerantia [91] passionis, & resurrectionis gloria, cunctis diuino modo dispositis: altera iam die angelicis, & archangelicis choris suauitatem sui vultus indulsit, referensque antiquam ciuium supernorum ruinam post modicum reparandam, vniuersam lætificat ciuitatem Dei. Iam tertia [92] die cunctos Patriarcharum & Prophetarum [93] inuisens, ea quæ à Sancto Simeone sene iam dudum audierant, proprij vultus manifestatione [94] probauit: sicque expectationis illorum moras, instantis iam redemptionis promissione consolans, animæquiores, [95] & alacriores reddidit vniuersos. Merito igitur post triduum inuenitur in medio Doctorum & Seniorum, vt paternæ pietatis de hominum reparatione consilium sicut angelis & sanctis carne exutis, quantum videbatur, propalauerat: in omnium mundialium locorum sacratissimo, [96] templo scilicet Hierosolymitano, & his primo, qui pretiosissimum huius promissionis thesaurum in sacris litteris conseruabant, paulatim
C inciperet [97] reserare; primo audiens, & interrogans, deinde interrogatus sacratissima mysteria prodens. Denique *mirabantur omnes, super prudentia & responsis eius.* Data [98] est pueris & adolescentibus, humilitatis & verecundiæ forma, vt in medio seniorum taceant vt audiant, interrogent vt discant. Indica [99] mihi, ô dulcissima Domina mea, mater Domini mei, quid tibi tunc fuerit animi, quid stuporis, quid gaudij, cum dulcissimum filium [100] tuum puerum Iesum inuenires non inter pueros, sed inter Doctores? cum omnium oculos intentos in ipsum, omnium cerneres [102] aures erectas ad ipsum, cum de prudentia eius & responsis pusilli & magni, docti pariter & indocti loquerentur? Inueni, inquit, quem diligit anima [103] mea, tenui illum, nec dimittam. Tene, O dulcis Domina, tene quem [104] diligis, rue in collum eius, amplectere, osculare, & triduanam absentiam eius multiplicatis delicijs recompensa. *Fili, quid est, quod fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te:* [105] Iterum dico tibi, O
D Domina mea, quid dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras: sed tantum [106] substractas tibi vel ad modicum ineffabiles præsentiæ eius delicias quærebatis. Tam enim dulcis est Dominus Iesus gustantibus eum, tam speciosus [107] videntibus, tam suauis amplectentibus, vt breuis eius absentia maximi doloris materia sit. *Quid* [108] *est*, inquit, *quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Iam hic cœlestium mysteriorum, in quibus per triduum [109] fuerat obseruatus, incipit reserare secretum, vt humilitatis, & obedientiæ, [110] simul & propriæ voluntatis deserendæ, [111] seniorumque præceptis, etiam vtilibus prætermissis, obtemperandi expressius, & excellentius commendaret exemplum; cum [112] his sublimibus tam vtilibus, tam denique necessarijs prætermissis, seniorum [113] se subdiderit voluntati, vt ait Euangelista. *Et descendit cum eis, & erat subditus illis.* Sed quid est quod ait [114] Euangelista, quia scilicet *ipsi non intellexerunt verbum, quod loquutus fuerat?* Non hoc de Maria dictum arbitror, quæ ex quo Spiritus sanctus superuenit in eam, & ei virtus altissimi obumbrauit, nullum [115] E filij sui potuit nescire consilium: sed cæteris non intelligentibus quæ dixerat, Maria, vt sciens & intelligens, *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Memoria conseruabat, meditatione ruminabat, & hæc cum cæteris, quæ de eo viderat, & audierat, conferebat. [116] Ita beatissima Virgo etiam tunc nobis misericorditer prouidebat, ne tam dulcia, tam salubria, tam necessaria, aliqua negligentia laberentur, & propterea nec scriberentur, nec prædicarentur, & [117] sic sequaces huius spiritualis mannæ delicijs fraudarentur. Omnia igitur hæc virgo prudentissima fideliter conseruauit, verecunde tacuit, opportune prodidit, & [118] sanctis Apostolis & discipulis prædicanda commisit. De [119] his quæ sequuntur, *Iesus proficiebat* [120] *sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & apud homines;* Multi multa dixerunt, & diuersi [121] diuersa senserunt, de quorum sententijs non [122] est meum iudicare. Alij animam Christi, ex quo creata est, & assumpta in Deum, æqualem cum Deo sapientiam habuisse putarunt: [123] alij quasi creaturam creatori adæquare timentes, sicut ætate, ita [124] eum & sapientia profecisse dixerunt, [125] Euangelicæ annitentes authoritati, quæ ait. [126] *Iesus autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia.* Nec mirum (inquiunt) si minor dicatur fuisse sapientia, cum mortalis, atque [127] passibilis, ac per hoc beatitudine minor tunc fuisse veracissime prædicetur. F

De horum sententijs iudicet quisque [128] vt volet: mihi sufficit scire, & credere Dominum Iesum, ex [129] quo in vnam cum Deo etiam est assumptus personam, [130] perfectum fuisse Deum, ac per hoc perfectam sapientiam, perfectam iustitiam, perfectam beatitudinem, [131] perfectam insuper fuisse, & esse virtutem: & quidquid de Deo secundum substantiam dici potest, [132] de Christo potuisse dici, etiam cum in vtero esset matris, non ambigo. Nec [133] ideo ante resurrectionem, aut mortalitatem ei, aut passibilitatem abrogamus, cum eum non phantastice, sed vere [134] hominem fuisse confitemur, & veram hominis habuisse naturam, in qua potuit proficere ætate: Vtrum autem sapientia, ipsi viderint, qui de huiusmodi contendere norunt. Tu autem, [135] fili mi non quæstiones quæris, sed deuotionem, nec vnde lingua acuatur, sed [136] vnde affectus excitetur. [137] Ea propter his, quæ ad historiam pertinent interim prætermissis, ad spiritalem intelligentiam enucleandam, sicut ipse, de quo loquimur inspirare dignabitur, transeamus. G

[138] Dominus Deus noster, Deus vnus est: non potest variari, non potest mutari, dicente Dauid. *Tu semper idem es, & anni tui non deficient.* Hic igitur Deus noster æternus, intemporalis, incommutabilis, in nostra factus est natura mutabilis, & temporalis, vt mutabilibus ad suam æternitatem & stabilitatem, viam faceret eam, quam pro nobis assumpsit mutabilitatem, vt in vno eodemque Saluatore nostro, & via esset qua ascenderemus, & vita ad quam veniremus, & veritas qua frueremur, sicut ipse ait. *Ego sum via, veritas & vita.* Magnus itaque Dominus in sua natura persistens, paruulus natus est secundum carnem, per certa temporum spacia profecit, & creuit secundum carnem, vt nos mente paruuli immo pæne nihili, spiritualiter nascemur, & per spiritualium ætatum distinctiones cresceremus, & proficeremus. Ita eius profectus corporalis, noster est profectus spiritualis, & ea, quæ ab eo in cunctis ætatibus acta describuntur, in nobis per singulos profectuum gradus spiritualiter agi, à bene proficientibus sentiuntur. Sit igitur corporalis eius natiuitas spiritualis nostræ natiuitatis, id est sanctæ conuersionis exemplum: persecutio, quam passus est ab Herode, illius, quam in initio nostræ conuersionis sustinemus à Zabulo, tentationis indicium; educatio eius in Nazareth, nostrum exprimat in virtute profectum. In primo prodigus filius fame tabescens, ad domum panis inuitatur, vbi non similagineus, sed subcinericius inuenitur, vt cinerem cum pane manducet, & potum suum cum fletu temperet. Est enim panis similagius purus, mundus, sine cinere, sine fermento, sine paleis, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*

Ps. 101. 28.
Ioan. 14. 6.
H
Luc. 15. 17.
Ps. 101. 10.
Ioan. 1. 1.

A *& Deus erat verbum.* Sed ad hæc quis idoneus? Panis est angelorum, quorum palatum ad gustum vuæ acerbæ non obstupuit: ideo plenè, & perfectè gustant, & vident quoniam dulcis est Dominus. Sed vt panem Angelorum manducaret homo, susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis; panis Angelorum factus est homo, magnus factus est paruulus, diues pauperculus, vt tu magnus in oculis tuis, humilitate fias paruulus; diues cupiditate, facultatum abiectione fias pauperculus: nec, vbi spiritualiter nasceris, locum habeas in diuersorio, dum non tuæ voluntati, tuo sensui, tuæ scientiæ, tuæ industriæ, sed alieno iudicio inniteris. Tunc cinerem cum pane
Psal. 79. 6. manducabis, quando *cibabit te Dominus pane lacrymarum, & potum dabit in lacrymis in mensura.* Sic tu nasceris in Christo, sic in te nascitur Christus. Turbatur Herodes, scilicet
Matth. 2. 3. diabolus, quod suum Christus inuasit imperium: nec æquis aspicit oculis, suum domicilium in Christi hospitium
B commutatum. *Vibrat gladium, tendit arcum, & in eo parat va-*
Psal. 71. 3. *Psal. 10. 3.* *sa mortis, vt sagittet in obscuro rectum corde.* Inflammat carnem naturalibus incentiuis, turbat mentem cogitationibus noxijs, & paruulorum cogitatus priori suauitate lactentes, multiformi tentatione confodit. Tunc videtur tibi Christus defuisse, donec Herode, non tuis viribus, sed gratia diuinæ miserationis extincto, cum ampliori tranquillitate redeat, tuumque in Nazareth præstoletur occursum. Post tentationem namque necesse est, vt ad virtutum studia, spiritualiaque exercitia mentis alacritate conscendas, quasi ad Nazareth, id est, florem: quia sicut flos non quidem fructus est, sed ex eo fructus producitur; ita exercitia hæc, non quidem puræ virtutes sunt, quamuis ex eis veræ virtutes, Deo operante, nascantur. Inde ascendendum est Hierosolymam, sed modo congruo, & tempore opportuno.

Cum enim factus esset Iesus annorum duodecim, ascendit Hierusalem. Plane secundum leges allegoricas, Christus de Nazareth ascendit Hierusalem: quando relicta synagoga, Ecclesiæ gentium præsentiam suæ pietatis
C exhibuit. Merito tunc duodennis erat, quia qui legem non venerat soluere, sed adimplere, denarium legis binario auxerat Euangelicæ perfectionis: verbum adbreuiatum, sed consummans, & consummatum faciens super terram, & legem & Prophetas bipartito charitatis præcepto concludens.

Remansit itaque puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Est adhuc in Ecclesia Christus, & Iudæi, parentes scilicet eius secundum carnem, ignorant. Est adhuc in Ægypto Ioseph, & lingua Ægyptiaca non Iudaica dicitur Saluator mundi; & ipso frumenta sapientiæ suæ Ægyptijs, id est, gentibus diuidente, fratres eius inter Chananæos, immundos videlicet spiritus, verbi Dei fame tabescunt. *Existimantes,* inquit, *eum esse in comitatu.* Quid est hoc? Adhuc, ô Iudæi, Christum in vestro comitatu præsu-
Ier. 12. 7. 8. mitis? cum iam, secundum Ieremiam vestrum, reliquerit domum suam, dimiserit hæreditatem suam: quoniam fa-
D cta est ei hæreditas eius quasi spelunca leænæ. Quibus indicijs, quibus mysterijs, quibus sacramentis, in vestro est comitatu? Vbi templum, vbi iuge sacrificium, vbi sacerdotium, vbi altare illud, quod solum vobis in sola Hierosolyma concessum est? Vbi ignis ille perpetuus, quo extincto, omnia pariter holocaustomata perierunt, quæ non possunt alieno igne consumi. Ergo aut nihil horum habetis, aut si forte vos ea habere præsumitis, non secundum Dei præceptum habetis, ac proinde nec Christum habetis. In his enim omnibus, secundum Prophetica mysteria, Christum aliquando habebatis: sed apparente eo, quem prænuntiabant, ipsa prænuncia sublata sunt: de quibus frustra post eius aduentum præsumebatis. O mira peruersitas! O mira cæcitas! Hæc omnia non attendentes Iudæi, adhuc eum esse in suo æstimant comitatu, & requirunt eum inter cognatos & notos. Quem quæritis, O Iu-
Dan. 2. 34. dæi, quem quæritis? Iam *lapis abscissus de monte sine manibus,* vniuersam impleuit faciem terræ, & adhuc quæritis? Ecce vbique terrarum dispersi, vbique Christum offenditis, & adhuc quæritis? Vbique inter gentes in laudibus Christi vestrum *Amen* resonat, vestrum *Alleluia* cantatur, vestrum *Osanna* resultat, & adhuc quæritis? *In sole posuit tabernaculum suum, nec est qui se abscondat à calore eius,* & adhuc quæritis? Quæritis eum inter cognatos & notos. Quæritis eum apud Isaiam: sed sicut ipse ait, *Cognouit bos possesso-* *Isa. 1. 3.*
rem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem non cognouit me: populus meus non intellexit, ideo non inuenitis. Quæritis eum apud sanctum Dauid, sed & secundum ipsum, Facta est mensa vestra coram vobis in laqueum: ideo non inuenitis. *Obscurati sunt* enim *oculi vestri ne videant, & dor-* *Psal. 68. 23. 24.*
sa vestra incuruantur. Quæritis eum apud Ieremiam, sed ipso teste. *Sacerdotes ignorant legem, nesciunt videntem,* ideo *Ier. 2. 8.*
non inuenitis. Quæritis eum apud Moysen, sed vsque hodie eum legerint Moysen, velamen positum est super cor vestrum: ideo non inuenitis. *Reuertere itaque reuertere Sunamitis,* reuertere in Hierusalem, & inuenies. Nunciatur certe Iesu quod mater eius, & fratres foris stent quærentes eum. Nunquid egreditur? vos potius ingredimini, F
& inuenietis. *Et regredientes,* inquit, *inuenerunt eum post triduum in templo.* Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam, Iacob ad Deum fortem. Quando? vtique post triduum. O tem- *Osea 3. 5.*
pus desiderabile, quando cognoscet Israel Deum suum, & pauebit ad Dauid regem suum, quando vtraque gens faciet sibi caput vnum, & ascendent de terra. Quando hoc erit? Iesu bone! quando respicies carnem tuam, domesticos sanguinis tui, cum nemo carnem suam odio habeat? *Frange* Domine *esurientibus panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam.* Quamdiu miser Cain vagus, & profugus erit super terram tuam: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem tuum, O noster Abel, de manu eius? Nonne adhuc reddidisti ei septuplum in sinum eius, cum vbique maior seruiat minori; cum vbique sit iugum premens, & gladius terrens, nec sit qui redimat, neque qui saluum faciat? Scio quia tandem conuertentur, & famem patientur vt canes, sed ad vesperam. Post triduum enim inuenerunt eum in templo. Prima dies, qua ingressus nostram Hierusalem Dominus Iesus, abscondit se à matre sua Synagoga, & fratribus suis Iudæis, G
Apostolica fuit in gentibus prædicatio, sicut ipsis Iudæis Paulus loquitur. *Quia indignos vos iudicatis æterna vita, ecce* *Act. 13. 46.*
conuertimur ad gentes. Tunc quippe tenebrosis gentilium cordibus lux cœlestis infulsit, decussaque pristinæ infidelitatis tetra caligine, splendor fidei mentibus perditorum radios suæ claritatis inuexit. Sed huius diei iucundissimum lumen, nox diræ persecutionis interpolat, quando sæuientibus in Christianos mundi principibus, cruces, bestiæ, equulei ferreæque manus, ignitæ sartagines, & ardentes laminæ, & mille tormentorum genera in eorum exitium præparantur: quæ omnia licet Christianorum pars maxima fidei virtute * risisset, non modica tamen multitudo tortoribus cedens, luctum miserabilem sanctis indixit. Secutus est hanc noctem dies, diuinæ miserationis luce clarissimus, quando regibus mundi ad Christum conuersis, subuertuntur templa gentilium, H
& delubra dæmonum in Martyrum memorias consecrantur, & paulatim veritate mortalium pectoribus illabente, nox perfidiæ confusa repellitur. Sed hunc iterum splendidissimum diem, nebula hæreticæ prauitatis obtexit: donec labore doctorum, error productus in lucem, Christianorum corda deseruit; & in ea iam fides diu examinata, & multis probata rationibus, solem iustitiæ periclitanti mundo reuexit. Et ecce nunc aduesperascit, & inclinata est iam dies. O tempora periculosa! Iam tertij diei lucem, falsorum Christianorum perdita vita recondit, & noctem superabundanti iniquitate caligantem, senescenti iam mundo refundit. Superabundat enim iniquitas, & refrigescit charitas. Expectamus diem, qua prædicante Henoch & Elia, Iesum inueniat mater eius Synagoga, ingressa nimirum templum: id est Ecclesiam: in qua inter seniores & doctores, medius residet mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in paruulis audiens, in adolescentibus quærens, in senioribus docens.

Tunc vox lætitiæ, & exultationis in tabernaculis Iacob personabit, quando agnitus à fratribus verus Ioseph, popu-

* forte vicisset.

A
Gen. 45. 26.

populo Iudæorum in fine mundi, quasi patri senescenti viuus nunriabitur à dicentibus. *Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti.* Fili, inquir, *quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quid fecisti, O Ioseph? Mater moritur, pater perpeti fletu conteritur, periclitanrur fratres, tota insuper domus paterna languescit, & ru, ruorum negligens, Ægyptijs consulis ad salutem? Fili, quid fecisti nobis sic? Eunr fratres in Ægyptum, & redeunt, cernunr te Dominum terræ, nec recognoscunt: & speciosus ille vultus, quem Ægyptus tota miratur, domesticis tantum ruæ carnis absconditur. *Fili, quid fecisti nobis sic?*

Luc. 15. 30.
Ier. 5. 9.
Rom. 1. 23.

Respicis tuos quasi alienos, imponis crimina, minaris supplicia, & quem clementissimum inueninnr alieni, tui te crudelissimum repetiunt. *Fili quid fecisti nobis sic?* Prodigus ille filius tuus, qui dilapidauit omnem substantiam suam cum meretricibus, qui fornicatus in ligno & lapide, & mutauit gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, atque

B

serpentium; introductus in domum ruam, ecce iam rot annis vituli saginati carnibus pastus, & sanguine vuæ meracissimo debriatus, in nostri Dauid delicijs symphonia lusit, & choro; & nos, quorum erat testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus tu secundum carnem, quasi alieni foras stetimus. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Putabamus nouo miraculo remplum reædificandum, restaurandum sacerdotium, dispersionem Israel in dilectam sibi Hierosolymam reuocandam, & sic Christum inueniendum in finibus Iudeæ, quem nunc inuenimus in campis siluæ.

Dolentes quærebamus te: doluimus anriqua sublata miracula, oracula siluisse Propherica, Ducem de femore Iacob nullum, vnctionem Regum & Pontificum nullam: & cum hæc omnia ruum testarentur aduentum, non credidimus tamen re, nobis relictis, alienum dignasse hospitium: Ideo *dolentes quærebamus te.* Non putabamus nobis promissum, nobis redditum, ob æmulæ gentis salutem re-

C
a Deut. 32. 18.
b ibid. 10. 11
c Exo. 14. 21
d Exod. 16. 14.
e Exo. 17. 6.
f Exod. 14. 22.
g ibidem.
h Iosue 10. 12. 13.

liquisse *a* quos genuit, spreuisse *b* quos fouit: & his, *c* quibus mare cessit, *d* quos cœlum pauit, *e* quos porauit saxum, *f* quibus aqua murus extitit, *g* quibus murus peruius fuit, *h* quibus paruit sol, quibus luna substitit, immundas idolatria gentes prætulisse. Ideo dolenres quærebamus te. Et aliquando quidem multis indicijs tuus nobis probabatur aduenrus, sed ob gentium vocationem, & nostram repulsionem rursus desperabatur. Ideo *dolentes quærebamus te.* Et ille: *Quid est*, inquit, *quod me quærebatis? nesciebatis quia in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse?*

Luc. 24. 25. 47.

O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ, nonne ita oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, & prædicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes? Siccine non audistis per os Dauid vocem patris ad filium?

Psal. 2. 8.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Quid est quod me quærebatis, & non statim inter gentes inueniebatis? Nonne Abrahæ dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ?*

Gen. 22. 18.

Nesciebatis quia in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Audite patrem per Isaiam loquentem mihi.

D
Isa. 49. 6.

Parum mihi est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad fines terræ. Nonne ego sum apud Patriarcham Iacob *Expectatio gentium*, & apud * Malachiam, *Desideratus earum?* & sicut idem air, *a A solis ortu vsq; ad occasum, magnum nomen meum in gentibus.*

Gen. 49. 10.
* Lapsus est memoriæ, vel error scribæ; nam est. Aggæi 2. 8.
a Malach. 1. 11.
Psal. 101. 14
Mat. 28. 20

Tumuistis muneribus meis, inuidistis visceribus meis; & quia nequam oculus saluti pœnitentis inuidit, liuore cæcatus propriæ saluris authorem videre non poruit. Ideo naturalibus ramis non peperci, sed illis à radice naturalis oliuæ decisis, ramos alienos inserui. Sed nunc exurgens miserebor Sion, quia tempus miserendi eius, quia venir rempus. Reuoco quos abieceram; recolligo quos dispersetam; suscipio quos repuleram; *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Hæc inrerim allegorice dicta sufficiunr.

Nunc redeundum [139] est mihi ad te, fili charissime, cui animus est conformari Christo, & vestigijs Iesu arctius inhærere: si forte [140] sufficiam in Euangelica lectione

E

tuum tibi explicare profectum, vt hoc [141] ipsum in his legas schedulis, quod in [142] temetipso ab intus suauius experiris. Credo enim te [143] de Bethleemitica paupertate ad Nazarenas transisse diuitias, & iam [144] duodennem effectum, de floribus Nazarenis ad fructus Hierosolimiticos [145] ascendisse, vt non tam in codicibus, quam in proprijs moribus hæc mystica valeas lectitare: sicut enim Bethleem vbi Christus [146] paruus, & pauper nascitur, bonæ vitæ est inchoatio, [147] Nazareth vbi nutritur, virtutum exercitatio, ita Hierusalem, ad [148] quam duodennis ascendit, cœlestium secretorum est contemplatio. In [149] Bethleem anima pauperascit, in Nazareth ditescit, in Hierusalem [150] delicijs affluit. Pauperascit perfecta mundi abrenunciatione, ditescit virtutum [151] perfectione, delicijs affluit spiritualium saporum dulcedine. Ascendendum quippe est à conualle plorationis inter aspera tentationis, per plana exercitij spiritualis, ad alta luminosæ contemplationis. In Bethleem nouæ [152] conuersationis dedicatur infantia, quæ rationis impotens neminem

F

cædit, neminem fallit, libera cupiditatis, suæ voluntatis inscia, neminem iudicat, nulli detrahit, nihil cupit, nec de præsentibus anxia, nec de futuris solicita, alieno tantum sustentatur iudicio. Hanc nobis infantiam vas electionis commendans, *Si* [153] *quis*, inquit, *voluerit inter vos sapiens fieri, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et Dominus in Euangelio. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

1. Cor. 3. 18.
Matt. 18. 3.

Hac itaque anima [154] quælibet initiatus infantia post Herodianas persecutiones, si cœperint in ea, quasi in agro fertilissimo, virtutum [155] flores vberius pullulare; non immerito Nazareth, quæ flos interpretatur, quasi seprennis inhabitans, duodecimum annum feliciter expectabit. Primo quidem necesse est, vt ager cordis nostri peccatorum nostrorum recordatione, & infirmitatis nostræ [156] consideratione, quasi stercoretur: deinde tentationum vomere multipliciter fatigetur, & sic virtutum semina flores parturiant spiritualium exercitiorum. Ergo illum, à [157] quo spiritus timoris [158] antiqua vitia, & insolitas [159] cupiditates resecauerit, vnius anni puerum æ-

G

stimato. Si deinde mitem eum, & obedientem spiritus pietatis effecerit, [160] bimum eum spiritualiter iudicato. Iam si spiritus scientiæ suæ infirmitatis cognitionem, & [161] auxilij desiderium diuini infuderit, [162] tertium annum non dubites accessisse. Quem si contra omnes tentationes, & carnales delectationes, quæ militant aduersus animam, spiritus fortitudinis immobilem reddiderit ac robustum, annorum quatuor puerum admirare. Accedat spiritus consilij, & [163] virtute eum discretionis quinquennem efficiet. Cui si spiritus [164] intellectus meditationem sacræ legis indulserit, ad sexti anni ætatem felici progressu perueniet. Septimum annum spiritus sapientiæ aduehit, quæ de legis diuinæ meditatione procedit [165] quatuor virtutes, quasi quatuor annorum lucem, animæ inuehens perficienti, quibus nihil est in vita vtilius hominibus, sicut [166] de ipsa sapientia scriptum est. *Sobrietatem, docet & Prudentiam, & Iustitiam, & Virtutem, quibus nihil est vtilius.*

Sap. 8. 7.
H

[167] Hæ sunt enim præcedentium virtutem moderatrices, sine quibus ceteræ nec honeste haberi, nec perseueranter possunr seruari. [168] Agit enim Sobrietas, quæ alio nomine [169] dicitur Temperantia, ne sit ipsarum virtutum immoderata progressio: Prudentia, ne sit [170] earum indiscreta confusio: Iustitia, ne sit virtutum [171] vsus inordinatus: Virtus, [172] quæ & Fortitudo dicitur, vt perseueranter eius [173] teneatur affectus. Sequitur [174] annus duodecimus, lux videlicet contemplationis, quæ ad ipsam Hierusalem [175] cœlestem animam subleuat æstuantem: quæ cœlum referat, quæ portas [176] aperit paradisi: quæ ipsum sponsum, speciosum forma præ filijs hominum, quasi per cancellos prospicientem [177] puræ mentis oculis exhibet contemplandum, vt vocem illam suauissimam mereatur audire. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Cant. 4. 7.

[178] Emaculata enim sordibus passionum, euolans à retibus occupationum, abolita memoria præteritorum, euanescentibus imaginibus [179] exteriorum; decoram cordis sui faciem ad cernendum quem diligit, summa auiditate sustollit, & [180] ideo audire meretur. *Tota*

Cant. 2. 11.

A *pulchra es amica mea, & macula non est in te; Hyems,* inquit, *transiit, imber abijt, & recessit, flores*[181] *apparuerunt.* Hi sunt flores odoriferi, nimirum, licet adhuc in quadam nouitate, virtutes; quæ post hyemem persecutionum, & [182] imbres tentationum, in agro pectoris bene proficientis feliciter oriuntur: [183] quorum Christus decore simul, & odore delectatus, ab inferioribus eam ad superiora inuitans: Hyems, inquit, transijt, imber abijt, & recessit, flores[184] apparuerunt. Et [185] quoniam per gemitum compunctionis, aperitur via contemplationis, adiecit in conse-
Cant.2.12. quentibus: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Recole, fili, quid soleas in angulis susurrare, [186] cum instar turturis, quæ auis castissima est, & soliuaga, & gemebunda, latebras quæris, & licet inter multos[187] constitutus solitudinem tibi ædificas[188] quotidianam; quomodo gemis, quomodo æstuas, quomodo quæris quem diligit anima tua, & [189] amoris impatiens iam optas videre quem[190] amas
B quomodo nunc blandiris, nunc ad maioris desiderij incentiuum suauiter indignaris; nunc moras accusas, nunc [191] te causaris contemptum; nunc te eius visitatione cõfiteris indignum, & iterum de eius [192] toties experta bonitate præsumis: nunc quasi vlterius non sustinens, spiritali quodam litigio vel luctamine, euincere retardantem conaris. Quæ tunc lacrymæ, qui gemitus, quæ suspiria, quæ voces? Nunc oculi fletu graues [193] cum imis singultibus eriguntur ad cœlum, nunc manus expandnntur, & brachia: nūc pectoris tunsione animæ tarditas accusatur: proferuntur interim verba sine principio, sine [194] fine, & quorum nec sententiæ cohærent sibi, nec rationes similes sunt, nec alicuius linguæ sensus vel idioma seruatur, quando vox aliquando respondet affectui, & iterum vocem affectus intercipit. Gaudet certe pius ille Iesus tali certamine superari, & talis [195] animæ tanta constantia delectatus,
Cant.2.12. ad circumstantes angelos gloriatur: *Vox turturis audita est in terra* [196] *nostra.* In terra enim viuentium talis vox animæ æstuantis auditur, & tanti desiderij odor suauissimus, vniuersam demulcet ciuitatem Dei. Sic tibi in [197] angulo
C domatis, quasi Eliç in spelunca, primo transit spiritus[198]
3.Reg.19.11. grandis & fortis *subuertens montes, & conterens*[199] *petras:* sed non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio, sed non in commotione Dominus; & post commotionem ignis, sed non igne [200] Dominus; & post ignem sibilus auræ[201] tenuis. Hi sunt gradus quidam per quos in oratione mens compuncta conscendit, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & [202] vniuersi pulueris pigmentarij. Sed hæc tibi ipsi non tam inuestiganda, quam in ipsa tua oratione animaduertenda [203] committo: vt diligenter attendas, cum qua primum difficultate nõnunquam ingrederis cubiculum pectoris tui, vt[204] inuenias ibi speluncam: in qua [205] quodammodo ab omnibus, quæ mundi sunt, sepeliaris, & ores patrem tuum in abscõdito. Videtur aliquando cor in modum [206] silicis duruisse; videtur quasi mons aliquis interiacens, interiorem aspectum ab omnibus spiritualibus exclusisse; donec spiritus [207] grandis & fortis pertransiens subuertat montes,
D & conterat petras ante Dominum: quem nimirum spiritum sequitur[208] commotio, quando mens quadã compunctione resoluitur, & profluentibus lacrymis, quidquid in se [209] sordidum sentit, aduersum se commota, interiori contritione detergit; vnde orta spe, igne ineffabilis desiderij exardescit, & spirituale quoddam certamen init cum Deo: donec sibilus auræ tenuis illapsus præcordijs, leni tactu perstringit [210] affectum; cunctisque motibus, [211] cunctis distensionibus, cunctis verbis, cunctis cogitationibus imponens silentium, vsque ad [212] ipsas portas Hierusalem cœlestis animam subleuet contemplantem. Tunc ille diu quæsitus, toties rogatus, tam ardenter desideratus, *speciosus forma præ filijs hominum,* quasi per can-
Cant.2.10. cellos prospiciens, inuitat ad oscula, *Surge,* inquiens, *propera amica mea, & veni.* Tunc ingrediens Hierusalem, transit in [213] locum admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis. Tunc amplexus, tunc oscula, tunc inueni quem diligit anima mea: tenui illum, nec dimittam. Tunc in Hierusalem affluit delicijs, & fruitur bonis; & diem festum cum[214] exultatione, & gaudio colit.

Obsecro itaque fili charissime, memento mei cum bene E
tibi fuerit, vt suggeras dilecto tuo, regi tuo qui est in sancto, vt educat me de isto carcere, de his tenebris, de his vinculis: vt tandem aliquando respirem[215] in purioris gaudij libertatem, sentiamque & ego quam magna multitudo dulcedinis illius, quam abscondit timentibus se. Sed heu, heu rara hora, & parua mora. [216] Felix qui triduo in his poterit commorari delicijs. In his tribus[217] diebus, triplicem contemplationis lucem non inconuenienter intelligo: quoniam, quidquid de Deo poterit mens illuminata sentire, aut ad potentiam eius, [218] aut sapientiam aut bonitatem credimus pertinere. Cernitur itaque Dominus Iesus aliquando fortis, & [219] potens: cernitur potens in prœlio, vt scias te, si dilexeris illum, contra mundum, contra diabolum, contra omnem principatum & potestatem eius dextera[220] protegendum: cui resistere nemo potest, [221] sub qua curuantur qui portant orbem, qui si tenuerit aquas, omnia siccabuntur, si emiserit
[222] eas, subuertent terram. Si igitur spiritus potestatem F
habens ascenderit super te, si stimulos acediæ exagitauerit, si aculeos diuersarum passionum accenderit, si [223] aduersus te commouerit mundum, si inflammauerit persecutiones, si times, si trepidas, si per singula[224] momenta vinci formidas, & ita ad Iesum tuum anxius curris, ploras, exponis pericula, opem [225] flagitas: adhæret tibi quem diligis [226] in spem regis potentissimi, & secundum orationem Sancti Dauid, apprehendet arma & scutum, & exurget in adiutorium tibi, [227] audiesque. *Ne timeas à facie* Ier.1.8.
eorum, quia ego tecum sum.

At si secretorum cognitionem, [228] vel quæstionis alicuius solutionem tibi [229] desideres reuelari; si mundanæ confusionis causas, & rationes anxius admiraris; si mouentur pedes, quia pacem peccatorum vides, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur: quæris diuersorium vbi cum Iesu solus cum solo fabuleris, [230] clamasque cum * Abacuch. *Iustus es tu Domine si disputem tecum, veruntamen* [231] *iusta loquor ad te. Quare via impiorum prosperatur, &c.* Sic itaque quærenti aderit magister[232] ille, qui solus docet hominem scientiam,

* In Ieremia c. 12. 1. hoc habetur non in Abacuch.

G [233] qui reuelat oculos nostros, vt consideremus mirabilia de lege eius, qui habet clauem sapientiæ, & aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit: [234] aderit autem in specie decoris suauissimi, in cuius dextera ignea lex, vt [235] te & legis cognitione illuminet, & charitatis, quæ ex legis meditatione procedit, inflammet. Porro in sinistra eius virga æquitatis, virga [236] regni sui, vt & quærentis præsumptionem arguat, & curiositatem compescat. Postremo si hæc omnia etsi magna, etsi splendida, etsi sublimia [237] vnius tantum osculi desiderio, ac suauissimorum labiorum illius vno tantum [238] tactu fastidias, incipiasque querulis vocibus cum Propheta clamare: *Quæsiui* Psal.26.8.
vultum tuum, vultum tuum Domine, [239] *requiro,* & illud,
Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt in- Cant.8.1.
ueniam te foris, & [240] *deosculer?* Veniet certe tibi in odore vnguentorum, & ornatum: sicque [241] cœleste quoddam ac diuinum tuæ menti imprimens osculum, omnia viscera H
tua ineffabili [242] iucunditate perfundet, vt te clamare
delectet. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Cum legem, & Pro- Psal.44.3.
phetas [243] legeris: animaduerte diligenter, & inuenies has ipsas apparitiones, siue contemplationes multoties in figuris quibusdam, & ænigmatibus designatas. Sunt enim multa[244] genera contemplationum, ac spiritualium visionum: quæ tamen [245] omnia; vt credo, vel ad Dei potentiam, [246] vel sapientiam, vel benignitatem pertinere noscuntur. Nam si cogitetur[247] Deus rerum omnium causa, vt quolibet modo sint; quarundam autem vt etiam rationales, & per hoc sapientiæ capaces sint; multarũ quoque vt etiam bene sint: primum illud potentiæ, alterum sapientiæ, vltimũ[248] ascribitur bonitati. Potentiæ quippe est, quod sine illo natura nulla subsistit: Sapientiæ, quod sine ipso nulla doctrina [249] instruit: Bonitatis, quod sine illo nullus vsus expedit. Apud ipsum secura sunt omnia, cum nihil sit, quo[250] eius possit perturbari potẽtia: in [251] ipso certa sunt omnia, cuius non potest falli sapientia: ex ipso recta sunt omnia, cuius[252] naturam nulla

potest

A Potest deprauare malitia. Ergo in [253] rerum creatione contemplamur eius potentiam; in forma, sapientiam; bonitatem in vsu. [254] Sane si in ijs, quæ secundum carnem gessit, eum contemplari malueris: hunc ipsum triduanæ
Luc. 2. 7. lucis splendorem facile intueberis. Si iacentem in præsepio, si in brachijs vagientem, si pendentem ad vbera, si in-
Luc. 2. 28. ter vlnas Simeonis paruulum, oculis illuminatæ mentis a-
Ioan. 2. 14. 15. spexeris; [255] bonitatis illius opera admirare. Si vultum illum igneum, flagellum quoque de resticulis, vocemque terribilem, quibus vendentes & ementes in templo terruit; quibus euertit cathedras nummulariorum, & æs effudit; quibus insuper columbarum venditores eiecit, considerare delectat: tantæ virtutis potentiam expauesce. At si
Matt. 9. 11. & 12. 2. 14. 24. iucundum ducis insidias Scribarum & Pharisæorum toties deprehensas, callidas eorum obiectiones, responsionum illius prudentia confutatas, oculata mente perspicere, sapientiæ eius lucem clarius emicare persenties. Ita [256] quoque potentiæ fuit quod fugauit dæmones,
B quod turbas pauit, quod calcauit maria, quod Lazarum vocauit de [257] monumento; cum non minoris fuerit sapientiæ, quod, vt princeps mundi falleretur, inter hæc diuina miracula à diabolo se tentari permisit; quod velut [258] egens esurijt; quod in naui dormiuit, quod crucem moriturus ascendit. Verum quia in [259] bonitatis eius meditatione libentius immoraris, ingredere, quæso, domum Simonis [260] Pharisæi, intuere attentius quam pio, quam suaui, quam iucundo, quam clementi vultu humi prostratam respicit peccatricem: [261] quam compatienter sanctissimos illos pedes pœnitentis lacrymis præbeat irrigandos, capillis, quos sibi hactenus [262] superbia, ac lasciuia vendicauerant, detergendos: [263] labijs tot scelerum fœditate pollutis dulciter osculandos. Osculare, osculare, ô beata [264] peccatrix, Osculare pedes illos dulcissimos, suauissimos, speciosissimos, quibus caput serpentis conteritur; ante quos antiquus hostis egreditur; quibus calcantur vitia; quibus [265] omnis mundi huius sternitur gloria; quibus superborum & sublimium
C colla mira virtute premuntur. Osculare, inquam, & [266] felicibus labijs adlambe vestigia, quæ nullus post te peccator exhorreat, nullus quantumlibet criminosus refugiat, nullus expauescat indignus. Osculare, complectere, stringe, & angelis, & hominibus veneranda vestigia, [267] perfunde pœnitentiæ, & confessionis vnguento, vt tota domus [268] impleatur ex odore vnguenti. Væ tibi, ô Pharisæe, cui est [269] odor iste odor mortis in mortem; qui times alienis maculari peccatis, cum te tumor proprius deterius [270] fœdiusque commaculet. Nescis quam suaue redoleat [271] misericordiæ, confessa peccatricis huius misera? quam dulce sapiat pietati, confessio puta peccati? quam gratum sit illi sacrificium, [272] cordis contritio? quantum consumat peccatum, ardens dilectio? Denique *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* [273] Gratias tibi, ô beatissima peccatrix: ostendisti mundo tutum suis peccatoribus locum, [274] pedes Iesu, qui neminem spernunt, [275] neminem reijciunt, ne-
D minem repellunt, suscipiunt omnes, omnes [276] admittunt. Ibi certe æthiopissa mutat pellem suam, ibi pardus deponit varietatem suam, vbi solus Pharisæus non exspumat superbiam suam. Quid agis, ô anima mea, ô misera mea, ô peccatrix mea: habes [277] certe vbi tute tuas lacrymas libes, vbi fœda tua oscula sacris osculis purges, vbi totum tuæ affectionis vnguentum secure, sine [278] aliquo tactu vel motu vitij tentantis effundas. Quid dissimulas? erumpite, ô dulces lacrymæ, erumpite, cursum vestrum nullus impediat; rigate sacratissimas [179] plantas Saluatoris mei, susceptoris [280] mei: non curo, si quis Pharisæus submurmuret, si me à suis sedibus arcendum censeat, si fimbriæ suæ tactu indignum me iudicet, subsannet, rideat, & irrideat, auertat oculos, contineat nares, [281] nihilominus tuis inhærebo vestigijs Iesu: stringam manibus, premam labijs, nec à lacrymis cessabo vel osculis; donec audiam, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Est ergo dies prima, qua [282] anima Deum sitiens, in speculatiuis amœnitatibus, quasi in Hierusalem commoratur, potentiæ diuinæ contemplatio: secunda, sapientiæ illius admiratio: tertia, [283] bonitatis eius & dulcedinis suauis prælibatio. Ad primam pertinet iustitia; [284] ad alteram scientia; ad tertiam vero misericordia. E

Iustitia terret, scientia docet, misericordia fouet. [285]
Introibo, inquit Propheta, *in potentias Domini: Domine memo-* Psal. 70. 16.
rabor iustitiæ tuæ solius. Ecce Iustitia. [286] *Incerta,* ait, *& oc-* Psal. 50. 8.
culta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Ecce scientia. *Quoniam* Psal. 62. 4.
melior est misericordia tua super vitas. Ecce misericordia. Et in prima die timor, qui ex iustitiæ consideratione procedit, animam [287] purgat; purgatam sapientia illuminat; illuminatam bonitas suæ dulcedinis infusione remunerat. Cernis, ni fallor, quam necessarium sit, & vtile inter bonorum operum exercitia, per triduum hoc Hierosolymitanas frequentare delicias, in quibus timor [288] administrat tibi panem doloris, scientia vinum exultationis, bonitas lac consolationis. Scio [289] te non mirari quod delicias dixerim, quibus dolorem non deesse commemoraui: [290] cum sæpius expertus sis, quod dolorem illum qui F [291] de casto timore procedit, omnibus huius mundi delicijs mens compuncta præponat. Et hæc [292] dicta sint pro modulo experientiæ nostræ. Cæterum viri excellentioris meriti, & capacioris ingenij, animæque purgatioris [293] in his tribus sublimiora, ac profundiora rimantur: in potentia scilicet, Dei profunda iudicia; in sapientia, eius secreta consilia; in [294] bonitate, misericordiæ illius verba ineffabilia. Denique Paulus [295] ingressus potentias
Domini, & abyssum iudiciorum eius, expauescens, *O ho-* Rom. 9. 20.
mo, inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo! Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit cur me fecisti [296] sic? &c.* Sed & thesauros
sapientiæ eius [297] admirans exclamat. *O altitudo diuitia-* Rom. 11. 33.
rum sapientiæ, & scientiæ Dei, & reliqua. Diuitias quoque bo-
nitatis eius commemorans. *An diuitias,* inquit, [298] *boni-* Rom. 2. 4.
tatis, & longanimitatis Dei contemnis? Post [299] triduum ergo inuenerunt eum in templo: haud dubium quin Maria & Ioseph, altera mater, alter nutricius. Inuenitur itaque spiritualis spiritualium contemplator non in quolibet [300] loco in Hierusalem, sed in templo: habet enim Hierusalem atrium, habet portas, [301] habet & templum. Et G atrium quidem aliquando patet etiam inimicis, portæ non aperiuntur nisi amicis, ingressus vero templi non indulgetur nisi perfectis. Igitur qui in temporalibus æterna, in terrenis cœlestia, in humanis [302] diuina; id est, in creatura creatorem valet inspicere, quasi in [303] atria Hierusalem introductus exultet. Hucusque philosophi, quasi inimici, in atria intelligentiæ suæ [304] vim potuerunt exten-
dere, sicut dicit Apostolus. [305] *Quod notum est Dei, manife-* Rom. 1. 19.
stum est in illis. Inuisibilia enim [306] eius, &c. Qui vero in scripturis sanctis ablato velamine, reuelata facie gloriam Dei [307] contemplari potuerit, de ingressu portarum Hierusalem glorietur. At si pinguedinem intimæ dilectionis, & tuæ adipem affectionis, in cordis ara cœlestis desiderij flamma succenderit, & ascenderit fumus aromatum [308] de fragrantia orationum, sicque oculus mentis in ipsa cœli secreta [309] radium porrexerit, cordis quoque palato ipsius diuinæ dulcedinis fœlix tactus sapuerit: cum holocausto gratissimo templum Hierusalem frequentasti. Sed H anima sancta in his delicijs commorante, [310] dolent mater & nutritius, conqueruntur & quærunt, inuentum tandem, & leni increpatione castigatum, reducunt ad Nazareth. Hæc maxime [311] viris illis spiritualibus congruunt, quibus dispensatio verbi Dei, vel animarum cura commissa est. Porro nutritium nostrum [312] nihil libentius dixerim quam Spiritum sanctum: nec matrem nihil rectius quam charitatem. Hi nos fouent, & promouent; pascunt, & nutriunt: & geminæ affectionis, Dei videlicet & proximi, lacte reficiunt. Hi nos in studijs, quasi in Nazareth, tenent & sustinent; hi nos consolantur in tristibus; hi in dubijs consulunt; hi fessos roborant; hi sanant contritos corde, & alligant contritiones eorum. Horum auxilio de Nazareth transimus in Hierusalem, de labore ad requiem, de fructu bonæ actionis, ad secreta contemplationis. Hi nobis æterna lege præscribunt, vt pro cura proximi, non negligamus ex toto contemplationem Dei; nec rursus pro delicijs contemplationis, curam [313] proximi negliga-

gligamus. Vnde non immerito, si quieti plusquam oporter [314] indulgeamus, quasi de nobis charitas fraterna conqueritur, nec gratam habet nostram in Hierusalem commorationem, si [315] alijs, quos nostra solicitudine prospicit, senserit imminere ex nostra quiete perniciem. Plerumque enim nobis vel secretis meditationibus, vel priuatis [316] orationibus omni proposita actione intentis, si plusquam subditis expedit, [317] immoremur: in medijs delicijs, spiritu nimirum operante & charitate suggerente, subito venit in mentem memoria [318] infirmorum, & illum cogitamus contristatum expectare à paternis visceribus consolationem: alterum tentatum explorare quando [319] procedens ad publicum, aliquod pater ei afferat suo sermone solamen: illum iræ stimulis [320] agitatum, quia non habet vbi conceptum virus confessione salubri euaporet, aduersus patrem submurmurare: alterum [321] acediæ spiritu victum, vt inueniat cui loquatur, quem consulat, huc illucque discurrere. Tali itaque [322] suggestu progressi, ex fraternis cordibus quasi increpantem audimus matrem charitatem: *Fili quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus* [323] *te.* Nec iniuria dicimus Spiritum Sanctum, vel charitatem in sanctis, etsi adhuc minus perfectis, aut dolere, aut conqueri; cum ipse spiritus gemitibus inenarrabilibus interpellet pro nobis, qui & [324] loqui, contristari, & cætera talia in sanctis agere consueuit. Quod si contra huiusmodi [315] necessitates amor quietis, in ipsius animæ affectibus murmuret quasi dicens: *Nonne in his, quæ patris mei sunt oportet me esse?* nihilominus considerans spiritus rationalis, quod ideo [326] mortuus est Christus, vt qui viuit non sibi viuat, descendit [327] cum illis, & subditur illis. Secure [328] descendit qui cum tali nutricio, & cum tali matre descendit: feliciter descendit, qui spiritu Dei actus, charitatiuè inferioribus condescendit.

Descendam [329] libens his ducibus etiam in Ægyptum, tantum si ducunt, reducant; si cogunt descendere, & reascendere faciant. Libenter [330] subdar talibus magistris, libenter supponam humeros oneri quod imposuerint, [331] libens excipiam iugum cui me subdiderint: sciens quia iugum eorum suaue est, & onus eorum leue. [332] Sed & tibi, fili mi, licet à talibus curis liberum adhuc sub alis suis te Christus abscondat, quod Prælatis incumbit facere ne subditi periclitentur, hoc ipsum expedit prouidere, ne socij scandalizentur. Illi [333] necessitates subditorum nonnunquam præponunt delicijs contemplationis, tu eas non præponas vnitati & paci congregationis? Præcipue hęc ipsa spiritualium vicissitudinum tempora, [334] quando videlicet vel descendas ad Nazareth, vel ascendas in Hierusalem, nunquam solus, id est, propriæ voluntatis arbitrio, sed semper seniorum distingue consilio. Ecce [335] habes, charissime, quod petisti, licet tuo desiderio, tuo affectui, tuæ expectationi nihil dignum, voluntatis tamen meæ, & qualiscunque conatus aliquod, ni fallor, indicium. [336] Sciasque quod non tam Euangelicam lectionem exponere, quam ex ea aliqua tibi meditationum semina, sicut rogasti, elicere curauimus.

VARIÆ LECTIONES.

Iuxta excusum exemplar Parisiense operum D. Bernardi Anno M. DC. IX.

1. Iesu pia gesta. Excus. *Iesu gesta.*
2. Nuntius ista loq. Excus. Nuntius *ipse* loq.
3. Respexi, respexi miser, resp. Excus. *Respexi miser, resp.*
4. Suauia, ac iuc. Excus. Suauia *&* iucun.
5. Occup. ac sollicit. me su. abstraxerint. Excus. Occup. *&* sollicit. me su. *extraxerint.*
6. Suæ. Cernis tu ip. ex. inq. modo. Excus. suæ, *cernens* in ip. *inquisitionis tuæ* modo.
7. Mihi scintillat affectus. Excus. Mi. *instillabat* aff.
8. Oculos illos suauissimos. Excus. *Oculos suauiss.*
9. Vt mihi videtur. Excus. Vt *videtur mihi.*
10. Vbi latebas? Excus. Vbi *iacebas?*
11. Cœlo, an in. Excus. cœlo? *Vtrum* in.
12. Tuæ tunc ætatis Excus. *Tuæ ætatis.*
13. Tuam tam familiariter. Excus. *Tam familiariter tuam.*
14. Domine, quod sanctis. Excus. Domine? *Quid* sanctus.
15. Cur puerum quæreb. Excus. Cur. *Dominum* quæreb.
16. Ne a quolibet suæ ætatis puero. Exc. *Ne ab alio* quolibet *ætatis suæ* puero.
17. Gloriosus à Salomone. Exc. *Gloriosius Salomone.*
18. Vtinam mihi inspirare dignetur. Exc. Vtinam *&* mihi inspirare *dignaretur.*
19. Quid tibi sic quær. Exc. Quid *illi* sic quær.
20. Interno ac spiritali. Exc. Interno *&* spiritali.
21. Tibi scribere, ac gustata eructare sufficerem. Exc. Tibi *scriberem, &* gust. eruct. *sufferrem.*
22. Nec solus tamen, sed. Exc. Nec *tamen solus* sed.
23. Doctor & vt dux. Exc. Doctor. *Quia* vt dux.
24. Via, quoniam à summo. Exc. Via, *quia* à summo.
25. Eius. Vbi plena. Exc. Eius. *Ibi* plena.
26. Infudisset, & Nazareth. Exc Infudisset, *etiam* Nazareth.
27. Sua nobilitauit præsentia. Exc. Sua *præsentia nobilitauit.*
28. Effectus, templum ingreditur quasi puer. Excus. Effectus, *in* temp. *introducitur, vtq;* puer.
29. Reditum præmonstras. Exc. Reditum *demonstras.*
30. Dabit mihi, bone. Exc. Dabit *me*, bone.
31. Omnia mea. Exc. Omnia *bona* mea.
32. Sequens quidem animalia Exc. Sequens *quadam* animalia.
33. Non inueniens. Exc. Non *inueni.*
34. Ego autem hic Exc. *Et* ego hic.
35. Ad patrem exaudiuit. Exc. Ad *Deum* exaudiuit.
36. Deducens in viam. Exc. Deducens *me* in viam.
37. Quam? nisi illam. Exc. *In* quam? nisi *in* illam.
38. Abundat panibus, & domus panis dicitur. Exc. *Abundans* panibus, *domus dicitur panis?*
39. Bonis; pane vtique illo qui. Exc. Bonis. *Pauper* vtique *ille* qui.
40. Præsepi spiritalium cibus factus est. Exc. Præsepi, *spiritalium* cibus *effectus* est.
41. Conuersionis, quasi spiritalis cuiusdam natiuitatis sunt initia, vt conformemur paruulo. Excus. Conuersionis *vita* quasi *spiritualis* cuiusd. nat. *initium*, vt *conformetur* paruulo.
42. Fili accessisti ad. Exc. fili *accedens* ad.
43. Suam à nobis Dominus Iesus non. Exc. Suam *Dominus Iesus à nobis* non.
44. Lateat; & ecce Ægyp. Exc. lateat. *Ecce Ægyptus.*
45. Et vmbra mortis, laborantes expertæ iucunditatis inopia, vincti. Exc. Et *in* vmbra mortis, *ex parte* iucunditatis inopia vincti.
46. Videlicet cordis duritia. Exc. Videlicet *duritia cordis.*
47. Enim suæ consolationis. Exc. Enim *consolationis suæ.*
48. Vincula duritiæ inter. Exc. Vinc. *inter duritia.*
49. Præcedit ad Nazareth. Exc. Præc. *in* Nazar.
50. Fructus, sub seniorum disciplinæ nutriti, duodecimi anni delitias sortiamur. Exc. fructus, *seniorum disciplina* nutriti *duodecim annis* del. sor.
51. Profecto & crescit. Exc. *Profecto crescit.*
52. Festi, consummatisque diebus cum redirent. Exc. *festi, cum* redirent.
53. Prætereat sanctissimæ huius historiæ mira suauitas. Exc. Prætereat *huius historia suauitas.*
54. Seorsim viri, seorsim in. Exc. *Seorsum* viri, *seorsum* in.
55. Sacris solemniis. Exc. Sacris *solemnibus.*
56. Iesum in illo itinere nunc. Excus. *Iesum illo tempore* nunc.
57. Quanta fuit eorum fel. Exc. Quanta *eorum fuerit* fel.
58. Quibus datum est tot diebus videre faciem eius, & mellifluos illius audire sermones, considerare in homine & puero signa quædam. Exc. *Qui tot diebus viderunt faciem eius, & mellifluos eius sermones audierunt, & considerauerunt in homine* & puero *insignia* quædam.
59. Mutuas mysterium sapientiæ salutaris. Exc. Mutuas *concessum est* myste. sap. *salutis.*
60. Senes, iuuenes admirantur. Exc. Senes, *admirantur iuuenes.*
61. Pueri morum grauitate, & sermonum illius pondere deterrentur. Exc. *Pueri deterrentur morum eius grauitate & pondere.*
62. Lacrymæ à pueris cum diutius à viris teneretur? Exc. *Lacry. pue. dum* diutius à viris *tenetur?*
63. Querimoniæ cum paulo. Exc. Querimoniæ *dum* paulo.
64. Intimo proclamare affectu. Exc. *Proclamare intimo affectu.*
65. Suspirantibus sed senum cont. Exc. *Suspirantibus senum* cont.
66. Illud facillime coaptatur. Exc. Illud *facile* coaptatur.
67. Sanctam Ciuitatem. Exc. *Ciuitatem Sanctam.*
68. Sibi eius dulcissimam ac iucundissimam præsentiam indulgeri. Exc. *Eius sibi præsentiam dulcissimam* indulg.
69. Felix qui vincit. Exc. *Hac* felix *qua vicit.*
70. Vnusquisque quod esset Exc. Vnus. *quia* esset.
71. Omnibus, ab omnibus. Exc. Omnib. *&* ab omnib.
72. Diei vnius expleto. Exc. *Diei expleto.*
73. Quis tibi cibum ministrauit ac potum. Exc. *Quis cibum aut* potum ministrauit.
74. Potum, quis lectulum strauit, quis detraxit. Exc. Potum *Ministrauit*, quis detraxit.
75. Sicut voluntate nostram infirmitatem suscepisti, ita. Exc. Sicut *voluntatem* nostram *sumpsisti in* infirmitatem: ita.
76. Propiam virtutem ostendisti. Excus. Propriam *ostendisti virtutem.*

A 77. Et ideo eum. Exc. Et *ita* eum.
78. Aliquid liber. Exc. *Libet aliquid.*
79. Et omnes in te. Exc. *Et in te.*
80. Miseriæ calamitates. Exc. *Natura* calami.
81. Illorum mendicatarum. Exc. Illarum *sic* mendic.
82. Vt ad sublimioris opinionis secreta veniamus, prima. Ecus. Vt *hæc* ad *sensus* sublimioris secreta *vertamus.*
83. Vt consideret sed, Exc. *Vt illi consideres* sed.
84. Vt de ordine. Exc. *Vt ordine,*
85. Nec absurda. Exc. *Non absurda.*
86. Quæ in diuina nutura ipse simul. Exc. Quæ *diuina natura sunt simul ipse.*
87. Consubstantialis vtrique. Exc. Consub. *vtrisque.*
88. Quam susceperat homo Deum, paruus magnum consuluerit. Exc. Quam sus. *homo paruus Deum magnum consulere.*
89. Vt patri per. Exc. Vt *ipsi* patri.
90. Baptismate suscipiendo, de eligendis discipulis, de condendo. Excus. Baptis. *agebat suscitando,* de elig. dis. & condendo.
91. Passionis & resur. Exc. Passionis, *de* resur.
92. Die cuncos Patriarcharum & Prophetarum inuisens, Excus. *Die se cuneis* Patriar. & Proph. *immiscens.*
93. Simeone sene iam dudum audierant. Excus. *Sene Simeo. dudum* audier.
B 94. Probauit. Exc. *Approbauit.*
95. Animæquiores & alacriores. Exc. Anim. *atque* alacriores.
96. Templo scilicet Hierosoly. Excus. *Templo Hierosoly.*
97. Reserare; primo audiens & interrogans, deinde interrogatus sacra myst. Exc. *Reserare, Primum* aud. & inter. *deinde sacratiss.* myst.
98. Est pueris, & adolescentibus humilitatis, & verecundiæ forma. Excus. *Est hæc* puer & adol. hum. & *reuerentiæ* forma.
99. Mihi ô dulcissima Domina. Exc. Mihi *dilectissima* Domina.
100. Tuum puerum Iesum. Exc. Tuum *Dominum* Iesum.
101. Intentos in ipsum. Exc. *In ipsum intentos*
102. Aures erectas ad ipsum. Exc. Aures *ad ipsum erectas.*
103. Mea, tenui illum. Exc. Mea *tenebo* illum.
104. Diligis, rue in collum eius, amplectere, osculare, & triduanam absentiam eius multiplic. Exc. Diligis, *& triduanam eius absentiam.* multiplic.
105. Iterum dico tibi ô Domina mea. Excus. Iterum *Domina mea dico tibi.*
106. Substractas tibi vel ad. Exc. *Subtractus vel* ad.
107. Speciosus videntibus, tam suauis amplectentibus, vt Excus. Speciosus *ad videndum,* tam suauis *ad amplectendum,* vt.
108. Est, inquit, quod. Exc. *Est quod.*
109. Fuerat obseruatus incipit. Exc. fuerat *obseruatum* incipit.
C 110. Simul & propriæ Exc. *Simulque* propriæ.
111. Seniorumque præceptis. Excus. *Seniorum præceptis.*
112. His sublimibus. Exc. His *tam* sublimibus.
113. Se subdiderit voluntati. Exc. Se *subdit* voluntati.
114. Euangelista, quia scilicet ipsi. Excus. Euangelist. *scilicet quod* ipsi.
115. Filij sui potuit nescire consilium, sed ceteris non intelligentibus quæ dixerat. Exc. *filij consilium potuit nescire, sed ceteris nescientibus siue non intelligentibus quod dixerit.*
116. Ita beatissima virgo etiam tunc nobis misericorditer prouidebat. Excus. *Ita etiam beatis. vir. tum miser. prouidebat nobis.*
117. Sic sequaces huius. Exc. Sic *sequentes* huius.
118. Sanctis Apostolis & Discipulis. Exc. Sanctis *Discipulis & Apostolis.*
119. His quæ sequuntur. Exc. His *vero* quæ seq.
120. Sapientia, ætate, & gratia apud Deum & apud homines. Excus. *Ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines.*
121. Diuersa senserunt. Exc. Diuersa *sentiunt.*
122. Est meum iudicare. Exc. Est *nostrum* iudicare.
123. Alij quasi creaturam creatori. Exc. Alij *vero* crea. creatori.
124. Eum & sapientia. Exc. *Eum sapientia.*
125. Euangelicæ annitentes auctoritati quæ ait. Excus. *Euangelista* innitentes auctoritati *qui* ait.
D 126. Iesus autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia. Exc *Iesus prof. ætate, & sapientia, & gra.*
127. Passibiles ac per. Exc. passib *atque* per.
128. Vt velet: mihi. Excus. Vt *velit;* mihi.
129. Qua in vnam cum Deo etiam est assumptus personam. Excus. Quo *cum Deo in vnam est* assum. pers.
130. Perfectum fuisse Deum. Exc. *Fuisse perfectum Deum.*
131. Perfectum insuper fuisse & esse virtutem. Exc. *Perfect. fuisse virtutem & esse.*
132. De Christo posuisse. Exc. De *eo* potuisse,
133. Ideo ante resurrectionem aut mortalitatem ei aut passibilitatem. Exc. Ideo *aut* resurrect. aut *mortalitatem, aut* passibilitatem abrogamus.
134. Hominem fuisse confitemur, & veram hominis fuisse naturam, in qua potuit proficere ætate: vtrum autem sapientia, ipsi viderint qui. Exc. Hominem *esse confiteamur,* & veram hominis *fuisse* naturam, in qua potuit *perficere. Vtrum ætate aut sapientia* ipsi *videant.*
135. Fili mi, non. Exc. *Fili non.*
136. Vnde affectus excitetur. Exc. Vnde *animus* excitetur.
137. Ea propter. Exc. *Et propterea.*

138. Dominus Deus noster. *Ab hoc numero vsque ad numerum 139. omnia desunt in Excusis exemplaribus D. Bernardi quæ hactenus videre potui.* E
139. Nunc redeundum est mihi ad te. Excus. *Nunc redeundum est ad te.*
140. Sufficiam in euangelica. Exc. Sufficiam *de* euangelica.
141. Ipsum in his legas schedulis. Excus. Ipsum *legas in his* schedulis.
142. Temetipso ab intus suauius experiris. Excus. *Teipso suauius* experiris.
143. De Bethleemitica paupertate ad Nazarenas transisse diuitias. Excus. *transisse ad Nazarenas de Bethleemitica paupertate* diuitias.
144. Duodennem effectum. Exc. *Duodennum* effectum.
145. Ascendisse vt non Exc. Ascendisse *vbi* non.
146. Paruus & pauper. Exc. *paruulus* & pauper.
147 Nazareth vbi nutritur virtutum exercitatio. Exc. *sicut* Naza. vbi nut. virtutum *est* exercitatio.
148. Quam duodennis ascendit, cœlestium secretorum est contemplatio. Exc. Quam *Dominus* ascendit, *est cœlestium secretorum contemplatio.*
149. Bethleem anima paupetascit. Excus. Bethleem *enim paupere scit.*
150. Deliciis affluit. Pauperascit perfecta. Exc. *Affluit delitiis. Pauperescit quippe* perfecta. F
151. Perfectione, deliciis affluit spiritualium. Exc. Perfectione, *ac* deliciis affluit, & spiritualium.
152. Conuersationis dedicatur. Exc. *Conuersationi* dedicatur.
153. Quis inquit voluerit inter vos sapiens fieri. Exc. Quis *ait inter vos sapiens voluerit* fieri.
154. Anima quælibet initiatus infantia. Exc. *Qualibet anima initiata* infantia.
155. Flores vberius pullulare. Excus. flores *vbique* pullulate.
156. Consideratione quasi stercoretur. Excus. *Consideratione stercoretur.*
157. Vomere multipliciter fatigetur, & sic virtutum semina flores parturiant. Exc. Vom. *multiplici* fatig. *vt sic* virtut, sem. flo. *pariant.*
157. Quo spiritus timoris. Exc. Quo *iam* spiritus.
15.8 Antiqua vitia. Exc. *vitia antiqua.*
159. Cupiditates resecauerit. Exc. Cupid. *resecuerit.*
160. Bimum cum spiritualiter. Exc. *Biennem* spiritualiter.
161. Auxilij desiderium diuini. Exc. Auxilij *diuini desiderium.*
162. Tertium annum non. Exc. *Triennem* non.
163. Contra omnes tentationes. Exc. *Contra tentationes.*
163. Virtute cum discretionis quinquennem efficiet. Excus. *Virtute discr.* quinq. *faciet.* G
164. Intellectus Exc. *Intelligentia.*
165. Quatuor virtutes quasi quatuor annorum lucem animæ inuehens proficisci. Exc. Quatuor *vera* virtutes *cardinales* quasi quatuor *etiam* an. lu. *inuehunt* profi.
166. Sicut de ipsa sapientia scriptum est. Sobrietatem docet. Exc. sicut de *ipsis* scriptum est. Sobrietatem *enim* docet.
167. Hæc sunt enim præcedentium. Exc. Hæc *sunt præcedentium.*
168. Agit enim. Exc. *Facit* enim.
169. Dicitur temperantia. Exc. *Temperantia dicitur.*
170. Earum indiscreta confusio. Excus. Earum *indistincta* confusio.
171. Vsus inordinatus: virtus quæ & fortitudo. Exc. Vsus *immoderatus.* Virtus *quæ fortitudo.*
172. Eius teneatur. Exc. *earum* teneatur.
173. Annus duodecimus lex videlicet contemplationis. Excus. Annus *duodenus isque* contemplationis.
174. Hierusalem cœlestem. Exc. *Cœlestem Hierusalem.*
175. Aperit paradisi. Exc. *Paradisi aperit.*
176. Ipsum sponsum speciosum. Excus. *sponsum ipsum sponsum* speciosum.
177. Puræ mentis oculis. Exc. *puris* mentis ocul.
178. Emaculata enim sordibus passionum, euolans à retibus occupationum, abolita memoria præteritorum. Exc. *Immaculata sordibus peccatorum vel* passionum, euolans à *retibus* occupationum, *oblita malorum* præteritorum. H
179. Exteriorum, decoram cordis. Excus. Exteriorum *creaturarum* cordis.
180. Ideo audire meretur, Tota pul. es ami. mea, & mac. non est in te. Hiems Exc. Ideo *audit,* Tota p. e. a. m. c. m. n. e. i. t. *fauus distillans labia tua.* Hiems.
181. Apparuerunt. Hi. Exc. Apparuerunt *in terra nostra.* Hi.
182. Imbres tentationum, in agro pectoris bene. Exc. *Imbrem* tenta. in agro *peccatoris* bene.
183. Quorum Christus. Exc. *Quarum* Christus.
184. Apparuerunt. Et. Exc. Apparuerunt *in terra nostra* Et.
185. Quoniam per gemitum compunctionis aperitur via contemplationis, adiecit in consequentibus. Excus. Quoniam *pro gemitu* compunct. aper. *vita* contemplat. adiecit in *sequentibus.*
186. Cum instar turturis. Exc. Cum *scilicet ad* instar turt.
187. Constitutus, solitudinem. Exc. Constitutus *sis* solitud.
188. Quotidianam, quomodo gemis, quomodo æstuas, quomodo quæris. Exc. Quotidianam, *quoniam* gemis, *quoniam* æstuas, *quoniam* quæris.

A 189. Amoris impatiens. Exc. Amoris *vim patiens.*

190. Amas, quomodo nunc blanditis, nunc ad maioris desiderij incentiuum suaniter indignaris, nunc Excus. Amas, *cui* nunc bland. & nunc ad *amoris* & desiderij *intensionem* suauiter *illum peruestigas?* nunc.

191. Te causaris contemptum nunc te eius visitatione. Excus. Te *cernis* contemptum nunc *te visitatione.*

192. Toties experta bonitate. Exc. *Totiens expertus* bonita.

193. Cum imis singultibus eriguntur ad cœlum, nunc manus expanduntur & brachia, nunc pectoris tunsione animæ. Exc. Cum *intimis* sing. erig. ad cæ. nunc ma. *extenduntur* & brac. nunc pect. *contusione* animæ.

194. Fine, & quorum. Exc. *Fine quorum.*

195. Animæ tanta constantia delect. Exc. Animæ *tali instantia* delect.

196. Nostra. In terra enim viuentium talis vox animæ æstuantis auditur, & tanti desiderij odor suauiss. Exc. Nostra. *In terra* viuentium *vox talis* animæ æstuantis auditur, *cum talis* desiderij odor suauiss.

197. Angulo domatis quasi Eliæ. Exc. *Angulo quasi* Eliæ.

198. Grandis & fortis subuertens montes. Exc. *Grandis subuertens* montes.

199. Petras, sed non. Exc. *Petras, non.*

B 200. Dominus, & post. Exc. *Dominus post.*

201. Tenuis. Hi sunt. Exc. Tenuis, *& ibi Dominus.* Hi.

202. Vniuersi pulueris. Exc. Vniuersi *generis* pulueris.

203. Committo, vt diligenter attendas. Excus. *Committo. Diligenter: ergo* attendas.

204. Inuenias ibi speluncam. Exc. Inue. *sibi* speluncam.

205. Quodammodo ab omnibus quæ mundi sunt sepeliaris. Excus. *Quodammodo sepeliaris* ab om. quæ mun. sunt.

206. Silicis duruisse. Exc. Silicis *durissima.*

207. Grandis & fortis pertransiens subuertat montes, & conterat. Exc. *Grandis pertransiens* subuertat *montes conterat.*

208. Commotio, quando mens. Exc. Commotio, *quoniam* mens.

209. Sordidum sentir, aduersum se commota. Exc. Sordidum *est vel aduersum, commota.*

210. Affectum, cunctisque. Exc. Affectum, *& cunctis.*

211. Cunctis distensionibus. Exc. Cunctis *dissensionibus.*

212. Ipsas portas Hierusalem cœlestis anima subleuet contemplantem. Exc. Ipsas *Hierusalem cœlestis delicias* animam subleuet *contemplatiuam.*

213. Locum admirabilis vsque. Exc. Locum *admirabilem* vsque.

214. Exultatione & gaudio colit. Obsecro itaque fili charissime memento mei cum tibi bene fuerit. Exc. *Exultatione colit.* Obsecro it. fi. cha. me. mei cum *bene tibi* fu.

C 215. In purioris gaudij libertatem, sentiamque & ego. Exc. In *prioris* gaudij lib. *sentiam &* ego.

216. Felix qui triduo in his poterit commorari delitiis. Exc. Felix *anima quæ triduo poterit commorari in his delitiis.*

217. Diebus triplicem contemplationis lucem. Exc. *Diebus contemplationis* lucem.

218. Aut sapientiam aut bonitatem. Exc. Aut *ad* sapientiam, aut ad bonitatem.

219. Potens, cernitur potens in prælio, vt scias te, si. Exc. *Potens in prælio* vt scias te, *vel vt sentias te,* si.

220. Protegendum. Exc. *Protegi.*

221. Sub qua curuantur. Exc. Sub *quo* curuantur.

222. Eas, subuertent terram. Exc. Eas, *euertent* terram.

223. Aduersus te. Exc. *Aduersum* te.

224. Momenta vinci formidas. Excus. Momenta *nimis quam* formidas.

225. Flagitas, adhæret tibi. Exc. Flagitas, *aderit* tibi.

226. In spem regis potentissimi, & secundum. Exc. *In specie potentissimi regis secundum.*

227. Audiesque. Exc. *Audiensque.*

228. Vel questionis alicuius solutionem. Exc. Vel *cuiusuis alterius* solutionem.

229. Desideres. Exc. *Desideras.*

230. Clamasque cum Abacuch. Iustus es tu Domine. Exc. *Clamas* cum *Ieremia.* Iustus *quidem tu es* Domine.

D 231. Iusta loquor. Exc. Iusta *loquar.*

232. Magister ille qui solus docet. Excus. *Ille magister qui docet solus.*

233. Qui reuelat oculos nostros vt consideremus mirabilia de lege eius, qui habet clauem sapientiæ, & aperit & nemo claudit. Exc *Qui habet* clauem sapi. & aperit *ac* nemo.

234. Aderit autem in specie decoris suauiss. Exc. *aderit in* specie *doctoris* suauiss.

235. Vt te & legis cognitione illuminet, & charitate, quæ ex. Exc. Vt te *illuminatione, cognitione, &* charitate quæ ex.

236. Virga regni sui vt. Exc. Virga *regni* vt.

237. Vnius tantum osculi desiderio ac suauiss. Exc. Vnius *tamen* osculi *desiderio, suauiss.*

238. Tactu fastidias, incipiasque querulis vocibus cum Propheta clamare. Exc. Tactu *non* fastidias, *sed* incipias querulis vocibus *clamare cum Propheta.*

239. Requiro: & illud, Quis mihi. Exc. *Requiram:* Quis mihi

240. Deosculer? veniet certe tibi in odore. Exc. deosculer *te?* Veniet certe tibi in *odorem.*

241. Cœleste quoddam ac diuinum tuæ menti imprimens. Exc. Cœleste *& diuinum quoddam tremens* imprimens. E

242. Iucunditate perfundet, vt te clamare delectet. Exc. Iucunditate *profundet vt clamare* delectet.

243. Legeris, animaduerte diligenter, & inuenies has ipsas apparitiones siue contemplationes, multoties in figuris quibusdam, & ænigmatibus designatas. Exc. *Legis:* anim. dilig. & *inuenies ipsas apertiones* & contem. multo. in *figuris & ænigmatibus quibusdam* designatas.

244. Genera contemplationum. Exc. Genera *contemplationis.*

245. Omnia, vt credo, vel ad. Exc. *Omnia vel* ad.

246. Vel sapientiam, vel benignitatem. Exc. Vel *ad Dei* sapientiam, vel *ad Dei* benignitatem.

247. Deus rerum omnium causa, vt quolibet modo sint; quarundam autem vt etiam rationales, & per hoc sapientiæ capaces sint; multarũ quoq; vt etiam bene fiat. Exc. Deus *respectu* omnium *vt causa quorundam sint, vt sint, quorundam* autem *vt rationales, ac* per hoc sapientię capaces sunt, *multorum etiam vt capaces* fiat.

248. Ascribitur bonitati. Potentiæ quippe est, quod sine illo natura nulla subsistit. Exc. *Ascribam* bonitati. Potentiæ *quidem* est, quod sine illa *nulla creatura* subsistit.

249. Instruit; bonitatis quod sine illo nullus vsus expedit. Exc. *instruitur,* bonitatis, quod sine *ipso nullius rei* vsus expedit.

250. Eius possit perturbari potentia. Excus. *Turbari possit potentia.* F

251. Ipso certa sunt. Exc. Ipso *creata* sunt.

252. Naturam nulla potest deprauare malitia. Exc. *Natura* nulla potest *deprauari* malitia.

253. Rerum creatione. Exc. Rerum *creatura.*

254. Sane si in iis quæ secundum carnem gessit, cum contemplari malueris, hunc ipsum. Exc. *Sane in his* quæ *in carne* gessit *si contemplari malueris* hunc ipsum.

255. Bonitatis illius opera admirare. Si vultum illum igneum. Excus. Bonitatis *eius* opera interius admirare. Si vultum *eius* igneum.

256. Quoque potentiæ fuit. Exc. Quoque *fuit potentia.*

257. Monumento: cum non minoris fuerit sapientiæ, quod, vt princeps mundi falleretur, inter hæc diuina miracula. Excus. Monumento; *& tamen* non minoris *sapientia fuit,* quod, vt *principes huius* mundi *fallerentur, inter diuina miracula.*

258. Egens esurit, quod in naui dormiuit, quod crucem moriturus ascendit. Exc. Egens *esurierit,* quod in naui *dormierit,* quod crucem moriturus *ascenderit.*

259. Bonitatis eius. Exc. Bonitas *illius.*

260. Pharisæi intuere. Exc. Pharisæi, *&* intuere.

261. Quam compatienter sanctissimos illos pedes pœnitentis lacrymis præbeat irrigandos, capillis. Exc. Quam *compatienti processu illos pedes* pœnitentis lacrymis *irrigandos præbeat, &* capillis. G

262. Superbia ac lasciuia vendicauerant. Excus. Superbia & lasciuia *vendicauerat.*

263. Labiis tot scelerum fœditate pollutis dulciter osculandos. Exc. *Labiisq;* tot scelerũ fœditate pollutis, *diligenter* osculandos.

264. Peccatrix, osculare pedes illos dulcissimos, suauissimos, speciosissimos. Excus. *Peccatrix pedes dulcissimos, speciosissimos, suauissimos.*

265. Omnis mundi huius sternitur gloria. Exc. *Mundi omnis sternitur* gloria.

266. Felicibus labiis adlambe vestigia, quæ nullus post te peccator exhorreat. Exc. *Felicibus adlambe labiis* vestigia quæ *nullus peccator post te exhorreat.*

267. Perfunde pœnitentiæ & confessionis vnguento. Exc. Pœnitentiæ & conf. vngu. *perfunde.*

268. Impleatur ex odore vnguenti. Væ tibi. Excus. *Impleatur odore* vnguenti. Væ *væ* tibi:

269. Odor iste odor mortis. Exc. *Odor mortis.*

270. Fœdiusque commaculet. Exc. Fœdiusque *maculet.*

271. Misericordiæ, confessa peccatricis huius miseria. Exc. Misericordiæ, *misera huius peccatricis* miseria.

272. Cordis contritio? quantum consumat. Exc. Cordis *contriti, quam cito* consumat.

273. Gratias tibi. Exc. *Gratia* tibi.

274. Pedes Iesu. Exc. Pedes *scilicet* Iesu. H

275. Neminem reiiciunt. Exc. Neminem *proijciunt.*

276. Admittunt. Ibi certe Æthiopissa mutat pellem suam, ibi pardus deponit varietatem suam, vbi solus Pharisæus non exspumat superbiam suam. Exc. Admittunt. *Vbi* certe *vel* Æth. mu. pel. suam, *vbi* par. *mutat.* var. su. vbi sol. Phar. non. *expurgat* sup. suam.

277. Certe vbi tute tuas lacrymas libes, vbi fœda tua oscula sacris osculis purges, vbi totum tuæ affectionis vnguentum. Exc. Certe *in te* lacry. *habes,* vbi fœda tua *oblectamenta* sacris osc. purges, *&* totum *affectionis tuæ* vnguentum.

278. Aliquo tactu vel motu vitii tentantis effundas. Quid dissimulas? Erumpite ô dulces lacrymæ. Exc. *Aliquo motu* vitij *infundas.* Quid dissimulas? Erumpite ô *dulcissimæ* lacrymæ.

279. Plantas Saluatoris. Exc. Plantas *Domini mei* Sal.

280. Mei, non curo si quis Pharisæus submurmuret, si me à suis pedibus arcendum censeat, si fimbriæ suæ tactu indignum iudicet, subsanniet, rideat, & irrideat, auertat oculos, contineat nares. Exc. Mei. *Nam* si quis Pharisæus submurmuret. *siue* me à suis *aspectibus* arcendum censeat, *siue* fimbriæ suæ

tactu

A taƈtu indignum iudicet, *subsannet irrideat*, auertat oculos, contineat *aures*.
281. Nihilominus vestigiis tuis inhærebo Iesu meus. Exc. Nihilominus *tuis inhærebo vestigiis Iesu, meis*.
282. Anima Deum sitiens in speculatiuis amœnitatibus quasi in Hierusalem commoratur, potentiæ diuinæ contemplatio; secunda. Excus. Anima *sitiens Deum speculatur, & in amœnitatibus diuinæ potentia, quasi in templo Ierusalem commoratur.* Secunda.
283. Bonitatis eius, & dulcedinis suauis prælibatio. Excus. *Bonitatis & dilectionis* prælibatio.
284. Ad alteram scientia, ad tertiam vero misericordia. Excus. Ad *secundum* scientia, ad *tertiam misericordia*.
285. Introibo inquit Propheta in potentias Domini. Exc. *Introibo in* potentias Domini.
286. Incerta, ait, & occulta. Excus. *Incerta &* occulta.
287. Purgat; purgatam sapientia illuminat; illuminatam bonitas suæ dulcedinis infusione remunerat. Excus. Purgat. *In secunda*, sapientia illuminat. *In tertia*, illuminatam *bonitate dulcedinis sua* remunerat.
288. Administrat tibi panem doloris. Excus. *Administrat panem* doloris.
289. Te non mirari. Exc. *Te nunc* mirari.
B 290. Cum sæpius expertus sis. Exc. Cum *expertus sum sæpius*.
291. De timore casto procedit, omnibus mundi huius. Excus. de *casto timore proc. omnibus huius mundi*.
292. Dicta sint pro modulo. Exc. *Dicta pro* modulo.
293. In his tribus sublimiora. Excus. In *tribus subtiliora*.
294. Sapientia eius secreta consilia, in bonitate misericordiæ illius verba ineffabilia. Excus. *Sapientia secreta* consilia, in bonitate *eius* misericordiæ *dona* ineffabilia.
295. Ingressus potentias. Excus. Ingressus *in* potentias.
296. Sic? & cetera. Sed. Exc. *Sic, Sed*.
297. Admirans exclamat, ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, & reliqua. Dinitias. Exc. Admirans *ait* O altitudo diuitiarum sap. & sci. Dei, *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius?* Diuitias.
298. Bonitatis & longanimitatis Dei contemnis? Excus. *Bonitatis Dei contemnitis?*
299. Triduum ergo inuenerunt. Exc. Triduum *igitur* inuen.
300. Loco in Hierusalem sed in templo. Exc. *Loco sed* in tem.
301. Habet & templum. Et atrium quidem aliquando patet etiam inimicis, portæ non aperiuntur nisi solis amicis. Exc. *Habet templum.* Et *atrium aliquando patet quidem inimicis* portæ *autem patefiunt solis* amicis.
C 302. Diuina, id est in creatura creatorem. Excus. *Diuinum, in creaturis creatorem.*
303. Atria Hierusalem. Exc. Atria *cœlestis* Hierusalem.
304. Vim poterunt extendere. Exc. Vim *poterant* exten.
305. Quod notum. Excus. Quod *enim* notum.
306. Eius & cetera. Exc. *Ipsius* & cæt.
307. Contemplari potuerit. Exc. *Poterit contemplari.*
308. De fragrantia orationum. Excus. De *flagrantia orationis*.
309. Radium porrexerit, cordis quoque palato ipsius diuinæ dulcedinis felix. Exc. Radium *porrexit, &* cordis quoque palato *illius* diuinæ *dilexit* felix.
310. Dolent mater & nutritius, conqueruntur & quærunt, inuentum tandem & leui increpatione castigatum reducunt. Excus. *Dolet* mater, *mater* & nutritius conq. & quær. inuen. tand. *Iesum leui* increp. *castigant &* red.
311. Viris illis spiritualibus. Exc. *Viris spiritualibus.*
312. Nihil libentius dixerim quam Spiritum sanctum, nec matrem nihil rectius quam charitatem. Hi nos. Exc. Nihil liberius dix. quam Spir. Sanct. *matrem vero nil.* rect. quam char. Si
313. Proximi negligamus. Exc. Proximi *omittamus.*
314. Indulgeamus, quasi de. Excus. *Indulgeamus de.*
315. Aliis quos nostra sollicitudine prospicit, senserit imminere ex nostra quiete perniciem. Exc. Aliis *quibus* nostra *solicitudo* prospicit, sens. immi. ex *nimia* quiete per.
316. Orationibus omni postposita actione intentis. Exc. *Orationibus postposita* actione *mentis.*
D 317. Immotemur in mediis delicijs. Excus. Immutemur *mediis delicijs.*
318. Infirmorum, & illum cogitamus. Excus. Infirm. *vt* illum *cogitemus.*
319. Procedens ad publicum aliquod ei pater ei afferat suo. Excu. Proced. *in* pub. *pater ei afferat* suo.
320. Agitatum quia non habet. Exc. Agita. *quando* non *habeat.*
321. Spiritu accediæ. Exc. *Accedia spiritu.*
322. Suggestu progressi, ex fraternis cordibus, Excus. Suggestu *progresso ex paternis* cord.
323. Te. Non iniuria dicimus. Exc. Te *Non cum* iniu. dici.
324. Loqui contristari, & cetera talia in sanctis agere consueuit. Exc. Loqui & contrist. *& talia agere in sanctis* consueuit.
325. Necessitates amor quietis in ipsius animæ. Excus. Neces. *amator* quiet. in *ipsis* animæ.
326. Mortuus est Christus. Exc. *Christus mortuus est.*
327. Cum illis, & subditus illis. Exc. Cum *eis* & *est subditus eis.*
328. Descendit, qui cum tali nutritio & cum tali matre descendit: feliciter descendit, qui spiritu Dei actus, charitatiue inferioribus condescendit. Exc. *Descendit cum* tali nutri. & cum tali matre descendit feliciter. Descendit, qui spiritu Dei actus *charitatem* inferioribus *ostendit.* E
329. Libens his ducibus etiam in Ægyptum, tantum si ducant, reducant; si cogunt descendere, & reascendere faciant. Exc. Libens *cum* his *ducibus in Ægyptum: si tamen ducunt reluctantem*, si cogunt descendere, & *reconscendere faciunt.*
330. Subdar talibus magistris, libenter supponam. Excus. Subdar *tali matri, libens* supponam.
331. Libens excipiam iugum, cui me subdiderint. Excus. Libens *suscipiam* iug. cui me. *subdunt.*
332. Sed & tibi, fili mi, licet à talibus curis liberum adhuc sub alis suis te Christus abscondat. Excus. Sed *etsi te*, fili mi, à talibus curis liberum adhuc sub alis *suis Christus* abscondat.
333. Necessitates subditorum nonnunquam præponunt deliciis contemplationis. Exc. Necessitates *quandoque* præponunt *contemplationis deliciis.*
334. Quando videlicet vel. Exc. Quando *suppetunt* vel.
335. Habes charissime quod petisti, licet tuo desiderio, tuo affectui, tuæ expectationi nihil dignum, voluntatis tamen meæ & qualiscumque. Excus. Habes *fili* char. quod petisti, *licet tuo affectu, tuaque contemplatione* nihil dignum voluntatis tamen meæ, *aut* qualiscumque.
336. Sciasque quod non tam Euangelicam lectionē exponere, quam ex ea aliqua tibi meditationum semina, sicut rogasti, elicere curauimus. Excus. Scias *igitur quia* non tam Euangelicam lectionem exponere, quam ex ea *aliquam meditationem*, sicut rogasti, elicere curauimus: *& legentibus incitamenta deuotionum ex huius serie lectionis Euangelica composuimus, ipsius adiuuante gratia, de cuius loquitur infantia, qui plenus est virtute, & gratia, & sapientia, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.* F

DIVI AELREDI FRAGMENTVM.

Ex opere eiusdem de Rebus Angliæ; exscriptum ex capite tertio decimi sæculi Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ (Auctore D. Nicolao Harpsfildio Archidiacono Cantuariensi) quæ propediem, Deo fauente, in lucem prodibit

Continet hoc fragmentum orationem Eadgari Magnifici & pacifici Regis, habitam ad Episcopos Cœnobiorumque Præfectos. G

QVoniam magnificauit Dominus misericordiam suam facere nobiscum, dignum est ô Patres Reuerendissimi, vt innumeris illius beneficiis dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidebimus terram, & brachium nostrum non saluauit nos, sed dextera eius & brachium sanctum eius, quoniam complacuit illi in nobis. (*Psal.* 43. 4.) Iustum proinde est, vt qui omnia subiecit sub pedibus nostris, subiiciamus & nos illi animas nostras: & vt hi, quos nobis subdidit, eius subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest, laicos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. (*Psal.* 34. 10.) Sed & meæ sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum & necessaria procurare, & paci eorum ac quieti consulere. (H) De quorum omnium moribus ad Vos spectat examen; si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos qui foris sunt, si in diuinis officiis soliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrij, si habitu moderati, si in iudiciis sunt discreti. Pace vestrâ loquor, Reuerendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de Clericis peruenissent. Taceo quod nec illis est corona patens, nec tonsura conueniens, quod in veste lasciuia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo interioris hominis loquuntur insaniam. Præterea, in diuinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad Missarum solemnia, ad ludendum magis, quam ad psallendum, congregari videantur.

Dicam, dicam quod boni lugent, mali rident; dicam dolens (si tamē dici potest) quomodo diffluāt in comessa-

A tionibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis; vt iam domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad medium noctis spacium protractæ in clamore & horrore vigiliæ. Sic sic patrimonia Regum, eleemosynæ pauperum, imo (quod magis est) illius preciosi sanguinis pretium profligatur? Ad hoc ergo exhauserunt patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus Regius, detractis redditibus multis, detumuit? Ad hoc Ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia contulit, vt deliciis Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes & aues, & talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis? *Gen.24.25.* Vbi gladius Leui, & zelus Simeonis, qui vt scorto abutentes filia Iacob, Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant) etiam circum- *Exo 32.27.* cisos succiderunt? Vbi Spiritus Moysi, qui capiti vituli *Nu.25.7.8.* adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? B Vbi pugio Phinees Sacerdotis, qui fornicantem cum Madianitâ cōfodiens sancta hac æmulatione Dominum pla- *Act 5.3.* cauit iratum? Vbi spirit⁹ Petri, cuius virtute perimitur aua- *& 8.20.* ritia, hæresis Simoniaca condemnatur?

Æmulamini, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini, & iustitias Dei nostri. Tempus faciendi contra eos, qui dissipauerunt legem Dei. Ego Constantini, Vos Petri gladium habetis in manibus. Iungamus dexteras, gladium gladio copulemus, vt eijciantur extra castra leprosi, vt purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in templo filij Leui, *Num.5.2.* qui dixit patri & matri, *Nescio vos*, & fratribus suis, *Ignoro il-* *Deut.33.9* *los*. Agite quæso sollicite, ne pœniteat nos fecisse, quod fecimus; dedisse, quod dedimus, si viderimus illud non Dei obsequio, sed in pessimorum luxuria impunitâ libertate consumi. Moneant vos Sanctorum reliquiæ, quibus insultant; veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moueat vos antecessorum nostrum mira deuotio, quorum eleemosynis vesania Clericorum abutitur.

Proauus meus, vt scitis, totam terram suam Ecclesiis & C monasteriis decimauit. Sanctæ memoriæ atauus meus Aluredus, vt Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putauit. Auus meus senior Edouardus quanta contulerit Ecclesiis, vestram paternitatem non latet. Pater meus & fratres, quibus donatiis Christi altaria cumulauerint meminisse vos decet.

Apostrophe Patris regis Edgari ad Dunstanum. O Pater Patrum Dunstane, contemplare quæso patris mei oculos, ab illa lucida cœli plaga in te radiantes: audi querulas eius voces, cum quadam pietate in tuis auribus resonantes. Tu mihi Pater Dunstane, tu mihi de construendis Monasteriis, de Ecclesiis ædificandis consilium salubre dedisti. Tu mihi adiutor in omnibus, & cooperator extitisti. Te quasi Pastorem & Episcopum animæ, morumque meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos vnquam thesauros tuis consiliis prætuli? Quas possessiones, te præcipiente, non spreui? Si quid pauperibus dandum existimabas, præsto fui. Si quid conferendum Ecclesiis iudicabas, non distuli. Si quid Monachis Clericisve deesse querebaris, suppleui. Æternam dicebas esse e- D leemosynam, nec aliam fructuosiorem, quam quod Monasteriis Ecclesiisve confertur, quo Dei serui sustentantur, quod superest, pauperibus erogatur. O præclaram eleemosynam, & dignum animæ pretium! O peccatis nostris salubre remedium! quod â sinu Sibyllæ in peregrini muris pellicula fœtet, quod eius auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit & purpura. Hiccine est, Pater, eleemosynarum mearum fructus, hiccine desiderij mei, tuæque promissionis effectus?

Psal.49.18. Quid huic patris mei querimoniæ respondebis? Scio, *2.Tim.4.2.* scio, cum videbas furem non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti, increpasti. Contempta sunt verba: veniendum est ad verbera, & non deerit tibi potestas Regia. Habes hic tecum Venerabilem Patrem Ethelwaldum Wintoniensem Episcopum: habes Reuerendissimum Præsulem Wigorniensem Osvvaldum. Vobis istud committo negotium, vt & E Episcopali censura, & Regia auctoritate turpiter viuentes de Ecclesiis eijciantur, & ordinate viuētes introducantur.

ANONYMI RYTHMUS DE LAVDE VIRGINITATIS.


Paradisus voluptatis, in secreto Castitatis, requiescit thalamo,
Candor enim virginosus, sicut hortus gloriosus distillatur balsamo.
Iste liquor spiritalis, disciplinæ virginalis rigat domicilium,
Vt sit plenum facto flore, de sublimi misso rore, virginale gremium.
Quis puellas consecrauit, nisi Christus qui plantauit rosam super Iericho?
Illis rosa destinatur, quæ iniustis transplantatur plantatore cœlico. F
Ergo fratres si quæratur, â quo prius consideratur disciplina virginum,
Est illarum consecrator, ille summus fabricator æternorum luminum;
Qui non fuit in figura, sed in carnis creatura, Castitatis Speculum:
Quando matrem subintrauit, nec in partu violauit Virginis signaculum.
Vmbra sancti Spiritus, dedit ei cœlitus spiritale pallium,
Vt non lædat Virginem, nec pudoris cardinem pariendi vitium.
Hæc est porta salutaris, de qua prodit lux solaris, imo sol iustitiæ,
Cuius lampas nos accendit, quando nobis condescendit Imperator gloriæ.
Clausa sed non Saluatori, sed antiquo tentatori nostræ sortis æmulo,
Qui de cœlo transmigrauit, mortem mundo copulauit, & infernum sæculo. G
Sic in matre Saluatoris, nulla fuit corruptoris sponsi violatio.
In qua venit inclinati, sicut solet abumbrari sol in nubis medio.
Hæc est Arca testamenti, Noë portans in præsenti maris huius fluuio. *Gen.7.7.*
Quam Messias introiuit, & intactam custodiuit clauso foris ostio.
Non corrumpit rosæ florem, imo reddit pulchriorem roris stillicidium.
Sic Messiæ genitura, saluum fecit â læsura Mariæ triclinium.
Sunt illius consobrini, cum columba columbini virginales cunei,
Quibus iure maritantur, & custodes deputantur, spiritus ætherei.
Sunt natura virginosi, cœtus illi gloriosi supernorum Ciuium,
Quos in luce parturiuit, & in pace stabiliuit lucis beneficium. H
Nostræ sortis argumentum, non est eis elementum corporalis machinæ,
Qui diuinæ visionis, in supernis illis thronis perfruuntur lumine.
Sunt creati non ex luto, ergo non sunt sub tributo peccatricis fabricæ,
Sub hoc sole non marcescunt, sed in vmbra requiescunt maiestatis vnicæ.
Non hoc habent ex virtute, qui sub nostra seruitute non sunt Adæ filij,
Nec succumbunt seruituti, quia non sunt constituti sub flagello vitij.
Quicquid habent claritatis, disciplinæ, castitatis, confert illis gratia,
Qui vicerunt cum dracone, spiritali pugione, draconis præsidia. *Apoc.12.7.*

Statum

A Statum suum seruauerunt, cum de cœlo ceciderunt spiritus superbiæ,
Quando Satan est demissus, quem suscepit hæc abyssus & vallis miseriæ.
Hi sunt cœli cardinales, quibus turmæ virginales nubunt in cœlestibus,
Speciosæ speciosis, gratiosæ gratiosis, virgines virginibus.
Felix matrimoniũ, non discurrit vitium inter istas nuptias,
Nil terrenum sentiunt, sed in cœlis pariunt spiritales hostias.
Lectus ille florulentus, vbi cubat hic conuentus virginalis gloriæ,
Sub candore liliorum, sub amplexu Angelorum fiunt tales nuptiæ.
Huius lecti vestimenta sunt virtutum ornamenta, Pax Amor, Iustitia;
Quibus fides illustratur, quibus intus obumbratur mentis pudicitia.
Si mens est adultera, caro non est libera, sed succumbit vitio.
B Sic in suam libertatem, carnis trahit puritatem mentis virginatio.
Plenum ergo lilijs, & rosarum folijs vernat opertorium,
Ne tempestas frigoris, virginalis corporis intret in palatium.
Scitis quæ sit hæc pruina? Non est grando transalpina, sed peccati grauitas.
Per quã marcet & decrescit, & ad tempus refrigescit huius mundi charitas.
Sed in choro Castitatis, ordinate charitatis nunquam deest gloria.
Ob pacis instrumentum, & Amoris blandimentum florent cum Iustitia.
Pax concordat vniuersa, & quem trahunt in diuersa motus carnis lubricæ.
Recõsignat vnitati, & reformat puritati virga pacis vnicæ.
Virga pacis est diuina, de qua prodit disciplina seruitutis liberæ,
C Omnem sensum superans, & captiuos liberans de maligno carcere.
Virgas pacis Christus portat, qui nos regit & confortat manu sapientiæ,
Qui per virgam creat pacem, frangens virgam contumacem per virgam Iustitiæ.
Pax concordat malos bonis, per quam regnum Salomonis eleganter floruit.
De camino Babylonis, tres Hebræos cum coronis liberos eripuit.
Quando Deus mundum fecit, nil in mundo tam profecit, quam Pax eius dextera,
Qui per pacis fundamenta concordauit elementa sempiterno fœdere.
Cœlum fecit in splendorem, solem luna clariorem, & lunam sideribus,
Rore cœli mundum rigans, in mensura nubes ligans, & aquas in nubibus.
D Terram fecit ponderosam, fructu suo gloriosam, propter vsus hominum,
In abysso clausit mare, ne valeret transmeare datum sibi terminum.
Sic diuisit per naturas, primas mundi creaturas pacis ordinatio,
Cuius thronus ex tunc viuit, ex quo mundum stabiliuit Deus à principio.
Hæc in throno virginali, principatu spiritali primum tenet ordinem,
Quam & Christus adimpleuit, & cum Christo requieuit in Mariam Virginem.
Iuxta sedet vis amoris, vt sit soror ex sororis speciosa specie
Sunt sorores Pax & Amor, nec conturbat vllus clamor sorores lætitiæ,
Sicut iapsis in metallo, vel lux solis in christallo splendet amor sobrius,
Quos mundus incarcerat, per amorem liberat verbi Dei gladius.

Amor dico non terrenus, sed qui non est alienus à diuino spiritu, E
Qui peccantis cor conuertit, & inspirat & auertit à mundano strepitu.
Hic est amor filialis, semper manens spiritalis in filiis gratiæ,
Quos amoris virga regit, quos amoris vmbra tegit ab æstu perfidiæ.
Hic est amor inclitus, cui pendet subditus omnis mundus hodie,
Qui per fidem renouatur, & amore vulneratur spiritalis patriæ.
Talis plaga non est grauis, non amara sed suauis, & plena dulcedine,
Idem ferit, idem sanat, sic de plaga salus manat, non effuso sanguine.
Ergo sola charitate, mentis Deo mancipatæ vulneratur spiritus,
Sic frœnatur mens effrœnis, & sic transit à terrenis inspirata cœlitus. F
In duobus argumentis, verus amor veræ mentis intrat aulam libere,
Nam qui mundum negligit, Deum suum diligit, & timet offendere.
Sic est amor cum timore, quia amor ex amore procedit liberius,
Non est timor hic seruilis, sed in Deum puerilis, sacer & innoxius.
Amor summi plasmatoris, in figura peccatoris suum misit filium,
Qui descendit moriturus, & accinxit pugnaturus super lumbos gladium;
Quo destruxit Babylonem, & inferni legionem immolatus vespere.
Pugnans vt Rhinoceros, & educens miseros ab antiquo carcere,
Sic destruxit nostros hostes, dum depinxit nostros postes calore sanguineo. Exo. 12. 25. & 51.
Sic Ægyptus deuastatur, & à iugo liberatur gens Hebræa ferreo. G
Christus fuit hæc ruina, qui eduxit de piscina suæ carnis sanguinem,
Et ascendens patris thronum, ciuem fecit & colonum suæ lucis hominem.
Per Amorem ista fecit, Amor enim nos eiecit de mortis ergastulo,
Si Deum diligimus, & si caste viuimus, reprobato sæculo.
Amor nõ est sine rore, sed obumbrat à feruore thalamum virgineum,
In quo fecit Rex cœlestis, castitatis verus testis, ascensum purpureum,
Propter stolam passionis; quamuis plaga pugionis non sit in virginibus:
Sed refrænant per virtutem, suæ carnis seruitutem à peccati legibus.
Nunc oportet vt loquamur, & succincte prosequamur de matre Iustitia.
Per quam viuit ad salutem, & laborat per virtutem iustus in Ecclesia. H
Hæc est Princeps, & Regina, mater Regum vterina & custos imperij.
Quæ regnare facit Reges, & diuinas scribit leges in virga iudicij.
Si desit iustitia, sine sapientia stat omne iudicium;
Falsum enim iudicat, qui insontem vindicat, & non punit noxium.
Hæc est tuba spiritalis, inter tubas principalis cœlestis militiæ.
Quæ inuitat ad pugnandum, & ad bene vigilandum, filios Ecclesiæ.
De cubili vitiorum, ad coronam electorum, dormientes excitans,
In se semper est secreta, nullis tamen aliena, sed pro cunctis militans.

Vincit

A Vincit mundi monarchiam, portans secum in machiam verbi Dei frameam:
In flagello charitatis, à fermento vetustatis Christi purgans aream.
Pro candore regio, comparatur lilio claritas iustitiæ.
Semper florens vt oliua, semper virens, semper viua, congrua victoriæ.
Hæc conseruat in tormentis, ense spreto persequentis, martyrum constantiam.
Non succumbunt passioni, consecrantes pugioni suę mortis hostiam.
Iob.42.6.10 *Sap.10.13.* *Gen.37.28.* Iob sanauit post mœrorem, disciplinæ sanctum rorem suo fundens vlceri,
Exod 14.25 *22.26.27.* *Nu.21.8.9.* Per hanc vada Rubri maris, tactu virgæ salutaris, quondam fuit peruia;
Vt Hebræus pertrausiret, & Ægyptus deperiret cum Regis malitia.
Hæc extinxit suo rore, vulneratos cum dolore per serpentem igneum;
B Pro salute conclamantes, & in altum suspirantes ad serpentem æneum.
Sap.10. Tobia 12.13.4 Reg.2.8. 2 Reg.51. Lot adiuuit & Tobiam, & Eliæ fecit viam per Iordanis medium,
Ne Prophetam detineret, sed diuisus permaneret ad Eliæ pallium.
Ista Satan alligauit; & mendacem catenauit veritatis laqueo,
Per hanc Dauid est electus, de pastore Rex effectus, & inunctus oleo,
Christus verus manu fortis, per hanc vmbra suæ mortis rigar ensem flammeum,
Qui de Crucis torculari, & racemo salutari, vinum fundit roseum.
Ista rerum gubernatrix sedit sicut Imperatrix in thoro virgineo,
Vt conseruet sacras mentes, & defendat innocentes à tactu corporeo.
C Imitemur has sorores, quibus non sunt pulchriores in hac mundi serie.
Virginali præsunt lecto, quem dilectus ex dilecto circumdat quotidie.
Nil cœlestis disciplinæ, nil virtutis columbinæ deest istis nuptiis,
Vbi ludunt cum Messia, vel pascuntur cum Maria, Virgines in liliis.
Non est ibi virilis coitus, sed diuini verbi concubitus, & partus gloriæ,
Vbi Christus intrans & exiens, templum suum seruare cupiens, flos est iustitiæ.
Templum suum replet & instruit, Salomonis qui templum destruit, à gente Persica;
Virginalem plus amat thalamum, quam Thus, Myrrham, Crocum, vel Balsamum, vel mala Punica.
Sed à domo Templi Dominici, fugat vmbram draconis lubrici lucis præsentia.
Plus odorat quam malum Punicum, vincit quoque Thus aromaticum, & Nardi folia.
D Quis destruxit Babylonem, & demersit Pharaonem in profundo fluminis?
Hic vastator Aquilonis, templo Regis Salomonis, Templum præfert Virginis.
Est constructa miris lapidibus, & depicta multis coloribus, sancta Virginitas,
Huius templi poliuit mormora, quæ distinxit annos & tempora, Verbi diuinitas.
Pretioso fundatur lapide, Amethysto, Sapphiro, Iaspide, mixto Chrysolithis,
Cum Smaragdis atque Topazio, cum Hyacinthis & Calcedonio, mire compositis.
De Christallo splendoris regij, sunt columnæ huius palatij plenæ Carbunculis,
Pauimenta sunt de Porphyrio, translucente templi sacrario diuersis calculis.
Non est lapis sub solis orbita, de quo non sit domus composita templi Virginei;

E Spiritalis est ista fabrica, facta sed non arte mechanica, nec ictu mallei,
Est exemplum Pater ingenitus, Verbum patris, & Sanctus Spiritus operis.
In quo non est ruga vel macula, nec discutit vmbra vel nebula peccati veteris.
Est in porta pictum palatij, quid sit amor Patris & Filij, satis mirifice;
Vt demonstret talis introitus, quod sit custos Sanctus Paraclitus istius fabricæ.
Ibi tenet Cherubim gladium, procul pellens omne diuortium à templo Domini, *Gen.3.24.*
Ne subintret vlla fragilitas, vbi thorum facit virginitas marito Virgini,
In hoc templo throni dominici canunt semper ciues Angeli cum tubis aureis,
Desponsati solis spiritibus, non corruptæ carnis amplexibus, choris virgineis.
Ante fores istius thalami, Palma crescit & arbor Balsami, Nardus & Cassa. F
Cinnamoni cortex & baculus, virga Thuris, Myrrhæ fasciculus mira fragrantia.
Flos rosarum mixtus cum Lilijs, flos Hyacinthi cum Croci foliis, Myrtus cum Fistula,
Cedrus apta venenis omnibus, & infesta cunctis serpentibus Hysopi virgula;
Cyprus quoque cum malis Punicis, quæ colore rubei corticis signant martyrium;
Foris rubent aspersa sanguine, tamen intus in mente virgine candor est Eboris.
Sic est color alter in alterum, cum diuersa non est lex operum mentis & corporis,
Sed non præstat cunctis virginibus, immo solis Christus Martyribus gloriam,
Multis tamen florent martyriis, macerantes crebris ieiuniis carnis substantiam;
Verus Amor sine martyrio, sine pœna cordis Contritio non possunt viuere,
Sed est martyr ex parte maxima, vulnerata fidelis anima diuino vulnere. G
Ensis facit carnem sanguineam, solus Christus mentem virgineam Amoris iaculo;
Mortem membris gladius ingerit, Christus mentem in quam intrauerit, occidit sæculo,
Potest esse minoris meriti, plaga Verbi Patris ingeniti, quam plaga gladij?
Christus quoque vocatur gladius, quo purgabit ipse non alius diem iudicij,
Duos habet Messias gladios, vulnerantes per ictus varios lege mirabili;
Vnus intrat in corda Virginum, alter punit filios hominum plaga dissimili.
Virginalis cordis consilium, quo plus sentit diuinum gladium, plus est longanime,
Tunc est ei maior deuotio, tunc in altum surgit plantatio florentis animæ.
Tunc de cordis interni machina, lacrymarum discurrunt flumina plena solatio, H
Sic puellas replet interius, disciplinæ cœlestis gladius, Pacis consilio,
Sub hoc sole præliatur, sed in cœlis conuersatur virginum militia,
His vtuntur elementis, sed in horto sacræ mentis pascunt inter lilia.
Non sequuntur mundi delitias, tam fallaces quam transitorias multis piaculis;
Cum maiore quæruntur studio, tum maiore fallunt ludibrio falsis oraculis.
Quid est mundus? Vallis miseriæ, vas dolorum; cella malitiæ, domusque carceris;
Fel abscondens sub mellis cortice, de veneno mortisque calice dans portum miseris.
Quid est mundus? Mœroris cingulum, vnde Satan accinxit sæculum in stola flebili;

Rubi-

A Rubicundus Sanctorum sanguine, hic effuso pro Christi nomine virtute nobili.
Quid est mundus? Baculus ferreus, virga dura, sagena, laqueus iustis insidians;
Hostis lucis, plenus discordia, bellum quaerens, & super omnia Paci renuncians.
Quid est mudus? Vrbs sanguinaria, quam non replet cella rosaria sed mortis ingrediens.
Mundus transit & mundi gloriae, sicut transit flos in meridie, solis impatiens.
Quid est mundus? Cornu superbiae, quod debellat cornu iustitiae vultu sanguineo;
Plenum quidem liquore sceleris, & veneno peccati veteris non pacis oleo.
Babylonem vincit superbia, Pharaonem fraudis malitia huius saeculi.
Ignem parit inextinguibilem, cremans malos, vt testam fictilem caminus figuli.
B Si nos vrit hic caminus, pluat in nos ros diuinus: hic extinguit vitia,
Cuius stillicidium, portat in solatium virginalis hydria.
In corona virginali, ligamento nuptiali, nubit rosa lilio;
Foris lucet cãdidatae, intus rubet vulneratę spiritali gladio.
Hic est mucro bis acutus, cuius ictum consecutus non est imber sanguinis.
Hic occidit prauos mores, & refraenat peccatores à cultura criminis.
Propter suos bellatores, fecit Christus istos flores in campo iustitiae.
In colore tã diuersos, vt coronẽt vniuersos in diuersa speciẽ
Rosa floret inter spinas, vincit nubes matutinas, Roris tecta pallio,
Sed non laedit spina Rosam, neque mentem virginosam peccati contagio,
Haec est rosa princeps florum, cuius rubor occisorum sequitur vestigia,
Quam depinxit auctor lucis, ex colore suae Crucis, qui colorat omnia.
C In hoc flore de Christi latere, pluit sanguis effusus vespere, clauis & lancea; (cis area.
A qua trahit colorẽ regiũ, florẽ ante Christi palatiũ in Cru-
Haec à Rore trahit vocabulum, Rosa dicta propter signaculum Rosis dominici,
Sine Rore Rosa non nascitur, sed in Rore supergreditur proprio cortici;
Suo maior effecta calamo, clausa prius sicut in thalamo sub vmbra surculi.
Sed cum Roris descendit stillula, Rosa prodit & parit virgula Rore diluculi,
Sic in nostra carnis substantia, clausa latent Sanctorum praemia quasi sub cortice;
Sed cum raro transit de saeculo, flos apparet orto diluculo lucis angelicae.
Sicut Christus est in Martyribus, sic est Rosa princeps in floribus, & florum domina;
Tincta sacro Messiae rosculo, quem stillauit marcenti saeculo de Crucis machina.
D Rosa quoque soror est gladij, rubricatrix stolae Martyrij caedente gladio,
Vt ascendat cum tinctis vestibus, depressuris & torcularibus Martyrum legio. (aspicis?
Quid in isto flore rosario, maculatũ siue repudio dignum
Rosa multis est necessaria, consolatur sua fragrantia dolorem capitis.
Sub hoc flore Martyres dormiunt, quibus huius rectè cõueniunt floris plantaria;
Vt quos tinxit sanguinis in praelio, rubricato circundent pallio rosae sacraria.
Cur apparet Candor in liliis? vt in mente purgata vitiis candor appareat;
Mens pudica floret vt Lilium, quae laborat vt suum gremium Messiae placeat. (lore simplici.
In Lilio non est varietas, sed candoris vna proprietas co-
Sic pudicae mentis sacrarium, Christum amans non amat alium amore duplici.

E Longam habet flos iste virgulam, ascendentem sicut arbusculam, de terrae gremio;
Sic in altum crescit flos Virginum huius mundi commutans terminum coeli consortio.
Huius floris virtus est mystica, portat enim vestis angelicã candorem lilij;
Stolas habet candentes lilio, spiritalis illa creatio summi palatij.
In sublimi flos iste positus, longum tenet dulces anhelitus suae fragrantiae.
In hoc flores transcendens alios, quod non marcet ad solis radios, nec in meridie.
Sic tenorem intactae virginis, non conflagrat aestus libidinis forte foeminea,
Sed candore floret assiduó, consecrata Regi perpetuo caro virginea.
Christo patens, clausa daemonibus, clausa mundo, patens coelestibus, Angelis peruia.
F Columbina per Innocentiam, Serpentina per Sapiẽtiam, Serpentis nescia.
Istos flores virtutis geminae, transplantauit in mente virgine filius hominis,
Quos diuersos facit natiuitas, non disiungit vlla diuersitas in caput virginis.
Rosa floris coruscat libere, flos lilij non minus prospere candet interius,
Quos attulit sanctae Ceciliae, de secreto diuinae patriae, coelestis nuntius.
Ne flagraret carnis concubitu, conflagrata diuino spiritu caro puellulae,
Nec timeret ensem sanguineum, vel catastae stridorem ferreum corpus iuuenculae.
Mancipata diuino cultui, consecrauit sancto spiritui suum coniugium.
Spiritali rore refrigerans aestus carnis, mundique temperans omne ludibrium.
Puellarum maior est gloria, quam quod possit historia libri concludere.
G Templum enim sancti Paracliti, mens non valet lingua, vel digiti digne describere.
Quod purgatur Christi ventilabro, quod illustrat suo candebro lucerna fidei;
Ne subintret nocturna nebula, quo refulgent clara signacula coelestis olei.
Lunam implet solaris claritas, templum suum Christi virginitas quod est Ecclesia.
Sic vocantur principis filiae, Christi matris imaginariae mentis iustitia.
Quae se Christi iugo subijciunt, & in suo corde parturiunt Christum quotidie,
Sed non partu qui laedit vterum, nec dolore quo parit puerum caro miseriae.
Florem parit virga nec laeditur, nubes rorem, sed non corrumpitur nubis signaculum,
Ita prodit sine discrimine, virgo Christus de mente virgine nec est periculum.
Sicut ceruus ad vmbram properat, sic Messias vmbra desiderat carnis virgineae,
H Ibi stillant guttae charismatum, colles Myrrhae, montes Aromatum & Thuris areae.
Vt draconem formidant saeculum, amplectentes crucis signaculum Christi tyrunculae,
Ne nocturni timores irruant, & sopore depressas obruant peccati nebulae.
Quas immittunt feruores noctium, grauis sopor, hostis ludibrium in carne fragili,
Sed non habent suos introitus, vbi cubat sanctus Paraclitus cum tuba vigili.
De sublimi super aspiciens, sicut vigil nocte non dormiens, sed semper iubilans,
Ne propinquet isti cubiculo, draco nostrae sortis periculo semper inuigilans.
De cubili suorum charismatum, procul pellit turbas phãtasmatum dulci vigilia, (hostis malitia.
Vt non figat suum tentorium, intra sui templi sacrarium,

 Sic

A Sic custodit vasa iustitiæ, spiritalis tuba vigiliæ, propter illecebras,
Simul enim non possunt capere, pacis hostem cum pacis fœdere, lucem ac tenebras.
De duobus hoc vnum eligunt, Christum amant, Messiam diligunt lege coniugij,
Cubant ergo sub eius brachijs, rescribendo mundanis nuptiis libellum repudij.
Potest rigor claustralis regulæ, qua ligantur Christi discipulæ, carere gloria?
Non sunt suis subiectæ legibus, aliena totis ceruicibus portant imperia,
Prima virtus est innocentiæ, sustinere vi patientiæ virgam alterius,
Sed è contra sub iugo viuere percussorem non repercutere, non est deterius.
Sunt in mundo nec de sæculo, viuunt semper quasi sub baculo sibi non libere,
Et ne viuant secundum hominem, sui cordis signant imaginem Christi charactere.
B Sic est à se velut extranea, propter Christum turba virginea mundum transgrediens;
Quæ transcendit carnis obstaculum, sicut ceruus quærit vmbraculum colles transiliens.
Sed notate: Ceruus aut caprea, leuitate transit corporea, spinosa montium,
Sic relicta conualle misera, montis Sion, quæ est vrbs libera, quærunt solatium.
Sicut timent serpentes capream, ita timet turbam virgineam serpens horribilis;
Qui veneno mundum inebriat, & captiuos suos excruciat horrendis sibilis.
Qui non dormit sed semper vigilat, & de suo cubili sibilat vt iustos deuoret,
Vt in sui ventris malitia, quos illudit sua fallacia, lætus incorporet.
Sed virgines quæ Christo seruiunt, hunc draconem sibi subijciunt lucis potentia,
C Ab antiquo serpente liberæ, qui Iordanem se sperat bibere sua superbia.
Iob.40.18.
Sic ligatur fune virgineo, qui ligarat peccato ferreo mundum antiquitus;
Alligatus in suis machinis, illis quoque subiectus fœminis, quæ viuunt cœlitus:
Quæ fornacem istius sæculi, spiritalis liquore rosculi pie refrigerant;
Et per Christum qui suos liberat, virgam mundi quæ carnem verberat, semper exsuperant,
Hic accinctæ mœroris cingulo, donec rupto mortis ergastulo sursum perueniat,
Vt peracta mundi victoria, duos flores & Rosas, & Lilia digne recipiant.
Hic cantantes mœroris canticum, mundum flentes in malo publicum, non in iustitia,
Debent enim pro mundo gemere, quem non finit in altum tendere sua pigritia.
D Sint securæ de suis præmijs, quæ procedent ex donis Regiis peracto prælio,
Non claudetur illis palatium, quod parauit turbæ fidelium Regis promissio:
Sicut Thuris ascendit virgula, sic ascendent tabernacula throni dominici,
Carnis suæ relicto pōdere, liberatæ de duro carcere mundi phrenetici.
Quas in porta cœlestis patriæ, præstolatur palma Victoriæ mater Vincentium,
Et Corona lucis ingenitæ, Thronus pacis Vrbs Sion inclytæ, cœli palatium;
Vbi Christus dat suis filiis, pro diuersis quidem victoriis diuersa præmia;
Florem Rosæ suis Martyribus, & diuinæ, sacris Virginibus, conuallis Lilia.
Cunctis tamen est vna gloria, quia non est ibi discordia pro lege munerum,
E Vbi liuor non habet gratiam, sed communem habet lætitiam alter in alterum.
Ibi frater fratri non inuidet, vbi Christus cum Patre residet in regni solio,
Ibi splendor est indeficiens, fons æternus, panis reficiens, & pacis visio.
O Virgines dies prætereunt, finis venit, peccata transeunt, & mundi machinæ,
Coronatur vestra virginitas, vbi tota consistit Trinitas, in vno lumine.

ORATIO.

Nos qui nomen à Christo trahimus, in figura nostra suscepimus Deum & hominem,
Si se nostris adiunxit legibus, cur fugamus à nostris cordibus eius imaginem?
Nos signauit suo charactere, cum produxit de suo latere nobis ecclesiam,
F Quando mortis flagellum pertulit, & à nobis antiquæ repulit mortis sententiam.
Cur ab illo sumus extranei, qui pro nobis fontis sanguinei produxit riuulum?
Ad nos venit, nos non recipimus, sed ne possit intrare, claudimus mentis signaculum.
Contra Deum non est consilium, nulla turris, nullum refugium, nulla protectio,
Vel intrabit cum pacis fœdere, vel oportet eum recipere plenum Iudicio.
Deprecemur eum cum fletibus, vt qui fuit clemens in Patribus, sit clemens hodie,
Disciplinæ virga nos feriat, & placatus preces recipiat suæ familiæ.
Babyloni diu seruiuimus, diu serui peccati fuimus, nunc sumus liberi,
Sit ad Christum nostra conuersio, dominetur nostra deuotio mundano carceri.
G Vbi prius sederunt vitia, debent modo sua cubilia virtutes facere,
Si nos læsit carnis corruptio, Castitatis vtatur pallio, quæ nescit lædere.
Hæc est murus vrbis Angelicæ, quam appellat Salomon mysticæ Conuallis lilium;
Quia floret sed in simplicibus, comparantur enim conuallibus mentes humilium:
Quas in altum non fert Superbia, caret enim omni iactantia felix Humilitas;
Super bases huius argenteas fabricauit turres virgineas Christi virginitas.
Det fundator istarum turrium, virginale nobis cōsortium in sua patria,
Vbi manet Pater ingenitus, Verbum patris Sanctus Spiritus in vna gloria. Amen.

FINIS.

GVARRICI ABBATIS IGNIACENSIS, MAGNI ILLIVS BERNARDI OLIM DISCIPVLI SERMONES,

H
multa pietate ac eruditione differti, iam recens ad Veterum Exemplarium collationem, à multis & crassis mendis per Ioannem Costerium ordinis D. Augustini Canonicum vindicati Louanij.

EX TRITEMIO ABBATE.

GVarricus Abbas Igniacēsis, vir in diuinis scripturis non infimè doctus, ingenio facilis, eloquio dulcis & compositus,

A compositus, & ad persuadendum idoneus, nonminus
conuersatione & regularis obseruantiæ amore, quam
scientia scripturarum insignis, scripsit pro ædificatione
simplicium & deuotorum fratrum non contemnenda
opuscula, quibus ouium Christi pastorem vtilem se fide-
lemq; exhibuit, è quibus ego repperi opus Sermonum de
tempore & Sanctis.

Ad fratres, Lib. 1.
Epistolas etiam scripsit.
De cæteris autem quæ composuisse dicitur,
nihil vsquam potui inuenire.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO PHILIPPO AB HOSDEN, MONASTERIJ DIUÆ GERTRUDIS APUD LOUANIENSES ABBATI,

B atq; eiusdem Academiæ priuilegiorum conseruatori vigilantissimo, Ioannes Costerius S.D.

NIhil vnquam ex omni sui parte ita fuisse perfectum,
quod non temporis progressu deprauatum sit, quum
multis è rebus, tum vero potissimum ex illustrium
virorum scriptis indies videre licet vir ornatissime:
vt plane verum sit quod à nemine non dici solet,
temporis edacitate omnia consumi, euerti, vorari omnia atque con-
sumi. Quotus enim quisque est veterum scriptorum, siue illi Ec-
clesiastici sint siue prophani, qui iam non sint laceri, contami-
nati, corrupti? Fecit hoc inprimis librariorum quorundam inscitia,
fecit multorum, qui sibi scioli videbantur, execranda temeritas:
qui de rebus ne per somnium quidem satis sibi notis, censoriam vir-
gulam vindicantes, dum ea quæ non intelligunt, pro suo ingenio quo
volunt trahunt ac retrahunt, insulsas ac ridiculas nænias protule-
runt: pro gnisiis nimirum ac præclaris gemmis nil nisi vitrum, vt in
prouerbio est, pro auro plumbum ac inutilem scoriam (si superis pla-
C cet) obtrudere nobis volentes. Quare mihi quam optime de re litera-
ria ac studiosis omnibus mereri videntur ij, quorum in id potissi-
mum studium incumbit, vt pro viribus ad veterum codicum colla-
tionem optimos quosque scriptores corrigant, castigent, emendent:
præsertim vero eos, quorum est & maior eruditio, & vsus crebrior,
& vita olim sanctior fuit. Id sane si vnquam alias, iam multo ma-
xime vt fiat, necessarium reor: quum hac ætate multorum tam sint
emunctæ nares, tam fastidiosum palatum, vt si quid offendant, quod
minus placeat, si sententia obscurior, si locus hiulcus, si vox parum
latina, si quid non suo positum loco, statim quod in manibus habent,
magno cum fastu ac nauseabundi reiectant. Præclaram igitur, vt
dixi, neq; vnquam satis laudatam operam nauant, qui vt huic vo-
micæ medicas manus opponant, nullas sibi vigilias, nullumque labo-
rem fugiendum ducunt. Qui sane labor quam sit grauis, difficilis, ac
tædij plenus, nemo est qui sciat, nisi is qui in hoc sese pistrinum semel
coniecerit: vt interdũ in eam opinionem adducar, minori negotio ab
authoribus libros primum fuisse conscriptos, quam corruptos postea
in primam integritatem posse restitui. Vt interim taceam, quam ea
D res multorum sit obiecta calumniis qui quum nihil per se præstare
aut possint aut etiam velint, hoc vno præclare sibi docti videntur, si
falcem suam in alienam messem emittant: hoc est, si aliorum præ-
claros labores laudatasque vigilias canino dente arrodant. Inde fieri
puto, vt per paucos quoque inter doctos nunc esse videamus, sint qui
hanc palæstram subire velint: quod non tantum in se emolumenti &
gloriæ, quantum sudoris & calumniæ habeat. Verumenimuero
quicquid hic difficultatis molestiarum ac laboris, is facile vorat,
qui sciat neminem sibi natum, plurisque à se commune quam pri-
uatum commodum fieri debere. Ego igitur nuper ab eo opere quod
tum in manibus habebam aliquamdiu cessare compulsus, ne interea
nihil facerem, D. Guarrici Igniacensis quondam Abbatis pias sane
ac eruditas conciones legere cœpi: vt quod olim animus parturierat,
data opportunitate, tanquam maturum iam fœtum in lucem pro-
ferrem: nimirũ vt ea quæ in hoc autore obscurata ac deprauata fo-
rent, veterum librorum subsidio, nostra opera, quoad fieri posset,
clariora ac puriora redderentur. Qua in re quid à nobis præsti-
tum sit, aliorum esto iudicium: ego tamen neminem cui vel parum
est frontis, tam iniquum futurum existimo iudicem, vt nostrum
E qualemcunque conatum prorsus damnare velit, si modo ea quæ
nunc in lucem damus, cum reliquis exemplaribus, quibus hacte-
nus vsi sumus, conferre volet. Cæterum quod hunc recognoscendi
Guarrici laborem potissimum subire voluerim, quam alia multa,
tum in primis viri huius insignis eruditio atque sanctissima vita
me ad hoc inuitauit, de quibus non est necesse vt hic multa superua-
caneo labore conscribam, quod vtrumque ex scriptis suis tanquam
ex viua sui imagine clare ac perspicue videri possit. Neque enim aut
verius aut absolutius hominis cuiusque simulachrum, quam in ipsa
eius oratione apparet. Fuit enim is, vt obiter hic pauca perstringam,
sanctissimi viri Bernardi Clareuallensis Abbatis sanctus quon-
dam discipulus, cuius & dicendi & viuendi normam tanta est
fœlicitate sequutus, vt ab illius vestigiis ne latum quidem culmum
aberrasse videatur. Tanta vero ingenij & puritate & acumine præ-
ditus fuit, vt quicquid in diuinis literis implexius ac nodosius repe-
risset, leui admodum negotio perrumpens, abditos atque arcanos
scripturæ sensus in lucem proferret, vt hoc vno plane nobis testatum
fecerit, se à sponso in cellam inductum fuisse vinariam, atque Sapi-
F entiæ diuinæ cratere plenos haustus bibisse, cuius ex ore tantum
nectaris ac mellis promanarit. Quod porro ad ipsam dictionem atti-
net, ea omnino neque barbara est neque inculta, sed tersa, sed lepi-
da, & aptissima vbique compositio, numeris plerumque adorna-
tum pulchre adstricta: vt ea quæ vsus est eloquentia, neque extorta,
neque emendicata, sed cognata homini videri possit. Delituit ali-
quandiu nemini nisi Deo & sibi notus, post ob insignem vitæ sancti-
moniam ac doctrinæ famam, ex vmbratica & solitaria vita ad lu-
cem protractus, Igniacensis monasterij gubernaculis est præfectus. Est
is locus haud procul à Remensium oppido, D. Bernardi studio, qui
tanquam feracissima in Christiana Ecclesia vitis, palmites suos qua-
qua versum diffundebat, olim extructus. Quanto vero animi feruo-
re, quantisque curarum æstibus rudimenta & incunabula (vt sic di-
cam) sanctæ religionis, quæ iam dudum isthic auspicium cœperat,
fouerit, auxerit, exornarit, id sane ex his ipsis concionibus, quas do-
mi apud commissas sibi ouiculas declamauit, adeo perspicue videre
licet: vt si vel de hac re vel de cæteris eius præclaris dotibus plura hic
dicere velim, frustraneam ac inanem prorsus sim operam nauatu-
rus. Incredibilem enim vbique animi modestiam refert, ad virtutis
G incitamentum fortissimos habet aculeos, castimoniæ cum primis
maximus cum encomiastes, tum cultor. Verum vt orationem ad te
deflectam vir ornatissime, hunc nostrum qualemcunque laborem
tibi visum est nuncupare: partim ob eximias animi tui dotes, quæ
passim (quod aiunt) buccis à plurimis celebrantur, tum vt semel vel
aliquo symbolo animi mei erga te voluntatem ostendam, qui non
me solum, qui nihil sum, sed quoscunque etiam literarum cultores,
singulari ac raro animi tui candore amare atque amplecti soles: ma-
xime vero postquam ad hanc dignitatem, quo te tua virtus voca-
bat, fuisti euectus. Accipies igitur, quæ tua est humanitas, quod offe-
rimus, læta & exporrecta fronte, persuasum habens, vt quantumuis
per quam exiguũ sit, quod ad te venit, ab animo tamen tui aman-
tissimo atque obseruantissimo fuisse profectum. Opto te in Christo
valere quam felicissime. Louanij ex Monasterio nostro Martiniano,
Anno Domini 1555. pridie Calendarum Maij.

SERMO DE ADVENTV DOMINI.



SAluatorem expectamus. Vere expectatio iu-
H storum lætitia expectantium beatam spem, Phil. 3. Prou. 10.
& aduentum gloriæ magni Dei, & Saluato- Titum. 2.
ris nostri Iesu Christi. Et nunc quæ est expectatio
mea, inquit iustus, nonne Dominus? Et conuer- Psal. 38.
sus ad Dominum, scio, inquit, quia non confundes me ab expe- Ibid. 118.
ctatione mea, quia iam substantia mea apud te est, quia natura
nostra de nobis sumpta, & pro nobis oblata, apud te glori-
ficata est: spem nobis tribuens, quia ad te omnis caro ve-
niet, caputque membra sequentur, vt holocaustum com-
pleatur. Pleniore tamen fiducia, quia tutiore conscientia,
Dominum expectare potest, cui dicere datum est, substan-
tia possessiunculæ meæ ô Domine apud te est: quia facul- Qui sint qui securius dominum expectare possint.
tates meas, vel tibi erogando, vel pro te contemnendo, in
cœlis thesaurizaui, & ad pedes tuos, omnia mea deposui,
sciens quia potens es depositum meum non modo serua-
re, sed etiam in centuplum restituere, & vitam æternam
adijcere. Quam beati vos pauperes spiritu, qui iuxta con-

A filium admirabilis consiliarij thesarizastis vobis thesauros in cœlo, ne si in terra thesauri vestri remanerēt, corda quoque vestra pariter putrescerent.
Matth. 6.
Vbi.n.inquit, *thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Eant igitur, eant corda post thesauros suos, sursum affixa sit cogitatio, & ad Dñm suspensa expectatio, vt vobis competat dicere cum Apostolo,
Philip. 3.
Nostra aūt conuersatio in cœlis est, vnde et Saluatorem expectam⁹. O expectatio gentium,
Psal. 24.
vniuersi *qui te expectant non confundentur.* Te enim expectarunt patres nostri, oēs iusti ab origine mundi, in te sperauerunt, & non sunt confusi. Iam.n.suscepta misericordia tua, in medio templi tui, chorus lætantium & laudantium concinit: *Benedictus qui venis in nomine Domini. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Et in humilitate carnis agnoscentes maiestatē diuinitatis. *Ecce,* inquiunt, *Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos, iste Dominus sustinuimus eum exultabimus & lætabimur in salutari eius.* Sicut autem Ecclesia in antiquis istis, expectauit aduentum primum, sic in nouis reexpectat secundū: sicut in primo certa de pretio redemptionis, sic in secundo de præmio remu-
B
nerationis: atque huius expectatione spei, suspensa à terrenis, tam feliciter quam ardenter inhiat ęternis. Cum igitur alij festinanres præsentibus beari, nec sustinentes consilium Domini currunt ad diripiendā prædam huius mundi beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit vanitates & insanias falsas, abstinet se à viis eorum tanquam ab immūditiis, sciens melius esse humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis, Loquens secum cōsolatur se, & ait.
Thren. 3. Ibidem.
Pars mea Dominus (dixit anima mea) *propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperātibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum cum silentio præstolari salutare Domini. Defecit quidem anima mea in salutare tuum ô Domine: sed in verbum tuum supersperaui.*
Prou. 13.
Spes quidem *quæ differtur,* vt scriptum est, *affligit animam*: sed licet lassa sit ex desiderij dilatione, secura est tamen ex promissione. In ipsum non solum sperans, sed & supersperans, adijciam spem super spem: sicut assidue adijcitur tribulatio super tribulationem, dilatio super dilationem. Certus sum. n. quia *apparebit in*
Abac. 2.
C
finem, & nō mentietur. Ideoq; & si moram fecerit expectabo eum: quia *veniens veniet & non tardabit* vltra præstitutum vel opportunum. Quod opportunū? Cum implet⁹ fuerit numerus fratrum nostrorum, & consummatū fuerit tempus misericordiæ ad pœnitentiam indultum. Audi Esaiam ad supetna sæpius admissum consilia, quo videlicet consilio Dñs iudicium differat. Propterea, inquit,
Esa. 30.
Dominus expectat vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus, beati oēs qui expectant illum.
Dilationis induciis ad pœnitentiam datis caute vtendum.
Propterea si sapis, prospicies tibi quomodo dilationis huius induciis vtaris: vtiq; si peccator es, ad pœnitentiam non ad negligentiam: si sanctus, vt proficias in sanctitate, non vt deficias à fide, *Si enim dixerit malus seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus*
Matth. 24.
meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & die qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium. Huius serui nequam & infidelis videtur esse vox illa tædij & desperationis, quæ apud Esaiam legitur, quia videlicet moram faciente Domino frequentibus nunciis eius increduli & illusores insultare videntur. *Manda remanda, manda remanda, expecta re-*
D
Esa. 28.
expecta, expecta reexpecta: modicum ibi, modicū ibi. Sed quæ pœna sequatur miseros Propheta non tacuit, cum post pauca subinrulit. *Et erit eis,* inquit *verbum Domini,* quod videl. subsannāt *dicētes prophetis, Manda remāda, manda remāda, expecta, reexpecta, expecta reexpecta: modicū ibi, modicū ibi: vt vadāt & cadāt retrorsum, & conterātur & illaqueentur & capiantur.* Vadūt retrorsum per apostasiam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera delectatione, vel quadam inextricabili peccandi necessitate, vt nec velint, nec possint pœnitere: capiuntur improuisa morte, conteruntur æterna damnatione.
Eccli. 9.
Nescit.n. homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueis, sic homines, inquit Salomon, *capiuntur tempore malo, cum eis extemplo superuenerit.* Propterea videl. ne pro dilatione spei, fides nostra tepescat aut ęstuet patientia, & incipiamus esse de illis, qui *ad tempus credunt, & tempore tentationis*
Esa. 28.
recedunt, clamat nobis de cœlo qui fidem donat, donatam probat, probatam coronat, *Qui crediderit,* inquit, *non festi-*
E
net, scil. videre quod credit. Si.n. quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Sponsę quoq; suę, quam sibi desponsauit in fide, mandat Deus per Oseæ dicēs. *Dies*
Osea 3.
multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris cum viro. Hoc nempe est Dñm veraciter expectare, si fidem ei seruemus: vt licet careamus consolatione præsentiæ eius, adulterum tñ non sequamur sed pendeamus ad reditum eius.
Quid sit expectare Dominum
Sic nanque Dñs ait in eodem propheta, *Pendebit populus meus ad reditum meum.* Pulchre omnino & proprie pēdebit, tanquam inter cœlum & terram: vt licet adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tñ tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est extremis partibus animæ: propter necessitatem scil. corruptionis nostræ,
Osea 11.
cui cogimur seruire, quamdiu creatura vnitati subiecta est, non volens. Vulgo dicitur: Male expectat qui pendet. Ego autem dico: fœliciter expectat qui sic pendet. Quamobrem elegit hoc suspendium anima mea, & in ipso suspendio mortem ossa mea, vt perseueranter in cruce ista pendere mereat, donec ibi moriar. O Domine Iesu cum animam potestate positurus esses, & quo genere mortis id fa-
F
cere velles, tuo subesset arbitrio, suspendium elegit anima tua: vt exultatus à terra, nos quoque ad te traheres, & à terrenis suspenderes. Sed nec ante mortem deponi passus es, vt & nos vsque ad mortem in cruce perseueremus: & vt de ipsa tanquam de sublimi gradu facilior sit in cœlum conscensus. Gratias tibi Domine Iesu: Ibi sumus, ibi te expectamus, non Heliam, qui ad deponendum nos veniat: sed Heli, id est Deum nostrum qui nos suscipiat. Modicum ibi, modicum ibi, si mandas atque remandas: ego quidem mandatis tuis semel credidi, sed adiuua incredulitatem meam, vt immobilis ibi te expectem, respectem donec quod credo videam. Credo enim videre bona Domini in
Psal. 26.
terra viuentium. Credis & tu? Igitur expecta Dominum viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas.*
Eccli. 2.
Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Qui tamen longanimiter se mandat expectari, alibi se cito venturum esse promittit: in altero nimirum sustinentiam in-
G
formans, in altero pusillanimes confortans: imparatos terrens, & pigros excitans. *Ecce,* inquit, *veni cito: & merces mea*
Apoc. 22.
mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua. Et ad Hierusalem. *Cito veniet salus tua, quare mœrore consumeris?*
Mich. 4.
Et reuera tempus breue est, maxime vniuscuiusque nostrum: licet longum videatur æstuanti, seu præ labore, seu præ amore. Ideoq; vtrunque necesse est, vt & timeamus iudicem qui prope est, & forsitan mihi, forsitan tibi in ianuis est, & longanimiter expectemus si moram fecerit. Veniens veniet ille Dominus, timor & desiderium nostrū, requies & merces laborantium, dulcedo & amplexus amantium, beatitudo omnium. Saluator noster Iesus Christus. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

ECce venit rex, occurramus obuiam Saluatori nostro. Pulchre Salomon ait. *Aqua frigida animæ sitienti, nuncius*
Prou. 25.
bonus de terra longinqua. Bonus itaq; nunci⁹ qui aduentum Saluatoris nunciat, reconciliationem mundi, bona superuenturi secula. *Quam pulchri pedes annūciatium pacem annūci-*
Esai. 52.
H
antium bona. Multi siquidem non vnus: Multi, inquam, sed in vno spiritu longa serie ab initio seculi nobis superuenere nuncij: & omnium vox similis, vna sententia: venit, ecce venit, Et vnde, inquis, isti venere nuncij? Vt scriptum est, de terra longinqua: quia de terra viuentium, quæ magno interstitio separata est ab hac terra morientium. Nam inter nos & illos adhuc chaos magnum firmatum est. Inde tamē prophetæ nobis sicut angeli missi sunt: quia & si corpore hic versabantur, spiritu illuc assumebantur quando mittendi erant, vt illic audirent & viderent quod hic nunciarent. Huiusmodi nuncij aqua refrigerij potusq; sapientiæ sunt salutaris animæ, Deum sitienti: cui nimirum qui nunciat aduentum vel alia mysteria Saluatoris, haurit ei & propinat aquas in gaudio de fontib⁹ Saluatoris: vt etiam nuncianti sibi siue Esaiæ, siue cuilibet ex prophetis, eadem anima respondere videatur verbis Helizabet, quia eodem potata spiritu quo Helizabeth. Et vnde hoc

A

de hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me? Ecce enim vt facta est vox annunciationis tuæ in auribus meis, exultauit spiritus in corde meo, gestiens occurrere Deo Saluatori suo. Et reuera fratres exultatione spiritus Christo venienti occurrendum est: & iam nunc à longe salutandus, vel certe resalutandus qui mandat salutes Iacob. Amicum salutare non confundaris, inquit sapiens, quanto magis resalutare? O salutare vultus mei & Deus meus, quanta dignatio fuit quod seruos salutasti, sed quanto maior, quod saluasti! Nec enim integra nobis salus esset, si salutes mandares, & non dares. Dedisti autem non modo quos salutaueras verbis pacificis postmodum salutando in osculo pacis, videlicet per vnionem carnis: sed etiam salutem operando per mortem crucis. Exurgat igitur spiritus noster alacri gaudio, curratque obuiam Saluatori suo: & iam à longe venientem adoret & saluter acclamans ei & dicens, O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venturus es in nomine Domini. Salue qui venis saluare nos: benedictus qui venis benedicere nos. Igitur ô Domine bene prosperare, qui tam prosper & salutaris aduenis generi humano, Intendere, prospere, procede, & regna. Prosperum iter faciet tibi pater, Deus salutarium nostrorum. Prosperabitur, inquit pater, in his ad quæ misi illum: non pro votis carnalium, non pro voluntate Petri qui adhorrebat illum pati. Et omnia quæcunque facies prosperabuntur: non ad præproperam hominum volũtatem, sed ad veram eorum salutem. Vana quidem salus hominis, sed Domini est salus, qui operatus est salutem de sanguine suo: fundens illum in pretium, & propinans in potum. Veni ergo ô Domine saluum me fac, & saluus ero: veni & ostende faciem tuam, & salui erimus. Te enim expectauimus, esto brachium nostrum, salus nostra in tempore tribulationis. Sic prophetæ & iusti desiderio & affectu tanto ante Christo venturo occurrebant, desiderantes si fieri posset oculis videre, quod spiritu præuidebant. Vnde Dominus discipulis dicebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetæ & iusti videre voluerunt quæ vos videtis: & non viderunt.* Abraham quoque pater vester exultauit vt videret diem Christi: vidit, sed apud inferos, & gauisus est. In quo vtique tepor & duritia cordis nostri suggillatur, si non videlicet cum gaudio spirituali Christi nascentis diem anniuersarium expectamus, qui nobis in proximo videndus, Domino annuente, promittitur. Hoc sane gaudium nostrum tale videtur exigere scriptura, vt spiritus noster leuãs se super se, Christo venienti quodammodo occurrere gestiat, desiderio se extendens in anteriora: impatiensque morarum, iam videre contendat futura. Ego namque non solum ad secundum aduentum, sed etiam ad primum arbitror pertinere, quot tot locis scripturarum ei monemur occurrere. Quomodo inquis? Quia videlicet sicut secundo aduentui occurremus motu & exultatione corporis: sic & primo occurrendum est affectu & exultatione cordis. Scitis enim, quia resumptis in resurrectio corporibus nouis, secundum doctrinam Apostoli, *rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus.* Sic nec modo desunt nubes quæ spiritus nostros, si nimis non fuerint pigri terræque affixi subleuabunt ad altiora: & sic cum Domino erimus vel hora dimidia. Agnoscit, ni fallor experiẽtia vestra quod loquor cum aliquando vocem dederunt nubes, id est, sonuerunt in Ecclesia prophetarum vel Apostolorũ voces, ad quam sublimia sensus vestri quasi vehiculo nubis fuerint subuecti: & eo vsque nonnunquam excesserint, vt gloriam Domini quantulumcunq; mererentur speculari, tunc ni fallor, vobis innotuit veritas illius sermonis quem Dominus de illa nube pluit, quam quotidie ponit ascensum vobis: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Ita ergo fit, vt ante aduentum suum Dominus veniat ad vos: & antequam mundo generaliter adueniat, familiariter inuisat vos. *Non vos,* inquit, *relinquam orphanos. vado & veniam ad vos.* Et quidem pro merito cuiusque vel studio, creber est ad vnumquemque iste Domini aduentus, hoc tempore medio, inter aduentum primum & nouissimum conformans nos aduentui primo, & præparans nouissimo. Ad nempe venit modo in nos: ne primo aduentu frustra venerit ad nos, vel ne in nouissimo veniat iratus aduersus nos. Hoc siquidem aduentu satagit reformare sensum superbiæ nostræ configuratum sensui humilitatis suæ, quam primo veniẽs exhibuit: vt perinde reformet corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, quam denuo rediens exhibebit. Prorsus oprandus omnibus votis & expetendus studiis aduentus iste familiaris: qui nobis gratiam impertiat aduentus primi, & gloriam promittat nouissimi. Quia enim *misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus:* per misericordiam prærogans gratiam, per veritatem reddens gloriam. Porro sicut dispositione temporis, sic etiam proportione similitudinis medius est aduentus iste spiritualis, inter aduentum vtrunque corporalem: & velut quidam mediator participat cum vtroque. Primus siquidem aduentus, occultus & humilis: vltimus manifestus & admirabilis; iste autem occultus quidẽ, sed mirabilis. Occultum sane dixerim, non quod ignoretur ab eo cui venit: sed quia secretus ei aduenit. Vnde glorians ista gloriosa anima secum dicit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Sed nec ab ipso cui aduenit potest ante videri, quam teneri, iuxta illud Beati Iob de se confitentis: *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam eum.* Nec veniens quippe videtur, nec recedens intelligitur, qui solummodo dum præsens est, lumen est animæ & intellectus quo inuisibilis videtur, & incogitabilis intelligitur. Cæterum quam admirabilis sit, licet occultus sit iste aduentus Domini, quam suaui & fœlici stupore in admirationem sui suspendat, & expendat animam contemplantis, quomodo omnia ossa interioris hominis acclament ei, Domine quis similis tui? norunt quidem experti, sed vtinam satis desiderent experiri non experti? Ita duntaxat, vt non temeraria curiositas faciat scrutari maiestatem opprimendos à gloria: sed pia charitas suspirare dilectum suscipiendos à gratia. Suscipiẽs enim mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsq; ad terram: superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cum igitur primus aduentus sit gratiæ, nouissimus gloriæ, iste nimirum gratiæ pariter & gloriæ: in quo videlicet per consolantem gratiam, futuram nobis vtcunque datur prælibare gloriam. Cum igitur in primo Deus maiestatis visus sit contemptibilis, in nouissimo autem videndus sit terribilis, in isto medio videtur mirabilis & amabilis: vt nec propter dignationem gratiæ, qua se præbet amabilem, possit esse contemptui, sed admirationi: nec propter magnificentiam gloriæ, qua mirabilis apparet, sit terrori, sed potius consolationi. De primo dicebat Iudæus. *Vidimus eum & non erat ei species neque decor: vnde nec reputauimus eum.* De vltimo expauescit etiam iustus. *Et quis stabit,* inquit, *ad videndum eum?* De isto autem dicit Apostolus. *Gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam: tanquam à Domini spiritu.* Mirabile prorsus & amabile, cum Deus amor amantis sensibus illabitur, cum sponsam sponsus in vnitate spiritus amplectitur, & in eandem imaginem transformatur, per quam velut per speculum Domini gloriam speculatur. Quam beati quorum ardens charitas hanc prærogatiuam iam meruit obtinere. sed & illi quam beati, quorũ sancta simplicitas idem quandoque potest sperare. Et illi quidem iam de fructu amoris sui solatium laboris: isti autem tanto fortasse maiore merito quanto interim minore solatio, portantes põdus diei & æstus, expectantem aduentum remunerationis. Nos igitur fratres quos nondum consolatur iam sublimis experientia, vt patientes simus vsque ad aduentum Domini, consoletur interim certa fides & pura conscientia, quæ tam feliciter quam fideliter cum Paulo dicat, *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem:* in aduentu scilicet gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria in secula seculorum.

Amen.

Marginalia (left): Eccli. 22. — Christo ad nos venienti alacriter occurrendum. — B — Matth. 13. — C — 1. Thes. 4. — D — Nubes spirituales. — Psal. 76. — Psal. 49. — Ioan. 14. — Aduentus Christi hoc medio tempore est ad nos frequens.

Marginalia (right): E — Tres Christi aduentus. — F — Esa. 24. — Iob. 9. — G — Esa. 53. — 2. Cor. 3. — H — 2. Tim. 1.

A

Sermo de eodem III.

Amos 4. Luc. 12. Mortis hora nil incertius.

PAratius esto Israel in occursum Domini, quoniam venit. Et vos fratres estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Nihil certius quam quod veniat, sed nihil incertius quam quando veniat. Vsq; adeo siquidem nō est nostrum scire tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate, vt nec angelis qui assistunt ei, de die illa vel hora scire datum sit. Dies quoque noster vltimus, certissimus nobis quod veniat, incertissimus est quando vel vbi vel vnde nobis adueniat, nisi quod (vt ante nos dictum est) senibus est in ianuis, qui iuuenibus est in insidiis. Et vtinam vel illi se obseruarent: qui mortem tam paratam intrare, imo iam intrantem vident. An non ex parte iam intrauit quæ aliquas partes corporis iam præmortuas occupauit? In pluribus tamen semimortuis videre est adhuc viuentem concupiscentiam mundi. Frigescunt membra, & feruet auaritia, vita finitur, & ambitio protrahitur. Quandoquidem nobis quoque quibus fortassis ætas aut salus aliquid longius promittere videtur quanto minus mors in prospectu est, tanto magis vtique si sapimus suspecta est: ne videlicet dies illa sicut fur in nocte, incautos & imparatos nos comprehendat: quæ in insidiis posita, quo minus videri aut caueri potest, eo magis timenda est. Vna igitur securitas est, nunquam esse securum, quatenus timor se obseruans reddat semper paratum, donec securitas succedat timori, non timor securitati. *Obseruabo me*, inquit sapiens, *ab iniquitate mea, quandoquidem non possum à morte mea*, sciens quia iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: imo in morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita. Quam pulchrum fratres, quam beatum, in morte non modo securum, sed & gloriosum triumphare ex authoritate conscientiæ, spiritu & voce Martini cruentam bestiam, si astare præsumpserit, increpare: iudici venienti & pulsanti gratanter aperire. Tum vero videas, heu, similes mei trepidare, inducias petere, nec accipere: oleum conscientiæ lamentis pœnitentię velle emere, nec tempus sufficere: laruales illas facies declinare velle, nec posse: à facie iræ tonantis velle in corpore delitescere, & cogi exire. Exibit spiritus eius, & reuertetur peccator in terram suam vnde sumptus est: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Scio quidem, quia conditionis humanæ est sub discrimine exitus conturbari, cum etiam perfecti nolint expoliari, sed superuestiri: & qui nihil sibi sunt cōscij, quia tamen non in hoc sunt iustificati, necesse habent iudicium quod ignorant vereri. Sed siue conditionis * effectu, siue sanctitatis defectu, siue iudicij metu conturbata fuerit anima mea, inquit iustus, tu Domine misericordiæ memor eris, mittesque misericordiam tuam & veritatem tuam & eripies animam meam de medio catulorum leonum: & qui prius ante conturbatus eram, postmodum in pace in idipsum dormiam & requiescam. Vocauit Deus terram, & audiuit eum cum tremore. Cum enim auditum fecit de cœlo iudicium, auditu solo terra tremuit, & terrore purgata quieuit. Beati qui nunc eatenus excoquūt in se omnem scoriam peccati: vt tunc solo sufficiāt timore purgari. Mecum siquidem seruo inutili & negligenti bene agitur, si vel per ignem saluus fiam: si crematis lignis, fœno, stipula, quæ mihi coaceruaui, vel semiustus euadam. Et quidē comparatione mali, bonum vel per ignem saluari: sed indubitanter longe melius sola purgatione metus cōsummari: optimum autem & fœlicissimum, nec metu turbari. Idcirco paratus esto ô verus Israel in occursum Domini, non solum vt cum venerit & pulsauerit, aperias ei: sed etiam adhuc illo longe agente alacriter & gratulabundus occurras ei: & tanquam fiduciam habens in die iudicij, regnum eius aduenire pleno preceris effectu. Si ergo vis tunc paratus inueniri, ante iudicium para iustitiam tibi: iuxta consilium sapientis, *paratus sis ad omne opus bonum faciendum, paratus sis nihilominus ad omne malum patiendum: vt sine reprehensione cordis cantet os tuum, paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum quidem, vt te cooperante faciā digna: paratum, vt patiar indigna. Et adeo paratus ad vtrumq;, quod cantabo, & psallam in gloria mea: Id est laudabo & gloriabor pro vtroque. Et statim in hoc ipsum se excitat. *Exurge*, inquiens *Psalterium & cythara*, id est, cor meum & caro mea, ad exultandum in Deum. Cor, scilicet, propter spirituales actiones, caro, propter suas passiones. Cor namque sapiens quæ sursum sunt, psalterium est sonans de superiori: caro patiens quæ deorsum sunt cythara sonans ab inferiori. Sic & alibi deuotionem suam Dauid offerens Deo, *paratus sum*, inquit, *vt custodiam mandata tua*, & tam paratus, quod non sum turbatus cum tētatio irrueret, & persecutio grassaretur. Cum persequeretur æmulus, malediceret seruus, animam quęreret filius, non sum tamen turbatus, quo minus custodirem mandata perfectionis euangelicæ, retribuentibus mala pro bonis retribuens bona pro malis: sollicitus persecutorum salute, mœstus de morte, sustinens à seruo exprobrari, non sustinens ab amico vindicari. Ecce ante euangelium euangelica perfectio, charitas, scilicet patiens & benigna, etiā erga malignos quos tolerat. Quia igitur tam paratus erat, fiducialiter Domino nimirum occurrebat. *Sine iniquitate*, inquit, *cucurri, & direxi distorto quātum in me fuit.* Tu igitur exurge in occursum meum occurrentis tibi, & quia nec sic pertingere possum ad celsitudinem tuam, nisi tu condescendens, operi manuum tuarum porrigas dextram, exurge in occursum meum, *& vide si via iniquitatis in me est*: & si inueneris quam nescio viam iniquitatis, amoue à me, & de lege tua misertus mei *deduc me in via æterna*, id est Christo, qui via est per quam itur, & æternitas ad quam peruenitur, via immaculata, mansio beata. Puto tamen quia & ante mansionem illam beatam si paraueris Domino viam immaculatam, ipse dignabitur sępius in via ponere gressus suos, dilatabitque subtus te gressus tuos, vt dilatato corde curras viam mandatorum, cuius angustum forte causabaris initium. *Sapientia nanque*, vt ipsa perhibet, *in viis iustitiæ ambulat, & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata.* Dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostendit se illis. Si minus aut nunquam tibi eam occurrere conquereris: vide ne forte viam tuam corrupetis. Sic enim scriptum habes: *Insipientia viri corrumpit viam suam, Deum aūt causabitur in corde suo.* Ipse siquidem stat ad ostium & pulsat: vt si quis aperuerit ei, cœnet cum eo cœlestis mensæ delicias. Loquitur sponsa, *Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea sponsa. Aperi mihi cor tuum & cibabo illud: Aperi mihi os tuum, & implebo illud. Os meum*, inquit Dauid, *aperui, & attraxi spiritū.* Spiritus. n. ante faciem nostram Christus Dominus, nō modo inuitandus, sed & attrahendus quadam violentia precum, vehementiaq; feruoris in hospitiū cordis: sicut de duobus discipulis in typum, huius rei historia refert euangelij. Et ipse siquidē non ob aliud, nisi vt probet deuotionem charitatis tuæ, aliquando se fingit longiꝰ ire: sicut & duo angeli, Loth adorante & obsecrante vt intrarent dissimulabant tamen dicentes. *Minime, sed manebimus in platea.* Sed quid dicit scriptura? *Compellit illos oppido, vt diuerterent ad eum.* Pia violētia, qua regnum cœleste rapitur, laudabilis importunitas quæ Christū hospitem, aut angelos promeretur. Sed quid est, inquis, quod Iesus fingit se lōgius ire? Quid nisi illud quod & Ecclesiastes confitetur de se *dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me*? Hoc aūt sponsa manifestius exponit, nostram vtiq; quotidianam exprimens querimoniā, vbi ait: *Surrexi aperire dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Quæsiui illum, & non inueni, vocaui, & non respondit mihi*, sicut nec mulieri Chananeæ. Spiritum quoq; sapientiæ inuocabas, spiritū gratię quærebas in oratione: si tibi videtur longius recedere, ne desperes, sed importunius insiste, donec respondeatur, tibi *Magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti.* Cum tamen inuitas Iesum, vide ne Deum maiestatis ad sordidum & indignum inuites hospitium, vbi nec teipsum patiatur habitare quietum vxor litigiosa, seu fumus, aut stillicium. Non enim nisi in pace fit locus eius: nec aliud quam iustitia & iudicium, præparatio sedis eius. *Nunc autē me*, inquit, *de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit & iudicium Dei sui non dereliquerit. Iustitia*, inquit, *& iudicium præparatio sedis eius.* Noli causari quasi sumptuosum sit, viresque tuæ excedat paupertatis, tam magnifico, tamque potenti præparare domum hospitii. Habes ad manum vnde id possis. Humanum dico propter infirmitatem carnis tuæ, vel magis angustiam

mentis

Marginalia (left): B · *Vna securitas est nūquam esse securum.* · *Sap. 4.* · C · *affectu. · D · *Eccles. 18.* · *Psal. 56.* · *Ibidem.*

Marginalia (right): B · *Psal. 118.* · *Psal. 58.* · F · *Ibid 138.* Christus via ęterna. · *Prou. 2.* · G · *Cant. 5.* · *Psal. 118.* Christus precum violentia detinendus. · *Genes. 19.* Violentia sancta qua regnum cœleste rapitur. · *Luc. 24.* · *Eccles. 7.* · *Cant. 5.* · H · *Matth. 15.* · Christi locus in pace & quiete. · *Esai. 58.* · *Psal. 88.* · Mors senibus in ianuis, iuuenibus in insidiis.

A mentis tuæ. Confitere perfectè de præterito, bonam voluntatem habe de cætero, pax hominibus bonæ voluntatis: & hoc iudicio & iustitia, sedem altissimo præparasti. Vis manifestius audite de confessione, quod eam oporteat fieri in præparatione aduentus Domini? *Iustus*, ait scriptura, *in initio sermonis, accusator est sui*. Et quid sequitur? *Venit amicus eius*, qui modo ante confessionem inimicus assistebat longius. Cum enim dixit, *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & ipse remisit*. Venit inquam, *& inuestigabit eum*. Prorsus inuestigabit, tanquam potio valida, scrutans corda & renes, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, exhauriens noxia de medullis animæ, mentisque visceribus, purgans affectus, vt fructum plus afferat: de cuius primitiuo fructu confessionis, iam gaudet pater agricola. Ipse tamen qui post confessionem nonnunquam & antequã inuocetur adest, non nunquam expectat, vt tu prior eum inuites: & vt meritum tibi augeat, sæpe diutius dissimulat: vt tu attentius psallendo, instantius orando, dulciter violentus, intrare compellas. Alioquin planget propheta *quod ciuitates Austri clausæ sint nullo introeunte*. Cum ergo dicere potueris, *Paratum cor meum Deus*, quia vacuatum à malis: *paratum cor meum*, quia sanctis plenum desideriis: tunc sedulus fac quod sequitur, *cantabo & psalmum dicam*. Et quicunque sit sonus cantantis vel psallentis, hæc sit intentio mentis. *Exurge gloria mea, exurge in occursum mei*: quia quantum potui occurri tibi. O benigne Iesu, quam alacer promptus, quam lætus & festinus occurris huiusmodi deuotioni: quam hilarem te ostentis in viis istis. *Occurristi*, inquit Esaias, *lætanti & facienti iustitiam: in viis tuis recordabuntur tui*. Si enim psallas sapienter in via immaculata, veniens veniet qui & illuminabit abscondita tua, vt quæ nescis intelligas mysteria scripturarum, eritque vt dicis. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me*. Excita Domine potentiam tuam, quæ excitet pigritiam nostram in occursum tui: & veni vt saluos nos facias Saluator mundi qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Qgibus modis Domino locus paretur.

Prou. 18.

Christus interdum expectat, vt priora nobis inuitetur.

B Hierem. 13.

Esa. 64.

Psal. 100.

C

Sermo de eodem IV.

Esa. 40.

Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Primo omnium cõsiderandam arbitror gratiam deserti, beatitudinem eremi: quæ ab initio gratiæ, quieti sanctorum meruit consecrari. Consecrauit nobis plane habitationem deserti vox clamantis in deserto, Ioannes prædicans & tribuens baptismum pœnitentiæ in deserto: quanquã & ante ipsum quibusque sanctissimis prophetarum, velut auditorium spiritus, amica semper fuerit solitudo. Longe tamen excellentior atque denior ipsi loco gratia sanctificationis accessit, cum Iesus Ioanni successit: qui etiam antequam prædicaret pœnitentiam, locum pœnitentibus præparandum putauit, atque per dies quadraginta dum versatur in deserto, velut purificans locum, nouumque nouæ vitæ dedicans locum tyrannum qui incubabat, omnemque malitiam & subtilitatem eius, non tam sibi quam illis qui accolæ eremi futuri erant, superauit. Si ergo elongasti fugiens & manes in solitudine: ibi permane, ibi expecta eum qui te saluum faciet à pusillanimitate spiritus & tempestate. Quantalibet ingruat tibi tempestas bellorum, quantamcunque patiaris in deserto penuriam etiam victualium: noli pusillanimitate spiritus redire mente in Ægyptum. Fœlicius te pascet eremus manna, id est pane angelorum: quam Ægyptus ollis carnium. Ipse Iesus quidem in eremo ieiunauit: sed multitudinem sequẽtium se in deserto sæpe & mirabiliter pauit. Sæpius autem & mirabilius te satiabit: qui tanto gratiore merito, quanto sanctiore proposito secutus es eum in deserto. Cum enim diutius eum tui oblitum putaueris, ipse suæ non immemor bonitatis, consolabitur te, & dicet tibi: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ: quando secuta es me in deserto*. Tunc plane ponet desertum tuum, quasi delicias paradisi: & ipse confiteberis, *quia gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron*. Sicut enim in multis hodie locis, etiam iuxta literam illud Propheticum videmus impleri, *pinguescent speciosa deserti, & deserta in*

Solitudinis encomium.

D

Hier. 2.

Psal. 64.

E *vbertatem versa adueniæ comedent*: sic quilibet scripturæ locus, qui ante tibi sterilis videbatur & aridus, repente ad benedictionem Dei, mira replebitur tibi vbertate ac pinguedine spiritus, vt de saturitate mentis eructes hymnum laudis. *Confiteantur*, inquiens *Domino, misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum*: quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis. Illud sane mirabili gratia prouisum est diuinæ dispensationis, vt in his desertis nostris, & quietem habeamus solitudinis: nec tamen consolatione careamus gratæ & sanctæ societatis. Licet cuique sedere solitarium & tacere, eo quod neminem patiatur interpellantem: nec tamen væ soli, eo quod non habeat confouentem, aut si ceciderit subleuantem. In frequentia hominum sumus, & sine turba sumus. Velut in vrbe versamur, nullum tamen tumultum patimur, quominus vox clamantis in deserto à nobis audiatur: si modo interius sicut exterius silentium habeamus. *Verba namque sapientum*, ait Salomon, *audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos*. Et nunc quoque si medium silentium teneant omnia interiora tua: omnipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna. Fœlix igitur, qui sic elongauit fugiens tumultum mundi, qui tam procul recessit in secretum, & solitudinem quietæ mentis: vt non modo vocem verbi, sed & verbum ipsum, non Ioannem, sed Iesum mereatur audire. Interim tamen quid vox verbi nobis clamet audiamus: vt quandoque de voce ad verbum proficiamus. *Parate*, inquit, *viam Domino, rectas facite semitas eius*. Parat viam qui corrigit vitam: rectam facit semitam, qui per arctiorem sedirit* vitam. Plane vita correcta, via est recta, per quam Dominus veniat ad nos, qui in hoc ipsum præuenit nos. A Domino siquidem gressus hominis dirigentur, & sic viam eius volet: vt gratanter per eam veniens ad hominem, cum eo iugiter ambulet. Nisi enim suum ad nos aduentum ipse præueniat, qui est via, veritas, & vita: non potest via nostra corrigi secundum regulam veritatis, ac per hoc nec dirigi ad vitam æternitatis. In quo vero corrigit adolescentior viam suam, nisi in custodiendo sermones eius, nisi insequendo vestigia eius, qui viam fecit seipsum, qua veniamus ad ipsum? Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas ô Domine vias tuas: vt propter verba labiorum tuorum custodiam etiam vias duras. Et si duræ videantur carni, quæ infirma est: suaues & pulchræ videbuntur spiritui, si promptus est. *Via*, inquit, *eius, via pulchra, & omnes semitæ eius pacificæ*. Non solum pacatæ, sed & pacificæ sunt viæ sapientiæ: *quia cum placuerint Domino via hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem*. *Israel si in vijs meis*, inquit, *ambulasset: pro nihilo forsitan inimicos eius humiliassem*, & super tribulantes eum misissem manum meam. *Quare enim contritio & infœlicitas in vijs eorum, nisi quia viam pacis non cognouerunt*? Ea propter si quando vidi hominem inquietum, contumacem, litigiosum, grauissima tentatione vexari, vel tribulatione flagellari recordabar illius prouerbij: *Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum*, ne tradatur forsitan in afflictionem carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Si tamen aliquando prosperatur via impiorum, noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine facientε iniustitias: quia hæc via eorum scandalum ipsis, vt tanto liberius in mortem currant, quanto minus sepitur eis via qua ambulant. De istis Sapiens loquitur. *Via peccantium complanata lapidibus, sed in finem illorum inferi, tenebræ, & pœnæ. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad inferos. Beati igitur immaculati in via, qui ambulant in via Domini, quia & si de torrente in via bibunt, propterea exaltabunt caput*, quia caput suum quod sequuntur per viam passionis, consequentur in fine mansionis. Quicquid igitur occurrerit vobis stantes in via Domini, læto ac dilatato corde currite viam mandatorum Dei, quia & si pusillanimis arcta videtur via, tamen recta est, & si dura videtur, immaculata est. Plane beati immaculati in via, qui sic immaculato calle transeunt viam mundi, vt non inquinent vestimẽta sua, aut certe si inquinauerint, secundũ beatitudinis nõ amittunt locum: sed lauant vestimẽta sua baptismo pœnitẽtiæ, quo Ioannes baptizat in eremo, viã parãs Domino. Via vtiq; immaculata,

Psal. 106.

Eccles. 9.

F

Esa. 40.

* viam, Viam Domino parete qui dicantur.

G

Prou. 3.

Ibidem 16.

Psal. 80.

Ibidem 13.

Prou. 17.

H

Eccles. 21.

A castitas: via gratia per quam Dominus gratiæ dignanter veniat, cui Propheta cantat, *Psal. 17.* *Deus meus impolluta via eius:* Impolluta castitas virginis qua venit in vterum illius: impolluta necesse est sit castitas hominis, quia veniat in animam illius. Fœlix conscientia, cui conuenit vox illa, *Psal. 10.* *Deus præcinxit me virtute continentiæ, & posuit immaculatam viam meam.* Veruntamen ne de castitate sine virtutibus alijs glorieris, quasi iam viam immaculatam Domino paraueris: scito quia nihilominus necesse est, vt via hæc etiam recta sit plana sit, vt etiam tenebrosa vel lubrica non sit. *Psal. 34.* *Nam via impiorum tenebræ & lubricum & angelus Domini persequens eos.* Et via impiorum tenebrosa nesciunt vbi corruunt. Putamus ne fratres in aliquo nostrum inueniatur adhuc prauum aliquid in voluntatibus, asperum in motibus, tenebrosum per ignorantiam sensus, lubricum per inconstantiam affectus? Quomodo autem scripturam de via paranda implebimus: nisi sicut scriptum est, *Esa. 40.* *faciamus vt sint praua in directa, & aspera in vias planas?* Primo itaque necesse est, vt si qua est B in nobis praua & distorta voluntas, corrigatur; & ad regulam diuinæ voluntatis dirigatur. Aliter videbimur dicere, sicut impij dicunt, *Ezech. 18.* *Non est recta via Domini.* Sed statim refellit nos irrefragabilis veritas, & increpat terribilis seueritas, *Nunquid non via mea recta sunt, & non magis via vestra praua sunt?* Qui igitur viam Domino parare festinas, primo omnium bona sit voluntas: *quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia.* [*Voluntas bona initium viæ Domini.*] Cum autem hoc modo posueris praua in directa, scito quia non minus necesse est vt aspera sint in vias planas, vt scilicet omnem motum complanes asperitatem, & in quandam vitæ socialis sternas æqualitatem, ne mitis & suauis ille viator offensus asperitate viæ resiliat. Quidni resiliret ille mitis & humilis corde, qui nonnisi super mansuetum requiescit & humilem: cum etiam humanus omnis sensus refugiat & horreat hominem iracundum & intractabilem? Sed & si eatenus profecisti in via Domini, vt & propositum rectitudinis, & disciplinam mansuetudinis assecutus sis, profecisti quidem, sed non perfecisti: nisi lucerna sit pedibus tuis verbum Dei, & lumen semitis tuis. *Psal. 141.* *In via enim qua ambulabam, ait, absconderunt laqueum mihi.* C Et sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, nouissimum autem earum ducit in profundum inferni. *Prouerb. 4.* *Via enim impiorum tenebrosa,* vt Salomon ait: *nesciunt vbi corruunt.* Hoc & Dominus ait, *Ioan. 11.* *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* At vero mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Qui enim increpationes relinquit, errat. Si igitur sapis in via qua nunquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris: sed aurem magistris inclinabis, & increpationibus eorum acquiesces & consilijs, & operam scientiæ & lectioni dabis, ne sero pœnitens dicas: *Prou. 5.* *Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum: nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam: Pene fui in omni malo, in medio Ecclesiæ & Synagogæ.* Quod enim scientia legis liberet à laqueis, audi confitentem Dauid, *Psal. 28.* *Posuerunt peccatores laqueum mihi, sed de mandatis tuis non erraui.* Quomodo id potuisti? Quia hæreditate acquisiui testimonia tua, & in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. D Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: sed per hoc euasi, quia testimonia tua intellexi. *Prou. 11.* *Lex Dei, inquit, in corde iusti: & per hoc non supplantabuntur gressus eius.* Hinc & filius eius Salomon ait: *Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientia.* Sed vtinam hæc via qua salutem vel Saluatorem suscipere debemus, sicut iam non est tenebrosa per ignorantiam veri: sic nec lubrica sit per inconstantiam operis. Sed sicut Balaam cadens apertos habebat oculos: sic & nos, & videmus apertis oculis per scientiam, & cadimus per negligentiam. [*Volentes & scientes peccamus.*] Volentes & scientes peccamus, & libentes lubricamus: nec tam lubricum viæ causari possumus, quam propositum mentis, id est pedem cui innitimur. Quis enim non ambulat in lubrico, dum in mundo, dum in corpore viuit luteo? Non igitur tam via quam pes in culpa est, qui in via Dei minus firmus est. Sed nunquid qui cadit non adijciet, vt resurgat? *Prou. 24.* *Septies cadit iustus in die, & septies resurgit. Dominus enim erigit elisos, Dominus dirigit iustos.* Nam si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. Quando igitur aliter

E non potes, cadens, surgens, viam ambula: clamens tamen semper ei, quem sequi & consequi desiderat. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Et si via iniquitatis in me est, vt est humana fragilitas: deduc me in via æterna: quatenus per te qui es via & veritas, perueniam ad te qui es veritas & vita æterna, tibi gloria per æterna sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem V.

PArate viam Domino. *Esa. 40.* Via Domini fratres quam parare iubemur, ambulando paratur, parando ambulatur. Et licet multum profeceritis in ea, semper tamen vobis restat paranda: vt de his in quæ peruenistis, tendatis & extendatis vos in vlteriora: quatenus per singulos profectus, Dominus cuius aduentui via paratur, quasi nouus, ac seipso semper maior occurrat. Ideo bene iustus orat, *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.* F Ideo forsitan via æterna dicta est: quia licet prouidentia semitam cuiusque inuestigauerit, terminumque constituerit quousque proficiat, terminum tamen non habet, illius in quam proficitis bonitatis natura. [*Iustus semper ad perfectiora sese extendit.*] Itaque sapiens impigerque viator, cum consummatus fuerit tunc incipiet: ita scilicet obliuiscens quæ retro sunt, vt quotidie dicat sibi, Nunc cœpi. Exultat vt gygas quem nil terreat ad currendam viam mandatorum Dei. Idithumque factus, pigros qui in via resident, facile transilit in impetu cursus sui. Et licet nouissimi diei hora venerit: consummatus in breui explet tempora multa: vt repente de nouissimo primus, inter primos coronam accipiat. Sed nos qui de profectu viæ huius loquimur, vtinam vel initium eius apprehenderimus. [*Proficit non parum in via Domini qui cœpit.*] Meo namque sensu atque iudicio non parum in ea proficit qui cœpit, si tamen vere cœpit, si viam ciuitatis habitaculi inuenit. *Quam pauci sunt,* ait veritas, *qui inueniunt eam:* *Matth. 7.* quam multi sunt qui in solitudine errant. Prorsus omnes solitarij, id est, omnes superbi: qui se solos reputant. Nullus eorum adhuc dicere potest, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Non enim est illis commutatio, vt desinant esse quod erant: G quia non timuerunt Deum, cum *initium sapientiæ sit timor Domini.* Si initium sapientiæ, nimirum & viæ bonæ. Ipse nempe timor Domini, ipse est qui statim illud sapiens consilium generat in corde viri: vt dicere possit, *Psal. 118.* *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Ipse confessionem persuadet: quam Psalmista initium boni operis esse docet. *Incipite, inquit, Domino in confessione.* Ipse ad pœnitentiam superbum inclinat, vt vocem clamantis in deserto, viamque parari iubentis, & vnde incipiendum sit ostendentis audiat. Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum. Huic sententia consonat Salomonis: qui manifesta diffinitione rudes instruit dicens: *Prou. 16.* *Initium viæ bonæ facere iusta.* Quid est enim iusta facere, nisi pœnitentiam agere: nisi de nobis ipsis quod Deo debemus exigere, & quod rapuimus exoluere? Hæc est iustitia quæ ante Dominum ambulat, viamque ei placitam parat, sicut scriptum est, *Psal. 84.* *Iustitia ante eum ambulabit & ponet in via gressus suos.* H Sicut enim Ioannes Iesum, sic pœnitentia gratiam præcedit: [*Pœnitentia gratiam præcedit.*] illam scilicet gratiam, qua post satisfactionem reconciliati suscipimur in osculo pacis. In hac siquidem pœnitentiæ via grato atque hilari occursu obuiant sibi, seseque osculantur iustitia & pax, *Psal. 84.* iustitia scilicet hominis se punientis, & pax Dei ignoscentis, lætumque ac iucundum celebrant in osculo sancto fœdus reconciliationis. Denique ne parui æstimetur meriti hæc iustitia hominis de semetipso facientis iudicium & iustitiam, neve oratiunculæ & vota pigrorum se laboribus pœnitentium comparare præsumant, quid de ipsa Salomon sentiat, audiant. *Initium, inquit, viæ bonæ facere iusta:* accepta autem Deo magis quam immolare hostias. Si ergo videris hominem huic pœnitentiæ professum regularibus ac sanctis laboribus quorum debitor est singulares oratiunculas præferentem: ingere ei hanc sapientis sententiam, *Prou. 16.* *Initium viæ bonæ facere iusta, accepta autem magis Deo quam immolare hostias.* Similiter si videris hominem aduersus quem frater suus aliquid habet, munus seu laudum seu sacramento-

rum

A

rum ad altate offerentem: repete ei nihilominus eundem sermonem, *Initium via bona facere iusta*, vt fratri reconcilieris: *accepta autem Deo magis quam immolare hostias.* Nam & illo etiam spectat hæc sententia, vt daturus eleemosynam, prius si quem defraudauit, vel simplum restituat. Sic & tu quoque voluntaria oris tui beneplacita nullatenus Deo esse credideris, illa scilicet quæ in Psalmis, vel in orationibus secretis ei obtuleris: si propterea Canonem Psalmorum ex regula constitutum negligentius exolueris. Nonne si recte offeras, & non recte diuidas peccasti? *Rectas*, inquit, *facite semitas eius vos qui paratis viam Domini.* O Domine tu parasti directiones nobis, si modo nos recte ambulemus in illis. Tu legem posuisti nobis viam iustificationum tuarum, per illum scilicet quem huius sanctæ institutionis legislatorem dedisti. Hæc via inquiens, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Hæc via plane sicut Propheta promiserat, *via directa nobis, ita vt stulti non errent per eam. Iunior fui, etenim senui: & non vidi, si bene memini, stultum errantem per viam*, cum vix aliquem sapientem viderim qui rectitudinem eius tenere potuerit. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes: quos sapientia vestra deuios abducit à via salutis, nec sinit stultitiam sequi Saluatoris. Non ignorabat ille stultus propter Christum, quid hæc sapientia terrena, animalis, diabolica mali faciat, qui dicebat, *Si quis sapiens esse videtur in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens apud Deum.* Optabilis stultitia quæ diuino iudicio reputatur sapientia, quæ hominem non sinit errare de via. Hæc stultitia, nisi fallor, est illa de sursum sapientia, pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens: à quibus omnibus quam procul abhorreat sapiens in oculis suis, vtinam nunquam experientia ipsa probasset in oculis nostris. Sed si contristat nos arrogantia, seu peruicacia huiusmodi sapientium, consolatur abundantius nostrorum pax atque modestia stultorum, qui quanto minus sibi credunt, tanto suadibiliores bonis consentiunt. Tales itaque stulti non errant facile de via Dei: sed iuxta verbum Prophetæ semper audiunt vocem post tergum monentis. *Hæc via, ambulate in ea, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram*, ne scilicet per feruorem excedentes modum, aut per teporem subsistentes citra modum, legem præscriptam viamque deseratis regiam. Spiritus est ad dexteram, caro est ad sinistram: & hæc sibi colluctantia semper sibi aduersantur, vt non quæcunque vult, siue ista, siue illa faciamus: ne si plus iusto sequimur impetum spiritus, declinemus ad dexteram, aut si plus iusto carni indulgemus, deuiemus ad sinistram. Hanc denique viam iustificationum Domini, viam veritatis quam elegistis, quanta laude prædicet Esaias, delectat me cum charitate vestra recordari. *Et erit*, inquit, *ibi*, id est, in antiquis cubilibus draconum in terra vtique deserta & inuia, *semita & via*, sicut hodie cernere est, quia in feris & incultis hominibus qui sine lege viuebant, in ipsis inuenitur ordo vitæ, & disciplina. *Et hæc via*, inquit, *sancta vocabitur*, quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumque salus. Quanta vero virtute ac reuerentia sanctitatis præmineat, inde probat Propheta, quia *non transibit*, inquit, *pollutus per eam.* O mi Esaia, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Imo potius huc omnes huc veniant, hac incedant: immundis enim præcipue Christus hanc viam strauit, qui venit quærere & saluum facere quod perierat in vijs sæculi. Quid igitur? Transibit pollutus per viam sanctam? Absit. Veniat quantumlibet pollutus ad eam: non tamen transibit pollutus per eam, quia cum transierit, iam pollutus non erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum, quia diluit omne commissum tanquam vere baptismus alter pœnitentium. Hic plane hic baptizat non Ioannes, sed Iesus baptismo pœnitentiæ, hic patet fons domus Dauid in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Propterea namque via hæc pollutum admittit, sed pollutum non transmittit, quia via arcta est, & quasi foramen illud angustum est quo serpens innouandus cum exuuijs suæ vetustatis venire potest, sed cum ipsis transire non potest, sed nouum suaque nuditate melius vestitum transitus angustia traijcit, extricans omnem quem attulerat squalorem vetustatis. Bene ergo prudentiam serpentis imitari rogamur: qui nec aliter innouari possumus, nisi per angustum coarctemur. Sane quod illius antiqui serpentis insidias euadamus, si per hanc arctam viam huius noui serpentis exemplum sequamur: Esaias promittit, qui de eadem via subdit: *Non erit ibi leo & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi.* Securi ergo simus, si de via non exorbitamus. Potest leo ille qui circuit quærens quem deuoret, iuxta iter scandala ponere, laqueos abscondere, viatores rugitu terrere, sed persistentes in via lædere non potest, quippe cui via ipsa terror & supplicium est: *Fortitudo nempe simplicis via Domini, & pauor his qui operantur malum.* Si ergo in via es, hoc solum time ne deuies, ne Dominum offendas qui te per viam ducit, vt dimittat te vagum in via cordis tui, præter eum ne timeas alienum. Quod si nimis arctam viam causaris, prospice finem, quo te via ducit. Si enim omnis consummationis videris finem, continuo dices *latum mandatum tuum nimis.* Si minus videre potes, crede videnti Esaiæ qui oculus tui corporis est. Ipse vtcunque videbat, cum id quod sequitur dicebat. *Et ambulabunt hanc viam qui liberati fuerint & redempti à Domino, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum.* Gaudium quoque & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Qui satis hunc finem cogitat, puto quia non solum viam dilatat sibi, sed etiam pennas, vt iam non ambulet sed volet, assumit sibi. Semper ergo fratres cogitate finem præmiorum, & cum omni facilitate & alacritate curretis viam mandatorum. Per ipsam vos deducat & perducat ipse, qui est via currentium, & brauium peruenientium Christus Iesus, cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Esa. 40. — Esa. 35. — B — Stultitia commendabilis. — 1. Cor. 3. — C — Prou. 4. — Caute ambulandum in via Domini. — Esa. 35. — D — E — Serpentis prudentia imitanda. — Esa. 35. — Prou. 10. — F

Sermo de Natiuitate Domini.

Esa. 9.

PVer natus est nobis. Puer antiquus dierum.* Puer, forma corporis & ætate: antiquus dierum, incomprehensibili verbi æternitate. Quanquam & in ipsa sua dierum antiquitate, & si puer non sit, nouus tamen semper sit, imo non tam nouus sit, quam ipsa nouitas, in se semper manens, & innouans omnia, à quo quæque res prout recedit inueteratur, prout reaccedit renouatur. Et nouo quodam modo, vnde antiquus inde nouus: quoniam quidem æternitas ipsius, sine initio nascendi, sine defectu veterascendi, ipsa est & antiqua nouitas, & noua antiquitas ipsius. Alia tamen est nouitas huius temporalis natiuitatis, qua puer natus est nobis innouandis: qui ab æterno Deus natus est Angelis beatificandis. Illa quidem natiuitas amplioris gloriæ: sed ista profusioris misericordiæ. Ista siquidem propter me, qui misericordia indigebam, quoniam miseria circundatus eram, & miseria quam expiare non poteram. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam, appareat benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, vt per hanc digni efficiamur & idonei, quibus appareat maiestas & diuinitas creatoris nostri Dei. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, nostra in lutam miseria, & nouo miserendi genere de ipsa miseria miserorum operantem remedia. Ad hoc siquidem ars misericordiæ beatitudinem Dei & miseriam hominis in vnitatem mediatoris temperauit, vt operante sacramento vnitatis per virtutem resurrectionis, beatitudo miseriam absorbeat, mortemq; vita deglutiat, & totus homo glorificandus in diuinæ consortium naturę transeat. Vsque adeo autem vniuersas infirmitates carnis quibus ob culpam humana subiacet natura, absque culpa videlicet dignatio suscepit diuina, vt nec infantiæ recusaret iniurias, nec alia quàm communis habet conditio, sortiri vellet exordia: excepto sane quod per Spiritum sanctũ immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emendabat, atque secundæ natiuitatis nobis sacramenta dedicabat. Itaq; paruulus natus est nobis, & Deus maiestatis exinaniens semetipsum, non solum terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ ac pusillæ infantium se configurauit ætati. O beata infantia, cuius infirmum & stultum fortius & sapientius est omnibus hominibus, quia nimirũ Dei virtus & Dei sapientia sua in nostris diuina operatur humanis. Huius siquidem infantis infirmitas, principem mundi triumphat, fortẽ armatum ligat, crudelẽ tyrannum

G — H — Christi infantis infirmitas mundi tyrannum deiicit.

capti-

A captiuat,& captiuitatem nostram absoluit & liberat. Huius infantis muta (vt videtur) & elinguis simplicitas, linguas infantium facit disertas, linguis hominum loqui facit & angelorum: linguas diuidens igneas. Insciusiste, vt videtur, ipse est qui docet hominem scientiam & Angelum: tanquam vere Deus scientiarum, sapientia Dei, & verbum. O sacra & dulcis infantia, quæ veram humanis cordibus innocentiam infudisti: per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam, tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum. Prorsus vos filij Adæ qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excreuistis: *nisi conuersi fueritis & effecti sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ego sum ostium regni, ait paruulus iste, nisi incuruetur altitudo virorum, non eos admittit istius humilitas ianuæ. Ideo nimirum *conquassabit capita in terra multorum*: & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis

B terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc tu magnus es in oculis tuis, postquam Deus paruus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinaniuit, vt pene videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflatis & extolleris existimans te aliquid esse, cum vere sis nihil? Ipse te seducis, clamat tibi Apostolus, cum & si aliquid esses, si magnum aliquid esses: tanto magis humiliari te oporteret. *Quanto, inquit, sapiens magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: qui & ipse vt tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus & minimus omnium. Parum erat ei, vt fieret minor Angelis conditione mortalis naturæ: nisi & hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius & humilis, & glorietur: videat impius & superbus, & confundatur. Videat, inquam, Deum, immensum paruulum factum, & infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, iudicium impiorum, ruinam superborum. O venerandum ac

C tremendum mysterium, quam sanctum & terribile est nomen tuum, fons misericordiarum, & abyssus iudiciorum. Quis de hoc fonte bibit, & non amauit? Quis hanc abyssum considerauit, & non expauit? Qui non amauit, nequam & impius est: sicut qui non expauit, vecors & insensatus est. Nihil tamen est cur iudicium expauescas: si non aduersus misericordiam insolescas. Et ipse siquidem mallet amari, quam seruiliter timeri: magisque probat quod libet ac voluntatis offert affectus filiorum, quam quod coactitius extorquet metus seruulorum. Ideo & nunc cum primo se manifestauit mortalibus, puerum se maluit exhibere, magisque amabilis quam terribilis apparere: vt quia saluare veniebat & non iudicare, præferret interim vnde prouocaret amorem, differret vnde incutere posset timorem. Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ eius, qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ eius. Nihil hic terroris, nihil seueritatis quam metuas: sed omnimoda benignitas atque mansuetudo, de qua præsumas. Et si potestas & terror apud ipsum

D est, totum tamen interim dissimulat, donec pœnitenti parcat, confitentem recipiat. Ne sit tibi scrupulo quod grauiter deliquisti, nescit puer læsus irasci, aut si irascitur, facile potest placari. Vere nihil placabilius animo huius pueri qui in hoc ipsum pacem tuam satisfactionemque præuenit, priorque legatos de pace mittit, vt qui reus es, velis reconciliari. Tantummodo velis, & vere perfecteque velis, non modo veniam indulgebit, sed & gratiam cumulabit, quinimo lucrum non mediocre deputans, ouem recuperasse perditam, diem festum aget cum angelis. Congruebat ergo cum diuina mansuetudine ætas innocentiæ ac facilis infantiæ, satisque conuenienter & commode salutem peccatorum ab hac exorditus est ætate, vt quos reatus propriæ terrebat conscientiæ, spes consolaretur, non difficilis indulgentiæ. O puer dulcissime, Iesu bone, quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, & perficies sperantibus in te: qui tantam exhibuisti necdum scientibus te. Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietatis ineffabilis vt Deum qui creauit me, videam puerum creatum propter me: Deusque

E maiestatis & gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Vere tu puer Deus, *salutare vultus mei & Deus meus*, cum totus sis dulcedo & desiderium: dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te * capabilem facit sensibus & affectibus paruulorum, qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus & sapidum, cogitare & recogitare puerum Deum, quin etiam efficax & operatorium ad medendum ac dulcorandum si quis in nobis est rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim vbi sensus & memoria fuerit huius diuinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inueniri: sed omnis indignatio & amaritudo cum omni malitia tolletur à nobis. Ita fiet vt quasi modo geniti infantes, modo genitum infantem

F Dominum dignè laudemus, & in consonantia morum & & vocum ex ore infantium & lactentium perficiatur laus infantis & lactentis Domini Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto laus & iubilatio, per æterna sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Inde probatur quod natus est nobis: quia scilicet datus est nobis. Illis enim rectè dicitur natus, quibus videtur datus. Et omnibus quidem gratia natiuitatis huius oblata est, sed non ab omnibus suscepta est. Non enim omnium est fides. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Inutiliter autem natus esset, nisi & datus esset, frustraque factus esset filius hominis, si non recepissent eum filij hominum, quibus daret potestatem filios Dei fieri. Væ tibi igitur Iudæa incredula, ingrata & impia: ablatum est à te regnum Dei, & datum est genti facienti fructus eius. Eiectus est Iesus de synagoga, sed susceptus est ab Ecclesia. Ereptus est de con-

G tradictionibus Iudæorum, constitutus est in caput Gentium. Ecce populus quem non cognouit seruiuit illi in auditu auris obediuit ei, cum de vobis filijs alienis, filijs sceleratis & paricidis, sit pij patris illa querela terribilis: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Sed qui spernit, nunquid non & ipse spernetur? *Quia repulistis verbum Dei* (inquiunt Apostoli) *& indignos vos iudicastis vita æterna, ecce conuertimur ad gentes.* O fœlix gentilitas, ecce affertur tibi Iesus, curre obuijs manibus, extende manus, expande sinus, deuotionem tuam probet tam actus quam affectus: filium qui tibi offertur suscipe fide, amplexare affectu, semperque inter vbera tua commoretur. Et ecce videor mihi audire vocem exultationis & confessionis, de cunctis partibus orbis: à finibus terræ laudes audio, gloriam iusti. Est autem vt sonus multitudinis, vt sonus castrorum Dei, vox vna laudantium & dicentium, *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Ipsa est (ni fallor) Ecclesia læ. abunda & laudans toto orbe terrarum: pro eo quod sibi natum, si-

H bi datum amplexatur filium, quem oblatum, sed ablatum merito videt perfidiæ Iudæorum. *Lauda igitur sterilis quæ non pariebas decanta laudem & iubila quæ non parturiebas*, quia per hunc filium qui datus est tibi, multi erunt filij desertæ, magis quam eius quæ vinculo legis Deo maritata, ei videbatur adhærere. Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum, tunc dices in corde tuo. Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti vbi hic erant? O mater incorrupta, virgo fœcunda, filius qui datus est tibi, hos tibi dedit. Est enim filius altissimi, cui pater istos adoptauit, vt sint omnes conformes imaginis eius, & sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Dilata, inquit, ita que locum territorij tui ab ortu ad occasum, & à mari ad mare, quia ad dexteram & ad lauam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Iste namque vnigenitus Mariæ, primogenitus est omnis creaturæ, cui dicitur à Patre: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Sicut autem suscepto Dei filio Ecclesia sterilis peperit plurimos, & roborata est: ita ipso eiecto æmula eius Synagoga quæ mul-

Superbiendum non est post tantam Christi humilitatem.

Eccles. 3.

Christus ad nos veniens adferebat vnde prouocaret amorem, distulit vnde incutere posset timorem.

Christus prior legatos de pace ad nos mittit.

* capabilem.

Esa. 9.

Esa. 1.

Act. 13.

Esa. 54.

Ibidem.

Psal. 2.

A multos filios habebat, infirmata est. Ideo cum hodie Ecclesia gratulabunda de dato sibi filio, gratiarum actione & voce laudis repleat cœlos: illa muta sedet in tenebris, aut certe eiulatu fatigat inferos. Misera & cæca cur non aduertit, quam manifeste Deus eius ad nos transierit: quam euidenter ipsa repudiata solumque retinente libellum repudij, literam dico legis, quæ adulteria ipsius coarguit, vniuersam dotem ipsius, ad nouam sponsus nuptam transtulerit? Ecce in manibus nostris tabulæ matrimonij, in duobus testamentis; ecce sacramenta vnctionum, dignitas regum, ordo sacerdotum, ministeria leuitarum, cultus templi & valorum, sacrificiorum veritas, omnis denique ipsorum gloria translata ab ipsis, collata est nobis: quia causa & veritas omnium: filius datus est nobis. Ipse calicem legis, quæ in manu est mediatoris, ex hoc Iudæo in hunc Christianum inclinauit, & omne quod in ea merum ac verum fuit, eliquatum nobis transfundit: fæx sola quæ non est exinanita apud Iudæos remansit, ipsam bibunt, ipsa pars calicis eorum. Sed quid verbis moror? Nunquid enim potest enarrari, quæ & quanta data sunt nobis, cum iste filius datus est nobis? Nonne omne datum optimum, & omne donum perfectum, ab ipso, & cum ipso, pariter ad nos descendit? Nonne vniuersas opes cœli, omnes thezauros Dei, secum nobis aduexit? qui licet adhuc in ipso contineantur absconditi, multa tamen iam & magna, & quasi donatiuum pugnaturis erogauit, sed nihil omnia, ad ea quæ victoribus reseruauit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum, nostrorum scilicet varietatem armorum, subsidia sacramentorum, fercula scripturarum, gradus & ordines ministrorum in omni ætate, sexu, & conditione, natione & lingua, tot Martyrum trophæa, confessorum insignia, virginum coronas? Si miraris, inquit Ecclesia, vnde repente mihi paupérculæ hæc multitudo diuitiarum, & magnitudo gloriæ: inde nimirum, quia filius Dei datus est nobis, Deus gratiæ, *Dominus virtutū, & rex gloriæ.* Imo magis mirū esset, si non sequerentur Dominū bona sua, cum etiā ipse sit omnia bona. *Inquirentes*, inquit, *Dominum, non minuentur omni bono*, quanto magis suscipientes? Si enim miraris ista nobis per filium data, ego (vt plus mireris) adijciam omnia omnino nobis cum illo esse donata. Cum enim filium per quem & in quo omnia subsistunt, pater nobis donauit, quomodo non omnia nobis cum illo donauit? *Omnia nostra sunt*, ait Apostolus, *quia noster est auctor omnium & Dominus, vt & si videamur tanquam nihil habentes, inueniamur tamen omnia possidentes.* Vides igitur quantum & quale datum sit filius, quamque probabile sit, quod de sapientia quæ ipse est, legitur, *Venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Quare autem hoc ita inculco fratres mei? Quare, nisi vt discatis gloriari, quia filius datus est nobis: & quicquid mundus potest dare, aut promittere vobis, non modo vile & indignum ad illum, sed etiam detrimentum propter illum deputetis? Non quomodo mundus dat, ille dat vobis: tantum grati estote quia datus est vobis, & satagite vt amplius & perfectius detur vobis. Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, & certis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis scilicet in esu sacramenti sui: sæpius & incertis horis datur deuotis, in gustu spiritus sui. Primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium etiam ad consolationem. Primum exigit vt fides sit recta, secundum vt conscientia pura, tertium vt deuotio prompta. Hæc mentem eleuat, vt gratiæ occurrat, cor aperit, vt excipiat affectum; dilatat, vt plurimum ipsius capiat. Non solum autem istam, sed & omnem gratiam abundare faciat in vobis, Deus omnis gratiæ filius qui datus est vobis: qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Libellus repudij Iudæis datus est litera legis.

B

C

Psal. 33.

1. Cor. 3.

Sap. 7.

D

Sermo de eodem III.

Esa. 9.

PVer natus est nobis. Nobis prorsus: non enim sibi, non angelis. Sibi inquam natus non est, vt scilicet hac natiuitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfecto Deus perfectus natus erat. Angelis natus non est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat: nec illius qui ceciderat casus reparabilis erat. Ideo nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: & qui Deus natus erat sibi puer natus est nobis se quodammodo relinquens, & Angelos transiliens, vt ad nos vsque deueniens vnus fieret e nobis: & exinanitus semetipso, minoratus ab Angelis, æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus est nobis redemptio, quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ natiuitatis præiudicio. Quam fœlix, quam amabilis natiuitas tua, puer Iesu, quæ natiuitatem omnium emendat, conditionem reformat, præiudicium soluit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: vt si quem piget damnabiliter esse natum, possit fœlicissimè renasci. Quotquot enim te receperunt, dedisti eis potestatem filios Dei fieri. Gratias gratuitæ atque gratiosæ natiuitati tuæ, Deus fili hominis: per quam accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Prorsus admirabile commercium, vt sumens carnem, largiaris Deitatem: commercium inquam charitate, non cupiditatum contractum, indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omnino luctuosum. Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit, licet pariter misericordia & veritas in te obuiauerunt sibi. Vere inquam tu misericors puer natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæsisti: qui ad hoc solum nasci dignatus es, vt nos minoratione tua prouehere, humiliatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti, tu enim omnem tuæ plenitudinem diuinitatis in hominem transfudisti. Transfudisti, sed non confudisti. Transfusum autem Deum in hominem non dicerem, si ad mensuram datum huic homini spiritum audirem, si de omni sua plenitudine, penes Deum aliquid resedisset, quod non in hominem, cui vnitus est, effudisset. Merito igitur *oleum effusum nomen Dei hominis*, vel certe vnguentum exinanitum, cum ita funditus Deus in hominem effusus sit: vt eum semetipsum exinanisse confiteatur fides Apostoli? Quanquam sic vtique se exinaniuit, vt in seipso nihil prorsus minuerit, aut mutauerit, nec alia esse potuit naturæ immutabilis exinanitio, quam naturæ nostræ, quæ terra inanis & vacua est assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, vt splendor gloriæ & figura paternæ substantiæ, nonnisi formam præferat seruilem, & in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, si homo solum fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se vacuauit, sapientiam infatuauit, infirmauit virtutem, minuitque magnitudinem: vt & in natiuitate minimum, & in passione se exhiberet nouissimum virorum, vnde nec reputauerunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum à semetipso? Vide iacentem in præsepio. *Ecce Deus noster*, Esaias ait, *qui de tam longinquo vidit & cognouit præsepe Domini sui*, imo Deum in præsepi. Ecce, inquit, Deus noster. Vbi quæso? In illo, inquit, præsepio. Infantulum quidem ibi inuenio. Hunccine tu dicis illum esse, qui dicit, Cœlum & terram ego impleo, imo cuius maiestati angusta est omnis cœli latitudo. Pannis inuolutum video. Hunccine tu dicis illum esse, qui gloriam & decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine, sicut vestimento? Vagientem audio. Hiccine est qui in cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo, potestates Angelicæ submittunt alas suas? Sic est inquit alius Propheta satisfaciens pro Esaia, omnino sic est, hic est Deus noster: sed exinanitus est, vt te repleat, & à se quodammodo deficere voluit, vt te reficiat. Conclamat omnis chorus Prophetarum, vno Spiritu, eademque sententia, & si aliqui voce diuersa, sic est, hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum, neque enim est alius præter eum. *Sed scio*, inquit Dauid, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio praua & adultera Iudæorum: enarrate vos Apostoli in progenie altera gentium. Quid? Quoniam hic quem Iudæus iacentem in præsepi nec respicit, pendentem in cruce despicit: cum miro modo nascitur, non videri

E

Christi natiuitas quam nobis salutaris.

F

Cant. 1.

G

Christi exinanitio maxima.

Esa. 30.

H

A videt: cum mira operatur, inuidet: cum dira patitur, irridet. Hic, inquam, hic est Deus noster, in æternum & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula. Et ecce iam prædicantibus Apostolis, testificantibus Prophetis, & si vellus siccatum est, sed areæ latitudo infusa est, & si cucurbita aruit, Niniue saluata est, & amissio Iudæorum diuitiæ facta est mundi, & salus gentium. Adorant omnes reges terræ paruulum qui natus est nobis, omnes gentes seruiunt ei: quia si qui sunt qui non seruiant, vel non sint seruituri, quasi non sint, sic sunt coram eo: gens enim & regnum quod non seruierit ei, peribit. Iam tamen videmus & gaudemus impletum, quod per Esaiam fuerat à patre promissum. *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, teq; deprecabuntur.* Et merito, inquit, *quia in te tantum est Deus, & non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* Si vnquam manifestius, si expressius potuit dici Iesus Deus, nunquam credat Iudæus: aut certe si derogat hæc esse dicta de Iesu, ostendat alium in quo sit Deus, & qui sit Deus, nec præter eum Deus, quandoquidem nec personarum Trinitatem fatetur, vt assignare possit Deum in quo sit Deus, ita vt alius Deus præter eum non sit. Sed hoc te perfide scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat, quod scilicet Deus absconditus, & homo oculis adhibitus est, tanquam lutum ex sputo quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quod in infirmitate carnis, absconditâ est fortitudo Dei, etiam in infirmitate crucis abscondita est fortitudo hominis Dei, quod inglorius inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum, vnde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum: cum Deus posuerit in eo, iniquitates omnium nostrum. Nam & tuam quoque suscepisset: si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu miser non deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem, super sanguinem Prophetarum, sanguinem filij Dei & Apostolorum. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone iugum iniquitatum tuarum tibi & filijs tuis: mihi enim iugum Christi portare magis sedet, vt meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligauit, pannisque inuolutum in præsepi reposuit. Vos igitur fratres mei, qui cognouistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israel non cognouit, vos inquam quibus Saluator ideo non viluit, quia misericors esse voluit, sed eo vobis tenerior est in affectu, quo minor est in aspectu, cantate & exultate & psallite: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* De Iudæis quidem est natus, sed nobis est natus: quia illis ablatus, nobis est datus. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum*; adeo vt & asinus de gentibus cognoscat in præsepi Dominum suum fœnum sibi factum, quia omnis caro fœnum. In conspectu namque gentium releuabit iustitiam suam, quam Iudæus ignorat, velum adhuc habens super faciem suam. Velum habet, quia zelum tenet: vnde nec velum videt, sed inuidet, quod *puer natus est nobis, filius datus est nobis*: nec inuidet quod cupiat habere sibi, sed quod cupiat petire & mihi & sibi. Mallet æmula & mala meretrix infantem necari, quã viuum mihi dari: sed iudicium nostri Salomonis, cuius sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda & renes, in inuenienda matre non errauit. Date, inquit, Ecclesiæ infantem viuum, hæc est enim mater eius. Quicunque enim fecerit voluntatem eius, ipse mater, & frater, & soror eius est. O Domine Salomon tu matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum: *fiat mihi secundum verbum tuum.* Et quidem matrem amore & solicitudine me præstabo quantum potero: sed conditionis meæ semper memor ero. O fratres hoc nomen matris non est singulare Prælatis, quamuis specialis eis incumbat cura maternæ solicitudinis & pietatis: commune est & vobis qui facitis voluntatem Domini. Vtique & vos matres pueri qui natus est vobis, & in vobis, ex quo videlicet à timore Domini concepistis, & parturistis spiritum salutis. Vigila igitur ô mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus qui natus est tibi: quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui nunquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi extinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila inquam super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quę est enim illa, nisi carnalis anima, quę spiritum extinguit negligentia & inertia? huiusmodi homines, cum religionis amiserint feruorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam & nomen. Inde contentiones carnalium aduersus spiritales, etiam in capitulis, vbi verus Salomon inuisibiliter iudex præsidet. *Filius meus*, inquiunt carnales, *viuit, & tuus mortuus est*: ego spiritum Dei habeo, tu non habes: in me viuit amor Dei, in te mortuus est: dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cuius spirituales habent veritatem: vt subducta eis auctoritate, consuetudines inducant pro sui sensus libidine. Et reuera quidem mater vult æmulæ dari viuum & integrum infantem, non inuidens ei gloriam, dummodo habeat & virtutem: sed illa, *nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed diuidatur*: quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere honorem, & alijs relinquere laborem. Sed non errat qui iudicat, & si aliquamdiu dissimulat. Gladius Salomonis matrem inuenit cui adiudicat indiuisum: sicut affectum charitatis, sic effectum potestatis: sicut feruorem operandi, sic fauorem imperandi. Vos itaque fratres in quibus fides per dilectionem operans, nata est de Spiritu sancto, custodite eam, pascite, nutrite, tanquam paruulum Iesum, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis: qui non solum nascendo, sed viuendo & moriendo formam cui conformetur tradidit nobis. Memor quippe semper quod nonnisi nobis natus fuit, nec nisi nobis viuere voluit, nec mori nisi pro nobis: qui pro se non habuit, vt & nos per ipsum renasceremur, secundum ipsum viueremus, in ipso moreremur, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Esa. 45.

3. Reg. 3.

Sermo de eodem IV.

Ecce iam venit plenitudo temporis. Plenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abundantiam gratiæ, seu propter adimpletionem præcedentis Prophetiæ, seu propter pleniorem ætatem fidei adultæ. De singulis videamus. Omnium plenitudo bonorum, Christus Dominus est: quippe qui omnibus thesauris sapientiæ & scientiæ Dei totiusque gratiæ plenus est, imo *in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter.* Viderunt Apostoli *plenum gratia & veritatis, & de plenitudine eius omnes acceperunt*: adeo vt nouissimus eorum & abortiuus Paulus vas electionis, de plenitudine quam acceperat, disseminaret vbique plenitudinem gratiæ & veritatis, clamans & dicens, *Ecce iam venit plenitudo temporis.* Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis, quidni plenitudinem attulisset temporis? Cum cœli rorarent desuper & nubes plueren iustum, Saluatorem terra germinaret, tanta supernæ benedictionis vbertas quidni fœcunditatem terris omnibus præstaret? Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum: videlicet de vno grano frumenti, quod germinauit aluus virginis, vbique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed æternorum: non in prouentu agrorum, sed cœlorum. Si cœli rorant desuper, & nubes pluunt iustum, si terra germinat Saluatorem & iustitia oritur simul, si denique oritur in diebus Domini non solum iustitia, sed & abundantia pacis, fœliciora tempora ne quæsieris, quando & regnum Dei nihil aliud est quam iustitia, & pax & gaudium in Spiritu sancto, quod de illis procedit. Nam & nostrorum temporum ille status iudicatur optimus atque pulcherrimus, cum & iustitia moribus imponit disciplinam, & abundantia cum pace quietem vitæ præstat & lætitiam. Denique misericordia Domini plena est terra, benedixit Dominus coronæ anni benignitatis suæ, & campi eius repleti sunt vbertate, totius gratiæ spiritalis, quis nisi ingratus plenitudinem neget temporis? Quæ vnquam aurea ætas simile aliquid habuit huius plenitu-

Omnium bonorum plenitudo, est Christus.

dini

A dini temporis, quando panis Angelorum omnem habens saporem suauitatis, & omne delectamentum, apponitur etiam iumentis: & non solum homines, sed & iumenta cibo pascuntur cœlesti? *Homines enim & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Psal. 35. Infinite multiplex hæc tua Deus misericordia, vt qui panis es Angelorum non solum hominum dites ac beatifices mensas: sed etiam fœnum factus iumentorum repleas præsepia. Confiteris ô Domine sapientia misericors, quia sapientibus & insipientibus debitor es, vt qui vtrosque fecisti, vtrisque necessariam alimoniam procures: & tam homines quam iumenta, tam spiritales quam animales, suo quemque gradu & ordine salues. Confiteantur igitur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum: quia misit verbum suum carnem factum, medicinam & escam omnium: vt etiam incapaces verbi sanentur tamen & satientur carne verbi. Edant itaque pauperes & saturentur, & confiteantur venisse beatam temporis plenitudinem, quando & in præsepibus suis paratum sine sudore vultus sui panem inueniunt cœlestem. Nunquid ergo mugiet bos cum ante præsepe sic plenum steterit? Mugiat, sed præ gaudio spiritus & iubilo cordis quia præsepe Domini sui, imo Dominum in præsepi suo cognouit. Libet autem adhuc manifestius videre, Christus veniens è cœlis quantam plenitudinem temporis aduexerit: quam facili & exiguo pretio omne pretiosum comparari posse decreuerit. Duobus minutis, seu calice aquæ frigidæ, aut certe sola bona voluntate iam à diebus eius emitur regnum cœlorum, quanquam etiam nunc vix inueniat emptorem in tanta multitudine diuitum. Proh pudor, etiam nos ipsi qui iam emere cœpimus, iam tabulas emptionis conscripsimus, iam pignus hæreditatis accepimus, etiam nos, inquam, totiens à pacto resilimus, ac pene complaciti pœnitemus: quærimur, murmuramus, quasi in negotio simus circumuenti, quasi magnum sit illud prope nihil quod exigitur à nobis. Bene de nobis prophetauit scriptura, *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit gloriabitur.* Annon merito poterit gloriari, qui immensum illud & æternum pondus gloriæ, hoc leui & momentaneo tribulationis suæ comparauerit, qui sic pro nihilo saluus factus fuerit? At nunc quotidianas hic inde querelas & molesta murmura audias, malum hoc, malum illud: graue hoc, importabile illud: quis tanta ac talia ferat? Ita nemo fere est qui digne pro merito sui rem æstimans dicat: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, nisi tunc demum cum cœperit reuelari. Tunc plane gloriabitur qui modo detrahit, ac de pretio se grauari gemit: eum scilicet de foro, id est, de mundo hoc vbi contractus celebratur huius commercij recesserit, & in domum æternitatis suæ secum ferens rem tantam tantillo emptam, redierit. Homo plane secundum cor Dei erat ille, homo simplex sine querela, qui ab hac arte, imo inertia & infidelitate emptorum alienus erat, Dauid loquor qui dicebat: *Quoniam non cognoui negociationem, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Iustitiæ meæ nullatenus memorabor, vt labores meos exaggerem, merita magnificem: potius memorabor iustitiæ tuæ solius, qui gratis obligasti te mihi promissorem. *In veritate tua exaudi me in tua iustitia, & non intres in iudicium cum seruo tuo, quia si voluero me iustificare, os meum condemnabit me.* Per hoc enim, inquit, *introibo in potentias Domini, quia* scilicet *iustitias meas non statuam*: per hoc potentem me faciet & nunc in prœlio, & tunc in regno: quia semper infirmitates meas confitebor. *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Sicut ergo prudenter apud Deum causam agit, qui iustitiæ suæ immemor totum misericordiæ committit: sic prudenter emit, qui omnem fictionem atque auaritiam negotiationis scire renuit, qui inuenta illa pretiosa margarita non solum omnia sua, sed & seipsum vltro, ac desideranter impendit. At nos tepidi, ficti, ingrati, indeuoti, voluptatum amatores magis quam Dei, vix ab illa voce infidelis & nequissimi murmuris malum est, malum est, valemus compesci: etiam postquam gustauimus & vidimus sicut de muliere forti scriptum est, quoniam bona est negotiatio nostra. Adhuc feruebat me quidam implacabilis zelus aduersus ingratitudinem, & infidelitatem huius temporis nostri: sed reuocat me de qua sermonem institui sancta ac beata plenitudo temporis Christi, qua etiam hodie plenius pascendi estis.

Margin notes (left): B; Iob 6.; Sola bona voluntate iam à diebus Christi, emitur regnum cœlorum.; Prou. 10.; C; Rom. 8.; Psal. 70. Iustitiæ nostræ immemores, totum misericordiæ Dei committere debemus.; D; Prou. 31.

E Coniunctim tamen currunt, pariterque feruntur hæc duo tempora tam diuersa, tamque aduersa, tempus scilicet gratiæ, & tempus malitiæ: cum tamen nonnisi vnum tempus inueniatur vtriusque. Si enim modo non esset tempus gratiæ, non diceret Apostolus, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et iterum si modo non esset tempus malitiæ, non diceret idem Apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Confligunt igitur in tempore vno gratia & ingratitudo, velut in stadio vno. Iam olim siquidem sapientia pugnat aduersus malitiam, propter quod & nunc in huius mundi descendit aream. Pugnat, inquam, nolens vinci à malo, sed volens vincere in bono malum. Abundabat iniquitas, & licet humana congelata esset, diuina tamen non frigescebat charitas. Magnus ille ardor charitas, & reuera sicut scriptum est, aquis multis inextinguibilis: quod cum extremum iam iudicium postularet multitudo peccatorum, Deus tamen filium suum misit non vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur per ipsum. Cum igitur iam pene consummata mundi malitia, finem indiceret temporis, redemptoris aduentus nouam & inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cum enim mundus consenuisset, atque prope interitum esset temporis ætate, subito ad aduentum conditoris sui, noua & insperata renouatus est virtutis iuuentute, fideique quodam iuuenili calore. Fides siquidem cuius primæuum tempus velut quædam pueritia fuit in Patriarchis, qui exorti sunt primo mane Ecclesiæ nascentis: adolescentia vero in Prophetis, ad plenitudinem demum iuuenilis excreuit roboris in Apostolis, quando & calorem suæ virtutis mundo spectabilem præbuit in tam præclaris atque fortissimis innumerabilium Martyrum triumphis. Hanc adultam ac plenam ætatem fidei vocat Apostolus plenitudinem temporis: quando scilicet hi qui sub pædagogo legis erant nihil que à seruo differebant dum erant paruuli: iam adulti libertatem filiorum receperunt per vnigenitum patris. Qui nimirum vt nulla plenitudo suo deesset tempori, plenus tam gratia quam veritate venit: quatenus & per gratiam impleri faceret legis mandata, & per veritatem impleret inde promissa: adeo vt quicquid etiam vniuersis retro sæculis mystice gestum, aut dictum fuit, totum verius ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. Nam & hic ipse dies, tot sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in breui hodie exhibuit, vt de eo vere dici possit: *Consummatus in breui, expleuit tempora multa.* Cum ergo tot modis constet, quia venit beata plenitudo temporis, recte querelas insipientium Salomon compescuit dicens: *Ne dicas, quid putas causæ est quod meliora fuêre tempora priora quam nunc sunt?* Stulta est, inquit, huiusmodi interrogatio, cum manifeste fœlicissima tempora fecerit hominibus gratia Dei: ingratitudo autem hominum pessima fecerit ea sibi. O tempus acceptabile, cui tam beatum, tam auspicatum initium dedit dies iste: quo natus conditor æternus, temporis æternitatem mortalibus nunciauit. O vere dies salutis dies iste, quo nata salus mundi, seipsam poculum salutare miscuit ægrotis. O fratres de die isto loquebatur, ni fallor, sapiens filio suo: *Non defrauderis à die bono.* Et exponens quid sit non defraudari, *Particula*, inquit, *boni doni non te prætereat.* Diem quippe bonum, pro eo dicit, quia datum est hodie donum bonum, prorsus datum optimum, donumque perfectum, descendens à patre luminum, quod quale sit: nemo scit, nisi qui accipit. At vos fratres spiritum qui ex Deo est accepistis, vt sciatis quæ à Deo donata sunt vobis: quippe qui ex sententia cordium cantatis: *Filius datus est nobis.* Filius iste, panis est filiorum, qui de seipso hodie beatum ac solemne vniuersæ familiæ patris exhibet epulum. Gratias tibi pater misericordiarum, qui panem nostrum quotidianum das nobis hodie, tantaque largitate aperuisti manum tuam ad implendum omne animal benedictione: vt ipsa etiam benedictione plenum inueniatur eorum præsepe. Quam miserum, quam brutum ac stolidum, imo quam sibi nequam & inuidum illud animal, quod sese isto die bono defraudat, vt eum particula

Margin notes (right): 2. Cor. 6.; Ephes. 5.; Cant. 8. Deus filium suum ad mundi salutem misit, cum iam peccatorum multitudo mundi finem exposceret.; F; Fides quomodo ab initio creuit.; Adultam ætatem fidei Apostolus vocat plenitudinem temporis.; G; Ioan. 1.; Sap. 4.; Eccles. 7.; H; Eccles. 14.; Christus panis est filiorum.

A doni boni, prætereat: vt scilicet expers gratiæ cœlestis, quæ ei proposita est fiat: diemque totius refectionis & gaudij, tristi ac ieiuno corde prætereat: quasi needum venerit copiosissima plenitudo temporis, nec præsepia simplicium & humilium panis impleuerit cœlestis. Huiusmodi hominem sibi nequam & inuidum, Deo ingratum & iniuriosum, notat sapientia cum ait: *Oculus malus ad mala, & non saturabitur pane, indigens, & in tristitia erit super mensam suam. Ideo,* inquit, *non saturabitur bonis anima ipsius, quia oculus eius ad mala, nec reuertetur oculus eius, vt videat bona?* vt cum pietate & fide consideret quæ ei apposita sunt in magna diuitis mensa. *Nequam est* enim, inquit, *oculus liuidi, auertens faciem & despiciens animam suam.* Proculdubio fratres si faciem non auertimus à consideratione illius qui iacet in præsepi, ipso intuitu possumus fœlicissime pasci, dicemusque: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocauit.* Tunc plane sciemus, quia venit desideratissima plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum, per quem tanta iam replemur plenitudine bonorum, ipsi benedictio & gratiarum actio, & nunc, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Eccles. 14.

B

Sermo de eodem V.

CONuenistis fratres ad audiendum verbum Dei. Deus autem aliquid melius prouidit nobis, vt non solum audire, sed etiam videre datum nobis hodie sit verbum Dei: si modo transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod fecit Dominus & ostendit nobis. Nouerat Deus hominum sensus inuisibilium incapaces, cœlestium indociles, ad fidem quoque difficiles, nisi res ipsa de qua fides suadetur, visibiliter ipsis sensibus conuincendis ingeratur. Nam & si fides ex auditu, multo tamen procliuius ac promptius ex visu, sicut illius exemplo docemur, cui dicitur: *Quia vidisti me credidisti,* qui scilicet dum audiebas incredulus fuisti. Quia enim difficilius audita quam visa creduntur, ideo merito fides illorum qui non viderunt à Domino beata prædicatur, quippe qui plus detulerint auctoritati sermonis, quam experientiæ proprij sensus, aut rationis. Deus tamen per omnia volens satisfacere tarditati nostræ, verbum suum quod prius fecerat audibile, hodie fecit nobis etiam visibile, imo & tractabile: vt & quidam ex nobis potuerint dicere: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ.* Fuit ab initio illius, qui sine initio est æternitatis, audiuimus promissum ab initio temporis, vidimus & contrectauimus exhibitum in fine temporis. Alias autem inuenies quod non solum visibile & tractabile, sed etiam gustabile & adorabile nobis verbum Dei factum sit: quippe quod per omnes vias sensuum, aditum sibi ad animam quæsierit: quatenus sicut per sensus mors intrauerat, sic per eosdem rediret & vita. Quod ergo verbum caro factum est, nobis qui toti sumus caro, factum est: vt qui antea verbum Dei tantum poteramus audire, iam carnem factum & videre possimus & gustare, omnesque sensus in testimonium auditus conuocare: quatenus omnes nostri sensus consensu vno, & voce vna confiteantur, Sicut audiuimus, sic vidimus. Incomparabiliter tamen amplius nunc concessum est visui, quam vnquam fuerat auditui: cum modo videatur verbum quod Deus est, & antea magnum haberetur audire verbum quodcunque ex Deo. Et verbum quidem quod ex Deo est vidi aliquando fratres cum tædio audiri, sed verbum quod Deus est nunquid poterit nisi cum gaudio videri? In me primum sententiam fetam, quia verbum quod Deus est, cum se hodie mihi vidēdum præbeat in eo quod sum, si me non lætificat, impius sum: si non ædificat, reprobus sum. Si quis ergo frater acidiosus inuenitur inter nos, nolo diutius vt fatigentur aures eius sermone nostro contemptibili, transeat vsque Bethleem, & illud in quod desiderant angeli prospicere, prospiciat ibi, verbum scilicet Dei, quod Dominus ostendit nobis: imaginetur animo, sermo Dei viuus & efficax qualis ibi iaceat in præsepi. Si tantum pietas oculum illuminet intuentis, quod tam delectabiliter potest videri, tam salubriter cogitari? Quid æque mores ædificat, spem roborat, charitatem inflammat? Omnino *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, omnipotens sermo tuus Domine,* qui tam alto silentio à regalibus patris sedibus, animalium illapsus præsepibus, melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui *habet aures audiendi, audiat,* quid nobis hoc pium & mysticum æterni verbi loquatur silentium: quoniam (nisi me fallit auditus) inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum, quibus reuerentia ipsius & exemplum religiosum imposuit silentium. Et rectissime quidem imposuit. Quid enim tanto pondere, tantaque auctoritate disciplinam commendat silentij, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum procellasque verborum, sicut sermo Dei silens in medio hominum? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur omnipotens sermo, dum matri subditus est: & nos qua dementia dicemus, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt quis noster Dominus est? Liberet mihi si liceret obmutescere, & humiliari, & silere etiam à bonis, vt attentius & diligentius aurem possem adhibere vocibus arcanis sacrisque sensibus huius diuini silentij, & vel tanto tempore sub silentio discere in schola verbi, quanto verbum ipsum sub disciplina siluit matris. O fratres si pie ac diligenter intendamus huic verbo quod Dominus fecit hodie, & ostendit nobis: quanta quamque facile possemus ab ipso perdoceri? Verbum siquidem breuiatum est, ita tamen vt in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirum verbum consummans & abbreuians in æquitate ipsum est. Et hæc consummatio abbreuiata inundauit iustitiam, sicut promissum meministis per Esaiam, quia de sua plenitudine in participes suos redundauit iustitiam, vt abundet iustitia ipsorum plusquam Scribarum & Pharisæorum: licet illi per tam multiplices se exercitent iustificationes legis, isti autem breui ac simplici contenti sunt verbo fidei. Sed quid mirum si omnia verba sua nobis verbum Dei breuiauit, quando & seipsum breuiari & quodammodo minui voluit, adeo vt de incomprehensibili immensitate sui ad angustias vteri quodammodo se contraxerit, & continens mundum, in præsepi se passum sit contineri? In cœlo verbum istud horribili altitudine sua virtutes angelicas stupefacit: in præsepi simplices & hebetes pascit. Ibi subtilissimis angelorum intellectibus inscrutabile: hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, verbum eius factum est caro, vt non solum audire, sed & videre posset omnis caro, quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua non cognouit mundus sapientiam Dei, dignatione ineffabili eadem sapientia Dei se stultitiam fecit: vt quamlibet idiotis, vel hebetibus se discibilem præberet, & per stultitiam prædicationis saluos faceret credentes. *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia sapientiam tuam abscondisti à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti eam paruulis. Ita pater, sic fuit placitum ante te,* vt paruulis daretur paruulus, qui natus est nobis: quandoquidem altitudo superborum, nimis abhorret ab huius humilitate paruuli, & quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum: qui cum veraciter altus sit, paruulus factus est pro nobis. Cum solis nimirum paruulis concordat iste paruulus: in solis requiescit humilibus & quietis. Sicut igitur paruuli gloriantes de eo cantant, *Paruulus natus est nobis:* sic & ipse gloriatur de eis: *Ecce ego* inquiens, *& pueri mei, quos mihi donauit Dominus.* Vt enim paruulo filio suo pater sodales daret de coætaneis suis, statim primo omnium ab innocentia paruulorum cœpit gloria Martyrij: hoc significante Spiritu sancto, quia nonnisi talium esset regnum cœlorum. Si tales effici volumus fratres, iterum atque iterum transeamus vsque Bethleem, & diligentius intueamur hoc verbum quod factum est caro, Deum immensum qui paruulus factus est: vt in hoc visibili & breuiato verbo discamus sapientiam Dei, quæ tota humilitas facta est. In hanc quippe virtutem, illa omnimoda virtus se interim totam contulit: nihil aliud illa summa sapientia interim scire voluit, nisi illam scilicet humilitatem, cuius se postmodum magistrum voluit profiteri. Et iste quidem (quod nimirum in sugilla-

Ioan. 10.

C

Fides illorum qui non viderunt præstantior.

1. Ioan. 1.

D

E

Grauiter commendat silentij disciplinam, sermo Dei in medio hominum silens.

F

Esa. 10.

G

Sapientia Dei se stultitiam fecit.

Matth. 11.

H

Esa. 8.

A

gillationem mei ipsius loquor) iste, inquam, digne & iuste magister docendæ humilitatis effectus est: qui licet eam sibi non ignoraret & originalem à matre, & naturalem à patre, nihilominus tamen ab ipso matris vtero didicit eam ex his quæ passus est. In diuersorio viatorum natus est: vt hospites & peregrinos super terram ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Ibi quoque nouissimum eligens locum, in præsepio positus est: vt & nos illud Dauidicum,

Psal. 83.

(*Elegi abiectus esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*) opere disceremus. Pannis inuolutus est: vt habentes quibus tantum tegamur, his contenti simus. Per omnia paupertate materna contentus, matrique per omnia subditus, vt totius religionis forma, iam in eius natiuitate nata videretur. Beata sane simplicium fides pastorum, quæ cum inuenisset infantem pannis inuolutum, nequaquam in illis scandalizata est ad incredulitatem: vt minora de eo sentiret, sed ædificata potius ad pietatem, vt tantæ dignationi gratior fieret. Quanto namque se pro ipsis profundius humiliatam ac funditus exinanitam illa exhibuit maiestas: tanto facilius & plenius, si digne de eis sentire volumus, totos eorum affectus sibi illius rapuit & vindicauit charitas.

B

Veritas corporis Christi sub specie panis.

Fratres & vos inuenietis hodie infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio altaris, videte ne vilitas tegminis offendat aut perturbet obtutum vestræ fidei, veritatem reuerendi corporis sub alijs rerum formis intuentis. Sicut enim mater Maria, quibusdam assumentis pannorum inuoluit infantem, sic mater gratia dispensatorijs speciebus rerum eiusdem sacri corporis nobis obtegit veritatem: sic etiam mater sapientia ænigmatibus & figuris arcanam diuini verbi contegit maiestatem, quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium studij, meritum sibi cumulet ad salutem.

Verbi diuini maiestas cur ænigmatibus & figuris velata.

Nam & ego fratres cum vobis veritatem quæ Christus est, verbis meis enuntio, quid aliud quam Christum pannis satis vilibus inuoluo? Beatus tamen cui nec in pannis istis Christus est vilior, sicut nec merces pretiosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos. Christus plane est, quem vobis tradere cupio, qualibuscunque sermonibus nostris: vt iuxta sermonem Petri Apostoli, sanctificetis eum in cordibus vestris.

C

Suscipite in mansuetudine insitum verbum, quod potest saluare animas vestras: & verbum Christi, abundanter habitet in vobis, amor scilicet & memoria verbi incarnati, quatenus tam fœliciter decantetis, verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Tota igitur pietate cogitemus Christum in pannis quibus mater eum operuit, vt æterna fœlicitate videamus gloriam & decorem quem ei pater induit, gloriam quasi vnigeniti à Patre, cum quo & Spiritu sancto honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo in Epiphania Domini.

Psal. 28.

AFferte Domino filij Dei, afferte. Satius illi afferte quam sanguisugæ, id est concupiscentiæ, cuius duæ filiæ voluptas & vanitas non dant ei requiem die ac nocte, dicentes: *Affer, affer.*

Prou. 30.

D

Quid igitur afferemus Domino? afferte Domino gloriam auri, & honorem thuris: afferte Domino gloriam nomini eius myrrham sepulturæ eius. Sed dicit mihi discipulus Christi, filius Petri. *Argentum & aurum non est mihi*, nec sacculi peregrinarum mercium myrrhæ & thuris. Ergone vacuus apparebis in conspectu Domini, & cunabula noui regis nullis honorabis xenijs?

Diues paupertas quam quis sponte pro Christo tolerat.

O diues paupertas, ô locuples nuditas, si tamen Christiana & voluntaria. Quibus enim diuitijs non abundans, non solum auri, sed etiam auri primi, auri igniti, non solum myrrhæ & thuris, sed etiam vniuersi pulueris pigmentarij? Imo qui sunt alij qui possint abundare diuitijs huiusmodi nisi pauperes Christi?

Prou. 8.

In vijs, inquit, *iustitiæ ambulo vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Nec deest ei vnde id possit.

Ibidem.

Mecum sunt, inquit, *diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia.* Bonæ opes prorsus diuitiæ salutis, in quibus ita superbitur, vt iustitia non deseratur.

Superbia laudata.

Fratres superbia ista est gloria exultantium in Domino, & insultantium mundo, quod nihil habeat tam preciosum, vt paupertati valeat comparari sanctorum. O qui pusillo animo estis, cur non superbitis mecum in opibus istis? Superbiam istam non damnat, sed remunerat magister humilitatis, si videlicet ita magnanimus sis in contemptu mundi, vt omnem gloriam eius quasi de sublimi despicias & nihili pendas præ amore & gloria tuæ nuditatis.

E

Omnino diues es si in paupertate gloriaris, & de te quoque gratias aget congratulatio Apostoli. *Gratias*, inquit, *ago Deo meo quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.*

1. Cor. 1.

Longe aliter illum alloquitur Dominus, qui sibi applaudebat de affluentia mundi huius. *Tu*, inquit, *dicis quia diues sum, & nullius egeo, cum tu miser sis & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.*

Apoc. 3.

Sane inter diuitias huiusmodi pro quibus Paulus congratulabatur discipulis, non dubitauerim aurum, thus, & myrrham posse reperiri, quæ digne & grate Christo nato queant offerri. At ego, inquiens non sum mihi conscius tale quid accepisse, nec aliquid tam preciosum vt est aurum, thus, & myrrha, penes me posse inueniri. Ego enim vir videns paupertatem meam, vix mendicabo stipem quotidianam, pauperem exigens vitam.

F

Puras, inquis, te nihil tale accepisse? vide magis ne acceptam à Patre substantiam dissipaueris viuendo luxuriosè. Sed omitto istud, *non* enim *improperandum est*, vt Sapiens ait, *homini auertenti se à peccato.*

Ecclef. 8.

Vellem magis vt non pigeret te tentare & quærere, si forte vel minimum aliquid paternæ substantiæ resedisset apud te, vnde initium recuperandi posses capere. Vellem foderes intra te, solent namque preciosi latere thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille, qui desiderio sui compulit hominem omnia sua vendere. In agro se dicebant thesauros absconditos habere decem viri Israelitæ, & per hoc gladium euaserunt homicidæ.

Operum bonorum ingentes thesauri latent in humano corpore.

O quanti thesauri bonorum operum, quantæ diuitiæ piorum fructuum absconditi latent in agro humani corporis; & quanto plures in abdito cordis, si modo sit qui exerceat & fodiat. Neque illud Platonicum dico, quod anima ante corpus artes didicerit, quæ obliuione & mole corporis obrutæ, disciplina & industria refodiendæ sint: sed quod ratio hominis & ingenium, iuuante gratia, omnium sit virtutum seminarium.

G

Si ergo ad cor redeas, & corpus exerceas, non diffidas te inuenturum thesauros desiderabiles, & si non auri statim in initio, aut thuris certe vel myrrhæ non inutilis. Inutilem aut vilem tu ne dixeris, quam Christus acceperat in munere, qua sui corporis sepulturam non solum præsignari cum ei offerretur, sed etiam consummari voluit, cum ex ea perungeretur. Si ergo manifestius vis audire, myrrha in corde tuo dolor est: myrrha in corpore tuo labor est si tamen iste vel ille pœnitentialis est.

Myrrha quid mystice significet.

Myrrha siquidem vtrunque esse non solum probat ethymologia nominis aut qualitas saporis: sed etiam medicinalis operatio virtutis. Myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit, effectu autem præter alias sui vtilitates corruptioni resistit.

Dolore quo peccator ad pœnitentiam contristatur nihil salubrius.

Et quid gustu amarius, quid effectu salubrius, quam dolor quo peccator ad pœnitentiam contristatur? Recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, dicens Deo noli me condemnare: sed omnis hæc amaritudo nihil aliud quam myrrha est vindicans à corruptione tam luxuriarum in quibus computruit, quam vermium immortalium quos metuit.

H

Quid vero labor corporis? Non tam myrrha est vtique quam fasciculus myrrhæ, si credere volumus his qui de sæculo nuper venêre, quibus regula ieiuniorum & vigiliarum, quotidianum opus manuum, asperitas vestium & omnia pene amara quia insolita, velut in vnum colligata fasciculum imposita sunt ad ferendum. Et quidem amarissime portarent hunc myrrhæ fasciculum, nisi quia & si nondum gaudent communicare passionibus dilecti, vt dicant fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: dulce tamen nimium habent amaritudinem cordis, amaritudine mitigare exteriori, tanquam coleram stomachi potu absinthij. Sicut enim stomachus immoderato vsu dulcium corruptus, potione purgatur amara: sic eorum qui suauiter vixerunt in amaricata conscientia, nunquam melius quam contrario, id est vita & consuetudine curantur austera. Maxime autem si sæpius detur eis libere vinum myrrharum Dominicæ pas-

A

sionis, id est potentur vino compunctionis, quod quanto amarius est ex recordatione peccati, tanto salubrius est peccatori. Ideo Iesus noluit bibere, quia peccatum non fecerat quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat, qui de genimine vitis veræ, vinum nouum cum amicis in regno patris habebat bibere. Cæterum quanquam perfectis, qualis Timotheus erat, exercitatio corporalis ad modicum vtilis sit comparatione pietatis, quantum tamen rudibus & imperfectis, quales nos sumus, vtilis sit; vos ipsi fratres vobis testes estis, quomodo scilicet redimit de corruptione vitam nostram amaritudo parsimoniæ & laboris. Ipsi etenim scitis quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. Annon vermis luxuria? Nescio si alter nocentior. Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. Annon vermis accidia & tristitia? *Sicut tinea*, inquit, *vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Quid omnia desideria mala? Annon vermes & ipsa? At in desiderijs est omnis otiosus, & desideria occidunt pigrum. Beatus igitur cui ad mortificandos vermes huiuscemodi, manus propriæ distillant myrrham per vniuersum sui, iamque præuenit vngere corpus suum in sepulturam. Sed suum dicam an Iesu? Imo & Iesu. Corpus enim illius, membrum est Iesu. Quisquis ille est qui sic vnctus est, non est quod timeat vermem, qui non moritur, quia iam mortuus est ei vermis, vnde ille moritur. Myrrham itaque & myrrham electam atque probatissimam Domino cum regibus rex & ipse obtulisti, si interim dum non sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ, aut thus deuotionis, saltem cor contritum corpusque afflictum, cum amaritudine pœnitentiæ Domino sanctificasti. Existimo enim, sine præiudicio tamen melioris intellectus, myrrham esse primam oblationem incipientium, deinde thus proficientium, demumque aurum perfectorum: atque idcirco cum simul ab Euangelista nominata sunt, pretiosiora quæque & digniora pro merito sui prælata esse in ordine nominum. Alias namque secundum ordinem profectuum myrrham turri præpositam iuuenis, vt est illud, *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Et vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Non paruus siquidem profectus est cum de myrrha ad thus proficitur, cum de ista quæ ad vsus est infirmitatis humanæ, ad illud quod diuinis & festiuis deputatum est sacrificijs peruenitur, vt qui sacrificium spiritus contribulati corporisque humiliati offerebat non sine myrrha amaritudinis, iam sacrificium laudis offerat cum thure deuotionis, & iuxta promissionem Domini, tanta consolatio immittatur lugentibus Syon, vt det eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Tunc cantat qui lugebat: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum spiritu mœroris, & circumdedisti me lætitia, pallio laudis, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. Gaudens enim gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me.* O fratres quibus minus sufficiunt vestimenta vestræ paupertatis, in hac asperitate hyemis, qui dicitis ante faciem frigoris huius quis sustinebit: cur non induimini quæso hoc vestimento lætitiæ & salutis, hoc pallio laudis? Si Dominum laudatis, in Domino laudabitur anima vestra, & pallio laudis quo opertus est laudabilis nimis, vos quoque operiet, & confouebit quemadmodum gallina pullos suos sub alis, si modo velitis. Ah quotiens voluit & noluistis? Nunquid enim hoc pallium breue est, vt vtrumque operire non possit? *Non angustiamini*, inquit, *in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Dilatamini & vos, & pallium dilatabit se vsque ad vos. *Non est abbreuiata manus eius, vt saluare nequeat*, nec grande est ei, vt consoletur nos, nisi prauitas nostra prohibeat. O qui algetis, pallium hoc calidum est, quia calor est, qui non modo interius, sed exterius calefacere potest. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum terra tua perflata fuerit austro, imo ignis missus in ossibus, ac vehementer accensus? Hoc igne thus illud adole, quod cum regibus obtuleris, vt dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Domini, & cum de sacrificio tuo odoratus fuerit odorem suauitatis, dicat tibi, *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Iam vero de auro sapientiæ quæ oblatio, vt diximus, perfectorum est, loquatur vobis qui illud assecutus est, quia nec nouit illud nisi qui accipit. Qui ergo sapientiam didicit, sapientiam loquatur inter perfectos, & de auro quod possidet, murenulas aureas auribus vestris fabricet. *Ego enim non arbitror me comprehendisse, sequor autem si quomodo comprehendam.* Magnus prorsus ac beatus qui inuenit sapientiam, & affluit prudentia: sapientiam in contemplatione æternorum, prudentiam in administratione temporalium: vel vt moderatius sapientem definiam, *qui nouit seipsum regere & alium.* Pretiosius est hoc aurum cunctis opibus etiam thure & myrrha, & omnia quæ desiderantur in virtutibus, vel gratijs, huic non valent comparari. Denique sapiens tanquam vir virtutum diues in omnibus, & si præualet aurum offerre in sublimi contemplatione vel prudenti administratione, non tamen negligit offerre thus in deuotione diuini operis, myrrham in mortificatione sui. Nos igitur fratres quod habemus offeramus in gloriam noui regis, quod minus habemus, ab ipso petamus cui offerre cupimus, qui indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter. Munera mea, data mea, ait pater luminum, à quo omne donum perfectum, & omne datum optimum, ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

Labor corporis quam sit vtilis & necessarius. Luxuria animarum vermis perniciosus.

Prou. 25. B

Cant. 3. C

Esa. 61.

Psal. 29. D

2. Cor. 6.

E Cant. 4.

Prou. 3.

Sapiens quis sit. F

Sermo de eodem II.

Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Hodiernum diem luminum illuminauit nobis & consecrauit lumen de lumine, quod hodie cum lateret incognitum, ad illuminationem omnium gentium sese dignatum est mundo reuelare. Hodie namq; se reuelauit Chaldæis noui syderis inditio, cum in eorum primitijs omnium fidem gentium dedicauit. Hodie se reuelauit Iudæis, non solum Ioannis, sed & patris & Spiritus sancti testimonio, vbi in Iordane baptizatus, baptisma omnium consecrauit. Hodie manifestauit gloriam suam coram discipulis suis, quando mutatione aquæ in vinum, illud ineffabile præostendit mysterium, in quo verbo ipsius, substantiæ mutantur rerum. His omnibus Dei apparitionibus præuidens spiritus illuminandā Ecclesiæ fidem, alloquitur eam sub typo & nomine Hierusalem dicens, Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum. Venerat quidem lumen, in mundo erat, & mundus per ipsum factus erat: sed mundus ipsum non cognoscebat. Erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista. Ait ergo Propheta, O *Hierusalem noua, ciuitas magna noui regis mons Syon, latera Aquilonis*, id est, de vtroque ædificanda pariete circumcisionis & præputij, *surge, illuminare, quia venit lumen tuum. Surgite, qui sedetis in tenebris, intendite lumini quod exortum est in tenebris, sed non comprehenditur à tenebris. Accedite ad eum & illuminamini, & in lumine eius videbitis lumen, dicetur q; vobis, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Intendite lumini æterno, quod se vestris aspectibus temperauit: vt qui lucem habitat inaccessibilem, infirmis quoque & lippientibus oculis possit accedi. Aduertite lumen in lucerna testæ, solem in nube, Deum in homine, in luteo vasculo carnis nostræ splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ. Latet quidem maiestas in humanitate, virtus in humilitate: sed signa virtutum erumpentia, vnde hæc prodeant, non sinunt ambigere. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Magnum quidem testimonium Ioannis, qui venit vt testimonium perhiberet, lucerna de lumine. At enim multo maius illud testimonium cœleste, quod pater & Spiritus S. filio perhibuere: pater in voce, Spiritus in columbæ specie, cum *in ore duorum testium stet omne verbum.* Sed & hoc ipsum si minus accipitur, *opera*, inquit, innumerabilia & irrefragabilia *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Plane incorruptus & irreuincibilis testis cum creatura insensibilis sensum quendam accipit in confessionem creatoris, voluntatem eius exaudiens, ac nutui incunctanter obediens. Quid enim diuinius poterat exhiberi sensibus mortalium, quam

G

Nota.

H

Ioan. 5.

hodier-

A

hodiernæ nouitatis ſignum, quod etiam ante ſignorum ſuorum præmiſit Ieſus initium? Vagit puer nouus in terris, & ſydus nouum creat in ſupernis, vt lumen teſtetur de lumine, ſtella de ſole, & reges in ſplendore ortus ſui, ad exortum quoque æternum ſplendorem ab oriente ad verum orientem, id eſt, virum cui nomen Oriens, ſtella perducat: non quaſi ſtella, ſed quaſi rationale animal in via præcedens, in fine viæ conſiſtens, ac velut digito ipſum qui quærebatur oſtendens. Sed eſto, calumnietur infidelis, hanc ſtellam non eſſe opus Chriſti, dummodo confiteatur opus eſſe patris in teſtimonium filij. Attamen obruet eum multitudo infinita, ac magnitudo mirabilium plane diuinorum, quæ abſque contradictione Ieſus noſter operatus eſt in carne, ſed non ex carne. Sed operiant tenebræ terram, & caligo populos, qui cum lux venit in mundum, dilexerunt magis tenebras quam lucem: dummodo illumineris Hieruſalem ciuitas cœleſtis, quæ in omni terra & populo Deo paritura es filios lucis, quos de poteſtate tenebrarum transferet in regnum claritatis ſuæ lumen verum.

B

Gratias tibi pater luminum, qui de tenebris nos vocaſti in admirabile lumen tuum. Gratias tibi qui dixiſti de tenebris lumen ſplendeſcere, & illuxiſti in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ in faciem Chriſti Ieſu. Hæc ſiquidem eſt lux vera imo vita æterna, vt cognoſcamus te vnum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Cognoſcimus te, quia cognoſcimus Ieſum: quoniam pater & filius vnum. Cognoſcimus quidem per fidem, ipſam tenentes arram fidelem: quia cognoſcemus & per ſpeciem. Interim tamen auge nobis fidem, deducens nos ex fide in fidem, à claritate in claritatem, tanquam à tuo ſpiritu: vt de die in diem theſauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, ſcientia plenior, charitas feruentior fiat & diffuſior, donec per fidem perducamur ad faciem, tanquam per ſtellam præducem ad noſtrum Bethleemiticum ducem, qui egreſſus de Bethleem regit Iſraelem, & regnat in Hieruſalem, non iſta quæ occidit Prophetas, ipſumque Dominum Prophetarum, ſed illa in qua coronat occiſos idem Dominus, cauſa, virtus, & gloria Martyrum.

C

O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cernentium in illa Hieruſalem regnantem, quem in Bethleem adorauerunt vagientem. Hic viſus eſt in diuerſorio pauperum, ibi in palatio videtur angelorum. Hic in pannis paruulorum, ibi in ſplendoribus Sanctorum. Hic in gremio matris, ibi in ſolio patris. Plane digna beatorum fides Magorum, vt tam fœlici viſione remuneretur, quæ cum in eo nihil niſi infirmum & contemptibile videret, non tamen ſcandalizari potuit, quo minus Deum in homine, & hominem in Deo veneraretur.

Magorum fides incomparabilis.

Proculdubio ſtella ex Iacob illuxerat in cordibus eorum, ſtella inquam matutina, lucifer qui neſcit occaſum, qui etiam foris ſtellam matutini ortus ſui indicem accenderat cordibus eorum. De his omnino conuenienter intelligi poteſt, quod apud Salomonem ſcriptum eſt: *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendeſcens procedit, & creſcit vſq; ad perfectum diem.*

Prou. 4.

Primo namque ſemitam iuſtitiæ ingreſſi ſunt ad lucem ſplendentis ſyderis, cuius ductu profecerunt ad videndum nouum ortum matutinæ lucis, ſicque demum peruenerunt ad contemplandam faciem meridiani ſolis, in die virtutis ſuæ rutilantis.

D

Pulchre igitur ſignanterque in his gentium primitijs, in his naſcentis Eccleſiæ primordijs, præoſtenſus eſt fidei profectus in ſingulis, vnde ſcilicet incipiat, quomodo proficiat, & quo demum perueniat: vt facile ipſorum qui patres ſunt, in filijs agnoſcantur veſtigia. Sicut illi cœperunt à viſione ſyderis, profecerunt ad viſionem pueri, peruenerunt ad viſionem Dei: ſic in nobis fides naſcitur ſupernorum prædicatione luminarium, roboratur viſione quarundam imaginum, per ſpeculum & in ænigmate Deum velut incarnatum nobis exhibentium: conſummabitur, cum præſens & nuda videbitur veritas rerum facie ad faciem, contemplantibus quod vix tenuiter & raptim in ænigmate nunc attingitur cum & ipſa fides tranſibit in cognitionem, ſpes in poſſeſſionem, deſiderium in fruitionem.

Fides quibus modis in nobis creſcat.

Lucent namque & nobis ſtellæ, non vna ſed multæ, niſi quia multæ vna: quarum ſcilicet cor vnum eſt, & anima vna, fides eadem, prædicatio conſona, ſimiliſque vita. Quæ ſint hæ ſtellæ, ſi dubitas, Danielem interroga. *Qui ad iuſtitiam,* inquit, *erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Sancti viri ſtellæ dicuntur.

E

Paulus etiam luminaria vocat eos, qui lucent in medio nationis prauæ & peruerſæ, continentque verbum vitæ tanquam ſplendorem mutuatum ab æterna luce: quo & noctem huius mundi viſi ſunt illuminare: Ideo Dominus fons & origo lucis, cum ordinaret lunam & ſtellas in poteſtatem noctis dicebat illis: *Vos eſtis lux mundi.* Et iterum: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Matth. 5.

Lucent itaque verbo, lucent exemplo, & vtroque lucis radio ortum æternæ lucis annunciant: dum cœleſtem quem voce prædicant, etiam cœleſtis vitæ ſimilitudine commendant. Suſpicite fratres in cœlum, in cœlo ſiquidem eſt conuerſatio eorum, ſuſpicite & intendite mentis oculos, ſi necdum poteſtis in rotam ſolis, ſaltem in fulgorem ſyderum: admiramini ſplendorem ſanctorum, imitamini fidem, æmulamini ſanctitatem. Stellæ iſtæ ſicut flamma coruſcant, & lumen luminum ortum demonſtrant, ducunt ad cunabula noui regis, ad cubiculum virginis matris, quod eſt inuiolabile fidei myſterium, imo perducent in templum regis, in ſanctuarium Dei patris: quod eſt incogitabile fidei præmium.

F

Interim autem dum idonei non ſumus ſapientiam Dei, quæ in myſterio abſcondita eſt, ſcrutari, vel maieſtatem quæ in præmium repoſita eſt contemplari: contenti ſumus ſanctorum claritatem mirari, ſanctitatem imitari. *Fili,* inquit, *concupiſti ſapientiam, ſerua mandata, & Dominus præbebit tibi illam. Altiora autem te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit Dominus tibi, ipſa conſerua ſemper.*

Eccleſ. 1.

Præceptum namque Domini lucidum, illuminans oculos: quibus poſtmodum ipſum corpus luminis valeas intueri, cum in luce radiorum, id eſt, in opere mandatorum verſari conſueueris. *Dulce quidem lumen,* vt ait Salomon, *& delectabile oculis, videre ſolem.*

Eccleſ. 11.

Dulce prorſus & delectabile, ſed illis quibus tolerabile. Sanos oculos fouet, infirmos torquet. Et quis eſt tam ſano & acuto viſu, vt in aſpectu illius inuiſibilis ſolis non cæcutiat? Quis ille ſcrutator maieſtatis, qui non opprimatur à gloria? Mirabilis facta eſt ô Domine claritas tua, tum ex ſe tum etiam ex me: quia confortata eſt aduerſum me dum acies mea infirmata eſt in me, & iam non potero ad eam, ſicut poteram in Adam.

G

Potero forſitan ad claritatem ſyderum, qui non poſſum ad ſolem ipſum, & per hanc quandoque confortabor ad illum. Eia ſurge illuminare anima mea, quæ ſedebas in tenebris, ſuſpice luminaria cœli, leua oculos tuos in montes, vnde veniat auxilium tibi, ſi veteris ad illum qui habitat in cœlis, id eſt, in montibus ipſis. A montibus, inquam veniet, auxilium tibi, quia lux tibi inacceſſibilis illuminat mirabiliter à montibus æternis. Suſceperunt montes lucem populo, à quibus ad valles campoſque deſcendat ſubiectos. Hoc itaque dico fratres optimum eſt noſtræque infirmitati congruum illuminationis initium: ſi intendamus in eos qui illuminati ſunt. Rectiſſima via eſt inueniendi Ieſum, ſi præcedentium patrum ſequamur lumen præuium.

Illuminationis principium eſt, ſi in eos oculos defigamus, qui illuminati ſunt.

Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum. Qui iuſtum ſequitur, non ambulat in tenebris: non modo videbit, ſed habebit lumen vitæ.

H

Videbit ad conſolationem præſentis vitæ, habebit in poſſeſſionem hæreditatis æternæ.

Eſa. 26.

Pietas nempe promiſſionem habet vitæ quæ nunc eſt & futuræ. Exerceamur ad pietatem, & neutro nos fraudabit, qui ſe vltro nobis fecit debitorem. Exerceamur in operibus lucis, & qui abſcondit lucem in manibus ſuis, annuncians de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere, & nunc aliquando in ſolatium operis eam nobis demonſtrabit, & poſtmodum in præmium dabit, ipſe lux noſtra Ieſus Chriſtus, qui viuit & regnat, & per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Sermo de eodem III.

SVrge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum. Benedictum lumen quod venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis: de cuius munere etiam dies iſte, dies ſanctificatus de illuminatione Eccleſiæ illuxit nobis. Gratias tibi lux vera, quæ illuminas hominem venientem in hunc mundum, quæ ad hoc ipſum veniſti homo in

Eſa. 60.

A mo in hunc mundum. Illuminata est Hierusalem mater nostra, mater omnium qui illuminari meruerunt, adeo vt iam luceat omnibus qui in mundo sunt. Gratias tibi lux vera, quæ lucerna es facta, vt Hierusalem illuminares, & lucerna pedibus meis, verbum Dei fieret: Gratias, inquam, tibi quoniam ipsa Hierusalem illuminata facta est lucerna, vt luceat omnibus qui sunt in domo magni patrisfamilias. Non solum enim illuminata est, sed exaltata super candelabrum illud totum aureum, sita est ciuitas super montem montium, illa quondam derelicta & odio habita, posita est in superbiam sæculorum: vt tam longe lateque fulgeat eius Euangelium, quam longe lateque mundi vigebat imperium. Et si opertum est Euangelium eius, in his qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius sæculi, excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis Ecclesia gloriæ Christi. Quibus tamen non fulget vt videant, fulget vt inuideant: & Ecclesiæ torquentur gloria, qui ipsius illuminari nolunt gratia. Verum Ecclesia nec propter gloriam qua floret superbiens, nec gratiam qua pollet inuidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat dicens: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Mei forsitan sunt quia prædestinati, sed adhuc tenebræ sunt, quia nondum vocati aut iustificati. Voca & ipsos in admirabile lumen tuum, & prædicabunt mecum admirabile nomen tuum. Quanquam iustus quisque ac sanctus in Ecclesia, ita se illuminatum gaudeat, vt adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat & doleat, & ideo necessarie, cum illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quanto namque amplius lucerna eius illuminata fuerit, tanto verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaueris, quod in Euangelio veritas ait: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim quia ex oculo synceræ intentionis, totum opus nostrum lucidum fit, ideo consequens est, vt statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is nempe modus est adhuc illuminationis nostræ, vt in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est quod & apud sapientes huius mundi qui magis sobrie disputarunt de scientia, primus numeratur scientiæ gradus, scire quid nescias. Fratres, omnes vos filij lucis estis, & filij Dei: Non sumus noctis, neque tenebrarum. Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit. Et si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Veruntamen si quoniam non sumus tenebræ, nec filij tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarum, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis quæ illuminari non mereantur, nobis inducimus. Quid enim ait lux mundi, quæ in iudicium venit in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? *Quia*, inquit, *dicitis videmus, peccatum vestrum manet.* Video quantulumcunque, quoniam tu illuminas lucernam meam ô Domine, sed quia parum est quod video, Deus meus illumina tenebras meas. Videmus vt multum per speculum & in ænigmate, sed multum longe est hoc ipsum à claritate vera, claraque veritate, quæ videbitur in facie. Ideo forsitan cæcus, quem apud Marcum Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat: quia videlicet nonnisi per speculum & in ænigmate videbat, sed secundo imponens manum restituit eum, ita vt videret clare omnia: quod in nobis fiet, cum nos reficiet, & sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quam cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta. Sed hoc ipsum per speculum & in ænigmate, cui aut quando, vel quamdiu potest contingere? Quam misericorditer mecum ageretur, quam fœliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere, *circumdederunt me mala quorum non est numerus, & non potui vt viderem.* Nam *delicta quis intelligit*, quando etiam specie virtutis vicium decipiens interficit, quasi vere angelus tenebrarum transfigurans se in angelum lucis? Magnus vtique multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit & voluit: nam neque & dolosus potuit & noluit intelligere, vt bene ageret.

[Margin: Ecclesiæ gloria. — B — Psal. 17. — Matth. 5. — Scire quid desit sibi, C magna pars est profectus. Primus scientiæ gradus, scire quid nescias. — Ioan. 9. — D — Marc. 8. — Cœcitas cordis humani.]

E Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur, *Ecce veniet Dominus & illuminabit oculos seruorum suorum.* Ecce venisti ô lumen meum, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nec peccatum ad mortem oculos delectatione claudat, & ad consensum illiciat, aut velut Hisboseth dormientem inueniens transfodiat. Venisti ô lumen fidelium, & ecce hodie de illuminatione fidei, id est lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere: da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper gaudere. Dedisti lumen fidei, da & lumen iustitiæ, da lumen scientiæ, da etiam & sapientiæ. His profecto gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi puto ô anima fidelis, quo mundi huius tenebris exuta, peruenias ad patriam claritatis æternæ: vbi tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando replebitur maiestate incircumscripti luminis omnis terra, & gloria eius in te videbitur. Domus Iacob venite ambulemus in lumine Domini, vt filij lucis ambulemus de claritate in claritatem tanquam præducente Domini spiritu: vt per singulos gradus virtutum regnum claritatis vlterius inuadamus. Qui igitur iam per fidem sumus in lumine, ex ea & per eam in amplius & serenius lumen progrediamur: primo iustitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per iustitiam, post intelligendum per scientiam, ac postremo contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte huius sæculi. Inde scriptum est in laude mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, & de nocte ac die operans manibus suis, panem ociosa non comedit. *Non extinguetur*, inquit, *in nocte lucerna eius*, id est non deficiet in tentatione fides eius. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed extinguitur cum fiunt. *Qui enim male agit odit lucem*, ideoque extinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei, non est timor Dei ante oculos eius, & de tenebris quas sibi fecit arbitrotumque absentia blanditur sibi dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorũ meorum non memorabitur altissimus, & non intelligit quoniam omnia videt oculus illius. Bona vero opera & si aliquãdo propter vanitatem declinandam in abscondito fiunt, ad lucernam tamen internam & æternam, id est, sub iudicio fidei & testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt: lucernæ vtique ardentes in manibus operationum & exspectantium aduentum sponsi, qui educet quasi lumen iustitiam tuam, ad conspectum hominum & angelorum: & sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta: vt Deum in te, & te in Deo clarificent omnium iudicia. Quanta vero claritate iustitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam iusti, familiarius & suauius conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpe autem & fides radiat, & iustitia coruscat, & adhuc tamen intellectus caligat, vt mysterium fidei quod velut inuolutum tenens veneratur, explicare nesciat, signatus sit ei liber scripturæ quasi literas nesciat: sed nec ad discretionem boni & mali, veri & falsi, exercitatos sensus habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans iustitia, scientia vere nulla. Quod tamen meritum & experientia iustitiæ lumen accendat scientiæ, docet sermo Prophetæ, qui cum præmisisset: seminate vobis ad iustitiam, vt ostenderet quas interim primitias colligamus de hoc semine, subiunxit, Illuminate vobis lumẽ scientiæ. Sic & Apostolus ait, *fructificantes in opere bono, & crescentes in scientia Dei.* Tu quoq; Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, quomodo super senes intellexisti? *Quia mandata*, inquit, *quæsiui*. A mandatis prorsus intellexi: quia intellectus bonus omnib. facientibus timore Domini. Nam & vnctio docens de omnib. sciens nimirũ quo ordine quidq; apud eã discendũ sit, prius docet bonitatẽ & disciplinã, & postmodũ scientiã, si tamen qui docendus est primo omniũ crediderit, id est, elementa exordij sermonum iustitiæ didicerit. Ideo ille discipulus vnctionis tã prudẽter prece ordinabat, atq; allegabat: *Bonitatẽ* inquit,

[Margin: F — Lucerna fidei primum in nobis accensa. — G — H — Colloss. 1. — Psal. 118.]

A *Idem.*

inquit, *& disciplinam & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidem non fictam, iam quod sequitur doce iustitiam, id est, bonitatem & disciplinam, vt sic demum proueha ad sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, iam iustifica per bonitatem amoris, & disciplinā casti timoris, vt post magnifices munere scientiae spiritalis. Quos autem vocauit, hos & iustificauit; & quos iustificauit, illos & magnificauit. Sciendum sane quod cum sit haec scientia sanctorum, non tamen omnes sancti docentur eam, sed illi duntaxat, in quibus nec industria gratiam, nec gratia destituit industriam: sed vtrunque mutuo sibi suffragio cooperatur, vt & docibilis sit homo discipulus, & spiritus adsit doctor sedulus. Cum autem varia charismata contineat haec scientia, spiritus tamen moderator non in vnum facile confert omnia, sed diuidit in singulis prout vult: alij notitiam mysteriorum, alij intellectum scripturarum, alij interpretationem sermonum, alij discretionem spirituum, alij illam quae pernecessaria est velut gnosin, id est, dinoscentiam atque diiudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum.

B *Esa 11.* Sapientia vera, sapor & gustus rerum est aeternarū.

Non nocebunt, inquit, *& non occident in vniuerso sancto monte meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Iam vero si quis post haec & per haec tria fidem, iustitiam, atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem & gustum aeternorum, vt possit vacare & videre, videndoque gustare quam suauis Dominus: & quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nō ascendit, ei per spiritum reueletur: hunc omnino dixerim illuminatum magnifice & gloriose tanquam qui gloriam Domini reuelata facie speculetur, & super quem gloria Domini saepius oriatur. Huic vti dicere habet non propheta, sed prophetarum spiritus: *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.*

Esa 40.

Fratres, *non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat.* Non condemnatur qui non capit, sed qui non cupit, vtique temporis arguitur. Qui autem capit, nouerit quia hoc lumen sapientiae feruens accendit oratio, sicut & lumen scientiae frequens lectio, si tamen cum legis lucernam ardentem adhibueris, id est, iustitiam operum, piorumque experientiam sensuum.

C

Tu autem Domine pater luminum, qui lumen de lumine vnicum tuum misisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum peruenire ad lumen aeternum, vt placeamus coram te in lumine viuentium, qui viuis & regnas, per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem. I. F.

SEcunda nobis hodie fratres natiuitas celebratur, quae de illa prima natiuitate tanquam de causa effectus, cōsequenter nata videtur. Illa siquidem quam vsque hodie celebrauimus, natiuitas Christi est: ista quam hodie celebramus natiuitas nostra est. In illa nanque Christus natus est: in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quae nos faciunt Christianos, fides, baptismus, & altaris participatio, hodierna dies fidem nobis initiauit, baptisma cōsecrauit, ac mensae coelestis miracula praeformauit.

Tria sunt quae nos faciunt Christianos.

D

Quomodo sane prima gentium illuminatio fidem nobis initiauerit, quomodo Christus baptizatus baptisma nostrum consecrauerit, qualiter illa conuersio aquae in vinum, mutationem rerum in conuiuio mensae Dominicae praeostenderit, nequaquam iam opus est doceamus: sed illud arbitror operae pretium vt nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis suis degeneret initiis, ne vacuetur in nobis gratia baptismatis, ne cedat nobis in iudicium participatio calicis Christi. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis primis videlicet authoribus suis, nobis hodie tradita sit, qualiter maximum fidei sacramentum mysticis insinuauerint munerum figuris, satis abundeque disseruere patres nostri: vt ex ea parte nullus iam alius labor quam in labores eorum introire nobis insederit. Sed neq; magnopere postulat status, imo ruina temporis huius, vt de mysterio fidei disputetur, sed vt magis id modis omnibus elaboretur, vt sicut Apostolus ait. *In conscientia pura, idem fidei mysterium habeatur.* Ecce enim hodie si de mysterio fidei interroges, omnes fere inuenis Christianissimos: si cōscientias discutias, paucos admodum inuenies vere Christianos.

1.Tit.3.

E

Mundus totus verbis Deum se nosse fatetur, factis autem negat.

Totus fere mundus confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat: adeo vt & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem eius saepius inueniantur propemodum abnegare. Quid putatis autem fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spaciosam viam seculi ambulant intelligitis, quid illi vel de sola praeferunt pietatis specie, qui solo nomine Christiani, atque inuacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quae huic inimica sunt nomini, qui omni specie conuersationis, & modo vitae se protestantur inimicos crucis Christi? Heccine est species pietatis quam in eis videmus, habitus & incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omnis illa vitae contumelia, quae publice & gloriabunde velut in faciē pietati irrogatur? Quae enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est & dicere. Fodiat parietem eorum, qui ad ipsos missus est prophetare, vt adhuc maiores abominationes videat, quas non erubescunt aut verentur coram illa tremenda maiestate perpetrare.

F

Quid enim mihi qui monachus videor, de his qui foris hoc monasterio sunt iudicare? Vtinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset iudicare. Ad meipsum nanque conturbata est anima mea, dum scilicet, vereor, nec haec ipsa species pietatis, quam vtcunq; vobiscum gero, grauius me incipiat accusare, si pietatem ipsam me cōuicerit abnegasse. Omnino fratres verendum est mihi, an vero & vobis ipsis, vos videritis, ne ad nos praecipue spectet ille sermo, qui per Apostolum prophetatus est de temporibus nouissimis, vbi cum malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifeste legi potest in vita & moribus eorum, longum tamen sic conclusit malorum catalogum, *Habentes*, inquit, *speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* *2.Tit.3.* Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut haec quam praetendimus, humilitas tonsurae & habitus, parsimonia cibi & potus, labor fere continuus, & ordinatissimus per omnia viuendi modus?

G

Caeterum de virtute ipsa pietatis, quam haec species exterior promittit, quam prope nihil in me mihique similibus valeat inueniri, pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quae est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earumque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro fratres relinquimus iudicio: de me siquidem ingenue confiteor, quia nomina quidem earum scio, saporem adhuc ignoro. Merito itaque pudorem mihi pariter & timorem incutit habitus quem gero religionis, cui fere nullum suffragatur testimonium virtutis. Nunquit enim tuto mihi possum vsurpare monachi nomen & honorem, cuius non habeo meritum & virtutem, cum sicut ante nos dictum est, simulata sanctitas duplicata sit iniquitas: & lupus sub ouina pelle deprehensus, grauiore sit sententia percellendus? Propterea vos quoque fratres, vt tuto gloriari possitis in hac qua corpora vestra decorata sunt specie pietatis, ponite corda vestra in virtute eius: vt species in corporibus, virtus in cordibus probatos vos exhibeant tam angelis quam hominibus, sitque sicut scriptum est: *Omnes qui viderint eos cognoscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

H *Esa.61.*

Haec est fratres Christianae fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Vt enim mysterium fidei quod hodie nobis mystica commendauerunt Magorum munera, fideliter & digne conseruaremus immaculatum in conscientia pura. Hodie itidem Christus baptizatus, non sibi, sed nobis aspersit, sicut Apostolus ait, corda nostra à conscientia mala, & abluit corpora aqua munda.

Baptismus Christi nos lauit.

Quam felix ô fratres anima illa, quae sic lota in salutem, mox è vestigio secuta est saluatorem, vt deinceps adhaerens ei, cum Apostolis illam meruerit audire vocem, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* *Ioan.13.* Caeterum qui baptizatur à mortuo & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Ego postquam baptismo lotus fui, non vnum mortuum, sed tot mortuos quot opera mortis

A
1.Pet.2.

tetigi, & iuxta Petrum Apostolum, contigit mihi illud veri prouerbij: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quid igitur faciam? Quibus vlterius aquis sordes tantas diluam? Audio quia sicut vna fides, sic vnum baptisma est, nec secundo baptismati locus est, quoniam quicunque baptizamur, in morte Christi baptizamur: qui sicut semel mortuus est, sic & semel baptizatus est, vt & nobis vnici modum & formam baptismatis præscriberet. Difficilem forsitan vlterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem inter alias scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Helisæi, etiamsi totus instar Naamam Syri lepra sim profusus, ac veterno incurabili possessus. *Vnde*, inquit, *& lauare septies in Iordane & mundaberis.* Si dixisset lauare ter, mundaberis, continuo intellexissem trinam mersionem qua inundantur baptizati, dicerem(que) totum illud miraculum gratiam prophetare baptismatis, vt iam tūc Iordanis de virtute dominici baptismi cœpisset ad salutem gentium operari: Nunc autem cum signanter dicat, *lauare septies in Iordane*, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Iordanis ille? Iordanis, vt aiunt, interpretatur descendens eorum: Quorum? Illorum vtique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quanto profundius descendunt per gradus humilitatis, tanto se penitius mergunt & plenius abluunt spiritalis alueo Iordanis. Ad meipsum ô Deus conturbata est anima mea, memor peccatorum suorum: propterea memor ero tui de terra Iordanis quomodo scilicet in descensu humiliationis, mundaueris Naam leprosum. Descendit, inquit, & lauit septies in Iordane iuxta sermonem viri Dei, & mundatus est. Descende & tu ô anima mea de curru superbiæ in salubres aquas Iordanis, qui de fonte dom⁹ Dauid, toto iam profluit orbe in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ de dono pariter & exemplo profluens Christi toto iam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos Naaman Syri, non enim vnus, sed innumeri, ô inquam diuites sed leprosi, superbi sed ærumnosi, quare tam vehementer abhorretis lauari his medicinalibus aquis? Cur vobis ita viluit noster iste Iordanis præ fluuijs Damasci? Dicitis enim, si forte quęrentibus aliquando consilium salutis imitanda prædicetur humilitas & paupertas Christi. Nunquid non meliores sunt fluuij Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis & mundet? Nunquid non est melius, & ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quam semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi Naaman, Fluuium Damascenum absorbebit Leuiathan, & non mirabitur: nam de Iordane si habeat fiduciā quod influat in os eius, spes eum frustrabitur. Neq; enim grande reputat quantiscunque, præter humilitatem Christianam, virtutibus affluas: cum etiam pauperes Christi deuorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiet. Damascenus secundum nomen suum, ciuitas sanguinis est, & aquæ eius sanguine mixtæ sunt, quia opera etiam bona carnalium & secularium vix à quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum curabit? At Iordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi. Audi saltem ô Naaman domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios, Naaman recedebat indignans aduersum virum Dei, quem consuluerat: *At illi, pater*, inquiunt, *& si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras.* Fidele prorsus verbum, rationis & sapientiæ plenum: quippe suggestio est rationabilium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit aduersus hominem ipsum. Pater, inquiunt, & si rem grandem dixisset tibi propheta: certe facere debueras. Non credere nanque prophetæ, Dei est iniuria, non tentare omnia pro salute, odium est suiipsius & inuidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, vbi salus est in promisso? Quanto magis nō debet videri grande & difficile, discere ab Iesu, quia mitis est & humilis corde, cū in eo pariter inueniatur & requies animę, & præsens medela spiritalis lepræ, pignusque salutis æternæ. Tandem vix ægreque obtinetur à superbo peccatore, vt descendat

4.Reg. 5.

B
Humilitas purgationem meretur.

C

D

Humilitas si desit, cætera nihil prosunt.

Odium est suiipsius, nō omnia pro salute tentare.

in Iordanem & lauet. Si tamen septies lauet, totumque se plenius & sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed proh dolor, quanta est huius nostri miseria temporis, quia non solum diuites, sed etiam pauperes leprosi, ita inueniuntur delicati, vt vix vsque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel lauerint, mox sibi plenissime videantur mundati. At Helisæus non ita sentit: sed signanter exprimit, septies lauare & mundaberis. Sciebam nimirum humilitatem Christi quæ nobis imitanda est si perfecte volumus mundari, septemplicis esse virtutis. Prima virtus quod *cum diues esset pauper factus est*, Secunda, quod paupertati extremitatem adiiciens in præsepi positus est. Tertia, quod matri subditus, Quarta, quod seruí manibus hodie inclinauit caput, Quinta, quod discipulum furem tulit & proditorē, Sexta, quod sic mansuetus ante iniquū iudicem, Septima, quod pro crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud patrem. His vestigiis, licet satis à longe gygantem sequeris, si paupertatem diligis, si inter pauperes extremitatem eligis, si monasterij subditus disciplinæ, si minorem tibi pateris præesse, si falsos fratres æquanimiter tuleris, si mansuetudine vincas cum iudicaris, si charitatem rependas illis à quibus iniuste pateris. Hæc humilitas plane, sine iniuria vnici baptismi, rebaptizat: quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem & sepulturam criminum instaurat: & quod in illo baptismo gestum est specie, hic rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cœlos aperit, spiritum adoptionis restituit, pater agnoscit filium, quippe in innocentia & puritate pueri regenerati reformatum. Vnde bene de Naaman scriptura meminit, quia *restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli*: significans vt arbitror, quia eorum qui sic se abluunt, non solum corda recuperant innocentiam paruulorum, sed etiam corpora secundum quendam modum puerilem sibi vindicat puritatem, mortificatione membrorum. Sic enim de quodam sanctorum legitur, quia in membris defuncti septennis quodam modo puer gratia videbatur. Ecce fratres qui primi gratiam baptismatis tantis volutati sordibus amisimus, ecce verum Iordanem, descensum scilicet humilium, vbi pie rebaptizari licet inuenimus. Hoc tantum est, vt non parcamus nobis de die in diem descendere profundius & plenius mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cuius humilitas & formam baptismi hodie dedicauit credentibus, & gratiam non disparem reseruauit pœnitentibus: Ipsi gloria per omnia secula seculorum. Amen.

E
Humilitas Christi septemplicis est virtutis.

F
Humilitas veluti secundus baptismus.

D. Martinum purat.

G

H

Sermo in purificatione sanctæ Mariæ.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Sint lumbi nostri præcincti, vt purificationem Mariæ æmulemur: *sint lucernæ ardentes in manibus*, vt gaudium Symeonis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet casti corpore, & mundi corde, & purificationem Mariæ expressimus: simus ardentes deuotione & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quam mysterium purificationis commendauit: implendo legalem, significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit, imo quę ipso conceptu plene purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuit? Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille qui solus potest facere mundum de immundo cōceptum semine, qui fontem in quo mundus immudus purificetur edidit, fontem domus Dauid, qui hodieque patet, indefesseque scatet in ablutionem peccatoris, & menstruatæ? Suscepit tamen mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem: vt simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille qui tam fallaciter quam contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit: nunquid sicut sanctarum sanctissima, quæ sanctum sanctorum peperit Maria? Vtinam fratres mei, vtinam nos illam haberemus humilitatem

Lucæ 12.

Humilitatem non habemus in peccatis nostris quam habuerunt sancti in virtutibus suis.

A militatem in peccatis nostris, quam sancti habuerunt in virtutibus suis. Sed omittamus nunc istud, vt quod cœpimus prosequamur. Ac primo quidem de illa spirituali purificatione, quam Maria offerens pro se & pro filio par turturum, aut duos pullos columbarum nobis commendauit prosequeremur, nisi quia patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt: & quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatem mentis pertineat, diligenter disseruerunt: nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de vno turture, vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc vnum tamen adiicimus, quod quanto notiora nobis sunt mysteria, tanto districtius & iustius eorum à nobis exiguntur opera: quia scienti bonum & non facienti peccatum est illi: *& seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciēs digna, plagis vapulabit multis.* Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hæc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendū

B demonstret. Quanquam ne id puto quidem vobis incognitum, etiamsi nunquam sit auditum. Quis enim hodie cæreum ardentem gestans, in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas, verbum in carne, tanquam lumen in cæra, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat? Erat profecto & ipsa lucerna ardens & lucens, testimoniū perhibens de lumine, qui ad hoc ipsum in spiritu quo plenus erat venit in templum, vt suscipiens misericordiam tuam Deus in medio templi tui, prædicaret ipsam esse misericordiam, & lumen populi tui. Vere tu senex serene lumen portabas, non modo manibus, sed & sensibus, qui sic eras illuminatus, vt tanto ante futuram illuminationem gentium tam clare videres, & iam tunc inter tenebras Iudaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostrę tibi corruscaret. Lætare iam senior iuste, vide iā quod præuidebas: discussę sunt mundi tenebræ, ambulant gentes in lumine tuo. Plena est omnis terra gloria luminis illius, quod occultum in sinu

C fouebas, imo quo sensus tuos refouebas. O fomes amoris ipse amor suauis & dulcis ad refocillandam animam. Protsus suauis & dulcis, etiam cum crucias & affligis: cruciatus fœliciter delectans, sicut agnis salubriter refrigerans. Ignis iste fratres si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non cōburit: imo illum ignem extinguit, qui in sinu celatus non modo vestimentum adurit, sed & quod vestitum est depascit, id est corpus & animam pariter consumit. *Deus,* inquit, *noster ignis consumens est.* (Deut. 4.) Sed ô ignem consumentem. nam animam refouet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusq; senile fotu illius calefaciebat. Quam salubrius & suauius ignis (Cant. 1.) iste senem nostrum calefecit, quam regem Dauid Abysag Sunamitis, nisi forte Abysag hic idem ignis fuit: sapientia scil. cuius amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reuiuiscunt mortui. Amplectere igitur ô beate senex sapientiam Dei, & recalescet atque recanescent quasi de nouo sensus tui: astringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. *Inter vbera,* inquit,

D *mea commorabitur:* etiam cum reddam illum matri suæ, manebit apud me. Et cum inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoq; mea inebriabit misericordia vberi, & si non quantū vbera matris. Illa quippe sicut singulariter mater est sum- (Nota.) mæ misericordiæ: sic excellenter habet vbera vberis misericordiæ. Gratulor & congratulor tibi gratia plena quæ misericordiam genuisti, quam suscepi, cæreum præparasti, quem accepi. Tu cæram ministrasti suscepto lumini, virgo virginum virgini, dum incorrupta mater incorruptibile verbum incorrupta carne vestisti. Eia fratres mei ecce ardet cæreus in manibus Simeonis, accendite & vos cæreos vestros de illius mutuatione luminis: *lucernas* dico quas Dominus iubet *esse in manibus vestris.* Accedite ad eum, & illuminamini, & non tam lucernas feratis quam ipsi lucernæ sitis: *lucentes intus & foris, vobis & proximis.* (Lucendum nobis intus & foris) Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat vobis, lucerna in manu vel ore luceat proximis, Lucerna

E in corde est pietas fidei, lucerna in manu exemplum operis, lucerna in ore sermo ædificationis. Non solum autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem, & sermonem, sed coram angelis per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna quippe nostra coram angelis est pura deuotio, cum in conspectu angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter: lucerna coram Deo simplex intentio, vt ei soli placeamus, cui nos probauimus. Et ne putemur in his quæ dicimus sensus nostri somnia secuti fuisse, probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimoniis scripturæ. Quod enim fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti: *Non extinguetur in nocte lucerna eius:* (Prou. 31.) quod vtique intelligimus, non deficier in tentatione fides eius. Nam & de charitate quæ nihil aliud est quam fides operās per dilectionem, apud eundem legimus Salomonem: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum, Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* (Cant. 8.) Quod opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cum (Luc. 12.)

F ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Quod sermo ædificationis lucerna sit, Dauid dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* (Psal. 118.) Et Petrus Apostolus de sermone prophetico, *cui benefacitis,* inquit, *intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco.* (2. Pet. 1.) Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, *& intellectum dat paruulis:* (Psal. 118.) siue cum sermones euangelici declarant vmbram legis, siue cum ipsi sermones tam euangelij quam legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus paruulis videbantur obscuri & in lumine dicimus quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo & Philippus in cuiuslibet Ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, (Philippus os lampadis.) eo quod de ore ipsius ad illuminationem audientium corruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo fratres mei, (Sermo Dei) quicquid spiritus eius dignatione sua loquitur in nobis: omnem vtique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in prouocationem charitatis. Si quis ergo nostrum loquitur, quasi

G sermones Dei, vt etiam in priuatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore nostro, sed si quis est ad ædificationem fidei, vt gratiam det audienti, & qui audierit, dicat, gratias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumē semitis meis. De oratione autem quod & ipsa lucerna sit, maxime si diuinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon ait: *Lucerna Domini spiraculum hominis, qua inuestigat omnia secreta ventris.* (Prou. 20.) Lumen nanque quod nobis orationibus vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitę est, in quod suauiter respiramus. Huius lucernæ videtur Iob recordari, cum in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritæ consolationis ait: *Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris?* (Iob. 29.) Cæterum quod lucerna hæc dicitur inuestigare omnia secreta ventris, id est mentis, non illud esse putandum, est quod Dominus comminatur se scrutaturum Hierusalem in lucernis: cum istud gratiæ sit illuminantis, illud iudicij exquirentis. Nam & (Matth. 5.)

H aliter inuestigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. Iam vero de intentione, quod & ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat: si tamen euangelicum illud intelligat, *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Vt igitur tot lucernas vobis fratres illuminetis, accedite ad fontem luminis & illuminamini: (Christus fons luminis nostri.) (Iesum dico qui lucet in manibus Simeonis) vt scilicet fidem illuminet, opus illustret, sermonem bonum subministret, orationē inflammet, intentionem purget: vt siue opere, siue sermone, vel oratione, quęraris placere coram eo in lumine viuentium, qui scrutari habet Hierusalē in lucernis suis, & examinare etiam lumen nostrum. (Prou. 20.) His omnibus accensis ô filij lucis, iam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit illius sententia maledicti, *Qui maledixerit patri vel matri extinguetur lucerna eius in mediis tenebris:* id est, deficiet consolatio huius lucis, irruentibus vndique hinc exterioribus inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot interius ardent

lucernæ,

A lucernæ, cum extincta fuerit lucerna huius vitæ, *orietur lux inextinguibilis vita, & quasi vulgor meridianus consurget tibi ad vesperum: & cum te consumptum putaueris, orieris & lucifer, & tenebre tua erunt sicut meridies.* Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te, sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam: quia agnus lucerna est nouæ Hierusalem, cui benedictio & claritas in secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Psal. 117. Sicut ad diem natiuitatis, id est, aduentus Dominici, pertinuit illa gratiarum actio & vox laudis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & ad apparitionis, id est, nostræ illuminationis, illud quod sequitur, *Deus Dominus & illuxit nobis*: sic etiam quod subsequitur, *Constituite diem solennem in confrequentationibus vsque ad cornu altaris*, non absurde, vt arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis vtique celebrem, frequentia solenni: diem scilicet Dominicæ præ- B sentationis, quando à matre solenniter ad altare præsentatus est patri. Nam & in eo quod adiungitur: *Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus est mihi in salutem:* quid tam conuenienter accipimus, quam fidem & confessionem Symeonis & Annæ, quæ & ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israel? Thren. 1. Bene ergo citharista noster monebat lætari Hierusalem & conuentum facere in die tam solenni. *Constituite*, inquiens, *diem solennem in confrequentationibus, vsque ad cornu altaris.* Non mediocris aut parum solennis illa frequentia fuit: cum inde venit Iesus & Maria cum turba parentum inducentium puerum, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, inde occurrit Simeon & Anna cum turba expectantium consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo. Non crediderim ego de hac solennitate quæ tam pium, tam lætum conuentum habuit, illam fuisse prophetæ querelam lachrymabilem: *Via Sion lugent,* C *quia non est qui veniat ad solennitatem*: nisi forte arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Iudæa & Hierusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, vt arbitror, eum receperunt, eum præsentem viderent: diu expectatum, sicut voce patris per Malachiam fuerat re- Cap. 3. promissum. *Ecce, inquit, veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis.* O Iudæi adest ecce dominator quem vos quæritis, cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis & non quæ- Esai. 21. ritis. Sed *si quæritis, quærite: conuertimini & venite.* Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui eruat de seruitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captiuitate vitiorum. Si vere vtique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui saluum faciat populum à peccatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius Dan. 4. humilem, *quoniam*, vt ait, *Daniel humillimum hominem constituet Deus super omne regnum.* Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem iustitiæ: *quia iustitia* D *firmabitur thronus eius, & iustitia & iudicium præparatio sedis eius.* Quia enim perfecte non quæritis, ideo nec præsentem inuenitis, sicut de vobis ipse prædixit: *Quærent me mali, & non inuenient me, quia oderunt me: Quærent absentem, nec inuenient etiam præsentem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem*, cum sapientia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inueniri. Simeon nanque, quia pio & fideli quærebat desiderio, quæsitum inuenit, & inuentum agnouit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam spiritus est qui testificatur, quoniam *Christus est veritas:* virtus vtique quæ de ipso procedit, vnctio docens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum nomen suum vnctio, multipliciter profluit. Quid autem putamus fratres mei, vnctus iste qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens eum in vlnas suas, astringeret eum vberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid inquam putamus ille sua- E uis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pij senis, qualis illabebatur medullis, quam delectabilem & salubrem, immo quam omnino ineffabilem se explicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat vnctus in vnctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem: vt nimirum doceret vnctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? Cant. 1. *Vnguentum*, inquit, *exinanitum nomen tuum.* Hoc siquidem vnguentum exinanitur cum à quadam duritia sua resoluitur, non vt pereffluat substantia illius, sed vt fluant aromata illius: vt quasi nihil habês solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certe magis anima senis liquescebat in amplexu huius vncti, vel vnguenti: vt diceret *anima mea liquefacta est, & vt dilectus meus infusus est mihi.* Infusio itaque vnctionis, testimonium est vncti. Hæc seni testabatur de puero, Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis & charitatis: veritate docens, charitate vngens, & accendens & omnia interiora gelidi senis ponens quasi cum vnguenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum, æstus desi- F deriorum: sonus eorum, iubilus affectuum pariter dicentium, si tamen aliquid exprimere valentium: *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel annuntians te,* Confitebor inquam tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lachrymis dicentem, *quando consolaberis me?* Exaudisti me & nunc demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me *quia factus es mihi in salutem.* Iesus mihi factus ex semine Dauid secundum carnem qui Dauid & omnia fecisti secundum deitatem. Omnibus quidem generaliter factus es in saluatorem, sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum ô Domine, pater Domini mei Iesu Christi, defecerant oculi mei in eloquium tuum, dicentes, *quando consolaberis me?* Factus eram sicut vter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperaui, non visurum scilicet G me mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speraui iam video, quod desideraui teneo, quod concupiui complector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea, & salua facta est anima mea. Viderunt oculi salutare Dei, & illuminati sunt interiores oculi mei qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum huius pueri, huius hominis noui, renouata est vt Aquilæ iuuentus mea, sicut paulo ante mihi loquens pollicebar. *Introibo ad altare Dei*, vbi Maria Iesum offert patri, ad Deum qui lætificat senectutem meam, imo renouabit iuuentutem meam. Nec minore fortassis gaudio exultabat cor Annæ in Domino: quæ, vt arbitror, tanto maioris fuit meriti, quanto altioris propositi & sanctioris desiderij, quam illa Anna mater Samuelis: cum illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro, hæc quomodo Deo: illa de thoro viri quæreret sobolem, hæc de sinu patris peteret Saluatorem. Hæc igitur quodam præsagio gratia excellentis quæ in vita eius effloruit, qua etiam gratiam redemptoris agnoscere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit: exemplar vetæ viduitatis, speculum sanctitatis, & viuum in emortuo cor- H pore simulacrum totius virtutis. Hæc fine legis & initium euangelij sentiens propinquare, ritus Iudaicos Christiana iam cœperat pietate mutare: ieiuniis potius & orationibus seruiens nocte ac die, quam cibis ac potibus & variis baptismatibus, iustitiis carnis non animæ. Inde erat quod benedictione filiorum quæ in lege magni habebatur contempta: nomen melius à filiis & filiabus elegerat: & iam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum, lignoq; insidere arido, tanquam turtur amissa semel coniuge gaudebat. Ecce habes par turturum, senem iustum, & viduam anum: vtrunque castum, vtrunque desiderio gemebundum: qui vtique semetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, Domino & pro Domino obtulerunt. Par turturum sane dico non coniugum, sed coniunctorum, non copula matrimonij, sed sacratioris mysterij: pares nimirum fide, æquales castitate, similes deuotione, consortes prædicatione gratiæ: ambos prouectæ ætatis, ambos perfectæ

A fectæ sanctitatis, qui etiam ante euangelium euangelicæ puritatis ac pietatis in vtroque sexu primitias dedicauerunt. Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Sion ad suscipiendum Christum regem, non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui: secreta cubiculi, vbi adorare patrem in spiritu & veritate iubemur: vbi & suscipitur, qui in manufactis se nequaquam habitare testatur. In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens & lætabunda occurrit DEO suo: *Alias vix habet vbi reclinet caput suum:* Et secundum Esaiam: *Esa. 59.* *Aporiatus est, & non est qui occurrat.* Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solennitatem & lætitiam, eo quod consummatio abbreuiata inundet iustitiam, & consummata atque abundans iustitia paucorum, facile compenset infidelitatem multorum. Mihi omnino celebris est iste conuentus, mihi solennis ista processio, omnique festiua gaudio, vbi hinc aduenit puer & puerpera, Iesus & Maria: inde occurrit senex & vidua, Simeon & Anna: hinc Dominus & Domina, inde seruus & ancilla, hinc mediator & mediatrix, inde tam fideles tamque deuoti ipsorum testes & ministri. In hoc denique conuentu misericordia & veritas obuiauerunt sibi: misericordia scilicet redemptionis in Iesu, veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, iustitia & pax osculatæ sunt: dum iustitia piorum senum, & pax reconciliantis mundum inuicem in osculo affectuũ & gaudio spiritus consociatæ sunt. Recte ergo quod hac nocte cantauimus, ad lætitiam huius diei pertinere credimus, saluo duntaxat alio profundiore intellectu. *Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes qui diligitis eam.* Ac si diceretur; Lætata est Nazareth de annuntiatione, Bethleem de natiuitate. Lætare & tu Hierusalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus est, in Hierusalem est susceptus & prædicatus. *Et diem,* inquit, *festum agite,* siue conuentum facite, *omnes qui* *Esa. 66.* *diligitis eam,* scilicet Hierusalem, id est festiua deuotione conuenite in templum, ad suscipiendum redemptorem, omnes qui expectatis redemptionẽ Israel. Iam vero fratres C si moraliter, sicut mos vester est, ædificari vestra quærit sanctitas quatuor illas illustres in hac processione consideret personas; quarum vita, non solum Ecclesias illustrat, sed & cœlos adornat; Iesum loquor & Mariam, Simeonem & Annam. Et vt ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo, in Anna quæ ieiuniis & obsecrationibus seruiebat nocte ac die, ieiunium nobis commendatur & oratio: in Simeone qui tanto Iesum amplectitur gaudio, pietas & deuotio: in Maria, quæ cum nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis, legem nihilominus impleuit, humilitas & obedientia, in Domino autem Iesu, qui factus ex muliere, fact⁹ est etiam sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, charitas & misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cuius laus, vt comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter, cum in senibus fuerit laborare continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero iure & proprietate naturæ: non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solum huius virtutis, sed etiam omnium origo & D perfectio, ab ipso singularum distributio, per ipsum earum conseruatio, apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus tam virginis Mariæ, quam Simeonis & Annæ meritis suffragantibus, vt quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur; vt depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

SEnex puerum portabat. Senex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleuerat Deus senem istum, vt ostenderet ei salutare suũ in vultu nostro, sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, vt ostenderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergo dierum temporalium portabat antiquũ dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum: quod videlicet dies suos, super diés

E regis adiiceret puer ille, iuuentutemque eius renouaret vt aquilæ. Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, cum dicitur *plenus dierum*, libentius accipiam plenum virtutum quam temporum: cum tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quam adimpleant. Sed neque magnum est, imo magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus; cum puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicendus. *Ideo si annis multis vixerit homo*, vt ait Salomon, *& in omnibus latus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Cæterum econtrario senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata: *Cani sunt enim sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Si hac vtique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Sic namque scriptum est; *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur.* Et quæ est illa senectus, quæ in viis iustitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse namque merito iustorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit iustis in coronam gloriæ. Sanctus itaque Senex Simeon, vt sanctius F senesceret adhuc, senectutem sapientium, siue sapientiam senum factam puerum, in viis iustitiæ, cum scilicet in spiritu venier in templum reperit, & comperit in veritate; quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate, verbum in carne. O infantia, ô senectus, quam bene vobis pariter conuenit in huius pueri sensibus & moribus, quo vtique nihil innocentius, sed nihil sapientius, nihil iucundius, sed nihil maturius, nihil mitius, sed nihil iustius. Vobis, ô fili hominum vobis iam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei sermo, vt videlicet *malitia sitis paruuli: sensibus autem perfecti.* Alij siquidem ex vobis columba seducta, non habens cor, simplicitatem non salientes prudentia, relinquuntur fatui; alij sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt: & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus G congruum & gratum vtrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus, id est verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus. Ipsum vtique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis & ordinem vitæ grata & salubri suauitate temperabit. Non solum autem mater Ecclesia in audiendo, sed multo magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens & deuotus orator venias in templum vt dicas quotidie Deo: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* *Psal. 5.* Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo vtique præsentiorem & suauiorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe, quæ est CHRISTVS, H Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradidit amplectendã spiritus infusione: quanquam hoc ipsum diuerso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, siue pro arbitratu dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facile videamus, magnusque habeatur cui vel per speculum & in ænigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cum spiritus nobis illabitur, veluti nudũ sentimus, sensusque noster in amorem ipsius velut ad nudum confricatur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, & cantare lætabundi: *Suscepimus Deus misericordiã tuam: in medio templi tui.* *Psal. 47.* Beatus qui vt dignus & crebri⁹ eam suscipiat, congruum ei locũ in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamũ suũ diligenter ac decẽter adornat, cũ digno ac placido Christũ regẽ honore suscipiat. O sancta Sion, anima speculãs æterna, cõsidera quæ sit illa maiestas suscipiẽda, cogita qua cura ac diligẽtia te illi pparare locum oporteat. Si q̃s dixerit, & ad hæc q̃s idoneus? quis esse põt magni-

Margin notes: *Multis vixisse dieb⁹ & non se auisse virtutibus, malum.* *Eccli. 11.* *Prou. 16.*

A magnificentiæ & gloriæ tanti regis congruus ornatus? *Psal.75.* *frustra*, inquit Dauid, *paupertatem quispiam causetur*, *In pace factus est locus eius*, *& iustitia & iudicium præparatio sedis eius.* Simeon vtique quia huiusmodi palliis thalamum adornauit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace inuenerat locum Domino, quia sedem præparauerat ei in iustitia & iudicio. *Luc.2.* *Homo*, inquit, *erat in Hierusalem*, *cui nomen Simeon*, *& homo iste iustus & timoratus.* In pace erat domus Simeonis, qui habitat in Hierusalem, id est, in visione & amore pacis, de qua scilicet Hierusalem audierat Dauid promittentem. *Psal.124.* *Non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.* Et vt noueris, quia pacis habitator & amator erat pacemque imperturbabilem illius stabilis & æternæ Hierusalem præ omnibus requirebat, cum pacem Dei & hominum Iesum qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit: hæc prima vox de pectore senis iam dudum pacem meditantis erupit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Postquam viderunt oculi mei* B *salutare tuum*, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, non solum Iudæum & Gentilem, sed etiam Deum & hominem, & in homine spiritum & carnem, iam hoc solum superest desideriis serui tui, *vt in pace in idipsum dormiam & requiescam: & pax Dei quæ exuperat omnem sensum*, me totum in illius summæ & simplicis vnitatis absorbeat consensum. *Venit pax quam sustinui, requiescat in pace, qui pacem quæsiuit, & quæ pacis sunt sectari semper studuit.* Sic quippe Esaias ait: *Esai.57.* *Veniat pax requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua.* In pace vtique Simeon strauerat cubile suum, qui omnibus aliis curis eiectis solum in corde meditabatur Iesum, vbi & reclinauit susceptum. In directione quoque sua ambulauerat, *qui iustus & timoratus erat, expectans consolationem Israel*, aduentanti quotidie desideriis occurrebat. In eo igitur quod iustus dicitur & timoratus, iustitiam & iudicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et iustitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium vero timoris nomine, vel timor nomine iudicij, ideo recte accipi posse putatur, quia scilicet timor non solum nascitur de futuri consideratione iudicij, sed etiam operatur nunc in nobis quandam illius formam & executionem C iudicij. Qui enim prohibemur iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis, vt dum nosmetipsos iudicamus, à Domino non iudicemur. Porro timor iste sanctior est, cum iustitiam sequitur, quam cùm præcedit, quia qui præcedens ad iustitiã initiat, sequens eandem consummat & conseruat: dum scilicet de iustitia præsumere non finit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, vt post iudiciũ sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicatque sibi: *Eccli.1.* *Qui iudicat me Dominus est, qui cum acceperit tempus, etiam iustitias iudicabit.* Qui sine timore est, non poterit iustificari, vt scriptura testatur: *quia quantumcunque se iustis exercitet operibus, alieni comedunt robur eius, dum suam volens iustitiam constituere, iustitiæ Dei non est subiectus.* Vigilanter itaque euangelium perfectam commendans Simeonis iustitiam, non ait timoratus & iustus, ne timorem qui est initium iustitiæ intelligeremus: sed ait *iustus & timoratus*, vt timorem qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus ipsam promouet & tuetur, ipsius exemplo disceremus. D Nam neque illud putauerim otiosum, quod non timentem dixit, sed timoratum: non nouum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, sed qui vtique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia & grauitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resoluebat, qui consolationẽ Israel expectabat. Quod & ipsum ad suæ cumulum adiecerat iustitiæ, vt sollicitus non sua tantum, sed etiam pro populi consolatione. Denique vt manifestius audias quam pretioso ac vero nitore virtutum non fuco colorum adornauerat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus sanctus*, inquit, *erat in eo.* Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est templi sui ambitione & gloria? Si faciem templi co- E ronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon: cum ille sapientiam qua florebat in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamen ô fidelis Sion thalamus tuus arguit, quod cum satis tibi prædictum esset, *ecce veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis: adorna thalamum tuum Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ ciuitas sancti*, tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios Psalmos, aut cantica, omnino inhonoratũ, insalutatum remittis, qui te saluare venerat. Ideo vtique tuus iste thalamus, *domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur, imo non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* Tibi enim Domine templum augustius, amplius & perfectius, scilicet Ecclesiam magnam à solis ortu vsque ad occasum fides ædificabit gentium, & secundum nomen tuũ Deus, ita & laus tua in fines terræ, vnde etiam hodie laudes audiuimus, gloriam iusti, voces scilicet laudantium & F dicentium. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, id est, in communione sancti populi tui. O fratres suscepistis misericordiam Dei & vos, imo abundantius vos, videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiam ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo vestra deuotio: quem Simeon hodie portauit in sinu suo, vos omni die glorificate & portate in corpore vestro, Iesum Christum Dominum nostrum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

Luc.2. **P***Ostquam impleti sunt dies purgationis Mariæ.* Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quę pro nobis historialiter sunt gesta, vt significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatæ purificatio Mariæ recensetur, manifeste de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem vero tanti non moueat auctoritas exempli, cum videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec G partus violauit, sed sacrauit? Quare ergo tanqnam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis quæ muliebri prouisa est infirmitati quæris remedia? *Sic*, inquit, *decet nos implere omnem iustitiam:* vt quæ summæ mater electa sum iustitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandum quam ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia nouæ generationis occurrant exempla. Mater præuaricationis peccauit & excusat procaciter, mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter: vt filij hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem nouitatis trahant humilitatem purgandi. O filij hominum tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit & exemplum dedit nobis quo debeamus purgari. Satius est ô fratres, & suauis fonte purgari H quam igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamen purgari meruerint: *quando scilicet iudex ipse quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modo fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ: tunc flamma sæuiens & ignis vorans vsque ad medullas animæ.* De ardore siquidem irati foris ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Ascendit*, inquit, *fumus in ira eius, & ignis à facie eius exardescit.* Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorij, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorij: *qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui prophetæ labia purgauit.* An vero & illi carbones huiusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur. *Ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium:* vobis relinquo diiudicandum. *Esai.6.*

Illud

Marginal notes: B Christus pax nostra faciens vtraque vnum. — C Timor quid operetur in nobis. — Purificatio Mariæ nostræ nos admonet purificationis. — Mater Christi humilitate purgare voluit, quod Eua superbiendo deliquit. — H Christus nunc aqua est diluẽs, post ignis consumẽs. *Psal.17.*

A Illud autem non dubius affero, quia ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, si vehementer (sicut est voluntas mittentis) in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in iudicio purgabit filios Leui, non ligna, non fœnum, non stipulam consumenda repetiet in nobis. Vterq; quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat vnguendo, ille vrendo. Hic refrigerium rotis, ibi spiritus iudicii & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius. Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion, sed longe clementius & mitius purificata est illa quam beatam prædicant filiæ Sion. Cui scilicet dictum est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altißimi obumbrabit tibi.* (Luc. 2.) Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista quæ quadam mystica dispensatione tantum specietenus hodie celebrata est. Hæc plane fuit tota ac vera sanctificatio matris & filii, sicut & angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit, *& quod nascetur ex te sanctum: vocabitur filius Dei.* B Antea namq; purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non postea quã concepisset: cum concepisse sanctum sanctorum summa sanctificatio sit, & eã quæ mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cum ergo filiæ Sion quæ mollius & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, merito purificandæ sint spiritu iudicij & spiritu ardoris: virgo perpetua, ac singularis quæ sola spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratiæ & refrigerio rotis. Omnium sane purgationum quibus conditio reparatur mortalis, hæc beatæ purificatio virginis mitissima atq; fœlicissima fuit: nam illa filiarum Sion quæ purgatorio fiet igne iudicij, sicut nouissima, sic & seuerissima omnium erit. Nec ista itaq; potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istã possumus aspirare, & in illam si sapimus semper formidamus incidere. Omnino si sapimus semper clamabimus, plus emendatione morum quam strepitu verborum, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* C Necessarie igitur nobis & misericorditer inter vtrumq; genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud vltimum quod metuimus, alia purgationum genera pietas prouidit diuina sicut tempus & locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia fere posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus opportune & commode his diebus purgationis nostræ purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. (Purgationis nostræ quatuor genera. Mundum Christus purificat quatuor modis.) Ad hunc siquidem modum quatuor inuenies quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: aquam scilicet & sanguinem, spiritum & ignem. *Hic est*, inquit, *Ioannes qui venit per aquam & sanguinem. Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igni.* (1. Ioan. 5.) A qua baptizauit, pedes que discipulorum lauit, dedicans baptismum quoq; lachrymarum, quę de contritione profluunt cordis. D Sanguinem fudit: vt & nos mortificatione corporis participantes eius passioni, lauemus stolas nostras in sanguine agni. Spiritum dedit: vt charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quæ si minus perfecta est, vt tot & tanta non sufficiat operire, admouet ignem Conflator ille, qui purgat filios Læui, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, vt tandem decantare possint, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* (Psal. 65.) Sic nempe & mundus iste prius baptizatus aqua diluuij, postea purgatus igne iudicii, in nouum transibit statum incorruptionis. Deniq; vt teneris atq; delicatis geramus aliquatenus morem, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid & illud excusabunt quod Salomon commendat, *per misericordiam* inquiens, *& fidem purgantur peccata*? (Prou. 15.) Quid misericordia suauius? quid fide iucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hæc vnguit affectus, illa sensus illuminat dirigitq; gressus, vt ad lumen eius ambules in tenebris, vt inuisibilia contempleris; & futuram tuam beatitudinem iam animo præsumptam mediteris. E Bene autẽ dicitur, per misericordiam & fidem purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita, fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit propheta, *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum*, & Dominus prophetarum, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De fide autẽ ait Apostolus: *Fide mundans corda eorum.* Et Dominus Apostolorum: *Vade*, inquit, *fides tua, te saluum fecit.* (Dan. 4.) Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus seruamus: vt quod hic dicitur, *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* & paulo post, *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, eadem sit in diuersitate verborum repetita sententia. Recte igitur misericordia & veritas seu fides sociata sunt, cum in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quam purgari peccata sit verendum. F Vt enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis huius postulat necessitas, quid in ipsis etiam quibus peccata purganda sunt peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur? Audiant ergo quibus dispensatio credita est, audiant quibus credita non est: isti scilicet ne sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant; illi, ne sic velint esse misericordes, vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quam oporteat, & sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quam eis liceat. Qui ergo contra fidem indebitam vsurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem: *Multi homines misericordes vocantur fidelem autem virum quis inueniet?* (Prou. 20.) Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quam Salomonem dicentem: *Quod superest date eleemosynam: vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam.* Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei: qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ necessitati, iussit eleemosynam eis impertiri. G Vt enim taceamus de iure naturæ, quæ quicquid parẽs omnium terra generat omnibus commune terrigenis adiudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hęreditatis, quomodo communis non erit vsus panis quẽ pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud ius ordinatæ charitatis quod moderatio Euangelij suas cuiq; necessitates primum excepit: quis ille est qui recte metiatur necessitates proprias, qui inter necessarium & superfluum æquo iudicio discernat? Attendamus nobis fratres ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superflue retinemus aut insumimus nobis vnde vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ virginis, de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maxime nostram constare puritatem nouerimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus: vt non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem matrem pauperis Christi, H cui regnum & imperium, & nunc & per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem V.

ADorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum: *quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adorauit.* Ad nos fratres, ad nos loquitur spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte leuamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrũ, *donec misereatur nostri.* Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce fratres Christus in propria veniens, & à suis repulsus, *non habet vbi caput reclinet.* Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: *Adorna thalamum tuum Sion.* Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt, & sic demum adornemus eã, inferendo quib. delectatur & gaudet. Quæ sunt (ait forsitan aliquis vestrum)

A quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos eius offendit, sicut superbia, quæ angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso: *quæ est initium omnis peccati*: quam hortatur nos spiritus sanctus vitare dicens: *Quid superbis terra & cinis?* Et alibi: *Omnis caro fœnum, exiccatum est fœnum, & flos eius decidit.* Videamus nunc quid superbia fecit. Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Merito hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus eius in cœlo & in paradiso fœdauit, quæ fecit de angelo diabolum, & de homine nuper creato iusto, perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum. Videndum est igitur & sollicite considerandum, vt eam mens nostra cum tota prole sua excludat, vt thalamus noster emundatus & ornatus Christum regem qui* foris pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam prole sua, septem scilicet principalibus vitijs. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, inuidia, ira tristitia, auaritia ventris ingluuies, luxuria. Hæc sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: quæ hospitium quodcunque intrauerint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitentiæ enecauimus. Nihil igitur in nobis vltra possit superbia, quæ de archangelo diabolum, & de primo homine fecit impium, & creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à pie conuersionis nostræ, in cruce Domini nostri Iesu Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ. De qua Apostolus ait: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* In qua conscientia gloriari de donis Dei, est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur apostolus dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; id est in Domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. Non enim qui seipsum commendat, &c. Cæterum qui in se gloriatur, & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius expectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris vngit caput suum, auditque prophetam sibi dicentem: *Maledictus homo, qui ponit spem suam in homine.* Et in die iudicii cum dixerint, *Domine Domine aperi nobis*, ait: *Amen dico vobis, nescio vos.* Hæc vana gloria filia est superbiæ: quæ in quocunque fuerit, inobedientem facit. Rursum post conuersionem, nihil vltra in nobis habeat inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarum. Diabolus enim inuidet homini ascensum vnde corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa quæ non magnos, sed paruos semper torquet, dicente sancto Iob: *Paruulum occidit inuidia.* In eo enim quod aliquis alicui inuidet, minorem se ostendit ei cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, *sic Esau Iacob, & Cain Abel.* Hæc inuidia paruulum occidit, quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vnde si qua desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc paruulum occidit inuidia, quia dum nõ potest adipisci quod alij inuidet, in odium (inuidiæ filiam) cadit. Rursum fratres, post conuersionem nostram ita non habeat in nobis locum, quia vt ait Dominus in Euangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha*, hoc est vocem indignationis per iram emiserit, *reus erit consilio*, in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit fatue*, hoc est tale quid fecerit aut verbo aut verbere, vt inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis*, nisi resipuerit. Hæc est ita quæ stultorum oculos extinguit, sapientium oculos non nunquam turbat, dicente Psalmista: *Turbatus est præ ira oculus meus.* Et de ira stulti Iob ait: *Virum stultum interficit iracundia.* Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnunquam turbat oculum altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. de altera quę venit ex Psalmista ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites, in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est Christus qui est sol instituæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Ita quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus & post erratibus proximorum, quo melior est risu, *quia per tristitiam vultus, corrigitur proximus.* Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in vltione peccati tempus & modũ consideret. Hęc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stultos occidit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat. Rursum fratres post conuersionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introeat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa quæ prauas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quæ fastidium parit, & tenentem aratrum Dei cũ vxore Loth retro respicere compellit. Sine dolore namq; non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaq; tristitiã quę mortem operatur excludamus, & intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, & de peregrinatione nostra, dicamusq; cum Psalmista: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Hæc est tristitia quæ vitam operatur, de qua ait Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Altera parit mortem, parit animi rancorem. Rursum fratres post conuersionem muniamus thalamum nostrum, ne auaritia quæ est radix omnium malorũ, rediens introeat, nosq; ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cętera sic ait Apostolus ad discipulos suos. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Ecce auaritiam idololatriæ comparat: & merito: quia sicut vni Deo idololatria nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomẽ deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet quæ Deus omnipotens in vsum plurimorum fecit. Vtraque Deo inimica, quia negat Deo, quæ sunt eius. Est & auaritia non solum amor congregandę pecuniæ aut conseruandę, sed ambitio prælationis, cũ nititur homo homini præesse. Hæc, vt verum dicam, ẽt pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) intantum vexat, vt cõtra ius & fas, & propositum suum, non tantum velint, sed ẽt studeant fratrib. & conseruis præesse. Quod si Abbas aut Prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquuntur, eosq; aut inuidos, aut sibi maleuolos (qui se non prouehunt) clamant. Hæc est auaritia q̃ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psal. Domino: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* quæ proditionis est mater, q̃ Iudam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei obliuionem, de obliuione ad ꝓditionem, de proditione traxit ad laqueũ. Rursum fratres post conuersionẽ nostrã muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priuauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficijs Dei fecit, q̃ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere: *Vtinã mortui essemus in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cæpe, & pepones.* Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istam, cum dicebant. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, id est in futuro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus, nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem cum homine perituram pronunciat Apostolus dicens: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.* Hæc pestis tripertita est: quia aut ante horam canonicam aut aliud quam licet, aut plus quam necesse est facit comedere: & carnis curam in concupiscentijs nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia: sicut de populo Israel dicitur: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Rursum fratres post conuersionem nostram muniamus thalamum

cordis

A cordis nostri, ne luxuria rediens introitum inueniat: quæ pestilentia rediens est peior quam ante fuerat. Nunquam enim sola redit, sed sicut Dominus ait in Euangelio, *Matt. 12.* *Assumit septem spiritus nequiores se & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de membris Christi facit membra diaboli. Nam qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa persona, & fit membrum diaboli: cuius & illa membrum est per coniunctionem malorum operum. Hæc est illa pestis quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, vt vegetum sit & robustum ad libidinem explendam: & quæ igni illi inextinguibili materiam semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat vnde sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ & gehennæ habemus auctoritatem scripturæ. *Osee. 7.* De igne luxuriæ ait: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* De igne gehennæ ait: *Psal. 20.* *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui*, hoc est iudicii, *vt intus ardeant* (sicut clibanus accensus) *in conscientia*: B Dominus in ira sua conturbabit eos dicens: *Discedite à me operarii iniquitatis.* *Luc. 13.* *Et deuorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriæ fœda opera.* Sit ergo fratres, summa cura & summum studium his qui in talibus sunt, de talibus euadere & fugere. Nobis vero qui per gratiam Dei euasimus, & veterem exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studium thalamum nostrum munire & adornare, & Christum regem suscipere, sicut hæc scriptura præcipit quam recitauimus. Adorna thalamum tuum Sion. Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus & pauimentum, & parietes quasi cortinis & floribus tota domus adornetur. ¶ Primus ornatus thalami nostri qui sumus Sion sit *timor, qui est initium sapientiæ*, *Prou. 28.* id est, primus gradus per quem ascenditur ad sapientiam. De quo timore ait scriptura: *Beatus homo qui semper est pauidus.* *Psal. 2.* Et Psalmista ait: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*: vt timor auferat securitatem noxiam, & exultatio mortiferam tristitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ est preciosissimus ornatus thalami Sion, C quæ magis placuit Christo cum in thalamum virgineum ingrederetur, dicente beata Maria: *Luc. 1.* *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc, inquam, humilitas est ornatus Sion, id est pauperum Christi, de quibus ipse dicit: *Matt. 5.* *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, & primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatem scilicet, & voluntariam paupertatem. Adorna ergo thalamum tuum Sion, timore Domini. ¶ Secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ad sapientiam, est pietas: de *Eccli. 30.* *Esaia. 66.* qua dicit scriptura: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Et alibi, *super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Hæc miseretur in spe peccantibus, fraterna onera portat, magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quam cum fratre lite contendere. Quæ profecto pietas aliud nihil est nisi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. D Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino: *Matt. 5.* *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Sion, pietate. ¶ Tertius ornatus thalami Sion & tertius gradus ascensionis est scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, vt scilicet homo neque minus neque plus quam debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimium præsumere, in mala facit præcipitem: alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona opera torpentem. Ad hanc scientiam spiritus sanctus inuitat Ecclesiam in canticis: *Cant. 1.* *Si ignoras ò pulchra inter mulieres abi post vestigia gregum tuorum*, scilicet hæreticorum: *& pasce hædos tuos*, hoc est carnales concupiscentias. Hæc scientia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem dicente Domino in Euangelio: *Mar. 9.* *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, per Dei scilicet gratiam, & liberum arbitrium. Videmus iam quomodo scientia tertius ornatus thalami Sion, & tertius gradus ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctum, qui consolatione à Domino in futuro meretur. E Hæc scientia parat in nobis dolorem & luctum peregrinationis, vt videndo mala exilii quæ patimur, cum luctu desideremus patriam à qua peregrinamur, audiamusque à Domino nobis dicit *Matt. 5.* *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* ¶ Quartus ornatus thalami Sion est fortitudo, quæ conuenit laborantibus pro veris bonis acquirendis. Hæc est quæ munit thalamum Sion, vt non extollatur prosperis, non frangatur aduersis: quæ linguam increpantem & blandientem his verbis confundit, dicens: *Psal. 119.* *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriem & sitim iustitiæ in thalamo Sion accendit, facitq; eam audire à Domino: *Matt. 5.* *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, fortitudine. ¶ Quintus ornatus thalami Sion est consilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse & suum non F posse inuestigat, & ex sua infirmitate alios considerat, aliis parcit & miseretur, sicut & vult Deum sibi misereri: aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti à Deo: mereturque audire à Domino: *Ibidem.* *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, consilio. ¶ Sextus ornatus thalami Sion est intellectus: qui mentem hominis super hæc infima rapit, omnesq; corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporijs substantijs figitur, volensque vltra progredi, & proprius accedere audit à Domino: *Exod. 33.* *Ne appropinques huc: non enim videbit me homo, & viuet.* Hic intellectus conuenit ijs, qui à Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur: *Matt. 5.* *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, intellectu. ¶ Septimus ornatus thalami Sion est sapientia, quæ conuenit ijs qui intellectualibus oculis æterna contemplantur, quorum conuersatio in cœlis est, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo: in quorum persona dicebat apostolus: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Quasi diceret; Vt Christum magnificem, Christo viuere volo tantum, & Christus est præmium G mortis meæ. Et post pauca: *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo melius: manere autem in carne necessarium propter vos.* Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subiugat, vt nullam vltra pugnam in carne sentiat; pro infirmis fratribus (vt eis Christum nunciet) exilium libenter patitur, probra non audit, damna non sentit, auferenti tunicam dimittit & pallium, percutienti ad vnam maxillam præbet & alteram, auditque à Domino: *Ibidem.* *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Hi ornatus thalami Sion, istis nos adornemus qui sumus Sion, & regem Christum suscipiamus, *quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partū quadragesima*, hoc est hodierna die, in templo Dei præsentauit. ¶ In lege namq; scriptum erat, *vt mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, deferens hostias secum pro peccato agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum siue duos pullos columbæ offerret.* Hæc omnia beata virgo non ex necessi- H tate, sed ex humilitate impleuit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta diebus, non necesse habens purgari, quæ sine omni delectatione, saluo virginitatis sigillo, de spiritu sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate; ostendens etiā in hoc quod filius Dei Iesus Christus non soluere venerat legem, sed adimplere. *Et ecce Simeon grandæuus qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, & cum susciperet quem expectabat: accepit eum in vlnas suas*, hoc est inter brachia sua amplexatus est; illum qui appendit tribus digitis molem terræ, qui omnia implet, omnia complectitur, inter brachia portat, dicens; *Luc. 2.* *Nunc dimittis Domine seruum tuum, secundum verbum tuum in pace.* Cupio dissolui, & eius aduentum cum patriarchis & prophetis in inferno expectare, qui inter te & humanum genus facturus est pacem. *Esaia. 9.* *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, filium tuū, quē *Rom. 11.* desideraui, de quo responsum à spiritu sancto accepi. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* De

A quo ait Esaias: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, quia cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet* Audite fratres, audite quid offert Maria, quid Simeon suscipit. Vnigenitum Dei, Deo patri consubstantialem, & coæternum, verbum in principio. Et vt vtilitatem & consolationem nostram audiamus, illum offert virgo, quē (Gen. 22.) Deus Abrahæ promisit dicens: *In semine tuo*, hoc est in Christo, *benedicentur omnes gentes.* Et quem Dauid promisit di- (Psal. 131.) cens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hic est quem virgo offert Patriarcharum gaudium, desiderium prophetarum, gentiū expectatio, Iudæorum qui eum rectè petūt saluatio, ruinæ angelorum reparatio. Talis est quem virgo offert Deo, imo multo maior quam lingua, aut hominum, aut angelorum possit dicere. Et cum sit tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se nouit, non sufficit virgini ipsum solum offerre: sed hostiam, quam lex præceperat, pro eo obtulit: ob humilitatis scilicet exemplum, vt nos (Columbæ proprietates.) docere quomodo & nos eum debeamus offerre. *Duos turtures, aut duos pullos columbæ pro eo obtulit.* Columba fratres B simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cauernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, iuxta fluenta manet vt visa vmbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defēdit, visum recuperat. Et nos fratres, cum ante altare steterimus, vt Dei filium Deo offeramus, cum eo & pro eo par turturum, castitatem corporis & animæ offeramus. Et duos pullos columbarum, pro cantu gementes, compunctionem geminam, pro desiderio patriæ cœlestis, & de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret: & nos ira careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus: sed percussi in vnam maxillam, aliam præbeamus. In cauernis petrarum nidificemus: in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus: de filijs diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Iuxta flumina maneamus: id est iuxta hunc mortalitatis fluxū sedentes, vmbram accipitris, hoc est peccata quæ sunt vmbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab eius vngu- C lis fugiamus. Meliora grana eligamus: id est meliores sententias in scripturis sanctis. Gregatim volemus: vnum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis noui & veteris testamenti contra inimicos Dei nos defendamus: vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicet (Attendite ô sacerdotes Christi.) amore & proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis Fratres charissimi, tales oportet nos esse cum corpus Christi consecramus, eum consecratum manducantes sacrificamus, eum vobis idem corpus in salutem corporis & animæ porrigimus. Tales etiam vos oportet esse, cum sacrum Sacra- (1. Cor. 11.) mentum de manibus nostris accipitis, *scientes quod qui corpus Christi indigne accipit, & sanguinem eius indigne bibit, iudicium sibi manducat & bibit.* Verum quia raro inuenitur talis qui in se hæc omnia habeat, diligat illum qui bonum habet quod in se non habet: & in illo habet quod in se non videt. Neque enim credere debemus quod soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecraret & D sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conuentus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus lignifaber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaq; astantes habere de suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem puram, deuotionem piam. Sciendumq; quod sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras vero virtutes, quas supra diximus, & si omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non in- (Tria Christi corpori debemus.) ueniunt, & in illo habent quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Ioanne virginitatis habet meritum: sic Ioannes in Petro martyrii habet præmium. ¶Sciendum quoq;, quod corpori Christi quem Maria hodie præsentauit in templo, quem Simeon in vlnis suis suscepit, tria debemus: dignitatem, reuerentiam, & fructum. Dignitatem: vt eum Dei filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, iudicem viuorum & mortuorum credamus. Dignitatem: vt credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo sicut à iudice percepturos *sicut gessimus, siue bonum siue malum.* Ille namq; quem Maria in templo præsen-

E tauit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum leuamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris noster, index erit noster. Caueamus ergo ab eo separari per iudiciū post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaq; ei in corde eum cum tractamus, dicamus cum eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignatus in vita, quod à nobis tractaris, consecraris, manducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorū in virtute tua: *quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster.* Hæc est dignitas quam ei debemus. Debemus ei & reuerentiam: inuestigare scilicet nosmetipsos: & si inuenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ab eius contactu vt ab igne & nos & alios arceamus. *Ignis* (Deut. 4.) *enim consumens est* ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, & in reprobum sensum tradatur. *Exeat ergo extra castra,* sicut Moyses præcepit, *qui nocturno* (Deut. 23.) *pollutus est somno*, hoc est qui per negligentiam istius obscu- F ræ vitæ (quæ tota vt somnus pertransit) peruenit vsque ad pollutas cogitationes. *Exeat extra castra*, hoc est dum in illo statu est, iudicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lauetq; vestimenta sua per sanctam confessionem: & post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem iam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reuerentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentauit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit. Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet quem fructum accipimus si eum digne comedimus. Audite fratres non me, sed Apostolum dicen- (1. Cor. 10.) tem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Christo. Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini? Ac si dicat, panis quem frangimus, facit nos vnū G corpus sub Christo capite: quoniam sicut vnus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi & per fidem & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, conuertitur: sic diuersi participantes hoc corpore in vnitate fidei, spei, & charitatis, vnum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cū Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi: *quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentauit*, Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem VI.

POstquam impleti sunt dies purgationis tulerunt Iesum in Hie- (Luc. 2.) *rusalem.* O quam fœlix est, de quo dici potest: Impleti sunt dies purgationis eius: vt iam nihil aliud ei supersit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam: & sistant eum Domino. Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, tam desiderabilis, quam plenus desideriis, cuius cum iam olim, vt arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie H impleti sunt etiam dies expectationis, vt iam secundum verbum Domini nihil aliud ei restaret postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei & hominum, nisi vt dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, vt ferrent eum in Hierusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad contemplandam pacem, quæ exuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum. O beate senex, renouata est vt aquilæ iuuentus tua. Introisti iam ad altare Dei illud supernum, æternum, totum aureum, ad Deum qui lætificat iuuentutem tuam æterna visione sui, cuius lætificauit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud inuisibile iam ipse præsentatus es patri; cui ad altare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum quem hodie tuo sinu gestasti, æterno iam & indissolubili tibi confetis amplexu. Repletū est igitur in bonis beati senis desiderium, cuius tota erat expectatio & desiderium, expectatio

gentium

A

gentium & desideratus eatum. Renouata est vt aquilæ iuuentus eius, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis eius. Alioquin nequaq̃ illius capax nouitatis esse posset: nisi sedulo vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum: vt cum impleti fuerint dies vestræ purgationis, inueniamini & vos capaces illius gaudii quo plena est iam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus implemus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minime implet: vt postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tã sanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, *mundum est cor meum, purus sum à peccato?* *Pauci quidẽ sunt electi*, sed inter illos paucos paucissimi sunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dicit: *De negligentia purgate cum paucis.*

B

Eccli. 7.

Negligentia magna in nobis.

Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modo minima, sed & maxima negligimus, longe à paucis de terra diuisi sumus, & de nobis dicit ille qui paucitatem sanctorum, multitudini præfert negligentium, inter multos erant mecum. Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis fouet vmbra, sicut negligentia? Vt de meipso loquar, quotiens derident hostes sabbata mea? Quotiens dormitat anima mea præ tædio, diemque fere totum ac si tempus reuocabile esset, inertia consumo? Et vtinam sic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi miser non fingerem somnia vana & illusoria. At nunc in peruersum mutata sententia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnoque tam graui, vt vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis,

Prou. 6.

Vsq; quo piger dormis? Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.

C

Illud sane miserrimum est quod hodie non putatur iactura sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant, & pereant negligendo. Gentilis, vt aiunt, cum sederet ad mensam, venissetq; in mentem nihil strenuũ, aut memorabile se egisse die illo cum gemitu graui, & dolore mensam repulit, exclamans, *ô amici diem perdidi.*

Temporis habenda ratio.

Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus fere est, qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitatem dies vna. Putasne est aliquis in nobis qui quotidianam dierum suorum à semetipso rationem exigat, qui cuiusq; diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat: vt si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum ac de cætero cautius agat? *Beatus ille seruus quem cum venerit dies extremus, inuenerit ita facientem.* Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purgari, si recte & vtiliter implerentur dies purgationis, vt aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri.

D

Alioquin quandiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, *sanciuit æterna iustitia* (sicut scriptum est in lege Mosi:) *vt omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis eius.*

Sanguis, peccatum.

Esaia. 1.

Viderint ergo qua fronte ingrediantur sanctuarium, qua conscientia non solum tangant sancta, sed etiam tractent & sumant sanctum sanctorum, qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, nullum tamen suæ purificationis studium gerunt. An non audiunt protestantem & dicentem: *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt? Quid enim si mundus sum à sanguine alieno, & conculcari me Dominus videt in sanguine proprio*, sicut de Hierusalem loquitur per Ezechielem?

Ezech. 16.

Quid inquam mihi proderit, si veloces non sunt pedes mei ad effundendũ sanguinem proximorum, & veloces sunt affectus mei ad acquiescendum carni & sanguini, de quibus dicit Apostolus: *Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt? Maledictus*, inquit Hieremias, *qui prohibet gladium suum à sanguine*: id est, qui vitia carnis & sanguinis sibi parcit abscindere.

1.Cor.15.

Hie. 48.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, ne cum sanguine purificationis meæ sanctuarium ingrediens, aut sancta contingens, reus inueniar corporis & sanguinis tui, indigne manducãs & bibens.

E

Veruntamẽ gratias tibi Deus Deus salutis meæ, qui in hoc ipsum pretiosum tuum fudisti sanguinem vt immunditiam nostri purificares sanguinis, tactumq; peccatricis sanguinem fluentis sed salutem desiderantis non abhorreres, sciens nimirum quod nullus potest facere mundum, de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es: nec sanis, sed male habentibus, melius tamen habere cupientibus, medicus opus est. Tangere itaq; sanctum sanctorũ, sicut illis quos delectat in sanguine suo versari iudicium est mortis: sic illis qui desiderant purificari, remedium est salutis, iuxta prophetiam Simeonis: Quia hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum. Fratres & vos quidem in sanguine fuistis, *sed abluti estis, sed purificati estis: nisi quia sicut iustus confitetur, si loti fueritis velut aquis niuis, sordibus vos statim intingit, non solum conditio corrupta, sed etiam voluntas infirma, vt semper nouis sordibus opus sit purificatione noua.*

Iob. 9.

Purgationis nostræ tempus negligimus.

Illa vero mirabilis & miserabilis est in hominibus sui negligentia, vt cum nemo sit qui se purificatione non indigere præsumat: vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultum quasi purgatissimus sit non negligat.

F

Tempus nostrum breue sed pretiosum.

Fratres breues dies hominis sunt, sed tamen valde pretiosi sunt, imo quo breuiores, eo pretiosiores: quia dies sunt purificationis, cum statim postmodum futuri sint dies retributionis. *Beati qui in diebus istis lauant stolas suas, & candidas eas faciunt in sanguine agni*: ne postea vestimentum eorum, si mixtum fuerit sanguine, sit in combustionem & cibus ignis. Nec solũ timor vrget supplicii, sed etiam spes inuitat præmii: vt omni cura & instãtia nostræ modo studeamus purificationi, vt quod hodie figurare voluit in seipso filius Dei quadam dispensatoria specie, completum quandoque gaudeamus in nobis ipsa rerum veritate. Quid illud? *Postquã*, inquit, *impleti sunt dies purgationis, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Et nos vtiq; si tempora purgationis legitime fuerint à nobis impleta, tollent in supernam Hierusalem ministeria angelorum, vt illic assistentes vultui Dei, oblatio eius simus accepta & immaculata. Ibi demum purificabimur ex toto: sicut à peccato, sic etiam à pœna peccati. Ibi nostræ purificationis ipsa erit consummatio quæ & remuneratio: cum scil. diuinus ignis totos nos assumet in holocaustum Domino.

G

Porro hunc ipsum beatissimæ purificationis inexplicabilem modum, nec modo quidem cessat æmulari deuotio sanctorum, quantum tamen corruptela corporũ, & solicitudo terrenæ inhabitionis permittunt: dum scil. mente excedentes in illam Hierusalem, verum orationis locum, illic in conspectu Domini quasi turturẽ & columbam pro seipsis ac de seipsis offerunt: corde videlicet & carne exultantes in Deum viuum, *quia scilicet columba inuenit sibi domum & turtur nidum, altaria tua Domine virtutum.* Ego tamen arbitror quod ad meritum non sit inferius, & fortassis ad purgationem efficacius, si illud quod per speculũ & in ænigmate raro & raris experiri datur, id est vt in Hierusalem sistantur Domino, nos per fidem iugiter actitemus: proponentes, scilicet Dominum in conspectu nostro semper, & oculos eius & iudicia super nos peruigili fide, irremissoq; semper timore cogitantes.

H

Fides ista fratres sit in vobis, & eritis de paucis: timor iste sit in vobis, & de negligentia purgabitis vos cum paucis, quia timor iste nihil facile negligit. Deniq; ab initio huius fidei pertransibitis sicut sponsus sponsæ pollicetur, *euntes de virtute in virtutem, à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu*: proficientes de visione quæ est per fidem, ad illam quæ est per speculum & imaginem, ac postremo de illa quæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit in ipsa veritate faciei seu facie veritatis. Si enim iugiter præsentiam Domini licet velatam intendatis per fidem aliquando etiam reuelata facie gloriam eius speculabimini, licet per speculum & imaginem. Cum autem impletis diebus purgationis venerit quod perfectum est, assistetis Domino in Hierusalem, habitantes cum vultu eius, ac sine fine contuentes eum facie ad faciem, cui benedictio, & claritas in secula seculorum. Amen.

A

Sermo in Quadragesima.

BEnedictus Deus pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberab.t eos Dominus. Duplex autem genus tribulationum patimur: quia non solum duplici natura subsistimus, carne scilicet ac spiritu, sed etiam duplici qualitate viuimus: partim scilicet carnaliter, partim spiritaliter. In mundo eramus toti carnales, in cœlo erimus toti spiritales: nunc autem ex parte carnales, ex parte spiritales. Prout autem proficimus in spiritu, aut magis efficimur spiritales & minus carnales, aut magis remanemus carnales, & minus spiritales. Propterea duplex modo consurgit tribulatio: quia quod in nobis carnale est, contristat aduersitas: quod spiritale, iniquitas. Si nihil in nobis esset carnale, nulla nos contristaret, imo nulla esset aduersitas: si nihil spiritale, non nos nostra contristaret, sed magis delectaret iniquitas: sicut de quibusdam dicitur, *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

Tribulationis duplex genus patimur.

B

Pro. 2.

Illa ergo nostra de aduersitate tristitia, carnalis & secundum sæculum est: hæc autem de iniquitate, spiritalis & secundum Deum. Illa mortem operatur, si desit consolatio: hæc salutem operatur, si non desit consolatio. Multum tamen interest in aduersitate exteriori, cuiusmodi sit consolatio tristium: quia consolationi diuitum, comminatio diuina Væ intentat æternum. Quia nimirum plerumq; qui humiliari poterant ex aduersitate, grauius superbiunt de prosperitate; proditq; ex adipe iniquitas eorum, imo & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Nos autem & cum abundat illa consolatio temporalis oportet esse gratiores & humiliores: & cum deficit, de æterna redemptione certiores & lætiores. Cum tamen suppetit siue salus corporum, siue tranquillitas temporum, ac copia rerum, ea moderatione vtenda ac dispensanda est; vt sit non occasio peccati, sed adiutorium virtutis ac potius de bonis bona faciamus, quam de bonis mali simus.

Prosperitas multis est occasio superbiæ. Consolatio temporalis cum deest, lætiores esse debemus.

C

Illa namq; consolatione qua se diffundit voluptas, vel extollit vanitas, renuat consolari anima mea, magisq; eligat cum moyse & viris Israeliticis affligi, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Siue autem consolemur exterius, siue tribulemur, *benedictus Deus, qui consolationem internam & æternam dedit in cordibus nostris.* id est gaudium spei quæ suadet nos etiam gloriari in tribulationibus nostris: pollicens, quia si compatimur, & conregnabimus. Illam sane tribulationem quam interius de iniquitate nostra patimur, tanto molestiorẽ portamus, quanto periculosiorem experimur; quia nimirum quotidie de vita periclitamur, vt veraciter confiteamur, *nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* Gratias tibi Domine Iesu, quia si grauia sunt pericula, facilia sunt remedia; quia si dicebam *motus est pes meus misericordia tua Domine adiuuabat me*: & quod semel in Petro figurasti corporaliter, in filijs Petri quotidie adimples spiritualiter.

Matth. 14.

D

Iussisti nos venire ad te super aquas, id est hoc mare magnum & spaciosum manibus: ecce virtute tua ambulamus, sed pondere nostro grauamur, & plerumq; irruente spiritu procellarum impellimur, vt etiam mergi incipiamus, id est pene iam iamq; tentatori consentiamus. Sed si celeriter confiteamur pedem motum, id est titubasse animum, *& fideliter inuocemus auxilium tu misericorditer porrigis manum, firmasq; & dirigis gressum.* Super hoc quotidie iustus decantat; *Impulsus sum, vt caderem, sed non cecidi, quia Dominus suscepit me. Sed cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*; id est cum peccauerit non condemnabitur, quia aduocatum habet Iesum, eo quod & si septies in die cadit, septies resurgit. Non delectatur iacere vbi cadit, & in luto volutari, sed ocius exurgens excutit se de puluere, & sordes diluit satisfactione. Per hoc namq; iustus fit, *quod semper in initio sermonis accusator est sui*, memor consilij diuini, quo dictum est ei; *Dic iniquitates tuas, vt iustificeris.* Ita fit vt dum seipsum indicat, & Deum de se vindicat, illum quem iudicem metuebat iustum, reus aduocatum habeat. Iustus enim Dominus & iustitias dilexit; nec potest iniustas causas suscipere aut rueri: qui cum acceperit tempus etiam iustitias iudicabit.

Psal. 117. Ibid. 36.

Christ' qui

E

Et tamen qui iudicem se minatur futurum superbe de iustitia præsumentium, aduocatum se pollicetur humiliter peccata confitentium: quoniam apud illum *in cuius conspectu non iustificabitur omnis homo*, nullatenus causam testificari nostram melius possumus, quam si nosmetipsos accusantes & punientes, iustitiam ipsius in nos transferamus, & partes iudicis aduersus reos exequamur. Sed & si in aliquo veniali vel per ignorantiam fallimur, vel per infirmitatem vincimur, vt Iebusæum nostrum nequaquam exterminare præualeamus; sed semper sub oculis nostris in terra nobiscum habitare patiamur; in hac quoq; imperfectione nostra consolatur nos sermo propheticus, qui nos in se transfigurans ait: *In ipsis fuimus semper & saluabimur.* Imperfectum meum, inquit corpus Christi, viderunt misericordes oculi tui & in libro tuo omnes scribentur, id est scripti inuenientur, tam perfecti quam imperfecti.

iudicem se minitatur superborũ, aduocatus erit humilium.

F

Pollicetur siquidem Dominus se perfecturum imperfectionem nostram, loquens per Iohelem prophetam. *Et mundabo*, inquit, *sanguinem eorum quem non mundauerunt.* Hinc Esaias cum præmisisset de perfectione futuræ cœlestis Hierusalem; *& erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem.* quod in infirmis non nisi purgatione diuina perficienda sit sanctitas illa subiunxit dicens; *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem lauerit de medio Hierusalem.* Consolatur quidem me lauatio quæ promittitur, sed terret modus qui subditur. *Spiritu, inquit, iudicii, & spiritu ardoris. Ignis enim opus cuiusq; probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus fiet merito fundamenti, sic tamen quasi per ignem.* Quanto melius nunc arderemus delectabili amore, quam tunc illo pœnali ardore? Quanto suauius nunc igne amoris purgaremur, vt mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inueniretur; sed sicut tribus pueris ventus roris fieret nobis fornax Babylonis.

Iohel. 3.

Esa. 4.

1. Cor. 3.

Igne amoris hic suaue est purgari, quã postea purgatorio igne.

G

Alioquin si tepide & negligenter viuentes, ligna, fœnum, stipulam nobis coaceruamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus, cum examen illius purgatorij tales intrauerimus, quis poterit de nobis habitare cum igne deuorante; aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis; quando omne etiam vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis? Scio quidem, quia si satis arderem igne charitatis, de me quoq; diceretur; *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nunc autem si purgari non mereor igne dilectionis; vtinam vel purgarer alicuius igne passionis; fieretq; mihi quod propheta imprecatur sibi: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis. Vtinã qui cœpit ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Veruntamen nosti Domine infirmitatem figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Hoc primum quidem peto Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Luce. 7.

Habac. 3.

Iob. 3.

Apocal. 3.

H

Sed quoniam audio abs te, *Ego quos amo arguo & castigo, & beatus homo qui corripitur à Domino*; corripe me Domine in misericordia, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, & dicatur de me, Detraxisti eum ab emundatione. Intuere infirmitatem meam, & secundum illam manum tuam moderare, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis; sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem. Sed væ mihi si quotidie vror, & non emundor; vt & de me dici contingat. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de anima rubigo eius neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* Quam vereor ne id cadat in nos, qui districtione vitæ velut quodam purgatorio igne quotidie coquimur, & nunquam ab iniquitate nostra, sicut oportet, mundamur; & forsitan non mundabimur, donec sedeat iudex ipse quasi ignis conflãs & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Veruntamen quantulumcunque proficiat nunc iste ignis, malo tamen interim mihi hunc adhiberi, quã ad illum penitus

Ezech. 14.

differri.

A differri. Nam si ad inuicem comparentur, iste quidem medicina est misericordis, ille vltio irati. Ita sentiebat, qui dicebat; *Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me. Scio quidem qui tunc etiam cum conturbata fuerit anima mea Domine; in ira misericordiæ memor eris.* Scio quia etiam in luctu & pœnis consolatet me spe meliori; & inimicæ potestati cui emendandus ad tempus traditus essem, verbis prophetę respondetem dicens; *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccaui ei, donec iudicet causam meam. Educet me in luce, videbo iustitiam eius; & aspiciet me inimica mea, & operietur confusione.* Et dicam in illa die; *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* Veruntamen cur timebo in die mala? Cur non magis in die bona bonis fruor, & diem malam præcaueo? Nonne ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Cur non audiam modo consilium sapientis, *Quodcunque potest manus tua instanter operare;* quia non est consilium nec ratio, nec sapientia apud inferos quo tu properas; & illud Apostoli; *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes?* Cœperamus quidem à consolationibus, sed ad terrores deuenimus; quia tunc nimirum consolatio vtilis erit, si terrori mixta fuerit, tunc ingrediemur in veritate tua Domine, si ita lætatur cor nostrum, vt timeat nomen tuum. Alioquin si omnino vos securos faceremus, diceretur & de nobis: *Popule meus qui beatum te dicunt ipsi te decipiunt, & vestigia gressuum tuorum dissipant.* Tunc autem vere beati erimus, si miseriam nostram recte agnoscamus & pie doleamus: tunc securi in morte erimus, si semper pauidi suspecteque viuamus.

Michæ. 7.

Eccl. 9.

B

Galat. 6.

Consolatio vtilis est si terrori mixta fuerit.

Esaia. 3.

SABBATO SECVNDÆ HEBDOMADÆ QVADRAGESIMÆ, DE PARABOLA PRODIGI filij ad patrē reuersi.

Pœnitētia quantum apud patrē possit.

C



O Fœlix humilitas pœnitentium, ô beata spes confitentium, quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis inuincibilem, quam cito tremendum iudicem conuertis in piissimum patrem. Prodigus iste filius cuius hodie in magnam ædificationem nostram audiuimus peregrinationem ærumnosam, pœnitentiam lachrymosam, susceptionem gloriosam, prodigus, inquam, iste tam grauiter reus, nondum confessus erat, sed tantum confiteri deliberauerat: nondum satisfecerat, sed tantum ad satisfaciendum animum inclinauerat: & de solo fere proposito conceptæ humilitatis veniam statim obtinuit. quæ tanto tempore tantis expetitur votis, imploratur lachrymis, ambitur obsequiis. Latronem in cruce sola confessio absoluit, ista sola voluntas confitendi. *Dixi*, inquit, *confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Vbique misericordia præuenit. Præuenerat voluntatem confessionis, ipsam inspirando, præuenit & vocem confessionis, quod confitendum erat indulgendo. *Cum adhuc*, inquit, *longe esset vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est; & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quantum hæc verba sonare videntur, tardius videbatur patri, filio veniam dedisse, quam illi accepisse. Sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quā ipsum miserum passio sui. Neque hoc dicimus, quo in natura incommutabili humanos ponamus affectus, sed vt in amorem illius summę bonitatis affectus noster dulcescat: dum ipsam plus nos amare, quam ipsi nos amemus, ex similitudine discimus humana. Vide autem quomodo vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Reus vix poterat sperare veniam, iudex imo iam non iudex, sed aduocatus, accumulat gratiam. *Cito*, inquit, *proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes, & adducite vitulum saginatum, & occidite & manducemus & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat & reuixit.* Verum, vt hæc omnia prætereamus, scilicet stolam primam, id est, sanctificationem spiritus, qua baptizatus induitur, & pœnitens reinduitur: annulum fidei quo

Luc. 15.

Psal. 31.

D

Plus nos amat Deus, quam ipsi nos amemus.

Stola prima quid. Annulus. Calciamenta. Vitulus saginatus.

E subarratur; calciamenta, quibus ad calcanda serpentum venena munitur, vel ad euangelizandum præparatur: vitulum saginatum qui ei in altari immolatur, festiua illa gaudia quæ pro recepto indicta filio toto celebrantur cœlo; vt hæc inquam omnia taceamus, & doctioribus tractanda seruemus, amplexus ille & osculum paternæ pietatis, quid non habet gratiæ & dulcedinis? quid non felicissimi gaudij? quid non sanctissimæ voluptatis? *cecidit*, inquit, *super collum eius, & osculatus est eum.* Cum sic super eum affectabat, quid agebat amplectens & osculans, nisi illum sibi vel seipsum illi insinuabat, se illi inspirabat, vt adhærendo sibi vnus secum fieret spiritus, sicut adhærendo meretricibus vnum cum eis corpus fuerat effectus? Patum erat illi summæ misericordiæ viscera suæ miserationis non claudere miseris: in ipsa sua eos viscera trahit, suisque inserit membris. Non poterat nos sibi arctius astringere, non poterat nos magis intimos habere, quam vt corporaret sibi, & sicut charitate sic virtute ineffabili, non solum assumpto corpori, sed etiam ipsi couniret spiritui. Quod si tanta est gratia pœnitentium quæ erit gloria regnantium? Si ista sunt solatia miserorum, quæ erunt gaudia beatorum? Et qui hoc prærogat in via, quid seruat in patria? Vtique quod in cor hominis non ascendit: vt ei similes simus, & sit Deus omnia in omnibus. Iam vero tu beate peccator, sed licet non ideo beatus quia peccator, sed quia pœnitens de peccato: quid tibi, rogo, animi erat inter amplexus patris & oscula, cum prope desperatum refouebat, cum cor mūdum tibi innouans, lætitiam salutaris sui tibi refundebat? *Et quomodo*, inquit, *sermo explicabit, quod mens non capit?* Inenarrabiles gemitus, & inexplicabiles sunt affectus, quos de incomprehensibili velut impregnatus parturit animus. Angustum est eis cor humanum, vnde & scissum effundit seipsum: & ardorem quem concipit, sed non capit, quib. potest modis, lachrymis, gemitibus, suspiriis, euaporat ac digerit. Norunt hæc melius, qui gustauerunt sæpius & vberius. Nunc quoque, inquam, cum dimissus post illos amplexus & oscula, te & teipsum recogitas, cum causam tuam qualis fuerit, qualiterue ab eo iudicata sit retractas: & illinc abundantiam delicti tui, hinc superabundantiam gratiæ pensas: quid tibi obsecro parit cogitatio tua? Quid ni, inquit, intolerabilis in meditatione mea exardescat ignis: illinc dolore & pudore, hinc gaudio & amore? Non me hominem putarem sed lapidē, si ita duri cordis existerem, vt meipsum non dolerem vel erubescerem: vel ita nequam & ingratus, vt non totus in gaudium vel amorem illius patris liquefierem. Custodi igitur ô fœlix peccator, custodi sollicite ac vigilanter hunc spiritum tuum, hunc iustissimum humilitatis ac pietatis affectum: quo semper ita de te sentias in humilitate, de Domino in bonitate. Nihil illo maius in donis spiritus sancti, nihil pretiosius in thesauris Dei, nihil sanctius inter omnia charismata, nihil salubrius inter omnia sacramenta. Custodi, inquam, si vis ipse custodiri, humilitatem illius sensus & vocis, qua patri confiteris & dicis: *Pater iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Nihil ita patrem promeretur sicut huius vocis affectus, nec melius te filium facies dignum, quam si semper confitearis indignum. Hæc humilitas non solum peccatores iustificat, sed etiam iustos consummat, iustitiamque eis accumulat: si videlicet se seruos fateantur inutiles, etiam cum quæ præcepta sunt, fecerint omnia. Peccatum tuum coram te sit semper, & iuxta consilium sapientis, *etiam de propitiato peccato noli esse absque metu.* Incerta & occulta sunt iudicia Dei, non temere præsumendum est de illis, cum nil inde certius teneamus, quam quod in conspectu Dei non iustificabitur omnis viuens, nisi in quantū se iudicat peccatorem. Alioquin quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Blande te misericordia suscepit, pie refouit: time iudicium, ne gratia quæ data est humili, auferatur superbienti. Elegisti abiectus esse in domo patris tui, contentus eras fieri quasi vnus ex mercenariis: sta in sententia, vt et si promotus es, adhuc ad maiora proueheris. Extremū locū sēper occupa, aut certe desidera: seruitutē tibi mercenarii, nō libertatē filij tibi vindica. Deuotione quidē filii patrem cole, conscius quid ipse de te meruerit: sed humilitate & labore mercenarii contē-

F

G

Humilitate nihil maius inter dona spiritus sancti.

H

Humilitas iustos consummans.

Iudicia Dei incerta.

tus

A rus esto, conscius quid ipse merueris. Nunquam tibi displiceat humilitas, per quam placere cœpisti, & sine qua displicere incipies, quantiscunq; pollere virtutibus, quantumcunque patri officiosus deseruire videaris. Humilitas siquidem omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa fere omnium radix, & seminarium, & fomes, & incentiuum, & ipsa cumulus & fastigium, custodia & disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conseruantur. Cumq; omnibus vt virtutes sint tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat.

Humilitas omnium virtutum maxima.

Sermo in solennitate beati Benedicti.

Eccl. 14. BEatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Quam congrue verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facile quiuis vestrum intelligit, cui tamen vita & doctrina ipsius non ignota sit. Quam commode vero ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit: quæ scilicet illa quibus nihil est vtilius in vita, sapientiam, iustitiam, timorem Dei, cum præmio etiam beatitudinis commendat. *Beatus*, inquit, *vir qui in sapientia morabitur*. Prorsus hæc est beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, vt perseueranter eam teneas: non enim statim qui inuenerit, sed qui tenuerit eam B. Dicit quidem scriptura: Beatus inuenit sapientiam: sed non ibi quieuit, imo addidit, & qui affluit prudentia: ne videlicet solum inuenisse statim putaretur ad beatitudinem sufficere, nisi eum inueneris, cum ea & in ea demoreris, & contubernio atq; conuictu ipsius delecteris nec discedas è magisterio eius, donec meditando iustitiam, cogitando circumspectionem Dei, affluere prudentia possit. Nam & Salomon sapientiam inuenit, sed quia prudentia minus affluxit, nec satis prudenter sibi circumspexit, dum videlicet non caute sibi prouidit à mulieribus alienis, non modo sapientiam perdidit, sed vsq; ad vltimam idololatriæ insipientiā ꝓruit. Sapientes quoq; huius mundi, qui inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, sapientiam inuenisse visi sunt, sed quia nec ipsi prudenti affluxerunt, & cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, *stulti & ipsi facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum vsq; ad reprobum sensum, & ignominiam turpitudinum.* Alios itaq; sicut istorum exemplo liquet, repellit à sapientia quam inuenerant superbia cordis: alios sicut in Salom. patet, *abstrahit illecebra carnis*: Alii autem leuitate & inconstantia mentis, leni perturbatione offensi eam relinquūt: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quare autem recedunt? Quia radices non habent, quibus teneātur. Quomodo autem radicari poterunt, nisi morentur? Quæ vnquam planta radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic iustus plantatus in domo Domini, nec radicari, nec fundari in charitate poterit, nisi mora & stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat afferre poterit: & si florere visus fuerit alicuius spei initio, dicetur de illo: *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinauit.* Et secundum alium propheta, *si fecerit fructum, alieni comedent eum.* Vis autem scire quam sit necessaria stabilitas loci, vt in sapientia moreris: vt radicari & fructificari possis mora temporis? Interroga patrem tuum B. Benedictum, & annunciabit tibi, quia claustrum monasterii, & stabilitas in congregatione locus idoneus sit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem texit catalogū. Quid enim de instabilitate Sal. ait? *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum.* Inuenerat turtur nidum vbi poneret pullos suos, cœperat eum calefacere & ab eo calefieri, venerant vsq; ad partum pulli, & ecce auolat, opusq; cœptum imperfectum relinquit. Quare, vnde, vel quo auolet ipse viderit, vel quando tot dispendia, quæ interim patitur compensabit, vel qua ratione primam fidē irritam factam excusabit? Ego enim non putarem esse consilii, pro spe incerta, certa subire dispendia: & si profectus quorundam me iubeat interim à præcipitatione cohibe-

Commorandum in sapientia.

Stabilitas loci necessaria.

B C D

Isaia. 18. Osee. 8. Pro. 27.

E re sententiam. Enimuero multum dissimilis est causa eorum qui amore sapientiæ inquieti fiunt, & eorum de quibus loqui cœperam, qui leui & friuola permoti causa à sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, vt discat sapientiam: sic qui facile perdunt sustinentiam, *non demorabuntur*, vt scriptum est, *proiicere illam*. Quid autem eos offendat, præmisit scriptura cum ait: *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis.* Offenderunt in lapidem offensionis, & Petram scandali, cuius probata virtus corripiebat & erudiebat insipientes probabatque mentes: cum ipsi virtutem sapientiæ duriciam lapides interpretarentur, duraque omnia, disciplinam, vultum, sermonem causarentur. *Durus est* inquiunt *hic sermo*. Esto. Sermo durus est, nunquid non verus est? Lapis durus est, nunquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? Si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis quam vanitas mendacii, vel oleum adulationis placeret. *Durus est* aiebant *hic sermo*, quia quasi lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ, ideoque non sunt demorati eam proiicere, & retro abire. Nec ob aliud pretiosum electum à Deo lapidem reprobauerunt, nisi quia durum putauerunt. Et erat quidem Petra Christus, sed virtute non duricia. Erat Petra, sed quæ conuerti posset, imo & conuersa est in stagna vel fontes aquarum, vbi mollia & humilia quibus influeret inuenir corda fidelium. Nam & isti qui tam cito offensi quadam specie duriciæ retro abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan & ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ viuæ de Petra percussa in cruce fluentis largissime, ita vt hodieque bibat populus & iumenta: imo suxissent etiam mel de Petra, oleumque de saxo durissimo. Prorsus tu beatus es Simon Bariona, tibi iam reuelabat pater pietatem mysterii, latentem vt videbatur sub duricia sermonis, qui interrogaris duodecim an & ipsi vellent abire, constanter respondisti, *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus.* Plane beatus qui cum sapientia morari, & cum domesticis eius ad mensam ipsius pane interim sacramenti nutriri delegisti, donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ & intellectus te cibaret, & aqua sapientiæ salutaris potaret. Beati & vos fratres mei, qui in disciplinam sapientiæ, & Christianæ scholam philosophiæ nomina dedistis, sed si perseueranter in sapientia moremini: vt cum durior sermo ipsius visus fuerit, duriora scilicet præcipientis, aut durius corripientis, non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discendendi à Deo viuo, sed constanter dicatis cum Apostolo: *Verba vitæ æternæ habes ad quem ibimus?* Fingis quidem laborem in præcepto, duriciam in sermone, sed scimus, quia magna est multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiam si occideris me. Imo tunc amplius sperabo, cum flagellaueris, secueris, vsseris, occideris quicquid viuebat in me: vt non ego, sed Christus viuat in me. Omnino non discedimus à te, quia viuificabis nos etiam occidens, sanabis percutiens. Vere beatus qui cum sapientia moratur, hanc constantia & fide longaminiter patiens, & fideliter obediens vsque ad mortem, nec deserens locum suum, quotiescunque spiritus potestatem habentis ascenderit super eum, sciens quia curatio disciplinæ faciet cessare maxima peccata. Sane ad hanc sapientiam morandi in sapientia, illuc præcipue pertinere arbitror, vt inquierndo vel quælibet leuis molestia non facile quodcunq; opus sapientiæ nobis excutiat: verbi gratia, solennem psalmodiam, orationem, lectionem diuinam, pensum operis diurni, aut silentii disciplinam. Quia enim sapientia in exitu canitur, *gaudebunt*, ait, *sanctus labia mea cum cantauero tibi*, dum etiam ad literam, exitus matutini & vespere delectabis. De oratione quoq; certum & ipsi quotidie capitis experimentum, quod melior est finis orationis quam principium: vt fidele probetis Dominicum illud totiens inculcatum, tot exemplis commendatum, de orationis perseuerantia, consilium. Nam legere & negligere, vel antequam cœperis librum, de manibus proiicere, quem fructum putas tibi poterit parere? Si scripturæ immoratus non fueris, vt assi-

duitate

Eccli. 6. Ioan. 6.

Dura nobis veritas videtur, ob cordis nostr. duritiā.

F

Petra Christus duritia nō virtute.

Ioan. 6.

G

Psal. 93.

H

A duitate studii ei fias familiaris, quando putas se tibi reuelabit? *Qui habet*, inquit, *amorem verbi, dabitur ei intellectus, & abundabit*: qui vero non habet, & quod habet per naturam, auferetur ab eo propter negligentiam. De opere autem manuum nonne & de isto satis comperistis, quia sicut denarius operarius, sic consolatio sæpius seruatur in fine operis? De silentio quippe nota est promissio prophetica, *quia in silentio & spe erit*, inquit, *fortitudo vestra*. Si enim colas iustitiam in silentio, & sicut Hieremias *bonum esse* ait, *præstoleris cum silentio salutare Domini*, in medio silentio secretus tibi illabetur à regalibus sedibus omnipotens sermo, & aquæ Syloe quæ vadunt cum silentio conuallem quieti ac placidi pectoris grato rigabunt profluuio: hoc non semel sed sæpius experieris si modo silentium tuum cultus iustitiæ sit, id est, si in iustitia mediteris: vt perseueres in scriptura quam proposui, & in sensu cogites circumspectionem Dei. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus fiat si enim iniquitatem mediteris in cubili tuo, malitias scilicet quas malignus immittit, aut phantasias quas cor tuum parturit, aut inanes philosophias, seu fallaces theorias quæ sunt velut ægri somnia, nonne magis iniustitiæ quam iustitiæ cultus erit silentium tuum? Si ergo vis in sapientia morari, stude in iustitia meditari. *Concupisti*, inquit *sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi*. Si autem quasi violenter irruunt cogitationes noxiæ, pone tibi virilem & fidelem custodiam, quæ omni custodia seruet cor tuum. Dico autem timorem Dei qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpius interrogans etiam angelum lucis: *Noster es, an aduersariorum?* Vndique enim sibi circumspicit, tanquam omni hora cogitans circumspectionem Dei, quem sine intermissione intueri ac iudicare corda filiorum hominum attendit. Pulchre autem dictum est, in sensu cogitabit: quia prorsus sine sensu est & à corde excessit, qui timorem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ maiestatis ac iudicij sibi incumbentis non sentit. Signanter quoque circumspicere Deus dicitur, qui omnia tam præterita quam futura habet præsentia, vt nec ista respiciat nec illa prospiciat: sed similiter, quia simpliciter cuncta circumspiciat: sitq; illa æternitas velut punctum, omnium media temporalium, cuius immobili simplicitati semper æqualiter præsens est circuitus & rota temporum. Hunc oculum æternum, sine intermissione videntem, & iudicantem omnia, semper cogitat, suaque se cogitatione sollicitat timor Domini, qui reuocat à malis, non solum operibus, sed & cogitationibus: erudiens nos vt iustitiam potius meditemur, continens, vt cum sapientia moremur. Ita enim sensim fit, vt qui primo coerceretur timore iudicij & pœnæ, postea pascatur amore ac meditatione iustitiæ, demumque requiescat ac delectetur in conuictu & amplexu sapientiæ. Hæc non modo foras mittit timorē diffundendo charitatem, sed etiam pellit ab animo tædium & angorem, infundendo suauitatem, sicut quidam contubernium habens ipsius, de ea loquebatur: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*. Horum participes nos faciat, qui particeps nostri fieri dignatus est Dei sapientia Christus Iesus, qui viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Thren. 3.

Esaia 32.

B

Eccl. 1.

Timor Dei ubiq; custos.

Deus omnia circumspicit.

C

Sapien. 8.

D

Sermo de eodem II.

Hie. 17.

BEnedictus vir qui confidit in Domino. Sanctus pater noster gratia Benedictus & nomine, cuius memoria in benedictione est, ipse profecto fuit benedictus vir qui confisus est in Domino. Quem enim Dominus præuenit in benedictionibus dulcedinis, vt in Domino confideret, iam benedicit omni benedictione spiritnali in cœlestibus in Christo, quia in Domino confisus est. Nec solum in cœlestibus benedictionem omnium angelorum, sed etiam in terrestribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Vbi enim gentium non benedicitur hodie benedictus Domini Benedictus? Plane benedictio Domini super caput iusti, quem tot benedictionibus cœli & terræ gratia Dei cumulauit. Non tamen sicut Esau in pinguedine terræ, & in rore cœli benedictio eius, sed in pinguedine spiritus, & in autore cœli qui per prophetam loquitur, *Ero quasi ros*: & cui dicitur, Ros lucis ros tuus: in Christo vtique benedictio patris, cui pater imprecatus est: Qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Merito proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo seipsum figit. Vbi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radicis misit, qui vt verbis vtar Benedicti magistri spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitæ totius benedictionis & gratiæ bibit. Per hanc nempe piam & fidelem fiduciam remittuntur peccata, sanitatum corporalium, sed magis spiritalium obtinentur remedia, propulsantur pericula, terrores contemnuntur, vincitur mundus, omnia denique possibilia credenti redduntur. Illi quippe qui in peccatis erat. *Confide* ait, *fili, remittuntur tibi peccata tua*. Illis quibus donabatur sanitas corporum vel animarum, *Secundum fidem tuam fiat tibi, &c. Fides tua te saluum fecit*. Illis qui periculo terrebantur naufragandi, *Habere*, inquit, *fidem Dei, & quid timidi estis modicæ fidei?* Illis quos armabat aduersus sæuitiam mundi furoresq; diaboli, *Confidite* ait, *ego vici mundum*. Et vtique hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. si modo non sit tepida, non trepida, sed sit fiducia, id est, fides non ficta, seu spes non infirma. Non solum autem mundus per eam vincitur, sed & cœlum possidetur: super æternitatem homo stabilitur, & in Deo ipso charitatem radicatur & fundatur. *Qui enim confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion: non commouebitur in æternum*, qui fundatus est super æternum. Tam enim perire non potest, quam nec ille, cui adhærens vnus cum ipso spiritus est. *Quis enim sperauit in Domino & confusus est*: permansit in mandatis illius, & derelictus est? Si dixerit infidelis, ille derelictus erat qui in cruce clamabat, *Deus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* puto quia non vsque quaque dereliquit, in quo erat mundum reconcilians sibi. O quanta consolatio sic desolari, quanta dilectio sic derelinqui, vt vnico patris vnice dilecto merearis vel in passionibus consociari. Aperi Domine oculos huius pueri, rursum loquor & nouitium, qui cum tribulatur putat se derelictum. Nouum hoc omnino & insolitum, si iustum quempiam viderem derelictum, cum Ecclesia dicat, *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum*. Aperi inquam ô Domine oculos pueri tui, vt videat quia plures nobiscum sunt quam cum aduersariis. Siquidem Dominus virtutum nobiscum, & cum eo omnis virtus & militia cœli, imo fauor omnis creaturæ, seruientis nutui & arbitrio creatoris sui. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Et quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus? Poterit inuidus ille sæuire, sed hoc erit seruire. Poterit vrere, tundere, dissecare, sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te Domine fortitudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, & illuditur ab angelis tuis in ministerium nostrum missis antiqui draconis astutia, vt volens nocere, prosit. Diligam te Domine propugnator potens, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum proiicio omnem sollicitudinem meam: cuius nec potentia vinci, ne sapientia falli, nec beneuolentia potest fatigari, quo minus expleat omnem indigentiam meam. Quam satius, quam securius est ipsum esse sollicitum, quam meipsum pro me: quam bonum est confidere in Domino, quam in homine: quam iure maledictus qui confidit in homine, carnem ponit brachium suum, & recedit à Domino cor eius. Et quidem egenus & pauper ego sum: sed si Dominus sollicitus est mei, diues sum, beatus sum, cui nimirum omnia cooperantur in bonum. Sperent igitur in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis sperantes in te Domine: sedeatque populus tuus sicut scriptum est, *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, in securitate sempiterna*. Omnino pulchra pax & securitas sempiterna, habitare in adiutorio altissimi, in protectione DEI cœli commorari.

E

Osee. 14.

Qui in Domino fidit in eo seipsum figit.

Fiducia in Dominum quid boni pariat.

F

Psal. 124.

G

Psal. 36.

Rom. 8.

H

Esaia. 32.

Protsus

A Prorsus requies opulenta, sedere feriatum sub vite vera, ficu, & oliua: & post saturitatem variorum fructuum, seipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere: *Sub umbra illius quam desideraueram, sedi: & fructus illius dulcis gutturi meo.* Plane dulcis gutturi fructus, de cuius gustu tam dulcis erumpit fructus. Hæc sunt ergo tabernacula fiduciæ, in quib. verus Israel habitat confidenter, pascit & cubat, & non est qui exterreat: & sicut sapientia promittit, requiescens absq; terrore abundantia perfruitur, malorum timore sublato. Et bene timore malorum sublato, non timore Domini, ne fiducia ista & securitate quam commendamus, negligentiam putes generari, cum non in alio quam in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe dum cauet offensam, custodit gratiam, locumq; seruat fiduciæ, quandiu tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit vt non nisi caste timeas eum: præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona fiduciã istam præsumit, suaderq; corda nostra in conspectu iudicis æterni. Quis enim bene sibi de illo promittat, à quo se minime diligi

Cant. 2.

Securitas nunquam fit sine timore Domini.

B intelligat? Qui autem diligit, nunquam diffidit: sciës quia is quem corda non fallunt diligentes se diligit, etiam cum arguit & corripit. Siquidem eruditis corde in sapientia, non aufert sed auget fiduciam patris disciplina, scientes scriptum: *Beatus qui corripitur à Domino:* &, *Ego quos amo arguo & castigo.* Cum igitur exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo: quos scilicet amoris proprii conscientia consolatur, quia cum iratus fuerit misericordię recordabitur, & cum dixerint: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi,* statim subsequentur, *conuersus est furor tuus & consolatus es me:* eo quod non nisi in breui exarserit ira eius, quam tam cito placuerit confessio reatus. Merito igitur benedictum virum qui confidit in Domino, ligno comparat Hieremias quod transplantatur super aquas: quod q à ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit eum venerit æstus iræ & tribulationis: sed & in tempore siccitatis cum multo tempore cœlum clausum fuerit, nec ros nec pluuia gratiæ super eum descenderit, non erit ta-

Iob. 5.

Hie 17.

C men sollicitum, quasi Deus eum proiecerit. Sentit quippe se plantatum fide, radicatum charitate *super aquas vitæ,* quę secundum Ezechielem, *de sanctuario egredientes viuificant omnia, & habent in vtraq; ripa omne lignum pomiferum, cuius folium non defluit, nec fructus deficit.* Cur igitur lignum illud benedictum aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viua id est spiritus sancti gratia vitalem in occulto succum spei & charitatis subministrare non desinit: vnde & folium sit viride, id est, verbum plenum gratiæ & veritatis, & ipsum non desinat aliquando facere fructum quodcunque opus pietatis? Ergrata quidë illa verna temperies, pacis & lætitiæ: desiderabilis illa pluuia voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suæ: sed si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quęcunque prophetauit Hieremias de sermonibus siccitatis spiritalis, non tamen timebit, quem fiducia Domini radicauit super aquam refectionis, id est gratiam spiritus sancti: quæ etsi manifeste non pluat, vt sensibiliter influat, occulte tamen interius viuificat & fœcundat: quandiu videl. fidem

Ezech. 47.

Psal. 22.

D propositi conseruat, ad perseuerandum confortat, verbumque irreprehensibile & opus stabile subministrat. In huiusmodi vestra fratres sit consolatio, quotiens alias consolationes non modo carnales sed & spiritales subtraxerit vobis, non negligentia vestra, sed dispensatio diuina. Et fortasse quidem illa quam diximus occulta gratia spiritus irriguum est inferius, quo nimirum Axa nõ vult esse contenta, nisi adiiciatur ei & irriguum superius: vt scil. de excelso effundatur spiritus, *rorent cœli desuper, & nubes* angelicæ *pluant iustum* iustificans Dei verbum, loquens ad cor Hierusalem. Et bene illud irriguum inferius, quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatem: hoc autem superius, quod sese desuper effundens, spe & exultatione attollit mentem. Si ergo & vos fratres ad illud suspiratis superius irriguum, laudabile quidem desiderium: si tamen nondum attingitis, mittite radices interim ad humorem, salubre remedium. Qui igitur non præualet capere lætitiam contemplatiuæ, meditetur iustitiam vitæ actiuæ: inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemq;

Iosue. 15.

E vitæ statum informet: quatenus in ipso nec marcescat aut defluat folium, id est, verbum leuiter aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita desinat facere fructum. Benedictum lignum cuius folium ad medicinam, fructus ad vitam: id est cuius sermo gratiam parit audienti, & opus vitam facienti. Ad hoc profecto vos fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo secularis plantauerat in terra inaquosa, in terra salsuginis, diuina generatio vel mutatio dexteræ excelsi transplantauit super aquas refectionis, vt quib. prius propter sterilitatem parabatur securis & ignis, nunc plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri floreatis & fructum faciatis, & fructus vester maneat. An non aquæ refectionis scripturæ spiritus sancti, in quibus meditamur die ac nocte? An non aquæ refectionis, lachrymę compunctionis, quæ nobis factæ sunt panes die ac nocte? An non aquæ refectionis, sacramenta & subsidia nostræ salutis, quibus pascimur & potamur in altari? In his siquidem omnibus quasi quibusdam riuulis fons sapientiæ qui oritur in medio paradisi deriuatur foris & in pla-

Aquæ refectionis scriptura sancta.

Eccl. 24.

F teis aquas suas diuidit. *Ego,* inquit sapientia, *quasi aquaductus exiui de paradiso. Dixi, rigabo hortum meum plantationum, inebriabo partus mei fructum.* Ecce vt colligere potestis ex ipsius ore sapientiæ parientis & plantantis, hortus plantationum, est congregatio filiorum *Nunquid enim ego qui alios parere facio, ipse non pariam* dicit Dominus? Ipse parit, cum ingenerat voluntatem bonam, plantat cum instituit vitam, rigat cum sensibus infundit gratiam, colit cum moribus adhibet disciplinam: audite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificata. Mittite radices ad humorem vitæ, id est amorem terræ viuentium, non huius in qua omnia senescunt & putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in cœlestibus radicem figat: vt quæ sursum sunt, non quæ super terram quærat & sapiat. Quod enim Physici dicunt hominem esse arborem inuersam, eo quod nerui corporis radicem & initiũ in vertice habeant, ego illo potius sensu interpretor, quod radicem amoris & desiderii figere debeat in cœlo, in summo vertice rerum capite nostro Iesu

Esa. 66.

G Christo. Qui illuc radices miserit, & de illo fonte æternò, succum vitæ & gratiæ iugiter biberit, non timebit cum venerit æstus iudicii: sed afferens & offerens fructum quę fecit plurimum, id remunerationis accipiet, vt floreat in æternum ante Dominum, cui est honor & gloria per omnia secula seculorum.

Sermo de eodem III.

Dilectus à Deo & hominibus. Paucis expressit bonum ac beatum virum, qualem nimirum constat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis inquam comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis, simulque beatitudinem vitæ perennis, & consolationem præsentis. Quid enim deesse potest ad æternam fœlicitatem illi, qui à Deo diligitur? quid ad præsentem consolationem illi, qui ab hominibus diligitur? Illi nempe qui à Deo diligitur, & si aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi vt nihil ei desit: & suo, vt putatur, defectu

Eccl. 45.

H perfectior sit. *Nam virtus in infirmitate perficitur. Paule,* ait Dominus. *sufficit tibi gratia mea.* Cui gratia Dei sufficit, sine damno graui imo cum lucro non mediocri aliquid gratiæ deficit, quandoquidem ipse defectus & infirmitas virtutem perficit, & imminutio cuiusdam gratiæ, summam omnium gratiam Dei ampliorem ei & stabiliorem efficit. Longe fac Domine à seruis tuis gratiam illam quæcunque sit, quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit: vnde videlicet aliquis gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis tuis: Non est illa gratia, sed ira: illis plane quibus iratus es dari digna, quibus propter dolos posuisti talia, deiiciens eos dum alleuantur, & elidens valide, dum super ventum ponuntur. Vt igitur illa sola gratia sine qua nullus à te diligitur salua nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia subtrahat, aut certe gratiam vtendi simul conferat: quatenus habentes gratiam per quam seruiamus placentes cum metu & reuerentia, de gratia muneris, gratiam promereamur remunera-

2. Cor. 12.

Gratia illa quæ diuinæ gratię contraria est, repudianda.

toris:

A

Deus cum cunctos diligat, non tamen facile de dilectione sua certos esse sinit.

totis: & quanto quis fuerit gratiosior, tanto tibi fiat gratior. Sane mirabili arte, sed mirabiliori charitate prudens clementia clemensque prudentia Dei, saluti consuluit humanæ: vt cum cunctos diligat, non tamen facile de dilectione sua certos, aut securos esse sinat: nec ob aliud magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se abscondat, nisi vt dum semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sunt enim iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum & operum, vt ex quibusdam quæ concedit, consolationem quod digni sint amore tribuat: ex quibusdam quæ subtrahit, suspitionem ac metum quod odio digni sint iniiciat. Consolatur, cum diluculo visitat: terret, cum subito probat. Nunc mortificat, nunc viuificat: nunc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit & ditat: nunc humiliat & subleuat. Et in tanta vicissitudinum varietate tanto certius salutem nostram operatur: quanto nos incertiores de ea, cum maiore metu ac tremore ei cooperamur.

B

Rom. 8.

Ait quidem Paulus, *Certus sum quia nihil me separabit à charitate Dei.* Sed vere Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurum seruari expedit incerta. Paulus inquam hic erat qui hoc dicebat: cui nimirum & illud dicere competebat, *Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus*, qui scilicet ita totus in quendam diuinum conuersus erat affectum, vt adhærens Domino vnus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum qui ita modo certus erat alias trepidum ac sollicitum & castigantem corpus suum ne forte cum alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur: vide etiam colaphizari à Satana, ne forte extollatur. In ipso itaque Paulo iam tibi est videre quomodo omnis certitudo, quæ ad horam confortatur & conualescit de spiritus consolatione, item infirmitatur & euanescit superueniente tentatione.

Certitudo nostra quæ ad horam cōualescit de spiritus consolatione, euanescit superueniente tentatione.

Ego igitur miser & ipsa indignus vita, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore præsumam, cui omnia & interiora & exteriora manifestum odium denunciant? cuius vita, non tentatio, non militia est aduersus peccatum, sed vltronea seruitus peccati: qui tam mente quam carne seruio legi peccati? qui cum prudentia carnis & amicitia mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videor: plane fœdus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, scio qui dixit: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum cum inferno non stabit: quia nimirum inimicis Dei nil amicum esse poterit, & non mortem, aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad vltionem inimicorum zelus armauit.

C

Esaiæ 28.

Quam beatus in die illo quicunque erit ille dilectus à Deo, quam laudabiles quibus tunc laus erit à Deo, quibus dicet euidenti rerum argumento. *Vos amici mei estis, eo quod feceritis quæ præcepi vobis.* Et hæc quidem prima virtus, istud optimum gratiæ munus, præcipuus vitæ fructus: quia beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitiam promereri, quo propitio poterit homini aliquis inimicari, *sed nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

Ioan. 15.

Amicitiā Dei mereri, præcipuus vitæ fructus.

D

Iam vero si post hanc & per hanc summam omnium causamque bonorum, gratiam etiam illam promerearis, vt dilectus à Deo, etiam dilectus sis ab hominibus: quæ consolatio est illa in miserijs huius vitæ? quæ requies? quod gaudium? quæ deliciæ? præsertim si didiceris fauore gratiæ humanæ non euanescere, sed exardescere ad diligendum amplius, propter quem diligaris ab hominibus.

Cōsolatio magna ab hominib⁹ diligi.

Fauore humano qui in Deum non tendit nihil pestilentius.

Alioquin nempe si aliunde oriatur, vel alio referatur, quid est fauor humanus, nisi ventus vrens, aura corrumpens vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi vt cadat ascensor eius retro? Vir quippe vanus erigitur in superbiam, & vanitate sensus sui velut equo præcipiti fertur in ruinam. Huiusmodi nimirum serpens vulnerat & subuertit vestigia: dum veluti blandiens capiti, tenera illius facit laudari primordia. Haud secus nisi fallor contingit homini qui antequam diligere sciat, diligi nimie affectat: & antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quærit: facit diuitias non cum iudicio: in medio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens, cum omnes amici eius spreuerint eum, pro quibus spreuit ipse Deum.

E

Psal 52.

Tunc fiet sermo qui scriptus est: *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos.* Primo itaque omnium illa quæ prima & finis est omnium quærenda est dilectio Dei, cuius merito digni simus etiam ab hominibus diligi: & cuius studio docti simus, dilectione hominum qualiter nos oporteat vti.

Dilectio Dei primū quærenda, ob quam digni sum⁹ ab hominibus diligi.

Cum autem rem in tuto locaueris, ita scilicet firmato affectu mentis, vt non nisi in Deo, & propter Deum diligi velis, tunc omnino volo, vt dulcedo morum tuorum, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnem te commendet conscientiam hominum, vt vltro te rapiat affectus omnium, testimonio prædiceris omnium: quatenus ipsa religio quæ te commendat, iusta vicissitudine per te commendabilis fiat. Sic in te quoque filio adoptiuo, vnigeniti complebitur oratio: *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te:* dum videntes claritatem operum tuorum glorificabunt patrem tuum.

Ioann. 17.

F

Neque id dicimus quod inter dilectionem Dei, & dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamuis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio & illam oportet obseruare, & istam non negligere: quando nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo vere potest diligi: quamuis ordinata affectio ignorare non possit, quæ de duabus dilectionibus præponderet alteri, quæ debeat alteri formam & modum præscribere, finemque præfigere. Sed hoc dicimus quod aliud est amari, aliud amari studere.

Amare est aliud & aliud studere amari.

Quod profecto studium sicut periculose assumitur ab illis, qui plus vanitate quam charitate blandi sunt: sic periculose negligitur ab his, qui plus superbia quam sapientia austeri sunt. Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter vtrumque vitium, illius scilicet vanæ amicabilitatis & superbæ seueritatis, mediam tenere potuit regalem viam veritatis: id est, vt vera charitate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per tumorem dedignetur.

G

Amare ea est vis, vt cum non ambiat amari, efficit tamen vt ametur.

Illa tamen est vis & natura veri amoris, vt etiam cum non affectat, tamen efficiat se reamari: quoniam veritas etiam sine alieno suffragio facile se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignæ mentis obsistat nequitia, quæ parata est sinistre interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum, quidam proprium donum habent ex Deo, qui exhilarans facies eorum in oleo, perfudit eos quodam placore ac nitore gratioso, omnia tam facta quam dicta ipsorum gratificans in oculis omnium; cum multi qui forsitan non minus imo & amplius amant, non facile eandem gratiam inueniant. Ad omnes autem pertinet, vt prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, nec conscientiam negligant amore famæ, nec famam fiducia conscientiæ.

Conscientia non est negligēda amore famæ, nec fama fiducia cōscientiæ.

Nam & de ipsa conscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres, imo nisi te fratrem inter fratres in omni conuersatione tua demonstres? Putas enim satis esse si non scandalizas? Imo scandalizas, si non ædificas: si non testimonium habens bonum intus & foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum vbique glorificas.

H

Scandalizat proximum, qui nō ædificat.

Sane malis quibus non placet nisi malum, quibus Iustus grauis est etiam ad videndum si illis placere te non sinit, non tua negligentia, cum omnes etiam inimicos diligas, sed ipsorum nequitia qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua? consolatur te qui ait, *Beati eritis cum vos oderint homines:* & ille qui ait, *Quia talibus si placeret, Christi seruus non esset.*

Matt. 5.

Galat. 1.

Verum illud miserabile est malum, omnique lachrymarum flumine plangendum, quod quidem sæpius experiuntur, non modo prælati, sed etiam subditi, qui fratres suos æmulantur Dei æmulatione; quod scilicet & boni, licet non ex ea parte qua sunt boni, bonos inueniuntur odisse. Oderunt corripientem in porta, & inimici hominis domestici eius, ita vt etiam Paulus ingemiscat, *quod filius & amicus inimicus factus sit.* vera dicens. Ergo & ipse expertus est quod Comicus ait, *Veritas odium parit:* imo & illud quod sponsa memorat: *Filii matris meæ pugnauerunt contra me, cum ego pugnarem pro eorum salute.* O victrix regina,

Veritas odium parit.

Cant. 1.

ô trium-

A Sapien. 7.

o triumphatrix magnifica, pugna ne cedas, ne discedas, aut lassescas. Noli vinci à malo sed vince in bono malum. Sapientia vincit malitiam, quanto magis infirmitatem aut imprudentiam? Neque contradictionem carnalium, maliciam interpretari potest charitas spiritualium: sed magis ignorantiam, aut infirmitatem qua præuenti sunt. Quanquam nec ipsis Apostolis contumelia visa sit, quod mali à Domino sunt appellati. Quare autem hæc ita loquor fratres mei, dilecti Deo & mihi? Nunquid quia malum huiusmodi suspicor in aliquo vestrum, contra quod mihi vel fratribus meis sit pugnandum? Nunquid enim aliquis inuenitur in vobis, non dico rebellis, sed vel durus & intractabilis? Loquor hæc non quia ita in vobis sit, sed ne aliquando sit, ne forte aliquando cuipiam aliqua infirmitas subripiat, vt quamcunque correptionem charitatis, nisi cum charitate suscipiat. Sic fiet, vt tam is qui corripit quam ille qui corripitur dilectus sit à Deo & hominibus, & memoria vtriusque in benedictione sit: quod meritis beati Benedicti patris nostri præstare dignetur ille singulariter benedictus Dei patris Iesus Christus, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

B

Sermo de eodem IV.

Eccli. 45.

IN *fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Hæc quidem de Moyse scripta sunt, sed hodie beato Benedicto non incongrue quantum arbitror aptata sunt. Qui cum omnium plenus fuerit spiritu sanctorum, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimum. Si enim Dominus de spiritu Moysi tulit, & posuit super omnem illam suffraganeam turbam seniorum, qui in partem ministerii sunt asciti, quanto magis super istum qui plenitudinem totius ministerii, tanto verius quanto spiritualius impleuit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto, iste renunciantium seculo: Legislator ille, legislator & iste: Ille tantum minister literæ occidentis, iste spiritus viuificantis: Ille ad duritiam cordis Iudæorum dedit eis iustificationes non bonas, præter pauca moralia: iste solam puritatem Euangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam: Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia: iste rectissimam vitæ scribit regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Israel quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit: dux noster recta via, orientis tramite, tanquam signifer exercitus Monachorum hodie præcessit nos in regnum cœlorum. Itaque non erit absurdum, si credatur illius adæquasse meritum, cuius inuenitur etiam superasse ministerium. Nec incongrue videbitur ad ipsum esse translatum, quod de illo scriptum legitur, *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus*: præsertim, cum harum præcipue virtutum fidei scilicet & lenitatis nobis ipse magister sit, qui nequaquam aliter vixit quam docuit. Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundum sibi arridentem irridens, tam mundi quam corporis sui florem quasi iam aridum calcauit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quam in eo temporaliter prosperari? Quid similius illi fidei Moysi, quam Apostolus commendans ait, *Fide Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*? Quid autem sanctius leuitate patris nostri, qui nec malitia falsorum fratrum vitæ ipsius insidiantium, & pro vino venenum propinantium potuit exasperari? Moysen quidem scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines qui morabantur in terra, nunquid tamen exacerbatum spiritum eius negat? Nunquid non iratum & valde iratum aduersus æmulos memorat? Huius autem magistri nostri mansuetudinem non solum erga maledicos, sed etiam erga maleficos, mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini. Quanquam nec in ipso sicut nec in Moyse præconio sanctæ lenitatis præiudicet, si iustus zelo contra peccantes feruet, sine quo lenitas tepor aut timiditas est. Quomodo namque lenitas illa sanctum quempiam faceret, quæ in Hely, qui alias sanctus erat, damnata est? Fratres habete pacem inter vos mandat ille magister pacificus, & lenis: prius tamen præmittit, habete salem in vobis: sciens nimirum pacis lenitatem vitiorum esse nutricem, nisi prius asperitas zeli mordacem eis insperserit salem: sicut & carnes vermescere facit clementia temporis, nisi desiccauerit eas feruor salis. Habete itaque pacem inter vos, sed quæ sale condita sit sapientiæ: sectamini lenitatem, sed quæ ferueat fide. In fide & lenitate vos quoque sancti eritis: nec iam lenitas suspecta erit, si fides præcesserit: tantum fides non ficta, sed vera sit: fides non mortua, sed viua & viuida sit. Non modo viua vel viuida, sed & constans & intrepida fides erat Moysi, de quo Paulus scribit: *Fide reliquit Aegyptum*. non veritus animositatem regis. Animosi sunt Reges, sed animosior est fides: quippe quæ potentiam eorum nullam esse videt, ac per hoc omnem persequentium insaniam secura quasi superior irridet: promptior & fortior ad perferendum, quam illorum furor ad persequendum. Duo sane commendare mihi videtur Apostolus in illa memorabili fide Moysi, cui occasione lectionis hodiernæ comparandam diximus fidem sancti patris nostri Benedicti, scilicet quod idem Moyses qui fidei exemplum factus est, huius mundi contempsit prospera, nec timuit aduersa. Prospera contempsit, maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi: aduersa non timuit, non veritus scilicet animositatem regis, Ad vtrunque vero causam Apostolus subiunxit, vnde scilicet id potuerit, vt discamus vnde fides nostra infirmetur in nobis. Maiores diuitias reputabat thesauris Ægyptiorum improperium Christi: *aspiciebat enim*, inquit, *in remunerationem*. Non est veritus animositatem regis, *inuisibilem enim*, inquit, *tanquam videns sustinuit*. Nimirum inde fit vt nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna: inde fit vt facile potestas contemnatur humana, si tanquam semper imminens potestas timeatur diuina. Vtrunque vero sola fides agit, cuius tam viuidi, tam perspicaces sunt oculi, vt & in ea quæ futura sunt prospectum viuaciter porrigat, & in ea quæ licet præsentia sint, occulta sunt tamen, intuitum perspicaciter figat. Fidei siquidem quam æternus spiritus illuminat, nec mora temporis, nec moles corporis præiudicare potest, quin & tempus præcedat, præsumendo quod futurum est, & corpus excedat intuendo quod spiritus est. Gemina siquidem est fidei virtus, contemplantia non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, sicut gemina est ratio eorum quæ non videntur. Aut enim ideo non videntur, quia præsentia non sunt: aut ideo, quia & si præsentia sunt, spiritualia sunt. Præsentia non sunt, bona futura quæ promittuntur: præsens est, sed occultus est, quia spiritus est Deus ipse qui promittit vel minatur. Porro fides quia est substantia sperandarum rerum, bona futura quæ sperat, quasi præsentia præsumit, & iam quasi subsistere in corde credentis facit. Item quia est argumentum non apparentium, Deum & si non appareat, præsentem tamen esse sibi coarguit, probat & conuincit. Illi qui dicebat, Qui conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo, fides erat substantia rerum sperandarum: illi qui inuisibilem tanquam videns sustinebat, argumentum erat non apparentium. Qui enim dicebat, Spe salui facti sumus, nonne quod sperabat & per patientiam expectabat, iam per fidem in corde suo subsistere demonstrabat? Et qui proponebat Dominum in conspectu suo semper, nonne persuasum tenebat argumento fidei, eum præsentē esse qui non apparebat? Huic fidei prorsus aptissime congruit quod scriptura dicit: *Iustus ex fide viuit.* Hæc n. iustum facit, iustumq; custodit & vt viuat in æternum, interim spei gaudio pascit. Quid n. sic hominē à peccato reuocat & seruat, sicut fides quæ inuisibilem tanq̃ videns sustinet & obseruat? Quid ita spe gaudentē facit, sicut fides quæ semper in remunerationē aspicit? Nos enim fratres quare negligētes sumus, nisi quia præsentiā iudicis nostri minus vigilanter intendimus? Aut quare tristitia pene absorbemur, nisi quia remunerationē promissam minus fideliter cogitam⁹? Hęc siquidē duo mala sunt, negligētia, sci. & tristitia, quib. miserabiliter infidelitas nostra laborat: quia vide l. aut negligimus mandata, aut si necessitate timoris à negligentia coercemur, nequaq̃ hilariter operamur,

nec

Margin notes (left): C; D Heb. 11.; Lenitas sine zelo timiditas.; Lenitas nu[trix vitiorum.]

Margin notes (right): E; trix vitiorum.; Heb. 11.; Fides nullã potentiam metuit.; Fides prospera & aduersa vincit.; F.; Temporalia facile contēnuntur, si præ oculis habeantur æterna.; Fidei lyncei oculi.; G; H; Heb. 1.; Negligentia & tristitia miserè laboram⁹.

A

nec sicut fides postulat, spe remunerationis in labore consolamur. *Credere*, inquit, *oportet accedentes ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Si non dissimulemus quia est, habemus custodiam timoris: si non dissimulemus, quia inquirentibus se remunerator est, habemus consolationem spei. Vbi custodia timoris, nullus locus negligentiæ: vbi consolatio spei, nullus locus tristitiæ. Sicut autem de fide qua Deus esse creditur, timor salubris nascitur: ita cum minime creditur aut dissimulatur, omnib⁹ malis frena laxantur. Quare enim corrupti & abominabiles facti sunt in iniquitatib⁹? nisi *quia dixit ille generalis insipiens in corde suo, non est Deus*: aut certe si nescire Deum non permittitur, non est timor Dei ante oculos eius, sed dolose agit in conspectu eius, dissimulans quod nouit inuitus, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Merito prorsus dolosus ad odium, qui ignorantiam Dei non habet sed odium. Quomodo enim non odit Deum cuius declinat aspectum, cōtemnit imperium vellet non esse iudicium? Ignotans quidem ignorabitur, odiens autem & odietur. Ille reprobabitur veritate iudicij, in istum vindicabitur seueritate odij.

B

Adeo fratres periculosior est fides ficta, fides dolosa, quæ seipsam dissimulat, quam fides nulla, per insipientiam dicit in corde suo, *non est Deus*: fides ficta per nequitiam dolose agit in conspectu eius, & se scire Deum vel sciri à Deo dissimulat: dum sciens & prudens, imo imprudens sub oculis eius peccat. Nescio tamen quomodo possit dici fides, quæ fictos & dolosos potius facit quam fideles. Scio quidem quia confessione fidei plena est terra, sed tamen audio prophetam plangentem. Quia periit fides de terra. Putas enim filius hominis si nunc veniret, inueniret fidem super terram? Nunquid fidem reputaret hanc fidem fictam negligentium & contemnentium, qua leuius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem iudicat credulitatem dœmonum? *Dæmones credunt & contremiscunt*, homines credunt nec contremiscunt. Dœmones quem credunt verentur, homines dum quem credunt, nec timent, nec verentur, grauius de contemptu iudicantur. Non fallamur ergo fratres generali nomine fidei, quasi quæcunque fides ad iustitiā debeat reputari, sed meminerimus doctor gentium in fide & veritate qualem diffinierit fidem, qua Deo est placendum: *Fides*, inquiens, *est substantia rerum sperandarum, argumentum apparentium.* Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, vt suadente conscientia meritorum, de fide spes nascatur, fidesque supponatur velut subiectum & fundamentum cui superædificentur bona æterna, quæ speranda sunt. Sine ista fide impossibile est placere Deo, & cum ista impossibile est displicere Deo. *Oculi tui Domine respiciunt fidem*, dixit ille qui iugiter in conspectu tuo stabit per fidē. Omnino iuste & merito: Prorsus vicissitudo, vt oculi tui Domine respiciant fidem, quia oculi mei semper ad Dominum fideliter dicentem intelligis fidem.

C

Fides non omnis reputatur ad iustitiam. Heb. 11.

Nos autem fratres, si tanquam sine fide simus, Deum post dorsum nostrum ponimus, vt dissimulantes timorem eius in vanitates potius respiciamus, quo merito nos respiciendos putam⁹? Imo respiciemur, sed quo vultu? Vultus Domini super facientes mala: sed quam iratus, quam terribilis, quam importabilis tunc demum scietur, quando fugient qui oderunt eum à facie eius? Et à facie tua Domine quo fugient; nisi in tenebras exteriores, in illud chaos & abissum ignis & caliginis? *Tunc enim dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos*: leuius æstimantes absorberi voragine inferni, quam sustinere faciem Dei irati. Enimuero tunc stabunt iusti in magna cōstantia: tunc fides quæ modo sollicita stat in conspectu Domini, ad videndam voluntatem ipsius, secura stabit ad videndam gloriam eius, vigilate fratres, state in fide. Quem fides timore sollicitat, non potest dormitare per negligentiam: quem fides in spe radicat, non potest titubare per diffidētiam. Omnia autem vestra in charitate fiant, vt fidei lenitas iungatur, quatenus de vnoquoque vestrum dicatur, In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus: quod ipse præstet sanctus sanctorum, qui viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

D

In Annunciatione Dominica sermo I.

E

OPportune nobis in his diebus Quadragesimalis obseruantiæ, solennitas interuenit Dominicæ Annunciationis: vt qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreati valeant spiritali: & quos humiliauit pœnitentiæ luctus, annūciatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur. Sic quippe scriptum habes: *Mœror in corde viri humiliabit eum: & sermone bono lætificabitur.* Prorsus sermo bonus, sermo fidelis & omni acceptione dignus, Euangelium nostræ salutis: quod angelus missus à Deo, hodierna die Mariæ euangelizauit, ac lætum de incarnatione verbi dies diei, Angelus Virgini verbum eructauit. Sermo ille dum filium promittit virgini, veniam pollicetur reis; redemptionem captiuis, ad apertionem clausis, vitamque sepultis. Sermo ille dum filij regnum prædicat, iustorum quoque gloriam annunciat: terret inferos, lætificat cœlos, & sicut cognitione mysteriorum, sic etiam nouitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua? quem non consoletur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit Dauid, *verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc enim me consolata est in humilitate mea.* Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur* certitudo spei ex fide promittentis. Sic ergo Dauid sola spe salutis huius quæ nobis seruabatur, animum pascebat: quod gaudium, quæ deliciæ, rei ipsius exhibitio nobis esse deberet? O fœlicitas temporū istorum: O infœlicitas temporum istorum, An non fœlicitas temporū, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infœlicitas temporum, in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus filium suum, vt fiat filius hominis, hominumq; saluator: & ecce magnitudo temporis, vt saluatorē suum fastidiat homo peccator. Annunciatur salus perditis, & contemnunt: promittitur vita desperatis, & negligunt: venit Deus ad homines, & non assurgunt. Assurgit, qui aliqua deuotione se erigit, vt det gloriā gratiæ Dei: assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem scio, quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille proculdubo quem prius humiliauit pius mœtor in corde suo, mœror de peregrinatione & exilio, mœror de vinculis mortis & periculis inferni, qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupauerint eum laquei mortis, & pericula inferni inuenerint. Huic nimirum iucundus aduenit hodiernus ille nuncius de cœlo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei filio, huic inquam lugenti & mœrenti quod tantis sit malis præuentus & circumuentus, non sine gaudio liberator annunciatur: qui oleum gaudij daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, qui videlicet finem dabit miseriis, & sine fine beatitudinem dabit miseris. *Beati ergo qui lugent quoniam ipsi consolabuntur*, beati quos humiliauit pius mœror in corde suo, quoniam lætificabuntur sermone bono. Bonus plane sermo & consolatorius omnipotens sermo tuus Domine, qui hodie à regalibus sedibus venit in vterum virginis, vbi etiam sedem sibi regalem extruxit, in qua cum etiam nunc sedeat, quasi rex circunstante exercitu angelorū in cælis, est tamen mœrentium consolator in terris. Regali siquidem ex progenie virgo electa est, generositatis quidē regiæ nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: vt æterno regi filio regis, materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à regali sede patris, regalis etiam thronus in aula virginali reginæ susciperet maris; in ipsa quippe & ex ipsa sapientia ædificauit sibi domum, in ipsa & ex ipsa parauit sibi thronum: cum in ea & ex ea corpus aptauit sibi ita ad omnia perfectum & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum. Vide autem ne forte ipsa sit sedes Dauid patris eius, quam ei dandam promittit angelus: non quod Dauid in ea sederit: sed quod ex semine Dauid assumpta & fabricata sit. Et certe si sedes Dauid non est, tamen sedes

Prou. 12.

F

Psal. 118.

* fortitudo.

Temporis istius ingēs & fœlicitas, & infelicitas.

G

H

A tua Deus in seculum seculi ipsa est. Si solum Dauid nō est, certe solium excelsum & eleuatum super omnem creaturam, ipsa est. Si quis autem etiam thronum illum grandem, quem rex Salomō sibi fecit de ebore, corpus ipsum interpretur quod pacificus noster hodie sumpsit ex virgine, non multum à vero videbitur abhorrere: quandoquidem & illud quod sequitur, *& vestiuit eum auro fuluo nimis*, eidem satis corpori congruit: quod iam Dominus decore induit fulgoris intolerabilis. *Vestiuit*, inquit, *eum, auro fuluo nimis*. Prorsus si interroges oculos Apostolorum, qui transfiguratum in monte viderunt, confitebūtur aurum nimis esse fuluum, id est fulgorem corporis esse nimium quem ferre nequiuerunt, quamuis Nimis pro valde ponere consuetudinis sit scripturarum. Cætera nanq; quæ prosequitur scriptura de illius throni magnificentia, accommodatius, nisi fallor, si quis tractare voluerit accipientur de corpore Christi, quod est Ecclesia. Mihi sane magis mirari modo libet illud ebur tam pretiosum, imo & impreciabile virginalis castimoniæ, de quo sc. sedem sibi facere delegit qui sedet super Cherubin: hæc, inquiens, *requies mea in seculum seculi, hic sedebo quoniā elegi eam*. Quam nitidum ebur illud, quod oculis tanti tamque diuitis regis placuit, in cuius diebus argentum nullius est precij: quam frigidum quod nec à conceptu incaluit: quam solidum, quod nec partus violauit: quam candidum simul ac rubicundum, quod candor lucis æternæ ignisque spiritus sancti, vniuersa sui plenitudine repleuit. Maria si quidem & ipsa candidior niue, & rubicūdior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem & castitas candorem, & charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam & suam ipsius animam pertransiuit gladius, vt mater summi virginis & martyris, esset & virgo ipsa & martyr, candida & rubicunda, quemadmodum dilectus eius candidus & rubicundus. Denique sicut Salomon in omnibus thesauris suis & opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificum thronum scilicet gloriæ suæ iudicaret ebori præferendum: sic Maria singularem præ omnibus electis angelorum & hominum inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet & pareret filium, atq; ex ebore corporis eius thronum sibi virtus altissimi, sine manib⁹ excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis de quo scriptura perhibet, quia non est factum tale opus in vniuersis regnis: quod facile testimoniis probaretur angelorum, qui semper & insatiabiliter in gloriam & decorem dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in vniuersis regnis non est tale opus factum, quicquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cœlestium, terrestrium & infernorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est redemptoris, precium animarum, miraculum angelorum, solium summæ maiestatis, thronusque portitaris, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis. *Quotquot*, inquit, *tangebant eum, sanabantur à languoribus suis, nam virtus de illo exibat & sanabat omnes*. Beatus igitur venter qui te Domine Iesu portauit, fœlix castitas vteri virginalis quæ huic operi materiam ministrauit. Fœlix prorsus fratres mei nitor illius eboris, id est, cādor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratię, nostri præfert electio Salomonis, si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus. Proinde namque Salomon cum in carmine amoris castitatē prædicaret virginis, seu sponsæ videlicet seu sponsi, quia quorum spiritus vnus & caro vna, in plerisque etiam laus vna, vt castitatem illius adornatam nostramque adornandam etiam aliis virtutibus doceret, ait: *Venter eius eburneus, distinctus saphyris*. Vt autem noueris, quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu vnguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut Dauid in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, Canticum pro dilecto, de sponso Ecclesiæ accipiendum ostendit. *Myrrha*, inquit, *& gutta & cassia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo*. Corpora siquidem eburnea sanctorum

3. Reg. 10.

B Psal. 94.

Maria virgo & martyr.

C

Math. 4.

D

Cant. 5.

Psal. 44.

E domus Christi sunt, vestimentum Christi sunt, membra Christi sunt, templum spiritus sancti sunt. Ab his vestimētis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum & charismatum, ex quibus delectant & honorant regem regum Filiæ Apostolorum & prophetarum. Probastis & ipsi fratres mei ex quo cœpistis possidere vnusquisque vas suum in sanctificatione & honore non passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deū, quid vnguentorum, quid odoramentorum diuina largitate sit infusum, quo modo corpus quod erat sentina sordium, nunc spiritus sancti sit venerabile sacrarium, & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum. *Myrrha*, inquit, *& gutta & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*. Inhabitamus quidem domos luteas: sed quæ materiæ qualitate sunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ: ex quibus si myrrha prima spirare cœperit, per mortificationem voluptatum, consequentur & aliæ species aromaticæ, quæ multiformem virtutum gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabile tanquam de vestimentis suis, spirabunt etiam longe lateque proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco. Horum vestimentorum Christi fragrantiam statim vt sensit Isaac, *Ecce*, inquit, *odor filij mei, sicut odor agri cui benedixit Dominus*. Sed & sponsus ad sponsam, quæ etiam corpus & vestimentum ipsius est, loquitur dicens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*. Quem nimirum odorem thuris sponso gratissimum, pietas ô fratres vestrorum spirabit cordium, si ita frangrans & deuota fuerit, vt dirigatur oratio vestra *sicut incensum in conspectu altißimi, & ascendat coram eo sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris*. Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus vestris, fragrat vtique & mihi, vtinam ita & thus fragret de cordibus vestris, quatenus sponsus probans vos castos, sic etiam deuotos, frequentius vos sua visitatione dignetur & dicat. *Ibo mihi ad montem myrrha, & ad collem thuris*. Videtur tamen sermo iste, prophetia huius esse diei, per Salomonem olim prædicta, per Iesum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non modo myrrhæ & thuris, sed & omniū aromatum: dico aūt virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipue nisi fallor redolebat sponso myrrha castitatis, & thus pietatis. Odor iste fratres mei super omnia aromata, odor iste Dominum maiestatis de excelsis attrahit & inuitat, vt inclinet cœlos & descendat, sicut probat dies hæc, cum altissimus angelo misso de cœlo ipse quoque descendit in vterum matris, qui semper manet in sinu patris, cum quo viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

F

Gen. 27.

Cant. 4.

Cant. 4.

G

Sermo de eodem II.

Hodie verbum caro factum est, & habitare cœpit in nobis. Secundum regulam sane fidei, quam Ecclesiasticorum dogmatum diffinitio tradidit nobis. Firmissime namque tenet & nullatenus dubitat Ecclesia carnem Christi non prius conceptam, quam à verbo susceptam: sed ipsum verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in vtero virginis, & ad ædificandam vnitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit: dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separauit. Ab hoc ergo die Dominus virtutū nobiscum, susceptor noster Deus Iacob: quia hodie Domini est assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem spiritus sancti, vt terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cœlis desuper vterus virginalis saluatorem germinaret. Maledicta terra in opere præuaricatoris, quæ etiam exercitata, spinas & tribulos germinat hæredibus maledictionis: At nunc benedicta terra in opere redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumq; vitæ parturit vniuersis, & filijs Adæ præiudiciū originalis dissoluit maledicti. Prorsus benedicta illa terra quę omni-

Dan. 2.

H

Maria terra benedicta.

no intacta,

A no intacta, nec fossa nec seminata, de solo rore cœli Saluatorem germinat, & mortalibus panem angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. hæc itaque terra quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat Paradysus beatitudinis. Plane hortus deliciarum Dei, eremus cuius campi germinauerunt germen odoris, plane desertum refertum, de quo agnum dominatorē terræ Pater emisit. *Emitte,* inquit, *agnum Domine de Petra deserti,* i. abscinde Petram de Petra, sanctum & inuiolabilem sancta & inuiolata proferat virginitas. Sane in hoc ipso satis decenter Christo occasus ortui, sepultura respondet conceptioni: dum videlicet emittitur agnus de Petra deserti, condendus in Petra monumenti: & cuius corpori monumentum excidendum erat in Petra, ipse ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit de Petra, & corpori locum in Petra: sic integritatem Petræ cum de ea emitteretur non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ Petram, cum de ea egrederetur aperiēs. *Si ergo Petra Christus* vt ait Apostolus, *non degenerat à matre filius*, quando & ipsa Petræ nomine censetur. An non recte vocatur Petra, quæ & in amorem integritatis proposita firma affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea? An non recte Petra virginalis integritas, quæ & nihil parit perit per naturam sui, & cum parit, roris virtute diuini, nec admittens conceptum, nec emittens partum nouit aperiri? *Sed aperiatur terra,* inquit, *Esaias, aperiatur, & germinet saluatorem.* O sancte Esaia qui dicis aperiatur, quid ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur, *Porta hæc clausa erit, & non aperietur?* An tibi reseratum fuit tantummodo consilium fœcundandæ matris, & clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis? *Absit,* inquit, *nemo magis quam ego conscius huius secreti.* Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tanto ante prædixi, *Ecce concipiet, & pariet filium?* Quæris igitur quomodo dicamus: ego, aperiatur: ille, non aperietur? Non aperietur viro, aperietur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem, *vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Aperiatur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit: *Hæc clausa erit ipsi etiam principi, sed aperietur auris & porta cordis:* quia videlicet intrauit per aurem virginis verbum incarnandum, & exiuit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens nanque verbum Dei & si infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quo minus contra naturam carnis, & supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset & integra traijcere, sicut etiam ad discipulos ingrediens ianuis clausis, oculis probauit, quod ratio non capit. Secura igitur ô virgo intemerata, ô porta sanctuarij perenniter clausa, aperi Domino Deo Israel, qui tibi iamdudum clamat: *Aperi mihi soror mea, amica mea.* Non est quod timeas integritati tuæ Deus non nouit integra violare, sed violata consolidare. Si verbo Dei apta es, tum demum non modo clausa, sed & signata es. *Pone me,* inquit, *vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum.* Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere sigillum plane & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Si ergo ô virgo fidelis auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum: aure percipe verbum angeli, & corde suscipe verbum altissimi, & corpore concipe filium Dei. Dic & tu ô beata tam humilis quam fidelis, dic Dominus aperuit mihi aurem, ego autē non contradico, retrorsum non abij, *ecce ancilla Domini:* præsto sum eius voluntati, quinimo iuuabo votis si possum, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Hoc dicere, sic suam deuotionem offerre, istud plane est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, & spiritum attrahere. Sic profecto aperiebatur terra: vt quem rorabant cœli desuper, susciperet rorem, & germinaret saluatorem. Nobile germen, germen iustum, germen odoris, *germen Domini quod iam est in magnificentia & gloria, cum idem fructus terræ sublimis est super omnia,* id est, exaltatus est super cœlos Deus, & super omnem terram

Esa 16. | 1. Cor. 10. | B | Maria petra dicta. | Esa 45. | Ezech. 44. | C | Cant. 5. | Ibid. 8. | D | Esa. 4.

E gloria eius, nihil enim interest, siue germen, siue fructum, aut florē dixeris, cū hæc omnia imo infinita alia vn° Christus sit: res vna, sed multiformis gratia, & virtutis vni operatio multifaria: cui si infinita nomina paupertas humani sensus & sermonis, pro similitudine commodauerit, rei tamen implere significationem non poterit. Bene autem simul vocatur germen, & flos & fructus, qui sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni virtute & gratia in seipso extitit perfect°. In nobis enim primū ipse germen est, cum fides in confessionem prorumpit, vel opus manifestū: postmodum flos, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutem: demum autem fructus, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrime sane ac vigilantissime, nō solum mysteria, sed & mysteriorum præsagia dispensatio præordinauit diuina, vt locus in quo terra germinauit saluatorem: germen iustum, & flos de virga & radice Iesse ascendit; Nazareth, id est sanctitas, germen, flos, virgultum vocaretur: vt videlicet negocium loco, locusque negocio consona voce contestaretur, pariterque & nomen loci rem gerendam pronunciaret, & res gesta causam nominis indicaret. Ignoscite mihi fratres mei; quia qui morum vestrorum seruire debueram instructioni, plus forsitan quam necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione & præconio mysterij. Quid enim mirum si miror quod stupent angeli? si prædicare gestio, quam cœli enarrāt gloriam Dei? Quid mirum si me delectat, quod beatos spiritus lætificat, quod peccatores iustificat, iustosque glorificat; Nescio tñ si vlla esse possit efficacior ac suauior morū ædificatio, quam huius mysterij id est, verbi incarnati, fidelis & pia consideratio? Quid enim si hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præueniens hominem amor Dei tam vehemens ad hominem, vt homo propter hominem velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo & natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitari posse maius aliquod existimo, quam exinanitionem Dei in formam serui, & seruitutem plusquam serui. Castitatem porro quid æque commendat, sicut quod ipsa castitas saluatorē germinat? Aut fidei virtutē ac meritum quid euidētius ostendit, quam quod virgo Deum fide concepit, fide omnia sibi promissa diuinitus impleri promeruit? *Beata,* inquit, *quæ credidit:* quoniam perficientur quæ dicta sunt ei à Domino. Et vt plenius noueris conceptum virginis non solum esse mysticum, sed & moralem; quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem, vt manifeste euacues in te gratiam sacramenti, si non imiteris virtutem exempli. Quæ enim Deum fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promittit: quod videlicet si verbū ex ore nuntij cœlestis fideliter velis suscipere, Deū quem totus orbis non potest capere, possis & ipse concipere. Concipere autem corde non corpore, imo & corpore licet non corporali opere aut specie, tamen plane corpore tuo quandoquidem iubemur ab Apostolo glorificare & portare Deum in corpore nostro. Attende itaque vt scriptum est diligenter auditui tuo, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei:* quod tibi absque dubio euangelizat angelus Dei, cum de timore aut amore eiusdem agit prædicator fidelis, quem angelum Domini exercituū dici & esse non est tibi fas ambigere. Quam beati qui dicere possunt, à timore tuo Domine concepimus & parturiuimus spiritū salutis, qui nimirum non est alius quam spiritus saluatoris, quam veritas Iesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei, simulque virtutem incomprehensibilis mysterij; *qui creauit te, creatur in te,* & quasi parū esset te ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. *Quicunque,* inquit, *fecerit voluntatem patris mei, ipse meus & frater & soror & mater est.* O fidelis anima expande sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, concipe quem creatura non capit. Aperi verbo Dei aurem audiendi, hæc est ad vterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantur. Gratias tibi sancte spirit°, qui vbi vis spiras, video munere tuo nō vnam sed innumeras fidelium animas illo generoso germine grauidas: custodi opera tua, ne aliqua

Christus in nobis est germen flos & fructus. | F | G | Luc. 1. | Concipitur in nobis Christus. | H | Matth. 7.

A aliarum abortiat, conceptumq; diuinæ sobolis informem aut mortuum excutiat. Vos quoque ô matres beatæ tam gloriosæ prolis *attendite vobisipsis, donec formetur Christus in vobis*: attendite ne qua fortis offensa grauior fœtum tenerũ lædat, ne quid ingestatis ventris, id est, mẽti quod spiritum quem concepistis extinguat. Parcite si non vobis, certe filio Dei in vobis, parcite inquam non solum ab operibus & sermonibus malis, sed etiam à cogitationibus noxiis, & delectationibus mortiferis, quæ plane suffocant semen Dei. Omni itaque custodia seruata corda vestra, quia ex ipsis vita procedet: cum scil. maturus se partus absoluet, & vita Christi quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis, sed adhuc parturitis, nondum peperistis. Si labor in
Ioan. 16. parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit tristitiam habet laborei, cum autem pepererit puerum, iam non memor erit pressuræ propter gaudium, quia natus erit homo* Christus in mundum exteriorem corporis nostri, quod & minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus
B est Deus in spiritibus nostris, configurãs eos spiritui charitatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suæ, in qua viuit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

Isa. 7. AVdite domus Dauid: *Ecce dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet. Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris.* Hodie nanque illud ineffabile conceptus virginalis miraculum, sicut audieratis promissum, sic ut audistis impletum: Virgo hodie concepit. Et hoc signum prioribus retro seculis inauditum, nostris seculis Dominus dedit. Et sicut Hieremias eodem spiritu & eodem sensu præ-
Iie. 31. dixit: *Creabit Dominus nouum super terram, quia fœmina circundabit virum.* Quid est enim *creabit Dominus nouum super terram, fœmina circũdabit virum*, quod ait Hieremias, nisi quod ait Esaias, *dabit Dominus signum, Virgo concipiet filium.* Hoc nempe est circundabit, non de consortio virili suscipiet,
C sed de sesola intra semetipsam concipiet, & solius materni corporis inuolucro vestiet. Alioquin dicant si possunt Iudæi, quod signum Dominus in hoc dedit, si non virgo sed adolescentula, vt ipsi falso interpretantur, concepit: aut quid nouum Dominus creauit, si fœmina masculum de masculo susceptum circundedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi: sed in multitudine virtutis tuæ ô Dñe mentientur tibi inimici tui, vt virtutem tuam dum negat prauitas & paucitas Iudæorum, gloriosius confiteatur fides omnium populorum. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteãtur tibi populi omnes: quia terra dedit fructum suum*, virgo germinauit Iesum. Velint nolint Iudæi, creauit Dominus nouitatem huius miraculi, in signum eorum incredulitatis: vtiq; in signum cui contradicunt vsque hodie: plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quã ignorãtia miserabili. Non alienum tamen ab origine & consuetudine viperei germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est: qui ab initio in patre in rege suo impijssimo Achaz contradi-
Isai. 7. xerunt ne fieret. Locutus est enim Dominus ad Achaz
D dicens: *Pete tibi signum. Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* O religio prophana, ô pietas execranda, ô humilitas dolosa. Ne tentes vt ais, Dominum, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non grauius tentas, quem manifesto contemptu irritas? Nouimus vtique, nouimus dolum & inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste Achaz quantum ex vita & moribus ipsius intelligi datur, nam cultor Idolorum erat, non alta religione aut metu signum recusauit petere cum iuberetur, nisi ideo scil. ne Dominus glorificaretur. Sane mira & plane digna ira Dei & hominum, tam dira peruersitas Iudæorum, qui cum iubentur signa quærere renuunt, non vt finguut ne tentent, sed ne glorificent Dominum, non iubentur, tentant & quærunt. Nam velut natura & vsu Iudæi signa quærunt, & si dantur calumniantur & inficiari contendunt, vt manifeste confiteantur, quia tentantes quærebant: non vt crederent facienti, sed vt insultarent non facienti. O gens E
Esa. 1. *peccatrix, semen nequam, filij scelerati*, ait Esaias, *nunquid parum est vobis molestos esse hominibus*, mihi & aliis prophetis, imo vniuerso generi hominum, *quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Quia enim vos in peruersum aduersum eum inceditis, & ipse vt ait, peruersus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi: & ipse propter hoc dabit, vt ipse glorificetur, & vos cõfundamini. *Fac Domine, fac mecum signum in bono, vt videant qui me oderunt, & confundantur*, ait de Iudæis ad patrem filius. Primum autem signum quod pater & filius operati sunt in confusionem infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis, & opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset, *dabit Dominus signum*, quasi quærentibus quod signum intulit contextus prophetæ, verbis tamen euangelistæ: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*: vt plane aut consequentia vel veritate contextus careant, aut quod est probabilius mendacium Iudæorum latebram non habeat. Merito proinde cum iam *generatio praua & adultera signum quærit, signum non datur ei, nisi signum Ionæ*, vt videlicet qui ob peruersitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ scil. sepulturæ & mortis. Nam verbum crucis & mortis *Iudæis qui pereunt scandalum est: his autem qui salui fiũt*, id est nobis, *virtus Dei est*: nec minor aut infirmior nobis est filius hominis in corde terræ, quam in consessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi recusauerunt, *siue in profundum inferni, siue in excelsum supra*, nos fide plena ac veneratione deuota suscipimus, agnoscẽtes filium quem concipit virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis & veniæ: in excelsum supra, signum & spem exaltationis & gloriæ. Qui enim primum *descendit in inferiores partes terræ, vt in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo non aqua, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos vt adimpleret omnia.* Iam leuauit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni: & exaltauit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei à populo Iudæorum, & quotidie à quatuor ventis congregat dispersos veri Israel ad hoc signũ. O radix Iesse qui G
stas in signum populorum super quem iam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua, i. Iudæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculati conceptus tui contradicunt, & nec angelo Gabrieli credunt, dicenti, quia *non est impossibile apud te omne verbũ.* Beata quæ credidit, cui hæc ratio satisfecit, & cum quęsisset quomodo filium susciperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quã de prole securã deinceps effecit. Quicquid ergo garriat impietas infidelium, nobis concipiat & pariat virgo filium: nos quippe signum habemus in bonũ, etiam matrem & filium. Nobis plane mater tota miraculum est, quæ singulariter & sine exemplo mater est & virgo: nobis filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed & incomprehensibiliter Deꝰ est & homo. Mater virgo concipiens & pariens, signum nobis est, quia Deus est homo iste qui concipitur & paritur: filius diuina faciẽs & humana patiens, signum nobis est, quia in Deum transferet hominem pro quo concipitur & paritur, etiam & pa- H
titur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel iniuriarũ, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic & humilitate fere maximam existimo ꝙ in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore maiestas illa incircumscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtꝰ manifestum operatur: nullo signo visibili maiestas quæ clausa latet proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus: qñ & moriens glorificat latronem, & inspirans inspirat Centurionem, qñ horarius dolor passionis ei non solũ compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In vtero autem sic est quasi non fit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & verbum æternum sub silentio se premit. Vos tamen fratres vobis

Infirmitatum omnium quas pro nobis tulit diuina bonitas, quæ sit maxima.

A vobis illud silentium verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtiq; disciplinam silentij commendat. *In silentio enim & spe erit fortitudo vestra*, sicut Isaias promittit, qui cultum iustitiæ silentium diffiniuit. Sicut nanque puer ille conceptus in vtero ad maturitatem partus sub alto & diuturno profecit silentio, sic & spiritum hominis disciplina silentij nutrit, format, & roborat: & quanto occultius, tanto tutius & salubrius incrementum præstat. *Nescit homo animalis* qui non percipit *quæ sunt spiritus Dei*, quæ sit via spiritus, & quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis, sed non occultatum os meum à te ait sanctus Deo quod fecisti mihi in occulto mentis, sub secreto silentij. Sed nec à vobis occultatum est hoc mysterium fratres mei, quorum experientia & confessio testis mihi est, quomodo quietus & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat & floreat: quomodo econtrario per verba velut quadam paralysi dissoluatur & defluat, quomodo macrescat & marcescat & aridus decidat. Deniq; si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquam dixisset: *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*. Cæterum si quæris quo negotio sit occupanda mens in silentio, nihil tibi imponimus onerosum, comede panem tuum, sicut & ipse Dominus conceptus suo tibi commonstrat exemplo. Quid enim propheta de eo dixit cum loqueretur de porta orientali semper clausa in domo Domini, quæ tamen Deum Israel admisit & emisit? *Princeps*, inquit, *sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Sedebit*, inquit, *in ea*, quoniā requiescet in ea, de qua & ipse loquitur, *hæc requies mea*: sedebit in ea tanquam in throno grandi: quem, sicut alias dixi, Salomon rex sibi de ebore fecit. Si attēdas angustias vteri, locus prorsus angustus est: si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quam etiam vterus tantæ maiestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedit & panem comedit: *quia si quis*, inquit, *aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum*. Non est hæc cœna sine pane, quando & ipse qui cœnat panis est vitæ: panis qui hodie *descendit de cœlo, & dat vitam mundo*.

C Sed res mira sic idem est qui cœnat quod cœnatur: & qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. Reuera res mira, sed res vera: quia Christus nō alio pane quam se ipso pascitur. Ipse nanque totus est panis, verbum propter se, caro propter vnionem verbi. Alioquin caro non prodest quicquam, cum spiritus sit qui viuificat, nec in solo pane viuat homo, sed & in omni verbo quod procedit de ore Dei. Omne verbum procedens de ore Dei vnum & vnigenitum est verbum patris, quod cum simplex sit, in se tamen continet rationem & formam omnis verbi diuini. Verbū itaque pascitur de verbo, filius viuit de seipso: quia *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio vitam habere in semetipso*. Alia tamen ratione, sed tamen ineffabili beatitudine verbo pascebatur anima illa, verbo ipsi in personam coniuncta: & incomparabili fœlicitate princeps ille sedens in porta virginalis vteri, panem verbi coram Domino comedebat. Id igitur operis tu quoque si sapis in silentio tuo actitabis, vt panem verbi diuini comedas coram Domino, conseruans sicut Maria quæ de Christo dicuntur, & conferens in corde tuo. Hunc panem tecum Christus manducare delectabitur: & qui te pascit, ipse in te pascetur: & panis ipse quo plus editur, plus abundabit edend⁹, quia gratia non minuitur vsu, sed augetur. In hoc præterea tibi sit

D exemplo Iesus conceptus & gestatus in vtero, vt sicut onus illud leue ac suaue & si grauidauit non tā grauauit vterum Mariæ, sic te non sentiat grauem aut molestum vterus Ecclesiæ. Grauida est ô fratres Ecclesia, non sicut Maria solo Iesu, sed sicut Rebecca Iacob & Esau: non solum scilicet bonis & modestis, sed etiā discolis & indisciplinatis: quos tamen & ipsos propter nomen Iesu vel forsitan aliquod initium substantiæ eius, Ecclesię viscera suscipiunt & amplectuntur. Sed cum sese colliderent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ prius orauerat vt conciperet, dolensque ventrem suum à tribulatione malorum & dolore, pœne pœnitebat quod concepisset: *Si sic*, inquit, *futurum mihi erat, quid necesse erat concipere*? Si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille: nisi quod nec de talibus sinit nos desperare qui etiam de lapidibus

E suscitat filios Abrahæ. Ipse in eis si qui tales sunt emolliat cor lapideum, ne quatiant viscera matris: ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur eos qualescunque sint portare, donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus perfectus homo viuit & regnat. Per omnia secula seculorum. Amen.

Dominica in ramis Palmarum sermo I.

HOc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset. Audiat seru⁹ nequam & fugitiuus, hominem dico, qui cum esset in natura & conditione seruili & necessitate seruiendi: seruire detrectans, aripere sibi conatus est libertatem & æqualitatem Domini sui. *Christus cum in forma Dei esset*, nō rapina sed natura æqualis, quia coomnipotens, coæternus & consubstantialis, exinaniens semetipsum, non solum formam serui accepit in similitudinem hominum factus, sed etiam ministerium serui impleuit, *humilians semetipsum, & obediens factus patri vsque ad mortem: mortem autem crucis*. Sed parum tibi videatur, quod cum esset filius & coæqualis, tanquam seruus seruiuit patri, si non

F & seruo suo plusquam seruus seruiuit. Factus quidem erat homo, vt seruiret creatori. Et quid iustius quam vt seruias illi à quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beati⁹ aut sublimius, quā seruire illi, cui seruire regnare est? Non seruiam, inquit, homo creatori. Ego igitur seruiam tibi, inquit creator, homini. Tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes lauabo. Tu quiesce: ego languores tuos feram, infirmitates portabo. Vtere me vt libet in omni necessitate tua, non modo vt seruo tuo, sed etiam vt iumēto tuo, vt peculio tuo. Si fatigatus aut oneratus es, ego te & onus tuum feram, vt legem meam primus impleam. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Si esuris, aut sitis, & ad manum forte nihil melius habes, nec alter tibi viculus æque saginatus præsto est: ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Nec verearis ex morte serui damna seruitij eius pati,

G etiam comestus & bibitus manebo tibi integer & viuus, seruiamque vt prius. Si in captiuitatem ductus aut venundatus es, ecce vende me, teque precio mei vel meipso precio redime. Vile quidem mācipium videor, sed & si noctu & clanculo distrahar quasi res furtiua: & si ab auarissimis Iudæorum sacerdotibus emar, attamen saltem triginta argenteos appreciati potero: hoc precio meo poterit emi sepultura peregrinorum, me precio vita sepultorum. Si infirmatis & mori times, ego moriar pro te, vt de sanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ. *Euge serue bone & fidelis*, seruisti reuera, seruisti in omni fide & veritate, seruisti in omni patientia & longanimitate. Non tepide, qui exultasti vt gygas ad currendam viam obedientiæ, non ficte, qui et animam post tot & tantos labores superimpendisti, non murmurose, qui innocens flagellatus, nec os aperuisti. Scriptum est & iustum est, *seruum sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis*. Sed iste seruus, obsecro, quid non dignum fecit? Quid debuit facere & non fecit? *Bene omnia fecit* clamant qui facta eius obseruabant, *& surdos fecit audire & mutos loqui*. Omnia fecit digna,

H & quomodo sic omnia passus est indigna? Dorsum posuit ad flagella, & plagis vapulauit non paucis nec paruis, indicio sunt sanguinis riuuli qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia & tormento interrogatus fuit, veluti seruus aut latro subditus quæstioni, qua confessio extorqueatur criminis. O detestabilem superbiam hominis seruire contemnentis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi seruitute & tali seruitute Domini sui. Et vtinā vel sic possit, vtinam vel nunc habeat & referat gratiam tantæ humilitati ac bonitati. Sed vt mihi videtur, adhuc audio eundem Dominum apud Esaiam conquerentē de ingratitudine nequam serui, vbi scil. ait. *Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Veruntamē me seruire fecisti in peccatis tuis: laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis*. Et quem laborem? Vsque ad defatigationem, esuriē & sitim, sed vsque ad sudorem, sudorem autem sanguinis decurrētis in terram, sed vsq; ad mortem, mortem autem crucis:

Marginalia: Silentium nos Christus docuit. Esa. 30. — Silentii quanta virtus. — Prou. 25. Silentii cultor quo se solari debeat. — Ezech. 44. — Ecclesia bonis & malis differta. — Gen. 25. — Philip. 2. — Galat. 6. — Luc. 12. — Esai. 43.

A

ne omnia modo replicem, quod alapis cæsus, sputis illitus, coronatus spinis, confixus clauis, lancea perforatus, aceto & felle potarus. Hoc torcular, inquit, calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Vos ergo qui statis tota die ociosi, *attendite & videte si est labor sicut labor meus.* Vtique valde laborasti Domine mi in seruiendo mihi, iustum profecto & æquum esset vt saltem de cætero tu quiesceres, tusque tibi seruus vel ordine vicis suæ, quia ad ipsum ventum est, seruirer. Quam magno Dñe mi inutile tibi meum redemisti seruitium, qui nec ministerijs indiges Angelorum. Quam suaui & benigna arte pietatis recuperasti tibi & subdidisti contumacem seruum, vincens in bono malum, humilitate confundens superbum, beneficiis obruens ingratum. Sic nimirum sic sapientia vincit malitiam, sic carbones ignis congessisti super caput contumacis, quibus accenderetur ad pœnitentiam. Vicisti ergo Domine, vicisti rebellem: ecce do manus in vincula tua, iugoq; tuo suppono ceruicem. Dignare tantum vt tibi seruiam, patere vt tibi laborem. Accipe me seruum sempiternum licet inutilem, nisi nunc quoque mecum sit & mecum laboret gratia tua, semper & præueniens & subsequens. Præuenis nos, prior ostendēs humilitatis & patientiæ exempla: subsequatur nos adiuuans, vt imitemur ostensa. Quam felices nos ô fratres mei, si super hoc audiamus consilium Apostoli. *Hoc sentite*, inquit, *in vobis quod & in Christo Iesu præcessisse cognoscitis*: hoc est vt nullus extollatur supra se, sed magis humilietur infra se, *qui maior est, aliis seruiat*: si quis læditur, prior satisfaciat, in commune vsque ad mortem quisque obediat. His vestigiis fratres sequamur Christum in forma serui, & perueniemus ad eum videndum in forma Dei, in qua viuit & regnat, Per omnia secula seculorum. Amen.

Esa. 63.

Arte mira nos Christus sibi conciliauit.

B

Philip. 2.

Sermo de eodem II.

PAulus doctor noster in fide & veritate si hodie veniret ad nos, puto quia non iudicaret se aliquid scire inter nos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. In his siquidem diebus in quibus anniuersaria dominicæ passionis, & crucis memoria solenniter celebratur, nihil vt arbitror conuenientius prædicatur, quam Iesus Christus, & hic crucifixus. Nam & aliis quibuslibet diebus quid vnquam potest prædicari fidelius? quid audiri salubrius? qui cogitari fructuosius? Quid enim tam pium fidelium affectib⁹, tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam inter mysterio absconditam, mihi cuius imperfectum etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum: his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem & his qui salui fiunt plane Dei virtutem Deique sapientiam, mihi prorsus altissimam atque nobilissimam philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi quam carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quam prouectum in sapientia, si crucifixi vel idoneus inueniter auditor, *qui factus est nobis à Deo non solum sapientia, sed & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Omnino si Christo crucifixus es cruci, sapiens es, iustus es, liber es. An non sapiens, qui cum CHRISTO exaltatus à terra, sapit & quærit quæ sursum sunt? An non iustus, in quo destructum est corpus peccati, vt vltra non seruiat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam viuam, sanctam, placentem Deo? An non vere liber quem filius liberauit, qui de libertate conscientiæ illam vocem filij sibi assumere confidit. *Venit princeps mundi huius, & in me non habes quicquam?* Vere apud crucifixum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, qui sic redimit Israel ex omnibus iniquitatibus eius, vt princeps huius mundi calumnias liber euadere mereatur. Sciat tamen sciat quicunque est ille beatus & verus Israel non esse hoc suæ meritum perfectionis, sed diuinæ gratiam redemptionis: non scilicet quia peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius, sed quia ille cuius hæc laus propria est, Christus scilicet, purgauit peccata illius, qui per sanguinem crucis suæ purgationem peccatorum faciens, ibi maxime triumphauit principatus & potestates, vbi abscondita erat fortitudo eius. Erat abscondita, sed non perdita: quia crucifixus ex infirmitate. Viuebat ex virtute Dei. Erat occulta, sed non erat otiosa: quia crucifixus, veterem hominem in omnibus electis crucifigebat. Crucifigebat mundum Paulo, & Paulū mundo. Crucifigebat denique tyrannum huius mundi, omnesque suæ antiquæ ministros tyrannidis. Hamum plane sub esca recondebat, qui sub infirmitate fortitudinem abscōdebat. Ac perinde ille homicida ab initio sitiens humanū sanguinē dum irruit in infirmitatem, incidit in virtutem, morsus dum momordit, confixus dum crucifixum appetiuit. Gratias cruci & clauis tuis Domine Iesu: video perforatas fauces illius Draconis, vt transeant liberati, qui etiam fuerant absorpti. Et qui fiduciam habebat quod influeret Iordanis in os ei⁹, fluuium quem absorbuerat, se non minima ex parte perdidisse frendens irascitur. De illis quippe faucibus nobis isti venerunt, qui hodie nobiscum nobilem ac magnificum crucis decantant triumphum. Plane de ore leonis liberati sunt, imo de ventre inferi regressi sunt. Irascatur ergo, fremat & tabescat de cuius dentibus præda erepta est: nam Christus gratulabitur quod non gratis crucifixus est. Lugeat infernus & mors: ille morsus, ista mortua: nam cœli lætantur & exultat Ecclesia, quod Christus infernum spoliat, mortemq; triumphat. In conuersione nempe istorum triumphum suæ renouauit passionis, crucisq; miracula suscitauit. In istis crux refloruit, hunc fructum pretiosum nunc etiam arbor vitæ tulit. Quomodo nanq; maneret sterilis, quę non modo rigata, sed etiam viuifica facta est sanguine Saluatoris? Iam non pœnitebit eum, quod in palmam ascendit: cum tantum tanq; pretiosum de ea fructum collegerit. Hunc quippe fructum inter alios præuidebat, cum volūtarius ad crucem properabat. *Dixi*, inquit, *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Paucis absoluit, quod voluntate passus sit, quod passione exaltatus est, quod non sine fructu nostro passus sit. In dicto siquidem proponentis, arbitrij libertas, in ascensu triūphi, sublimitas, in apprehensione fructuum, redemptionis monstratur vtilitas. Vos insensati Iudæi clamabatis quidem. *Ascende calue ascende calue*: sed ordinationi eius libertimæ qui sponte decreuerat ascendere, non potuit furor vester nisi seruire. Ascendit crucem voluntate, triumphauit in ea potestate, fructum ex ea collegit pietate. Vno igitur opere & Iudæum irrisit, & diabolum peremit, atq; Christianum redemit. Dicant igitur qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos: dicant inquam voce & mente magistri sui. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, in qua sapientia Dei nequam infatuauit consilium, iustitia destruxit eum qui habebat mortis imperium, misericordia liberauit captiuum. Merito prorsus ô sapiens gloriaror gloriaberis in cruce Domini tui, cuius liberatus es triumpho, viuificatus mysterio, iustificatus exemplo, munitus signo. Sic enim iustæ rationis consequentia postulare videtur, vt exemplum crucifixi ad iustificationem suam imprimāt moribus, qui signum crucis ad munimen sui imprimunt frontib⁹, vt illius viuāt lege, cuius armātur fide. Alioquin fallaciter miles caracterem regis gestat, cuius præscriptum non obseruat: nec recte se tuetur illius signo, cuius non paret imperio. Vide autem quanta peruersitas & abusio sit, vt inimici crucis Christi tueri se velint signo crucis Christi, dum securi sunt, luxuriantes contra pietatē crucis, cum in periculo deprehensi sunt, volentes esse defensi virtute crucis. Plane inimici crucis Christi sunt, amici ventris sui, quorum Deus venter est, quorū Idolum nummus est. Sciat tamen sciat quicunque nunc fallaciter sibi crucifixi, signum vsurpat, nequaquam se illo tueri poterit in illa necessitate suprema, quando iam non arbitrio hominū, sed iudicio & ministerio angelorū signabitur Thau super frōtes virorum gementiū & dolentium, vt discernantur saluandi à multitudine perditorum. Sed & Paulus dux ille strenuus militiæ Christianæ, fidelis signifer, qui stigmata crucifixi in corpore suo portabat, nunc quoque in hac verorum ac falsorum multū confusione, signo vtique notabili istos ab illis discernebat, cū dicebat. *Qui aūt sunt Christi, carnē crucifixerunt cum vitiis & cōcupiscentiis.* Cauta prorsus

C

Crucis memoria nihil salubrius.

D

Abscondita erat Christi fortitudo in cruce.

E

F

Cant. 7.

G

Galat. 6.

Crucis signum in fronte gestantes, Christi regis sui mores exprimere debent.

H

Cant. 5.

& cir-

A & circumspecta diffinitio, ac velut formam referens de ipsius veritatis exemplari impresso. Nimirum quod impressum retinet vita, signantius exprimit lingua. Quia ergo Christo confixus erat cruci, de propriæ conscientiæ exemplari formam istam protulit: *qui Christi sunt carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Nouerat vir multæ scientiæ & experientiæ, multos esse aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis, & sinerent regnare vitia cordis, multos è contrario qui fiducia pacati cordis, negligerent mortificationem corporis. Sed sicut nonnunquam diuina iustitia spiritum sibi non subditum contumelijs carnis licet afflictæ flagellat: sic plerunque corpus incrassatum recalcitrat, & noua bella spiritui iam quieto resuscitat. Ea propter vult Apostolus vt crucifixis tam vitijs interioribus quam concupiscentijs exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei. Timor nempe Dei, velut quidam claui in altum defixi cruci nos configit, & velut affixos iustitiæ cõtinere nos facit, vt non exhibeamus membra nostra arma iniquitati sed iustitiæ, & licet sit, non tamen regnet peccatum in nostro mortali corpore. Sane quod timor Dei comparetur configentibus clauis, sententia est Dauid qui ait, *Confige quasi à clauis timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Si ergo nondum præuales vt vitia extinguas, in hoc vult te esse solicitum Apostolus, vt crucifigas. Non ait, qui Christi sunt extinxerunt vitia, quæ virtus paucorum est, sed crucifixerunt, sine quo salus nulla est: sicut præter crucem Christi, nulla redemptio est. Ideo namque redemptor ad operandam & informandam salutem nostram hunc passionis modum elegit, vt redemptionis sacramentum, iustificationis fieret exemplum: vt quomodo videlicet ipse similitudinem carnis peccati crucifixit, de peccato damnans peccatum: sic nos, imo multo magis nos, carnem peccatricem cruciemus crucifigentes, & si nondum extinguentes in ea peccatum. Hic recordari potes, quia Moyses ad placandam iram Domini crucifixit principes Israelitarum: Iosue autem qui & Iesus, quinque reges Amorreorum. Si enim iram Domini quam meruimus placare volumus, necesse est vt per continentiam nos cruciemus. Iesus autem noster qui nos in terram promissionis introducturus est, vitia quinque sensuum in nobis crucifiget, imo & extinguet, si tamen sicut est iussum pendeamus in patibulis vsque ad vesperum. Huius enim perseuerantiæ in cruce Saluator de seipso tibi curauit exemplum præbere, nolens consummari nisi in cruce, aut deponi de cruce ante vesperum tam diei ipsius quam vitæ suæ. Balaam dicebat, *Moriatur anima mea morte iustorum,* tu vero dic, moriatur anima mea morte Domini mei Iesu Christi, & fiant nouissima mea illius similia: vt videlicet in voluntaria cruce pœnitentiæ pendere merear vsque ad terminum vitæ. Quanta fiducia de cruce filij, in manus patris spiritum commendabis, imo quanta clementia pater suscipiet quem filius commendabit. Filius namque qui causam animæ tuæ semel in cruce suscepit agendam, nunquam eam agere desinit, apud patrem semper interpellans. Vade securus, vade gratulabundus, vbi index tuus est aduocatus tuus: tantummodo signum crucis mortificationem Iesu quam circumfers in corpore tuo, secum deferat spiritus tuus. Dominus autem gloriæ, qui pro vobis fratres passus, in vobis est glorificatus, dignetur vos habere socios passionis & gloriæ, & gloriantes in cruce glorificet in ea claritate quam habuit apud patrem ante initium sæculorum, & habiturus est per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Timor Dei cruci nos affigit.

B

Psal. 118.

Cur Deus in cruce mori voluit.

C

In cruce persistendum.

Num. 23.

D

Sermo de eodem III.

DEsiderium animæ nostræ speciosum forma præ filijs hominum. Hodierna dies [illegible] & alia specie repræsentat filijs hominum: in vtraque quidem specie spectabilem, in vtraque desiderabilem & amabilem, quia in vtraque Saluatorem hominum: licet in vna sublimem, in altera humilem in ista gloriosum, in illa ærumnosum: in ista venerabilem, in illa miserabilem, si tamen dici debet miserabilis: qui miseriam suscepit dignatione miserationis: vt de miseria sua misericordiam præstaret miseris, non vt qui sibi beatitudo est, misericordiam à miseris flagitaret. Vbi ergo miserandus videri voluit, ibi & amplius venerandus fuit. *Sed sustinui,* inquit, *qui simul contristaretur & non fuit, qui consolaretur & non inueni.* Ita qui miseratione omnium miser vltro fieri voluit, apud nullum fere miserationem inuenit. Sed vbi, inquies, spectatur hodie sublimis & gloriosus: vbi humilis & ærumnosus? Vide processionem, audi passionem. In his euidenter agnoscere poteris, quod Esaias ait, *Sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros vultus eius, & forma eius inter filios hominum.* Obstupuerunt multi de gloria quasi victoris triumphantis, cum Hierusalem ingrederetur, sed nihilominus paulo post vultus eius inglorius & despectus, cum pateretur. *Cum intrasset Hierosolymam,* ait Matthæus, *commota est vniuersa ciuitas, dicens, quis est hic?* Cum pateretur, confusio faciem eius operuit, vt vere confiteatur, Exaltatus, humiliatus sum & confusus. Sane quod hic se confusum dicit, intelligendum est secundum hoc quid alibi dicit de facie corporis: *Operuit confusio faciem meam, quia non pepercerunt in faciem meam spuere, velare, percutere & illudere.* Nam facies mentis quæ semper & immobiliter habitabat cum vultu Dei: nec turbari poterat, nec confundi. *Dominus Deus,* inquit, *auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam, vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar: In te enim Domine speraui, non confundar in æternum.* Confundantur potius illi, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego. Si igitur, vt dicere cœperam, hodierna processio simul & passio considerentur, ibi plane videtur Iesus sublimis & gloriosus, hic humilis, & ærumnosus. In processione namque cogitatur in honore Regis, in passione spectatur in pœna latronis: ibi circumdant eum gloria & honor, hic non est ei species neque decor. Ibi gaudium hominum & gloria plebis: hic opprobrium hominum & abiectio plebis. Ibi acclamatur ei, *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit Rex Israel,* hic inclamatur, Reus mortis, subsanaturque quod se fecerit Regem Israel. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur, hic alapis palmarum in faciem cæditur, & arundine percutitur caput. Ibi sublimatur præconijs, hic saturatur opprobrijs. Ibi certatim ei via sternitur vestimentis alienis, hic exuitur proprijs. Ibi tanquam Rex iustus & Saluator suscipitur in Hierusalem, hic tanquam reus & seductor damnatus eijcitur de Hierusalem. Ibi sedet in asino stipatus obsequijs, hic pendet in ligno crucis cæsus flagellis, confossus plagis, & desertus à suis. Ecce plusquam Iob hic, cui tam repente, tam vehementer omnia semel in contrarium Deus vertit. *Sufferentiam Iob audistis, finem Domini vidistis,* ait Iacobus Apostolus. Ac si diceret: Sufferentia Iob fuit vsque ad reditum substantiæ, sufferentia Domini vsque ad exitum vitæ. Iob quidem patienter damna sustinuit, sed mox in terra sua duplicia suscepit: Christus vt erat repletus miserijs, & inebriatus amaritudinibus, è mundo migrauit. Itaque plusquam Iob hic, qui de summa, vt putabatur, repente semelque deiectus fœlicitate, in extrema atque grauissima finem sortitus est calamitate. *Et hæc,* inquit, *passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces, etiam pro crucifixoribus, vt eis ignosceret.* Annon igitur recte videbitur velut turbatus tanta tamque subita rerum mutatione filius patrem interpellare illa voce lachrymabili, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Certe manus tuæ fecerunt me, in voluntate tua deduxisti me, & paulo ante cum gloria suscepisti me, & sic repente præcipitas me? Eleuans allisisti me, quasi super ventum ponens me, & elidens valide. Exaltatus, humiliatus sum, & confusus: & eo confusus amplius, quo tunc exaltatus sublimius, & nunc humiliatus profundius, quantoque tunc altius eleuatus, tantoque nunc grauius allisus. Iustum quidem est ô pater, vt qui se exaltat humilietur, & elatio indigni digna deiectione puniatur: sed nunquid similiter iustum erat, vt quem tu exaltaueras, ita confusibiliter humiliaretur? & gloriam quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? Nunquid mihi pater iratus fuisti, quod vel ad horam hic me passus sum honorati? & illud etiam perexiguum quod susceperam de bonis huius mun-

E

Psal. 68.

Esa. 52.

Matth. 21

F

Psal. 68.

Esa. 50.

G

Iac. 5.

H

Psal. 21.

A

mundi, exoluendum erat ante mortem in pœnis & contumelijs, ne postea mihi posset obijci. *Fili suscepisti bona in vita tua?* At qui tuus erat honor ô pater honor erat filij quia *qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.* Ecce exprobrant inimici tui Domine, exprobrant commutationem Christi tui: ecce gloriantur in contumelia mea & tormento, qui paulo ante cruciabantur gloria & honore meo. Nunquid non respondebo exprobrantibus mihi verbum, vt sciant aliquando qua dispensatione commutaueris Christum tuum, quo consilio sic exaltaueris mox humiliandum, vel humiliaueris exaltatum? Respondebis ô Domine Iesu, respondebis exprobrantibus tibi verbum, & verbum asperum: quando scilicet respondebit eis in facie arrogantia eorum, & arguet eos malitia eorum, videntes in quem transfixerunt. Cum enim videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & maiestate, tunc scient quod modo nolunt credere: quia illius posterioris gloriæ, prior hodiernæ processionis gloria, mysterium fuerit & figura: sicut passionis

B

contumelia, meritum & causa. Tunc intelligent, quia Christus nunc honoratus, nunc ludibrio habitus, his qui pereunt positus est in offensionem & ruinam: sicut his qui salui fiunt in resurrectionem & doctrinam: quia quod sacramentum est redemptionis, simul est etiam documentum ædificationis. Sic enim postulabant merita superborum, vt eorum superbiæ, & honor Christi fieret scandalum, & mors præcipitium: atque inuidiam iuste pereuntium gloria triumphantis excitaret, morientis pœna damnaret. Cæterum his qui salui fiunt, id est nobis, omnino erat necessarium vt Christus transiens viam huius mundi, sequentibus se viam sterneret: sicut per aduersa: sic etiam per prospera: atque prius exaltatus, post humiliatus, suo traderet exemplo qualiter modestia seruaretur in honore, patientia teneretur in contumelia vel dolore. Ipse siquidem honorari potuit, inflari non potuit: voluit despici, sed nesciuit aut pusillanimitate deijci aut ira morderi. Sicut enim alias cum vellent eum rapere & facere regem, ipse

C

refugiens & in solitudinem ad orandum aufugiens, docuit exemplo quod dixit & verbo, ne scilicet velimus in sublime tolli: sic modo quadam alia dispensatione sese ad horam honorari patiens, & nihilominus solitam quia insolitam mansuetudinem in honore retinens, formam dabat his qui in potestate sunt constituti. Qui tamen vt discerent ea discretione per humilitatem esse mansueti, vt cum res postularet per zelum essent erecti, Dominus statim in templum regressus, flagello facto de funiculis vindicat iniurias patris magisque eligit furorem sacerdotum in necem suam prouocare, quam templi prophanationem dissimulare. Vt igitur fratres inoffenso pede tam per prospera quam per aduersa sequamur ducem nostrum, in processione consideremus eum in honore positum, in passione contumelijs & doloribus subditum: nunquam tamen in tanta mutatione rerum mente mutatum, & si vultum immutauerit coram Abimelech, id est, regno Iudæorum: quam commutationem Christi cæcitas exprobrat perfidorum.

Mansuetudo quũ opus est, Zelum habere decet.

D

De immutabili mentis illius statu dicit Scriptura: *Homo sanctus in sapientia permanet sicut Sol, nam stultus vt Luna mutatur.* De mutatione faciei illius dicit alia Scriptura: *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius immutabit.* Prorsus in vultu tuo Domine Iesu qualitercunque videatur immutatus, siue gloriosus, siue inglorius appareat, lucet sapientia: de vultu tuo candor lucis æternæ radiat, vtinam super nos lumen vultus tui Domine effulgeat. Vultus tuus sicut in tristibus sic in lætis sibi modestus, serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus: iustis hilaris & iucundus, pœnitentibus clemens & pius. Intendite fratres in vultum serenissimi Regis. *In hilaritate vultus Regis vita*, dicit Scriptura, *& clementia eius quasi imber serotinus.* Aspexit in protoplastum, & mox animatus spirauit in vitam: respexit Petrum, & mox compunctus respirauit ad veniam. Mox enim vt Dominus respexit Petrum. Petrus de clementia pijssimi vultus suscepit imbrem serotinum, lachrymas post peccatum. Lux vultus tui ô lumen æternum, teste Iob, non cadit in terram. *Quæ enim communicatio luci ad tenebras?* Animæ potius fidelium radios illius

Eccles. 27.
Eccles. 8.
Prou. 16.
Aspectus in nos Dei clementiæ signum.
Iob 25.

E

excipiant, aspiretque bene conscijs lætitiam, saucijs medicinam. Plane vultus triumphantis Iesu qualis spectandus est in processione, lætitia & iubilus: vultus morientis, qualis cogitandus est in passione, medela & salus. *Qui timent te videbunt me*, inquit, *& lætabuntur*: qui dolent se videbunt me, & sanabuntur, sicut aspicientes in serpentem ligno suspensum post venena serpentium. Te igitur gaudium & salus omnium seu videant sedentem in asino seu pendentem in ligno, vota benedicant omnium: vt cum viderint regnantem in throno, laudent in sæcula sæculorum, cui laus & honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

O*Sanna filio Dauid.* Vox exultationis & salutis, vox gaudij & pietatis, vox fidei & amoris, aggratulans aduentui redemptoris atque Prophetico protestans gaudio desideratæ lætitiam redemptionis. *Osanna filio Dauid*, ait hæc familia Dauid, salus est illi qui factus est ex semine

Matth. 21.

F

Dauid, vt saluet eos qui sunt ex fide Dauid. *Laudate, laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, dicite, Sit nomen Domini benedictum, sit benedictus qui venit in nomine Domini.* Ex ore istorum perfecisti ô pater laudem filij tui, vt incorrupto simplicis innocentiæ testimonio, destruas inimicum & vltorem: Pharisæum & Pontificem: non vltorem diuinæ legis, vt mentita est iniquitas sibi, sed inuidiæ propriæ & furoris. Sed conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. 10 *Deus laudem meam ne tacueris*, ait filius patri: *quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.* Nihil potest negare pater filio, non tacuit laudem filij vox paterna sæpius audita de cœlo, non tacuerunt creaturæ, in tot signis & prodigijs confitentes eum auctorem naturæ: Angeli testati sunt, dæmones confessi sunt, ordo Propheticus atque Apostolicus voce consona sibi inuicem respondentes cecinerunt: sed ista demum perfecta laus est, quam ætas illa non tacet, quæ nescit adulari, & quod spiritus suggerit, dissimulare non potest.

Psal. 108.

G

Quid enim manifestius, quam quod illa ætas à semetipsa, tam noua, tam insolita, nec dicebat, nec faciebat: sed Spiritus sanctus more suo per ora simplicium loquens, testimonium filio perhibebat? Plane Spiritus sanctus conscius operum Christi, quid ille scilicet Christi pareret aduentus, quid gaudij, quid salutis humano generi passio parturiret illius, præsaga in cordibus innocentium gaudia suscitabat, atque ad prophetandam mundo redemptionis lætitiam, simplicium sibi ministeria sensuum assumebat. Istos nempe Spiritus alloquebatur, vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: cum per Prophetam suum dicebat, quæ hodie per ipsum facta sunt: mandabat tunc, & nunc creata sunt. *Exulta*, inquit, *satis filia Syon, iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator, ipse pauper & ascendens super asinum.* Iam, inquit, exulta satis, quæ hactenus in tristitia fuisti, iam te satia, si tamen satiari potes gaudio ineffabili, quod sic desiderium satiat, vt amplius & fœlicius esurire faciat. *Repleatur gaudio os tuum, & lingua tua exultatione*, cui si nec os, nec lingua possunt sufficere, supereffundat iubilus, quod non capit affectus. *Iubila*, inquit, *filia Hierusalem: Beatus* enim *populus, qui scit iubilationem.* Plane beatus populus, qui scit & intelligit hodie sibi ineffabiliter gaudendum, quando ei Saluator aduenit promissus & expectatus ab initio sæculorum. Beatus populus, qui tota alacritate deuotionis hodie ei occurrit, corde simul & voce acclamans ei: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hoc siquidem benedictus est à patre filius, vt qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non vna scilicet sed pluribus: quia nimirum benedictio quam Domino quis fœneratur, cum multiplici fœnore redit in caput eius. *Væ genti peccatrici, semini nequam, filijs sceleratis*, ad quos spectat illa Domini querela terribilis. *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam, omnes maledicunt mihi dicit Dominus.* Iudaicus populus hic erat, qui in ratione dati & accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere benedictum Dei patris, vt benediceretur ab eo, sed Samaritanum, dæmoniacum vocans, insanis atque blasphemis Deum insectabatur maledictis. Maledicent illi, inquit, & tu benedices:

Zach. 9.
Psal. 88.
H
Ibidem 117.
Hier. 15.

A dices: nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite gentes Deum nostrum, quoniam qui prior fœnerauit vobis, præueniens vos in benedictionibus dulcedinis, fœnerantibus sibi multiplices restituet vsuras in benedictionibus beatitudinis. Ego tamen vereor fratres mei, ne forte hæc tempora teporis & infidelitatis tangat illa querela Domini, *Non fœneraui nec fœnerauit mihi quisquam:* quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur: promittitur merces operi, & vix aliquis spe illius operatur. Dominus siquidem fœnerat, cum talenta seruis partiens scientiam verbi vel gratiam cuiuslibet muneris ad lucrum prærogat: Domino autem fœnerat iucundus homo qui miseretur & commodat, dicente Scriptura: *Fœneratur Domino, qui misericordiam facit proximo.* Imo Domino fœneratur quicunque spe diuinæ retributionis aliquid operatur, vt dicere possit: Scio cui credidi, scio qui dixit, *Si quid erogaueris, cum rediero reddam tibi.* Nos autem aut nihil, aut ita timide gelideque fœneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat, vnde reddere possit. B Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ cum eum pauperem sedentem super asellum, & ipsum non suum cerneret: omni tamen securitate ac deuotione fœnerabat ei, non solum vestimenta sua in via sternens, sed & se totam quantum poterat honori eius impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum & pauperem, quippe cui Propheta signum dederat intelligendi Saluatorem, ipsam qua superbis viluit paupertatem. *Ipse,* inquit, *pauper & ascendens super asinum.* Hoc inquit signo poteris venientem agnoscere Regem tuum, cuius regnum non est de hoc mundo: quia scilicet ad debellandam superbiam quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem euangelizabit, sicut verbo, sic etiam exemplo. Beata itaque filia Syon quæ humilitatem tanquam armaturam cœlestem, tanquam insigne regium didicit venerari. Misera mater eius infidelis illa Syon, quæ cum humilem vidit, fastidiuit: cum honoratum vidit, inuidit. Beata inquam Ecclesia primitiuorum, quæ tam fideliter agnouit tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini: C infœlix Synagoga perfidorum, quæ venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui patris gloriam quærebat, cruciabatur honore. *Increpa,* inquiunt, *discipulos tuos:* quasi scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius puritas vanis posset laudibus delectari. *Dico,* inquit, *vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt, quia Deus laudem meam non tacebit.* Prorsus ita est, si tacuerint, lapides clamabunt: quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamauerunt, dum in testimonium & laudem morientis, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. Prorsus ita est, quia modo tacente Synagoga, iuxta illud: *Noctе tacere feci matrem tuam,* clamat viuis ex lapidibus gentium Ecclesia, clamant plane lapides, de quibus suscitauit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate,* inquit Propheta, *habitatores petræ, de vertice montium clamabunt. Ecce hodie in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ vox columbæ resonat, clamantis & dicentis: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* D Benedictus, qui vt nidificare possem in foraminibus petræ, manus pedes & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. Opportunum quidem petra refugium erinacijs, sed & habitatio grata columbis, cuius foramina tot vulneribus toto fere corpore patientia, & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt iustis. Imo vero tuta habitatio fratres mei, turrisque fortitudinis à facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque & amore crucifixi, animam ab æstu carnis, à turbine sæculi, ab impetu diaboli conturari. Super omnem gloriam mundi protectio huius tabernaculi, videlicet in vmbraculum diei ab æstu, in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia: vt per diem sol non vrat te prosperitate, nec turbo moueat in tempestate. Ingredere igitur in petram ô homo, abscondere in fossa humo, pone tibi latibulum in crucifixo. Ipse petra ipse humus, quia Deus & homo: ipsa petra forata, humus fossa, *quia foderunt manus meas,* inquit, *& pedes meos. Abscondere,* inquit, *in fossa humo à facie timoris Domini:* hoc est ab ipso, fuge ad ipsum: à iudice, ad redemptorem: à tribunali, ad crucem: à iusto, ad misericordem: ab eo qui percutiet terram virga oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidijs cruoris sui: ab eo qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum viuificat extinctum. Quinimo non ad ipsum tantum, sed in ipsum fuge, in foramine petræ ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fosso latere teipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ saluandis à facie diluuij? Illud tamen figura, istud autem veritas: vbi non modo seruatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius & misericors aperuit, vt cruore vulneris viuificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspiret. Ibi tuto latebis, donec transeat iniquitas: ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat charitas: ibi delicijs affflues, ibi gaudijs supereffllues: vel tunc demum cum à vita capitis tua & omnium membrorum corporis eius absorpta fuerit mortalitas. F Merito itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta quam grata ad nidificandum parauere foramina, laudes ipsius vtique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus petræ vox suauis in auribus sponsi resonat. Cæterum vobis fratres mei qui tanto secretius nidificastis in foraminibus petræ, quanto secretius viuitis in Christo, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, vobis incumbit omnino, vt quorum est conuersatio quietior & tutior, sit etiam deuotio dulcior, præsertim hodie, cum & recursus temporis, & repræsentatio operis, velut interesse nos facit illi gaudio solenni quo susceptus est in Hierusalem, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ipsi benedictio, regnum & imperium, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Prou. 19.

Signum saluatoris paupertas. Zach. 1.

Luc. 19.

Osee 4.

Esa. 42.

Cant. 2.

Christus se totum perforari passus est, vt in eo nidificaremus.

Esa. 2.

Christus petra forata.

Ostium in latere arcę typus erat vulneris in latere Christi.

De Resurrectione Domini, Sermo I.

G *NVnciauerunt Iacob dicentes, Ioseph viuit.* Quo audito, reuixit spiritus eius & ait, *Sufficit mihi si Ioseph filius meus viuit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Dicetis forsitan mihi, Bene, sed quid ad rem? Quid de Ioseph ad gaudium huius diei, ad gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, & tu iterum apponis quadragesimalia? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparauit ieiunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Iesu, Iesum desideramus: si nondum meremur ipsum videre, vel de ipso audire. Iesum non Ioseph esurimus: Saluatorem, non somniatorem: dominatorem cœli, non Ægypti: non qui pauit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adiuuet sermo tuus, vt quem esurimus, amplius esuriamus. Legimus enim: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur.* Cum audimus, magis [illegible] surimus: Nam & quæpulas commendat, famem irritat. H Si de Iesu audierimus, auditui nostro dabitur gaudium & lætitia, & exultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione & luctu, magis autem dolore passionis eius: sed exultabunt nuncio resurrectionis eius. Cur ergo tuum Ioseph nobis ingeris, cum præter Iesum quicquid loquaris non sapiat nobis: præsertim hodie, cum Paschalis agnus comeditur, cum Pascha nostrum immolatus est Christus? Ouum siue nucem apposui vobis fratres: frangite testam, & inuenietis escam Ioseph discutiatur, & Iesus inuenietur agnus Paschalis quem esuritis: qui tanto dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, & studiosius quæritur, & difficilius inuenitur. Dicitis mihi, quid Ioseph ad Christum? quid historia quam proposui ad diem istum? Multum per omnem modum Historiam recordamini, & vltro sese vobis reuelabit pietas mysterij, si modo Iesum interpretem habeatis, qui hodieque resurgens, de occidente litera loquitur suis in via, & aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis & Prophetis manifestius aut

Genes. 45.

Matth. 5.

signan-

A signantius quam Ioseph figuram exprimit Saluatoris? & vt breuiter summam perstringam secundum illud, Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia, si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis eius, deinde quod præ cæteris fratribus pulchra facie & decorus aspectu: quod innocens actu, prudens intellectu, quod venditus à suis, suos à morte redemit: quod prius humiliatus vsque ad ergastulum, & sic exaltatus vsque ad solium: quod denique pro merito operis sui nouo nomine appellatus est inter gentes, Saluator mundi: si hæc omnia inquam pie ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus, quam vere sit à Domino dictum, *In manibus Prophetarum assimilatus sum?* Iam vero si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quam admirationem & gaudium mouebunt: quod videlicet tam euidenter resurrectio Christi testificata sit à lege & Prophetis, & historia vetus tam proprie noua sacramenta loquatur: vt cum Prophetia legitur, pene Euangelium mutatis duntaxat nominibus audiri videatur.

(Margin: Ioseph Christi num ex- ssit. — a 13.)

B Nunciauerunt (inquit) Iacob dicentes, *Ioseph viuit.* Quid aliud hic intelligere possum: nisi nunciauerunt Apostolis dicentes, Iesus viuit? Iacob namque nihil aliud quam Apostolorum chorum intelligo, nec absurde vt arbitror: non solum quia de Iacob orti sunt, non solum quia de Iacob Israel facti sunt, cum de lucta actiuæ ad visionem & requiem contemplatiuæ transierunt: sed etiam quia patres sunt multitudinis credentium, id est, verorum Israelitarum sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti suum Ioseph cum putarent periisse, inconsolabiliter doluerunt: cum audissent viuere, difficulter & tarde crediderunt: cum cognouissent, ineffabiliter gauisi sunt. *Nunciauerunt* (inquit) *Iacob dicentes, Ioseph viuit.* Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. Quasi alijs verbis mihi videtur dictum, quod in Euangelio legitur scriptum. Illa vadens, haud dubium, quin Maria Magdalenæ nunciauit his qui cum ea fuerant lugentibus & flentibus: & illi audientes quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt.

C (Luc. 24.) *Post hæc ostensus est duobus in via, & illi exeuntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt.* Item apud Lucam. *Et regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus, & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis;* nimirum quia euigilabant de graui somno tædij & desperationis. *Cum autem,* inquit, *vidisset Iacob vniuersa quæ Ioseph miserat ei, reuixit spiritus eius, & ait, Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Sic vtique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam & ipse Iesus cum se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quam aspiratione muneris. Scitis quia cum venit ad eos ianuis clausis & stetit in medio eorum, illi conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre. (Ioan. 20.) Cum autem insufflauit in eos dicens, *Accipite Spiritum sanctum,* vel cum cœlitus misit eundem Spiritum, sed aliud donum, hæc vtique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia (Ioan. 5.) [fu]erunt & argumenta. Spiritus enim est qui testificatur a[p]ud sanctorum corda & per eorum ora, quoniam Christus est veritas, vera resurrectio & vita.

D Ideo & Apostoli qui prius dubitabant etiam post intuitum corporis viuentis, post gustum spiritus viuificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeo plus est corde Iesum concipere, quam oculis videre, vel auribus de ipso audire, tantoque potentior est operatio spiritus apud sensus hominis interioris, quam corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus: vbi qui testificatur & cui testificatur, vnus fuerit spiritus? Si vnus spiritus & vnus sensus, parque consensus. Tunc ergo vere sicut de Iacob legitur, Reuixit eorum spiritus, qui iam propemodum luctu erat extinctus, imo desperatione sepultus. Tunc (nisi fallor) quisque eorum dicebat sibi, *Sufficit mihi quod Ioseph meus viuit,* quia *viuere mihi Christus est, & mori lucrum.* Vadam igitur in Galilæam, in montem vbi constituit nobis Iesus, & videbo eum, & adorabo antequam moriar; quia *omnis qui videt filium & credit in eum, habet vitam æternam, vt etiamsi mortuus fuerit viuat.* Nunc ergo fratres mei quid vobis restatur gaudium cordis vestri de a-

E morte Christi? Puto equidem (an recte vos videritis) quoniam si vnquam amastis Iesum, seu viuum, seu mortuum, siue rediuiuum; hodie cum tam crebro in Ecclesia personant & consonant nuncij resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi & dicit: Nunciauerunt mihi dicentes, Iesus Deus meus viuit. Quo audito reuixit spiritus meus qui dormitabat præ tædio, vel languebat tepore, aut nimia deficiebat pusillanimitate. Nam & de morte suscitat criminosos iucunda vox huius fœlicis nuntij. Alioquin certe desperandus est & obliuione sepeliendus, quem Iesus regrediens ab inferis, in infimo reliquit inferni. (Argumentum spiritus vitæ in nobis.) In hoc sane noueris quod spiritus tuus plene in Christo reuixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit; Sufficit mihi, si Iesus viuit. O vocem fidelem & plane dignam amicis Iesu! ô castissimum affectum qui sic loquitur; Sufficit mihi si Iesus viuit. Si viuit viuo, cum de ipso pendeat anima mea; imo ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Iesus viuit? Imo desint omnia alia, nihil interest mea, dummodo Iesus viuat.

F Ipse ergo, si placet ei, desim mihi; sufficit mihi, dummodo viuat ipse vel sibi. Cum sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, vt negligens & immemor sui non nisi Iesum Christum, & ea quæ sunt Iesu Christi sentiat: tunc demum, vt arbitror, perfecta est in eo charitas. Huic vtique qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat, & fidenter dicat: *Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Nos tamen fratres mei licet non simus tantæ nobis puritatis conscij, eamus nihilominus eamus videre Iesum in montem Galileæ cœlestis, vbi constituit nobis. Eundo crescet affectus, & saltem perueniendo perficietur. Eundo, via prius arcta & difficilis dilatatur, & virtus infirmis augetur. Vt enim nec Iacob, nec aliquis de domo Iacob se excusaret à via, præter alia munera, missa sunt pauperi seni sumptus & vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem. (Caro Christi viaticum.) Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israel & auriga eius.

G Cum perueneris, tua sunt optima quæque non Ægypti, sed cœli: in optimo loco regni, tuus Ioseph tibi requiem prouidit. Qui prius misit angelos, mulieres, & Apostolos resurrectionis suæ testes & nuntios: nunc ipse clamat è cœlo. Ecce ego quem mortuum lugebatis hoc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce viuo, & data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *Venite ad me qui laboratis fame, & ego reficiam vos. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paraui.* Qui vos eo vocat, ipse perducat, vbi cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. (Apoc. 20.) *Ego sum,* inquit Iesus, *resurrectio & vita.* (Ioan. 11.) Ipse vtique resurrectio prima, ipse & resurrectio secunda.

H Resurgens quippe à mortuis primitiæ dormientium Christus, & sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, & exemplo eiusdem suæ resurrectionis operabitur nobis secundam. Prima enim est animarum, cum eas sibi conresuscitat in nouitatem vitæ: secunda erit corporum, cum *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* (Christus resurrectionem & vitam cur se esse dixerit.) Recte igitur resurrectionem & vitam Christus se profitetur: quandoquidem per ipsum & in ipsum resurgimus, vt secundum ipsum & apud ipsum viuamus; nunc quidem secundum ipsum in sanctitate & iustitia, postmodum apud ipsum in beatitudine & gloria. Porro sicut resurrectio prima capitis nostri Domini Iesu Christi, causa est & argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius ipsius corporis; sic vnicuique nostrum prima resurrectio animæ qua reuiuiscit à morte peccati, argumentum est & causa secundæ suæ resurrectionis, qua corpus liberabitur non modo à corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quod enim hæc illius argumentum & causa sit, Apostolus euidenter ostendit vbi ait: *Si spiritus Christi habitat* (Rom. 8.)

in vo-

A in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Bene igitur dicitur, Beatus & sanctus qui habet partem in prima resurrectione: sanctus videlicet propter primam quam iam adeptus est per innouationem animæ, beatus propter secundam quam fœliciter expectat in corporis restitutione. Denique vnde beatus sit, eadem aperit Scriptura cum subdit: *In his*, scilicet qui partem habent in prima resurrectione, *mors secunda non habet potestatem*, etiamsi prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. Regnauit quippe mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Sed sicut Christus, sic & Christianus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Itaque in beatis illis nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit retinebit: quoniam mors vna Christi, vtramque nostram triumphauit: ab ista liberans iam captos, ab illa capiendos: ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus. Quam vera quam pia simul & magnifica illa morientis comminatio. *Ero mors tua ô mors.*

Apoc. 20.

Christi mors vtrãque nostram mortem deuicit.

B Osee 13.

Quam pulchre & mirificè triumphauit, qui mortem pro omnibus gustans, tam suam quàm omnium omnimodam mortem absorbuit. Prorsus *absorpta est mors in victoriam.* Securus insultet ei quicunque beatus ille est, qui partem habet in resurrectione prima. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Victa es quæ omnia vincebas: sed & arma perdidisti in quibus confidebas. Vbi enim est stimulus tuus? Stimulus mortis peccatum, quod semel pungens humani radicem generis, in totam propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo: quia *per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors*, & ita in omnes homines pertransiuit. Victrix ergo regnabat mors ab Adam primo etiam vsque ad secundum: quoniam sicut originali lege tenebatur vniuersum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam tam peccati quam mortis: vtique per Dominum Iesum Christum, qui prorsus à peccato immunis, ac per hoc liber à debito mortis: hanc tamen vltro pro nobis exoluit moriens, & peccato nos absoluit resurgens. *Christus enim*, ait Apostolus, *mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Moriens namque delictorum nostrorum pendit pœnam, & resurgens iustificationis perpetuæ nobis condidit formam & causam: vt quomodo videlicet Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: sic Christianus conresurgens Christo iam non peccet ad mortem, nec ei peccatum vltra dominetur. Hic est ille beatus & sanctus, qui partem habet in resurrectione prima, in quem nec potestatem habebit mors secunda: sed absorbebitur in victoriam resurrectionis Christi etiam mors prima. Hic est qui non solum agnouit, sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, & societatem passionis illius: configurans morti eius, vt occurrat ad resurrectionem ex mortuis. Non errabat Apostolus qui ob lucrum istud omnia quæ ei lucra fuerant, non solum detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur, tantum vt Christo inueniretur configuratus sicut morti, sic & resurrectioni ipsius. Lucrosum omnino commercium, contemnere ea quæ te deterunt & polluunt, vt lucrifacias Christum: imo si opus sit, non solum tua, sed & teipsum superimpendere, vt cum tanto fœnore immortalitatis & gloriæ, teipsum merearis recipere. Quis enim ambigat lucrosum esse commercium seminare corpus mortale, animale, ignobile, vt surgat immortale, spirituale, gloriosum? mori mundo, vt possis dicere, mihi viuere Christus est & mori lucrum? O cupidi qui immoramini studio lucrandi, cur non discitis artem lucrandi? Cur non vilia, imo detrimenta & stercora contemnitis, vt Christum lucrifaciatis? *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Vt video vilior est vobis argento vestro panis ille qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Sed non potest scire* quanti sit, qui non vult gustare qualis sit. Vtinam auarus vel ipse sibi pretiosior esset pecunia sua,

1. Cor. 15.

Rom. 5.

C

Rom. 4.

D

Lucrosum negotium cõtemnere mundum, vt lucrifacias Christum.

Esa. 55.

* quantus.

E nec amore illius venalem exponeret animam suam, proijceretque in vita sua intima sua. Prudens ille negotiator dignusque rerum æstimator, Paulum nimirum loquor, qui nec animam suam, id est, animalem, sensualemque vitam pretiosiorem facit seipso: id est, spiritu suo, quo videlicet connexus inhærebat Christo, paratus animam perdere, vt in vitam æternam posset eam custodire. Quia igitur qui diuitias habent, difficile intrant in regnum cœlorum, & qui thesaurizant argentum, citius appendunt illud in inanibus quam in panibus: in azymis dico syncaritatis & veritatis, cum quibus hodie comedendus est agnus paschalis: vos beati pauperes, filij pauperis crucifixi, vos inquam qui non habetis argentum, properate emite & comedite. Promptius omnino & facilius emunt bonum illud, nihil habentes, quam multa possidentes. Cum deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas: qua plerumque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores. Hos nimirum recte inuitat Scriptura, *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.* Vides ô fœlix pauper solam à te voluntatem bonam exigi, in illa sola rationem tanti constare commercij? Ne recuses ingratus quod tam gratis offertur, imo ne perdas ingrata voluntate, quod iam merueras beata paupertate. Agnosce quanti lucri sit, non habere partem in ruina mundi, vt partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantæ fœlicitatis sit non inebriari luxu & furore sæculi, vt cum Christo nouum bibas vinum in regno patris sui. Inuitat ipse agnus paschalis amicos ad delitias corporis & sanguinis sui, *Comedite*, inquiens *amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Cibus iste & potus, vitæ est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa resurrectionis primæ, pignusque secundæ: quia diuinæ plane in nobis initium substantiæ. *Participes*, inquit Apostolus, *Christi effecti sumus*, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus. Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum reuertitur, diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Vel certe panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: quia nimirum gratia percepta in pœnam conscientiæ vertitur, cum sanguis testamenti quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, & spiritui gratiæ contumelia irrogatur. Hoc contemptu & nausea diuitiæ deuoratæ euomuntur, ita vt de eo, qui einsmodi est, dicatur: *Non remansit quicquam de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis illius.* Videat autem ne forte & ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui cum per gratiam deuotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoria retinet, vt memoriam abundantiæ suauitatis diuinæ nobis eructet: non saporem in sermonibus tanquam gustum in faucibus, non virtutem in moribus tanquam succum in visceribus: sed dum statim totum per inania vel scurrilia reuomit, gratiam sibi in iram conuertit. Prorsus in iram, & iram terribilem, si in ipsum cadit quod Scriptura contexuit dicens: *Cum satiatus fuerit artabitur, & irruet in eum omnis dolor.* Vtinam impleatur venter eius, vt immittat in eum iram furoris sui, & pluat super eum bellum suum. Iustum quippe sentiebat atque consentiebat Propheta, vt pluat super peccatores bellum, qui ad pluuiam voluntariam, fructum paucis non retulerunt: sitque *ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*, qui calicem Domini indigne biberunt. *Terra* enim *sæpe venientem bibens imbrem, & generans herbam opportunam, accipit benedictionem: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Confidimus autem de vobis fratres meliora, & viciniora saluti, tantum gratiæ Dei grati sitis: & sicut in nouam creaturam translati esse paschalibus mysterijs, sic in nouitate vitæ semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione sacramenti, communione Spiritus sancti: initium substantiæ eius non solum vsque ad finem firmum retinere, sed etiam sedulo augere nitimini: vt qui per tot munerum prærogatiuas partem habere cœpistis in resurrectione prima, tanti fiducia pignoris in die agnitionis consignati, ius vobis perpetuum vindicetis in resurrectione secunda: præstante Domino

Act. 20.

Esa. 55.

F

Lucri magni est nõ habere partem in ruina mundi.

Cant. 5.

Eucharistiæ virtus.

Heb. 3.

Negligentibus gratiam Dei quid mali eueniat.

G

Iob. 20.

Ibidem.

H

Heb. 6.

A nostro Iesu Christo resurrectione & vita nostra, qui pro nobis mortuus per triduum, iam viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

Apoc. 20. B*Eatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Primitiæ dormientium Christus, primogenitus ex mortuis, qui sua resurrectione quæ prima est omnium, & primam nobis resurrectionem animarum, & secundam corporum dedicauit: dum in corpore suo quod suscitauit à mortuis, & animabus sacramentum, & corporibus exemplum resurgendi nunciauit. Sed & animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparauit, dum & quotidie reuiuiscunt à morte peccati per operationem mysterij, & hodie maxime resurgunt à somno torporis per deuotionem gaudij. Quis enim ille tam piger, aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, B *Resurrexit Dominus*, non totus in exultationem suscitetur, non totus reuiuiscat & recalescat spiritu? Imo & *cor meum & caro mea exultauerunt*, inquit, *in Deum viuum*, qui totus concideram in mœrorem ac desperationem, Iesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec paruo fœnore gaudij, Iesus mihi de sepulchro redit: dum & Deus viuus agnoscitur, qui paulo ante vt homo mortuus lugebatur, & quem occisum cor meum dolebat, iam in eum viuum non solum cor meum, sed & caro mea exultat, de sua scilicet per eum resurrectione & immortalitate secura. O anima mea, *ego dormiui & exurrexi*, ait Christus: surge & tu quæ dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Annon fratres mortuo similis, qui adhuc stertit orto iam sole, qui adhuc negligentia & socordia premitur, quasi desperato sepultus torpore, iam vbique gratia resurrectionis rutilante? Ferit oculos sol nouus emergens ab inferis, his qui de mane vigilant ad eum, diem reserans æternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet vltra sol eius, qui semel occidens, semel ascendit C super occasum, mortem sibi subijciens. O fratres, *hic dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo.* Exultemus in spe eius, vt videamus & gaudeamus in luce eius. Exultauit Abraham vt videret diem Christi, & hoc merito vidit, & gauisus est. Nam & tu quoque si vigiles quotidie ad fores sapientiæ, & obserues ad postes eius, peruigil*Sap. 6.*que excubes cum illa Magdalena ad ostium monumenti eius: probabis ni fallor, & ipse cum eadem Maria, quam verum sit quod de ipsa sapientia, quæ Christus est, legitur, Facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat: qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. *Prou. 8.* Sic enim & ipse promisit dicens: *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.* *Vigilandum est sedulo.* Inuenit quidem Maria corporaliter Iesum ad quem vigilabat, ad cuius monumentum cum adhuc essent tenebræ excubare venerat. Tu vero qui iam non debes nosse Iesum secundum D carnem, sed secundum spiritum: spiritaliter nimirum eum inuenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter peruigilem in oratione aduerterit. Dic ergo Domino Iesu desiderio & affectu Mariæ: *Esa. 26.* *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te.* Dic voce & mente Psalmistæ: *Psal. 62.* *Deus Deus meus, ad te luce vigilo, Sitiuit in te anima mea:* & vide si non cum ab eis *Psal. 89.* tibi cantare congruerit: *Repleti sumus mane misericordia tua, & exultauimus, & delectati sumus.* Vigilate ergo fratres in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti: præsertim quia iam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis & gratior ab inferis redijt, solemque nouum susceptio matutina reparauit. Prorsus hora est iam nos de somno surgere, postquam nox præcessit, dies autem appropinquauit. Vigilate, inquam, vt oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cuius quasi diluculum præparatus est egressus, paratus vtique vigilantibus ad se mysterium suæ matutinæ resurrectionis sæpius innouare. Tunc vtique cantabis in iubilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis: Hic dies quem fecit* E *Dominus exultemus & lætemur in eo:* cum videlicet lucem quam in manibus abscondit, interlucere tibi permiserit: annuncians de ea amico, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. *Vsquequo piger dormis? vsquequo dormitas?* *Sap. 5.* Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias, & cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulchro surrexerit, & gloria eius transeunte, nec posteriora eius videre merueris: tunc sera pœnitentia planges, & dices cum impijs, *Ergo errauimus à via* *Malach. 4.* *veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Vobis autem* (inquit) *timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ: & qui ambulat in iustitijs, Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Et id quidem beatitudo est vitæ sequentis, sed iuxta quendam modum indulgetur etiam ad consolationem præsentis, sicut euidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta sapientia nobis probauit, quomodo dignos seipsa circuit quærens, & in vijs suis ostendit se illis hilariter, & in omni prudentia occurrit illis. F Vt enim Iesus se illam esse sapientiam de qua hæc scripta sunt ostenderet, & quod quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in vijs iustitiæ se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret: in via hodie occurrit mulieribus à monumento redeuntibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emaus. *Luc. 24.* Audiant & gaudeant qui in vijs iustitiæ ambulant: audiant inquam, quia non solum inhærentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes iuste ac pie vias actionis, Iesus dignatur & occursu & manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor, experientia quorundam vestrum, quia sæpe Iesus quem quæsierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec inuenerunt, inspiratus occurrit eis in vijs laborum. Tunc nimirum accesserunt & tenuerunt pedes eius: quorum scilicet pedes non tenuerat pigritia, præ desiderio eius. Noli ergo tu frater nimis parcere pedibus tuis à vijs obedientiæ & discursibus operum, quandoquidem Iesus pedibus suis non pepercit propter te etiam à dolore clauorum, & adhuc eorundem amplexu & osculo pedum, non grauatur laborem remunerare, aut releuare G pedum tuorum. Nam & illud quantæ consolationis erit, si se tibi viæ comitem adiunxerit, miraque delectatione suæ sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiens tibi sensum vt intelligas Scripturas, quas fortasse domi sedens legebas, & non intelligebas? Obsecro vos fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio diuina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de Iesu, cum loqueretur vobis in via, & aperiret Scripturas? Recordentur igitur illud experti, & cantent in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini: credant & experiri satagant inexperti, vt aliquando & ipsis cantabiles fiant iustificationes Dei, in loco peregrinationis suæ & afflictionis. Resurgat itaque ac reuiuiscat spiritus omnium nostrum, siue ad vigilantiam orandi, siue ad instantiam operandi: vt quadam rediuiua ac viuida alacritate probet se de nouo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitæ in hominem redeuntis indicium est, si strenuus & impiger sit ad actionem: nam perfecta re- H surrectio eius est in hoc duntaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non ante promeretur intellectus, quam crebris suspirijs & vehementibus desiderijs dilatetur affectus, vt tantæ nimirum capax maiestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus incrementum resurgendi, signanter figuratum arbitror in mortuo quem Helisæus suscitauit, qui cum ad vitam redire inciperet, primo dicitur, quia calefacta est caro pueri: deinde, quia septies oscitauit, & sic demum oculos aperuit. *4. Reg. 4.* Caro pueri, cor carneum est in Christo paruuli, cui prima spes vitæ est si dicere possit, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quanquam & vestimenta eius calida sint, cum terra eius perflata fuerit austro, spiritu vtique sancto, quem verus Helisæus præueniendo aspirat rediuiuo. Amplius autem & euidentius ad resurrectionem proficit, cum desiderio & esurie quadam iustitiæ oscitare frequentius incipit: illo scilicet modo quo oscitabat, qui dicebat: *Psal. 118.* *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Oscitatio quippe ista, disten-

A distensio est affectus, vt capacior fiat spiritus vitæ, quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus & sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deum faciat aperire. Primus ergo calor vitæ redeuntis est, cum bonus exercetur actus: secundus resurrectionis profectus, cum per orationem dilatatur affectus: profectio autem, cum ad contemplandum illuminatur intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis fratres mei resurgere magis ac magis enitimini, si quomodo occurratis, vt Apostolus ait, ad resurrectionem Christi ex mortuis, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Signa vitæ spiritualis.

In diebus Rogationum sermo.

Luc. 11.

Amici venerunt ad nos de via, sed non habeo quod ponam ante illos. Non sum medicus, & in domo mea non est panis: Ideo dicebam ab initio, Nolite me cōstituere principem. Non enim debet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem nouit qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam, sed heu non audistis me: principem enim constituistis me. Superat igitur vt quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, & audirem super hoc illud sapientis consilium, *Principem te constituerunt, esto inter illos quasi vnus ex ipsis.* Sed væ mihi, neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas non patitur inter alios esse: & sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec præesse, nec coesse, vbi potero esse, nisi vltimum, & tutissimum eligam locum, scilicet omnib. subesse? Et hoc quidem valeo, humilia scilicet imo vera de me sentiendo: nihilque me prohibet, imo plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet præesse cogar officio. Tu Domine Deus ipse es, qui & subesse mones, & nihilominus præesse iubes: à te expeto, à te expecto, vt humilem simul, & vtilem in iniuncto me facias ministerio. Humilem, vera de me sentiendo: vtilem recta de te loquendo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum, & benesonantem in apertione oris mei, qui dixisti, *Aperi os tuum & implebo illud, vt omnis familia tua benedictionibus impleatur.* Ecce venerunt amici, mei quidem amici, sed amplius tui. Non habeo quod ponam ante illos: nisi commodatum fuerit ab alio. Et quis alius æque diues aut liberalis ad præstandum, sicut Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: nisi forte illi qui vel pigre petit, vel ingrate detinet gratiam quam accepit? Quanti mercenarij in domo patrisfamilias istius abundant panibus, qui quoniam Christum annunciant, licet non syncere, propter alios tamen eis doctrinæ gratia non negatur? Et vbi abundant mercenarij, nunquid egebunt filij? Tu ergo Domine, (amicum enim dicere vereor sed Dominum confiteor) commoda mihi tres panes, vnde reficiantur amici, ne si dimissero eos ieiunos, deficiant in via, & tunc vocetur in causam pro eis & dicatur mihi, *Paruuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret eis.* Commoda Domine quod in lucrum tuum proficiat: recepturus vtique cum tibi placuerit quod tuum est cum vsura. Commoda, inquam, tres panes si placet, aut certe quodcunque placet, quantulumcunque fuerit, etiam si buccella panis, sufficiet in quantalibet millia, si tantum benedicas. Scio equidem, quia vis nos esse tibi importunos, vt licet dissimules, licet excuses, eo quod iam in cœlum receptus sis, & Apostoli tui tecum sint in cubili, nos tamen nihilominus perseueremus in petendo, quærendo, pulsando: scientes quia doctrinam non solo vitæ meretur innocentia, qua amici efficimur: sine assiduitate studij & instantia precis qua importuni videamur. Mihi tamen neutrum suffragatur: solum eorum qui pascendi sunt meritum obtendo, illi merentur quod ego non mereor. Vos autem fratres mei

B

C

Pastor animarū humilis debet esse & vtilis.

D

Thren. 4.

Orandum pertinaciter.

E vsibus quorum & pro meritis quorum, peto panes istos, putatis sufficimus, siue ego ad frangendum, siue vos ad edendum? Timeo ne dicatur mihi, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris:* timeo ne dicatur & vobis, *Facti estis quibus opus est lacte non pane.* Scio reuera panes esse apud patrem familias, quos si nostra præsumat infantia, citius frangentur dentes, quam impleantur ventres, id est, ædificentur mentes. Quis enim capiat, quis explicare aut cogitare digne sufficiat illud trinitatis mysterium ineffabile: quomodo pater à se, filius à patre, spiritus sanctus ab vtroque, & tres personæ in vnitate substantiæ? Mulier insipiens, audax, hæreticorum vanitas, prurientes auribus ad talia discutienda sollicitat, cum Deus credendus sit non discutiendus. Panes, inquit, occultos libenter attingite. Quasi vero tu insipiens attigeris, quod sublimius est angelis. Et ad quid mihi panes occultos attingere, quos non licet sine periculo frangere, vel edere? Sufficit mihi scire quia sunt, quia tres panes sunt: non dico trinitatem personarum, sed trinitatem sermonum, vel magis intellectuum, qui de personis habendi sunt: tres inquam panes vnius magnitudinis & ponderis, vnius formæ & saporis. Quanta enim & qualia de patre, tanta & talia de filio, seu de spiritu sancto sentienda sunt: excepto duntaxat, quod proprietatum discretio, numerum facit personarum, sicut in trinitate, sic intelligentiarum in earum distinctione. Hos ergo panes relinquamus frangendos angelicæ sublimitati, donec ad eorum crescentes æqualitatem, mensæ eorum simus idonei. Multifariæ siquidem aliorum trinitates panum de scriptura nobis possunt proponi, qui nostræ magis congruant infirmitati: verbi gratia, (vt nondum longius ab illa summa trinitate recedamus) quod ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: quod à patre creati, per filium redempti, in spiritu sancto sumus sanctificati. In hunc modum tam multa dici possunt, vt quamlibet famelicus venerit amicus de via, si vel dimidium ei apponas, non minus fortasse incipiat periclitari fastidio, quam prius inedia: vt copia obruat, quem inopia prius angebat. Non solum enim ipsum qui fecis nos, & ea quæ facta sunt propter nos, sed etiam quæ scripta sunt propter nos describere tripliciter poteris, vt copiosa refectio fit in tribus panibus, historiæ, allegoriæ, & moralitatis. Vniuersa quoque scripturæ continentia in tres partes diuisa, velut in tres panes digesta est: dum aut de naturali iustitia differit, aut de literali, aut de spirituali: id est, ante legem, sub lege, & post legem, quod est sub gratia. Natura rectum dedit intellectum, lex etiam actum, gratia autem affectum. Sed & doctor & pastor gentium in fide & veritate pascendam docet Ecclesiam quadam panum trinitate; vt qui Ecclesiam ædificat loquatur ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem. Ad ædificationem, vt quid agere debeas, noris; ad exhortationem, vt quod noris, velis; ad consolationem, vt etiam in aduersis possis, quod noueris & volueris. Denique non solum in materia rerum, sensibus & partibus scripturarum, generibus & modis locutionum, sed etiam in omni fine earum, quandam panum inuenies trinitatem: & ipsam quidem sapidam satis & salubrem; fidem scilicet, spem, & charitatem. Eo quippe omnis scripturarum, vel sermonum intentio spectare videtur, vt credamus, speremus, diligamus. Nam & charitas sola finis præcepti diffinita est, quæ & ipsa quodammodo triplex est, dum ex toto corde, tota anima, tota virtute habenda est. Sed quoniam vitio ducitur longior & varia epulatio, nos finem dabimus lectioni; vestrum erit fragmenta quæ superauerunt, id est, subtiliora, quæ manus nostras effugerunt colligere; simul autem & vestrum & nostrum ei qui pascit nos cantare, *Benedictus Deus in donis suis*, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Eccle. 3.

Tres panes, trinitatis mysterium.

Prou. 9.

F

G

Scriptura sancta triplici sensu.

1. Cor. 14.

H

Scripturæ scopus.

Ioan. 6.

In die ascensionis Domini sermo.

Ioan. 17.

Pater cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Hæc oratio Domini habita est ante diem passionis, non absurde tamen aptatur diei ascensionis; quando scilicet supremo

A premo discessurus erat à filiolis suis, quos patri commendabat. Qui enim in cœlis creauit docet & regit multitudinem angelorum, in terris aggregauerat sibi pusillum gregem discipulorum, sub præsentia suæ carnis erudiendum quoadusque grandiusculi sensus effecti, disciplinę spiritus fierent idonei. Magnus itaque paruulos magna dilectione diligebat, quippe quos ab amore mundi abstraxerat, & relicta omni spe seculi, de se solo pendêre videbat. Quamdiu tamen cum eis corporaliter conuersari voluit, non facile aut multum hunc suum eis affectum prodidit: maturiorem se eis, quam teneriorem exhibens, sicut magistrum decebat & patrem. Cum autem tempus quo ab eis recessurus erat instaret, tunc veluti vinci tenero eorum affectu visus est, vt magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis absconderat, dissimulare non posset. Hinc illud est, quod *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit, amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro i-

B nimicis. Tunc enim sacramentum corporis & sanguinis sui tradidit, & celebrãdum instituit, nescio virtute an charitate mirabiliori: hoc nouum genus mansionis adinueniens in consolationem recessus sui: vt si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum eis sed etiam in eis virtute sacramenti. Tunc veluti prorsus suæ oblitus maiestatis, & velut iniuriam faciens sibi, nisi quia gloria est charitatis, humiliare se pro amicis: dignatione ineffabili dominus, & talis dominus pedes seruorum lauit: vno opere condens eis & humilitatis exemplum, & remissionis

Ioan 17. sacramentum. Tunc denique post exhortationem prolixioris sermonis patri eos commendans subleuatis in cœlum oculis: inter cætera sic ait: *Pater cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, & nemo ex his perijt, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo & cætera,* quæ non est huius temporis retexere, multo minus ex-

Summa salutis nostrę in quo consistat. ponere. Summa tamen orationis sicut indicat textus lectionis, est in his tribus, in quibus est & summa salutis, imo & perfectionis, vt nihil possit addi: scilicet vt à malo seruen-

C tur, vt in veritate sanctificentur, vt in ipso glorificentur. *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & ipsi sint mecum, vt videant charitatem meam.* O fœlices quorum aduocatus ipse iudex est, pro quibus orat, qui pari honore cum eo quem orat, adorandus est. Voluntate labiorum eius non fraudabit eum pater, cum quo est ei vna voluntas & vna potestas, quia vnus Deus est. Omnino quod Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus: qui de omnibus quæ sunt *dixit & facta sunt:* mandauit; & creata sunt. *Volo*, inquit, *vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium, tantum non abijciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum ver-

Philip. 1. bum credituri sunt in Dei verbum. *Non pro eis*, inquit, *rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Vobis autem fratres donatum est, vt ait Apostolus, non solũ

D vt in eum credatis, sed etiam vt patiamini pro eo: quos scilicet fides promissionis Christi, non securitate negligentiores, sed alacritate faciens feruentiores, & quotidiano vitiorum conflictu, martyrio coronat assiduo. Assiduo, sed facili: facili, sed sublimi. Facile est, vbi supra virtutem nihil imperatur. Sublime, vbi de omni virtute illius fortis arma ti triumpharut. An non facile suaue Christi iugum portare? aut non sublime in regno eius excellere? Quid facilius rogo quam portare pennas quæ portent portantẽ se? quid sublimius quam supra omnem cœlorum altitudinem quo Christus ascendit, euolare? Plane sancti quorum sicut aquilæ iuuentus renouabitur, assument pennas sicut aqui-

Matth. 24. læ & volabunt. Quo volabunt? *Vbicunque*, inquit, *fuerit corpus, illuc cõgregabuntur & aquilæ.* Sed quid putamus fratres quomodo tunc repente de terris ad cœlos euolare poterit, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce: nunquid non Christus sicut aquila prouocabat hodie ad volãdum pullos, quando super eos volitabat, cum scilicet videntibus illis eleuaretur, diuque sequeretur oculis euntem in cœ-

E lum? Poterat vtique repente in ictu oculi, ex oculis eorum rapi, & vbi vellet, constitui. Sed plane *sicut aquila prouocans ad volãdum pullos suos,* & super eos volitans: & corda sursum leuare post se nitebatur amore sui, & corpora similiter posse subleuari pollicebatur exemplo corporis sui: sicut Apostolus ait, æterni conscius mysterij, quia & non baiulis nubibus rapiemur in obuiam Christo redeunti. Ipse

Psal. 17. quidem *ascendit super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum*, id est, supergressus est virtutes angelorum; tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, & assumet te, atque portabit in humeris suis, si modo pullus degener non existas, vt à terra leuari, & aura puriore perfrui non extimescas. Alij volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente accedit, & ad tertium vsque peruolat cœlum: Ioannes ad id quod in principio erat verbum: tu saltem humi degenerem non trahas animum, nec patiaris obtutum inertia, in terra putrescere cor

F tuum: clamanti *Sursum corda* pontifici magno, (qui hodie *introiuit sancta, æterna redemptione inuenta, vbi & assistit vultui Dei interpellans pro nobis*) responde fideliter, *Habemus ad Dominum.* Sed & si aliquando quæsiuisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram tam teipsum increpa, & dic Domino cum propheta: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Heu quam misere errabam. Tam magnum est illud in cœlo mihi repositum, quod contemnebam: tam nihil hoc super terram, quod tantopere expetebam. Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cœlum, ibi sit & cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes patrem & hæreditatem, inde expectas Saluatorem. Amen.

In die Pentecostes sermo I.

Ineffabilis Deus, ineffabilis misericordia eius. Secundum nomen eius, ita & opus eius. Plane ineffabilis diuinæ circa nos dignatio charitatis. Parum erat patri tradidisse filium, vt redimeret seruum: nisi daret & spiritum sanctum, quo seruum adoptaret in filium. Dedit filiũ in pretium redemptionis, dedit spiritum in priuilegium adoptionis: se denique totum seruat hæreditatem adoptatis. O Deum (si fas est dici) prodigum sui, præ desiderio hominis. An non prodigum, qui non solum sua, sed & seipsum impendit, vt hominem recuperaret, non tam sibi quam homini ipsi? An non prodigum, qui sicut *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* sic nec spiritui sancto pepercit (vt ita loquar) sed noua & mira largitate super omnem carnem effudit illum? Multum quidem effusus fui prodigus ille filius, qui tam patrimonium, quam seipsum donauit meretricibus, sed multo effusior pater in recuperationem perditi filij, quam ille in perditionem sui: si tamen vlla debet esse comparatio, gratiæ & pecuniæ, spiritus & carnis, Dei & hominis. Vide enim quanta largitate toto orbe gratia spiritus effusa sit, non solum iustis confirmandis, sed & peccatoribus iustificandis: quomodo vbique gentium spiritu creante nouum genus hominum renouata sit facies terræ: immo quanta quotidie mutatio fiat per dexteram excelsi, vt repente perditissimi hominum publicani & meretrices, iustos quam plurimos præcedant in regno Dei, & nouissimi fiant primi. Prorsus non sicut delictum, ita & donum quia *vbi abundauit delictum, ibi superabundans gratia* non solum donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita; & sublimis restituit lapsos redemptio, quam constituerat prima creatio. Sane in his omnibus quanto mirabilior Dei gratia prædicatur, tanto damnabilior hominis duritia conuincitur; si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non seruet. Cui enim non offertur? Super quem non effulget lumen illius? Quis se abscondit à calore eius? Neque enim reliquit se, Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, & fouens calore bonitatis; cum & *lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, & Deus faciat oriri solem suum super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos.* Sed væ illis qui rebelles sunt lumini, & resistunt spiritui sancto, nec acquiescunt veritati

Dei ineffabilis erga nos charitas. G H Rom. 5.

quam

A quam intelligunt, & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate & beneficijs Dei duriores fiunt, audacter etiam prouocantes eum: cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Verum *quid ad nos de his qui foris sunt?* Ad vos potius nobis est sermo, qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eundem spiritum in signum adoptionis & pignus hæreditatis: qui velut quidam caracter insignis Vasa misericordiæ, à vasis iræ discernit. Quanquam de salute nostra, vel magis de spe salutis, ea nobis modestia gaudendum sit: vt quod in illis dolemus, adhuc de nobis pro nostra mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare impium, ita de nobis præsumere est temerarium: cum tam de nobis, quam de illis qualiscunque sit scientia præsentium, nulla possit esse præscientia futurorum, nec leuis sit iniuria summæ potestatis, penes quam est arbitrium vitæ & mortis: si vel de illis tam crudeliter, vel de nobis tam audacter præiudicetur eius iudicijs. Denique de massa eorum sumus assumpti: & qui paulo ante eramus sicut & illi, natura & vita filij iræ, repente facti sumus filij gratiæ. Nos ergo simus illis exemplum spei ad pœnitentiam: ipsi nobis timoris ad perseuerantiam. In nobis se misericordia commendat vt ametur: in illis se iudicium exerit vt timeatur. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine:* pro ista gratias agens, pro illo preces fundens: pro ista gratus & lætus, pro illo timoratus & cautus: & de vtroque eruditus exultabo tibi cum tremore, quia tunc ingrediar in veritate tua, si ita lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Neque enim timor iste quem amor castum facit, gaudium tollit, sed custodit: non destruit, sed instruit: non inamaricat, sed condit: vt tanto sit durabilius, quanto modestius: tanto verius, quanto seuerius: tanto dulcius, quanto sanctius. O castum & fidele gaudium, quam fidelis est illa de te sententia sapientis, *Non est census super salutem corporis, & non est oblectatio super gaudium cordis.* Hoc vtique gaudium non est gaudere impijs, quorum fatuos risus & friuola gaudia, Sapiens detestatur & increpat. *Risum*, inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat.* O bene Iesu, quam dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renunciantes illi falso & fallaci gaudio, quam melior est misericordia tua super vitas: quam melior est dies vna in atrijs tuis super millia, quanto beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua, quam mundus facere possit sua quantalibet affluentia: vbi quicquid affluit, defluit, sibique inhærentem pereffluere facit. Aliis affluebat delitijs illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lętificans ciuitatem Dei: cum scilicet hodierna die tanquam spiritus terrens repleuit totam domum, vbi erant sedentes Apostoli. Exhibebat quippe diuina veritas, quod per prophetam promiserat. Ecce ego declino in vos, vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloriæ gentium. Quantum illis affluebat, quibus tantus influebat: quantumque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ viuæ. Nec solum de corde beneuolentia charitatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloquij, cui non poterant resistere & contradicere omnes eorum aduersatij: sicut de Stephano dicitur, *quia non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.* Ad huiusmodi gaudia vos interim fratres consolator vester inuitat. Hoc torrente voluptatis suæ sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis*, inquit, *sitit, veniat & bibat.* O affluens liberalitas Dei, ô indeficiens largitas diuinæ bonitatis. Spiritum cuius hodie primitias dedit apostolis, offert vniuersis. Thesaurum suum, fontem aquæ viuæ aperit tam hominibus quam iumentis: tanquam & ipse omnibus sapientibus & insipientibus debitor sit. *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas.* Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantum sitire quis nouerit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes: sed sicut esurientes implet bonis, sicut diuites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum: quod abominari facit bonum Dei verbum, contemnere cœleste donum, fastidire manna propter ollas carnium. Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam lætalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac male securum appropinquare vsque ad portas mortis? Sed vnde rogo tam late lues ista Christi ouilia infecit, greges inuasit, vt quam pluribus de grege Domini videatur etiam locus horroris & vastæ solitudinis, locus pascuæ vbi sunt collocati, & in pascuis vberrimis, in herbis virentibus misere pereant fastidio languidi? Annon, quæso, gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, & virtutes sæculi venturi? Si enim non gustauerunt bonum Dei verbum, vnde toties eructauit cor eorum verbum bonum, cum scilicet de memoria abundantiæ suauitatis eius eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem diuinis intersunt laudibus, & dormitant, aut ociosa vel etiam perniciosa mente pertractant: sedent ad librum, & oscitant: verbum exhortationis audiunt, & ipso auditu laborant: de pascuis mutantur in pascua, & tam ista fastidiunt quam illa, iugiter versantur inter fercula vitæ, & moriuntur fame. Vnde ergo post illam fœlicem experientiam gustumque suauem supernæ dulcedinis, tanta hæc obliuio, & incuria boni, languorque mentium subintrauit? Sola relicta est eis vox illa plangentis, si tamen plangere velint: *Percussus sum vt fœnum & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.* Currebant vtique bene, quis eos fascinauit retrorsum conuerti? Spiritu cœperunt, quomodo nunc carne consummantur? Voluptuose vescebātur, quomodo nunc intereunt in vijs? Videant quæso ipsi, ne forte inimicus homo qui super bonum semen patrisfamilias lolium suum superseminare consueuit, post illam suauem escam Christi, felle suo fauces eorum tinxerit, ac per hoc non modo desiderium, sed & memoriam prioris gustus aboleuerit. Enimuero statim denunciat Apostolus his qui eiusmodi sunt. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse: & mensæ dæmoniorum.* Annon tibi videtur non modo potatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium raptatur furore passionum? Ego, vt loquar de his quæ iam magis in vsu quam in crimine sunt, puto quod & ille mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis, cuius os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens aduersus fratrem suum loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scandalum: qui etiam si non detrahit, detrahentem libenter audit, qui scurrilitate stultiloquij cachinnantes dissoluit. Videat ergo qui eiusmodi est, an dignum sit, vt volutatus velut in cruore immolaticio, & sordibus dæmonum, mox admittatur ad mensam Christi & angelorum. Absit autem fratres mei, vt hæc dicens, innocentiam vestram, qua plurimum delector, inscribam sceleri: sed hæc dico vt salui sitis, & aliorum exemplo cautiores facti, manusque leuantes in sanguine peccatoris gratiam spiritus sancti quam alij negligentia perdunt, vos omni vigilantia seruare curetis: ad laudem & gloriam ipsius largitoris Iesu Christi Domini nostri, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

[Left margin notes: Timendū hic nobis. — B — Eccl. 30. — Gaudium cordis. — C — Eccles. 2. — Isa. 66. — D — Isa. 55. — Fastidium boni, quātum mali pariat. Right margin notes: E — F — Psa. 101. — 1 Cor. 10. — G — H]

Sermo de eodem II.

Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei. Nimirum ex abundantia cordis, linguæ loquebantur in eis. Exaltationes Dei in gutture eorum, quia *charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum.* O Domine Deus meus, & ego vtique similiter laudarem, si similiter potatus essem. Quia vero arida est anima mea, ideo est & torpida lingua. Sed *sicut adipe & pinguetudine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.* Eructabunt labia mea hymnum, sed cum docueris me iustificationes tuas: id est cum dederis gustare quam suauis es vt discam te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Bonitas siquidem tua, vnctio tua est, qua doces eos de quibus prædictum est. *Erunt omnes docibiles Dei. Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.* Lex Domini immaculata conuer-

[Right margin notes: Acto. 2. — Iob. 6.]

A nertes animas, charitas est: lex vtiq; ignea, quæ est in dextera eius, quæ cum digito Dei scribitur super latitudinem cordis. & ipsum cor amoris incendio, & os ignito Thren.1. feruere facit eloquio. *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* O quanta facilitate & celeritate, quanta copia & facultate, ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, non solum erudiuit imperitos, sed etiam expediuit impeditos. Prorsus igneæ linguæ, quas ex se dispertiuit ignis iste, quæ sic ignescere fecerunt, non solum mentes, sed & linguas Apostolorum, vt etiam nunc prius auditor ad sermones ignescat eorum. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque viuit ignis perpetuus, qui & super corda nostra scintillat, si accedamus, si autem vel animum ab eorum sermonibus non auertamus. Si meruissem aliquam accipere de linguis huiusmodi, dicerem vtique & ego: Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum, sicut de illis scriptum est: *Loquebantur varijs lin-* B *guis Apostoli magnalia Dei.* Dicerem, & illud: Dominus de-Isa.50. dit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Apostoli & eorum similes linguis sibi datis, magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram compluunt, cœlos aperiunt: quia linguæ eorum claues cœli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cœlis linguæ missæ sunt. Mihi autem vtinam vel lingua carnis data sit, qua possim primum quidem propria, deinde & aliena vlcera lingere: si qui forte sunt qui ad hoc ipsum sibi me dignentur admittere. Beati quidem quibus amor & dilectio diuinæ laudis cor replet gaudio, & os iubilo. Sed & illos vtique beatos dixerim qui cum de vulneribus animatum virus ablingunt & purulentiam: trahũt in se quo anima eorum saginetur, spiritum & gratiam. Esuriunt siquidem & sitiunt iustitiam, & famem patiũtur vt canes, ideoque nihil fastidiũt quod in corpus suum possint traijcere: neminem peccatorem abominantur, quem ad iustitiam possint conuertere. *Quod Deus mundauit, tu ne immundum dixeris,* dictum est principi Apostolorum, & in C ipso alijs, & ob hoc mactat & manducat omnes genus reptilium & volatilium & ait, Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia impatientis desiderij cibi mei sunt. Quinimo mirum in modum quanto quisque peccator ante conuersationem amarior, tanto postmodum conuersio eius dulcior: quantoque desperatior, tanto gratior nobis eius salus: quia & saluantis gratiam plus miramur, qui ouem perditam reportans in humeris, gaudium facit angelis super vno peccatore pœnitentiam agẽte, quam super nonaginta nouem iustis. Dicant igitur alij quibus datum est, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine:* anima autem mea esuriens & famem patiens vt canis, etiam amarum sumet pro dulci, & abominabile pro desiderabili. Delectentur alii lambere mella scripturarũ, ego vero delectabor vlcera lingere peccatorum, mei scilicet mihique similium. Fœdum quidem vlcus peccati, visuque horribile, sed tamen ipsum lingere, cuius sit saporis & gratiæ. non sapit: non capit, nisi qui salutem pericli- D tantium esurit, & famem patitur vt canis, de qualibus di-Psal.67. ctum est: *Lingua canum tuorum ex inimicis.* Sed væ miseris qui tanto studio pereunt, tantoque desiderio mortem sibi consciscunt, vt vulnera sua tegãt curamque canum refugiant, & asperitatẽ linguæ medicinalis arbitrentur morsum odij letalis. Oderunt corripientem in porta, & perfecte loquentem abominati sunt. Perfecte loquentem dico, non tam de perfectione disserentem, quam perfecta Odiũ per- dilectione corripientem. Sed dicam perfecta dilectione, fectum, est an perfecto odio? Imo vtrunque & perfecta dilectione, perfecta di- & perfecto odio: quia perfectũ odiũ nihil aliud est, quam lectio. perfecta dilectio, & vna est vtriusque perfectio, quam A-Rom.12. postolus determinat dicens: *Odientes malum, adhærentes autem bono.* Sed reuertar ad id vnde digressus eram. Optabam mihi linguam qua laudarem Deum, vel certe linguam qua confitentium vlcera curarem: in altero quidem, mihi quærens diuinæ deuotionis fructum: in altero, fraternæ salutis lucrum: vobis quoque in altero Horatius dulcis, in altero fieri desiderans vtilis. Nam & de secu-in arte latiũ arte & officio poetarum, ita scriptum est apud quẽ-poet.ca.

dam eorum: *Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ. Omne tu-* E *lit punctum, qui miscuit vtile dulci.* Optabam, inquam, mihi gratiam oris, qua Deo & vobis officiosus deseruirem: vt aliquatenus compensarem verbo, quod minus possum exemplo. Quanquam satis suspecta mihi sit hæc consolatio, si dicam & non faciam: si suppetant suffragia linguæ, cum desint merita vitæ: imo magis fortasse timen- Psal.49. dum sit, ne peccanti dicat Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Sed quid agam? *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me.* Pauor est vtrobique molestus, & coartor è duobus: quia locutionem & officij locus exigit, & vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud sapientem in- ueni: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* Prou.16. Loquar igitur non prout locus expetit, sed prout sensus suppetit, imo prout Dominus dederit: in cuius manu sumus & nos, sermones nostri. Loquar inquam & meipsum lingua obligabo propria, vt vel præ confusione aliquando laborare compellar: & si corpus à labore manuũ F excusauerit, certe anima laborantis laboret sibi, vt dicat cum Dauid, *Laboraui in gemitu meo.* O si mihi dentur illi ge- Psalm.6. mitus inenarrabiles quib. spiritus postulat pro sanctis, vt laborem in eis. Proculdubio labor huiusmodi gemituum satis digne compensaret mihi quotidianum laborem manuum. Sed si vos ipsi fratres si æmulari meliora charismata didicistis, optate gemitus huiusmodi à spiritu vobis infũdi: Nescio si sit in donis spiritus aliud conuenientius, aut commodius his, qui sunt infirmitate & miseria circundati, nescio si spiritui sancto qui in columba apparuit, alia Gemendi vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, vtilitas quia in nullo opera tanta tamque parata nobis suppetat magna. materia sicut in gemitu & planctu nostri: nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primum circa infirmos quorum curam suscipit, operatur medicina sancti spiritus, qui est illuminatio nostra & salus nostra: vt videlicet seipsum phreneticus sentiat & sciat, & conuersatus ad cor dicat G Domino cum Propheta, *Postquam conuertisti me, egi pœni-* Hiere.31. *tentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi fæmor meum.* Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem: nisi doluerit, non meretur consolationem. *Beati* enim *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Puto quia nec in Apostolis hodie locum inuenisset paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filij sponsi, cum sponsus ablatus esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat, *Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos.* Nisi Ioan.16. desolati fueritis præsentia mea corporali, non vos consolabitur visitatio spiritalis. *Data*, inquam, *siceram mærentibus, & vinum his qui amaro animo sunt:* non scilicet illis qui Prou.31. ebrij sunt gaudio & luxu seculi. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Nunquid bibere possunt calicem Domini, & calicem dæmoniorum? Bibant inquit, potius pauperes Apostoli, & obliuiscantur egestatis suæ, vt dicant: Sicut egentes, multos autem locupletantes. Bibant mœrentes de absentia sponsi, & dolorum non recorden- H tur amplius, sed dicant: Et si cognouimus Christum secũdum carnem, sed nunc iam non nouimus. Nam & teipsum si pio affectu Psalmistæ dicere potueris, *Ego sum pauper & dolens*, sic ditabit, sic lætificabit sobria ebrietas huius præclari calicis, vt & si pauper sis, paupertas animum non vrat: & si dolebas quia peccasti, iam peccati reatus conscientiam non mordeat. Vide autem si non & ipse spiritus sanctus in iudicium venit in hunc mundum, vt qui doleant: & qui rident, æterno & inconsolabili se luctu tradant. *Melius est* igitur *ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Et reuera sapiens & si aliquando consolationem meretur, vt dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit; semper tamen, vt locum paret consolationibus nouis, nouas exquirit de seipso causas doloris; non statim blandiens sibi quasi iam per omnia iustus sit, sed eo subtilior quo iam illuminari cœpit, eo districtior, quo iustificari cœpit, fit accusator & iudex sui. Ei ergo qui eiusmodi est crebro (nisi fallor) spiritus consolator aduenit, quoniam & aduentum iam ipse suum anteuenit; adueniens scilicet vt

consola-

A consolationem tribuat, sed anteueniens, vt lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina spiritus & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus; quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia iustorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum, quæ nunc sunt, & gaudiorum quæ futura sunt: ad quæ nos perducat, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Luctus encomiũ.

In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ Sermo I.

Hiere. 1.

A A A Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer sensu ego sum, Fratres si Hieremias (sicut ex lectione audistis hesterna) ne prædicationis susciperet officium, verecundius quam iustius minorem causabatur ætatem: quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex vtero, & quem manifeste diuina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior: mihi, quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, mihi non erit puerilitas mea? Veruntamen tu puer Propheta altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officij, pueritatem nostram non pateris excusatam haberi, quin saltem gestiamus more puerorum de te quoquomodo balbutire: qui etiam in materia leuiori, plena needum didicimus verba formare. Tuum erit ô vox verbi, vox sapientiæ, tibi deuotæ soluere vinculum linguæ, qui needum loquens, vsum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fœnore magno redijt intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, vt videlicet vterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogatiua filij. Qui enim Propheta, & plus quam Propheta futurus erat, imo ante prophetare quam profari, prius Deum quam seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos Prophetas faciebat: & in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui & gratiæ superabundantiam refundebat. Nam & Helisabeth post quam exultauit in gaudio infans in vtero eius, tunc & ipsa prophetauit repleta Spiritu sancto: quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exultatione manifesta reuelauit. Salutabat Saluatorem motu quo poterat, & in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inæstimabilis diuinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Helisabeth insonat, ad cor Ioannis penetrat: qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum eius animat, gaudioque salutari vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit Prophetiam, adeo vt etiam de plenitudine filij copiose videatur in matrem refundi. Vere gratia plena Maria. manifeste Deus totius gratiæ in ea erat, de cuius munificentia, tam copiose, tam magnifice, principaliter in matrem, de matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ & gratiæ oriebatur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi. Proxima erat fonti cedrus ista nobis, Ioannem loquor, consobrinum & amicum sponsi, præcursorem, baptistam, & martyrem Domini: ideoque nimirum vberius irrigata in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inueniri. Omnino Saluatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis coniunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloria annuntiationis, nouitate natiuitatis, pene originali, prædicatione consimili, auctoritate beatizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei proprius accedebat. Denique si alia cessarent omnia, si cuncta de eo silerent prophetarum præconia, solius gratia nominis eius quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur, satis abundeque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat, vt gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret: & gratia non mediocri emineret, qui

B

C

D

Baptista quur cæteris omnibus superior.

Luca. 16.

E gratiæ tempus à tempore legis velut medius limes disterminaret. Vsque ad Ioannem enim lex & prophetæ prophetauerunt, qui videlicet primus ostendit præsentem, quem lex & propheta promiserat venturum. Merito igitur natiuitas huius pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat renascendi. Merito natiuitatem istam quam mirabiliter operatur gratia, miratur que natura, solenniter veneratur Ecclesia: præsertim cum singularis illius natiuitatis cuius gratia naturam reparauit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratam se probat Ecclesia, non immemorem fideliter agnoscit qua deuotione, qua gratiarum actione suscipere debeat præcursorem, per quem ipsum agnouit Saluatorem. Mihi plane nouo nascitur gaudio lucerna mundi, cuius iudicio lucem veram agnoui lucentem in tenebris, sed non comprehensam à tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio cum quo tot & tanta mundo nascuntur bona, qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per pœnitentiam initiat, per baptismum præparat, præparatam Christo consignat & copulat: & quam ad viuendum temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat. O fratres quorum propositum est, vtinam & ita desiderium, ad perfectionem festinare: quam cito Christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accommodaret docibilem: cuius etiam prima elementa iustitiæ, modum supergressa sunt perfectionis humanæ: cuius rudimenta primæuæ ætatis, grauitatem sapientiæ vicere senilis. Qui enim antequam, natus sanctus fuit, quid mirum si in processu conuersationis plusquam sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non possumus sanctitatem tuam sanctorum sanctissime: omnino necesse est, vt qui de publicanis & peccatoribus plebem perfectam Domino parare festinas, humanius eis loquaris quam viuas, & modum perfectionis non secundum, vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis temperes humanæ. *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ.* Nos quidem ô fratres gloriamur perfectius loqui, quam viuere: Ioannes autem sublimius viuens quam possint homines, vel intelligere, loquitur tamen eis prout poterant audire: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ. Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium pœnitudo malorum. Si nondum facere præualetis perfectæ fructus iustitiæ, sit interim hæc vestra perfectio, vt faciatis dignos fructus pœnitentiæ. Si recordari volumus fratres lectionis hesternæ: ad dignos fructus pœnitentiæ pertinet, quod Hieremiæ, aut certe Ioanni sub typo Hieremiæ dictum est, *Vt euellas & destruas & disperdas & dissipes: ad fructus iustitiæ, vt ædifices & plantes.* Beatus qui manus huius extirpatoris adiuuerit: nam ipse Dei adiutor est, qui videlicet cooperans verbo & gratia Dei, in hoc studium & operam dederit, vt euellat & disperdat de affectionibus & moribus suis omnem plantationem quam non plantauit pater cœlestis: destruat & dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ & confusionis, vt postmodum melius ædificet & plantet, fiatque sicut scriptum est: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Ascendat abies pro saliunca, & myrtus pro vrtica*: omnis scilicet pulchritudo & gratia virtutum, pro situ & horrore vitiorum. Quis putas est ille tam perfectus in nobis, vt saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita digne perfecteque pœnitens sit, ac tota seueritate damnet mala sua quæ fecit, prioribus vsquequaque renuncians vitijs, vt omne germen maledictionis radicitus euellat & disperdat de agro cordis: ita vt de radice pessima, nullus amplius germinet fructus amaritudinis? quique semel ita destruat ac dissipet omnem altitudinem extollentem se aduersus humilitatem Christi, vt iterum non reædificet quæ destruxit. Quã fœlix hodie esset Ecclesia sanctorum, quanta pace & gratia florerent congregationes beatorum pauperum, si fructus istos quos facere debuerat rudium pœnitentia

Baptistæ natiuitatẽ merito veneratur Ecclesia.

F

G

Mat. 3.

Hiere. 1.

H

Esa. 9.

A tentia, vel eorum qui perfecti & sancti videri volunt afferret iustitia. Denique, qui nec iustitiam sanctorum, nec exactam habemus pœnitentiam peccatorum, redimamus vel ex parte aliqua tepotem nostrum deuota veneratione sanctorum: præcipue beati Ioannis, cuius tam magnifice sanctitas effloruit supra modum aliorum, vt crederetur sanctus sanctorum. Magnificentiam gloriæ sanctitatis eius loquamur ac meditemur fratres mei, vt propitium faciat peccatis nostris eum, cuius singulariter amicus esse meruit filium Dei, quicum patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Matt. 11. A Diebus Ioannis Baptistæ *regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Merito igitur læta nobis est eius natiuitas, cuius tam fausta sunt tempora, vt regnum

B Dei iam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus vtique non sufficiebat ad promerendum. Merito multi in natiuitate eius gaudent, sicut promittebat angelus sub quo tanta fœlicitate mutatus est temporum status: vt regnum Dei quod ante nulla innocentium obtinebat iustitia, nunc pœnitentium inuadat & possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia regnum cœlorum? Annon violentia est, rapere virtute quod non erat concessum naturæ: vt qui natura erant filij iræ & gehennæ, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem sanctorum, & consortium gloriæ? An non plane violentus Deo strenuus ille luctator patriarcha Iacob, qui vt scriptum est contra Deum fortis fuit & inualuit, qui cum eo luctatus vsque mane constanter & obnixe tenebat rogantem dimitti, *non dimittam te*, inquiens, *nisi benedixeris mihi*? Dico quia cum Deo luctatus est: Deus siquidem erat in angelo cum quo luctatus est. Alioquin nec angelus diceret, *cur quaris nomen meum quod est mirabile*, nec Iacob diceret: *Vide Dominum facie ad faciem.* Sed neque Dominus de Iacob diceret per Oseæ prophetam, *In Bethel locutus est nobiscum.* Bona igitur violentia quæ benedictionem extorsit: fœlix lucta, qua Deus homini succubuit, victusque victorem gratia benedictionis, & honore sanctioris nominis munerauit. Quid enim si tetigit neruum fœmoris eius, & emarcuit, ac de cætero claudicauit? Facilis iactura corporis, damnumque consolabile quod tanto compensatum est munere: præsertim illi qui potuit dicere: *Super salutem & omnem pulchritudinem dilexisti sapientiam.* Vtinam marcescat in me non solum neruus fœmoris, sed virtus totius corporis: dummodo vel vnam merear benedictionem angeli. Vtinam non solum claudicem cum Iacob, sed & moriar cum Paulo, vt gratiam & nomen Israelis obtineam munere perpetuo. Iacob quidem fœmur gerit marcidum, Paulus vero corpus emortuum: quia mortificationem membrorum, quam cœpit Propheticæ religionis initium, ad

D integrum consummauit Euangelium. Iacob claudicans, quia ex parte quæ mundi sunt cogitans, alterum pedem à terra suspensum portat: Paulus cogitans solum quæ Dei sunt, *siue in corpore, siue extra corpus nescit, Deus scit*, totus tamen in spiritu liber ad cœlum volat. Vobis itaque dicimus fratres, qui aggressi estis cœlum rapere, qui congressi estis luctari cum angelo, qui viam custodit ligni vitæ: vobis, inquam, dicimus omnino necesse esse vt constanter & irremisse luctemini: non dico vsque ad eneruationem fœmoris vnde generatio propagatur carnis, sed etiam vsque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum, nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu & beneficio diuinæ virtutis, cum vestram videlicet constantiam inuincibilem sibi probauerit. Sic enim scriptum est. *Cumque videret quod eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit.* An non tibi cum angelo imo cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis resistit votis? Lauaris velut aquis niuis, vt mundus sis corde & corpore, & ipse sordibus intingit te. Dicis sapiens efficiar, & ipsa longius recedit à te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te. Decernis rem & in contrarium tibi cecidit: & per omnia fere in duricia manus suæ aduersatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duriciam te simulas: quanta pietate pugnas aduersus eos pro quibus pugnas. Licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, & immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti metuentibus te. Noli igitur desperare, constanter age fœlix anima quæ cum Deo luctari cœpisti: amat vtique vim abs te pati, desiderat à te superari. Nam & cum iratus est, manumque ad feriendum extendit, quærit vt ipse confitetur virum similem Moysi qui resistat sibi: & dicit: *Non est qui consurgat & teneat me.* Nam si implacabilis sit eius ira, inflexibilisque sententia, flebit & dicet Hieremias qui resistere tentauerat: *Fortior fuisti & inualuisti.* Sed absit fratres qui placita ei postulatis: absit vt forris aduersum vos sit, qui pro vobis infirmari vsque ad mortem voluit. Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est: vnde quæso virtus ei esse potest ad resistendum illi charitati, quę veluti victum & captum per omnia genera infirmitatum vsque ad mortem, mortem autem crucis, perduxit? Iam non fortis vt mors, sed fortior quam mors dilectio: cum virtute directionis infirmata sit vsque ad mortem Dei fortitudo, cuius tamen infirmitas fortior inuenta est omni fortissimo, cuius mors probata est esse mors tua, ô mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis, quicunque es ille pius inuasor, qui rapere contendis regnum cœlorum, & securus esto, quia facile vinces regem ipsum cœlorum. Si qua enim videtur tibi aduersari difficultate: aut duricia: ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat. Nempe vt contrarietate ipsa tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum, ac fortium: vt vires exercitet, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas. Quamobrem accingimini filij Israel, & estote filij fortitudinis: non enim opus est nisi magnanimitate & constantia, quæ nullis possit terreri aduersis. Infirmus dicat, fortis sum, & præ gaudio spei se nesciat infirmum, cui tam facile iam iamque capiendum est cœlum. Plane cœlum violenter rapit: qui imbecillitati suæ vim facit aut ætati. Imo, vt magis proprie loquar, plane vim facit propriæ perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. *Homo* enim *in laboribus*, vt scriptura ait, *laborat sibi, & vim facit perditioni suæ.* Accingimini inquam viri virtutis, & sequimini ducem ac magistrum fœlicis huius militiæ (Ioannem Baptistam loquor,) à diebus cuius cœlum esse cœpit expugnabile. Iste siquidem est qui velut alter Dauid princeps factus latronum piorumq; ductor prædonum, & victoriosum illum exercitum publicanorum & peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violétiam post se induxerit in regnum cœlorum. Quis enim scelestus aut prophanus tubam eius audiuit, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*, & non se continuo præparauit ad bellum? Sequimini inquam ducem istum, cuius vexilla proprio rutilant sanguine, cuius hodie virtutes ac triumphos debita decantastis veneratione. Ipse, nisi fallor, quos post se traxerit exemplo, iuuabit merito commendabitque suffragio, cum inter natos mulierum nullus sit acceptior regi summo Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Dissimulatrix Dei clementia.

Amat deus à nobis vim pati. Esa. 64.

Hier. 20.

F

Luctandū constāter.

G

Prou. 16.

H

Sermo de eodem III.

Matth. 11. INter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista. Salomon ait: *Laudent te labia proximi tui.* Sed quā fœlicius & gloriosius cum laudant quempiam labia Dei sui. Deus quippe nec falli potest, nec adulari. Deus neminem facile laudat, quem laude posse inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari prævideat. Homini quidem recte dicitur, ne laudet hominem in vita sua: cuius sicut scire non potest intima, sic nec præscire nouissima, cū de seipso quoque confiteri habeat, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Sunt enim iusti, & sapientes, & *opera eorum in manu Dei sunt*, & tamen *nemo scit, vtrum sit dignus amore an odio*, sed omnia in futurum seruantur incerta:

Prou. 17.

Laudādus nemo ante mortē.

Pœnitētes sunt violēti qui rapiunt regnū cœlorum.

Gene. 32.

C Osea. 12.

Fœlix

A Fœlix igitur qui testimonio ipsius iudicis dignum se amore scire meruerit, nisi quod testimonium iustitiæ præsentis mutabilitate humanæ suspitionem ac metum non adimit de futuris. Indubitabile tamen eximiæ virtutis & magnæ perfectionis est indicium, quotiens hominem adhuc corruptioni subditum, suæ suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur iudicium. Magnum profectò iustitiæ præconium, quod summa iustitia dicit ad Noe. *Te vidi iustum coram me.* (Gen. 7.) Magni quidem insigne meriti, quod Abrahæ restificatur Deus, propter ipsum implendas esse promissiones quæ ad ipsum factæ sunt. Quantæ autem illud est gloriæ, quod de beato Iob Dominus gloriatur aduersus inuidum: *Nunquid considerasti seruum meum Iob quod non sit ei similis in terra: homo simplex & rectus, & timens Deum, ac recedens à malo?* (Iob. 1.) Quantæ etiã illud erat gratiæ, quod pro Moyse æmulabatur & confundebat æmulos eius? *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei*, & palam non per ænigmata videt Deum. (Num 12.) B Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Quis vero in omnibus sicut Dauid, de quo gratulatur Dominus: quia inuenit virum secundum cor suum? Veruntamen quantumlibet magni fuerint siue isti siue alij, nec inter istos, nec inter alios natos mulierum, teste nato virginis, surrexit maior Ioanne baptista. Nam & si stella differat à stella in claritate, & in choro sanctorum sydetum quæ ante exortum veri solis illustrarunt noctem huius seculi, quadam effulserunt claritate mirabili: nullum tamen in omnibus magis aut splendidius lucifero isto, lucerna scilicet ardenti & lucenti, quam pater Christo suo parauit: lucifero inquam prælucanæ lucis, qui præcursor solis diem instantem mortalibus nunciauit, dormientibus in tenebris & vmbra mortis clamitans & dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* (Matth. 3.) Ac si diceret: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijcite opera tenebrarum. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit tibi Christus.* C Non est autem negligenter prætereundum, sed etiam atque etiam considerandum, quam sublimis meriti, quam excellentis gratiæ & virtutis oculus ille, quem nil fallit, cum peruiderit, qui post tanta præcedentium præconia, hanc de illo sententiam tulit: quod inter natos mulierum, nullus illo maior surrexit, nec nisi de ordine angelorum, vel qui peruenisset ad æqualitatem angelorum, aliquem ei præferendum iudicauit. Nec semel quidem, aut perfunctoriè vel breuiter laudem eius attigit, sed quotiescunque se offerebat occasio sermonis, laudibus eius delectabatur immorari, quod satis probat historia Euangelij. (Baptistæ præconiis Euangelistæ librorũ suorum initia dedicauerũt.) Propterea Marcus quoque Lucas & Ioannes initia librorum præconiis eius dedicauerunt, vt videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte prælati, totum deinceps commendabilius redderet Euangelium, & lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens & lucens perduceret ad lucem, quæ lucebat in tenebris, sed à tenebris nequibat comprehendi. Matthæus. n. quia eum natiuitas Domini initiis occupatum tenuit, mox vt puerum nutriendum Nazareth commendauit, ad præcursorem & Baptistam eius stilum conuertit, arbitrans imperfectum fore quicquid de sponso diceret, si de indiuiduo amico sponsi reticeret. D Hæc nanq; cura non minima fuit, non solum Euangelistis narrantibus, sed etiam prophetis & angelis prænunciantib⁹, vt lucerna Christi, testis Domini talis induceretur, cuius splendore & auctoritate inimici facile confunderentur: & ex cuius magnitudine, incomparabilis altissimi magnitudo manifestè monstraretur. Cum enim maximus inter natos mulierum natum virginis testabatur tam longe magnitudinem suam vincere, vt indignum se confiteretur eius calciamenta portaret: quid aliud dabitur intelligi, nisi quia ille erat magnus Dominus *cuius magnitudinis non est finis?* & de quo dicitur, *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei?* (Psal. 88.) Et hæc vtique illa magnitudo Ioannis fuit, qua inter magnos tam magnus excreuit: quia videlicet virtutes suas magnas & innumeras quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulauit sibi: cum putaretur summus omnium, vltro

E ac deuotissime præferens humillimum omnium, & in tantum præferens, vt calciamentis eius detrahendis se testaretur indignum. Mirentur igitur alij quod à prophetis prænunciatus, quod ab archangelo promissus, & eodem quo Christus, cum tñ Christus in cubiculo, Ioannes in oraculo, quod de tã sanctis ac nobilibus parentibus, quod de senibus, & sterilibus contra debitum naturæ, dono gratiæ, quod ante sanctus quam natus, ante propheta quam prophetaret, quod plusquam propheta, quia angelus angelicum officium vitamq; gerens in terris, in carne præter carnem viuens, & licet innocentissimus, pœnitentiæ tñ formam plus exemplo quam verbo tradens, quod in spiritu & virtute Heliæ præcurrens aduentũ redemptoris, & viam ei parans in eremo, quod corda patrũ ad filios, & filiorum patres conuertit: quod filium baptizare, patrem audire, spiritum sanctum videre meruit, quod deniq; vsq; ad mortem pro veritate certauit: & vt etiam ad inferos Christum præcurreret, ante passionem Christi martyr Christi fuit. F Mirentur inquam hęc alij, si tamen est qui digne possit mirari: nobis fratres non solũ miranda, sed & imitanda proponitur virtus humilitatis eius, qua maior se credi cum potuit, noluit: imo credentes ne errarent quantũ valuit compescuit. (Baptistæ humilitas nobis imitanda.) Fidelis enim amicus sponsi, magis amator Domini sui, quam sui: se minui, vt ille cresceret optabat, & de minoratione sui gloriam illius augere satagebat, ante Apostolum opere & veritate dicens illud Apostolicum. *Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Iesum Christum.* (2. Cor. 4.) Ideo nimirum magna est gloria ei⁹ in salutari tuo, in Iesu tuo Domine, cuius iustitiæ & bonitatis est diligentes se diligere, & glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria eius in Iesu, magna à Iesu: qui & apud se glorificauit eum consortio gloriæ suæ, & apud homines testimonio vocis suæ. Persuasum sibi habebat Ioannes illud fidele sapientis consilium. *Qui gloriatur in Domino glorietur:* (Hier. 9.) non enim qui seipsum commendat ipse probatus est, sed quem Deus commendat. Maluit itaq; in Domino sape, quam in seipso vane gloriari: quia & maluit veraciter à Domino, quam fallaciter à seipso commendari. G Ideo probatus est Deo & hominibus, & gloria eius veritas apud homines, fœlicitas apud Deum: qui si seipsum glorificasset, gloria sua nihil esset. *O filii hominum vsque quo graui corde? vt qui diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vt quid vanam & mendacem gloriam diligitis, & gloriã ab inuicẽ accipitis vel quæritis, & gloriã quæ à solo Deo est, nõ vultis? (Gloriam ab hominibus aucupantes.) Sed quomodo quęritis? Vtinã agendo fortia, nõ loquendo sublima. vtinã saltem vera loquendo, licet vane, & nõ mentiẽdo plane: vtinam deniq; mẽtiendo tantum de vobis, non etiam detrahendo de alijs. Hoc iam non est gloriam accipere vel quærere, sed magis furari & rapere. Quærere siquidẽ gloriam, non sua, sed contraria via, non illa scilicet cui debetur gloria, sed cõtumelia, id est, non virtutis titulo, sed mendacij, & detractionis latrocinio: quid aliud est hoc nisi rapere, vel furari nequiter, quod cõcupieris turpiter? Certe si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, iam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nunc autem quid cum non solum accipis si offertur, sed & quæris cum non offertur? Quid denique, cum alium velut trucidas venenosa & insidiosa lingua, vt gloriã eius tibi rapias: vt de malo eius melior, de contemptu eius tu gloriosior appareas? H Sit ergo illud gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud nisi sæuientium crudelitas? Sit certe illud, vt mitius loquar, tentatio humana: quid istud nisi imitatio diabolica? Plane imitantur diabolum qui sunt ex parte illius, id est, omnes superbi, Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Quomodo, inquis, imitantur? Diabolus quia superbiuit, meliori se, id est, Deo inuidit: quia inuidit, detraxit. Sic filij superbiæ eius, mox vt infecti sunt vitio eius, id est amore propriæ excellentiæ, inuident alienæ. Vt cœperint inuidere, incipiunt si possunt detrahere, vt scilicet accrescat eis quod derogauerint alijs. Quanto salubrius imitarẽtur humilitatem Ioannis, qui detrahebat sibi, vt adderet alij: qui contendebat minor credi quam credebatur, vt alius inciperet apparere quod non putabatur? Denique si non placet humilitas ex sui honestate & æquitate, placeat saltem

A

ex vtilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam diuinam, sed nec ad gratiam humanam vlla pulchrior aut iustior, & sæpe nulla compendiosior. *Quanto*, inquit, *magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus*. Hæc beatum Ioannem glorificauit apud Deum & homines, sicut est dies hæc quæ de natiuitate eius gloriosa consolationem præstat mundo, gaudium cœlo, gloriam Deo: cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem IV.

Matth. 11. COepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, *Quid existis videre in deserto?* Ecce illud quod sponsa de sponso gloriatur,
Cant. 2. in cantico amoris sui: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*; Ioannes Iesu, & Iesus Ioanni: Ioannem Iesum prædicat, Ioannem Iesus commendat. Par pari redditur, & tam amica quam iusta vicissitudine charitas in inuicem prouocatur, aut remuneratur: *Ego enim*, inquit Iesus, *diligentes me diligo, &*
Prou. 8. *glorificantes me glorificabo*. Habet pietas promissionem vitæ
B quæ nunc est, & futuræ, & Dominus dilectum sibi quem glorificaturus est in futuro redditione præmij, etiam nunc
*exhibitione. incipit glorificare * redditione præconij testemque suum apud homines proprij sublimat honore testimonij. *Quid existis*, inquit, *videre in deserto?* Vos hominem mirammini commorantem in deserto, sed per istum pinguescent speciosa deserti, & florebit solitudo, cum vbique noui cultores eremi de Ioannis succrescet exemplo. Tunc erit desertum quasi delitiæ paradysi, & solitudo quasi hortus Domini. *Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli & Saron. Sed quid inquam existis videre in deserto? Harundinem vento agitatam?*
Baptistæ encomiũ. Et si moretur in desertis, non est tamen harundo deserti, sed cedrus Paradisi, columna cœli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute & merito vltra mensuram hominum, conditione citra naturam angelorum.
Baptista arundo nõ fuit. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat: aut certe cypressus in monte Sion æterne plantata, altius scil. quam vt
C ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus huius aeris, quia superior est cunctis cupiditatibus mundi. In cœlo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, vnde minas & bella ventorum, & cuncta in seculo aduersantia securus irrideat. Irascatur Herodes, insidietur Herodias, de interioribus eorum ebulliat tempestas, ac nequam spiritus procellarũ, qui in abyssis cordium cubat, omnes vires suas, & argumenta malitiæ commoueat: nihil illum terrebit, nihil à sententia mouebit, quo minus libere nuptias eorũ ingestas arguat. Quomodo.n. flecterent aduersa, quem mollire non potuerũt prospera? Flauerunt siquidem aliquãdo & molles, atq; blandientes venti, auræ scilicet fauoris popularis, sed nec illis à rectitudine sua potuit inclinari. *Vos misistis ad Ioannem, & testimo-*
Ioan. 1. *nium perhibuit veritati*. Miserunt Iudæi sacerdotes & leuitas, *vt interrogarent eum, tu quis es? Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus*: cum tamen ei flaret fauor popularis, & blandiretur existimatio cõmunis, non vt Christum prædicaret se esse, sed vt credentibus tantum non contradiceret. Sed & alias cum discipuli eius dicerent ei:
D *Rabbi cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*, nunquid hoc vento potuit agitari, aut de sua desertione, & alterius frequentia & gloria ad dolorem, vel inuidiam moueri? Imo constantia immobili ventum repellens & frangens, respondit: *Ipsi vos testimonium perhibetis, quia dixerim non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Laudauerat eum de constantia animi, & nunc laudat de contemptu corporis sui, ac superexcellentia gratiæ prophetalis, atque dignitate angelici officij & nominis. His etenim duobus
Gradus duo ad vitę spiritalis perfectionem. gradibus ad spiritalia ac diuina nititur humilitas humana, si videlicet aduersus irruentium tentationum ventos immobilis persistat, & desiderio spiritualium bonorum corpus affligat. Sicut enim in initijs, vt vincamus tentationes, corpus est castigandum ne regnet in eo peccatum: sic etiam victis tẽtationibus in eodem tamen est persistendum non solum metu recidendi, sed etiam desiderio proficiendi: vt scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fi-

E

at, & quanto leuius ac subtilius vinculum gestat, tanto ad spiritalia liberior assurgat. Ioannes qui antequam exiret de ventre sanctificatus erat, cui illud dicere competebat; Iob. 31.
Ab infantia mea mecum creuit sanctitas, & de vtero matris meæ egressa est mecum, quem nullus tentationis ventus agitare potest, nec mollibus tamen vestiebatur, nec suauibus vescebatur, sciens vtique quia sicut peccatoribus, vt sancti fiant, sic sancti vt sanctiores fiant, necessaria est seuerior viuendi disciplina. Nunc autem Deo gratias qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriam, sine pœnitentia veniam, sine opere iustitiam, sanctimoniam sine labore; delitiis carnalibus simul & spiritalibus affluere. Induimur, si non purpura & bysso, certe mollioribus & calidioribus quam sint purpura & byssus, & epulamur quotidie splendide, & nihilominus distenti & ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potius in sinu Christi cum Ioanne? Plane si ita est, melius nobiscum actum est, quam cum illis qui tantis emere laboribus, quod nos delicati gratuito possidemus.
F Plane si ita est, ridenda est magis quam prædicanda vita Ioannis: & omnem nationem filiorum Dei, qui dura & arta via secuti sunt vnicum patris, reprobare magis expedit, quam imitari? Verisimilius autem videtur quod non ita sit, sed magis sicut veritas dicit, *quia per multas tribulatio-* Act. 14.
nes oportet nos intrare in regnum Dei: & sicut discipulus veritatis perhibet, *quia vidua in delitiis viuens mortua est*. Ideo 1. Tim. 5.
Dominus cum de asperitate vestis laudasset amicum in omni domo sua fidelissimum, *Ecce*, inquit, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*: volens nimirum intelligi quia qui sectantur delitias carnis, regno huius seculi militant, non regno Dei. Heu quam terribilem sententiam cœlitus audiui contra mollitiem illius magnæ & purpuratæ meretricis? *Quantum*, inquit, *glorificauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Vtinam tamen his delitiis, tantum mollitie vestium, & suauitate epularum contenta esset teneritudo delicatorum, nec alias spinas vitiorum germinaret in eis ramus voluptatum, vt hoc esset omne peccatum eorum, deliciari, non luxuriari. Ipsi viderint, si ita extinctus est in eis ignis, vt tot fomentis circumpositis nequeat reaccendi: præsertim ventis ex aduerso flantibus, id est, verbis & rebus lasciuis tentantibus. Sileo tamen audite, quia sæpe viuit etiam in moriente, viget in sene: suscitatur & exurgit etiam sine fomite, fugit nullo irritante. Ipsi ergo viderint sibi, nihil enim mihi de aliorum conscientiis iudicare, cum sciam multos in omni copia & gloria mundi temperanter & e diuerso nonnullos in habitu asperiore & victu parciore nequiter egisse. Sed & scio regem Israel sub purpura sua cilicio ad carnem fuisse indutum, & panem solum nonnunquam regibus appositum; cum hodie delicatissima quæque ac mollia tegat pulla vestis pœnitentium, vel magis pœnitentiam profitentium: & fastidiis eorum non satis sint opes mundi, non satisfaciant artes & tormenta coquorum. Verum quia in huiusmodi causis facile quisque sibi inuenit patrocinium, alius infirmitatis, alius societatis cui morem gerit, alius honorem quem gerit: esto, vestiant vt volunt, comedant vt volunt, tantum ne excedat vlterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrare volunt, confiteri nolunt, quia tueri non possunt: & incipiant notari prouerbio mulieris nequam, quæ comedit, & tergens os suum dicit:
Non sum operata malum: Nam & de magna illa Babylone de cuius medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse, audeam dicere, *Quantum vult purpurata sit, quantum vult delicata sit, tantum meretrix non sit, nec deuaricet pedes suos omni transeunti*. Tu ergo si non potes imitari Ioannem in asperitate vestitus, vel parsimonia victus: vel in hoc imitari contende, vt non sis harundo vento agitata, & vt sapiens ait, Eccles. 5.
Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim peccator in duplici lingua. Sed esto firmus, inquit, in via Domini, ne proijciat ventus à facie terræ, seu loci cui professus es, seu regni cui præparandus es. Solet repente ventus vehemens irruere à regione deserti, & concutere quatuor angulos domus filiorum Iob, & fit ruina eius magna, si tamen super harenam fundata sit, nõ supra petram, si harundinea sit, non lapidea: imo si is qui ædificat eam, &

Margin notes (right column): Seuerior viuendi modus & peccatoribus & sanctis pernecessarius. — Delicias carnis consectantes mundo militant, non Deo. Apoc. 18. — G — H — Prou. 30. — Constanter agendum.

A inhabitat harundo fit: foris per hypocrisim nitidus, iactantia vel promissione cassa sonorus, intus veritate, vacuus. In secreto huius harundinis Behemoth dormire amat, quæ & in locis humentibus vbi nulla fluxarum rerum penuria, sed ad luxum superfluum omnia, sæpius & vberius crescit atque luxuriat. Huic harundini si quis initiatur, manum ei⁹ perforabit: quia si quis in adiutorium operis eum asciuerit, vel alicuius ei muneris functionem imposuerit, spetante in se graui scandalo vulnerabit. Patientia tamen Domini huiusmodi harundinem etiam quassatam non conterit, sed sustinet, vt in melius conuertatur. Nonnunquam etiam increpat feras harundinis, quæ cum principe suo in secreto eius dormiunt: nonnunquam iusti tanquam scintillæ æris candentis in harundineto discurrunt, qui tanquam carbones desolatorij, quidquid in eo steriliter syluescit incendunt, nouisque fructibus purum præparant locum. Hoc agebat Ioannes vox clamantis in deserto, non harundo, sed scintilla in harundineto, *cuius sermo*, vt scriptum est, *sermo scintillæ ad commouendum cor pigrum & stolidum, vt pararet viam Domino.* Hoc etiam nunc in nobis agat
B eadem vox, cooperante verbo ipso, cuius erat vox, Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Sap. 3.

Ibidem 2.

In Natali Apostolorum Petri & Pauli sermo I.

Zach. 4.

ET *respondi*, inquit Zacharias, *& dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Isti sunt*, inquit, *duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* De candelabro quod viderat totum aureum, & septem lucernas eius super illud intellexerat propheta: sed nec nobis dubitare iam licet, cum in lumine eius ambulemus, & in lumine eius videamus lumen. Hoc lumen cum alia demõstret, seipsum ignorari non patitur, sed testimonium perhibens de seipso loquitur, *Ego sum lux mundi.* Lux ex diuinitate: candelabrum
C ex humanitate. Et ipsum totum aureum, non auratum: quia siue diuinitas siue sapientia, siue charitas auro significetur, hæc omnia Christus non per participationem, sed per substantiam. Nos cum simus natura plumbei, vel magis lutei: gratia & participatione ipsius, non aurum vel aurei, sed vt multum aurati. Septem lucernæ super ipsum, septem spiritus, septem oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terram. De his ergo propheta certus, de duabus oliuis quidnam sint percunctatur, auditque ab angelo qui in eo loquebatur. *Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Interpretentur alij vt volunt, aut possunt, vnusquisque pro sensu suo, siue Enoch & Eliam, qui apud Deum in secreto viuunt: siue Moysen & Eliam, qui cum eo in monte visi sunt, siue duos ordines prædicatorum veteris scilicet ac noui testamenti: vt qui veteris, ad sinistram sint propter promissa temporalia: qui noui, ad dexteram propter ęterna. Ego quicquid à regula fidei non discrepat, aut à contextu lectionis non minime dissonat, suscipio, veneror, amplector. Puto tamen sine præiudicio
D melioris intellectus, Petrum & Paulum non absurde posse intelligi, imo absurdũ videri, qui hodie aliud interpretari velit, cum hodie nihil aliud cantet aut tractet Ecclesia vbique terrarum, quam præconia patrum doctorumque suorum. Nam & si aliis possit aptari, puto quia istis specialius congruit, seu illud quod tanquam duę oliuę circa candelabrum à propheta videntur, seu quod duo filij esse olei splendoris ab angelo memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio scilicet prophetica, interpretatione angelica: vt inde intelligantur oliuæ, quia filij olei splendoris: inde circa candelabrum, quia Domino assistunt. Quia enim ex oleo spiritus sancti sunt regenerati, hodieque floreut & fructificant sicut oliua fructifera in domo Domini: etiam oleastro gentili, qui in ipsos insertus est, impertiens pinguedinis suæ succum ac dulcedinis, gratias illis agat sterilis dudum & amara gentilitas: & si nõ ab ipsis tamen per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam precioso fructu per orbem abundat. Vobis tamen fratres quibus

Christus candelabrum aureum.

Ioan. 8.

E sicut substantia & domus vna, ita cor vnum & anima vna: vobis, inquam, specialius in ipsis censeo gloriandum, qui sicut nouella oliuarum de eorum radice traduxistis non solum fidei succum, sed & formam vitæ atque ordinis exemplum. Quod si nouella oliuarum vos, vtique & filij olei vos, filij vncti qui est Christus Dei: diceturque ei de vobis, cum hodie ad altare accedetis: *Filij tui sicut nouella oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.* O nouella oliuarum nobilium, ô generosum germen tam pinguium tamque feracium arborum: semper obsecro recordare de qua pullulaueris stirpe, de qua succreueris radice, ne vnquam sterilitas operum, aut amaritudo morum degenerem arguat, aut quod absit, inutilem ignibus addicat. Caue, quæso, notam infelicium temporum, de quibus meministi prophetatum, *Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.* Duo tamen præcipue tibi existimo cauenda; ne aut pertęporem fias sicut oliua proijciens florem suum, sicut legis in propheta, vt videlicet fructum quem in initiis feruoris promittebas non facias: aut cum feceris, ne per superbiam perdas, & dicat tibi Hieremias, *Oliuam vberem, pulchram,*
F *fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum:* sed heu ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt omnia fruteta eius. Confidimus autem de vobis meliora dilectissimi, tametsi ita loquamur. Confidimus, quia oleum splendoris, vel magis olei splendor cuiusestis filij, sicut & patres nostri Apostoli, vnctione sua docebit vos de omnibus: nec solum deterget torporem, quia oleum est; sed & discutiet errorem, quia splendor est. Scio posse intelligi olei splendoris, id est, quod de splendore filio procedit, vel quod splendorem illuminationis diffundit; sed puto quia non inconuenienter etiam per intransitionem accipi potest oleum quod splendor est. Vtrunque siquidem spiritus est in natura sui, & vnctio scilicet spiritalis & splendor inuisibilis, vtrunque in nobis operatur munere sui. Vngit affectus ex eo quod oleum est; illuminat intellectus ex eo quod splendor est. Qui tamen non ex alio atque alio, sed ex vno ipso & oleum & splendor est; quia non nisi vnum ipsum est. Vngit affectus, quia
G charitas est; illuminat intellectus, quia veritas est. Vngit affectus, cum deuotionem donat; illuminat intellectus, cum mysteria reuelat, cum bonitatem docet, *vt simus simplices sicut columbæ*, vngit affectus; cum scientiam docet *vt simus prudentes sicut serpentes* illuminat intellectus. Illuminat, vt habeamus in nobis salem; vngit vt habeamus inter nos pacem. In hoc igitur te nobis probabis filium olei splendoris, si suauem & vnctum per beneuolentiam discretum & maturum per sapientiam te nobis exhibueris; vt suauitas veritate sit condita, & æquitate charitas ordinata. Puto autem quod hanc geminam virtutem sui, vel effectum muneris sui, propter quam oleum splendor voluit dici, etiam in illo igne spiritus sanctus significauerit, in quo ipse inuisibilis, visibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor fuit in aspectu oculorum, oleũ, nisi fallor, fuit in sensu corporum; vt veluti in quodam lauacro olei viderentur sibi baptizati, cum super eos effunderetur ignis iste cœlestis. Veruntamen qualiscunq; fuerit in eis corporaliter sensus illius ignis, parum enim interest qualis sentiatur, sed qualiter operetur, illud, vt opinor, & probabilius
H dicitur, & religiosius creditur, quod idem ignis qui inflammauit corda, refrigerauit corpora; vt & per charitatem mentes arderent, & per castitatem membra frigerent, & vtrunque congrueret singulis, siue illud Hieremiæ, *de excelso misit ignem in ossibus meis*, siue illud Psalmistæ, *Caro mea immutata est propter oleum.* Nisi forte aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit spiritus, vt virtus in infirmitate perficeretur. Sed prosequamur quod propositumus. *Isti sunt*, inquit, *duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore: accipe disciplinam in eo quod ait, *qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*; vt agnoscat eos vere discipulos illius fuisse cui cantamus, Bonitatẽ & disciplinam & scientiam doce me. Hæc est nanque perfectio disciplinæ, tam in mente, quam in corpore; vt proponentes Dominum in conspectu nostro semper, semper & vbique maiestati æternæ, quæ nos inspicit, &

Psal. 27.

Hab. 3.

Hier. 11.

Spiritus sanctus & oleum & splendor.

Thren. 1.

Psal. 108.

Psal. 118.

De præsentia vbique metuenda.

[A] cit & iudicat sine intermissione, cum metu & reuerentia assistamus, peruigili fide ac iugi deuotione. [*Psal. 122.*] *Sicut oculi*, inquit, *seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*, intentissime & indeclinabiliter obseruans nutus eius, quid velit, quid iubeat, vt quam celerrime deuotio nostra obediat. Sic Moyses inuisibilem tanquam videns sustinebat, nec vnquam imminentis metum iudicis dissimulare poterat. Sic Helias & alij prophetæ qui dicebant: *Viuit Dominus in cuius conspectu sto.* Inde nimirum & gratiam & nomen assecuti sunt Videntium: quoniam quæ semper intuebantur per fidem non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil, non ficta, non dissimulatrix, ipsa est, vt arbitror quæ sola vel maxime facili compendio ad perfectionem perducit: quæ grauitatem disciplinæ, sobrietatemq; modestiæ, tam interiori, quam exteriori nostro tribuit, & velut in disciplina famulantium Domino semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli dici filij olei splendoris, vt sicut Domino astiterunt in terris contemplando per fidem, [B] ita nunc ei assistant in cœlis contemplando per speciem, regemque in decore suo videant oculi eorum, cuius timorem hic meditabatur cor eorum. Hac via fratres sequimini patres fidei vestræ, & auctores ordinis, quatenus eorum prouocati exemplis & adiuti suffragiis, quo ipsi hodie præcesserunt, peruenire valeatis, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

[*Cant. 4.*] DVo *vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Videte fratres ne degeneretis. Vt taceam de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, generosa sunt vbera quibus lactati estis. Mater vestra est sponsa cui hæc dicuntur, cuius vbera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo vbera Ecclesiæ Petrum & Paulum esse non solum inter- [C] pretatur nobis dies ista, in qua potamur ab vberibus consolationis eorum satis iocunde & abunde, sed etiam euidentia operis ipsorum approbant argumenta ac monumenta doctrinæ. Quibus enim aliis vberibus nutriti sunt filij Ecclesiæ, siue ex præputio, siue ex circuncisione? Istos vtique ego reor esse, de quibus olim paruulæ & pauperculæ consolatio diuina promittebat Ecclesiæ. [*Psal. 44.*] *Reges nutricij tui erunt, & mamilla regum lactaberis.* Nisi enim tam generoso lacte nutrita esset, nunquam ad hoc virtutis ac gloriæ culmen excreuisset. Ad vbera paruulos Petrus inuitabat, quibus dicebat, [*1. Pet. 2.*] *Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite.* Vbera Paulus præbuerat quibus dicebat, [*1. Cor. 3.*] *Lac vobis potum dedi. Et illud,* [*1. Thes. 3.*] *Factus sum in medio vestri sicut nutrix fedens, & nutriens filios suos.* Quam plenus autem lacte redundauerit, spiritali pulchre significatum est vnda illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cum decollatus hodierna die pro illis quibus dabat mamillam, dedit & animam. Plane nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum: qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantũ quod aliis vtile erat. [D] Nec tam habebat vbera, quam ipse totus vber erat: qui ita misericordia vberi affluebat, vt non modo spiritum suum desideraret totum filij immulgere, sed & corpus impendere. Antequam hæc duo vbera Petrum & Paulũ accepisset primitiua Ecclesia sanctorum in terris, conquerebatur & dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cœlis: [*Cant. 8*] *Soror nostra parua est, & vbera non habet.* Cum enim Christus rediens in cœlum reliquisset pusillum gregem discipulorum, ac nondum misisset spiritum suum, quo erant fœtanda viscera, & implenda vbera sanctorum: erat, vt opinor, illa Ecclesia in cœlis sollicita pro filiolis sponsi, siue iam natis, siue nascituris, cui videlicet committerentur alendi: eo quod Ecclesiam istam viderent paruam numero, virtute, & auctoritate, & sine vberibus doctrinæ. [*Cant. 3.*] Nam & ipse sponsus in diebus carnis suæ genuerat, aliquos verbo veritatis, & quandiu fuerat cum eis, lactauerat eos vberibus ædificationis & consolationis. Et ipse siquidem sponsus habet vbera meliora

[E] vino, id est doctrina legali, vel gaudio seculari. Habet inquam sponsus vbera, ne vllum de omnibus officiis & nominibus pietatis eum prætereat: vt qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam affectu clementiæ, sit & nutrix sedulitate officij & curæ. [*Christus non solum pater creatione & auctoritate, sed & mater & nutrix affectu clemẽtiæ.*] Erant igitur paruuli quos alebat initium aliquod creaturæ eius, sed non nisi initium: multumque supererat curæ & laboris, donec adducerentur ad perfectum, & formaretur Christus in eis. Cum autem & ipse reliquisset eos: superni spiritus, & si læti de reditu vnigeniti, de noua tamen adoptionis progenie solliciti, quodammodo affectu suo videbantur apud eum conqueri. Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi iuuenes, nec ad incrementum perduxisti virgines. Quis illos nutriet? Soror nostra parua est, & vbera non habet. [*Ioan. 21.*] Dixisti Petro, *Pasce agnos meos*, sed nec ipse adhuc sufficientiam lactis in vberibus habet. Cito pietas eius aresceret, qui plus adhuc cuti suæ quam animabus paruulorum timet. Facile relinqueret agnos in tentatione, qui pastorem tam suum quam illorum negauit in interrogatione. [F] Ecce autem repente spiritu misso de cœlo, tanquam lacte de propriis Christi vberibus effuso, Petrus impletus est lacte primo: nec multo post de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice: vt plane intelligeres totum eius sanguinem mutatum, in lactis dulcedinem, sæuitiam in pietatem. His igitur vberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fœcundam, sed & ciuitatem munitam. [*Cant. 8.*] *Ego*, inquit, *murus, & vbera mea turris:* Mille clipei pendent iam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem vberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic ait: *Duo vbera sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* [*Caprea Ecclesiam signat.*] Capream hoc loco accipimus Ecclesiam acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilẽ saltu ad transiliẽda spinosa huius seculi, potentẽ ad exuperanda venena serpentis antiqui. Cuius duo gemelli non inconuenienter, vt arbitror, intelliguntur hi duo apostoli: germani fide, consimiles deuotione, pares merito & virtute, vnanimes charitate, coniuncti in ipsa etiam passione [G] & morte. Quomodo enim in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Quia vero desiderio summorum pascuntur in profectu minorum, donec scilicet aspirante gratia tollant se ad contemplandum sublimia: bene de his hinnulis subditur: *Qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Animalia cum declinant æstum diei, captant vmbrosa pascua conuallium, vbi & liliorum solet esse prouentus vberior, donec spirante tempescentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic & hinnuli nostri quandiu nõ aspirat eis ad contemplandum clementior aura diei, æterni, pascuntur in liliis conuallium: id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum. Cum autem aspirat dies ille mentibus eorum, egrediuntur & saliunt ad vberiora & feliciora pascua montium æternorum. [*Ioan. 10.*] *Per me*, inquit, pastor & ostium, *si quis introierit saluatur, & ingredietur* Ecclesiã, *& egredietur* sæpius contemplando, semel migrando ad cœleste patriã, *& pascua inueniet*, & hic & ibi. Hic inter lilia agri, ibi inter ligna Paradisi. [H] Hic in floribus, ibi in fructibus. Hic in virtutibus sanctorũ, ibi in gaudiis angelorũ. Prorsus *in loco pascuæ ibi me Dominus collocauit*, [*Cant. 7.*] cum Ecclesiæ sanctorum associauit, cuius venter sicut aceruus tritici vallatus liliis, vt pascat simul & tritici gustu, & liliorum aspectu. Quid enim aceruus tritici, nisi copia diuini sermonis in tot libris vndique congestis? [*Lilia iusti sunt.*] Quid lilia, nisi iusti, qui germinant sicut lilium, & florent immarcessibiliter ante Dominum, quorum tantus candor in sanctimonia corporis & cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere & sermone? Non mediocre pabulum istud fideli animæ, videre circa se tot lilia tanta venustate & gratia florentia, vbi omnium virtutum ex eis, licet diuersarum ex diuersis, capere possit exempla. Iste fundatior humilitate, ille amplior charitate: Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam: Iste frugalitate parcior, ille labore vtilior: Iste deuotior in oratione, ille in lectione

pruden-

A prudentior, ille in quiete sanctior. Sed licet aliquam insignius florentem in vnoquoque gratiam meretis: non vnâ tamen, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim iusti tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hęc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, qd nisi pascitur in liliis? Pascebat Paulus, sed nihilominus in illis quos pascebat, pascebatur. 1.Thess.3. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum immo & alienum pascebat manibus propriis: mentem vero non tam suis pascebat bonis quam alienis, qui non quærebat quod sibi vtile, sed quod aliis. *Nunc viuimus*, inquit, *si vos statis in Domino. Quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona: nonne vos ante Deum?* Ideo sæpius ei aspirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura spiritus sancti, cuius vi rapiebatur ad interna pascua: aliquando paradisi, aliquando tertij cœli, *siue in corpore siue extra corpus, nescio*, inquit, *Deus scit*. Dignum quippe erat, vt qui fideliter pascebat, fideliter pasceretur: & qui foris gaudebat in bonis dominicæ familiæ, in gaudium Domini

B sui iuberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei: non solum istius visibilis pro qua sudabat, sed etiam illius inuisibilis ad quam spirabat, vnde & dies ei aspirabat. Nec minora de beato Petro sentienda puto, eum maxima sit gloria Pauli, illius coæquare meritis, quam iudicium veritatis potestate & primatu prætulit vniuersis. Cum enim pater qui est in cœlis veritatem vnigeniti Petro reuelabat, quid aliud quam dies ei æternus aspirabat, & dies diei verbum eructabat? Cui autem magis peruium fuisse cœlum credendum est, quam ipsi ianitori, cuius lingua clauis cœli facta est? Act.10. Qui potestatem habebat claudere cœlum nubibus, & aperire portas eius, quomodo ipse non sæpius intrasse credetur? Esuriit aliquando Petrus & cœlum ei apertum est, cum adhuc in terra consisteret, tantaque ei inde ciborum copia missa est, & adhuc multa supersint, licet plurima mactauerit, & mãducauerit immunda & virulenta animalia in sancta & florulenta conuertẽs lilia: vt videlicet delitiose pasceretur in liliis, donec aspi-

C rante die, gloriose in ipsis pasceretur cœlis. Sed ecce dum commendamus vobis duo hæc vbera sponsæ, hora iam præteriit, qua de ipsis vberibus lac vobis cupiebamus immulgere, quanquam & aliis diebus, hoc ipsum facere possimus & soleamus. De vberibus siquidem Apostolorum lac vobis trahimus, quotiens de verbis eorum ad ædificationem vestram tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis: vt sicut vbera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis, vt in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Saluatorem Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem: Item de eo quod scriptum est, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, III.

ERratis fratres in me, sed amore magis, vt arbitror, aut humilitate quam temeritate. Putatis me scripturarum scientiam habere, qui vix vnquam attigi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, vt mihi videtur, quod

D capitulum scripturæ de quo heri sum locutus, non sum ad finem vsque persecutus, quasi illa mihi sit facultas, vt valeam scripturas explanare, aut etiam explanationes aliorum digne & congrue ad memoriam reuocare. Sed neque D. Bernardum dicit. hoc mihi solet propositum esse, vt scripturam vnde sermonem ordior, exponam: sed vt de ipsa & secundum ipsam sermonem debitum suo diei persoluam. Huc accedit quod magister noster ille interpres spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit ex eis quæ iam edidit, quia si peruenerit ad locum de quo quæritis, *donec aspiret dies, & inclinẽtur vmbræ*: vmbras ipsas ponat in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit ei in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis & recte dicitis, quia vetera nobis superuenientibus proijcietis: quantoque magis incondita, seu rancida fuerint vetera nostra, tanto noua illius sapidiora erunt & gratiora. Nam & ipse Iesus seruat vinum bonum vsque ad extremum, sciens vtique quomodo nostro sit fastidio meden-

E dum. Quia igitur cogitis me: nam impatientes dilationis vos video, nec spes incerta futuri præsenti satisfaciat desiderio: ecce vobis morem gero, finemque versiculi de quo heri loquebamur, suo prout potero reddam principio. Illud enim quærere videmini, quid sit aspirante die spiritali vmbras inclinari, cum magis consequens videretur, vt non crescere, sed minui tunc & deficere dicerentur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est vmbris crescere, quod inclinari, cum vmbrarum ea natura sit, vt quanto inclinantur, tanto procumbant longiores: quantoque surgunt, tanto sint minores. Vnde & poeta vesperum significans ait: *Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.* Virg. Bucolicorum Ecloga prima. Sed sciendum, quia cum hæc proprietas vmbrarum sit corporalium, longe alia est spiritualium, de quibus non dubitamus hic loqui spiritum sanctum. Nam sicut corporalibus vmbris inclinari est crescere: sic spiritalibus hoc est inclinari quod deponi, minui, vel deficere. Vmbræ autem spiritales sunt vmbrosi spiritus & tetri, seu dæmonum, seu hominum: Vmbra spirituales nequam spiritus. vmbræ sunt tenebræ errorum: vmbræ sunt obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et vmbræ quidem significationum iam inclinatæ sunt ad occasum & finem: vmbræ autem eorum de die in diem incli-

F nãtur ad diminutionem: vmbræ vero tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum & mortem. Primum quidem factum est, cum dies æternus aspirauit, apparens in carne, secundum quotidie fit cum magis ac magis aspirat illustrans veritate: tertium nouissime fiet, cum aspirabit rutilans in maiestate. Videre autem mihi videor & alias vmbras intra nos, quæ velut in quodam speculo de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, & obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ refrigidant & obscurant nos: obumbrant nobis quæ refrigerant & illuminant nos. Iste quidem noxiæ & graues, illæ delectabiles & salubres. Iste nanque de inferioribus sunt & mundanis, ille de superioribus & diuinis. Anima nempe humana in quodam medio condita & posita est: vt sub ipsa esset mundus, supra ipsam Deus. Supra ipsam à quo & ad quẽ & propter quẽ facta est: sub ipsa, quod propter ipsam factum est. Anima humana in medio quodam constituta. Nam sicut propter animam corpus, sic propter

G corpus domus eius: id est, mundus. Cum igitur incuruatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam vmbræ de inferioribus; cum erigitur ad diuina, inclinãtur super eam vmbræ de superioribus. Illius eim rei quam cogitat, vmbra sibi format. Quanquam de diuinis satis dubia vmbra est, quantumcunque cogitationis exacuatur acies: aut certe non vmbra ipsius rei, sed aliud pro illa est, nisi cum aspirat dies ille. Nam tunc quoque non videtur, vt arbitror, nisi vmbra, quæ etsi luminosa, etsi gloriosa est, tamen vmbra est; sicut cum in facie speculi tersa & lucida, splendidissimæ rei splendens imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ipsius, vel veritatem faciei eius, sicut nunquam erit huius corporis; ita nec modo est huius temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissoluet mortalitas aut absoluet immortalitas, & tempus absorbebit æternitas, & spiritum qui nunc grauatur corpore & mutatur tempore, subleuabit ad se, & firmabit in se immortalis & immutabilis diuinitas. Initiũ huius gratiæ, & perfectionẽ illius gloriæ, Paulus satis proprie distinguebat, cum dice-

H bat. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1.Cor.13. Vt autem & hoc ipsum sit, scilicet vt videamus per speculum & in ænigmate, opus est non solum vt facies speculi nostri ab omni phantasmate & vmbra corporalium tersa sit: sed etiam vt ille sublimis, habitans lucem inaccessibilem, dignetur ad nos inclinari, & vel per vmbram suæ imaginis manifestari. Quantumcunque enim contendamus à visibilibus ad inuisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi eõ descendat illa maiestas. Moyses ascendit in montem, & Dominus inclinauit cœlos & descendit. Et alius, *Exurge*, inquit, *in occursum meum & vi[de]*. Psal.58. Ideo nec vmbra videtur, nisi inclinetur: nec inclinari dicitur, nisi aspirante die; quia neque per speculum & in ænigmate possumus Deum videre, nisi inclinante se maiestate, & aspirante fauore gratiæ. Sane hoc ipsum quod vmbra vocatur, comparatione manifestæ veritatis ineffabilis plerunque gloriæ est & splendoris, in illis scilicet

quorum

A quorum est perlucidum speculum mentis. Cuius fœlicis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibique similibus
2. Cor. 3. loquebatur. *Nos vero omnes gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, Sic enim in promissione dictum est: *Implebit in splendoribus animam tuam*. Vt autẽ claritates istas vmbras esse noueris, audi Dauid: *Dies mei*, inquit, *sicut vmbra declinauerunt*. Transibat quidem & ipse Dauid de claritate in claritatem, tanquam de die in diem. Sed heu, tam breues & obscuros dies tam longas & laboriosas noctes habet hyems ista, & vt propheta laborans in gemitu suo, lauansque per singulas noctes lectum lachrymis, merito plangat. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt*: Prorsus *melior est dies vna in atrijs tuis super millia* dierum meorum, quia dies mei sicut vmbra quamuis lucida: dies illa vna, lux vera & mera: sicut sine vmbra, sic sine vespera: cum dies meos faciat plurimos & breuissimos assidua longarum noctium interpolatio. Cæterum si quæratur cur vmbræ pluraliter dictæ sint, cum res ipsa cuius vmbræ sunt vna sit, ideo
B nimirum, quia nunc minus nunc amplius nobis amplissimi virtus obumbrat: nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat: & sicut non æqualiter semper spirat, ita nec similiter semper nobis imagines format. Hoc & Apostolus innuit qui transire se conatur à claritate in claritatem, à minore, scilicet in maiorem: & propheta qui non splendore, sed splendoribus implendam promittit fidelem animam. Sic Iacobus Deum
Iacob 1. memorat patrem luminum, cum lumen cuius pater est & vnum sit & vnicum. Quanquam sic possit intelligi pater luminum, quomodo pater misericordiarum. Iam vero vos fratres qui laboratis portantes pondus diei & æstus, vel secundum Esaiam, in spiritu vestro duro meditamini per diem æstus, ad vmbras istas placet inuitare: quas ille dies serenus aspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad vmbrarum refrigeria clementer vos inuitantem: *Venite ad me omnes qui labora-*
Matth. 11. *tis & onerati estis, & ego reficiam vos*. *Seruus* enim *sub sole labo-*
C *rans*, vt ait Iob, *desiderat vmbram*, in qua scilicet à labore re-
Iob 7. creetur ad laborem, vel per horam dimidiam qua silentium fit in cœlo: quam cum obtinuerit indulgentia Prioris sui, gloria & dicit, *Sub vmbra illius quam desiderabam sedi*. In qua nimirum vmbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, congrue subdit: *Et fructus eius dulcis gutturi meo*. Sic enim dictum est per prophetam, *Conuertantur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt sicut vitis*. Seruus seu mercenarius quem sæpius hæc vmbra recreauerit, longanimiter præstolabitur finem operis sui: sic enim habes, *Seruus desiderat vmbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui*. In vmbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cum euacuatis omnibus vmbris, videbimus eum sicuti est: cui modo dicimus, *In vmbra tua viuemus inter gentes*:
Thren. 4. inter angelos nempe, non in vmbra, sed in luce manifesta. Hoc autem notandum, quod cum vmbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, vmbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum enim diuinis propinquamus, mundana superamus: & quatenus vel ad vmbram lucis accedimus, eatenus mortis vmbram euadimus. Lux
D enim & vita in cœlo, mors in inferno: vmbra autem mortis in hoc terreno & tenebroso loco. Cum igitur spiritus altius nos eleuat inter terram & cœlum, non tangimur vmbra terrenorum: & licet nondum plena luce fruamur cœlorum, tamen vmbris illuminamur montium æternorum: vel certe montis illius vmbrosi & condensi, de quo venit sanctus sanctorum. Mox tamen pondere nostro, in regionem vmbræ mortis reuoluimur, vbi & diutissime sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consolemur. Cogimur inquam, & vtinam cogamur & non delectemur: vtinam quod patimur, necessitatis tantum, sit non etiam voluntatis aut voluptatis. Sed heu tam facile, tam libenter proijcimus nos, & obdormiscimus sub graui vmbra iuniperi spinosæ, & infructuosæ arboris, tam negligentes & securi torpescimus & immorimur curis & desiderijs huius mundi. Propterea Leuiathan qui sub vmbra dormit, cubile sibi, nisi præcaueamus, ponit in nobis: quia vi-

E delicet amicas sibi vmbras huius seculi inuenit in sensibus & affectibus nostris. Istæ siquidem vmbræ, teste
Iob 40. Iob, protegunt vmbram eius, quia nimirum curæ & desideria secularia quæ sunt in nobis, vmbram nobis abscondunt imminentis damnationis, vt eam non præuideamus, donec in ipsam impingamus. Aspira ô dies dierum, obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina
Ibidem. super nos vmbras salutis & refrigerij: & inclinentur subtus nos vmbræ torporis & tædij, immo cæcitatis & mortis. Et licet contingat nos vmbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, id est, vmbræ crassiores de amore eorum: sed semper respiremus in luminosum amorem tuum, ô pater luminum, qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

In Assumptione sanctæ Mariæ sermo I.

VEni electa mea, & ponam in te thronum meum. Multi vocati, pauci vero electi. Beati quos elegisti Domine habita-
F bunt in atriis tuis imo in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sane omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa & prælecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi
Psal. 131. dicens. *Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*. Habitauit in ea nouem mensibus, habitauit cum ea & sub ea, annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatũ, habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suauitate morum, & diuinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autẽ & in ea & cum ea, sicut interminabili æuo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum: foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam verbi glorificantis imprimens. O Maria non vocaberis ait Dominus, vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra desolata, vt quia virgo, ideo sis infœcunda: Sed vocaberis voluntas mea, id est, dilectus filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.
G Habitabit enim iuuenis in virgine, & habitabit in te filius tuus, imo si magis placet, vt non recedamus à verbis scripturæ, habitabunt in te filij tui. Quid hæretice caput erigis? Quid mysterium pietatis, ad occasionem perfidiæ rapis? Vnum quidem genuit, qui sicut vnicus est patri in cœlis, ita vnicus est matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemas, alios postea filios genuit, sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre, ita sacramentum catholicæ vnitatis in prole. Ipsa tamen vnica virgo mater, quæ se patris vnicum genuisse gloriatur, eundem vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniumq́; in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari nõ confunditur. Eua vetus illa, non tam mater quam nouerca, Eua nouerca nõ mater. quæ filiis ante propinauit præiudicium mortis, quam initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viuentium, sed inuenta est verius interfectrix viuentium, seu genitrix morientium; cum suũ generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista impleuit mysterium; quæ & ipsa sicut Ecclesia cuius forma est, mater est omnium ad vitam Maria mater est vitæ. renascentium. Mater siquidem est vitę, qua viuũt vniuersi;
H quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur; quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis; sic in Christo ante initium, propter semen spiritalis regenerationis. Porro beata mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterij, cura quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui cuius viscera semen quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. *Benedictus* siquidem *fructus ventris tui*, grauidam te ô pia mater mater inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens & affluẽs, & in horto concluso

A elauso castitatis, fontem signatum charitatis semper abundare faciens: qui licet signatus sit, foris tamen deriuatur, & in plateis aquæ eius nobis diuiduntur. Licet nanque fons charitatis proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis, beneficium tamen eius impartire gaudet etiam inimicis. Denique si seruus Christi filiolos suos iterũ atq; iterum parturit, cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quãto magis ipsa mater Christi? Et Paulus quidẽ genuit eos, verbũ veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria antẽ longe diuinius atq; sanctius verbum ipsum generando. Laudo quidẽ in Paulo prędicationis ministeriũ, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysteriũ. Vide autẽ si non & filij matrem videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem nominis eius, primo vel maxime refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam paruuli ad sinum matris. Vnde nimirum de his filijs puto non absurde intelligi, quod per prophetam
B promissum est ei, *Habitabunt in te filij tui*: saluo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. (*Esa. 62.*) Et nunc siquidem habitamus in adiutorio matris altissimi, in protectione ipsius commoramur, tanquam sub vmbra alarum eius: & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur. Tunc erit vox vna lætantium & aggratulantium matri: Sicut lætantium omnium nostrũ habitatio est in te, sancta Dei genitrix. Nullatenus autem credideris maioris esse fœlicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ quam in sinu Mariæ, (*Maria thronus Dei.*) cum thronum suum in ea posuerit rex gloriæ. *Veni*, inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meum.* Non poterat signantius, aut elegantius describi prærogatiua gloriæ eius, quã vt thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine, aut familiaritate copiam sui diuina maiestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem (*Matt. 19.*) Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur: In regeneratione cum sederit filius hominis
C in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes. Alibi quoque promittit idem agonotheta noster, de cœlo spectans & incitans decertantes: (*Apocal. 3.*) *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei sedere mecum in throno meo*, sicut & ego vici & sedi in throno patris mei. Matri vero cuius longe differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni*, inquit, *electa mea: & ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, vt iudicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias: vt maiestatem regnantis eo fœlicius quo familiarius in te contineas, & specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio: continebis immensum in animo. Fuisti diuersorium peregrinantis: eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo: eris solium triumphantis in cœlo: Fuisti thalamus sponsi incarnati: eris thronus regis coronati. O filij Dei nihil tibi nihil in illo tuo displicuit hospirio: quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat
D tua dignatio. Nihil vtique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornauerat thalamum virgo prudentissima, te regem Christum non solum hospitẽ suscepturа: sed & sponsum habitura. Adornauerat, (*Psalm. 44.*) inquam, multiplici decore virtutum & gloria, tanto fortasse locupletius, quanto pauperior erat: tanto vtique tutius & verius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietate.* Et alius, *O quam pulchra est casta generatio cum charitate. Domum tuam decet Domine huiusmodi sanctitudo & decor.* Is decor te inuitauit, vt intrares: illexit, vt redires. Intrans benedictionis gratiã multiplicasti: sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ: nunc autem thronum gloriæ. Dicuntur quidem & sunt alij throni, quidam scilicet spiritus diuini, præ alijs vt putamus subiectis ordinibus Dei præsidentis maiestate pleni: quorum quæ sit præ-

E rogatiua scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cuiuslibet iusti dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profecto tunc erit & gloriæ. Sit igitur illud cœli palatium plenum sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se & aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine iniuria vel inuidia cæterarum sediũ quoddam esse speciale regis solium excelsum & eleuatum super gloriã omnium, Mariam dico exaltatã super choros angelorũ, vt nihil contempletur supra se mater nisi filiũ solum, nihil mereatur supra se regina nisi regem solum, nihil veneretur supra se mediatrix nostra nisi mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commẽdet, & repręsentet vnico filio suo Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

F *Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo.* Verba ista quæ à nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad (*Cant. 5.*) assumptionem beatæ Mariæ possint videri pertinere, volumus si placet cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo secularium, sed etiam Ecclesiasticarum auctores literarum nonnunquam vsi sunt: maxime in tractandis canticis, vnde hæc sunt sumpta. Hoc nanque genus sermonis, salua veritate quadam ampliori vtitur libertate, cum videlicet sumpto thema re causæ, vt beatus Hieronymus ait, non tam loquitur, quæ reuera facta vel dicta sint, quam eiusmodi fuisse negotium ostendit: vt ea quæ dicuntur, & si facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, aut etiam in affectu facientis, vel dicentis fuisse non absurde credi possint. Maria igitur migratura à corpore decumbebat, vt est humana infirmitas. Porro filiæ Hierusalem quæ sursum est, id est angelicæ virtutes, scientes nimirum quia obsequiis matris captanda est gratia filij, visitabant satis officiose ac deuote dominam suam, matrem domini sui. Et fortasse aliquid huiusmodi primo post salutationis officia locuti sunt ei angeli:
G sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel vsui. Quid est obsecro mi domina, quod sic ægra videris & languida? Quid est quod præter solitum tristis & pigra, ab heri & nudiustertius sicut solebas non sancta reuisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Iam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Caluariæ ascendentem, vt ibi locum crucis impleres lachrymis, aut ad sepulchrum filij adorantem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliueti deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Iosaphat commorata (vbi & sepulchrum eius monstratur, vt ait beatus Hieronym.) in Ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu: ne scilicet à sanctis locis longius recederet, sed sæpius ea innisens, licet omnia memoria teneret, forma tamen gestorum velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulcius amplecteretur, vt vel sic suũ aliquatenus amorem solaretur. Causam itaque percun-
H ctantibus illis, cur ab his modo vacaret, & ex toto decumberet: *langueo*, inquit. Pape langues? Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitauit? De corpore illius filij tui virtus exibat & sanabat omnes, adeo vt etiam fimbria vestimenti Æmorroissam sanaret, & tu quæ tamdiu ipsum in vtero, in sinu, in gremio continuisti, quomodo postea vlli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quod id miremini: si illud ipsum corpus filij mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisve defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego noui, quæ ipsum in vtero alui, vberibus lactaui, sinu foui: nec solius infantiæ, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis vt potui ministraui: ad extremum non sine passione mea, ludibria & supplicia passionis & crucis aspexi, per singula discens quam vere de eo noster Esaias (*Esa. 53.*) dixerit. *Vere languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit.* Cur * ego doleam non eum meo dedisse cor- (*ergo.)

A pori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba: vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte, pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sane aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento: sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique vt minus miremini languorem meum: *amore langueo.* Langueo plus impatientia amoris: quam passione doloris. Plus vulnerata charitate: quam grauata infirmitate. Heu, inquiunt illi, quam frequentes imo continuæ causæ languoris! Bone Iesu quomodo hæc mater tua postquam te genuit, nunquam fere nisi in languore fuit! Primo languit timore, postea dolore, nunc amore. Timore à natiuitate vsque ad passionem, cum semper vitam filij insidiis appeti videret: dolore, toto tempore passionis, donec rediuiuum reciperet: nunc amore & desiderio fœlicius sed miserabilius cruciatur, quia sedentem in cœlo non tenet. Quomodo Iesu bone qui summi factus es gaudij,
B tam longe factus es illi causa martyrii, vt charissimam tibi ipsius animam, tot & tam acuti sine cessatione pertranseant gladij? Sed obsecramus te domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltem vt resideat hic iste Gabriel symmistes tuus, vt assideat & ministret tibi, qui ab initio conscius & minister mysterij tui, custos quoque tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit. Sufficit mihi virgo meus, nouus in carne angelus, discipulum dico quem diligebat Iesus, cuius me dilectionis hæredem reliquit, eum illum mihi & me illi in cruce commendauit: cuius obsequio nihil mihi gratius, quia conuersatione & affectu nihil castius, moribus nihil suauius, nihil syncerius fide, nihil sanctius sermone. Nos ergo, aiunt illi in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filiæ,* inquit, *Hierusalem, nunciate dilecto, quia amore langueo.* Ipse nouit quomodo meo medendum sit languori. At nosti, inquiunt, quia cum sciat omnia, de multis quasi nesciens interrogat. Si ergo quæ-
C sierit quid illud sit quod tuo vulneri velis adhiberi, quid respondebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi, Gabriel iste meus paranymphus, non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur tantum ne iudicer temeraria, quod maiora me quærere videar. *Osculetur me osculo oris sui.* Si quid mihi conscia essem contenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formauit ipse conditus & conditor? Cum paruulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filijs hominum mihi libebat, satis licebat: nunquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderij eram nimia: ipse tamen more suo morem matri gerebat. Gaudebat eam replere gratia, quæ diffusa erat in labijs eius, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia, & desiderium castarum scilicet animarum. Vnde sicut ipse de se confitetur, *Qui edunt me adhuc esurient & qui bibunt me adhuc sitient:* quanto gratiam oris illius gustaui suauius, tanto nimirum repeto nunc ardentius. Creuit quidem gloria & maiestate: sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine & bonitate. Nihil ad illum illud superbiæ secularis elogium: *Honores mutant mores.* Sublimior est, sed non superbior: Gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet matrem quam elegit, nec æternam electionem suam, nouo iudicio reprobabit. *Ne timeas Maria,* ait Gabriel more suo: *inuenisti enim gratiam apud Deum.* Etiam in cæteris quæ longe iacent tuis sub vestigiis, probare consueuit improbitatem huius affectus & precis: qui nihil nimium, aut iniuriosum sibi deputat, quod in eum vera duntaxat charitas præsumat. Et conuersus ad sociam multitudinem, eamus, inquit, eamus: ne ipsi filio facere videamur iniuriam, si gloriam matris differamus. Cum ergo reuersi nunciassent hæc Domino suo, quid putamus Iesum nisi tale aliquid locutum? Ego sum qui patrem & matrem filijs honorandos commendaui, ego vt facerem quod docui,

Eccl. 24.
D

E & exemplo essem alijs, vt patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus vt matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi & præparaui ei locum, thronum gloriæ; vt à dextris regis regina coronata consedeat *in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Neque hoc dico quod in parte thronus ei collocetur: quin potius ipsa erit thronus meus. *Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum.* In te mihi quandam regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea: nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Comicasti mihi præter alia quod homo sum: comicabo tibi quod Deus sum. Flagitabas osculum oris, quinimo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili: Quia concupiui speciem tuam, etiam desiderantius, quam tu meam, nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris. *Gloria tibi Domine Iesu,* subintulit chorus angelorum. *Gloria tibi*
F *Domine Iesu,* ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam: te præstante cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem III.

IN *omnibus requiem quæsiui.* Grata quies fessis. Grate igitur & oportune vobis qui fessi estis dies iste quietis & feriationis interuenit, vt dum sanctæ Dei genitricis requiem celebramus, non solum corpora recreentur hac diurna quiete à labore messis, sed etiam corda respirent, in recordationem & amorem illius æternæ quietis. Et ibi tamen ô fratres, ibi etiam metetis, sed requiem metetis qui nunc laborem huius messis seminatis: fructus huius laboris illa requies erit; requies à labore, merces pro labore, cuius etiam recordatio fideles vires reparat in labore. Vmbra est æstuantibus, cibus esurientibus. Sic enim Eccl. 24.
G aitilla, quæ memoriam abundantiæ suauitatis eius eructabat; *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* O qui laboratis, ô qui portatis pondus diei & æstus, sub vmbra alarum Iesu inuenietis requiem animabus vestris, firmamentum, vt scriptum est virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridiani: vt ex sententia cordis sit illa confessio oris; *Domine Domine virtus salutis mea, obumbrasti super caput meum in die belli, in die æstus & laboris, certaminis & tentationis.* Cum enim meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solum ab æstu tentationum refrigerat, sed etiam ad laborem animos innouat: iuxta illud quod scriptum est de asino forti Ysachar. *Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum ad portandum;* id est, desiderio illius quietis & hæreditatis sponte humiliauit se ad laborandum. Et iste ergo dicere potuit, *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor.* Fœlix qui in omnibus laboribus & viis suis requiem quærit beatam; semper festinans ingredi, vt Apostolus monet, in illam requiem, eius desiderio corpus affligens, animum autem iam illi requiei parans & componens; cum omnibus hominibus, quod ex ipso est, pacem habens, requiem & otium Mariæ voluntate præligens; laborem autem & negotium Marthæ necessitate quidem suscipiens; sed quanta præualet pace & quiete spiritus adimplens, & semper ad illud vnum necessarium de illa multiplici distractione sese recolligens. Homo huiusmodi etiam cum laborat, quiescit; sicut è diuerso impius etiam cum quiescit, laborat. Quomodo enim quiescerent, quibus Deus immittit rotam malorum; quibus iurauit in ira sua si introibunt in requiem meã? Extra illam non est nisi afflictio & miseria, & in circuitu eius tempestas valida: sicut & in natura rerum fit, vt quicquid extra simplicitatem & vnitatem puncti fuerit, in motu & agitatione sit; tantoque concitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principij sui, id est, à medietate centri recesserit longius. Sane in circuitu impii ambulant, quibus Deus immittit rotam malorum, ideoque in illam internam

Cant. 2.
Psal. 139.
Gen. 49.
Requies semper quærenda.
Heb. 4.
H
Requiem mali habere nequeunt.

&

A &æternam requiem intrare non possunt. Ideo contritio & infœlicitas in vijs eorum, quia viam pacis non cognouerunt: quia nec quæsierunt, vt dicere possint. *In omnibus requiem quæsiui*: vt videlicet in multiplicitate actuum suorum quibus turbantur & turbant, vnum quod est necessarium cogitent aut requirant. Iustorum potius est vox illa, qui & dicere possunt. *Vnam petii à Domino hanc requiram*: vultum tuum Domine quæsiui, vultum tuum requiram: qui non nisi quietis illius amore laborant, qui omnino præoptant ingredi putredinem in ossibus suis, vt requiescant in die tribulationis, quam in bonis ducere dies suos, & in puncto ad infernum descendere. Si quis tamen curiosius inquirere velit, cuius potissimum vox illa sit, *In omnibus requiem quæsiui*: vox est vtique sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cuiuslibet sapientis animæ. Sapientia in omnibus requiem quæsiuit, sed in solis humilibus inuenit: Ecclesia in omnibus mundi nationibus requiem quæsiuit, sed in solis credentibus inuenit. Maria sicut & quælibet fidelis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsiuit, sed hodie demum inuenit, cum post persecutionem Herodis, & fugam Ægypti, post tot insidias & atrocitates Iudaicæ impietatis, post tot passiones suas, de passione & morte filij: postquam tot & tam acerbi ipsius animam pertransierunt gladij, tandem hodie dicere datum est ei: Conuertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Qui creauit me, creatus ex me, requieuit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cœli sui. Qui enim gratiam vltro cumulat alijs, pat pari quomodo non referet matri? Perge Maria perge secuta in bonis filij tui, fiducialiter age tanquam regina, mater regis & sponsa, Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est quod tibi debetur, regnum & potestas: Indiuisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne vna, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis & vnitatis mysterium: dum scilicet saluo honore naturæ, geminato munere gratiæ iuncta est, mater in matrimonium. Requiesce igitur ô fœlix inter brachia sponsi, replicabit tibi (ni fallor) inter amplexus & oscula, quam suauiter requieuerit in tabernaculo corporis tui, quam suauis in cubiculo cordis tui. Non est iniustus Deus ô fratres, vt obliuiscatur operis boni, viuit semper apud eum memoria beneficij semel accepti, Beatus apud quem Deus vel semel requiem inuenerit, in cuius tabernaculo vel hora vna requieuerit. Ecce nunc quoque sapientia clamitat in plateis, *In omnibus requiem quæsiui*, pulsaui, nec fuit qui aperiret: vocaui, nec fuit qui responderet. Filius hominis factus secundum prophetam velut vir vagus, & quasi viator declinans ad manendum, non habet vbi reclinet caput suum, foris stat plenus caput rore, & cincinnos guttis noctium. Quis ille in nobis tam humanus atque hospitalis, vt surgat & aperiat ei, & inducat in cubiculum suum, aut certe ostendat ei cœnaculum grande stratum, vbi cum discipulis pascha manducet nouum? Hoc enim dico fratres, nisi requiem quam quærit inuenerit apud nos, nec nos optatam requiem inueniemus in illo. Ait quidem Dominus per prophetam, *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala parabit ei Dominus*, vicissitudine debita, *requiem & refrigerium*. Si ergo humanitatem membris suis exhibitam Deus imputat sibi, quanto magis quod ipsius fit spiritui, cum gratiarum actione recolet, hospes, inquiens, fui & suscepistis me? Nunquid enim multorum paupertas sanctorum, quæ vagos colligere, esurientes pascere non sufficit, Domino qui magis apud pauperes hospitari consueuit, inhumana & inhospitalis erit? *Super quem* autem *requiescam*, inquit, *nisi super humilem & quietum & trementem verba mea*? O humilitas angusta tibi, ampla diuinitati, pauper & insufficiens tibi sufficiens ei quem non capit orbis: copiose ac delitiose reficiens illum qui & angelos pascit. *Super quem*, inquit, *requiescam nisi super humilem? In omnibus requiem quæsiui*: sed apud humilem ancillam inueni. Non est inuenta similis illi in gratia humilitatis: ideo in plenitudine humilitatis requieuit etiam corporaliter omnis plenitudo diuinitatis. Quanquam aliter requieuerit in filio, quia etsi mater humillima, longe tamen filius humilior. Idcirco spiritus septiformis non solum super ipsum requieuit: sed etiam omnibus qui mites & humiles ab eo esse didicerunt, diuersas in eo fœlicissimæ quietis mansiones præparauit, imo totum ipsum quoddam aureum fecit reclinatorium adquiescendum. Huius nimirum reclinatorij beatissimam requiem visus est quadam specie prælibasse, qui supra pectus eius meruit in cœna recumbere. Sed adhuc libet intueri: quam plenum rationis & congruentiæ sit quod ait, *super quem requiescam, nisi super humilem & quietum*. Quomodo namque super inquietum aliquid quiesceret, quomodo super basem, quæ nutaret aut vacillaret, columna immobilis staret? Quis autem nisi humilis, quietus esse potest? Quis nisi humilis in pace quieti & modesti spiritus seipsum possidere potest? Impium proiicit ventus à facie terræ, circumferturque omni vento doctrinæ. *Impius*, inquit propheta, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest*. Feruet ita, æstuat auaritia, intumescit superbia: seipsum iugiter pugna quatit intestina, ac seditione collidit domestica. Vt ergo requiescat in vobis ô fratres mei amator ille largitorque quietis: date operam iuxta consilium apostoli, vt quieti sitis. Quonam modo istud erit: *Dico*, inquit, *vobis: Vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris*. Opus est onus quo veluti pondus nauibus, ita quies & grauitas inquietis additur cordibus: sed exterioris hominis fundatur atque componitur status. Magnorum initium malorum est, sicut legistis, mulier vaga, quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Nec sine causa est quod magister gentium hoc inquietudinis malum sic habet suspectum: vt non solum correptione, sed etiam separatione censeat illud persequendum. *Rogamus*, inquit, *vos fratres, corripite inquietos*. Et item in secunda ad eosdem Thessalonicenses inter alia quæ super inquietos velut è cœlis tonabat: *audiuimus*, inquit, *inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes sed curiose agentes. His qui eiusmodi sunt denunciamus, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur*. Si quis forte, quod absit, eiusmodi inuenitur inter vos pulchrius & honestius, antequam tam grauiter & publice notetur, vltro confundetur: inde scilicet, quia notabilis est, & dissimulatur: reprehensibilis, & toleratur. Sic autem confundatur, vt confusione corrigatur, correptione lætetur, lætificetque non modo nos, sed spiritum Dei: qui cum dicat in omnibus requiem quæsiui, non inuenit eam nisi in quietis, nec præstat nisi quietis. Vnde & inquietos per prophetam reuocat & compescit: *si reuertamini, & quiescatis, salui eritis*. Omnes ergo pariter sic operam demus, vt quieti simus, vt in quiete nostra semper in meditatione æternæ quietis occupemur; ac desiderio illius ad omnem parati laborem inueniamur. Hoc nobis impetret beata Dei genitrix cuius requiem celebramus, ab eo qui requieuit in tabernaculo corporis & cordis eius. Ipse est requies æterna Christus Iesus; cui est honor, & gloria per omnia secula seculorum. Amen.

Marginalia (left column): Psalm. 26. — B — Esaia. 66. — C — Hier. 14. — D — Esa. 28. — Esa. 66.
Marginalia (right column): E — Christus reclinatorium nostrum. — Nemo quietus, nisi humilis. Esa. 57. — F — 1. Thess. 4. — Vt quieti simus danda est opera. — Prou. 8. — G — Esa. 30. — H

Sermo de eodem IV.

MAria optimam partem elegit. Hoc de Maria sorore Marthæ scriptum est; sed in Maria matre Domini hodie plenius & sanctius impletum est. Hodie namque beata virgo Maria optimam partem elegit, imo quam dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit; vt scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterque fruatur Dei verbo. Nec alienum aut incongruum si quod de illa Maria dictum est, in istam transsumatur; cum ad conuenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio texit, hæc thalamo suscepit vteri. Et *qui creauit me*, inquit, *requieuit in tabernaculo meo*. Illa *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*; hæc sedula circa cu- Luc. 10.

A ram humanitatis eius, *conseruabat omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo.* Sed & cum euangelizans circumiret Iesus ciuitates & castella, Maria comes indiuidua vestigijs eius adhærebat, pendebatq; ex ore docentis: adeo, vt nec procella persecutionis, nec horrore supplicij à consectatu filij & magistri potuerit absterreri. *Stabat*, inquit, *iuxta crucem Iesu, Maria mater eius.* (Ioann. 19.) Plane mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, imo fortior quam mors erat? Plane iuxta crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus filij cernebat vulneribus. Merito igitur ibi mater agnita est, & cura ipsius, idoneo tutori delegata est, vbi maxime probata est & matris ad filium syncera charitas, & filij de matre vera humanitas. Nam alias velut dissimulasse matrem visus est: siue cum in nuptiis flagitanti miraculum ait, *quid mihi & tibi mulier*, siue cum in mediis sermonibus euangelii dicenti cuidam, *ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: quæ est*, inquit, *mater mea?* (Matt. 12.) B Sed & matri cum miraculum posceret, sic respondendum erat, vt aliunde quam à matre se miracula habere significaret: & illi qui sermonem euangelii parentes annunciando interrumpebat, melius respondere non poterat, vt videlicet spiritalia carnalibus præferenda monstraret. At si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio euangelii quærentibus. Quid est quod me quæritis? *Nesciti, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* Absit enim vt matrem aspernatus sit: qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit. Absit inquam, vt in terra fastidierit matrem: cuius è cœlo concupiuit decorem. Imo potius ordinabat in nobis charitatem, tam verbis quam exemplis nobiscum agens, vt carnalium affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus dilectionem: sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. (Christus charitatis ordine exemplo nos docuit.) Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium nostrum, quos summi patris adoptauit dignatio: quo fideliter dicamus cum ipsius vnigenito. (Matt 7.) C *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Prorsus filiis Dei competit vox ista, nec vllum fidelius testimonium reddit ipse spiritus spiritui nostro, quod simus filij Dei: quam vt sonet de cordibus nostris hæc vox vnigeniti Dei. Itaque Mariam quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat: quandoquidem & ipsa voluntatem patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret pater, vocaberis voluntas mea in ea. Igitur vbi eam visus est ignorasse filius, ibi amplius honorasse inuenitur: dum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eundem filium quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum. Cæterum cum dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, vt non solum propter ipsam finem viuendi, verum & in ipsam finem pene faceret loquendi: dum velut inter vltima verba testamenti curam matris, cuius debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi. Sic quippe inter Petrum qui plus diligebat, & Ioannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam D Christus diuisit: vt Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam. Huic plane competebat hæc portio non solum iure propinquitatis, sed etiam amori priuilegio testimonioque pudoris. Decebat namque vt non nisi virgo virgini deseruiret, quatenus & virgo beata diuino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis, & virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, vt de contubernio proficeret tantæ sanctitatis. Qui etiam, quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris: mysteria quoque diuinitatis, & arcana verbi incorrnptibilis sibi credi promeruit. Decebat, inquam vt matri Domini non alius obsequeretur quam dilectus filij, quatenus & mater semper suspirans filium in dilectum filii suauius respiraret: & discipulus magistrum sibi conquerens nimis cito subtractum, magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idq; nefatis commode prouisum vt scripturus Euangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium: quippe quæ ab initio omnia filii sui diligentius obseruauerat, *conseruans omnia verba quæ de illo erant, conferens in corde suo.* E Sic nempe se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi: vt nihilominus Mariæ partes executa credatur, in studio verbi cognoscendi. Maxime tamen postquam idem filius ascendit vbi erat prius, mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoque spiritu (quem præter singulares illas conceptus sui primitias communiter cum Apostolis acceperat) plenius illuminata: gaudebat nimirum vacare & videre quoniam Iesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudij summæque delectationis omnibus qui diligunt Iesum: sed præ omnibus illi quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi: sicut & prærogatiua gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atque incomparabilis gloria virginis matris, videre Deum regem omnium in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoscat & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, vt opinor contemplationibus pascebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non ablata, sed perfecta est hodie in ea. F Quia enim negligens aut surgens aut segnis non extitit in opere Marthæ, nequaquam vacua derelicta est à fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Propterea*, inquit, *quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.* (Esaia. 53.) Vobis hæc dicimus fratres vt si quis desiderio tangitur illius optimæ partis, quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius quæ in Martha non improbatur: nec æquum est vt præmium ante meritum requiratur. Iacob prius oportet iungi Liæ quam fruatur amplexibus Rachel: sed & ipsum prius vocari & esse Iacob, quam Israel. (Eccl. 32.) Rectorem, inquit, te posuerunt, curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos: & ornamentum gratiæ accipias coronam. Labor siquidem operis, seu sollicitudo amministrationis, semina sunt iustitiæ: pro quibus gaudia metenda sunt ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait propheta, *Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ.* (Osea. 10.) G At enim, *Qui parce seminat, parce & metet. Et qui seminat in benedictione, de benedictionibus & metet.* Nullus sane tam profusa benedictione seminauit: sicut illa benedicta in mulieribus, quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semen dicam an fructum? Melius vtrumque. Qui enim semen est operantibus iustitiam; fructus erit merentibus gloriam. Semen in passione; fructus in resurrectione. Potens in terra semen istud, quod cadens in terram mox excitauit potentiam suam, vt multum fructum afferret; & in semine illo benedicerentur omnes gentes. Vnde & ibi sequitur, *generatio rectorum benedicetur.* De benedictionibus suis itaque Maria metat; & quæ benedictionem omnium gentium seminauit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent*, inquit, *omnes generationes.* (Luc. 1.) Parum est hoc. Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines. Viderunt hodie ascendentem filiæ Sion cœlestis, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt eam. Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritaliter in eam omnimoda benedictio illa, quam de se profudit. H *Date ei*, inquit spiritus sanctus, *de fructu ventris sui: & saturetur illo quem genuit.* O mater misericordiæ saturare gloria filij tui, & dimitte reliquias tuas paruulis tuis. Tu iam ad mensam domina nos sub mensa catelli. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicauimus in mensa præsentium sacramentorum, per te eundem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Iesum benedictum fructum ventris tui; cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

In Natiuitate S. Mariæ, Sermo I.

EGo quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. (Eccli. 24.) Natalem beatissimæ virginis matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie virgo de qua salus omnium voluit nasci; vt natis ad mortem, daret ad vitam

A tam posse: renasci. Nata est hodie mater noua, quæ primæ matris maledictionem dissoluit: vt per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus noua mater quæ nouitatem attulit filiis inueteratis, vitiumque sanauit, tam ingenitæ quam superadditę vetustatis. Prorsus noua mater quæ tam nouo miraculo parit vt pariat, & virgo fit: ipsumque pariat qui omnia, matremque ipsum inter omnia creauit. Mirabilis quidem nouitas fœcundæ virginitatis, sed longe mirabilior nouitas editæ prolis. Nulli enim incredibile iam erit virginem permansisse quæ peperit, qui Deum agnouerit esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum initia maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consueuit: nec veritas assumpti corporis, potentiæ præiudicauit creatoris, quo minus seruaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas inuenies nasci sine corruptione gignentium, & quadam voce sua creatori super inuiolabili

B partu suo perhibere testimonium. Sed loquatur mater ipsa quæ sui conscia est mysterij, & nos edoceat, quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non nouæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo: quia, vt ait Petrus Apostolus, etiam miraculis firmior testis est propheticus sermo. Quid enim minus patet calumniæ, aut suspitionem admittit falsitatis, quam testimonium diuinitus de nondum natis prolatum? Longe igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat spiritus, qui in ea futurus erat: & tam diuinitatem filij, quam integritatem matris, opus videlicet suum contra blasphemias impiorum defendebat, & in persona ipsius (si modo communem intellectum sequimur) quod nunc audistis dicebat: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Quod enim personæ sapientiæ, id est, ipsius filij tribuit hęc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis qui regulas nostis scripturarum, nihil huic præiudicat intellectui, quo minus sicut alia multa, possint aptari personæ quoque virginis matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius

C huic negocio seruientia, sed non erit frandanda expectatio vestra, de his quæ lectio proposuit hodierna. Respondeat ergo Maria blasphemis tam pro se quam pro filio, cunctasque hæreses solo interminat verbo, & dicat: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Ac si aperte dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Saluatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quam flos inuiolati corporis? Quid aliud est filius virginitatis, quam suauitas odoris? Tu tamen caue ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salui fiunt: alijs odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt: nimirum tanquam odor vineæ florentis animalibus venenatis.

Virginitas flos inuiolati corporis.

D Sane suauitate huius odoris refocillabatur spiritus patriarchæ senis, qui filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens, de memoria abundantiæ suauitatis illius eructabat, dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Suauitatem huius odoris odoratus est Deus pater & delectatus, repropitiatus est humano generi, cum filius offerret semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Hoc suaui odore trahimur, cum per conuersionem currimus ad ipsum hoc trahuntur adolescentulæ, cum per deuotionem currunt post ipsum. Quanquam alius sit odor ille qui de fama prædicationis percipitur: alius odor iste qui de vestimentis vel vnguentis, vel de ipso fortassis corpore eius quodammodo crassior aspergitur. Qui vtique non est aliud quam virtus quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & feruorem amoris innouat, vt ad currendam viam mandatorum exultare faciat. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria & dicat: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Pulchre quasi vitis: nam botrus Cypri dilectus suus illi, de quo non solum torcular passionis rubens mustum expres-

Gen. 27.

Christus vitis.

E sit pretiosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat, sed & quotidie deuotio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudij & amoris. Verum non prius inebriat gustus saporis, quam trahat suauitas odoris: nec lætificat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus non intelligemus, nec gustabimus quoniam suauis est Dominus. Fides siquidem est quæ adoratur, experientia quæ gustat & fruitur. Ideo fortassis Maria Iesum suum describens per virtutes ipsius & efficientias, primo suauitatem odoris eum nominat: quia videlicet hoc initio Iesus in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis si autem fructus vnde iste odor prodit, & quo nos trahat, aperit cum subdit; *Et flores mei fructus honoris & honestatis.* Prorsus iste est Iesus suauitas odoris inuitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suauitas odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas per quam deducimur honor ad quem perducimur. Pul-

F chre autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis & gloriæ, statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ & morum sedem ei præpararet. Nullus tunc sicut nunc passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec vllus honestus sine honore. Est ergo Iesus primo suauitas odoris, his quos vocat; deinde honestas, his quos iustificat: demum honor illis quos magnificat. Nam *quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit hos & iustificauit: Quos autem iustificauit, illos & magnificauit.* Talis est igitur dilectus meus, ait Maria; & iste est filius meus ô filiæ Hierusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificauerunt flores mei. Non ait flos, sed flores; quia cum virgo sancta est, flos virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris, tota vernabat quadam florulentia & venustate pudoris. Nam & in te quoque si castimonia perfecta sit, non solum reflorebit caro tua, sed & super te totum efflorebit sanctificatio quædam diuina.

G Non erit aspectus petulans, aut vagans, sed pudicitia floridus; non sermo lasciuus aut ineptus, sed verecundia gratus, aut sapientia conditus. Non prurient aures libidine audiendi noua vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia; Non erit incessus inordinatus, sed modestus: non ipse habitus non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, imo religiosus, totusque hominis tui status, sanctimoniæ gratia florulentus, vt recte sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum inuitaueris. *Lectulus noster floridus*; Quinimo ipse totus eris quidam flos pulcherrimus, qualibus sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cum ait; *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Huiusmodi iustus etiam cum senuerit in terra radix eius & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ viuæ in resurrectione, id est, in reflorítione iustorum germinabit sicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum. florem de flore, natum virginem, virginis filium sponsum, & coronam virginum, florem, inquam, quo coronanda est non solum

Cant. 1.

Cant. 2.

H integritas virginum, sed & castitas continentium: ipsi gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de eodem II.

Eccl. 24.

EGo *mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei.* Meminisse potestis cum præterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernæ, non inconuenienter. vt arbitror, beatæ Dei genitrici nos illud assignasse. saluo tamen intellectu illo, quo tota lectio filio eiusdem proprie competit, id est, Dei sapientiæ. Multo autem manifestius in eo quod modo de eadem lectione proposuimus, eiusdem virginis se demonstrat vox & persona, si tamen aduertamus, in eo quod ait, *Ego mater pulchræ dilectionis*, &c. quam pulchre & commode filium his virtutum nominibus describat. Notus erat matri filius; nec minus vtique quam illi qui dicebat; *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.*

2. Cor. 5.

A Primo nouit eum secundum formam carnis in qua eum ipsa genuit, sed longe hoc à cognitione illius formæ, in qua pater eum genuit. In illa visus est aliquando, *& non erat ei species neque decor:* in ista splendor est gloriæ & candor lucis æternæ, *apud quem non est transmutatio: nec vicissitudinis obumbratio.* Visio illius formæ incredulis auxit peccatum, visio istius iustis seruatur in præmium. Igitur inter formam carni, & formam verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est, quædam alia forma Christi, spiritalis quidem, sed quam in carne palam exhibuit, forma scilicet vitæ quam in corpore gessit: ad informationem eorum qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ & morum quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus, tunc demum idonei erimus videre non formam solum quæ formata est propter nos, sed etiam illam quæ formauit nos. Est vtique in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali frater, est, in morali magister est, in intellectuali Deus noster est. Corporalem suscepit, vt impleret sacramentum: moralem exhibuit, vt præberet exemplum: intellectualem seu diuinam reuelabit ad præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam angeli concupiscunt prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus est formæ huius, quæ in exemplum est proposita, nam qui scrutator est illius quæ in præmium est reposita, opprimetur à gloria. Huius formæ mirator & amator factus erat, qui dicebat. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Vis scire quia non formam corporis sed cordis, non pulchritudinem membrorum sed morum prædicabat? Audi sequentia. *Specie tua,* inquit, *& pulchritudine tua, intende, prospere procede & regna.* Adhuc fortassis dubium est, nisi addat, *Propter veritatem,* inquit, *& mansuetudinem & iustitiam.* Prorsus hæc est species tua & pulchritudo tua, qua regnum adquisiuisti pulcherrime regum, veritas vtique sermonum, mansuetudo morum, iustitia iudiciorum. Hac pulchritudine facile illexisti & subiecisti tibi etiam corda inimicorum, quippe totus concupiscentia & desiderium. Mirabilis triumphus gratiæ, omnino nouum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed conuertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus post eum abiit concupiscens speciem decoris eius, non quia faciem eius viderit, sed quia tam multa amabilia de mansuetudine, veritate & iustitia eius audiuit. Ex Sion species decoris eius, quia *de Syon exiuit lex, & verbum Domini de Hierusalem*: vnde scilicet euangelium ad nos missum est, in quo quædam pulchrior Christi facies ostensa est: forma scilicet vitæ & doctrinæ, quam & tradidit verbo, & in se expressit exemplo. In hac forma nosse Christum, interim pietas est Christianorum, cum nosse in forma carnis scandalum fuerit Iudæorum: nam nosse in forma diuinitatis fœlicitas est, & gaudium angelorum. Ideo & Paulus sciens quia caro non prodest quicquam sine spiritu, videlicet qui viuificat, nosse iam Christum secundum carnem repudiat: nimirum vt spiritui viuificanti studiosius totus intendat. Hoc ipsum & Maria sapere videtur, quæ dilectum vteri sui, dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus omnium describit cum non secundum carnem, sed secundum spiritum quasi diceret & ipsa: Etsi cognoui Christum secundum carnem, sed nunciam non noui. Cupit namque & ipsa formare vnigenitum suum in omnibus filijs adoptionis, qui & si geniti sunt verbo veritatis, nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio & cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum in mensuram plenitudinis ætatis filij sui, quem semel parturiuit & peperit, imo vt Esaias ait, *Antequam parturiret peperit*: quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem & molestiam parturitionis, cum pateret gaudij fructum æterni. Hunc igitur commendans nobis sic ait, *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris, & agnitionis & sanctæ spei.* Ergo ne est iste filius tuus ô virgo virginum? Ergo ne talis est dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? Plane talis est dilectus meus, & ipse est filius meus ô filiæ Hierusalem. Dilectus meus est pulchra dilectio in seipso: dilectus meus est pulchra dilectio, timor & spes & agnitio in illo qui natus est ex ipso. Ipse enim est non solum quem diligimus, timemus, agnoscimus, & in quem speramus, sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus veluti quibusdam membris & partibus in nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfecte pro modulo huius vitæ Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius in te expressa est, si veritatem quæ ipse est agnouisti, & agnitam glorificasti, timore videlicet & spe, & ne spes confundat, charitas diffusa sit in corde. Si huic sensui iudicas incongruum, quod alius sit istarum ordo virtutum vel profectuum, & alius ordo positionis nominum, non enim ait: Ego mater agnitionis & timoris & spei & dilectionis, sed ait: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctæ spei,* fortassis & in hoc ordine ipso quem ponit, inueniri poterit aliquid congruentiæ & rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem ne in desperationem concidat, spes adiuncta consolatur ipsique spei ne confundat, dilectio suffragatur: ita versa vice dilectio castum parit timorem, timorque cum dilectione illuminat agnitionem: secundum illud sapientis: *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Quanto autem verius illuminato corde Deus agnoscitur, tanto fiducialius in eum speratur. Vnde est illud: *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum Domine.* Spes vero sancta est, sicut Ioannes de spe videndi Deum loquens ait: *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat seipsum: sicut & ille sanctus est.* Pulchre autem & proprie dicta est pulchra dilectio, cum charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo, sitque virtus ista fere tota pulchritudo Ecclesiæ, quam ipse sponsus eius in cantico amoris inuenitur tantum ac toties in ea mirari & extollere. Prorsus dilectio pulchra: quæ de corde puro est, & conscientia bona, & fide non ficta. Vbi enim cor purum est, nulla est ruga: vbi conscientia bona, nulla est macula: vbi fides non ficta, non est aliquid eiusmodi quod oculis sponsi displiceat, quo minus sibi Ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine dilectio sanctorum ab amore hominum, siue turpi, qui nec nominandus est inter fideles, siue naturali quo amantur parentes, siue seculari quo se inuicem amant propter seculi necessitates vel cupiditates. Procul ergo procul, imo nusquam prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis, seorsum autem interim cedat amor necessitudinis, solusque regnet amor internæ & æternæ pulchritudinis, quo solum Deum vel propter Deum amant vere pulchri. Tu vero bone Iesu pulchritudo sanctorum, speciosus forma non modo præ filijs hominum, sed & præ virtutibus cœlorum: Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede & regna. Tamque late regnet pulchra dilectio tua, vt turpem de finibus rerum proturbet & eliminet, secularem ad se conuertat & inclinet, naturalem sub se regat & ordinet: vt illa pulchra & vera dilectione te diligat mundus, qua dilexisti mundum saluator mundi, qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Margin notes (left): B; Formæ in Christo diuersæ.; Psal. 44.; C; D; Esa. 66. — (right): E; F; Eccl. 2.; Psal. 9.; 1. Ioan. 3.; G

In Solennitate omnium Sanctorum. Sermo.

H

BEati *pauperes spiritu.* Agnosco notum illud ac nobile prognosticum quod in testimonium sui, necdum natus in carne Dei filius protulit: iam vero natus, sed nondum notus, sibi competere docuit. *Spiritus,* inquit, *Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.* Ecce pauperes euangelizantur, ecce pauperibus euangelium regni nunciatur. *Beati,* inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Lætum prorsus ac nouæ plenum gratiæ noui testamenti principium, etiam quantumlibet infidelem aut pigrum prouocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum: cum scilicet beatitudo miseris, & egenis promittitur regnum cœlorum. Gratum, inquam, & auspicatum nouæ legis initium, quando in ipso statim initio, tot beatitudinum benedictiones dat legislator, quibus delectati eant de virtute in virtutem: per istos videlicet octo gradus ascensionis, quos in corde nostro dis-

Margin notes (right): Matt. 5.; Esaia. 61.

A posuit structura Euangelij, secundum exemplar & imaginem cœlestium, quod Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifeste quidam ascensus cordium, & profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum euangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum in Sion ingrediatur templum, de quo propheta dicit: *Et in octo gradibus ascensus eius.* Prima siquidem virtus inchoantium, est renunciatio seculi, qua pauperes efficimur spiritu: secunda mansuetudo, qua nos obedientiæ subdimus, & assuescimus: deinde luctus quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi nimirum gustamus, vnde amplius esuriamus, & sitiamus iustitiam tam in nobis quam in alijs, zeloque contra peccantes incipimus commoueri. Sed ne scelus immoderatior in vitium feratur, sequitur misericordia qua temperetur. His ergo studiis vel exercitijs, cum quis iustus & misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, & mundando cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem & probatus tam in actione, quam in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen & officium filij Dei gerens, pater & minister factus aliorum, tanquam mediator & sequester pacificet inter ipsos & Deum: pacificet ipsos adinuicem, vel etiam ad eos qui foris sunt: sicut scriptum est, in laude sanctorum patrum, *Pacificantes in domibus suis.* In hoc officio qui fidelis & constans fuerit, sæpe virtutem & meritum sibi martyrij comparabit, persecutionem patiens propter iustitiam, aliquando & ab his pro quibus pugnabit, vt sic ei dicere. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, &, cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.* Quantæ autem gloriæ, quamque copiosæ mercedis in cœlo sit culmen huius perfectionis, inde vtcumque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenunciantium seculo primordia tantæ Dominus prædicat fœlicitatis, vt dicat, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Plane beati qui proiectis vilibus, sed grauibus sarcinulis huius mundi nolunt diuites fieri, nisi de solo creatore mundi, propter ipsum tanquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentis. An non possident omnia qui possident continentem & disponentem omnia, quorum Deus portio est & hæreditas, qui vt nihil desit timentibus eum, cætera prout expedire nouit dispensat ad vtendum, & seipsum seruat ad fruendum? Cum hæres Dei, cohæres autem Christi, adultus & emancipatus iure inducetur in plenariam possessionem expectatæ hæreditatis, tunc profecto ius absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modo quanto tempore paruulus est nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad tempus præfinitum à patre. Tunc mundus agnoscet iustum ac legitimum hæredem Dominum suum, propter quem creatus est: agnoscet inquam, quia iam non conformem sibi, sed reformatum in nouitate sensus sui ad imaginem Dei ad quam factus est. Sed & nunc quoque fideli homini totus mundus diuitiarum est, non solum quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus vtitur tanquam ad hoc sibi datis: & in via testimoniorum Dei (quæ videt facturam sicut & scripturam perhibere factori,) delectatur sicut in omnibus diuitijs: sed etiam, quia ita sufficiens & gratus esse didicit, vt quasi totius mundi diuitias computet illud prope nihil quod habet, siue hoc ipsum quod nihil habet. Ideo iure beatificat Ecclesiam sanctorum Salomon, quæ pauper pro Christo tam diues est in Christo. *Multæ*, inquit, *filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Alij siquidem rapiunt non sua, & semper in egestate sunt: sancti diuidunt propria, & ditiores fiunt. *Diuites, enim egeuerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Auarus quo plura possidet, pluribus eget. Quanquam nil minus habeat, quam quod habere se putat: cum habeat non habeat, seruus pecuniæ, mancipium auaritiæ, cultorque crumenæ, idolatra detestandus, cui nummus est Deus. Pulchre autem iam nunc quoque vindicat in peccatores iustitia diuina, res ipsas quas amant

Ezech. 40.
Gradus virtutum.
B
Eccl 44.
Cant. 1.
Psal. 119.
C
D

E conuertens eis in tormenta, & vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim quæ iustum amplius iustificat, & verius ditat dispensata vel semel data, auarum cruciat seruata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, vt sola quis sit optimus diuitiarum vsus inuenerit: quod videlicet diuitiæ quæ pauperem faciunt & miserum, si diliguntur, tunc demum faciunt diuitem & beatum, si pro Christo contemnuntur. *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis:* id est, humilibus qui vtrique non sunt alij quam pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim fratres, quod vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quam in angustia reifamiliaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quam in contemptu substantiæ. Substantia nonnunquam vtiliter habetur, superbia nunquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola vel maxime superbia damnat. Parum igitur prodest renunciare seculi possessionibus, nisi renuncietur & moribus: imo stultum, ac ridiculum est nudari diuitiis, & diuitum implicari vitiis: pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi, iuuare partes Antichristi. Plane Antichristi partes adiuuat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia, vel potius capitis eius diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, & ab initio per superbiam peccat. Gloriemur igitur fratres, quia pauperes simus pro Christo: sed operam demus vt humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius: cum eum & paupertas nunc affligat, & superbia in perpetuum abdicat. Pauper autem humilis, & si vritur & purgatur in camino paupertatis, exultat refrigerio conscientiæ diuitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens & sentiens, quoniam ipsius est regnum Dei: quod iam intra seipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, & pignus æternæ hæreditatis. An non vestrum est fratres, vnde toties sicut vobis conscij estis, fructus suauissimos, & beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis iam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, & vidistis, quoniam bona est negociatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac proiicienda, summa comparastis bona. Denique *non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto.* Si hæc ergo sentimus in nobis, cur non confidenter pronunciemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud vere nostrum est: quia nobis inuitis eripi non potest. Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait ipsorum erit, sed est regnum cœlorum: non solum propter ius firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum vsumque fœlicissimum: non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia iam in quandam ipsius possessionem cœperunt introduci, iam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, iam portantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quam beata gens cuius est Dominus Deus eius, quam vicini sunt Dei regno qui regem ipsum cui seruire regnare est, iam possident & gestant in corde suo. *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Litigent alij de diuidenda hæreditate huius mundi, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Pugnent inter se quis eorum fiat ditior, nihil omnium quæ ambiunt illis inuideo, ego enim & anima mea delectabimur in Domino. O præclara hæreditas pauperum, ô beata possessio nihil habentium, quoniam non solum omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tanquam in sinu reposita superefflluens mensura. Prorsus tecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Superbiat ô pauperes, superbiat ô humiles anima vestra, glorians in

Matth. 11.
Paupertas spiritus in quo consistat.
F
Vexillum Christi humilitas.
G
H
Psal. 15.

A humilitate sua, omnemq; altitudinem huius mundi longe sub pedibus suis iacentem despiciat: indignumque iudicet gloriæ suę, ad concupiscentiam vilis prædæ suam vlterius maiestatem inclinare. Quid? iam iam tollenda es in cœlum, & nunc te demum mergeres in cœnum? Parata tibi sunt æterna, & præeligeres transitoria, somnoque similia? Te præstolatur curia sanctorum, & præponeres societatem dæmoniorum? Quam miser *homo* qui *cum in hono re esset non intellexit, ac perinde comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* An non manifeste hoc illis contingit, quos cum beata paupertas fecisset honorabiles cœlo, mirabiles mundo, & vt nihil præteritum sit, etiam formidabiles inferno: postea arbitrantes miseriam, cæcato sensu paupertatem, humilitatem, ignauiam: voluerunt diuites fieri, & inciderunt in tentationes & laqueos diaboli: cumque essent Domini vniuersorum, vendiderunt se ipsos sine precio propterea quæ nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Ipsi B viderint quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, & grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cœlorum incommutabilis veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositum fideliter custodiens: si tamen & vos ipsi spem istam in sinu nostro repositam firmiter custodiatis vsque in finem, cooperante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo de scripturarum sanctarum vtilitate, & de excitandis animis ad diuinas laudes.

IN conuentu sodalium & amicorum, id est, Ecclesia sanctorum cuius vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsę loquens, innuit cum ait: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. Non sum ego cui hoc dictum debeat videri, non sum qui habitem in hortis, ma- C gis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulchris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulchra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis non in hortis habitant, sed in sepulchris. Corpora peccatorũ sepulchra mortuorũ. Deumque exasperant, donec qui educit vinctos in fortitudine, forti voce inclamet, *Lazare veni foras*, suisque discipulis super eo præcipiat, *soluite eum & sinite abire.* Magna sane differentia est sepulchrorũ & hortorum. Hæc plena omni spurcitia & ossibus mortuorum, illi omni suauitate & gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulchra videntur in hortis? Nã & Dominus in horto sepultus fuit. Etsi enim sepulchra in hortis, nunquid tamen horti in sepulchris? Ita fortassis, sed in sepulchris iustorum. Ibi plane vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum cum reflorebit caro eorum, & nõ solum ossa iusti sicut herba germinabunt, sed & totus iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Non sic impij non sic, qui sepultura asini se- D peliuntur, & sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur. De sepulchris eorum dicere cœperam, quod quantum à spurcitia illorum abhorret florentium species hortorum, tantum imo incompatabiliter amplius distat oblectatio spiritalium à voluptate gaudiorum carnalium. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis: quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma noua & vetera seruata sunt: id est, tam prophetarum quam euangelistarum vel Apostolorum eloquia reposita sunt, vt & vnicuique vestrum illud sponsæ ad sponsum videatur dictum. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.* Scrutamini Cant. 7. igitur scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui nihil aliud in illis quæritis quam Christum, cui testimonium perhibent scripturæ. *Beati* plane *qui scrutantur testimonia eius in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua Domine, ideo scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est, non solum vt eruantur mystica, E sed etiam vt sugantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos scripturarum, nolite negligenter & otiose transuolare, sed scrutantes singula velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus* enim *meus*, inquit Iesus, *super mel dulcis & hæreditas mea super mel & fauum.* Eccli. 24. Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Dauidicum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo.* Psalm. 118. Ab his hortis in alios, vbi requies secretior & voluptas beatior, & species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exultationis & confessionis rapit in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibilem vbi habitat, vbi pascit, vbi cubat in meridie. Si enim deuotio psallentium & orantium, habet aliquid de illa pia curiositate quærentium, *Rabbi vbi habitas?* puto quia merentur audire, *venite & videte. Venerunt*, inquit, *& viderunt, & apud eum manserunt die illo.* Ioann. 1. Quandiu apud patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, noctem nescimus, tantummodo die beato fruimur. Cum inde la- F bimur in noctem nostrã recedimus. Heu mihi quam cito defecerunt dies mei, quam cito sicut fœnum arui: qui quandiu fui in horto cũ illo sicut paradisus Dei virui & florui. Cũ illo hortus voluptatis, sine illo locus horroris & vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortum illius intrat quod & ipse hortus fiat: sitque anima illius velut hortus irriguus, vt & sponsus in laudem eius dicat: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Cant. 4. An nõ sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi quam plantauit pater suus? Hortus est anima iusti. *Audite me*, inquit, *diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Quasi libanus, odorem suauitatis habete, florete flores quasi lilium, date odorem & frondete in gratiam.* Eccl. 39. O Domine Iesu verus hortulanus, operare in nobis quod exigis à nobis Nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute Hortulanus Christus. incrementũ das. Errabas Maria quæ cum existimabas hortulanum illius horti pauperis & exigui, in quo sepultus G fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cœli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat & rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viuentium, secus decursus aquarum viuentium vbi non timebit cum venerit æstus: sed erit folium eius viride, nec aliquando desinet facere fructum. *Beati qui habitant in illis hortis tuis Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Paulus habitabat in illis, cuius conuersatio erat in cœlis, qui mente sæpius excedens perambular paradisum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, vbi & per transiens rosas martyrũ, & lilia virginum, desinens etiam mitari altitudinem cedrorũ Dei, delectabatur potius carpere de fructu ligni vitę, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius & fœlicius quã suauis est Dominus. Ideoq; cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantiæ suauitatis eius profusius eructabat, & ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe & pinguedine repleta erat anima eius, ideo labiis ex- H ultationis laudabat os eius. *Cor* quippe *sapientis erudiet os eius, & labiis illius addet gratiam.* Prou. 16. Eructabit itaque cor eius verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat velut iucundo carmine oblectabat. Prorsus carmen iucundum suauisque melodia, vbi tam canorum spiritus sancti organum, tanta morum & sermonum consonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris. Christum Iesum iubilũ cordis sui personabat. Si enim lingua suauis vim carminis non haberet, scriptum non esset: *Tybiæ & Psalterium faciunt suauem melodiam, & super vtraque lingua suauis.* Eccl. 40. Si carmine huiusmodi psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret. *Iucundum sit ei eloquium meũ.* Psal. 103. Sed nec ipse sponsus diceret. *Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua suauis, quia exaltationes Dei in faucibus tuis: tanquam habitantis in hortis in deliciis paradisi.* Cant. 8. Et contra vero: *Non est speciosa laus in ore peccatoris, qui habitat in sepulchris*, Cuius enim vita Deum exasperat, lingua nõ delectat, sed terribiliter increpatur voce diuina:

Quare

A *Quare tu enarras iustitias meas? cantica liræ tuæ non audiam.* Sed quoniam scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem & materiam ministrauit sermonis, si placet finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque potest intelligi quod à sponso dicitur: *quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam:* vel quod deuotum amatorem inuitet ad psallendum vel orandum, vel quod sanctum prædicatorem excitet ad loquendum. Quod vt magis persuadeat, amicos auscultare memorat, angelos scilicet orantem vel psallentem: fideles, prædicantem. Vbi primo intueamur qua disciplina cordis & corporis nos oporteat in conspectu angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant qui venerant vt vota deferrent, & dona referrent, imo recedant inimici qui venerant amici. Quinimo sponsus ipse qui stat ad ostium & pulsat, si nulla ei digna deuotio deintus respondens aperiat, recedet conquerens
Hier. 8. & dicens: *Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens,*
B *quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.* Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de beneuolentia & attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant, non æmuli detrectant, aut subsannant, non tepidi dormitant, aut oscitant, sed amici attenti auscultant, quorum amor & meritum possit euangelizanti impetrare verbum & spiritum. Et benè amici auscultant. Est enim velut proprium amici, scilicet quod deuotus audiat vocem sponsi, sicut Ioannes ait: Amicus sponsi est qui stat non vagans animo, aut prostratus somno, audit & gaudet gaudio propter vocem sponsi, quam agnoscit etiam in seruis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, vt siue per os loquentis, siue legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum quatenus auditui nostro det gaudium & lætitiam: & non solum cum gaudio suscipere verbum, sed & fructum afferre in patientia.

C

Dignum valde est, & omnino exigit ratio æquitatis, vt quibus à constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant: ne parato regno inueniantur forsitan qui regnaturi fuerant, imparati.
Lucæ. 14. Sic enim legimus de cœna quadam dicente Domino, *quoniam cœna quidem parata est, sed qui vocati erant non fuerunt digni.* Quærimus ergo quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. Etsi pie quærimus cum propheta Domini, audiemus vtique à Domino cum propheta:
Psal. 14. *Domine, inquit, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, inquit, sine macula.* Sed hæc, inquies, præparatio soli Christo conuenire videtur. Nemo enim cæterorum omnium mundus à sorde, nec infans, cuius vita est vnius diei super terram. Itaque solus intrabit, qui solus agnus sine macula, solus argui non potuit de peccato, quod nec ab eo factum, nec in eo
Num. 16. inuentum. Solus plane summus pontifex meus, nec in patre, nec in matre contaminatus est. vt lex dicit: pa-
D trem quippe, sed Deum: matrem quoque, sed virginem habens. vnde & solus ingreditur sancta sanctorum: *& nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui in cælo est.* Quid ergo nos? itane continuo desperabimus? imo vero sperabimus, & hinc maxime. Licet enim solus, sed profecto totus intrabit, & os non comminuetur ex eo. Non sine membris caput inuenietur in regno, si tamen membra fuerint conformia & cohærentia capiti suo. Conformia sane moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quantum potest, habet & cohærentiam ipsa etiam minor ætas, dum & similitudini mortis eius mersione illa triplici complantatur, & fidem inuolucro quodam recipit, quod necdum capax sit euolutæ. Benignus nimirum est spiritus sapientiæ, & quem tra-
Sapien. 1. ducta culpa ligauerat, indulta iustitia soluit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum à labiis suis: voluntarie enim peccanti post agnitam gratiam, non relinquitur hostia pro peccato: sed neque sic liberabit à suis, quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio fratres grauis est macula, & scimus quoniam non quod intrat B in os coinquinat hominem, sed quod de ore progreditur. Inde ergo macula, inde maledictio à labiis suis: sed non semper à propriis est. Neque enim de corpore proprio, originalis in paruulum culpa procedit: cui non modo consensus, sed ne vllus quidem interim potest esse sensus peccati. Quomodo autem à labiis suis non liberat spiritus aut voluntarie peccatum non redimit homo, nisi quia non illi denuo crucifigitur Christus, nec complantatur iterum similitudini mortis eius per baptismum? Propria iam ab eo lachrymarum vnda exigitur, propriam baiulare crucem, propria mortificare membra & propriam immolare hostiam necesse est. Sine causa aliter diceret credo, propriis labijs expietur oportet propriorum maledictio labiorum: Per multas enim tribulationes in regnum Dei intrare necesse est, & nemo nisi per tribulationes ingreditur, aut proprias, aut alienas. Sola nimirum secundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminauit offensio sola prioris, non quod propria cuiquam satisfa- F ctio sufficere possit. Quid enim vniuersa pœnitentia nostra, nisi quod si non compatimur, omnino non possumus regnare? Quod in nobis minus est, ipse supplet: modicum tamen illud quodcunque nostrum non patitur reseruari. Quod si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam saluat adultos, longe minus saluare poterunt opera sine fide. Facilius enim membrum inhærens capiti, tametsi deforme, reformatur, quam diuulsum quamlibet simile copulatur. Et ipsum tamen quod deforme est, aut conforme fieri imagini filii sui & capitis sui, aut certe tandem auelli ab eo necesse est, & anathema esse à Christo, ne in illa plenitudine corporis eius inueniatur quidpiam indecorum. Vbi ergo propria macula, propria quoque purgatio vitæ requiritur: & si contaminatio multiplex, opus est etiam tribulatione multiplici. Vnde enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur? Quid vero in homine purum G ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat vniuersum, mentem desideriis afficit, membra illecebris inficit: inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in vniuerso corpore mollicies sensus, & libido perniciosa tangendi, deinde intus in animo ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accensa. Tribulationes iustorũ multiplices. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus videtur habere: tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir iustus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, sensuum voluptate lætatur, & delicias computat esse sub sentibus: sic & omnis qui in spiritu seminare desiderat, spinas & tribulos, quos propria terra ex maledicto vtique germinat, potius eradicare, quam propagare contendit: quippe qui conuertitur in ærumna sua, quoties spina configitur. Huic ergo tam multifariæ pesti per singula quæq; resistere, quã multiplex tribulatio est? A planta pedis vsq; ad verticem non H est in me sanitas, totum inficit concupiscentia: lex peccati in membris omnibus inuenitur. Vndique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosius sæuit, crudelius malignatur. Minime tamen in hac tã multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendũ est. Licet enim abundẽt tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per Christum. Deniq; audi consolationem. Peccatum in foribus est; nisi ipsi aperias, Gen. 3. non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est; nisi sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem; consensum cohibe, ne præualeant hæc, & immaculatus eris, vt sine macula ingrediaris & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Maximum plane delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat vniuersum. Iob. 5. Adhuc audi consolationem; *In sex, inquit, tribulationibus liberaberis, & in septima non tanget te malum.*

A Si puer hebræus es, sex annis seruies, liber egredieris in septimo. Sex tibi tribulationes sunt contra desideria cordis & quinque partitam sensualitatis corporeæ voluptatem, sed in his sex liberaberis à septima, non quidem ne veniat, sed ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors, ipsa enim est septima tribulatio, sed somnus erit dilecto Domini: & ecce hæreditas eius erit ianua vitæ, erit initium refrigerij, erit sancti illius montis scala, & ingressus in locum tabernaculi admirabilis quod fixit Deus, & non homo. *In septima* itaque, *non tanget te malum.* Malum vtique triplex quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulant perfecte interim liberari: nec in sex ex hydrijs purificantur ad liquidum, vt exhibeantur in nuptijs sponsi, non habentes maculam neque rugam. Manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei. Vnde nobis ista dissimulatio fratres mei, vnde hæc tam perniciosa tepiditas. vnde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosmetipsos? Forsitan iam diuites facti sumus, forsitan iam regnamus.
B Nonne ostium domus nostræ horribiles illi spiritus obsident? nonne exitum nostrum laruales illæ facies præstolantur? Quis ille pauor erit ô anima mea, cum dimissis omnibus quorum tibi est præsentia tam iocunda, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola egrediens in incognitam penitus regionem, occursantia tibi catervatim ruere deterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei memoremur hæc nostra nouissima, ne peccemus. Nam & per ignem nobis transeundum est, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Ibi ibi aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi vniuersa impuritas reuelabitur, ibi veritas ipsa accepto tempore quod nobis interim datum contemnimus, iustitias iudicabit. Quid vero illic omnes iustitiæ nostræ nisi pannus menstruatæ reputabuntur? Quicquid parui pendendo nunc transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus: quanto illic cruciatu vindex flam-
C ma consumet? Vtinam magis daret quis nunc capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum. Forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lachryma diluisset. Iam vero post ignem illum, putas residuum aliquid inuenietur in nobis, aut tantum erit, vt audeamus illud vultui maiestatis offerre, aut eius sic astare conspectui? Quis ille pudor erit, quæ confusio post beneficia tanta, tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere, ante faciem Domini Dei nostri? Fugiebat Adam, vt absconderetur ab eo post vnius vtique pomi vetiti gustum. Quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora faciemus? Quando ab hac purgabitur confusione oculus cordis, cui nunc operam dare negligimus, vt irreuerberata acie veri illius solis radios valeat intueri? *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Ingrediatur itaque putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis huius septimæ, & in ea non tangat me malum. Malum hoc triplex est, horroris,
D doloris, pudoris. Fœlix siquidem anima quæ fiducialiter inimicis suis loquetur in porta. *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.* Fœlicior cuius opus non arserit, quem superædificasse aurum, argentum, lapides pretiosos examen illud inueniet, fœlicissimus qui sine vlla nube confusionis, reuelata penitus facie, Domini gloriam speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi videns eum sicuti est, vtique super omnia benedictus, & laudabilis, & gloriosus in secula.

1. Cor. 4. *SPectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus.* Ita plane & malis, & bonis pariter. Illos enim sollicitat inuidiæ passio, istos compassio misericordiæ, vt in nos incessanter intendant. Illi quidem defectum nostrum, illi profectum desiderantes: nimirum in probatione sumus inter paradisum & infernum, interim fratres mei velut inter claustrum, & seculum constituti. Diligenter consideratur vtrinque quid agimus: vtrique dicitur: O si ad nos transeat, intentione quidem dissimili, sed non dispari for-
E san voluntate. Quod si ita omnium oculi in nos: nostri quomodo abierunt, aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? A dextris siquidem & à sinistris tanto studio circunspecti, soli nosmetipsos negligimus intueri, nec vrentes deceptatorios, nec administratorios reuerentes spiritus. *Me expectant*, inquit, *iusti, donec retribuas mihi*: & item, *Me* Psal. 141.
expectauerunt peccatores, vt perderent me. Hinc mihi gehenna, inde paratur corona, & inter hanc atque illam medium nugari libet, oscitare delectat, vsque adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane, nec pauidus in quibus magis fuerat necessarium perniciosissime insensibilis ad vtrunque. Exurgamus aliquando fratres, nec in vano accipiamus animas nostras, pro quibus alij tanto zelo, vel in bono vigilant vel in malo. Non est res parua, quia sic insectantur hostes, ciues sic præstolantur. Ibid. 118.

F QVod diuersis nominibus Deum, nunc quidem patrem, nunc magistrum vocemus aut Dominum, non illius simplicissimæ essentiæ, & omnino inuariabilis naturæ diuersitas vlla in causa est, sed affectionum nostrarum multiplex variatio secundum diuersos profectus animæ vel defectus. Videntur enim quædam animæ sub patrefamilias agere, quædam sub Domino, quædam sub magistro, quædam quoque sub patre, & nonnullæ cum sponso: vt cum proficientibus, cum immutatis, immutari & ipse videatur, qui iuxta prophetam quidem mutat creaturas, & mutabuntur, licet idem ipse sit, & anni eius non deficiant. Denique quid in alio Psalmo idem Propheta
ad ipsum loquatur, attende: *Cum sancto*, inquit, *sanctus* Psalm. 17.
eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo, electus eris: atque vt magis miremur, *& cum peruerso peruerteris.* Et quemadmodum sic immutetur, imo si mutet immutabilis ipse secutus adiunxit. Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis. At vero quoniam non prius quod spirituale, sed prius quod animale, deinde quod spirituale: videntur mihi interim conuersionem nostram quatuor præcedere status, vnus sub nobisipsis, tres sub principe mundi, G
huius. Est enim anima sub seipsa, cum propriam sequitur
voluntatem, libertate perniciosa gaudens. Hic est filius Luc. 15.
ille prodigus qui portionem paternæ substantiæ quæ se contingebat, accepit: ingenium scilicet memoriam, vires corporis cæteraque similia bona naturæ, quibus non diuinam, sed ad suam vteretur voluntatem, essetque tanquam sine Deo in hoc seculo. Est autem interim homo sub se, cum propriæ satisfaciens voluntati necdum tamen possidetur à vitijs & peccatis, quoniam qui facit peccatum, iam non suiipsius seruus est, sed peccati. Iam tunc ergo proficiscitur in regionem longinquam qui prius quidem separatus erat, sed nondum elongatus à patre. Accepta siquidem portione substantiæ, factus est suiiuris: & quamuis recesserit ab auctore, proximus tamen fuit quãdiu ab opere non recessit. Hoc autem tandiu fit, dum licita quidem, sed expedientia pro sua sequitur voluntate. At postquam recesserit à seipso declinans, scilicet in peccatum, iam tunc in longinquam vere proficiscitur regionem: quoniam ab eo qui summe & singulariter est, nihil longius eo quod nullo modo est, nihilque remotum H
magis ab eo à quo & per quem, & in quo sunt omnia, quam peccatum quod nihil est inter omnia. Porro iustum diuinæ vltionis iudicium est, vt fugitiuum patris filium alter sibi vsurpet in seruum, vnde & profectus in longinquam regionem vni ciuium legitur adhæsisse, quem ego non alium quam vnum ex malignis spiritibus intelligendum puto: qui pro eo quod obstinatione irreparabili peccant, & transierunt in affectum malitiæ & nequitiæ, iam non sunt hospites & aduenæ, sed quasi ciues & inhabitatores peccati. Quid est autem quod dicitur ciui adhæsisse pauper adolescens, & peregrinus: nisi quod factus est subditus illi? Denique quemadmodum adhæserit, sequentia manifestant. Sic enim habes, *adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam pascere porcos.* Et nota quod famis necessitate, maligno dicitur adhæsisse, sicut & Israel tempore famis dicitur descendisse in Ægyptum.

Pericu-

Periculosa plane & perniciosa esuries, quæ liberos adiiciat miseræ seruituti, subiiciat operibus luti & lateris, porcis associet, imo consetuos esse faciat porcorum. Vnde autem egestas tanta ei qui diues aduenerat, collectis nimitum omnibus quæ de paterna substantia in suam acceperat portionem? Ex eo sine dubio quod præmissum est, dissipasse bona sua, viuendo luxuriose cum meretricibus, propterea cœpit egere. Porro per meretrices istas carnis concupiscentias intellige, cum quibus quis viuendo luxuriose, dissipat bona naturæ, dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc vt iam diximus egestas perniciosa succedit, Eccl. 1. teste scriptura: quod *non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Mittitur ergo pascere porcos, corporeos scilicet sensus, qui volutabro luti & spurcitiis oblectantur. Luc. 8. Et vide ne forte hi sint porci, quos eiecti ab homine, maligni spiritus intrant. Eiectum enim à rationali nostro id est mente: peccatum sensibus corporis hæret, teste Apostolo, qui mente consentiat legi Dei, carne vero legi peccati, quæ est in membris nostris: vnde & alio in loco, *scio enim quod non est in me bonum.* hoc est in carne mea. Quid Rom. 7. tamen agendum est, cum sic eiecti ab homine porcos inhabitant spurci spiritus: nisi quærenda remedia lachrymarum, currendum ad aquas, quarum abundantia male viuida radix peccati suffocetur in eis? Quamuis hæc omnimoda peccati extinctio, fini potius reseruanda videretur. Hæc in excursu quodam sunt dicta, vt proinde manifestius assignarem, quonam modo eum quem sub semetipso repetit, sibi malignus subiiciat tanquam fortis armatus intrans, & possidens atrium, in quo pauper & debilis inuentus est habitator. Veruntamen tripliciter mihi videntur esse homines sub principe tenebrarum: primum quidem, nec volentes nec nolentes: quod conuenit his qui necdum habent voluntatis vsum, sunt tamen vasa iræ per originale peccatum, donec alligato forte vasa eius diripiat fortior per sacramentum adueniens: verus vtique Moyses qui in aqua venit: nec in aqua solum, sed in aqua & spiritu sancto. Secundo vero volentes, cum iam voluntarie peccant. Tertio quoque nolentes, cum iam quidem resipiscere vellent, nisi quod peccati consuetudine miserabiliter obligati, iusto Dei iudicio, qui in sordibus sunt sordescant adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur prodigus ille filius. Qui vere prodigus nimis, quoniam non modo sua dissiparat, sed & seipsum subiecerat miseræ seruituti. Infœlix venundatus sub peccato cum ad se conuersus ait: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Si quis expertus est in semetipso facile credo, in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim consuetudine obligatus non se fœlicem reputaret, si datum esset ei tanquam vnum ex his quos in seculo tepidos videt viuentes sine crimine, minime tamen quærentes quæ sursum sunt sed quæ super terram? *Quanti*, inquit, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus*, id est consolantur in innocentia sua & fruuntur propriæ conscientiæ bono: *ego autem hic fame pereo*, id est, insatiabiliter crucior peccatorum desideriis & affectibus vitiorum? Potest tamen intelligi, quod nec fame panis, nec siti aquæ, sed fame & siti diuini verbi (quam & Iudææ propheta minatur) sese perhibeat Amos. 8. laborasse. Et hæc dixerim, non quod ita sit, sed quod ita sentiat miser humiliatus sub peccato. Non enim gloriantur conscientiæ testimonio, quorum secularis & mercenaria intentio est, sed peccatorum fœditate compunctus sanctissimum reputat, quacunque ex causa alterum videat innocentem. *Fac me*, inquit, *tanquam vnum ex mercenariis tuis.* Ecce hic iam primus est status quo sub Deo cœperunt esse homines, qui tanquam mercenarii sub patrefamilias viuunt. Hi sunt quos in seculo videmus, aut nullo aut exiguo desiderio æternorum, velut sub mercede seruire Deo & ab eo terrena petere quæ desiderant. Iam vero in secundo statu incipit esse sub Domino qui tanquam seruus carcerem timet & metuit, ne subigatur pœnis: in quo sane statu conuersio est, exitusque à seculo ac vitæ introitus. Vnde & legis, *Principium sapientiæ, timor Domini.* Et Esa. 26. alius quidem propheta *A timore tuo*, inquit, *concepimus & parturiuimus spiritum salutis.* Huic gradui tertius admodum proximus & quasi permixtus est, eorum scilicet qui paruuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro & pædagogo viuentes. Id nempe maxime conuenit nouiciis, qui nimirum si forte in consolationibus meditationis sanctæ lachrymarum, psalmodiæ, & cæterorum huiusmodi cœperint delectari, quasi pueriliter timēt ne magistrum offendant ne vapulent, ne fraudentur munusculis, quibus solet eos conditor ille benignus allicere. Hi sunt qui prouident Dominum in conspectu suo semper, & commouentur, si vel ad horam abesse contigerit: nec iam seruiliter timent supplicia, sed tanquam paruuli metuunt plagas virgarum, apprehendentes disciplinam magistri, ne quando irascatur & pereant de via iusta: ne deuotionis gratia subtrahatur, & molesta eis omnia fiant. Laborant tædio quodam & quasi vapulent intus in anima, amaritudine scilicet cogitationum. Hæc enim verbera sunt quibus castigat paruulos suos Deus, quæ melius experimento dignoscimus quam sermone: vnde & ipse Psal. 88. Dominus loquitur per prophetam: *Si dereliquerint filii eius legem meam, &c.* Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. In his itaque primordiis & quasi infantili ætate, sic vicissim succedunt sibi timor Domini & disciplina magistri, vt nunc in isto, nunc in illo statu sese inueniat quisquis sollicitus fuerit diligenter hoc obseruare. Inde est quod nouellæ adhuc Ecclesiæ loquēs, simul vtriusque nominis meminit dicens: *Vos vocastis me* Ioan. 13. *magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Agnoscant hic locum suum nouicii nostri, vt solliciti sint de cætero sedule magis circa illam versari. Ante omnia siquidem timor est necessarius, quo nimirum peccata possint præterita delere, cauere futura. *Timor* enim *Domini*, vt ait scri- Eccl. 1. ptura, *expellit peccatum* siue quod iam admissum est, siue quod tentat intrare. Expellit sane, illud quidem pœnitendo, hoc resistendo. Sed quoniam arcta & ardua est via quæ ducit ad vitam, tanquam paruulis in Christo pædagogus vobis ô filii, ac nutricius est qui doceat, deducat, foueat vos, & tanquam alludat paruulis, ac blandiciis quibusdam consoletur ne pereat ætas infirma. Propterea non ego, sed magis Ecclesiæ princeps & pastor vos admo- 1. Pet. 2. net, *Quasi modo geniti infantes rationabile & sine dolo lac concupiscite*: ita sane vt in eo nequaquam permaneatis sed crescatis in salutem. Quod alia quædam scriptura mani- Esa. 66. festius loquitur sic: *Gaudete gaudio omnes qui lugetis super eam*, haud dubium quin super Hierusalem, de ea siquidem loquebatur, *vt potemini à lacte & satiemini ab vberibus consolationis eius: & cum auulsi fueritis à lacte, epulemini ab introitu gloriæ eius.* Ipse est status filii iam robustæ ætatis, qui sub patre viuit, nec lacte iam potatur, sed vescitur solido cibo, oblitus sane quæ retro sunt, in quibus seruilis oculus in amaritudine morabatur, sed ne ipsa quidem præsentia considerans, nec paruas paruulorum consolationes captans, magis autem extendens se in anteriora, ad palmam supernæ vocationis, introitum futuræ beatitudinis, expectans beatam spem & aduentum gloriæ magni Psal. 126. Dei. Euacuauit enim quæ erant paruuli, nec circa huiusmodi suaues quidē sed non perennes cogitationes hactenus occupatur. Sed quia iam profecit in virum perfectum in his quæ patris sunt oportet eum esse, suspirare ad hæreditatem, sedulaq; circa eam meditatione versari. Nunquid enim mercenarium eum, quis æstimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamq; toto affectu expetit & expectat, qua nimirum filii mercedem esse mercenarii propheta testatur? *Cum dederit*, inquit, *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris.* Inuenitur tamen alter gradus sublimior & affectus dignior isto, cum penitus castificato corde nihil aliud desiderat anima, nihil à Deo aliud quærit, quā Deum ipsum. Crebro siquidem didicit experimento quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum: ita vt iam ex affectu cordis atq; ex sententia Psal. 72. clamet illud de Psalmo: *Quid n. mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrā? Defecit caro mea & cor meū, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternū.* Neq; n. suum aliquid, non fœlicitatem, non gloriā, non aliquid quicq̄ tanq̄ priuato sui ipsi9 amore desiderat anima quæ eiusmodi est, sed tota pergit in Deū. vnūq, ei ac perfectū desideriū est, vt introducat eam rex in

cubi-

cubiculum suum, vt ipsi adhæreat, ipso fruatur. Vnde iugiter reuelata facie quoad potest cœlestis sponsi gloriam speculando, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, Ex hoc plane audire meretur. *Tota pulchra es amica mea* : audebit & ipsa loqui: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, atque in huiusmodi fœlicissima ac iucundissima confabulatione, delectatur gloriosa cum sponso.

Psalm. 13. **D***Ixit insipiens in corde suo non est Deus.* Deus licet vnus sit & vnum sit, tamen non sui varietate sed animi nostri mutatione, gustantibus nobis diuersos videtur habere sapores. Sapit enim timenti iustitiam & potentiam, sapit amanti bonitatem & misericordiam: vnde & alibi ait iste propheta: *Ibid. 61.* *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Idem quippe audire est hoc quod gustare: quia vtrunque fit vna & simplicissima mente. Itaque semel locutus est Deus, quia vnum genuit verbum. Cæterum nos per vnum, duo hæc audiuimus siue sapimus: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. At is quidem penitus insipiens est, cui nec per timorem Deus sapit, nec per amorem; Discat quantum vult: ego sapientem non dixerim, dum nec timet, nec diligit. Quomodo enim dixerim in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? Nam *initium sapientia timor Domini*, consummatio amor: medias sibi vendicat spes. Cui ergo nec iustitiam sapit Deus per timorem nec misericordiam per amorem, is plane dicit in corde suo non est Deus. Deum enim non putat, quem nec iustum nec pium reputat.

Psal. 20. Benedictio triplex nobis necessaria. **P***Rauenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Triplex nobis necessaria est benedictio, præueniens, adiuuans, & consummans. Prima, misericordiæ. Secunda, gratiæ; Tertia, gloriæ. Præuenit misericordia conuersionem, adiuuat gratia conuersationem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit terra nostra fructum dare salutis. Neq; enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præueniamur, aut agere bonum donec adiuuemur à gratia; aut consummari in bono possumus donec gloria repleamur. Verum in his tribus non immerito dulcius sapit, ea quæ non immeritos modo, sed male meritos præuenit; vt dum adhuc sumus filij iræ & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imo & impetentibus non inuocantibus sed prouocantibus, non interpellantibus sed & repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, spiritum adoptionis largiatur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ præuenit; quia quæ adiuuat fortitudinis, quæ consummat, plenitudinis est.

Psal. 56. **P***Aratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Via regia fratres, nec declinat ad dexteram, nec ad sinistram. Porro inuenire est hominem quidem semel paratum, non quidem secundo. Si dixerit ei Deus, *Gen. 21.* *Eiice ancillam & filium eius*; dico autem opera carnis, non cunctatur. Si dixerit, immola mihi filium tuum Isaac quem diligis, hoc plane patienter audire non potest, vt fraternæ vtilitatis gratia specialis sustinere videatur studij detrimenta. Quid ni abiiciat facile seruus Christi, quicquid ad corpoream pertinet voluptatem? At vero speciali iocunditate æquanimiter fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ charitatis ratio postulat, hoc plane magnum & Deo gratum offerre est holocaustum. Memento tamen non Isaac in hoc sacrificio, sed arietem contumaciæ iugulari. Nostræ insicientiæ tarditatem erudit Dominus tribus modis. In dulci beneficij largitate, quæ nostræ duritiã mentis emollit, & excitat ad amorem, frequenti verborum seueritate, quæ præstans intellectum auditui, incutit nobis timorem contemptus, publica vtilitate, quando implens facies nostras ignominia, parit nobis verecundiam & ruborem.

F I N I S.

LVCÆ TVDENSIS EPISCOPI,

DE ALTERA VITA, FIDEIQVE CONTROVERSIIS

Aduersus Albigensium errores LIBRI III.

Nunc primum in lucem prolati, NOTISQVE *illustrati*,

A

P. IOANNE MARIANA, SOCIETATIS IESV Theologo.

R. P. IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

ANDREAS SCHOTTVS χαίρειν.

EXEVNT *tandem aliquando, perguntq; ex Hiberia in Germaniam, mi Pater, pridem abs te exoptati atq; efflagitati tres* Lucæ Tudensis Episcopi libri, *aduersus Albigensium eius æui errores, quos nunc etiam tempestatis huius sectarios cupide amplecti, ac pertinaciter tueri video, doleoq́.* Chronicon *eiusdem Tudensis, hoc est, ingens Isidoriani Chronici auctarium cum reliquis Chronologis lucem nuper aspicere cœpit: vtrumq; opus, me hortante maxime, Mariana nostro acceptum est referendum; æternum alioqui latuisset, aut, vt alia plurima insignium Theologorum monumenta, hominum incuria funditus intercidisset. Chronica quidem illa Eusebiana tempora, vt Prosper Aquitanus, Victor Tunnunensis, ac Ioannes Gerundensis, deinceps pertexunt, temporum vt series longius queat perduci.*

De his autem Controuersiis Fidei, *quas à me recensitas mitto, sic habeto: Primum de ætate: Floruisse nimirum Gregorio IX. & Calestino IV. Pont. Max. hoc est, ante annos pæne CCCC. Illius in manibus Crucis Christi lignum vidisse se lib. 2. affirmat: meminitq́; non raro B. Francisci ac Dominici sodalium, quorum familia recens tum orta: & hac ipsa, quod recens natam in Gallia* Albigensium, seu Pauperum de Lugduno *hæresim concionando assidue refelleret*, Prædicatorum *nomen merito induit. De argumentis autem, varia pertractari video: vt de futuro sæculo: quo de* Prognosticon Iulianus *quoque scripserat, Episcopus & ipse Toletanus, ac libris*, De statu Animæ, Claudianus Mamercus *Viennensium Galliarum Episcopus: nostra vero memoria* Lucas Pinellus, *Societatis nostræ doctus iuxta ac pius*, De altera vita *disseruit. Et vero de* Nouissimis *ad populum concionari vtilissimum iidem illi Patriarchæ B. Dominicus, ac B. Franciscus recte iudicarunt, & hac quidem lib. 1.* Lucas *noster, auctoribus potissimum vsus* B. Gregorio *in Dialogis, &* S. Isidoro *Hispalensium Præsule in* Sententiis, *seu*

De

A De summo bono. *Altero autem volumine de* Sacramentis *agit: tum vero de* Cruce, *ac de triplici* Crucis *genere: tum de* Peregrinatione *sacra: in quam & Ministri stringere calamum cœperunt, sed qui facile retundi atque hebetari queat. De cruce tres tu quidem Tomos eruditos sane ac laboriosos, nihil vt addi posse videatur euulgasti:* Tudensis *tamen hæc argumenta legere non grauaberis. Tertio etenim lib. de Heretica cancro prauitatis agit, quod in Sacros etiam libros grassari corrumpendos soleant vt μηδ' ἴχνις relinquere videantur, quod non Harpyiæ istæ inquinent vnguibus, idque linguarum, quibus potissimum se iactant, præsidio nixi, & super typho turgidi. Leges igitur hæc, libenterq; accipies, vt profecta à Sociis tui Studiosis tuorumque laborum in propugnanda Ecclesia Dei Catholica, scriptisque perpetuo duraturis Rob. Card. Bell. defendentis à calumniis oblatrantium Hæreticorum. Vale in Domino. Antuerp. Kal. Mart. 1609.*

B

IOAN. MARIANÆ PRÆFATIO IN LVCAM TVDENSEM.

DE OPERIS AVCTORE, SCRIPTIQVE CONSILIO: ET DE ALBIGENSIVM HÆRESI.

Grauissima Hæreses mala in Ecclesiam inuexerunt, magnisque incommodis rempublicam implicarũt. Nec mirum. pestis enim in modum grassantur, serpuntq́, velut cancer: ac nisi nascenti malo tempestiuè occurratur, multo profectò difficillima curatio fit. Veteres historiæ testantur, plurima exempla extãt, nostra & auorum ætate calamitatum, quas Reip. Christianæ hæreses initio neglectæ, neque conuulsæ radicitus importarunt. *Capite,* inquit sponsa, *nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas,* hoc est hæreticorum prauitatẽ, priusquam adolescat, extinguite, furorem & amentiam nascentem in ipsis incunabulis suffocate. Quo. n. alio impietatis conatus spectant, quam vt vineam Domini Sabbaoth depascantur? actiq; occulte cuniculis pietatis arcem Catholicam Ecclesiam euertant? Nocent illi quidem plurimum, multosq; inficiunt pestilentiori afflatu, & per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentum, eosq; verborum suauitate deceptos in laqueum mortis inducunt, errantes ipsi & in errorem mittentes alios; multo tñ plures in fraudem aguntur ijs libris, qui in omnes Christiani orbis partes hæreticorum diligentia, & incredibili audacia dissipantur, speciosis titulis more malorum Medicorum promittentes sanitatem, re vera venena lethalia curiosis, & incautis mẽtibus instillantes; quo maior cautio excitanda est. Nam his artibus quantum malorum inuectum sit commemorare non attinet, cùm res ipsa loquatur, & propemodum necesse est sensibus placeant, quæ cum turpitudine coniuncta sunt, & Christianam libertatem (sic ipsi loquuntur) vitiorum licentia, & impuritate definiunt.

2. ad Tim. 2. v. 17.

C

Cant. 2. 15.

Isai. 3. 14.

Ad Rom. 15. v. 18.

D

Verum hęreticorum audaciam frenare Pontificum est, Principum partes mature occurrere malo: & præterita accusare facile est; opem aliquam, & remedium adhibere salutare. Quod alij quidem feliciori conatu, & maiori eruditione præstabunt, nos dum maiora non possumus efficere, vt animus erat, aliorum diligentiam votis prosequemur; &, ne nihil facere videamur in seditione populari motuq; dolium nostrum (vt quidam Philosophus faciebat) peruolutabimus, recentibus hæreticorum libris veterem disputationem opponemus, qua pleraque hæresum capita contra Albigenses iugulantur, quæ nostra tempestate Sectarij tanta animorum contentione tuentur. Iuuabit ex libello cognoscere, quid in simili causa Hispania, ac vero vniuersa piorum natio ante quadringentos annos iudicarint, neque erit inutile omnium hæreticorum fraudes, & insidias ab Albigensibus exploratas habere: ijdem enim sunt solo discrepantes nomine, eiusdem certe instinctu & inflatu percelluntur cacodæmonis in nostra ruina, atque Ecclesiæ dissidio exultãtes: cui nihil magis est cordi, quam nostra clamitas. Verum quæ auctori occasio scribendi extiterit, & quo pacto hic liber in nostras manus venerit, ad hæc de origine erroris pauca dicenda sunt.

Diogenes Cynicus apud Lucianum.

E

D. Isidori Hispalensis corpus, Benabeto Rege Mauro concedente, Hispali Legionem ante quingentos amplius annos translatum est, cura ac diligentia Ferdinandi Regis eo nomine Primi, pro Iustæ virginis & martyris sacris exuuiis, quas expetierat mutatum, atque in Diui Ioannis Baptistæ ea vrbe supra aram maximam in aurea theca, vincente materiam arte, collocatum, regiæ pietatis monimentum in vtroque præclarum, exemplumque quod posteri Hispanorum reges semper sunt colendis sacris cineribus imitati. Alfonsus Imperator Biatia de Mauris capta, potissimum Isidori præsidio ac monitu, ad augendam templi religionem illud Canonicis regularibus attribuit; quorum erat celebris eo tempore opinio sanctitatis. Sic vetus ædis sacræ appellatio noua mutata, ac D. Isidori nomine dicta est, accessit multitudinis studium votaque frequentibus miraculis excitata, quæ ad Isidori sepulchrum, eiusque virtute innumera ea ætate contigere. Ea vt litteris commendata ab obliuione vindicarẽtur, multi cupiebãt. Lucas Legionensis patria (sic arbitror) vir ardenti ingenio, qui Romam, Constantinopolim, Cyprum, ipsumque caput sanctitatis Hierosolymam præsens lustrarat Gregorio nono Pontifice Maximo ingenij, atque eruditionis specimen dederat. D. Isidori Chronico locupletato productoque ad suam ætatem, stylo magis graui quam nitido, sed studiosus veritatis sermonis elegantiam accipiat à Theologo, non requirat. Id opus à plerisque Isidori nomine per errorem citatur cum sit eius minima ex parte, multaque sint addita & commutata, vix vt antiqua dignosci possint, nisi cum germano Isidori Chronico conferantur: quod Braulio Cæsar Augustanus de Isidori Chronico ait. *Ergo Lucas multis hortantibus noua diligentia tum D. Isidori vitam, tum miracula iusto volumine scribere aggressus est, præsertim auctore Berengaria regina Ferdinandi Regis sancti matre sanctissima: cui vt obtemperaret in priori etiam opere laborarat.* Quo in opere Diaconum se ipse vocat in præfatione his verbis. *Nos vero ad libros Chronicorum à Doctore Hispaniarum Isidoro editos manum mittimus, secundo quosdam alios Hispanorum Regum, & aliorum quorundam seriem prosequendo præcepti gloriosissima Hispaniarum Regina Domina Berengaria omni desiderio desiderantes fideliter satisfacere. Ipsa enim, cuius præceptis non licet, nec libet resistere, mihi Lucæ indigno Diacono, vt hoc perficerem, imperauit.* Hæc auctor.

F

G

Postea vero Episcopum Tudensem creatũm in confesso est, atque in ea vrbe sepulchrum eius monstratur, Beati Petri Gonsalui ex ordine Dominicano, quem viuentem coluerat sepulchro olim coniunctum, vti ipse moriens testamento fieri mandauit. Fuit Roderico Semeno Toletano Archiepiscopo ferme æqualis, Heliæ familiaris, vt ex hoc libro coniicimus, ei qui à D. Francisco institutum ordinem eo abdicante, concedenteque, gubernandum suscepit: nam quæ ab eo audierat, ipse commemorat, non absque honoris præfatione. De Luca hæc dicta sunto.

H

De libris id constat neutrum hactenus formis expressum in manibus hominum Lucemque venisse: & prioris quidem manu scripta multa exempla exstant, posterioris vnum tantum & alterum. Seruabatur Legione in D. Isidori opus autographum, ab auctore in eo monasterio relictum. Ioannes Castellæ Rex, eo nomine Secundus, pro eo studio, quo litteras prosequebatur, inde commodatum accepit: filioque Henrico Quarto cum reliquo regiæ cultu, thesaurisque reliquit: qui deinde Elisabethæ sorori cum regno cesserunt. Id nactus, regina mortua aut concedente, Franciscus Ximenius Cardinalis Hispaniæ in publica Bibliotheca Complutensis Academię collocauit, quam ipse ad Parisiensis exemplar, expressam sapientiæ arcem construxerat; vnde innumeri homines prodierunt vtriusque Philosophię cognitione excellentes, diuinæ atq; humanę.

A Diui Isidori sodales Legionenses re explorata codicem sibi restitui postularunt, maiorum socordiam, aut obliuionem, posteris ne fraudi esset excusantes. Æqua petere visi sunt, lite tamen contestata facultas modo permissa est nouum ex veteri exemplum describendi, sic duo ex vno sunt facta: neque plura exempla iis duobus integra in Hispania exstant. Complutensem codicē nos superioribꝰ annis nacti, cum iussu Philippi Secundi Hispaniarū regis Catholici, castigandi D. Isidori opera quædam cura iniuncta est: eo exculo consideravimus posteriorem operis partem cōsumi hæreticis in sectandis, qui ea tēpestate vigebant, quoniam ij qua in cæteris procacitate sanctorum hominū, qui cum Christo in cœlo regnant cultū, miracula, auctoritatē eleuant. Hanc nos partem describendā curauimus secretā ab alia: rudem indigestamq; molem in libros, & capita distinximꝰ, & ad marginem diuinarū Scripturarū locos oēs, qui citabantur, atq; Patrum plerosq; notauimus, ex quibꝰ liber ferme compactus est. Ad hæc disputationē inscripsimus contra Albigenses, quoniā ea pestis Lucæ ætate grassabatur B maxime, eosq; proprie exagitādos sumpsisse multis præterea argumentis erat exploratum. Priorem operis partem in lucem edere nunc quidem consilium non erat, quæ D. Isidori miraculis vitaq; proprie cōsumitur: tametsi non inanis opera futura erat tanti viri laudes celebrari eo libro publicato; nisi aliena diligentia occupati essemꝰ eius, qui priorem partem lingua vulgari euulgauit: Lutheranos, Caluinianos, cæterasq; pestes in Albigensibus impugnari, in quibus reuixisse videtur maiori impudentia, pari libertate, neq; ingratum, neq; inutile fore iudicabā, vt spei prouentus respondeat, Deum cœlitesq; omnes precamur.

Locus admonet vt de Albigensium origine, & placitis pauca dicamus. In Aquitaniæ atq; Tolosani principatus parte, vbi Cadurci sunt, Albis sita est, quæ vrbs veteribus Alba Augusta fuit Cæsari Iulio in Commentariis de bello Gallico, ad Tarnis fluminis ripam, cū primis in Gallia nobilis ager omni fertilitate conspicuꝰ, frumēti viniq; ferax, homines minime mali, innocentia probitate, candore præ cæteris Galliæ populis insignes atq; præclari, quæ virtutes C in perniciem vertūtur facile, si corruptor adsit, fucata oratione fallax. Ab *ea vrbe Albigenses, siue Albienses, siue Albici*, (ijdem.n. sunt) nomen habent Hæreticorum secta exitialis, Innocentij Tertij Romani Pontificis ætate in Gallia exorta, quod plerique auctores testantur. Resistit vnus vir magni nominis, eruditionis opinione clarus nostra ætate, colluuiemq; Albigensium ex Hispania in Galliā irrupisse confirmat, nescio quid secutus nisi forte Petrum Aragonium regem sugillare voluit, patrocinio eius nationis suscepto ēt inter Hispanos infamem, de cuius expeditione atq; exitu pauca dicenda sunt, atq; ab ea ignominia certe gens nostra vindicanda. Ergo ab Albi vrbe Albigenses dicti sunt, siue vnde ortū habuit tabes, appellatione desumpta; siue cum vis mali in eam gentem maxime incubuisset, ab ea factiosis cæteris Albigensium nomen est factum tetrum inuidiosumque. Petrus Cisterciensis monachus, qui de Albigensibus visa explorataq; in historiam retulit, Innocentio Tertio Pontifici dicatam, hæreticos Tolosates, atq; aliarum vrbium & oppidorum, eorumque protecto- D res communi nomine Albigenses vocari consueuisse ait abusu loquentiū: Prouinciales Hæreticos (hoc est in prouincia Phocæensi natos) eo nomine nuncupantiū. Omnino nouꝰ ille furor haud longissimo spatio, vt est vulgꝰ hominum in deteriora pronum) non modo Galliam vniuersam peruasit, sed ēt in Hispaniam intimam penetrauit; vti Lucas ipse Tudensis in hoc opere auctor est Legionē, vrbē Pontifice vacuam, hæreticos confluxisse: atq; in sordidissimo loco, vbi duo homines nefarij sepulti erant, alter hæreticus, parricida alter, finxisse fieri miracula, fontemq; eo loco, tabo de industria pollutū, manare sanguine, quo nimirum vera Sanctorum Miracula in ludibrium verterentur, quasi simili arte à quæstuosis, & astutis hominibus ad fallendā multitudinē excogitata. Nec mirū tam late eam labem fuisse diffusam, cum Albigensium secta à primo exortu principum virorum (quę magna pernicies est) fauore fuerit armata. Tolosatis primi Comitis, deinde Fuxensis Biterarum & Conuenarū. Accessit Petri Aragoniæ Regis

E patrocinium, quoniam hæ tres vrbes in eius fide erant. Tolosæ præterea Comes affinitate iunctꝰ, nam tertiis nuptiis Eleonoram duxerat Aragoniæ Regis sororem, filius Raymundus patri cognominis, qui ex ea familia postremꝰ Tolosæ Comes fuit, Sanctiam, alteram Aragonij Regis sororem connubio iunctam habeat. Alioqui sententia Rex & appellatione Catholicus à factiosis opinionibus vehemēter abhorruit; cuius rei multa argumenta sunt, corona regia de manu Pontificis Innocētij Tertij Romæ in D. Pancratij, quo religionis ergo se contulerat, accepta; regno etiam vectigali facto Pontificibus Romanis: ꝙ insitæ pietatis certissimum indicium est. Deinde Iacobus filius, quem in spem regni susceperat, Simoni Monfortio, vt educaretur, instituereturq; optimis præceptis à tenera ætate traditus mutui amoris, sincereque pietatis pignus; præterea edictū à patre Alphonso promulgatum, ab ipsoq; confirmatum salutis anno M.C.XCIV. aduersus *VValdenses, seu pauperes de Lugduno*, qui ijdem *Albigenses* sunt, nomine alio: cum eadem ferme vtrorumq; essent doctrinæ capita, neq; multū F discrepant ætate, quæ causa Aimerico exstitit ex Prædicatorio ordine Inquisitori in Aragonia, quominꝰ inter alias hæreses, atq, hæreticos Albigenses numerarit. quod video aliis auctoribus per ea tempora haud dissimili causa contigisse. Verum Regij diplomatis exemplum hoc loco subiiciendum putauimus. *Aldefonsus Dei gratia Rex Aragonū Comes Barcinonæ, Marchio Prouinciæ, vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Ecclesiarum Regni Prælatis, comitibus, Vicecomitibus, militibus, & vniuersis populis in regno & in potestate sua constitutis salutem, & integram Christianæ religionis obseruantiam. Quoniam Deus populo suo nos præesse voluit, dignum est & iustum, vt de saluatione & defensione eiusdem populi continuam pro viribus nostris geramus sollicitudinem. Quapropter præcedentium nostrorum imitationes, & iure canonibus obtemperantes, qui hæreticos à conspectu Dei, & Catholicorum omnium abiectos vbiq; damnādos atq; persequendos censuerunt*, Waldenses videlicet siue Insabbatatos, *qui alio nomine se vocant* Pauperes de Lugduno, *& omnes alios hæreticos quorum nō est numerus à sancta Ecclesia anathema-* G *tizatos ab omni regno nostro & potestatiuo, tāquam inimicos Crucis Christi Christianæque religionis violatores nostros & regni publicos hostes, exire ac fugere præcipimus. Si quis igitur ab hac die, & deinceps prædictos* Waldenses & Insabbatatos, *aliosve hæreticos, cuiuscumq; fuerint professionis in domibus suis recipere, vel horum funestam prædicationem aliquo loco audire, vel his cibum, vel aliquod beneficium largiri præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei & nostram se nouerit incurrisse, bonisque suis, absque appellationis remedio confiscandis, se tanquam reum criminis læsæ maiestatis puniendum. Et hoc nostrum edictum, & perpetuam constitutionem per omnes ciuitates, Castella, & villas regni nostri, & dominationis, ac per omnes terras potestatis nostræ Dominicis diebus recitari ab Episcopis, cæterisque Ecclesiarum rectoribus, atq, à Vicariis, Baiulis, Iustitiis, Merinis, & Zafalmerinis, omnibusque populis obseruari, & prædictam pœnam transgressoribus inferendam, mandamus. Notandum etiam, quia si qua persona nobilis aut ignobilis aliquos sæpe dictorum nefandorum quibus iam per triduum edictum nostrum innotescere constiterit, alicubi regionum nostrarum inuenerit non prorsus aut cito tamen exeuntes, sed potius contumaciter commorantes, aut deambulantes, omne malum, dedecus, & grauamen, quod his præter solummodo læsionem mortis, aut mem-* H *brorum detruncationem intulerit gratum, & acceptum erit in oculis nostris, & nullam indepœnam pertimescat quoquo modo incurrere, sed potius gratiam nostram se nouerit promereri. Damus autem nefandis illis inducias (quamuis quodammodo præter debitum, & contra rationem fieri videatur) vsque in crastinum Sanctorum omnium, quo vel egressi fuerint de terra nostra vel egredi inceperint deinde spoliandis, cædendis, ac fustigandis, & turpiter, & male tractandis.*

Ergo Rex Aragonius priuata necessitudine ductꝰ: Hæreticorū patrociniū suscepit: ne Simon Monfortius, quod agi videbatur, multorumq; persuasio habebat, specie pietatis alieni iuris vrbes principatusque occuparet, armatus penetrauit in Galliam. Verū eius noxæ iustissimas pœnas morte dedit cæsus in pręlio ad Murellū arcē facto victusq; à multo minore hostium numero. nam octingenti equites mille pedites Simeonem Monfortium sequebantur (exigua manus pro hostiū numero) sed bonitas causæ animos facie-

A faciebat, dirę Pontificis, cœlestis vindicta, orbis Christiani inuidia aduersarios debilitauit, opportunosq; iniurię reddidit Aragoniū maxime promiscuæ libidinis fœditate reliquas virtutes suggillantem, vsq; eo vt vxorem innocentissimam repudiarit propinquitatis specie: & quoniam superioribus annis Cōuenarum Comiti coniugio deuincta fuerat illegitimo sc. & inauspicato, vti dati Romæ in causa iudices pronunciarunt. Atq; de Rege Aragoniæ hactenus.

Albigensium errores qui fuerunt. Albigensium placita multa fuerunt. Nullum enim erat ferme impietatis genus, quod ij homines non susciperent, docerentq; alios. *Duo, cum Manichæis, principia rerum inuexerunt, ea causa non semel à Luca illis Manichæorum nomen affingitur, corporum reditum in vitam negabant, asserebant animorum, pari amentia, transmigrationem, Sacerdotibus remittendi peccata potestatem detrahebant, & quod maioribus inauditum erat neque aquam Baptismi ad expianda peccata vim habere putabant, neque in Eucharistia Sacramento Christi corpus esse, preces pro mortuis, & vota frustra suscipi.* Longum sit ire per singula: & quis audeat omnem impiorum hominum væcordiam literis commendare? eo progressi sunt, vt Dei matrem Virginem B voce impurissima *meretricem* vocarēt, vti Guillelmus Nangiacus ait proximi sæculi scriptor. Pari procacitate Christum Deum Mariæ Magdalenæ turpi amicitia iunctum dixerint. Sic Petrus Cisterciensis ait: Proh dedecus & amentiam omnibus suppliciis vindicandam.

Præcipua impiæ ac turbulentæ sectæ capita, ac fere quæ illis cum nostris Sectariis communia sunt, tum alij auctores impugnarunt, tum noster Lucas, admixtis toto opere multis quæstionibus, quas eo sæculo disceptatas, & nostro non ingratas fore Lectori studioso cogitabam, Impugnat hæreticos Gregorij potissimum & Isidori testimoniis & auctoritate, qui eadē ætate in Italia, atq; Hispania pari doctrina, atq; sanctitatis laude floruerunt. Admiscet aliorum Patrum dicta nonnunquam, verū hæc frequentiora sunt. Ad reuincendas hæreticorum fraudes satis fore iudicabat, si tantorum virorum testimoniis aduersari illos ostēderet. Nondum.n. ea tempestate eo temeritatis erat progressum, C vt Patrum eorum testimonia, vel ipsi hæretici floccifacerent: quod faciunt nostræ ætatis hæretici mirabili impudentia, negantes Patrum antiquorum vllam rationē habendā: quod homines fuerint sæpe hallucinati: fidei dogmata ad Dei verbum reuocanda contendentes, heroes ipsi maiores cōditione mortali de cœlo dilapsi ad humani generis salutem sc. & non potius omnium turpitudinum maculis deformati. Ergo Gregorius, Isidorus, Augustinus, Basilius homines fuerunt, atque explicandis diuinis literis sæpe prolapsi sunt, illis fidendum esse negatis, vobis salutē nostram tuto committamus, qui maiori perfusi lumine ea è diuinis libris eruere potuistis Christianæ religionis capita, quę illis in mentem venire nunquam potuerint, ac vero mirabili consensione locis quamuis & temporibus sæpe disiuncti refutarūt. Non aliud de rebus diuinis Italia, aliud Africa, aliud Germania aut Hispania censuerunt, omnium prouinciarum vna erat mens, & oratio, quod diuinę atq; Apostolicæ doctrinæ certissimum indicium est. Et post tot sæcula exurgant pauci homines, qui oēs prouincias, & ætates magnis inuolutas erroribus & tenebris fuisse, sibiq; credēdum fidendumq; contendant: qui maiori lumine veritatem tenebris obsitam, atq; in altissimo puteo (vti ille dice- D bat) demersam in lucem produxerint. Non ita nos Paulus docuit, cum ad Ephesios scribens c. 4. *Et ipse*, ait, *Dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Ad Ephes. 4.11.

Verum quid post Prophetas, Apostolos, & Enāgelistas, Pastoribus & Doctoribus opus fuit? An non diuini libri satis essent? nimirum ne circumferamur omni vento doctrinæ, habeamus ad quos confugiamus, atq; vt Vincen. Lirinen. ait, initio, & fine libri, quem aduersus hæreses scripsit, diuinorum librorum dicta pp obscuritatem & altitudinem, cum non vna sententia omnes interpretentur, aliter nouatus, aliter Sabellius, aliter Arius accipiāt, ad vitandos varios erroris anfractus præter Apostolos, & Prophe- E tas, vt Doctores omni tempore essent in Ecclesia, necesse fuit, quorum doctrina eruditi salutis viam teneremus.

Eam rationem hæreticos reuincendi antiqui Patres tenuerunt, & Theodosius Imperator à Sisinnio Lectore institutus hęreticis, quos ad concordiam reuocare satagebat altera conuocatione Synodi primæ constantinop. conditionem proposuit, vtrum aliq̄ rationem ducerent illorum Doctorū, qui ante diuisionem probe Ecclesiam temperassent, an eos tanq̄ à Religione Christiana alienos reijcerēt. Vt Socrates affirmat lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 10. nimirum nulla expeditior via est, neque ad hæreses confutandas, neq; ad reuocandam concordiam in Ecclesiam, quam si secundum Ecclesiæ iudicium in controuersiis de Religione exortis ad testimonia antiquorum Patrum recurratur; qui numine pleni, pari consensu Ecclesiam, quid teneret docuerunt. Ad hæc fortassis hæreticus non neget Patrum antiquorum rationem aliquā habendam videri, quorum ipsi et Nouatores testimoniis libenter vtuntur, cum causæ F fauere videntur. Verum eorum, qui eo tempore vixerunt, quo sincera doctrina viguit in Ecclesia, nullis superstitionibus fœdata, quod in Gregorij, atq; Isidori ætatem conuenire negāt, quo tempore magnam superstitionum partem inuectam contēdunt, quibus vulgo in Ecclesia laboratur. Latissimus hoc loco cāpus se aperiebat ad disputandum, & multa necessario prætermittēda sunt, ne vltra modum præfatio crescat, sed certe quis Gregorij, Isidori, Lcādri, Bernardi, Benedicti, aliorū similis esse nō malit, quam cuiuslis de hoc nouo grege hominum delicatorum? Neq; enim ea sunt impudentia, vt negent ab eo tempore, quo corruptam Ecclesiam fuisse contendunt in eo genere vitę homines fuisse eruditionis laude, & probitatis opinione excellentes, alioqui August. & Hieron. aliaque antiquiora Ecclesiæ lumina accusent necesse est, quos in plerisq; capitibus ipsis aduersari negare non possunt. Dicant amplius, si Ecclesia aliquo tempore corrupta fuit, veraq; esse desiit, vbinam Christi Ecclesia delituit, ante hoc nouum Euangelium? num in angulos compacta, & ab oculis multitudinis G subducta, inuisibilis est reddita? quod ille certe occinunt. Cum amplitudine Regni Christi dominaturi *à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, & cum eiusdem perpetuitate manifeste pugnant: cuius Regni finem non fore tum voce angeli, tum aliorum Prophetarum vaticiniis inuenimus affirmatum. Psal. 71. 8. Luc. 1. 33. Dan. 7. 14. Mich. 4. 7. 3. Reg. 19. 19.

Fuit tempus, cum pro magno Deus gloriaretur habere se reliqua septem millia virorum, qui se impio cultu non contaminassent, at Christi Regnum, Regnum sempiternū est, & omnes reges seruient ei, & obedient; lapisq; abscissus sine manibus factus est mons magnus, & impleuit oēm terram. Quod Augustinus disputationibus contra donatistas sæpe contendit, Ecclesiam Christi, nō modo ad paucos homines. & obscuros nunquam rediisse, sed ne Africæ quidem latissimæ prouinciæ finibus describi potuisse, quod Donatistæ contendebant; Idem antiquior Augustino Optatus rider lib. 2. prolato illo testimonio *dominabitur à mari vsq; ad mare: Pater*, inquit, *dum donat, nihil excipit, vt vos concedatis vnciam, totam libram auferre conamini: & adhuc nitimini suadere hominibus apud vos solos esse Ecclesiam, negantes meritum Christi, auferentes præstitum à Deo.* Dei Ecclesiam corruptam H esse ais? esto, libenter autem ex te quæram, cuius id culpa contigerit? num Christi? At ipse omnia, quæ accepit à Patre, docuit Apostolos, misitque Spiritum sanctum, qui doceret eos omnē veritatem, num Apostolicam doctrinam inuiderunt Ecclesiæ? aut Ecclesiæ suo vitio aliter acceperunt quam Apostoli proferebāt? (vt Tertulliani in Præscriptionibus verbis vtar) qui potuerunt tot ac tantæ in vnā fidem errare, atque pari consensu eadem vbique terrarum docere, nisi ab Apostolis accepissent, ab illis eorum successores? & est mendacium multiplex; simplex veritatis forma: quæ causa fuit ob quam antiqui Patres, hæreticos vt impugnarent ad Ecclesias eas recurrendum affirmarent, vbi perpetua Episcoporum series ab Apostolorum temporibus designatur, quæ præcipua inter Ecclesię notas obseruatur ab Irenæo, lib. 3. c. 3. à Cypriano lib. 1. epi. 6. ab Optato Mileuitano, lib. contra Donatistas, 2. Augustinus contra funda-

Ps. 2. 8. (sic: margin) Ad Rō. 11. 4. Dan. 2. 34. 35. Ioan. 15. 15. & cap. 13.

A

fundamentum Manichæi, cap. 4. *Tenet me,* inquit, *in Ecclesia ab ipsa Sede Apostoli Petri ad præsentem Episcopatum Sa erdotum successio.* Eadem sententia loquitur epistola :65 Ipseq; Tertullianus antiquissimus cum cæteris Patribus consentiens, nihilq; certius ad reuincendos hæreticos fore disputans, quam si ad Ecclesias, vbi perpetua Episcoporum successio est, recurratur, hære icos illis verbis prouocat: *Edant ergo origiues Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem & antecessorem.* Equidem non negabo habere hæreticos successionem, sed eorum quorum placita iam pridem orbis consensu explosa, quasi ab Orco reuocarunt.

Successit Lutherus Wiclepho, Calninus Berengario, Seruetus Ario. Videas in Lutheranis personatos Albigenses, in Trinitariis Arianos; aliud initium Ecclesiarum suarum afferre nō possunt. Iam vero si ex illis rogemus ad abstergendas tantas Ecclesiæ maculas à quo sint missi? quomodo enim prædicarent nisi mittātur, quomodo current, nullo ad cursum inuitante? qua auctoritate tantā prouinciam susceperunt? & est duplex missio, num ordinaria accesserunt? sed nullum ex Episcopis antecessoribus possunt designare à quo sint missi, reges & principes dare non potuerunt, vt maximè vellēt, quod nunquā ipsi acceperunt. Cum Christus doctrinam, Ecclesiamq; nullis regibus, sed Apostolis, & eorum successorib. cōmendauerit, à quibus missos esse affirmare non poterunt, alioqui indicent originem, texant stemma eorum, vnde ad ipsos antiqua doctrina manauit. Extraordinariam missionē sat scio sibi suisq; arrogare solent, at quibus miraculis confirmatam? neq; n. si quis in vestras Ecclesias irrumpat diuinis quamuis libris armatus, dicenti temere nullis prӕterea testimoniis se missum à Deo ad vestros mores castigādos, errores cōuellendos, acquiescatis. Sed Ioannem Baptistam dicitis missum à Deo, nullum tamen signum fecisse. recte: nisi proxime à Christo haberet testimonium, vera esse quæ docebat; nisi ortus esset miraculis plenus, vaticiniaq; extarēt de eius ante Christum aduentu. Forrasse illud excusatis signa infidelibus esse non fidelibus cōparata. Sed quid? an nos in infidelium numero non ponitis? nos erudiēdi causa cur nulla editis miracula? cur Idolorum cultores, quorū se magnus numerus ad Ecclesiam adiunxit ipso tempore, quo vos pacem Ecclesię turbastis, cur (inquā) aliquam eorum prouinciam diuinis miraculis non illustrastis, ad Christumq; traduxistis, impio cultu repudiato? tentasse certo scio, successus qualis fuerit ne vos quidē ignorare potestis; Voluptatibus eneruati, qui sine vxoribus & liberis sustentare non potestis, tantis laboribus, quales in tam remotis regionib. sese offerunt tolerandis pares non fuistis. multas quidem prouincias vestra opera turbatas esse sat scimus, quæ antea gaudebant nomine Christiano, aliq̄ recens Idolorū cultu spoliato per vos *Christo* conciliatam hactenus nunq̄ audiuimus. Verum hæc argumēta, quibus nullus hactenus hæreticorū satisfecit, dilatare pro dignitate, atq; exeq maioris operæ est. Vnde digressi sumus redeamus. *Gregorij, & Isidori* auctoritatē contemnitis, num Augustini, Ambrosii, Hieronymi antiquiorum testimoniis tribuitis aliquid? negaturos nō arbitror omnino, si affirmatis, diiudicata causa est, nihilominus ab illis vestra placita iugulantur. Multa producere non est opus. Exempla nonnulla proferantur. Nos dicimus panem & vinū mysticis verbis mutari, quam *Transsubstantiationem* vocamus. q d aliud Ambros. lib. 4. de sacramentis c. 4. *Tu forte,* inquit, *dicis, meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Additq;, ne hęc ad alienam sententiam detorqueas; *eiusdem verbis quibus facta sunt, quæ non erant, cœlum & terra, quæ erant in hoc sacramento, in aliud commutari.* Dicim⁹ recte in Ecclesia pro mortuis preces fundi, & diuina hostia sacrificari, num id ex nostro capite? Tertullianus certe lib. de monogamia agens de muliere, cuius vir defunctus est, addit: *pro anima eius oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Ex Montani, inquis, schola hæc Tertullianus depromsit. Quo teste, cuius auctoritate confirmabis, Montanistarū id dogma fuisse, & nō potius morem in Ecclesia receptum passim? nec enim temere dicenti fides habenda est. Quid Augustinus, num ex eadem schola hausit, vbi matris animam agentis verbis: *Tantum,* inquit lib. 9. Confess. c. 11. *vos rogo, vt ad Domini altare memineritis, mei, vbi fueritis.* Num animalis hæc verba fuisse & superstitiosa accusabis? quod filius Augustinus non modo nō castigauit, sed in laudibus eius positum literis ad posteritatem commendauit? In Ecclesia Catholica virgines velamus, eisq; coniugij facultate interdicimus. Vos hanc quasi iniq̄ legem repudiatis, & dictis Pauli contrariam: *Melius esse nubere quam vri* affirmantis. At Ambros. aliter ad virginem lapsam, c. 5. *dicit aliquis,* inquiens, *melius est ergo nubere quam vri, hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit. Iam immortali iuncta est viro, etiamsi voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Et Optatus Mileuitanus, libr. 2 Donatistas accusat ex castimonialibus fecisse mulieres, & à quodam compressam esse puellam ait, cui mithram (hoc est velum) ipse imposuerat. Ecclesia Catholica martyres colit, & eorum nominibus templa, memoriasque construit, quorum se patrociniis apud Deum iuuari persuasum habet. Id dogma à vobis reiicitur. Augustinus tamen confirmat multis verbis, lib. 22. de Ciuitate Dei, c. 8. cuius verba afferenda non sunt quod in promptu sint omnibus. Tametsi non ignoramus eius loci lectionem nōnullis ex vestro numero fuisse salutarem, considerantibus non facile credendum cum vestrarum opinionum Augustinum testem laudatis in hac certe de mendacio conuicti. Theodoret. profecto de curandis Græcanicis affectionibus, integrum sermonem octauum Martyrum cultu celebrando consumit, & eorum cineres quanto studio populi protequerentur multis declarat. Et post multa hæc verba addit, hi sunt igitur veri hominū duces & custodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, proculque arcentur quæ à dæmonibus inferuntur mala. Multo plura affert in historia sanctorū, ac nominatim c. 21. quanto horrori dæmoni sunt Sanctorū reliquiæ, qua lætitia & apparatu à populis exciperētur vno & altero exemplo declarat. Superstitiosum dicetis hominem, & humanis traditionibus obnoxiū, quo id argumento, quo testimonio? nisi forte quod lubet id euulgare, affirmareq; non dubitatis. Quid alia? Augustinus de Cruce, tractatu 36. in Ioannem: *Nihil erat,* inquit, *tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius.* Et lib. 2. de visitat. infirmorū c. 3. *Habent,* inquit, *Christianorum arcana Crucis quasi quoddam venerabile monimentum: quod & nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi veneramur.* Chrisma in Ecclesia conficimus olei vnguentiq; permixtione, eoq; baptizatos inungimus, & à Chrismate *Christianos* dici, id est, inunctos putamus. Hæretici hæc quasi Iudaicas fabulas abijciunt. Cuius tamen rei testem producimus Cyprianum sermone de vnctione Chrismatis dicentem: *Hodie in Ecclesia cum cæteris vnctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum in participationem dignitatis & nominis sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem.* Atq; his consona lib. 1. epist. 22. *Vngi quoque,* inquit, *necesse est, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Et in Optati libr. 2. inuenio Chrismatis ampullam à Donatistis per fenestram proiectam, neque confractam tamen, quod vos forrasse prudentiores, nasutiq; rideatis; ille miraculi loco ponit. Multa cum sint dicta hactenus; plura supersunt. Neque enim in tam bona causa, aut res, aut verba deesse possunt, sed singula capita delibare satis fore duximus. multis ea testimoniis locupletare superuacaneum, promptum adiicere alia de Sacramentis, de vsu sacrarum imaginum, de singulis Ecclesiæ ritibus, de libera hominum voluntate & Iustitia.

Verum finem dicendi faciam, si de Romani pontificis, quam eleuatis, auctoritate, nimirum vestris rationibus vel maxme repugnantem pauca protulero. Quo loco ratione commutata antiquiora non afferam testimonia, neque dicam Romani Pontificis auctoritate generales Episcoporum conuentus cogi apud Theodoretum lib. 5. Ecclesiast.

Histori-

Margin notes (left): B — Ad Rom. 10 15. Iere. 23. 21.; C — Luc. 1. Malac. 4. 6. 1. ad Cor. 14. 22.; D. (right): E; 1. ad Cor. 7. 9.; F; G; H.

A Historiæ cap. 9. neque commemorabo ab eo anathemate notatos Episcopos & Principes, magnis quamuis disiunctos terrarum spatiis, apud Eusebium Ecclesiasticæ Historiæ, lib. 5. cap. 24. & in Niceph. lib. 13. cap. 34. extat epistola Innocentij primi, qua Arcadium Imperatorem, Atticum Constantinopolitanum & Theophilum Alexandrinum à communione piorum exclusit, & propter Chrysostomi exilium, crudelemq; casum. Atq; illud libens prætermittam ex toto orbe Christiano Episcopos, aliosque è sacerdotum numero iniuria vexatos Romanum Pontificem appellasse ex Cypriano epistol. 3. & 4. in nouo ordine 55. & 69. & Concilio Carthaginensi 6. rumpantur quamuis Sectarij Romanos Pontifices falsi falso accusantes. Præteribo etiam Episcopos Romã ad dicendũ causam vocatos, Theodoretus lib. 2. c. 4. pulsos iniuria suis Ecclesiis restitutos. Sozomenus lib. 3. c. 7. Socrates lib. 2. c. 11. Omitto etiam Romani Pontificis iussu varia negotia remotis Episcopis demandata. August. epist. 157. Possidius de vita Aug. c. 14. Augustinum Cæsarem iusse ait, quo eum venire cum aliis B Episcopis sedis Apostolicæ litteræ compulerunt. Neque commemorabo sæpe Romanos Pontifices variis toto orbe Episcopis suas partes & auctoritatem delegasse, quod ex multis D. Leonis epistolis manifestum est. Et certe nisi auctoritate superior erat, qua arrogantia ad Orientales Episcopos Romanus Pontifex Damasus audet scribere apud Theodoretum lib. 5. c. 10. *Quod vestra charitas debitam Sedis Apostolicæ reuerentiam tribuit filij honoratissimi vobis ipsis quoque maximo sane honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractãda sint, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse.* Hæc & plura alia libenter præterimus, quæ tamen si dilatare vellemus, manifeste conuincerent apertæ temeritatis eos, qui Romani Pontificis iugum de ceruicibus excusserunt, Romanamque Ecclesiam de antiquissimo possessionis iure, quod sine manifestis probationibus faciendum nunquam est, deturbare sunt aggressi, non secus ac immanes C Gigantes de cœlo, vt in fabulis, Iouem. Duo tantum nostratum scriptorum testimonia pro Romani Pontificis auctoritate afferenda sunt, finisq; imponendus orationi, *Isidori* Epistola ad Eugenium Toletanũ, quoniam eius fragmentum à *Luca* hoc opere affertur, & Rasis, quoniam Religione quamuis Maurus in Historia de rebus Hispaniæ satis antiqua ea scripsit, quæ apud pios omnes vulgata certaque erant. Ergo *Isidori* literæ subijciantur. *Lib. 1. c. 9.*

Domino charissimo, & virtutibus inclyto Eugenio Episcopo Isidorus. Vestræ sanctitatis litteras per nuntium suscipiens Verecundum rerum omnium conditori grates impendimus quod Ecclesiæ sanctæ sua mentis & corporis vestræ valetudinem conseruare dignatur. Atque ad inquisita pro modulo parati satisfacere exoramus orationum vestrarum suffragijs ab ærumnis opprimentibus à Domino subleuari. Verum quod in quibusdam quæstionibus venerabilis vestra fraternitas, licet vos non ignoretis, me compulit respondere. Quod maioris sententiæ innodatio, nisi in mortis articulo à minori nequaquam valeat enodari, sed potius ab inferiori prolata à superiore iure mediante cassetur; Orthodoxi patres quidem Spiritus sancti auctoritate praua sanxerunt, aliter autem quolibet astruente, sicut est vestræ prudentiæ cognitum, prauum suborietur exemplum, scilicet gloriatio securis contra eum qui secat in ea. Quod vero D *de parilitate agitur Apostolorum. Petrus præminet cæteris, qui à Domino audire meruit.* Tu vocaberis Cephas, Tu es Petrus, &c. *Et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit: cui etiam post resurrectionem filij Dei ab eodem dictum est.* Pasce agnos meos, *agnorum nomine Ecclesiarum prælatos notans. Cuius dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romanus Antistes singulari quodam priuilegio, velut caput cæteris membris celsior, permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite seiunctus, Acephalismo se reddit obnoxium, quod sicut illud sancti Athanasij de fide sancta Trinitatis sancta Ecclesia approbat & custodit quasi fidei Catholicæ articulum.* Quod nisi quisque fideliter firmiterque crediderit saluus esse non poterit. *Hæc vestra dulcissimæ charitati breuiter prælibaui, considerans illud Philosophi, pauca sufficiunt sapienti. Vale.* *Isai. 18. 15.* *Ioan. 1.* *Matth. 16*

E Rasis Arabs post diuisionem Episcopatuum in Hispania, quam à Constantino Imperatore factam fuisse, ait, Hæc verba subdit: *Sic Hispania omnis à Constantino Augustino in sex Episcopatus tributa est. Quo maior esset auctoritas, religionique suum caput constaret, imperandique potestas, ipse quidem Constantinopolim concessit, seque vt priores Romæ eius vrbis Regem dixit, sanciẽs præterea vt Romæ domino cæteri Christi cultores obtemperarent, quem ipsi dominum Christianorum eorum, qui è sacrato ordine erant, & Sanctum vocare consueuerant, ob acceptam à Petro Apostolo potestatem, quã illi Christus crediderat.* Hæc Maurus quamuis religionis nostræ & dogmatis expers, quæ vulgata erant apud Christianos ipse in suam historiam contulit.

Hæc præfati commodum fore putabam: Lectorem monete initio quis auctor operis, quæ occasio scribendi, & in quo argumento tota disputatio versetur, quantaque sint Catholicæ veritatis præsidia. Neque desperamus fore, vt siquis ex aduersariis in hæc inciderit, obstinatione reiecta atque erroribus repudiatis, ad veritatem traducatur. Neq; F enim tam perdita res est, vt desint in ea natione homines, quibus & veritas placeat, idoneis præsertim argumentis confirmata, & noua perfusi luce monstratum sibi salutis iter, & videant, & sequantur: quod si contigerit, vti futurum speramus, haud inutiliter operam positam iudicabimus.

INDEX CAPITVM.

LVCÆ TVDENSIS EPISCOPI,

Aduersus Albigensium Errores

LIBRO PRIMO.

Præfatio.

CAP. I. *Contra illos, qui dicunt* Iesum Christum, *vel Sanctos eius non adesse in hora mortis Sanctorum ad solatium animarum. Et nullius animam sine dolore de corpore exire.* G

II. *Contra illos qui dicunt animas Sanctorum ante diem iudicij ad cœlum non euehi; nec impiorum animas ad inferna deduci.*

III. *Contra eos qui dicunt ignem infernalem incorporeum, & quod ignis corporeus rem incorpoream tenere non possit.*

IV. *Contra eos qui dicunt, Infernum esse in superiore aeris parte: Animas in eo & dæmonia cruciari: quodque ibi circulus & dominium maxime ignei elementi.*

V. *Contra eos qui dicunt animas peccatorum in Inferno æqualiter cruciari; male intelligentes illud quod legitur:* In inferno nulla est redemptio. *Quia etsi nulla redemptio ibi est, tamen pro qualitate criminum aliqua est remissio.*

VI. *Contra eos qui Originem sequentes dicunt animas impiorum non perpetuo puniri, sed misericordia Dei aliquando à pœna saluari, & eos resolutis Inferni doloribus cum Sanctis perenniter gloriari.*

VII. *Contra eos qui dicunt Ignem purgatorium non esse post mortem, nec aliquem peccati pœnam animabus dimitti.*

VIII. *Contra eos qui dicunt Indulgentijs Prælatorum in nullo subleuari animas defunctorum.* H

IX. *Contra illos qui dicunt verba maledicti in ira non esse graue peccatum.*

X. *Contra illos qui dicunt, puerorum peccata apud Deum pertransire multa, & in eis aliquatenus minime requirenda post mortem.*

XI. *Contra illos qui dicunt, Animas post mortem eorum cognitione carere, quos in hoc seculo dilexerunt.*

XII. *Contra Epicureos, qui negant esse alteram vitam: & inuisibilia esse non credunt.*

XIII. *Contra illos etiam qui dicunt Sanctorum Animas Deum non laudare hæc exempla pro nobis ponere possumus.*

XIV. *Contra eos qui dicũt, Animas Sanctorũ ad loca vbi eorũ corpora quiescũt, vel ad Ecclesias* Christi *nunquã conuenire.*

XV. *Contra eos qui sine virtutum meritis præsumunt in Ecclesiis sepeliri: vel dicunt Animas ad fidelium sepultura nunquam accedere, aut viuentibus non expetere beneficia.*

XVI. Quod etiam pœna subsequatur eos, qui sepeliunt indignos in Ecclesiis.

XVII. Animæ fidelium sacrificia pro se offerri petunt.

XVIII. Contra illos qui dicunt, Sanctos Dei pro viuentibus, vel defunctis fidelibus non orare.

XIX. Contra illos qui dicunt Prædestinationem precibus minime adiuuari.

XX. Contra illos qui dicunt Sanctos sola virtute orationis, nunquam solo nutu voluntatis miracula operari.

XXI. Contra illos qui dicunt, Sanctos nullo modo hominum cogitationes intelligere; vel dæmones nihil mali hominibus suggerere, vel hominum cogitationes percipere.

XXII. Contra illos qui dicunt fidelium sepulchra in nulla veneratione habenda, vel solemnisationes Ecclesiæ, vt est cantus officij, pulsatio companarum, & his similia mortuorum spiritibus non prodesse.

LIBRO SECVNDO.

CAP. I. De septem Ecclesiæ Sacramentis.

II. De Sacramentalibus, vt pedum lotione, vt Peregrinatione: An denique Monachus peregrinari expediat.

III. An benedictio aquæ, cineris, frondium, candelarum sit Sacramentum.

IV. De concordia B. Gregorij & Isidori.

V. Mortuorum Animæ viuis apparent.

VI. De diuinis sacrificijs, & de officio Claustralis.

VII. De sanctis Doctoribus.

VIII. Hæretici contemnunt corrumpuntque dicta Sanctorum.

IX. Vitandi sunt hæretici & eorum fraudes.

X. De forma crucis Christi.

XI. Contra illos qui dicunt tres tantum clauos fuisse fixos in manibus & pedibus Saluatoris.

XII. Ad quam mundi partem Christus conuersus erat.

XIII. De descensu Christi ad inferos.

XIV. Reuerentia exhibenda rebus sacris.

XV. De signo Crucis.

XVI. De nomine Iesu.

XVII. De Trinitate.

XVIII. Quomodo alios consignemus.

XIX. De crucibus duorum latronum.

XX. De Imaginibus.

XXI. De cultu Imaginum.

XXII. In templis Deus est adorandus.

XXIII. Quare ad Orientem oramus.

LIBRO TERTIO.

CAP. I. Hæreticorum fraudes.

II. Negant hæretici vera fuisse Christi miracula.

III. Hæretici Iudæorum perfidiam simulant.

IV. Hæreticorum emissarij Catholicorum speciem præ se ferunt decipiendis studiis.

V. Hæretici suis sectatoribus opulentiam temere pollicentur.

VI. Varias fabulas confingunt hæretici.

VII. Alia hæreticorum fabula.

VIII. Alia Hæreticorum fabula.

IX. Falsa miracula ad duorum facinorosorum sepulchra fieri fingunt.

X. Prælatus non detrahendum.

XI. Hæretici eis qui præcipue aduersabantur hæresis infamiam imponunt.

XII. Hæretici res sacras in ludibrium vertunt.

XIII. Hæretici sanctorum Patrum eleuant authoritatem.

XIV. Catus vindicat Hæretici blasphemias.

XV. Corpus combusti hæretici vertitur in bufones.

XVI. Ignis pro fide pugnat.

XVII. Arnaldus hæreticus sanctorum Patrum scripta corrumpit.

XVIII. Hæretici schedas continentes hæresim in populum occulte spargunt.

XIX. Accusantur Prælati aduersus Hæreticos negligentes.

XX. Vnde arripiant Hæretici calumniandi occasionem.

XXI. Hæretici læti subibant mortem.

XXII. Hæreticos merito puniendos videri.

LVCAE TVDENSIS EPISCOPI,

De altera vita,

Aduersus Albigensium errores,

LIBER I.

Auctoris Præfatio.



CReator & factor omnium Deus, sustentator & gubernator cunctorum, atque subleuator fidelium, quam mirabilis & laudabilis es in omnibus operibus tuis, qui Sanctos tuos in præsenti reples dulcedine charitatis, in morte lætificas tua beatitudine visionis: post mortem rectores orbis efficis, & eorum corpora stupendis facis miraculis corruscare: atque nos exiguos famulos tuos eorum patrociniis & præsentia, solatio, & lætitia induis salutari. Benedictus es Rex & Saluator mundi, & benedicant te omnes Angeli & electi tui, quia tu es vere Deus solus, qui militibus tuis tam excellentis honoris stipendia contulisti. Sed væ, væ veritatis inimicis hæreticis, qui proteruis latratibus ore rabido vineam hæreditatis Domini (Isai.5.7.) Sabaoth dente canino & dolo vulpino dilacerare, ac demoliri non (Cant.2.15.) cessant: atque sanctorum miracula, quæ vident, vel audiunt, aut certe negant, aut si negare nequeant, deliramenta Dæmonum procaciter esse affirmant: & simplices quosque Sanctorum patrociniis & solatijs spoliare conantur. Audent enim contendere nos Sanctorum auxiliis in nullo penitus adiuuari. Circumeunt mare & aridam: id est, diuinas Scripturas, & fallacias humanæ deceptionis, (Matt.23.15.) vt faciant vnum proselytum, flammis infernalibus atrocissime perpetuo exurendum. Et nota quod circumeunt dicitur. Exterius enim sanctarum Scripturarum carpentes male superficiem ad veritatis medium nunquam veniunt: sed semper in dulcedine quæruntur amaritudinem, in vita mortem, in candore nigredinem, in Scripturis veritatis errorem: falsitatem in veritate. Quia in contrariis contraria inuenire nequeunt; à semetipsis in suæ perditionis cumulum adinueniunt, vt infames infamatissimi inter homines male viuant, atque præsentem vitam in miseriis omnino cõsumant. Et quia humanum corpus factum à diabolo mentiuntur, eorum corpora ipsis iubentibus sepeliuntur in sterquilinio, & eorum animæ ipsis nolentibus retruduntur horribiliter in infernum. Hæc sunt, diabole, quæ præparasti: in præsenti quidem vita illis mala: in mortis sepultura peiora, & post mortem, pessima inimicis Dei hæreticis pro tibi impenso seruitio recompensas. Pessimus ipse magister, hæreticos valde te deteriores discipulos pessimam horrendæ passionis doces comparationem: cui illi in principio male accommodantes animum de malo ad peius, & peiori ad pessimum continue alterantur, quod illis vertitur in habitum æternæ mortis inseparabilis accidentis: & mala argumenta pœnarum perpetuitatis claudit sine fine conclusio tormentorum.

His videntur in parte fauere temerario studio falsitatis quidam, qui gloriantur nomine Christiano, regale nomen negantes, operibus & superstitionibus adhærentes, abbreuiantes (Isai.53.1.) manum Domini quantum in eis est, vt nequeat liberare: asserentes Prælatos Ecclesiæ Christi animabus mortuorum fidelium remissionum indulgentiis non posse vllatenus subuenire: nullius Sancti animam ante diem Iudicij cælum ascendere; atque nusquam pati pœnas animas, nisi tantummodo in inferno. Neque habere notitiam etiam eorum, quos dum viuerent, in sæculo dilexerunt.

Hæc & alia friuola secundum motum sui cordis, quasi de ratione nituntur ostendere: atque nouis, vanisque opinionibus subinductis, corda simplicium euertere moliuntur; sicque fit, vt cæci facti duces cæcorum cum eis in foueam dilabantur. (Matt.15.14.) Seminant enim vana, & falsas insanias in cordibus audientium, & superueniens inimicus hæreticus, cum eos mendaciis deditos inuenit, & à via veritatis semotos, superseminat erroris hæretici Zizaniam. (Matt.13.25.) sic efficiuntur eo plus apti ad suscipiendum semen erroris, quo ab Ecclesiæ tramite longius deuiarunt, facti præcursores hæreticorum. Gaudent videri scioli, & sanctarum Scripturarũ spernentes sententias, nullatenus audire volunt vnde à suis erroribus compescantur. Pascuntur adulationibus perditorum, & lethali vulnere sauciati, adiutoribus suis vulnera æternæ mortis infligunt. Quia vero diligentes in eis bonum, quod à Domino factũ est, & persequẽtes pro modulo nostra mi-

A nimæ paruitatis malum quod faciunt, eos in visceribus Iesu Christi amplectimur, cupientes creaturam suam restituere Creatori, ne sæuissimus lupus hæreticus, Christi oues oberrantes venenato dente dilaniet, quibuscumque valeo latratibus minimus Ecclesiæ Catholicæ caniculus, illius præcauendo sententiã, quæ de torpentib. clericis dicitur per Prophetã: Facti sunt quasi canes muti nõ valentes latrare; easdem oues ad caulam veritatis reducere laborabo: in qua organum Spiritus sancti beatißimus Papa Gregorius Apostolorum principis Petri successor, dignitate ac moribus filij Dei in plenitudine potestatis, Vicarius super solium excelsum & eleuatum inter pastores præsidet summus, de ipso filij Dei throno vel solio emittens fulgura sancta prædicationis corda fidelium desiderijs cælestibus inflammantia & voces laudis Deo cantantes cantica salutaria atque tonitrua comminationibus districti Dei iudicij & asperis sententijs hæreticorum animos, & prauorum omnium deterrentia. Cum igitur à sanctis Patribus & Doctoribus solium excelsum & eleuatum, vel thronus Dei excellenter Ecclesia Romana dicatur, quæ caput Ecclesiæ Christi & mater extat sanctißima: ad hunc ergo præcipuum Patrem Gregorium sedentem super altißimum Dei solium, deuote & humiliter accedamus: & quidquid nobis protulerit super his, de quibus inter nos oritur altercatio, in cordis armario recondamus. Tanto enim pulcrius & verius nobis arcana cœlestia, & occulta secretorum reuelabit, quanto magis sanctitate, dignitate, ac scientia Domino propinquauit. In speculo namque æternitatis ipsum credimus omnia contemplari.

Isa.56.10.

B Gregor. Pont.

Isa.6.1.
Psa.88.30.
B

Ad hæc autem fortaßis respondet mihi cauillose contrarius: Tu solus sic laudas Gregorium, vt testis vnicus inueniaris in laude tua. Ad quem ego: Accedat, inquam, alius: gloriosißimus scilicet Hispaniarum Doctor Isidorus, & quid de illo in libro Virorum illustrium, reuelante spiritu veritatis senserit, solicite audiamus de tãto viro veritatis testimonium perhibendo dicit: Gregorius Papa Romanæ sedis Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, humilitate summus; tantoq; per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditus, vt non modo illi in præsentibus temporibus quisquam Doctorum sed ne in præteritis quidem par fuerit vnquam. Et post pauca: Vir hic excellentissimus, &c. Hæc à beato Isidoro ita de illo excellenter sunt posita, vt si maius superlatiuo gradu vsualiter inuenisset, in eius laude, tanti Patris exigentib. meritis, summum celsißimo addidisset. Et quia in ore duorum vel trium testium voce diuinæ Legis stat omne verbum, sanctißimus ille Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris Diaconus, eidem sanctißimo Patri Gregorio tempore diuturno, sanctitate, familiaritate continua & dulcißimis amicitiis tenerrime copulatus accedat, & quid oculis corporũ & mentis, de magistri & Patris sanctitatis excellentia viderit; & à quo eius sancta prædicatio fonte, & expositiones sacræ Legis explanatæ ab ipso mediante sancto Spiritu emanauerint, nobis proposito timore mortis referat: vt eius sancto testimonio adhibentes fidem lætemur; praui veritatis æmuli erubescant inuiti: Post mortem quidem B. Gregorij (vt in gestis ipsius legitur) quidam ex maioribus eius sacra eloquia sollicite perlegentes, qualiter gesta fuerint, vel si ab homine, cum stupore nimio mirabantur & sanctissimum Diaconum Petrum requirentes petebant, vt de his, sanctis suis verbis simpliciter illis faceret fidem. Qui retulit eis verba fidelia: scilicet B. Gregorij dictaminis tempore se vidisse in columbæ specie sæpius Spiritum sanctum super ipsum descendere, & Angelum Domini colloquentem illi. Hoc etiam à beato Patre testabatur se accepisse responsum, quod non diu posset viuere, ex quo hæc alicui reuelaret. Vt responsum accepit ita factum est, vt hoc esset cunctis euidens testimonium, beatißimum Patrem Gregorium inter cætera sancti Spiritus charismata, etiam Prophetiæ spiritu refulsisse: & ea quæ Petrus Dei famulus de illo retulerat, esse veritatis effectui mancipata. Quis ad hæc vel insanus phrenetico spiritu agitatus tantorum Sanctorum tam præclara testimonia respondeat? His ergo corroboratus in Domino, seponens ad tempus prosequi ea, quæ de miraculis sancti confessoris Isidori cæperam enarrare, ex Dialogorum beatißimi Patris Gregorij libro ad eruditionem fidelium contra temerarios proferam argumenta, mentibus dubijs rationabiliter faciens fidem. Nõ enim eos existimo resistere posse huius viri præclarißimi authenticis testimoniis. Interseram etiam quorundam Sanctorum auctoritates perpaucas, ne occasione comperta, calumnientur me quærere subterfugia, & auctoritatibus varijs velle illos ducere per deuia.

C

Matt.18.16

Ioan. Diaconus in vita B. Gregorij li.4.c.69.aliis verbis eadem sententia.

D

E

C a p. I.

Contra illos, qui dicunt Dominum Christum Iesum, vel Sanctos eius, in hora mortis Sanctorum non adesse ad solatium animarum; & nullius animam exire de corpore sine graui dolore.

GREGORIUS: *Nonnunquam in consolationem egredientis animæ, ipse apparere solet auctor, ac retributor vitæ.* Et in alio Cap. dicit idem: Sciendum est, inquit, quia sæpe animabus exeuntibus electorum, dulcedo solet laudis cœlestis erumpere, vt dum illam libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima, sentire minime permittantur. Lib.4. Dialog.c.14.

Vt autem præmissa probaret exemplis, addidit dicens. Hoc quod de Tarsilla amita mea in homilijs Euangelij dixisse me recolo, replicabo, quę inter duas alias sorores suas virtute orationis, grauitate vitæ, singularitate abstinentiæ, habitu continentię ad culmen sanctitatis excreuerat. Huic per visionem atauus meus Fælix huius Romanæ Ecclesiæ Antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ charitatis ostendit, dicens. Veni, quia te in hac lucis mansione suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta ad idem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis virisque morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos cõsolentur eandem horã exitus ipsius multi viri ac fœminæ circumsteterunt, cum subito sursum illa respiciens Iesum venientem vidit, & cum magna animaduersione cœpit circumstantibus clamare, dicens: *Recedite, recedite, Iesus venit*, cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima corpore soluta est. Tantaq; subito fragantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illic auctorem suauitatis venisse. Eod l. c.16 F

Item idem. Neque hoc sileo, quod probus Dei famulus de sorore sua, Musa nomine, puellaq; parua narrare consueuit, dicens: quod quadam nocte ei per visionem sancta Dei genitrix virgo Maria apparuit, atque coæuas & in albis vestibus puellas ostendit. Eod li. c.17 G

Quibus cum illa admisceri appeteret, sed sese eis adiũgere non auderet, beatæ Mariæ semper Virginis est voce requisita, an vellet cum eis esse, atque in eius obsequio viuere. Cui cum puella eadem diceret, *volo* ab ea mandatum protinus accepit, vt nihil vltra leue, & puellare ageret, à risu & iocis abstineret, sciens per omnia quod inter easdem virgines, quas viderat, ad eius obsequia die tricesimo veniret. Quibus iussis, in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemque à se leuitatem puellaris vitæ magistra grauitatis detersit manu. Cumque eam parentes eius mutatam esse mirarentur, requisita rem retulit, quid sibi beata Dei genitrix iussisset, vel quo die itura esset ad eius obsequium indicauit. Et post vicesimum & quintum diem febre correpta est. Die autem tricesimo cum hora eius exitus propinquasset, eandem beatam Dei genitricem cum puellis, quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui etiam se vocanti respondere cœpit & reuerenter depressis oculis aperta voce clamare: *Ecce domina venio, ecce Domina venio.* In qua etiam voce spiritum reddidit, & ex virgineo corpore abitura cum sanctis virginibus exiuit. H

Item idem beatissimus pater Gregorius in alio capite de quodam reuerẽdo sanctitatis presbytero scripsit, quod cum in hora mortis sanctos Apostolos Petrum & Paulum ad se venientes conspiceret, cum magna lætitia cœpit clamare, dicens: *Bene veniant domini mei, bene veniant domini mei. Quid ad tantillum seruulum vestrum estis conuenire dignati? Venio, venio, gratias ago, gratias ago.* Cum hoc iterata crebro voce repeteret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit, dicens. *Nunquid conuenisse hic sanctos Apostolos non videtis? Beatißimos Petrum & Paulum primos Apostolorum non aspicitis?* Ad quos iterum conuersus, dicebat. *Ecce venio, ecce venio.* Atque inter hæc verba reddidit animam. Et quia veraciter sanctos Apostolos viderat, eos etiam se- Eod.l.c.11.

A quendo testatus est. Quod plerumque contingit iustis, vt in morte sua sanctorum præcellentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant: sed cum eorum menti internorum ciuium societas ostenditur, à carnis suę copula sine doloris & formidinis fatigatione soluantur.

Isidorus. Egreditur de corpore cuiuslibet iusti anima cum formidine pœnæ, nisi visione cœlestium certa spe gloriæ soluetetur.

Gregorius. Nonnunquam omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius reuelationibus robotat, vt in morte minime pertimescant.

Lib.3 de summo bono c.vlt. Isidorus. Quidam electi in ipso suo fine hilarescunt, æternorum contemplatione bonorum.

Ecce quomodo testes veritatis conueniunt in idipsum. Sed dum quorundam iustorum animas non solum sine dolore, verum etiam cum hilaritate exire à corporib. probatum est euidenter, summopere caueamus necesse est, ne
B quorundam iustorum, quorum animæ difficultate ac dolore egredi videntur à corpore, sanctitatem cordibus simpliciũ deleamus, & iustos contradicant omnino esse quorum vitæ terminus clauditur cum dolore. Ne vero eos occasione huius rei periclitari aliquatanus permittamus, hunc peritissimum medicum animarum Gregorium ad medium reducamus.

Lib. 4. dialog c 20. Gregorius. Sciendum est, quia aliquando animæ meritum non in ipso suo egressu ostenditur: post mortem vero certius declaratur. Vnde & sancti Martyres ab infidelibus crudelia multa perpessi sunt, qui tamen ad ossa sua mortua signis quotidie clarescunt.

Eod.li.c.23. Item idem. Quidã in Marsorũ prouincia vitę valde venerabilis Diaconus fuit, quem inuentum Longobardi, tenuerunt: quorum vnus educto gladio caput eius amputauit. Sed cum corpus in terram caderet, ipse qui hunc capite truncauerat, immundo spiritu correptus ad pedes eius corruit, vt quod amicum Dei occiderit, inimico Dei traditus ostenderet. Ad hæc Petrus beatissimum magistrum interrogans, dicit: Quid est hoc, quæso te, quod omnipotens
C Deus sic permittit mori, quos tamen post mortem, cuius sanctitatis fuerint, non patiatur cælari: Gregorius. Cum
Sap.47. scriptum sit: *Iustus quacunque morte præoccupatus fuerit, iustitia eius non auferentur ab eo.* Electi qui proculdubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest, si ad modicum dure moriuntur? Et est fortasse nonnunquam eorum culpa, licet minima, quæ in eadem morte debeat resecari. Vnde fit, vt reprobi potestatem quidem contra viuentes accipiant, sed illis morientibus hoc in eis grauius vindicetur, quod contra bonos potestatem suæ crudelitatis acceperunt. Sicut idem carnifex, qui eundem venerabilem Diaconem viuentem ferire permissus est, gaudere super mortuum permissus non est. Quod sacra quoque testantur eloquia. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere
3.Reg c.13. occidit, sed statim illic scriptum est: *Quia stetit leo iuxta asinum & non comedit leo de cadauere.* Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxa-
D tum. Qui enim occedendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit. Quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia etariam iustus ex morte. Leo igitur qui prius peccatoris vitam necauerat. custodiuit postmodum cadauer iusti. Huc vsque beatus Gregorius.

Ad quam etiam sententiam confirmandam dicit Hispaniarum Doctor Isidorus: cum animæ fidelium acerbe aut immature cũ labore nimio & molestia egrediuntur de corpore, de illorum salute non est ideo disperandum, quia amaritudine ipsius molestiæ deletur culpa alicuius excessus, vel negligentiæ.

Gregorius. Plerumque de culpis minimis ipse solus pauor egredientes animas iustorum purgat.

E

Cap. II.

Contra illos qui dicunt animas Sanctorum ante diem iudicij ad cælum non euehi, nec animas iniquorum ad infernum deduci.

Lib 4. Dialog.c.24. & seq. Hac quæstione Petrus beatissimum Patrem interrogat, dicens; Nosse velim si nunc ante restitutionem corporum in cœlum recipi valeant animæ iustorum.

Gregorius. Hoc nec de omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorundam iustorum animæ quæ à cœlesti regno, quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerint. Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum iustorum animæ mox vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur; Quod & ipsa veritas per se attestatur, dicens, *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Quia vbi Redemptor noster est corpore, illic proculdubio colliguntur & animæ iustorum. Et Paulus dissolui desiderat, & esse cum Christo. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atque inhabitatione patriæ cœlestis dicit. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus à Deo domum non manu factam æternam in cælis.*

F Luc.17.37. Philip.1.23. 2.Cor.5.1.

Petrus. Si igitur nunc in cœlo sunt animæ iustorum, quid est, quod in die iudicij pro iustitia sua retributionem accipient?

Gregorius. Hos eis nimirum crescit in iudicio quod nunc animatum sola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruantur, vt ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro domino, cruciatusq; pertulerunt. Quia modo animarum tantummodo, tunc autem animarum simul & corporum gloria lætabuntur.

4.Dialog.c.27 & 28. G Petrus. Quia cum superius dictum sit esse iam sanctorum animas in cœlo, restat proculdubio, vt iniquorum quoque animas esse non nisi in inferno credatur, & quid de hac re habeat veritas ignoro.

Gregorius. Si esse Sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet vt per omnia credas esse iniquorum animas in inferno, quia ex retributione internæ iustitiæ, ex qua iam iusti gloriantur, necesse est per omnia, vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod à die exitus sui ignis reprobos exurat.

Cap. III.

Contra eos qui ignem infernalem dicunt incorporeum: & quod ignis corporeus rem incorpoream tenere non possit.

H Eod.l.c.29. Gregorius. Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? In viuente quolibet, idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus. Si spiritus incorporeus in hoc teneri potest, quod viuificat quare non pœnaliter, & ibi teneatur vbi mortificatur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, vt in tormento ignis videndo atq; sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt: & quia concremari se aspicit crematur: sicque fit vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor & dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea etiã incorporea flammã crucietur. Quãuis colligere ex dictis euangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo sed etiam experiẽdo patiatur. Veritatis etenim voce diues mortuus in infernum dicitur sepultus, cuius anima, quia in igne teneatur, insinuat qui Abraham deprecatur dicens: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam*
Luc.16. *meam, quia crucior in hac flamma.* Dum ergo peccatorem diuitem

A

uitem damnatum veritas ignibus perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignib. neget? vel quisnam sapiens, spiritus apostatas à cœlesti gloria deiectos esse corporeos dixerit? Et certe veritas reprobis in fine dictura est: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius.* Matt.25.41
Si igitur Diabolus, eiusq; angeli, cum sint incorporei; corporeo sunt igne cremandi, quid mirum, si animæ etiam antequam recipiant corpora, possunt corporea sentire tormenta? Petrus. Patet ratio: nec debet animus de hac vlterius quæstione dubitare.

Cap. IV.

Contra eos qui dicunt infernum esse in superiori parte aeris; animas & in eo & dæmones cruciari; eo quod sit ibi circulus & dominium maxime ignei elementi.

B

Li.4 Dialo. c.41.& 42. PEtrus de hac quæstione beatissimum Patrem interrogat, dicens: Quæso te, quia paulo superius sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, vbinam Infernum esse putamus; super terram hanc, aut sub terra esse credendus est?

Gregorius. Hac de re temere definire nihil audeo. Nonnulli namq; in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt. Alij vero hunc sub terra esse existimant. Sed tamen hoc animum pulsat, quia si idcirco infernū dicimus, quia inferius iacet. Quod terra ad cœlum est, hoc esse infernus debet ad terram. Vnde & fortasse per Psalmistam dicitur. *Liberasti animam meam ex inferno inferiori.* Psa.85.13.

Lib.14 Etymol. c.vlt. Item Hispaniarum Doctor Isidorus in libro Etymologiarum titulo de inferioribus: Gehenna est locus ignis & sulphuris, quem appellari putant à valle idolis consecrata, quæ est iuxta murum Hierusalem, repleta olim cadaueribus mortuorum. Ibi enim Hebræi filios suos immolabant dæmonijs, & appellabatur locus ipse Gehenō. Æterni ergo supplicij locus vbi peccatores cruciādi sunt, huius loci vocabulo definatur. Duplex autem est gehenna, & ignis & frigoris. Infernus appellatur, eo quod infra sit. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia tristiora. Vnde & in Græca lingua ᾅδης appellatur infernus, eo quod nihil suaue habere, vel resonare perhibetur. Sicut autem cor animalis in medio eius est, ita infernus in medio esse terræ dicitur. Vnde & in euangelio legimus, *In corde terræ.* Philosophi autem dicunt, quod inferi pro eo dicuntur, quod animæ hinc ibi inferantur. Matt.12.40.

C

Cap. V.

Contra eos qui dicunt, animas peccatorum in inferno æqualiter cruciari, mali intelligentes illud quod legitur: In inferno nulla est redemptio. *Quia etsi nulla redemptio ibi est, tamen pro qualitate minorum criminum aliqua est remissio.*

D

Li.4. Dialo. 43. GRegorius. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciantur peccatores. Vniuscuiusque etenim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet pœnam. Nam sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita & illic in vno igne non vnus est modus incendij. Quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas pœnarum, vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Et in alio capitulo exponēs illud euangelij. *Colligite Zizania, & ligate ea per fasciculos ad comburendum*, dicit; Messores quippe Angeli Zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares parib. in tormentis similibus sociant, vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia, ducuntur, quia eos in locis pœnalibus Angeli deputant quasi Zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant. Li.9.in Iob. c.47. Matt.13.30.

E

Isidorus. Sicut fasciculi lignorum ad cōbustionem de similibus colliguntur: ita in iudicij die similis culpæ reos suis similibus iunget, vt ex æquo pœna constringat quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum. Sicut vniusquisque sanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ita & vnusquisq; impius pro quantitate facinorum condemnabitur. Nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo, sed iuxta qualitatem criminum discretio erit pœnarum, Propheta testante. *Tibi Domine misericordia, quia reddes singulis secundum opera sua.* L.1. de summo bono. ca. 32. Psa. 61.13.

Cap. VI.

Contra illos, qui Originem sequentes dicunt animas impiorum perpetuo non puniri, sed misericordia Dei aliquando à pœna saluari, & eas cum Sanctis, inferni resolutis doloribus perenniter gloriari.

F

GRegorius. Constat nimis & incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudiorum bonorum: ita finis non erit tormentorum malorum. Nam cum veritas dicat: Ibunt impij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erit, quod minatus est Deus. Lib.4. Dialog. c.43. & deinceps. Matt.25.46.

Petrus. Quid si quis dicat, idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, vt eos à peccatorū perpetratione compesceret? Gregorius. Si falsum est quod minatus est, vt ab iniustitia corrigeret, & iam falsa est pollicitus vt ad iustitiam prouocaret. Si quis hoc dicere, vel insanus præsumat? Quod si minatus est, quod non erat impleturus, dū asserere eum callide minantem volumus, fallacem quod dici nefas est, prædicare compellimur. Petrus. Scire velim, quo modo iustum sit, vt culpa, quæ cū fine perpetrata est, sine fine puniatur. Gregorius. Hoc recte diceretur, si districtus iudex non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerūt quia cum fine vixerunt; nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam indicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

G

Isidorus. Æternum quidem erit iniquorum supplicium, quia de velle ipsorum est, vt si in æternum viuerent & peccare possent, in æternum peccarent. Et qui permutatione gaudent vitiorum permutatione patientur tormenta, vt modo flammis exurantur & modo frigoribus niuis crucientur, vbi secundum sermonem euangelicum erit fletus & stridor dentium. Alternatio vero suppliciorum maiorem cruciationem illis augebit sine fine dolorum. Iob.24.19.

Cap. VII.

Contra illos qui dicunt, Ignem purgatorium non esse post mortem; nec aliquam peccati pœnam animabus dimitti.

H

GRegorius. De quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis, credēdus est pro eo quod veritas dicit: *Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neq; in futuro.* In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam cōceditur. Sed tamen vt prædixi, hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est. Sicut est assiduus, ociosusque sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpā qualiter declinare debeant, sciunt: aut in grauibus rebus error ignorantiæ: quæ cunctæ etiam post mortem grauāt, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. 4. Dialog. c. 39. Matt.12.32.

Et in alio capitulo idem. Si culpæ insolubiles non fuerint, ab absolutionem prodesse etiam mortis victima sacræ oblationis potest. Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ prosunt, qui viuendo obtinuerūt, vt eius etiam post mortem 4. Dialog. c. 55.

A mortem opera bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab alijs fiunt.

Isidorus. Est ignis purgatorius incendij locus, vbi post mortem fidelium quædam peccata leuia puniuntur, aut eorum qui post detestationem peccati & confessionem legitimam condignam pœnitentiæ satisfactionem plenarie minime peregerunt.

Lib. 1. de officiis eccl. c. 18. Item idem alibi. Sacrificium pro defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus quod ipsis ab Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel sacrificium offerret. *Matt. 12. 32.* Nam cum Dominus dicit: *Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*: demonstrat, quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Ergo vt in quodam loco dictum B est à sanctissimo Augustino, defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium offertur, vel, eleemosynæ fiunt, si tamen aliquod sibi quisque meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, per quod ista prosint, quæcunq; pro illo fiunt. Nam non omnibus prosunt, nisi pro differentia vitæ quam quisque gessit in corpore. Nam pro valde bonis, gratiarum actiones fiunt; pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi nulli sunt adiumenta mortuorum, qualescumque tamen viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certe vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. Et in libro Machabæorum legitur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Enchirid. ad Laurent. c. 110. & 13. q. 2. ca. tempus. de ciuit. Dei. Lib. 21 c. 24 & li. de cura pro mortuis agenda.

2. Mach. 12. 46.

Cap. VIII.

Contra eos qui dicunt, indulgentijs Prelatorum in nullo subleuari animas defunctorum.

C *2. dialog. c. 23.* Gregorius. Non longe à monasterio venerabilis patris Benedicti, duæ sanctimoniales fœminæ, nobiliori genere exortæ in loco proprio conuersabantur. Quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt: necdum prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectæ linguam sub habitus sui fræno restrinxerant, & eundem religiosum qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sermonibus ad iracundiam prouocabát. Qui cum diu ista tolerare nó posset, perrexit ad Dei hominem, quantasque pateretur verborum contumelias, enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit, dicens: *Corrigite linguam vestram, quia si non emendaueritis excommunico vos.* Quam videlicet excommunicationis senteńtiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ intra paucos dies defunctæ D sunt, atque in Ecclesia sepultæ: cumque in eadem Ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret. *Si quis non communicat, det locum.* Nutrix earũ, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi, & exire Ecclesiam videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere nõ poterant, ad memoriam redijt, quæ vir Dei illis adhuc viuentib. mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mærore indicatum est. Qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: *Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vltra excommunicata non erunt.* Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à Diacono iuxta morẽ clamatum esset, vt non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ ab Ecclesia exite vlterius visæ non sunt. Qua ex re indubitáter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minime recederent communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

Petrus. Mirum valde quamuis venerabilem sanctissi- E mum virum adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

Matt. 16. 19. Gregorius. Nunquid nam, Petre, in hac adhuc carne nõ erat, qui audiebat: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cœlis.* Cuius nunc vicem & ligando & soluendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terra, cœli & terræ conditor in terram venit de cœlo, atque vt iudicare caro etiam de spiritualibus possit, hoc ei largiri dignatus est factus pro hominibus Deus caro; quia inde resurrexit vltra se infirmitas nostra, vnde sub se infirmata est firmitas Dei. *Ioan. 1. 14.*

Petrus. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

F Isidorus. Indulgentiæ dierum quæ à pastoribus Ecclesiæ in sanctorum festiuitatibus, vel alias ob caritatis opera fiunt, non solum viuis, verum etiam mortuis fidelibus prosunt, & gratiam sibi indultæ solutionis percipiunt si tales sunt, qui viuorum beneficijs à pœnarum supplicijs valeant liberari.

Cap. IX.

Contra illos qui dicunt, verba maledicti in ira non esse graue peccatum.

3. Dial. c. 13. Petrus interrogans beatissimum Patrem dicit. Nunquid valde graue esse credimus, si forsasse cuilibet exagitati iracundia maledicamus?

Gregorius. De hoc peccato, cur me percunctaris, an graue sit? cum Paulus dicat: *Neque maledici regnum Dei possidebunt?* Pensa itaque quam grauis culpa est, qua separatur à regione vitæ. *1. Cor. 6. 10. Ad literam ex Græco non quisquis maledicit sed cõuiciatores signific.*

Petrus. Quid si homo non facit ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis in proximum iaculatur verbũ.

G Gregorius. Si apud districtum iudicem, Petre, ociosus sermo reprehenditur, quanto magis noxius? Pensa igitur quantum sit damnabilis qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat.

L. 2. de summo bono c. 29. Isidorus. Cum quædam parua vitiorum verba non euitamus, in magno linguæ prolabimur crimine, & dum facta quædam non grauia libere ac sine metu committimus, ac peiora scelera, & horrenda peccandi consuetudine labimur. Et post pauca.

Sicut falsitatis crimen à proficientibus pertimescitur: ita otiosa verba à perfectis viris vitantur. Nam, sicut ait quidam, vt pro ocioso verbo ratio ponitur, ita pro sermone iniusto pœna exoluitur. Vani sermones in ore Christiani esse non debent. Nã sicut malos mores bona colloquia corrigunt, ita praua colloquia bonos mores corrumpunt: Item idem. Qui manum continet, ne sanguinem proximi fundat, & maledicti iaculo mentem eius vulnerat, profecto se effusionis sanguinis apud Deum efficit reum; quia gladium venenatæ linguæ proximi menti infixit. Cui sententiæ illud Apostoli Iacobi congruere videtur, qui dicit: H *Iacob. 3. 6.* *Lingua constituitur in membris nostris quæ totum corpus maculat & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna inquietum malum plena veneno mortifero.* Quare hæc dixerit, aperire videtur, cũ subiũgit: *In ipsa*, inquit, *maledicimus, homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Et quia maledicto effrænatæ linguæ illud Deo odibile scilicet fratrum discordia seminatur: quæ mala consequantur insinuat dicens: *Vbi scelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.* Qui igitur omne vniuersaliter posuit, nihil prætermisit. Cauandum est igitur fidelibus à vitio maledicti, ne cum inde omnibus subiacent malis, omnium malorum iusto Dei iudicio puniantur tormentis.

Caput X.

Contra illos qui dicunt, puerorum peccata apud Deum pertransire multa, & in eis aliquatenus minime requirenda post mortem.

Petrus interrogans beatissimum Patrem dicit: Cum humanum genus multis atque innumeris vitijs sit subiectum

ctum, Hierusalem cœlestis patriæ maximam partem ex paruulis vel infantibus arbitror posse compleri.

4. dial. c. 18. Gregorius. Etsi omnes infantes baptizatos, atq; in eadem infantia morientes ingredi regnum cæleste credendũ est, omnes tamen paruulos qui scilicet iam loqui possunt, regna cœlestia ingredi credendum non est. Quia nonnullis paruulis eiusdem regni cœlestis aditus à parentib. clauditur si male nutriãtur. Nam quidam vir cunctis in hac vrbe notissimus ante triennium filium habuit annorũ, sicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens, remisse nutriebat, atque idem paruulus, quod dictu graue est, mox cum eius animo aliquid obstitisset, maiestatem Dei blasphemare consueuerat. Qui in hac ante triennium mortalitate percussus venit ad mortem; cumq; eum suus pater in sinu teneret, sicut hi testati sunt, qui præsentes fuerũt, malignos ad se spiritus venisse trementibus oculis puer aspexit & cœpit clamare: *Obsta pater, obsta pater*, qui clamans declinauit faciem, vt se ab eis in sinu patris absconderet. Quẽ

B

cum ille trementem, quid videret, inquireret, puer adiunxit, dicens: Mauri homines veniũt, qui me tollere volunt. qui cum hoc dixisset, maiestatis nomen protinus blasphemauit, & animam reddidit. Vt enim omnipotens Deus ostenderet pro quo reatu talib. fuisset executorib. traditus, vnde viuentem pater suus noluit corrigere, hoc morientẽ permisit iterare: vt qui diu per diuinitatis patientiam blasphemus vixerat, quandoq; per diuinitatis iudicium blasphemaret & moreretur; quatenus reatum suum pater eius agnosceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutrisset.

Martinus hic presbyter Legionẽ sis fuit de quo Io. Mariana hist. l. 11. c. 16. Martinus presbyter spiritus sapientię genere decoratus, omnes inquit, infantes baptizatos, & adhuc ab actualibus peccatis immunes cœleste regnum ingredi posse dubium non est, sed de omnibus qui iam loquuntur, & blasphemijs, maledictis, conuitiis, opprobrijsq; delectantur affirmandum non est.

Item idem. Si à parentibus male nutriantur pueri, & maledici fuerint, & blasphemi, cæleste regnum intrare nõ

C

possunt. Tristia sunt valde quæ referuntur, sed non pueriliter aduertenda. Quia cum omnipotens Deus tanta districtione se innotescit nobis punire blasphemias puerorum, vt à maledicto linguæ debeamus quiescere, quanta animaduersione maledicta & blasphemias feriat adultorũm, qui acuentes vt gladium linguas suas animabus proximorum vulnera mortis infligunt, insinuat.

Psal. 63. 4.

Festinandum est igitur, vt à nobis opprobrijs & conuicijs vulneratis mentibus proximorum studeamus adhibere remedia sanitatis, & sicut dicit beatissimus Doctor Augustinus; non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera; ne postmodum excreuerit ira in odium, trabem faciens de festuca, faciat animam homicidam & requiratur de manu vestra sanguis & anima proximi pro quo Christus mortuus est. Solertes etiam hoc exẽplo debent admoneri parentes, vt in Dei timore filios & alumnos studeant educare, pertimescentes illam durissimã sententiam, *qua faciens & consentiens pari pœna puniuntur*: & qui desinit obuiare, cum potest errorem corrigere, videtur consentire: vt speculator negligens, in custodia sibi credita torpẽs, quia inimicus occulte veniens, seu manifeste, ouem Christi rapuit, vel, etiam prauæ doctrinæ seminauit Zizaniam dissimulante custode rationem domino de proprijs & subditorum excessibus reddere teneatur.

Epist. 109. serm. 26. de verb. Domi. & in lib. 50. hom. homilia 40.

D

Rom. 1. 32. Alludit ad verba Inno. c. error. d. 83. Ioann. 10. Matth. 13.

Cap. XI.

Contra illos qui dicunt animas mortem eorum cogitatione carere, quos in hoc sæculo dilexerunt.

PEtrus interrogans Beatissimum Patrem dicit: Nosse velim, si vel boni bonos in regno, vel mali malos in supplicio agnoscunt.

4. Dial. c. 23 Luc. 16 19. Gregorius. Huius rei sententia est luce clarius in verbis Dominicis demonstrata, in quibus dum dictum esset: *Homo quidam erat diues & induebatur purpura & bysso & epulabatur quotidie splendide. & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius* Subiunctum est, *quod mortuus Lazarus portatus est ab Angelis in sinum Abrahe, & mortuus diues sepultus est in inferno, qui eleuans oculos suos cum esset in tormentis vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Cui Abraham dixit: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Diues autem de seipso iam spem salutis non habens ad promerendum suorum salutem conuertitur, dicens: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quibus verbis aperte declaratur, quia & boni bonos, & mali cognoscũt malos. Si igitur Abraham Lazarũ minime recognouisset, nequaquam ad diuitem in tormentis positum de trãsacta eius contritione loqueretur, dicens: *Quod mala receperit in vita sua*; & si mali malos non recognoscerent, nequaquam

F

diues in tormentis positum fratrem suorum etiam absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam pro absentium memoria curauit exorare? Qua in re illud quoque ostẽditur quod nequaquam ipse requisisti, quia & boni malos & mali cognoscunt bonos. Nam & diues ab Abraham cognoscitur, cui dictũ est, *Recepisti bona in vita tua*. Et electus Lazarus à reprobo est diuite cognitus quem mitti precatur ex nomine dicens: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam.* In qua videlicet cognitione vtriusque partis cumulus retributionis excrescit, vt & boni amplius gaudeant, qui secum eis lætari conspiciunt quos amauerunt, & mali dum cum eis torquentur, quos in hoc mũdo despecto Deo dilexerunt, vt eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat. Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt, quos in hoc mundo nouerunt, sed velut visos ac cognitos recognoscũt bonos, quos nunquam viderunt. Nam cum antiquos Patres

G

in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in opere semper nouerũt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? Nã quidam noster religiosus vir, & vitæ valde laudabilis, cum ante quadriennium moreretur, sicut religiosi alij qui præsentes fuere testati sunt, in hora sui exitus Ionam Prophetam, Ezechielem quoque, & Danielem cœpit aspicere, eosque ex nomine suos Dominos clamare. Quos dum ad se venisse diceret, & depressis luminibus eis reuerentiæ obsequiũ præberet ex carne eductus est. Qua in re aperte datur intelligi, quæ erit in illa incorruptibili vita notitia, si vir iste adhuc in carne positus corruptibili, Prophetas sanctos, quos nimirum nunquam viderat, agnouit.

Isidorus. Recognoscunt boni bonos in patria: vt cum eis quibus mente inhæserunt ad augmentum beatitudinis perpetuo glorietur. Recognoscũt etiam malos in pœna, vt misericordiam Dei semper attollant dulcius, quia illorum miseriam euaserunt. Recognoscent mali bonos, vt semper doleant de requie, quam amiserunt: & malos recognoscent, quos in hoc sæculo dilexerunt, vt de carorum tormentis amplius crucientur. De carorum suorum supplicijs additur pœna defunctis, sicut apud inferos diuiti sermo prædicat euangelicus. Sicuti etiam pro augendo inde supplicio, dicit Psalmus: *Commoti amoueantur filij eius, & mẽdicent*. Impij ex hoc durius in iudicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt iustos gloriæ beatitudinem meruisse. Ad hęc quęstio videtur accedere, vtrum sancti compatiantur iniquis æternis supplicijs deputatis, vel orent pro eis.

H

Isidor. l. 1. de summo bono. c. 32. Luc. 16.

Psa. 108. 10. sequitur lectionem Psalterij Gotthici & Rom.

Gregorius. In libro Moralium beatissimi Iob. *In vastitate & fame iustus ridebit*: quia cum iniquos omnes extrema vltio percutit, ipse de gloria ęternę retributionis hilarescit. Nã damnatis non tunc ex humanitate cõpatitur, quia diuinæ iustitiæ per speciem inhærens incõcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in caritate supernæ rectitudinis mentes electorum nulla miseria afficit, quia has à miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Vnde etiam per Psalmistam dicitur: *videbunt iusti, & timebunt:*

Lib. 6. 20. Iob. 5. 22.

Psalm. 51. 8.

A bunt: *super eum ridebunt & dicent. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.* Iniquos enim iusti nunc vident, & metuunt: & tunc visuri sunt & ridebunt. Quia vero modo ad eorum imitationem labi possunt, hic habent formidinem. Quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Æterno itaque supplicio deditis non miserendum, in ipsa quæ beati sunt iustitia iudicantis legunt. Qui, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptæ felicitatis imminuūt, si in regno positi volūt, quod nequaquam implere possunt. Item in libro Dialo- 4.lib.ca.44. gorum Petrus. Nullus iustus crudelitate pascitur, & delinquens seruus à iusto Domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad hoc ergo vapulat, vt emēdari debeat. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perueniunt, quo fine semper ardebunt?

Gregorius. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur. Quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum nō sedatur. Sed iniqui homines, B æterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet vt iusti homines & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia, quæ euaserunt. Quatenus tāto magis se in æternum diuinæ gratię debitores esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt. Petrus. Et vbi est, quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint non orabunt, quibus dictum est. Pro inimicis vestris orate.

Gregorius. Orāt pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere atque ipsa conuersatione saluare. Quid enim aliud pro 2.ad Timo. 2.26. inimicis orandum est, nisi hoc, quod ait Apostolus; *vt det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.* Et quo modo pro illis tunc orabitur, qui iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari?

Eadem itaq; causa est, cur non oretur tunc pro omnib. æterno igne damnatis: quæ nunc etiam causa est, vt non o- C retur pro Diabolo, Angelisque eius æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominib. infidelibus, impijsque defunctis: quia de iis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerūt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoq; viuentes iusti mortuis & damnatis iniustis minime compatiuntur, quāto districtius tūc iniquorum tormenta respiciunt quando ab omni vitio corruptionis exuti ipsi iam iustitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc, quod iustissimo iudici inhærent, vis districtionis absorbet, vt omnino eis non libeat, quidquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat. Petrus. Non est iam quod responderi debeat apertæ rationi.

Isidorus. De perpetua damnatione malorum quorum damnationis latam à iusto iudice sententiam approbant, iusti nullatenus dolebunt. Quia iusti cum sint, & iustus vnicuique, quātum in ipso est, reddere tenetur, quod suum D est: & impij æterna damnatione iustè puniantur, à rectitudine iustitiæ nulla affectione iusti poterunt declinare.

De sum. bon l.1.c.33. Item idem. Non faciet in futurum cor miserum iustorum compassio, nec damnatorum condolentis affectio, vbi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium, vt tristitiæ nullus tribuatur introitus. Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior: ita & sanctorum requies comparata damnationi malorum gloriosior erit; sic iustitia iniustitiæ, sic virtus vitio. Crescit ergo sanctorum gloria, dum debita damnantur impij pœna.

Cap. XII.

Contra Epicureos, qui negant esse alteram vitam & inuisibilia esse non credunt.

4.Dialo.c.1. Gregorius. Postquam de paradisi gaudijs, culpa exigente pulsus est primus humani generis parens in huius exilij atque cæcitatis, quam patimur, ærumnam venit. Quia peccando extra semetipsum pulsus, iam illa cœlestis patriæ gaudia, quæ prius contemplabatur, videre nō potuit. In Paradiso quippe homo assueuerat verbis Dei perfrui: beatorum Angelorum spiritibus cordis mundicia & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit. Ex cuius videlicet carne, nos in huius exilij cęcitate nati, audiuimus quidem esse cœlestem patriam: audiuimus eius ciues Angelos Dei: Audiuimus eorundem Angelorum socios, spiritus iustorum & perfectorum. Sed carnales quiq; quia illa inuisibilia * secernere non valent, per experimentum *scire. dubitant, vtrumne sit; quod corporalibus oculis non vident. Quę nimirum dubietas in primo parente nostro esse non potuit. Quia exclusus à Paradisi gaudijs hoc, quod amiserat, quod viderat recolebat. Hi autem sentire vel recolere audita non possunt, quia eorum nullum, sicut & ille saltem de præterito experimentum tenent. Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem ibique puerum pariat: qui natus puer in carcere nutriatur & crescat. Cui si fortasse mater, quæ hunc genuit solem, lunā & stellas, montes & F campos, volantes aues, currentes equos nominet: ille vero qui est in carcere natus, & nutritus nihil aliud quam tenebras carceris sciat: & hæc quidē esse audiat: sed quia ea per experimentum non nouit, veraciter esse diffidat; ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidunt, an vera sint: quia sola hęc infima, in quibus nati sunt, visibilia nouerunt. Vnde factum est, vt ipse inuisibilium creator ad humani generis redemptionē vnigenitus Patris veniret: & Spiritum sanctum ad corda nostra mitteret quatenus per eum viuificati crederemus, q̄ adhuc scire experimento non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hęreditatis nostræ pignus accepimus, de vita inuisibilium non dubitamus. Quisquis autē in hac credulitate adhuc solidus non est, debet proculdubio Maiorum dictis fidem præbere, eisq; iam per Spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere. Nam & stultus est puer, si matrem ideo existimat de luce mentiri, G quia ipse nihil aliud quam tenebras carceris agnouit. Petrus. Placet quod dicis valde: sed qui esse inuisibilia non credit, profecto infidelis est, & in vero infidelis est, & quod dubitat, fidem non quærit, sed rationem.

Isidorus. Sæpe ad incorpoream creatoris magnitudinē De sum. bon.l.1.c.4. creaturarum corporea magnitudo componitur, vt magna considerentur ex paruis: & ex visibilibus inuisibilia æstimentur, atque ex pulchritudine factorum effector operū cognoscatur, non tamen parilitate consimili, sed ex quadā subdita & creata specie boni, sicut ars in artificem retorquens laudem: ita rerum creator per creaturam suam laudatur: & quanto sit excellentior, ex ipsa operis conditione monstatur. Ex pulchritudine circumscriptæ creaturæ, pulchritudinem suam quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi, vt ipsis vestigijs reuertatur homo ad Deum, quibus auersus est; vt quia per amorem pulchritudinis creaturæ, à creatoris forma se abstulit, rursus per creaturæ decorem, ad creatoris pulchritudinem reuertatur. Quibusdā gradibus intelligentiæ, per creaturam progreditur homo ad intelligendum Deū creatorem. i. ab insensibilibus surgēs ad H sensibilia, à sensibilib. surgens ad rationabilia; à rationabilibus surgens ad creatorem. Intelligibilia per se conlaudāt Deū. Irrationabilia & insensibilia nō per se, sed per nos dū ea considerantes Deū laudamus. Sed ideo dicitur laudare ipsa, quia eandē laudem earū parturit causa. Dixerūt antiqui, quod nihil tam hebes sit, q̄ nō sensum habeat in Deū. Hinc est aliud, quod ex silice duro scintilla excutit; &, si ignis in saxo, vtiq; ibi sensu, sentitur, vbi se vita non sentit.

Item idem. Ipsa elementorum inter tot eorum contrarios motus in statu debito existentia testatur esse vnum omnium gubernatorem inuisibilem, qui ne mutua se contrarietate destruant in proprio ordine facit persistere elementa: & secundum sacram scripturam *circundat mare ter-* Iob.38.10. & 11. *minis suis*, dicens: Huc vsque venies, & non procedes am- Psal. 103.9. plius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. Habet hic Iere.5.22. inuisibilis gubernator inuisibiles ministros suos, quorum ministerio inuisibiliter cuncta gubernat: ne præter eius voluntatem alicui contraria possint nocere.

Augustinus Doctor ecclesiarum clarissimus homines infi-

A infideles, quibus cum diuina præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem à nobis earum flagitant rerum Quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mẽtis humanæ) existimant falsa esse quæ dicimus. Ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus, vel videmus, debet reddere rationem. Quod si fieri ab homine nõ posse peruiderint, fatendum est eis, non ideo est aliquid non fuisse, vel non futurum esse, quia ratio inde non põt reddi: Quandoquidẽ non sunt ista de quibus similiter non põt. Non itaque pergo per plurima, quæ mandata sunt litteris non gesta atq; transacta, sed in locis quibusque manentia: quo si quisq; ire voluerit, vtrum vera sint explorabit, sed pauca commemoro. Agrigentinum Siciliæ salem perhibẽt cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere: cum vero ipsi aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus vt non tangatur.

B In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in cæteris extinguntur accensæ, sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ.

Abeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel iam non possit extingui.

Lignum cuiusdam ficus Ægyptiæ non vt ligna cætera in aquis natare, sed mergi: &, quod mirabilius, cum in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere quando madefactum debuit humoris pondus prægrauari.

Poma in terra Sodomorum gigni quidem & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu pressuue tentata, in fumum ac fauillam corio fatiscente euanescere. Pyritem lapidem Persicum tenentis manum si vehementius prematur adurere, propter quod ab igne nomen accepit.

In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna crescere, atque deficere.

C In Cappadocia etiam vento equas concipere: eos denique fætus non amplius triennio viuere.

Tilon Indiæ insulam eo præferri cæteris terris, quod omnis arbor quæ in ea nascitur nunquam nudatur regmine foliorum.

De his atque aliis innumerabilibus mirabilibus, quæ historia non factorum & transactorum, sed manentium locorum tenet, mihi autem aliud agenti ea persequi nimis longũ est. Reddant rationem si possunt infideles isti, qui nolunt diuinis scripturis credere quid aliud q̃ non putant eas esse diuinas, eo quod res habeant incredibiles, sicut hoc est, vnde nunc agimus. Non.n. admittit, inquiunt, vlla ratio, vt caro ardeat, neque absumatur, doleat neque moriatur; ratiocinatores, videlicet magni, qui de omnib. rebus, quas esse mirabiles constat possunt reddere rationẽ. Reddant ergo de his quæ pauca posuimus, quæ proculdubio si esse nescirẽt, & ea futura esse diceremus, multo minus crederent, q̃ quod nunc dicentibus nobis nolunt credere aliquando esse venturũ. Quis ergo nobis crederet, si quẽadmodum dicimus, futura hominum viua corpora, q̃ semper arsura atq; dolitura, nec tamen aliq̃n moritura sint; ita

D diceremus in futuro sæculo futurum salem, quem faceret ignis, velut in aqua fluescere, eũdemq; faceret aqua velut in igne crepitare? Aut futurum fontem, cuius aqua in refrigerio noctis sic ardeat, nõ possit tangi; in æstib. vero diei sic algeat, vt non possit bibi? aut futurũ lapidem, vel eum qui suo calore manum constingentis aduteret vel eum qui vndecumq; accensus extingui omnino non possit: Et cætera, quę prętermissis aliis innumeris commemoranda interim duxi. Hæc ergo in illo sæculo, quod futurum est, si diceremus futura, nobis increduli respõderẽt: Vultis vt ea credamus, de singulis reddite rationem; nos non posse, cõfiteretur istis; eo quod de similib. Dei miris operibus infirma mortalium ratiocinatio vinceretur. Fixam tñ apud nos esse rationem, non sine ratione Omnipotentẽ facere: vnde animus humanus infirmus rationem non potest reddere; & in multis quidẽ rebus incertũ nobis esse quid velit: Illud tamen esse certissimum, nihil eorũ illi esse impossibile quęcumq; voluerit, eiq; nos credere prædicenti, quẽ neq; impotentem, neq; mentientem possumus credere. Hi tñ fidei reprehensores exactoresq; rationis quid ad ista respondent, de quibus ratio reddi ab homine non põt? & tñ sunt: & ipsi rationi naturæ videntur esse contraria? Quæ si futura esse diceremus, similiter à nobis sicut eorum quę futura esse dicimus, ab infidelibus ratio posceretur. Ac per hoc cum in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis & sermonis humani, sicut ista non ideo non sunt: sic, non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de vtriusq; ab homine reddi non potest.

E Quia vero infideles quiq; dictis exemplis eo quod non videant ea, vel quia rata sunt, non accommodant fidem; de his quæ in quotidiano nobis veniunt exercitio, & ab eodem patre sanctissimo sunt posita Augustino, aliqua ꝓponamus. Augustinus. Habent vt nos calcem miro modo aqua feruescentem qua solet ignis extingui: & oleo non feruescentem quo ignis solet accendi. Quia in promptu nobis est, non miramur. Sed si hoc miraculum de aliquo Indico lapide legeremus, siue audiremus & in nostrum experimentum venire non posset, profecto aut mendacium putaremus, aut certe granditer miraremur. *Eod.l.c.4.*

F De igne mira quis explicet quo quæq; adusta nigrescũt, cum ipse sit lucidus: & pene omnia quæ ambit & lambit colore pulcherrimus decolorat; atq; ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit. Neq; id quasi regulariter definitum est: nã & è contrario lapides igne candente percocti, & ipsi fiunt candidi. Quid in carbonibus? Nõne mirãda est & tanta infirmitas, vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, & tãta firmitas vt nullo humore corrũpantur, nulla ætate vincantur. Et quis nisi Deus creator omniũ dedit carnem pauonis mortui, ne putresceret? Quod cum auditu incredibile videretur, eueuit vt apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc auis, de cuius pectore pulparũ, quantum visum est, decerptũ seruari iussimus. Quod post dierum tantũ spaciũ, quanto alia caro quæcũq; cocta putresceret, prolatum atq; oblatum nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositum post dies

G amplius q̃ triginta id quod erat inuẽtum est. Itẽq; post annum, nisi quod aliquantũ corpulentiæ siccioris, & cõtractioris fuit. Quis paleæ dedit vel tã frigidã vim, vt obrutas niues seruet, vel tã feruidam, vt poma immutata maturet?

Sunt quidam notissimi mõtes in Sicilia, qui tanta temporis diuturnitate, ac vetustate vsq; nũc ac deinceps flammis æstuant atque integri perseuerant, satis idonei testes sunt, nõ omne ꝙ ardet absumi, & anima indicat nõ omne, quod dolere potest, posse etiam mori. Quid adhuc à nobis rerum poscuntur exempla, quibus doceamus non esse incredibile, vt hominum corpora sempiterno supplicio punitorum, & in igne animam non amittant, & sine detrimento ardeant, & sine interitu doleant? Habebit enim tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras & varias tot rebus indidit, quas videmus, & eas, quia multæ sunt, non miramur. *Ibid cap. 4. initio.*

Item idem Augustinus. Vt cætera multa prætercam, sicut nunc in Christo videmus impleri quod promisit Abrahæ, dicens: In semine tuo benedicentur omnes gentes, ita quod eidem semini eius promisit, implebitur, vbi ait per Prophetam: resurgent qui erant in monumentis. Et quod ait: Erit cœlum nouum, & terra noua: & non erunt memores priorum, nec ascendet in cor ipsorum, sed lætitiam & exultationem inuenient in ea. Et ecce ego faciam Hierusalem in exultationem & populum meum in lætitiam & exultabo in Hierusalem, & lætabor in populo meo, & vltra non audietur in illa vox fletus. Et per alium Prophetam quod prænunciauit dicens eidem prophetæ: In tempore illo saluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro & multi dormientium in terrę puluere, sive (vt quidam interpretati sunt) aggere exurgent: hi in vitam æternam, hi in opprobrium & confusionem ętermam. Et alio loco per eundem Prophetam: accipient regnum sancti altissimi, & obtinebunt illud vsque in sæculum, & vsque in secula seculorum. *De ciuit. Dei, l.22 c.3* *Gen.22.18.* H *Ioan 5.28.* *Isai.65.17.* *Danie.12.2* *Dan.7.18.*

Sanctorum hisce Patrum rationibus videtur sufficienter esse probatum, quod sit altera vita post hanc, & inuisibilia, quæ in sacris prædicantur scripturis firmiter esse cre-

A Lib. 8. Etymol. c. 6. denda, quod voluptuosi negant Epicurei. Dicuntur quidē Epicurei, vt ait Hispaniarum Doctor Isidorus, ab Epicuro quodā philosopho amatore vanitatis, non sapientiæ, quē etiam ipsi philosophi Porcum nominauerunt quasi volutans in cœno carnalem voluptatem corporis, summū bonum assereret. Qui etiam dixit nulla diuina prouidentia instructum esse aut regi mundum, sed originem rerum atomis.i.insecabilib. ac solidis corporibus assignauit, quorum fortuitis concursionibus vniuersa nascantur, & nata sint. Asserunt autem, Deum nihil agere, omnia constare corporibus, animam nihil aliud esse quam corpus. Vnde & dixit: *Non ero postea cum mortuus fuero.* Quia vero plures in Ecclesia Dei corporaliter existentes hanc vanissimam Sectam carnis voluptatibus approbant, ne fortassis mentaliter seducti labantur in illam & omnino pereant inuisibilia Dei negantes, beatissimus accedat Gregorius, horum Dei secretorum nobis aperiens veritatem.

4. Dial. c. 1. & deinceps. B Petrus. Qui infidelis est in eo quod dubitat, fidem non quærit, sed rationem. Gregorius. Audacter dico, quia sine fide neque infidelis viuit. Nam si eundem infidelem percunctari voluero, quem patrem, vel quam matrem habuerit, protinus respondebit. Illum, atque illam. Quē si statim requiram, vtrumne nouerit, qñ conceptus sit, vel viderit, quando natus, nihil horum se vel nosse, vel vidisse fatebitur: & tamen quod non vidit, credit: nam illum patrem, illamq; habuisse se matrem absq; dubitatione testatur.

Petrus. Fateor, quia nunc vsque nesciui, quod & infidelis haberet fidem. Gregorius. Habent etiam infideles fidē, sed vtinam in Deum: Quam vtique si haberent, infideles non essent. Sed hinc in sua perfidia redarguendi sunt, hinc ad fidei gratiam prouocandi: Quia si de ipso suo visibili corpore credunt, quod minime viderunt, cur inuisibilia non credunt, quæ corporaliter videri non possunt?

Idem. c. 3. Gregorius. Nam quia post mortem carnis viuat anima, patet ratio, sed fidei admixta. Tres quippe vitales spiritus creauit omnipotens Deus. Vnum, qui carne non tegitur; C alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur: tertiū qui tegitur carne & cum carne moritur. Spiritus namque est, qui carne non tegitur Angelorum: spiritus, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominū. spiritus, q carne tegitur, & cum carne moritur, iumentorū, omniūque animalium brutorū. Homo itaq; sicut in medio creatus est, vt esset inferior Angelo, superior iumento: ita aliqd habet commune cum summo, aliquid cum infimo. Immortalitatem s. spiritus cum Angelo, mortalitatem vero carnis cum iumēto: quousq; & ipsam mortalitatem carnis gloria resurrectionis absorbeat & inhærendo spiritui caro seruetur in perpetuum. Quia & ipse spiritus inhærēdo seruatur in Deum. Quæ tamē caro nec in reprobis inter supplicia deficit perfecte, quia semper deficiendo subsistit, vt qui spiritu & carne peccauerunt, semper essentialiter viuentes & carne & spiritu sine fine moriantur.

Petrus. Rationi fidelium placent cūcta quæ dicis. Sed quæso te, dum spiritus hominum atque iumentorum tanta distinctione discernas, qd est, q Salomon ait: *Dixi in corde meo de filiis hominū, vt probaret eos Deus, & ostēderet similes esse bestiis. Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusq; conditio.* Qui adhuc eandem sententiam suam subtiliter exequens adiungit: *Sicut homo, ita & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Quibus adhuc verbis generalem definitionem subinfert, dicens: *Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur.*

Eccl. 3. 18. D

Gregorius. Salomonis liber: in quo hæc scripta sunt Ecclesiastes appellatus est. Ecclesiastes aūt proprie *concionator* dicitur. In concione vero sapientia promitur, per q̄ tumultuosæ turbæ seditio comprimitur. Et cum multi diuersa sentiunt, per concionantis rationem ad vnam sententiam perducuntur. Hic igitur liber concionator dicitur, qa Salomon in eo quasi tumultuantis turbę suscepit sensū, vt ea per inquisitionem dicat quæ fortasse per tentationem imperita mēs sentiat. Nā quot sentētias quasi per inquisitionē mouet, quasi tot in se personas diuersorum suscipit. Sed concionator verax, velut extensa manu omnium tumultus sedat: eosque ad vnam sententiam reuocat cū in eiusdē libri termino ait: *Finē loquendi oēs pariter audiamus, Deū time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* Si.n. in libro eodē per locutionē suam multorum personas nō susciperat, cur ad audiendum loquendi finem secū pariter oēs admonebat? Qui igitur in fine libri dicit: oēs pariter audiamus, ipse sibi testis est, quia in se multorum personas suscipiēs, quasi solus locutus non est. Vnde & alia sunt quæ in libro eodē per Inquisitionem mouentur, atq; alia quæ per rationem satisfaciunt, alia quæ ex tentantis profert animo, atq; adeo huius mundi delectationibus dediti; alia vero in quib. ea quæ rationis sunt, disserat, atq; animam à delectatione cōpescat, ibi namq; ait: *Hoc itaque mihi visum est bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo.* Et longe inferius subiungit. *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij.* Si n. bonū est manducare, & bibere, melius fuisse videbatur ad domum conuiuii pergere, quam ad domum luctus. Ex qua re ostenditur, quia illud ex infirmantiū persona intulit, hoc vero ex rationis diffinitione subiunxit. Nam & ipsas protinus rationis causas edisserit: & de domo luctus quæ sit vtilitas ostendit, dicens: *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Rursum illic scriptum est: *Lætare iuuenis in adolescētia tua.* Et paulo post subditur: *Adolescentia enim, & voluptas vana sunt.* Qui dum hoc post vanum esse redarguit, quod prius admonuisse videbatur pariter indicat: quia illa quasi ex desiderio carnali verba intulit, hęc vero ex iudicij veritate subiungit. Sicut ergo delectationem prius carnalium exprimens curis postpositis denuntiat, bonum esse manducare & bibere, quod tamen postmodum ex iudicij ratione reprehendit cum esse melius dicit ire ad domum luctus, q̄ad domum conuiuij, & sicut, ait *Lætari iuuenem debere in adolescentia sua, quasi ex deliberatione carnalium proponit.* Et tñ postmodū per diffinitionem sententiæ adolescentiā & voluptatem, vana esse redarguit; ita ēt concionator noster, velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sentētiā proponit, dum dicit: *Vnus interitus, est hominis & iumentorum: & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Qui tamen ex definitione rationis suam postmodum sententiam profert dicens: *Quid habet amplius sapiens stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?* Qui igitur dixit. Nihil habet homo iumētis amplius, ipse rursū diffiniuit: quia habet sapiens aliquid, non solum amplius à iumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet vt pergat illuc vbi vita est. Quibus verbis primum indicat, quia hic hominum vita non est, quam esse alibi testatur. Habet ergo hoc homo amplius iumentis quod illa post mortem non viuunt: hic vero tunc viuere inchoat, cum per mortem carnis hanc visibilem vitam cōsummat. Qui etiam longe inferius dicit: *Quodcumq; potest manus tua facere instāter, operare, quia nec opus nec ratio nec sciētia nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas.* Quomodo ergo vnus interitus est hominis & iumenti & æqua vtriusq; conditio? Aut quomodo nihil habet homo iumentis amplius, cum iumenta post mortem carnis non viuant? Hominum vero spiritus pro malis suis operib. post mortem carnis ad inferos deducti, nec ipsa morte moriātur. Sed in vtraque tamen dispari sententia demonstratur, quia concionator verax: & illud ex tentatione carnali intulit: & hoc postmodum ex spirituali veritate diffiniuit.

E

Eccl. 5. 17. c. 7. 3.

F

Eccl. 11. 9.

Eccl. 3.

G

Eccl. 6. 8.

Eccle. 8. 10.

H

Petrus. Libet nescisse quod requisiui, dum me in tanta subtilitate contigit discere, quod nesciui. Sed quæso te, vt me æquanimiter feras, si ipse quoque apud te more ecclesiastis nostri infirmantium in me personam suscepero, vt eisdem infirmantibus prodesse propinquius, quasi per eorum inquisitionem possim.

1. Cor. 9. 22. Gregorius. Cur condescendentem te infirmitati proximorum æquanimiter non feram cum Paulus dicat: *Omnib. omnia factus sum, vt omnes facerem saluos?* Quod ipse quoque dum ex condescensione caritatis egeris, in hac re amplius venerari debes, in qua morem egregij prædicatoris imitaris.

Ibid. c. 5. Petrus. Quodam fratre moriente præsentem me fuisse contigit. Qui repente dum loquitur vitalem emisit flatum. Et quem prius mecum loquentem videbam subito extinctum vidi: sed eius anima vtrum egressa sit, nō vidi: &

valde

A valde durum videtur, vt credatur idem esse, quam nullus valet videre.

Gregorius. Quid mirum Petre, si egredientem animam non vidisti, quam & manentem in corpore non vides? Numquid non modo cum mecum loqueris, quia videre animam meam in me non vales, idcirco me esse exanimem credis? Natura quippe animę inuisibilis est, atque ita ex corpore inuisibiliter egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet.

Petrus. Sed vitam animæ in corpore manentis pensare possum ex ipsis motibus corporis: quia nisi anima corpori adesset, eiusdem membra corporis moueri non possent; vitam vero animæ post carnem in quibus motibus, vel quibus operibus sit non video: vt ex rebus visis esse colligam, quod videre non possum.

Gregorius. Non quidem subtiliter sed solerter dico: quia sicut vis animæ viuificat, & mouet corpus: sic vis diuina B implet, quę creauit omnia: & alia inspirando viuificat: aliis tribuit, vt viuāt: aliis vero hoc solummodo præstat vt sint. Quia vero esse non dubitas creantem & regentem, implētem & circūplectentem, transcendentem, & sustinentem incircumscriptum atque inuisibilem Deum: ita dubitare non debes, hunc inuisibilia obsequia habere. Debēt quippe ea, quæ ministrant, ad eius similitudinem tendere, cui ministrant: vt quæ inuisibili seruiunt, esse inuisibilia non dubitentur. Hæc aūt quæ esse credimus, nisi sanctos Angelos, & spiritus iustorum? Sicut ergo motum considerās corporis vitam animæ in corpore manentis perpendis ab imo; ita vitam animæ exeuntis è corpore perpendere debes à summo, quia potest inuisibiliter viuere quam oportet in obsequio inuisibilis conditoris manere.

Petrus. Recte totum dicitur: sed mens refugit credere quod corporeis oculis non valet videre.

Ad Heb. 11. 1 Gregorius. Cum Paulus dicat: *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri: nam credi iam nō pōt quod videri pōt, vt tamen te breuiter reducam ad te nulla C visibilia nisi per inuisibilia videntur. Ecce. n. cuncta corporea oculus tui corporis aspicit, nec tamen ipse corporeus oculus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentē, quæ non videtur, & incassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animum corpori, remanent proculdubio oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente anima nihil vident? Hinc ergo collige, quia ipsa quoque visibilia, non nisi per inuisibilia videntur. Ponamus quoq; ante oculos mentis ædificari domum, immensas moles leuari, pendere magnas in machinis columnas: Quis quæso te, hoc opus operatur? corpus visibile quod illas moles manib. trahit, an inuisibilis anima quæ viuificat corpus? Tolle. n. quod non videtur in corpore, & mox immobilia remanent cūcta, quæ moueri videbātur sicut visibilia corpora metallorum. Qua ex re pensandum est, quia in hoc quoq; mūdo visibile nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando, vel implendo ea quæ ratione subsistunt & viuificat & mouet inuisibilia: ita D ipsa quoque inuisibilia implendo mouent, atque sensificant carnalia corpora quæ videntur.

Petrus. Istis fateor allegationibus libenter victus, prope nulla iam esse hæc visibilia æstimare compellor, qui prius in me infirmantium personam suscipiens, de inuisibilibus dubitabam. Itaque placent cuncta, quæ dicis. Sed tamen sicut vitam animæ in corpore manentis ex motu corporis agnosco: ita vitam animæ post corpus, apertis quibusdam rebus attestantibus agnoscere cupio.

Ibid. c. 6. Gregorius. Hac in re si cor paratum tuæ dilectionis inuenio, in allegatione minime laboro. Numquidnam sancti Apostoli & Martyres Christi præsentes vitam despicerent, in mortem carnis animas ponerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent? Tu vero, inquies, vitam animæ in corpore manentis ex motib. corporis agnoscis: Et ecce hi, qui animas in morte posuerunt, atq; animarum vitam post mortem carnis esse crediderunt, quotidianis miraculis coruscant; ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt & sanantur. Periuri veniunt, & dæmonio vexantur, dęmoniaci veniunt & liberantur: leprosi E veniunt, & mundantur: deferuntur mortui, & suscitantur. Pensa itaque eorum animæ qualiter viuunt illic vbi viuūt, quorum hic mortua corpora in tot miraculis viuunt. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ, post corpus etiam per ossa mortua in virtute miraculorum.

Petrus. Nulla, vt opinor huic allegationi ratio obsistit, in qua ex rebus visibilibus cogimūr credere, quod non videmus.

Gregorius. Paulo superius questus est morientis cuiusdam egredientem te animam non vidisse: Sed hoc ipsum iam culpæ fuit, quod corporeis oculis rem videre inuisibilem quæsisti. Nam multi nostrorum mentis oculum fide pura, & vberiori oratione mundantes, egredientes è carne animas frequenter viderunt. Vnde mihi nunc necesse est, vel qualiter egredientes animæ visæ sint, vel quanta ipsæ, dum egrederentur viderint, enarrare: quatenus fluctuanti F animo, quod plene ratio non valet, exemplo suadeant. In secundo namque huius operis libro iam præfatus sum, quod vir venerabilis Benedictus, sicut à fidelibus eius discipulis agnoui, longe à Capuana vrbe positus, Germani eiusdem vrbis Episcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab angelis aspexit. Qui eandem quoq; ascendentem animam intuens, mentis laxato sinu, quasi sub vno solis radio, cunctum in suis oculis mundum collectum vidit. Ibid. c. 7.

Nota carissime Lector, quam sedulo malleus hęreticorum Gregorius, quod hucusque manifestis probauit rationibus, iam veridicis incipit probare exemplis, esse alteram vitam bonorum atq; malorum. Et præterea sanctorū Angelorum & perfectorum iustorum spiritus adesse in hora mortis ad solatium iustis & corporea voce psalmodiæ vocibus Deum suauiter collaudare.

Cap. XIII.

G *Contra illos etiam qui dicunt Sanctorum animas Deum non laudare, hæc exempla pro nobis ponere possumus.*

Gregorius. In homiliis rem narrasse me recolo, quam Speciosus Presbyter meus, qui hanc nouerat, me narrante attestatus est. Eo namque tempore, quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta in vrbe hac iuxta beatæ Mariæ semper virginis Ecclesiam manebat. Hęc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic aūt Redemptæ duæ in eodem habitu discipulæ aderant; vna nomine Romula: & alia, quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commanentes, morum quidē diuitijs plenæ, sed tñ rebus pauperē vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum, Romula, aliam quam prædixi condiscipulā suā magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ. summæ obedientię, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis vsum. Sed H quia plerumq; hi, quos iam perfectos homines existimāt, adhuc in oculis summi opifices aliquid imperfectionis habent. Sicut sæpe imperiti homines necdū perfecte sculpta sigilla cōspicimus, et quasi perfecta laudamus, quæ tñ adhuc artifex considerat, & limat. Laudari iam audit, & tñ ea tundere meliorando non desinit, Hæc quam prædiximus, Romula ea, quā Græco vocabulo Medici paralysim vocant, molestia corporali percussa est, multosq; annos in lectulo decubans, pene omne iacebat membrorū officio destituta: nec tñ hæc eadem eius mentē ad impatientiam flagella perduxerant: nam ipsa detrimēta membrorum facta fuerant incrementa virtutū. Quia tanto solicitus ad vsum orationis excreuerat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquā valebat. Nocte igitur quadā eādem Redemptam, quā præfatus sum, quæ vtrasq; discipulas suas filiorū loco nutriebat, vocauit dicens; Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia eius condiscipula surrexit, sicut vtriusq; referentibus, multis res eadem claruit: & ego quoq; in eodem tē-

4. Dial. c. 15

poteagnoui. Cumque noctis medio lectulo iacentis adsisterent, subito cœlitus lux emissa, omne in illius cellulæ spatiũ impleuit: & splendor tãtæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inęstimabilis pauor perstringeret; atque vt post ipsæ referebant, omne in eis corpus obrigesceret, & in subito stupore remanerent. Cœpit namq; quasi cuiusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri; ostiumq; cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur, atque vt dicebant, intrantiũ multitudinem sentiebant, sed nimietate timoris & luminis videre non poterant, quia earum oculos, & pauor depresserat, & ipsa tanti luminis claritas reuerberabat. Quam lucem protinus miri odoris est fragantia subsecuta, ita vt earũ animũ, quas lux emissa terruerat, odoris suauitas* reficeret. Sed cum vim charitatis illius ferre non possent, cœpit eadẽ Romula assistentem & trementem Redẽptam suorum morum magistram blanda voce consolari, dicens: Noli timere mater, non morior modo. Cumq; hoc crebro diceret, paulatim lux, q̃ fuerat emissa, subtracta est. Sed is, qui subsecutus est odor, remãsit: sicque dies secundus & tertius transiit, vt aspera fragrãtia maneret odoris. Nocte igitur quarta eiusdem magistrã suam iterum vocauit; qua veniente viaticum petijt, & accepit. Nec dum vero eadem Redempta vel alia eius discipula à lecto iacentis discesserant, & subito in platea ante eiusdem cellulæ ostium, duo chori psallentium constituerunt: &, sicut ipsæ dicebant, sexus ex vocibus discreuisse: psalmodiæ cantus, dicebant viri, & fœminæ respondebãt. Cumq; ante fores cellulæ exhiberentur cœlestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cœlum ducta, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit Psalmodia leuius audiri, quousque & eiusdem Psalmodiæ sonitus, & odoris suauitas elongata finiretur.

*al. refoueret.

Eod. l. c. 21.

Item idem. Vitæ venerabilis Valentius, qui post in hac Romana vrbe mihi, sicut nosti, in eodemq; monasterio p̃fuit prius in Valeriæ Prouincia, suum monasterium rexit. In quo dum Longobardi sæuientes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius monachos in ramis vnius arboris suspenderũt. Qui suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere vtrorumque eorum spiritus claris illic apertisq; vocibus psallere cœperunt, ita vt ipsi quoque qui occiderãt, cum voces psallentium audirent, nimium mirati terrerentur. Quas videlicet voces captiui quoq; omnes, qui illic aderant, audierunt: atque eorum Psalmodiæ postmodum testes extiterunt; sed has voces spirituum omnipotens Deus, idcirco pertingere voluit ad aures corporum, vt viuentes; quique in carne discerent, quia si Deo seruire studeant, post carnem verius viuant. Luce clarius constat, esse probatum sufficienter esse veram vitam post mortem carnis: & sanctorum spiritus voce sonora nonnunquam laudare Deum.

Considerandum igitur est solerter, quanta sit dulcedo cantus Psalmorum, & laudum apud Deum: & quanto fiãt viciniores homines his sanctis exercitiis se gerentes supernorum ciuibus: cum in cœlestes spiritus per assumptã corporis speciem aliquando in psalmis & hymnis voce sonora harmonia dulcissima laudant Deum. Sed dicet aliquis: Spiritus cum sint incorporei, & sonus non nisi corpore habet fieri in illa regione spirituum, cum corpora ibi nõ sint, impossibile est aliquid ibi corporeum resonare. Ad quod respondemus à contrariis argumentum sumentes: Si dãnatorum spiritus in inferno fœtore & igne corporeo cruciãtur, profecto spiritus & animæ iustorum aliquibus corporalibus gaudiis iocundantur in cœlo, maxime cum nullus sani capitis negare possit Dominum nostrum Iesum Christum, & gloriosissimam genitricem eius Virginem Mariã in veris & glorificatis corporibus super omnem altitudinẽ cœli consistere, atque à sanctis angelis & beatorum spiritibus suppliciter venerari. Quanta in illis beatissimis corporibus inenarrabilis est corporea claritas, vbi illi splendidi soles cuncta illuminant. Est namq; *sol iustitiæ* Christus, est *sol innocentiæ* gloriosissima mater eius: in quo sole Dominus posuit tabernaculum suum, vt tanquam sponsus sol procederet de thalamo solis vteri virginalis. (Psal. 18.5.) Quãta ibi dulcedo? Quanta gloria? Quot laudes cœlestium ciuium canentium organo suauissimo, *Alleluia*? In illa beatissima & gloriosissima regione resonant organa sanctorum, & Angeli decantant hymnum, Alleluia ante sedem Dei: in qua gloriosissima Regina cœli Virgo Maria in vero corpore est perenniter cũ filio collocata. Ipsos ẽt sanctos Angelos legimus apparuisse Patrib. multoties in assumpto corpore: vt est illud Abrahæ q̃n tres viros, Angelos Dei, ad se descendentes vidit, & vnum adorauit: & Iacob luctabatur cũ Angelo vsq; mane. (Gen 18. & 32.24. Tob. 5.5.) Quod fieri non posset, nisi assumpta natura corporea mediante. Et Raphael Angelus cũ Tobia graditur in itinere; qui hominis officio omnino videbatur perfũdi. Vñ vero hæc corpora sumãt, vt inuisibiles Dei ministros videre, vel audire possimus, & eorũ beneficiis visibiliter perfrui, Hispaniarũ Doctor nobis insinuat, dicens.

Isidorus. Boni Angeli administerium salutis humanæ deputati sunt, vt curas administrent mundi, & regant omnia iussu Dei. (De sum. bo. l. 1. c. 12.) Angeli corpora, in quibus hominibus apparent de superno aëre sumunt solidamq; speciem ex cœlesti elemento induunt, per quam humanis obtutib. manifestius demonstrentur. Quod etiam in cœlestibus Deum laudent, ibidem B. Doctor Isidorus testatur dicẽs; Laudes, hoc est, alleluia canere canticum est Hebræorũ: cuius expositio duorum verborũ interpretatione cõsistit, hoc est, laus Dei. De cuius mysterio Ioannes in Apocalypsi refert, (c. 19. 1. 3. & 4. & 6.) Spiritu sancto reuelante, & vidisse & audisse vocem cœlestis exercitus Angelorum, tanquam vocem validorum tonitruorum, dicentium alleluia. Ex quo nullus debet ambigere hoc laudis mysterium, si digna fide & deuotione Angelis esse coniunctum.

Item idẽ in epistola de interpretatione huius vocabuli sacratissimi, *Alleluia. laus Dei* interpretatur, & etiam incomprehensibile, siue lætum resonare videtur. Quia sancti Angeli & spiritus iustorum cum lætitia incomprehẽsibili laudant Deum. Animas ergo hominum & Angelos esse natura incorporeos, & nobis inuisibiles profitemur. Ministrare autem assumptis corporibus & Deum laudare sonora voce quotiescunque diuinæ voluntatis est, non negamus: atque iterum illa deponere corpora, & in sua simplicitate persistere. Verũtamen post communem omnium hominum resurrectionem animæ aliæ ad gloriam, & aliæ ad pœnam in suis corporibus, in quibus, siue bonum, siue malum egerunt, dum viuerent, perpetuo perdurabunt.

An perditorum culpa etiam fœtore æternaliter puniantur. Petrus beatissimum Patrem interrogat dicens.

PVtamusne hoc auctoritatate sacri eloquij posse mõstrari vt culpæ carnalium fœtoris pœna puniantur. (4. Dia. c. 36.)

Gregorius. Potest: Namque libro Geneseos attestante didicimus, quia super Sodomitas Dominus ignem & sulphur pluit, vt eos & ignis incenderet, & fœtor sulphuris necaret. Quia enim amore illicito corruptibilis carnis arserant, simul incendio & fœtore perierunt, quatenus in pœna sua cognoscerent, quia æternæ mortis fœtoris sui se delectationi tradidissent.

CAP. XIV.

Contra eos qui dicunt animas sanctorum ad loca vbi eorum quiescunt corpora, vel ad Ecclesias Christi nunquam conuenire.

GRegorius. (3. Dial. c. 24.) Adhuc supersunt aliqui, qui Theodorum Ecclesiæ beati Petri Apostoli, vbi sacratissimum illius corpus est positum, in hac vrbe cũstodem nouerunt. Cuius narratione innotuit res, quæ ei contigit valde memorabilis. Quod quadam nocte, dum citius ad meliorãda iuxta ianuam lumina surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positis stabat, & lampadis lumen refouebat; tunc repente beatus Paulus Apostolus in stola candida deorsum in pauimento cõstitit, atque dixit. Colliberte, quare citius surrexisti? quo dicto ab oculis aspiciẽtis euanuit. Sed tantus in eum pauor irruit, vt tota in illo corporis virtus deficeret: & per dies multos de stratu suo surgere non valeret. Qua in re quid idẽ beatus Apostolus seruientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere? Quia quidquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc

A

hoc pro mercede retributionis, sine intermissione semper haberet.

Petrus. Mihi hoc non tam apparet mirum, quia visus est, sed quia is, qui eum vidit, cum sanus esset, ægrotauit.

Dan. 8. 27.

Gregorius. Quid super hac re miraris, Petre? Numquid nam mente excidit, quia cum Daniel Propheta magnam illam ac terribilem visionem vidit, ex qua etiam visione contremuit, protinus adiunxit. Et ego elangui, & ægrotaui per dies plurimos; caro enim ea, quæ sunt spiritus, capere non valet, & idcirco nonnunquam cum mens humana vltra se ad videndum ducitur, necesse est, vt hoc carneum vasculum quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.

B

Hæc præfatio eius ætatis barbariẽ præse fert. vt neq; ratio grammatica constet.

Hoc quoque quod in quibusdam libris moralium beati Gregorij loco præfationis reperi, ad hanc quæstionem probandam inducere dignũ duxi. Sindaluindus Gothorum Rex in Toletanam vrbem Synodale decretum XXX. Episcoporum cum omni clero mirifice anno regni sui quinto indicit celebrandũ. Hic Taionem Cæsar Augustanum Episcopum ordinis litteraturæ satis imbutum & amicum scripturarum Romam ad suam petitionem pro residuis libris Moralium naualiter porrigit destinatum. Qui dum à Papa Romano de die in diem differretur in longũ, quasi in archiuo Romana Ecclesiæ præ multitudine q̃litũ facile nequaquam reperiret libellum. Dño pernoctans, & eius misericordiam ad vestigia B. Apostolorum principis deposcens, ei scrinium in quo tegebatur ab Angelo manet ostensum. Qui mox se Papa vt vidit reprehensum, cum nimia veneratione ei adiutoria tribuit ad conscribendum, & Hispanis eum transmisit ad relegendum. Quia hoc ex B. Iob libris expositum retentabant solũ quod à B. Leandro Hispalensi Episcopo fuerat aduectum, & olim honorifice deportatũ. Requisitus vero & coniuratus Taio Episcopus à Papa Romano, quo modo ẽt veridice fuisset librorũ locus ostensus, hoc illi, post nimiã deprecationem cũ nimia alacritate est fassus. Quod quadam nocte se ab ostiarijs B. Petri Apostoli expetiit esse excubium. At vbi repetit hoc impetratũ in noctis medio, cum se lamentis nimiis ante B. Petri Apostoli locum deprecãdo faceret cernuũ, lux cęlitus emissa ita ab inenarrabili lumine tota Ecclesia extitit perlustrata, vt nec modicum quidẽ lucerent Ecclesię candelabra, & simul cum ipso lumine vna cum vocib. psallentium, & lampadib. relampantium introire sanctorum agmina. Deniq; vbi horrore nimio extitit territus, oratione ab eis completa, paulatim ex illa sanctorum curia duo dealbati senes gressum in ea parte, qua Eps orationi degebat, cœperunt dare perpendulum. At vbi repeterunt pene eum iam mortuum, dulciter salutatũ reduxerunt eum ad propriũ sensum. Cumq; ab eis interrogaretur, q̃ ob causam tam grande excitaret fastigium, vel cur ab occidente properans tam longum peteret nauigiũ, hoc & hoc ab eo quasi inscij relatũ auscultant operæ pretiũ. Tunc illi multis eloquijs consolatum ei opportunũ, vbi ipsi libri tegebãtur. ostenderunt locum. Igitur sancti illi requisiti, quæ esset sãctorum illa caterua eis tam claro cum lumine comitantiũ responderunt, dicentes: Petrum esse Christi Apostolũ simulq; inuicem se manu tenentiũ, cum omnib. successoribus Ecclesiæ in loco illo requiescentibus. Porro & ibi terequisiti fuerũt qui Dñi essent, qui cũ eo tã mirabile habebãt colloquium. Vnus ex illis respõdit, se esse Greg. cuius & ipse desiderabat cernere librũ. Et ideo aduenere, vt eius remunerarent tam vastum fastigium, & auctum redderent longissimum desiderium. Tunc interrogatus si tandem in illa sancta multitudine adesset sapiens August. eo quod ita libros eius sicut & ipsius S. Gregorij semper ab ipsis cunabulis amaret legere, satis perauidus, hoc solũmodo respondisse fertur: vir ille clarissimus, & omni expectatione gratissimus August. quem quæris, altior à nobis eum continet locus. Certe vbi ad pedes eorum cœpi prouere, vnius ab oculis eius hostiariis & ipsis territis simul cũ lumine dicto euanuit vir ille sanctissimus. Vnde & ab eo die cũctis in eadem Apostolorum Sede venerabilis Taio extitit gloriosus, qui ante despicabatur vt ignauus.

His duobus prædictis exemplis manifeste patet sanctorum animas ad loca vbi eorum quiescunt corpora frequenter accedere, vt vota Deo supplicantis inibi populi offerant: & sibi fideliter seruientib. cõferãt postulata. Quod ẽt, in hora Dominici corporis & sanguinis sacrificij adsint spiritus beatorum; organum Spiritus sancti beatissimus Gregorius suauiter manifestat, dicens Gregorius. Pẽsandum est ꝙ tutior via sit vt bonum quod quisq; post mortẽ suam sperat agi per alios, agat dum viuit ipse per se. Beatius quippe est liberum exire, q̃ post vincula libertatem quærere. Debemus itaq; præsens sæculũ, vel quia conspicimus defluxisse, tota mente contẽnere, quotidiana Deo lachrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Hæc namq; singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat: *qui licet resurgens à mortuis iam non moritur*, & mors ei vltra non dominabitur, tamen in se ipso immortaliter, atq; incorruptibiliter veniens pro nobis iterũ in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur, eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur: Eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ore fidelium funditur. Hinc ergo pẽsemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrã cœlestib. iungi, vnum quoq; ex visibilibus, atq; inuisibilibus fieri.

E

4. Dial. c. 58

Rom. 6. 6.

F

Isidorus Quãdo vnigenitus Dei filius sub panis & vini specie offertur Deo Patri à sacerdote, firmiter credere debet quisque fidelis supernorum adesse spiritus beatorum, quorum deuoto & humili ministerio sacrosanctum hoc perficitur Sacramentum: Et sacerdos in sacratissimo canone suppliciter petit, hoc sacrificiũ per manus sancti Angeli in sublime ante cõspectum diuinæ maiestatis deferri, alioqui preces & sacrificium, minime supplicaret. Quis aũt est ille *Angelus, nisi ille magni consilij*, de quo dicit Hispaniarũ doctor Isidorus. Vbicumq; in sacris Scripturis pro Deo ponitur Angelus, non Pater, non Spiritus sanctus, sed pro incarnationis dispensatione solus filius intelligitur.

l. 1. de sum. bon. c. 1. 2.

C G

Item idem. Licet panis transsubstantietur in Christi corpus, & vinum in sanguinem, est tamen in vtroq; totus & integer Deus & homo Christus. Integer Christus in calice panis viuus qui de cœlo descendit, totus sumitur in vtroque, qui totus est in sumentibus singulis & in maiestate sua integer regnat in cœlis.

Caute igitur cum timore & fide mentis & corporis mũditia ad tantum Sacramentum debent accedere Christiani, sacerdotes etiam & altaris ministri ab omni crimine debent esse mundi, semper ante mentis oculos proponentes quod in conspectu Dei & sanctorum Angelorũ huius sanctissimi officium peragant Sacramenti, vt securi & læti dicant cum Propheta: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Pellant odium ab animo, & discordiã. Quia, vt ait Gregorius pater pijssimus, Munus à Deo non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur. (supplendum est) ad salutem; quia qui indigne sumit, iudicium sibi manducat & bibit.

Psal. 137. 1. 4 dial. c. 60 Matt. 5 26. 1 Cor. 11. 29. 4 Dia. c. 60.

D H

Item Ecclesiæ magnum luminare Gregorius. Pensandum est, cum omnis culpa munere soluatur, quam grauis est culpa discordię, pro qua nec munus accipitur. Quia vero sanctorum spiritus esse in Ecclesiis Dei frequenter luce clarius sacris auctoritatibus demonstrauimus, quod etiam per eos diuina prouidentia gubernet mundum proximorum gratia ostendamus.

Isidorus. Singulæ gentes præpositos Angelos habere creduntur quod ostenditur testimonio Angeli Danieli loquentis, *Ego, inquit, veni, vt nunciarem tibi. Sed Princeps regni Persarum restitit mihi.* Et post alia. *Non est, qui me adiuuet, nisi Michael princeps vester.* Boni Angeli ad ministerium salutis humanæ deputati sunt, vt curas administrent mundi, & regant omnia iussu Dei.

De sum. bono. l. 1. c. 12. Dan. 10. 13. & 21.

Item idem de malis Angelis. Quotiens Deus quocunque flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ, apostatæ Angeli mittuntur. Qui tamen diuina potestate coërcentur, ne tantum noceant quantum cupiunt.

Isidor. l. 1. de sum. bono c. 12.

Item ibidem. Omnes homines Angelos habere pro-

A bantur, loquente Domino in Euãgelio, Amen dico vobis, *quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Vñ & Petrus in Actibus Apost. cum pulsaret ianuam dixerunt intus Apostoli: *Non est, Petrus sed Angelus eius est.*

Matt.13. ver. 10. Actor.12. v.15.

Cap. XV.

Contra illos qui sine virtutum meritis præsumunt in Ecclesiis sepeliri; vel dicunt animas, ad fidelium sepulchra nunquam accedere; aut à viuentibus non expetere beneficia.

4 dial. c. 14. GRegorius. Quid in hac vrbe contigerit, tinctorum, qui hic habitant plurimi testantur. Quod quidam artis eorum primus cum defunctus fuisset in Ecclesia beati Ianuarij Martyris iuxta portam S. Laurentij Martyris à coniuge sua sepultus est. Sequenti autem nocte ex sepultura eadem audiente custode, eius spiritus cœpit clamare. B Ardeo, ardeo, cum vero has duas voces diu emitteret, custos hoc eius nunciauit vxori, vxor vero illius eos, qui diligenter inspicerent, artis eiusdem viros transmisit ad Ecclesiam volens cognoscere qualiter eius corpus esset in sepulchro, de quo talia clamaret. Qui aperientes sepulchrũ, vestimenta quidem intacta repererunt (quæ nunc vsque in Ecclesia pro eiusdem causæ testimonio seruantur,) corpus vero illius omnino non inuenerunt ac si in sepulchro eodem positum non fuisset. Ex qua re colligendum est, qua vltione anima eius damnata sit, cuius & caro est ab Ecclesia proiecta. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt quando hi, qui indigni sunt, ab eisdem sacris locis diuinitus proijciuntur?

Eod.l.c. 53. Item idem. Adest quoq; in præsenti venerabilis frater, Venantius Lunensis Episcopus, & magnificus Liberius, vir nobilissimus, atq; veracissimus, qui se scire suosq; homines interfuisse testantur ei rei, quam narrant nuper in Genuẽsi vrbe contigisse, ibi namq; (vt dicunt) Valentius nomine Mediolanensis Ecclesiæ defensor defunctus est, vir valde lubricus, & cunctis leuitatib. occupatus. Cuius corpus in C Ecclesia B. Martyris Syri sepultum est. Nocte aũt media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea repelleretur, atque traheretur foras. Ad quas nimirum voces concurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdẽ Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamantem, & nimium vociferantem foras trahebant. Qui videlicet custodes exterriti ad sua strata reuersi sunt. Mane aũt facto aperiẽtes sepulchrum, in quo idẽ Valentinus fuerat humatus, eius corpus nõ inuenerunt. Cumq; extra Ecclesiã quærerẽt vbi proiectum esset inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut de Ecclesia fuerat abstractum. Ex qua re Petre, collige, quia quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt ẽt de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

Eod.l.c.47. Ex his duobus exemplis colligitur animas defunctorũ ad eorum sepulturas aliqñ accedere, ad quod confirmandum tertium etiam inducatur. Gregorius. Ante hoc triennium, cum quidam frater mortuus fuisset, atque in eiusdẽ D monasterij cemeterio à nobis sepultus cunctis nobis ab eodem cemeterio exeuntibus, Ioannes magnæ indolis adolescens (qui ætatem suam intellectu & humilitate, dulcedine & grauitate transigebat) sicut postmodum pallens & tremens indicauit, illinc nobis discedentibus, inuentus ab eodem fratre qui mortuus fuerat, de sepulchro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis edocuit. Nam post dies decem inuasus febribus, carne solutus est.

Cap. 23. Videtur etiam facere ad hanc nostram intentionẽ fundandam illud quod superius posuimus de secundo libro Dialogorum, f. de duabus monialibus propter linguæ peruersitatem à venerabili patre Benedicto cõminatorie excõmunicatis, incorrectis, & post mortẽ in Ecclesia sepultis. Quæ cũ in missarum solẽnijs Diaconus clamaret ex more: *Si quis non communicat, exeat*: ex sepulchris & de Ecclesia progredi videbantur, donec à beatissimo patre Benedicto absolutionis gratiam percepissent. Hoc & sancta Ecclesia creditur approbare, dum cum aqua benedicta, cruce, incenso, & oratione egrediuntur fideles, super tumulos mortuorum, vt eis remissionem & solatium à domino valeant impetrare aspergunt. E

Capvt XVI.

Quod etiam pœna subsequatur eos, qui sepeliunt indignos in Ecclesiis.

GRegorius. Ioannes vir magnificus in hac vrbe locum Præfatorum seruãs cuius veritatis, atq; grauitatis sit, nouimus: qui mihi testatus est. Valerianum Patricium in ciuitate quæ Brixa dicitur fuisse defunctum. Cui eiusdẽ ciuitatis Episcopus, accepto pretio, locum in Ecclesia præbuit, in quo sepeliri potuisset. Qui videlicet Valerianus vsque ad ætatem decrepitam leuis ac lubricus extitit, modumq; suis prauitatibus ponere contempsit. Eadem vero nocte, qua sepultus est, B. Faustinus martyr, in cuius Ecclesia corpus illius fuerat humatũ, custodi suo apparuit dicẽs. Vade, & dic Epõ: Proiiciat hinc fœtentes carnes, quas hic posuit: quod si non fecerit, die tricesimo Eps morietur. Quam visionem custos Episcopo timuit confiteri, & rursus admonitus declinauit. Die aũt tricesimo eiusdem ciuitatis Episcopus cũ vespertina hora sanus atq; incolumis ad lectum rediisset, subita & inopinata morte defunctus est. Lib.4.c.52. F

Si igitur omnipotens Deus tanta seueritate temeritatem tanti sacerdotis puniuit, quanta putas animaduersione maiora scelera vel consimilia in Christi Ecclesiis perpetrantium audaciam vel cupiditatem minorum puniet sacerdotum?

Cap. XVII.

Animæ fidelium sacrificia pro se offerri petunt.

QVod animæ fidelium auxiliũ sacrificij salutaris à viuentib expetant, testatur B. Greg. dicẽs: Si culpę post mortem insolubiles non sunt, multũ solet animas ẽt post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita vt hoc nonnnnquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere. Nam prædictus Felix Episcopus, à quodam venerabilis vitæ presbytero, qui vsq; ante biennium vixit, & in diœcesi Centumcellensis vrbis habitauit, atq; Ecclesiæ B. Ioãnis, quæ in loco, quæ Tauriana dicitur, sita est præerat, cognouisse se asserit in eodem loco in quo aquæ calidę vapores nimios faciũt, quoties necessitas corporis exigebat, lauari consueuerat. Vbi dum die quadam fuisset ingressus, inuenit quendã incognitum virum ad suũ obsequium pparatum, qui sibi de pedibus calciamenta abstraheret, vestimenta susciperet, exeunti à caloribus sabanã pręberet atq; omne ministeriũ cum magno famulatu perageret. Cumq; hoc sæpius ageret, idẽ presbyter die quadam ad balneum iturus intra semetipsũ cogitans dixit: Viro illi qui mihi solet tam deuotissime ad lauandũ obsequi, ingratus apparere nõ debeo, sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tũc duas secũ oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locum, hominem inuenit, atq; ex more eius obsequio in omnib. vsus est. Lauit itaque: & cum iam vestitus voluisset egredi, hoc ꝙ secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petẽs vt benigne susciperet, quod ei caritatis gratia offerret. Cui ille mærẽs afflictusq; respondit: Mihi ista quare das pater? iste panis sãctus est, ego hunc mãducare nõ possum. Ego etenim quem vides aliqñ loci huius dominus fui; sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si aũt mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditũ esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris & me minime inueneris. In quibus verbis disparuit. Et is qui videbatur esse hõ, euanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero presbyter hebdomade continua se pro eo in lachrymis afflixit: salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum eũ iam minime inuenit. Qua ex re quantum prosit animabus defunctorum immolatio sacræ oblationis ostenditur: quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, signa indicant, quibus per eam absoluti videantur. 4 dial. c. 55. G H

Item idem. Cum adhuc essem iuuenculus, atq; in laico habi- 4. dial. c.40.

A

habitu constitutus narrari à maioribus, atque scientibus audiui, quod Paschasius huius Apostolicę sedis Diaconus, cuius apud nos rectissimi & luculenti de sancto Spiritu libri extant, miræ sanctitatis vir fuerit: eleemosynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, & cōtemptor sui. Sed hic in ea contentione, quę inardescente zelo fidelium inter Symmachum atq; Laurentium facta est, ad pontificatus ordinem Laurentium elegit: & omnium post vnanimitate superatus, in sua tñ sententia vsque ad diem sui exitus perstitit, illum amādo & præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Hic itaq; cum temporibus Symmachi Apostolicæ sedis præsulis esset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimq; sanatus est. Post multum vero temporis Germano Capuano Episcopo, cuius superi⁹ memoram feci, medici pro corporis salute dictauerant, vt in Angulanis thermis lauari debuisset. Qui ingressus easdē thermas, prædictum Paschasium Diaconem stantem & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit;

B

& quid illic tantus vir faceret, inquisiuit. Cui ille respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputat⁹ sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi, sed quæso te, pro me Dominum deprecare. Atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me nō inueneris. Qua de re vir Dñi Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies redijt, sed iam prædictum Paschasium in loco eodē minime inuenit. Quia.n. non malitia, sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem potuit à peccato. Quod tamen credendum est, quia ex illa eleemosynarum suarum largitate obtinuit, vt tunc potuisset promereri veniam, cum iam nihil posset operari.

Eodem lib. cap. 41.

Petrus. De tanto viro Paschasio hoc animum ad quæstionē mouet, quod post mortem ad pœnalem locum ductus, cuius feretri vestis tangi potuit & malignus spiritus ab obsesso homine fugari.

Gregorius. Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quam sit multiplex, agnosci, cuius iudicio

C

actum est, vt idem vir Paschasius, & ipse intus ad aliquantum temporis reciperet, quod peccasset, & tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoscentibus pia opera fecisset, vt neque hi qui bona eius viderant de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur: neque ipsi sine vltione laxaretur culpa, quam nec esse culpam credidit: & idcirco hanc fletibus non extinxit.

Petrus. Perpendo quæ dicis. Veruntamen hac ratione constrictus non solum quæ intelligo, sed ipsa etiam, quæ in me non intelligo, cogor iam peccata formidare. Illud etiam cuiusdam monachi exemplum declarat, qui contra tenorem regulæ cōmunis proprios solidos habens defunct⁹ & beatissimi Patris Gregorij pro tanto scelere expiando in sterquilinio sepeliri iussus est prouidētia & eiusdem patris præcepto: nam cum pro eo triginta diebus continuis sacrificiū corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi obtulisset, is qui mortuus fuerat fratri suo carnali apparuit. Quem ille cum vidisset, requisiuit dicens. *Quid est frater? quomodo es?* Cui ille respondit. Nunc vsq; male fui, sed iam

D

modo bene sum; quia hodie cōmunionem recepi. Quod ijsdem frater eius nomine Copiosus pergens protinus indicauit in monasterio fratribus. Fratres vero solicite cōputauerunt dies; ipsa dies extiterat, qua pro ea tricesima oblatio fuerat impleta. Cumq; & Copiosus nesciret q̄d pro eo fratres agerent, & fratres ignorassent quid de illo Copiosus vidisset, vno eodemq; tempore dum cognoscit ille isti quid egerant, atq; isti cognoscunt, ille quid viderat, cōcordati simul visione & sacrificio res aperte claruit, q̄ a frater, qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam suppliciū euasit. Non est iam quod possit obsistere manifestissimæ veritati: Ipsi nanq; fideles defuncti personaliter à religiosis viris, vel amicis subueniri sibi operibus misericordiæ, cum gemitu pœnam ostendentes, quam patiuntur, humiliter petunt, sicut ex his, quæ beatissimi patris Gregorij dictis prælibauimus, nec non & multorum possumus probare sanctorum Patrum veridicis testimoniis, & hæc ipsa nostra tempora euidentius manifestant. Quicunque ergo

E

pulchro nomine vis gaudere amici, post carnis dissolutionem illis beatissimi Iob verbis, amicum in necessitate, etsi non aure corporis, aure tñ mentis, audio clamantem continue atq; dicentem: *Miseremini mei, miseremini mei, saltē vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Miserere amici tui, vt verus amicus à Deo & hominibus comproberis. Subueni percusso morte corporis, & posito in aduersitate tribulationis, ne fictitius amicus in cōspectu districti iudicis conuincaris. Audi B. Iob dicentē. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Dñi derelinquit. Et cum sit initiū sapientiæ timor Dñi, profecto se fatuum, & insipientem ostendit, qui sapientiæ initium, sc. Dei timorem abiicit. Qui non habet principium, nullatenus medium vel finem sapientiæ poterit obtinere: nec ad Dei vel dilectionem proximi peruenire; qua qui non fruitur manet in morte. Verū vero diligat opere probatur: sicut per B. Greg dicitur. Probatio dilectionis exhibitio est operis: Debemus ergo bonis probare operibus in salutem animarū fidelium, veram fuisse dilectionem, q̄ circa eosdem habuimus dū viuerent:

Iob. 19. 21.
Iob. 6. 14.
Prou. 9. 10.
Hom. 30. in Euang.

F

& proximorū animas sacrificiis, orationibus, eleemosynis, & ieiunijs Dño commendare, vt in hac eorum necessitate permaxima illis igne purgatorio laborantibus subuenire possimus. Quia nobis pro illis bona agentibus non solum eorum amicos, verum ēt nos Dei esse probam⁹ operarios, ad imperiū diuinæ paginæ portantes onera proximorum, vt adimpleamus legem Christi, & eundem beatæ immortalitatis denarium vna cum illis percipere mereamur. *Qui enim pro alijs orat, pro semetipso laborat:* & charitate qua extenditur vt oret pro alio, semetipsum Deo commendat. O sanctissima opera charitatis, quæ ad illos integre perueniunt pro quibus fiunt: & integra atque illibata sine diminutione aliqua permanent operanti. Vnde dicit Propheta; *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Et quia non cessat orare, qui non cessat bene agere, atq; omne opus bonum oratio esse dicitur, vt est illud. *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis & ipsa orabit pro vobis Dominum.* Quicumque boni operis exercitium pro alio gesserit, ad illum proculdubio secundum vocem dominicam reuertetur pax eius.

Ad Gal. 6. 2
Psal. 34. 13.
Eccl. 19. 15.

G

Commendandi sunt itaque à nobis Deo omnibus omnino bonis operib⁹ spiritus proximorum, vt mereamur & ipsi de veris amicitiis in conspectu Sanctorum omnium à Domino commendari, & fictitij amici opera declinare. Vt enim ait Ecclesiæ Christi lucerna, Gregorius, cum quis in prosperitate diligitur, incertū valde est, vtrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio aūt felicitatis interrogat vim dilectionis. Nimirū qui ex aduersitate proximū adspicit, aperte conuincitur, quod hunc in prosperis non amauit. Vnde dicit Hispaniarū Doctor Isidorus. Tunc fit quisque magis pietati iustitiæq; diuinæ contrarius quando despicit amicum aliqua aduersitate percussum. Qua in re & sibi occasionem & gratiam mercedis tollit, qñ in percussione proximi crudelis existit, veluti actum est inter *Lazarum vlcerosum diuitemq;* superbum. Misereamur igitur amicorum nostrorum defunctorum necesse est, & viuentibus in eorum angustijs seruemus fidem dilectionis, ac quilibet nostrūm caueat ne sit ille simulator amicus, de quo dicitur *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.*

Matth. 10. v. 13.
lib. 7. in Iob cap. 11.
De sum. bono l. 3. c. 29.
Luc. 16.
Eccli. 6. 10.

H

Amicus vel socius mensæ, idem bonorum temporalium est simulator amicus: qui etiam in hora mortis proximi fictæ amicitiæ fundit lacrymas, vt ad morientis bona temporalia valeat peruenire. Quique non permanet in die necessitatis, quia cum post mortem alterius defuncto dies mortalitatis cœperit apparere, atque de his quæ in carne commisit, vel omisit ab eo districte ratio requiretur, & inuentus fuerit in aliquo minus habens vnde merito debeat vapulare ille, qui fraudulenter eum in prosperitate vitę ac terum dilexerat, cum ad eius substantiā peruenerit, vt optauit, & res amplectitur, quas cupiuit, tunc patet viuentem minime dilexisse de absolutione cuius animæ nullā piæ recordationis studio curam gerit. Imo vero, quod deterius est, aut de maleuolentia, seu de insipientia ei detrahere incipit, eo ꝙ illi parum dimiserit: aut de auaritia, quia multam illi reliquit substātiam, cum potuit vtiq; dum viueret, bonis suis perfrui, vel certe Ecclesiis & pauperibus ea testa

Dan. 5. 17.

A Id est, qui promeruerunt alios, eosque sui memores, promerendo fecerunt. Prorsus tanquam eis diceret, quod frequenter ore Christiano cum se cuique sanctorum humilis quisque commendat, & dicit, Memor mei esto. Atque vt id esse possit, promerendo efficit.

Item idem. Ita liberatio, quæ fit sine suis quibusque orationibus, siue intercedentibus sanctis id agit, vt in ignem quisque non mittatur æternum, non vt cum fuerit missus, post quanrumcunque tempus inde eruatur. Ad hoc etiam probandum Machabæi visionem sicut sacta Scriptura veterorem memorat de S. Onia, & de beatissimo Ieremia post
2. Mach. 15. 12. mortem corporis pro viuis orantibus, iudicamus. Dicit ita Scriptura sacta. Erat, inquit, huiuscemodi visus. Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus & eloquio decorum, & qui à puero in virturibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Dei. Post hæc apparuisse & alium virum ætate & gloria mirabilem, magni decoris habitudine circa illum. Respondisse vero Oniam,
B & dixisse. Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias Propheta Domini. Cum igitur veteris Testamenti sancti, qui ante Passionem Domini nostri Iesu Christi erant in inferno, hoc est in sinu Abrahæ, pro populo Dei orare creduntur, multo magis dum liberati ab omni corruptione, modo tam illi, quam sancti nouæ gratiæ regnant cum Christo pro fidelibus orare viuentibus, & defunctis credendi sunt, & nos suis patrociniis tueri, & infirma nostra misericorditer releuare.

Cap. XIX.

Contra illos qui dicunt prædestinationem precibus minime adiuuari.

3. Dial. c. 8. Gregorius. Venerandus vir Anastasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cui Deo auctore deseruio, notarius fuit.
C Qui soli Deo vacare desiderans, scrinium deseruit monasterium elegit, atque in eo loco, quem præfatus sum, qui Suppentonia vocatur, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit: eique monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminebat, & profundum subter præcipitium patebat. Quadam vero nocte, cum iam omnipotens Deus eius venerabilis viri Anastasij labores remunerare decreuisset, ab alta rupe vox facta est, quæ producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi, veni. Quo vocato, alij quoque septem fratres ex nomine sunt vocati. Paruo autem momento ea quæ fuerat omissa vox siluit, & octauum fratrem vocauit. Quas dum aperte voces congregatio audisset dubium non fuit, quia eorum qui vocati fuerant, obitus propinquasset. Intra paucos igitur dies, primus venerandus vir Anastasius, cæteri autem in eo ordine ex carne educti sunt, qui de rupis vertice fuerant vocati. Frater vero ille, ad quem vox parum siluit, atque eum nominauit morientibus aliis, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit, vt aperte monstraretur, quia interiectum vocis silentium paruum spacium viuendi significauerit. Sed mira res contigit, quia dum venera-
D bilis vir Anastasius de corpore exiret, erat quidam frater in monasterio qui superuenire ei nolebat. Prouolutus vero eius pedibus, cœpit ab eo cum lachrymis postulare, dicens: Per illum ad quem vadis deprecor te, & adiuro, ne septem dies super te in hoc mundo viuam. Ante cuius septimum diem, etiam ipse defunctus est. Qui tamen in illa nocte inter cæteros non fuerat vocatus, vt aperte claresceret, quia eius obitum sola venerabilis Anastasij intercessio obtinere potuisset.

Petrus. Dum idem frater & vocatus inter cæteros non est, & tamen sancti viri intercessionibus ex hac luce subtractus est, quid aliud datur intelligi nisi quod hi, qui magni sunt apud Deum merito obtinere aliquando possunt ea etiam quæ non sunt prædestinata?

Gregorius. Obtinere nequaquã possunt quæ prædestinata non fuerint, sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineant. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipo- E
tenti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

Petrus. Probari mihi apertius velim, si potest prædestinatio precibus adiuuari.

Gregorius. Hoc quod ego Petre intuli: concite valet Gen. 21. 12.
probari, certe etenim nosti, quia ad Abraham Dominus & 17. c. 4.
dixit: In Isaac vocabitur tibi semen. Cui etiam dixerat: Pa- & c. 22. 17.
trem multarum gentium constitui te. Cui rursum promi- & c. 26. 9.
sit, dicens: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Ex qua re aperte constat, quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinauerat: & tñ scriptũ
est. Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod Gen. 25. 11.
esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicario generis Abrahæ per Isaac prędestinata fuerat, cur coniugem sterilem accepit? Sed nimirum cõstat, quod prædestinatio precibus impletur, quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahę prædestina- F
uerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuisset.

Petrus. Quia secretum ratio aperuit, nihil mihi dubietatis remansit.

Isidorus. Omnia quidem sunt in prædestinatione, vel præscientia diuina: quædam tamen libero arbitrio dimissa. Et quia prædestinatio, aut præscientia necessitatem boni vel mali non infert, semper est orationibus, & bonis operibus vacandum, vt his prædestinatio adiuuetur.

Cap. XX.

Contra illos, qui dicunt sanctos sola virtute orationis, & nunquam solo nutu voluntatis miracula operari.

Isidorus. Angeli boni cognoscunt omnia antequam in se G
fiant: & quæ apud homines adhuc futura sunt, Angeli tam, reuelante Domino, nouerunt.

Item idem. Animæ postquam à carne exeunt, & in sua viuacitate & subtilitate consistunt, multa etiam futura contemplantur.

Item idem. Multum ex sua natura splendorem possidet anima, sed fuscatur commixtione carnis, qua retinetur inclusa.

Item idem. Præuaricatores angeli etiam sanctitate amissa non tamen amiserunt viuacitatem creaturæ angeli-
cæ sensuum. Triplici enim modo scientię acumine vigent, Lib. 8. Etymol. c. 11.
id est, subtilitate naturæ, experientia temporum; & reuelatione supernarum potestatum. Caute igitur & solicite de-
bent Christicolæ circumspicere, ne cum Angelus Satanæ 2. Cor. 11. 15.
in Angelum lucis nonnunquam se transfigurat, decipiendi introgressum inueniat, aliqua de futuris quandoq; prędicit, & etiam ostentatione falsa vtilitati hominis se inseruire demonstrat, vt in erroris laqueũ deuoluatur. Cum.n. aliqua videtur bona prætendere, agit, vt fraudulenter decipiat. Cum vero infert mala, agit, vt sæuitiam suam crude-
liter expleat. Reria tendit innumera, vt multiplicitet, & H
diuersimode decipere possit, & cauta solicitudine vigilantes: piscatoris vel aucupis more, q dulcia, vel pulchra prætendit, vt piscis aut auis hamo, seu laqueo facilius capiatur. Sunt tñ quædam secreta Dei pręsentia, & futura quę etiam eminentiores Angelici spiritus penetrare non possunt, vt
est diuinitatis incomprehensibile arcanum, & illud de ho- Mat. 19. 36.
ra in die iudicij, quod nemo nouit nisi Deus. Vnde con- De sum. bono l. 1. c. 3.
gruẽter dicit Doctor Hispaniarum Isidorus: Cum de Deo loquitur scriptura, plerumq; dicit, *Ecce Deus*, non quasi visibilem ostendit, sed vbique esse præsentem significat, per id quod dicitur. *Ecce Dominus*; vel quia magnitudinem diuinitatis eius nullus possit sensus attingere, etiã angelicus, quamuis vsq; ad paritatem angelicã humana natura post resurrectionem proficiat, & ad contemplandum Deum indefessa consistat, Dei secreta iudicia non possunt sensu penetrari vel angelico, vel humano. Et ideo quia occulta & iusta sunt, tantum venerari opus est, & timere, nõ discu-

tere aut

A *Ad Rom.11.20.* tere aut inquirere. Vnde Apostolus: *Noli altum sapere, sed time*, & sapientia: *scrutator maiestatis opprimetur à gloria*. Item *Prou.15.27* Apostolus: *Quis enim cognouit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit?* *Rom.11.34.* Item idem: *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum*, *Philip.4.7.* vt subaudias etiam Angelorum. Quod etiam animæ suæ *4.Dial.c.26* subtilitatis natura habent aliqua præscire, testatur egregius pater Gregorius dicens. Ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliquid præuidet: Aliquando enim exituræ de corpore animæ per reuelationem ventura cognoscunt: Aliquando vero dum iam iuxta sit, vt corpus deserant, diuinitus afflatæ in secreta cœlestia incorporeum oculorum mentis mittunt. Nam quia vis animæ subtilitate sua ea quæ sunt ventura cognoscit, patet ex eo quod quidam aduocatus, &c. Et post pauca: Cum de quodam laico, qui in mortis futura quædam prædixerat piissimus pater Gregorius mentionem egisset, adiecit dicens: cum eundem virum curis secularibus obligatum lucrisque terrenis inhiantem fuisse nouerimus, vnde hoc prædicere potuit, nisi quia id futurum erat, ipsa vis animæ ac subtilitas B prævidebat?

Item idem. Sicut aliqui reuelationibus potuerunt ventura cognoscere: ita nonnunquam egressuræ animæ possunt etiam mysteria cœlestia non per somnium, sed vigilando prælibare. Item idem. Solet plerumque contingere, vt egressura anima, eos etiam recognoscat, cum quibus pro æqualitate culparum, vel etiam præmiorum in vna est mansione deputanda. Item idem. Dum adhuc laicus viue- *4.Dial.c.35* rem, atque in domo mea, quæ mihi in hac vrbe ex iure patris obuenerat, manerem, de quibusdam vicinis meis me contigit agnouisse. Quædam namque iuxta me vidua Galla dicebatur. Hæc Eumorphium nomine iuuenem filium habebat, à quo non longe quidam Stephanus (qui alio nomine Optio dict' est) habitabat, sed idem Eumorphius ad extrema vitæ veniens vocauit puerum suum, eique præcepit dicens: Vade citius & dic Stephano Optioni, vt concitus veniat, quia ecce nauis parata est, vt ad Siciliã duci debeamus. Cumq; hunc puer insanire crederet, & obedire recusaret, cœpit ille vehementer innuere dicens: Va- C de & nuncia illi, quod dico, quia non insanio. Egressus est puer, vt ad Stephanum pergeret. Cumque in medium iter venisset, & quidam alius obuius factus est, qui hunc requisiuit dicens, quo vadis? cui ille respondit: Ad Stephanum Optionem à domino meo missus sum. Ad quem ille protinus dixit: ab eo venio, sed ante me hac hora defunctus est. Reuersus vero est puer ad Eumorphiũ dominum suum, sed eum iam mortuum inuenit. Sicq; factum est, vt dum alter obuiam venit, & ex medio itinere puer reuersus est, vt ex mensura spatij potuisset colligi, quod vno momento vtrique fuerant vocati.

Petrus. Terribile est valde quod dicis, sed quæso te, cur egredienti animæ nauis apparuit, vel cur se duci ad Siciliam moriturus prædixit?

Gregorius. Anima vehiculo non eget, sed mirum non est si adhuc homini in corpore posito illud apparuit quod per corpus assueuerat videre, vt per hoc daretur intelligi, quo eius anima spiritaliter duci potuisset. Quod vero se ad D Siciliã duci testatus est, quid sentiri aliud potest, nisi quod præ cæteris locis, in eius terræ insulis eructante igne tor- *al.finib.* mentorum ollæ patuerunt? Quæ (vt solent narrare, qui nouerunt) laxatis quotidie *ignibus excrescunt, vt mundi termino propinquante, quanto certum est illuc amplius *†amplius.* exurendos colligi, tanto & eadem tormentorum loca †vi- ** apparere.* deantur *aperiri. Quod omnipotens Deus ad correptionem viuentium in hoc mundo voluit ostendi, vt mentes infidelium, quæ inferni tormẽta esse non credunt, tormẽtorum loca videant, quæ audita credere recusant. Quod vero siue electi siue reprobi, quorum communis causa in opere fuerit ad loca etiam communia deducuntur, veritatis nobis verba satisfacerẽt, etiamsi exempla deessent. Ipse *Ioan.14.2.* quippe propter electos in Euãgelio dicit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. Si enim dispar retributio in illa beatitudine æterna non esset, vna potius mansio, quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines, propter meritorum consortium communiter lætantur, & tamen vnum denarium omnes labo-

rantes accipiunt, qui in multis mansionibus distinguũtur. E Quia est vna beatitudo, quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, per opera diuersa diuersi consequuntur.] Dum B. Gregorius, vt præmisimus dixerit, vnum esse ignem infernalem, quo omnes cruciantur iniqui, & in his, quæ immediate præmisit, diuersas ollas, quæ pœnatũ sunt loca, quidam contrarietatis scrupulus menti simplicium innascitur, quibus compellimur, prout possimus satisfacere. Nulla est ibi intelligenda contrarietas, vbi patens ratio manifestat. Nam cum infern' inferior & superior esse scripturarũ documentis manifestius declaretur, intelligi non abs re põt, quod ignis putei in inferni inferioris, causa sit incendij superioris inferni: siquidem in corde terræ infernus inferior cum sit nimia latitudine dilatatus, & per angustum os habito ad se respectu, flammas euomat indesinenter; & ipsæ flammæ per diuersos terræ meatus, loca sulfurea inflammantes, cum ad diuersas superficiei terræ partes peruenerint, & eructante incendio, in diuersis mundi locis ipsi infernales ignes humanis aspectibus se continue F præsentauerint, non absone diuersa iudicantur diuersarũ ollarum incendia infernalia. Vnde ipsa inferni inferioris respiracula, quibus ad nos vsq; infernales flammæ perueniunt, non incõgrue infernus superior dici possunt, & eodem igne tam illi qui sunt in inferno inferiori, quã etiam qui sunt in inferno superiori cruciantur. Fortius tamen illi videntur incendio concremari, qui recluduntur in fornace interiori, vbi ipsa flammarum creduntur validius regnare incendia. Superiores inferni ollę, quę inferioris sunt respiracula, dicuntur portæ inferi, de quibus videtur dicere Ezechias: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi*. *Isai.38.10.* Non quod animæ iustorum ante aduentum Domini illis in ollis retruderẽtur inferni, sed quod in illorum confinibus esse Abrahæ sinus creditur, vbi tunc iusti detinebantur, & purgatorius ignis, à quo petit Ecclesia animas fidelium erui, dicens. *A porta inferi, erue Domine animas eorum*. Videtur B. Gregorius innuere manifeste quod olla Vulcani, quæ in insula, quæ dicitur Liparis, perpetuas euomit flammas, sit vnum de inferni respiraculis cum dicit.

G Gregorius Iulianus huius Romanæ Ecclesiæ, cui Deo *4.Dial.c.30* auctore deseruio, secundus defensor, qui ante fere septem annos defunctus est, adhuc in monasterio positus ad me crebro veniebat, mecumque colloqui de animæ vtilitate consueuerat. Hic itaq; mihi quadam die narrauit, dicens: Theodotici Regis temporibus, pater soceri mei in Siciliam exactionem canonis egerat, atque iam ad Italiam redibat. Cuius nauis appulsa est ad insulam quę Liparis appellatur, & quia illic quidam solitarius magnæ virtutis habitabat, dum nauta nauis armamẽta repararet, visum est prædicto patri soceri mei ad eundem virum Dei pergere, seque eius orationibus commendare. Quos vir Domini cum vidisset, eis is inter alia colloquens, dixit: sciatis: Rex Theodoricus mortuus est, cui illi protinus respondetũt. Absit. Nos eum viuentem dimisimus, & nihil tale de eo ad nos nunc vsque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit, dicens; etiam mortuus est. Nam hesterno die hora nona inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium discinctus, atq; discalciatus, & vinctis manibus deductus in hac vicina Vulcani olla iactatus est. Quod illi audientes soliciti conscripse- H runt diem atque in Italiam reuersi eo die Theodoricum Regem inuenerunt fuisse mortuum, quo de eius exitu atq; supplicio Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Ioannem Papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque Patricium ferro trucidauit, ab illis se iuste in ignem mitti apparuit, quos in hac vita iniuste iudicauit. Est etiam in Sicilia mons ethna, qui cominus flammis æstuare cernitur, qui fere per nouem miliaria aliquando temporib' interpositis igneo flumine vsq; ad mare ebullire videtur. Est etiam in Apulia locus, qui vulgariter mos Barbarus dicitur, vbi spiritus maligni sua opera ignis tormento sæpius manifestant. Sunt & alia loca tormentorum perplura, sicut scire possunt, qui, vt ea oculis corporis videant in præsenti dare voluerint itineri operam efficacem, quæ ab ipso puteo infernali surgentibus flammis continuis creduntur accipere contra impios quotidie incrementa. Vt qui audita non credunt nec ipsa pertimescunt, ea post mortẽ cor-

poris

A Ioan.14.2. poris perpetuo iuste sustineant, vel inuiti: *Et sicut in domo Domini multæ sunt mansiones*, in quibus iusti secundum meritorum diuersitatem æternæ retributionis sub eadem felicitate percipiant præmia: ita omnes iniqui sub vno igne infernali in multis calamitatibus diuersis crucientur tormentis. Cum autem infernum inferiorem sub terra esse dicimus, non abs re videntur moueri aliqui, eo quod in scripturis Patrum inueniant, quod si infernus superior super terram, ideo quia superior dicitur. Ad quod potest breuiter responderi quod dicitur superior, habito respectu ad inferiorem, licet vterque in visceribus terræ esse credatur. Dicitur infernus superior esse super terram, eo quod ora respiraculorum eius sint in eminentiori superficie terræ & ignis inde exiens appareat super terram, ita vt vsque ad nubes se nonnunquam efferant flammę eius: & vt vera denominatione dicatur infernus, hoc est inferius, in terrę visceribus continetur. Cum etiam legitur animas iustorum vsque ad passionem Domini in inferno fuisse, non est intelligendum, eos tunc flammis infernalibus cruciari, qui in B loco consolationis degebant teste Abraham, qui de Lazaro, superbo diuiti loquitur, dicens: *Hic nunc consolatur, tu vero Luc.16.25. cruciaris*. Hic locus dicitur *Sinus Abrahæ*, quia Patribus in limbo fertur esse inferni, vbi deferuntur animæ puerorũ qui minime baptismi sunt gratiam cõsecuti, & nullum cõmiserunt actuale peccatum, qui nullam sentiunt pœnam, excepto quod carent visione Dei, & dolent deesse societatem Sanctorum, ad quam per baptismum potuerant peruenire. Gaudium inest illis continuum, eo quod euaserunt supplicia impiorum, quibus illos cernunt quotidie cruciari. Quod dicitur sinus Abrahæ, Isaac & Iacob, consolationis distinctionem eorum, qui sunt in loco, notare videtur, vt plus puer catechizatus consolationis percipiat, puero non catechizato: Et rursus puer, qui si viueret, erat à parẽtibus baptizandus plus consoletur illo, qui si diu viueret, for sitan nunquam ad baptismi gratiam conuolaret.

C

Cap. XXI.

Contra illos qui dicunt Sanctos nullos modo hominum cogitationes intelligere; vel dæmones hominibus nihil mali suggerere, vel hominum cogitationes percipere.

2.Dial c.10 GRegorius. Quadam die cum venerabilis Pater Benedictus vespertina hora iam corporis alimenta perciperet, eius monachus, cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernã tenebat, cũ vir Dei ederet. Ipse autem cum lucernæ ministerio adstaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere. Quis est hic, cui ego manducanti, adsisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Qui sum ego, vt isti seruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus vehementer eum cœpit increpare dicens, *Signa cor tuum frater*. Quid est, quod loqueris? *signa cor tuum*. Vocatisque fratribus, statim præcepit, ei lucernam de manibus tolli, ipsum vero iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietũ sedere. Qui requisitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem enarrauit, quanto superbię spiritu intumuerat: & quę D contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabili Benedicto latere nihil posset, in cuius autem etiam cogitationis verba sonuissent. Manifeste ex his præmissis colligitur, Sanctorum spiritus etiam occulta quædam cogitationum agnoscere, cum beatissimus pater Benedictus adhuc in carne corruptibili constitutus, titubantis fratris cogitationes cognouit. Vnde dicit beatus Doctor splendor prælatorum Isidorus. Sancti qui reuelata facie dominum contemplantur, & omnia in ipso tanto verius, quãto subtilius & sanctius intuentur, etiam eos quædam humanarum cogitationum secreta, non latent, quarum iudices in extremo examine cum domino sunt futuri. Tergamus ergo sordes malarum cogitationum à cordibus nostris, ne ante oculos maiestatis diuinæ & omnium Sanctorum eius quotidie sordidi reputemur, & ab eorum munditia post dissolutionem carnis merito repellamur, neue cum sordidis spiritibus infernalibus sordibus perpetuo inoluamur.

Audiamus pijssimum Dominum per Isaiam clamantẽ atque dicentem: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Quod etiam diaboli humanis cogitationibus semper insistant & insidiẽtur operibus, testatur B. Gregor. Malign⁹ spiritus cogitationi, locutioni, atq; operi nostro semper insistit, si fortasse quid inueniat, vnde apud examen æterni iudicis accusator existat. Vis etenim nosse quomodo ad decipiendum semper insistat? E Isai.1.16. lib.3.Dial. c.9. & 10.

Gregorius. Quidam qui nunc nobiscũ sunt, rem, quam narro, testantur, quod vitæ venerabilis Stephanus nomine, Valerię prouinciæ presbyter fuit huius nostri Bonifacij Diaconi, atq; dispensatoris Ecclesiæ agnatione proximus. Qui quadam die de itinere domum reuersus mãcipio suo negligenter loquens præcepit dicẽs: Veni Diabole, discalcia me. Ad cuius vocem mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissoluere, vt aperte constaret, quod ei ipse, qui nominatus fuerat ad extrahendas caligas Diabolus obedisset. Quod mox vt presbyter vidit, vehementer, magnisque vocibus clamare cœpit. Recede miser, recede: Non enim tibi, sed mancipio meo locutus sum. F Ad cuius vocem protinus ita vt inuentæ sunt, magna iam ex parte dissolutæ corrigiæ remanserunt. Qua in re colligi potest quam antiquus hostis, qui tam præsto est factis corporalibus, nimiis insidiis cogitationibus nostris insistat.

Petrus. Laboriosum valde, atque terribile est, contra inimici insidias semper intendere, & continue, & quasi in acie stare. Gregorius. Laboriosum non est, si custodiam nostram non nobis, sed gratiæ supernæ tribuimus: Ita tamen vt & ipsi quantum possimus sub protectione vigilemus. Si autem antiquus hostis à mente cœperit expelli, ex diuina largitate plerumque agitur, vt non solum iam timeri non debeat, sed ipse etiam bene viuentium virtute terreatur. Resistendum est audacter tam inimicissimo inimico, & totis viribus decertandum de palma victoriæ obtinenda. Quia vt ait B. Hieronymus, Debilis est ipse hostis, & non potest vincere nisi volentem.

Quod cogitationes prauas hominum, non solum Diabolum scire, verum etiam seminare testatur Isidorus, dicens: Argumenta machinationum, malarumq; cogitationum semina, quę cordibus hominum Diabolus fundit, ita sæpe vndique captam implicant mentem, vt ex quacunq; parte euadere quisque tentauerit sine periculo exire non possit. Veluti si iures hoc facere, quod si feceris, pecces; si non feceris, reus & periurus sis. In tanto enim mali discrimine, vt euadendi aditus pateat, minora potius eligenda sunt, vt maiora vitẽtur. Diabolus, qñ decipere quemquam quærit, prius naturam vniuscuiusque intendit; & inde se applicat, vnde aptum hominem ad peccandum aspexit. Ex ea parte Diabolus omnes tentat, qua eos per excrescẽtem humorem facile inclinari ad vitia conspicit, vt secundum humoris conspersionem adhibeat & tentationem: Lege Balaam, qui in figura Diaboli, contra populum Dei ex ea parte præcepit perniciosos prætendere laqueos, ex qua sensit eos facilius esse lapsuros. Aliud est intrare in mentem cuiusque Diabolum, aliud vero inhabitare. Nam & in cordibus sanctorum ingreditur, dum malas suggestiones insinuat: sed non habitat in eis, quia in suo corpore nõ eos transducit: Qui vero in corpore eius sunt, ipsos inhabitat, quia ipsi sunt templum eius. Etsi subrepat mentibus electorum Diabolus, non autem in eis requiescit sicut in cordibus reproborum. Nam calore fidei Mox excitatur vt exeat ab electis. Verba Diaboli eius occultæ inspirationes sunt, quibus corda hominum alloquens occultis vrit cupiditatibus. Diabolus non est immissor, sed incentor potius vitiorum. Neque enim alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi vbi prius prauæ cogitationis delectationes aspexerit. Quas si à nobis spernimus, sine dubio ille confusus abscedit. G De sum. bono l.3. c.5. H

Item idem. Quando noui aliquid cogitationibus nostris emergit, subtili discretione pensandum est, vtrum ex gratia diuina, siue ex proprio motu, vel ex suggestione spiritus immundi proueniat. Nam plerumq; *trãsfigurat se Angelus Satanæ in Angelum lucis*, vt bonum suggerat cogitare, vt à potiori bono auellat. Cogitationibus se ingerit hominum 2.ad Cor. 11.12.

A minum, vt si aliud non præualet, bonorum cogitationes perturbet, vt in deterius valeat permutare, vt saltem bonum impediat, aut malum ingerat, vt habeat, vnde apud Deum illos valeat accusare. Dum bonas cogitationes viderit pullulare, statim contrarias solicitudines ingerit; ne concepta cogitatio bonis formetur operibus, incentiuum
Psal. 77. 49 immittit praui operis, secundum illud Prophetæ: *immißio-*
Ioan. 13. 2. *nes per Angelos malos*; & in Euangelio: *Cum diabolus misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Scariotis.*

Cap. XXII.

Contra illos qui dicunt, fidelium sepulchra in nulla veneratione habenda; vel solennizationes Ecclesiæ, vt est cantus officij, pulsatio campanarum, & his similia mortuorum spiritibus non prodesse.

1. Dial. c. 4. B GRegorius. Silere non debeo quæ de viro Dei Equitio, Abbate quondam meo reuerendissimo, Valentione narrante cognoui. Aiebat nanque, quia corpus eiusdem in B. Laurentij Martyris oratorio esset humatum. Super sepulchrum illius, rusticus quidam arcam cum frumento posuit, nec quantus qualisq; vir illic iaceret, perpendere ac vereri curauit. Cum repente turbo cœtus factus, rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus arcam, quæ superposita sepulchro eius fuerat, extulit longeque proiecit, vt palam cuncti cognoscerent, quanti esset meritiis, cuius illic corpus iaceret. Si igitur omnipotens Deus arcam frumenti ad exemplũ nobis præbendũ munditię miraculosæ cum repentino cœli turbine longe proiecit à loco, miror qua temeritatis audacia, quis super sepulchra fidelium audeat immunda opera exercere, atque sacrata Christianorum corporibus cœmiteria, quibuslibet immunditiis profanare. Sacrata enim sunt, in quibus Christianorum sacratissima quiescunt corpora. Etenim, teste sacra Scriptura nõ propter locum gentem elegit Deus, sed propter gentem locum. Et non locus sanctificat hominem, sed homo sanC ctificat locum. Quam sacer sit B. Helisei tumulus eius sa-
4. Reg. 13. 21. cratissimis ossibus, & cineribus consecratus, ex hoc potest aduerti, quod latrunculi de Samaria mortui corpus in eo tumulo posuerunt, & tactis ossibus Helisæi, qui mortuus fuerat, resurrexit. Sacratissima Serui fidelis Domini ossa, profana infidelis latrunculi membra ad suum consortium minime admiserunt: mortuo contulerunt vitam, vt se viuere Christo testarentur. Et vt spiritum Heliæ in Heliseo fieri duplicem demonstrarent (quia Helias suscitauerat vnum mortuum & alterum Heliseus) resuscitatio alterius mortui declararet, atque id quod non expleuerat viuens in corpore, Heliseus mortuus adimpleret. Sed fortassis proteruus aliquis dicit. Hi, qui hic dicuntur ad consequentiam sancti sunt: in cœmiteriis vero nostris nullius sancti corpus est. Quibus non fidelibus, sed infidelibus Doctor Hispaniarum Isidorus se opponendo respondet, dicens: Cœmiteria in quibus sepulti sunt Christiani, in reuerentia à fidelibus sunt habenda, ita vt quoties per ea transeant, pro illis orare, & sua debent nouissima cum gemitu cordis
D ad memoriam reuocare. Quamuis enim non manifestentur miraculis, multa tamen Dei amicorum corpora quiescunt in illis. Quia non omnes Sancti miracula nobis visibilia operantur. Malleus hæreticorum fortissimus Augustinus per cœmiteria Christianorum incedere, & pro illis non orare, esse quasi sacrilegium asseuerat. Quid igitur illis erit, qui in Christianorum cœmiteriis blasphemias, furta, fornicationes, adulteria, stupra vel quæque vana committunt, cum pro fidelibus in sacris cœmiterijs non orare quasi sacrilegium iudicatur?

Sciendum etiam est, quia vbicunque corpus cuiusque fidelis quiescit, secũdum sacrorum censuram, dicitur cœmiterium eo quod sit Christiani corporis cineribus consecratum. Illi autem qui hæc negant, & dicunt, solemnizationes Ecclesię viuis vel defunctis fidelibus non prodesse, audiant quid cõtra eos splendor sacerdotum Isidorus dicit. Quæcunque ex deuotione fiunt ab Ecclesia, vt modulatio, cantus psalmorũ & laudum, aquæ benedictæ aspersio, odoramenta thuris & thymiamatis, vel etiam pulsatio campanarum illis, pro quibus fiunt, viuis fidelibus siue mortuis conferunt, & in eis deuote Deo ministrantes meritum sanctæ deuotionis adquirunt. E

ADVERSVS ALBIGENSES LVCÆ TVDENSIS LIBER SECVNDVS.

De septem Ecclesiæ Sacramentis.

CAPVT PRIMVM.

FIdeles audiant, & lætentur, & ponant in Deo spem suam ipsum magnificantes, qui tam inæstimabilem virtutem visibilibus contulit rebus, vt in eis ad creatoris laudem exercitati fideles inuisibilium bonorũ esse participes in cœlestibus mereantur. Et quia tanta est summæ dispositionis virtus in his quæ fiunt inuocatione *Christi* nominis à sacris Ecclesiæ sacerdotibus, vt per ea viuentes salutem corporum, indulgentiam peccatorum, & defuncti fideles requiem obtineant animarum; quanta, & quam inæstimabilis est credenda virtus inesse septem Catholicæ Ecclesiæ Sacramentis, quæ ab ipso percipiente Domino *Iesu Christo*, & à Sanctis eius Apostolis sumpserũt originem. Notanda duximus illa præcipua Sacramẽta, quibus fidelibus à Deo in præsenti datur honeste viuere, & in futuro sine fine cum ipso regnare. Primum & præcipuum Ecclesiæ Sacramentum propter sui dignitatem consistit in consecratione corporis & sanguinis Domini, Ecclesiæ forma ministerio sacerdotis, quo frumenti panis in *Christi* carnem & vinum transsubstantiantur in eius sanguinem. Quod qui digne *1. Cor. 11.*
manducat & bibit, verum Deum & verum hominem sumens cum ipso suo capite Christo omnium peccatorum remissione percepta vnum corpus efficitur.
Psal. 33. 3. & Ps. 77. 7. F

Secundum Sacramentum est *Baptisma* sacrum, quod fit G elemento aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quod potest quisque neophytus percipere, necessitate cogente, à quolibet Laico, Iudæo, Hæretico, vel Gentili. Propter dignitatem tamen Sacramenti à Presbytero, vel Diacono debet fieri, si opportunitas se obtulerit, & ab aliquo alio acceptum non est aliquatenus iterandum. Regenerantur hoc Sacramento tam infantuli, quam adulti, ex aqua & Spiritu Sancto, & remissionẽ percipiunt omnium peccatorum cum adoptione filiorum Dei.

Tertium Sacramentum est manus impositio, siue *Confirmatio*, quod per sacrum Chrisma habet fieri ab Episcopo, quo etiam Christianus populus post Baptismum in regale sacerdotium solidatur: quo sancti Spiritus augetur charisma fidelibus.

Quartum Sacramentum est *Matrimonium*, quo masculus & fœmina carnis copula coniunguntur ad sobolem procreandam, vel luxuriam restringendam. Hoc indissolubile Sacramentum ex dispensatione diuina prouenit, & secundum Apostolum, *si nupserit virgo non peccabit*. Et: *mulier* H
alligata est, quãto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, *1. Cor 7. 28. & 39.*
nubat, cui vult: tantum in Domino; simili lege, si decesserit mulier, vir quam voluerit potest ducere vxorem. Hoc Sacramento efficitur vir & mulier vna caro, seminum commixtione, prolis procreatione, & operis solicitudine inuicem sibi consentientes.

Quintum Sacramentum *Pœnitentia*. Hoc Sacramẽtum in tribus consistit, scilicet cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione. A presbyteris habet fieri; qui- *Ioan. 20. 23. Matth. 16. & 18.*
bus Dominus ligandi & soluendi contulit potestatem.

Pœnitentia est de malis commissis, vel bonis omissis corde dolere, ore confiteri prebytero, & dolenda postea non admittere.

Si autem necessitas emergit, vt non possit quis habere presbyterum, cum cordis contritione saluat confessio ad proximum, vel ad Deum, dum non sequatur contemptus: quod est mortale peccatum. Id est, vt firmiter mente

proponat,

A proponat, & opere expleat, & si facultas se illi obtulerit, confiteatur presbytero totum se tribuens iudicio sacerdotis. Quod Dominus manifeste innuit, cum leprosis in Euangelio dicit: *Ite & ostendite vos sacerdotibus*, & dum irent mundati sunt. Vnde dicit Propheta: *Dixi confitebor, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Quia dum peccator mente proponit, contritione præuia, sacerdoti confiteri, statim accelerat medelam misericordiæ Dei. Scriptũ est enim. *In quacunque hora peccator ingemuerit, ego Dominus iniquitatum eius non recordabor*.

Luc. 17. 14. Psal. 31. 15. Ezech. 18. 21.

Hoc diuinæ pietatis Sacramentum omnia scelera post baptismum commissa diluit, & vsq; ad vltimum hominis vitæ terminum se extendit, ita vt de nullo sit despetãdum vsque ad extremum anhelitum. Peccata etiam obliuioni tradita lauantur eorum confessione, quæ ad memoriam reducuntur. Restat tamen omnium commissorum pœna, vt aut homo puniat in præsenti, aut Deus puniat in futuro, igne Purgatorio, nisi quis post mortem sacrificijs orationibus & bonis operibus viuentium adiuuetur.

B Sextum Sacramentum est *Extrema vnctio*, cuius tanta virtus est, vt non solum peccata diluat, verum etiam plerumque corporis sanitatem restituat, teste Apostolo Iacobo, qui dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo sancto in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei*.

Iacob. 5. 14.

Hoc Sacramentum habet fieri à Presbyteris oleo ab Episcopo consecrato. Multi huius subtrahunt gratiam Sacramenti, dicentes, quod sicut à Presbyteris fit, ita solummodo Presbyteri hoc debent percipere Sacramentum: Aut si susceperit laicus non debet de cætero redire ad concubitum matrimonij. Horum error in promptu est, cum omnes Christiani Apostolica voce sint *regale sacerdotium* in baptismate sacri vnctione chrismatis deliniti, & postea ad thorum redeunt maritalem. Omnes igitur possunt ad hoc Sacramentum fideles accedere. Etsi superuixerint non est quod impediat, quin valeant ad exoluendum debitum procreationis reuerti, & ad matrimonium, si necesse fuerit, contrahendum.

1. Pet. 2. 9.

C Septimum Sacramentum est *Ordo*: quod habet fieri ab Episcopo. Quod licet vltimo nominetur, est tñ omnium aliorum Sacramentorum principium, & perfectio. Ex traditione quidem Apostoli à presbyteratus, & diaconalis ordo sumpsit exordium, & tam Presbyter, quam Diacon⁹ in primitiua Ecclesia tantum sacro frui ordine videbatur. Ordinem vero subdiaconatus inter sacros ordines, subministrante sancto spiritu, placuit Patribus annotari. Sunt & alij Ordines minores à sanctis Patribus instituti, qui prædictis Ordinibus subministrant. Præcipuus autem ordo est presbyteralis, ad quem qui peruenerit, vlterius altiorem ordinis gradum non inuenit, quem ascendat. Presbyteris enim, vt ait Hispaniarum Doctor Isidorus, sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confessione diuini corporis, & sanguinis consortes cum Episcopis sunt, similiter in doctrina populorum, & officio prædicandi. At sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio, & consecratio reseruata est: ne à multis disciplina Ecclesiastica vindicata concordiam solueret, atque scandala generaret. Nam Paulus Apostolus eosdem Presbyteros, ac vere Sacerdotes, sub nomine Episcoporum asseuerat loquens ad Titum: *Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, quẽadmodum tibi disposui. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse*. Qua sententia ostendit Presbyteros etiam sub Episcoporum nomine taxari, vnde & ad Timotheum de ordinatione Episcopi, & Diaconi scribens de presbyteris omnino tacuit, quia eos in Episcoporum numero comprehendit. Presbyteri tamen Episcopis subiacent. Qui etsi non Ordine, gradu ordinis, & excellentia dignitatis, & cura sollicitudinis presbyteros antecedunt. Quidam etiam Episcoporum subduntur Archiepiscopis, & ipsi obediunt Primatibus & Patriarchis: nec dedignantur subesse prælatis suis, & obedientiæ vo-

l. 2. de Eccl. off. c. 7.

D

Ad Tit. 1. 5.

1. ad Tim. 3.

E cati filij, qui se Ecclesiæ Dei præesse cognoscunt. Omnes etiam vnanimiter, ne Acephalitana hæresi maculentur, reuerentur, humiliter, & deuote obedientiam exhibent specialissimo Dei vicario Romano Pontifici. Hic ligandi & soluendi in beatissimo Apostolorum Petro potiorem accipiens potestatem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus gubernat Ecclesiam *Christi*. Quod Dominus videtur notare in Euangelio, cum bis dicit Petro: *Pasce agnos meos*. Quia dicit *agnos* propter innocentiam, & sexus dignitatem prælatos Ecclesiæ possumus intelligere. Quia vero bis, vt eos pasceret, imperauit, temporalium & spiritualiũ illi contulit curam. Quod in ipso nomine sonare videtur, cum pastor Romanus iterata syllaba *Papa* vocatur. Papa enim, quia in temporalibus & spiritualibus pascat pastores, pater patrũ, vel pastor pastorum, aut etiam pater parcens intelligitur, eo quod nostræ miseriç dominus condolens, misericorditer carnem nostram, & os nostrum humana conditione labilem, suum vicarium reliquit nobis in plenitudine potestatis, vt homo hominibus compatiatur: infirmus misereatur infirmis: & in sua discat infirmitate qualiter aliorum infirma debeat tolerare, atque subditorum onera misericorditer releuare. Hæc idcirco protuli, vt tanti patris & pastoris inexplicabilem potestatem attollam ad honorem *Christi* nominis, non vt doctorẽ doctor videar velle docere, & os meum in cœlum ponere imperitus. Non etiam Reges & Principes ab huius regis & pastoris regimine, ideo quia laici sunt, putent se esse immunes. Sunt enim & ipsi populis sibi subditis temporaliũ rerum pastores. Minores etiam populi ad huius patris regimen se nouerint pertinere. Quia postquam Domin⁹ bis dixit Petro: *Pasce agnos meos*, illico adiunxit: *Pasce oues meas*. Quicunque ergo ad ouale Domini pertinet, huius vocem audit pastoris, vt ab eo ducatur ad Christum fontem vitæ, & ad pascua viriditatis æternæ. Nullus potest à debita obedientia huius patris & pastoris absolui, etiam hoc volente pastore. Caput est Eccles. Christi, à quo qui seiungitur, non inuenit, quo modo pertineat ad corpus Christi. Vnde dicit Hispaniarum Doctor Isidorus. Quicumq; Romano Antistiti debitam non exhibet reuerenter obedientiam, à capite seiunctus Acephalorum schismate se reddit obnoxium. Quod sicut illud S. Athanasij Episcopi de fide S. Trinitatis S. Ecclesia approbat, & custodit quasi sit Catholicæ fidei articulus, *quod nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit saluus esse non poterit*. Omnes Ecclesiæ Christi Prælati ligandi & soluendi in cœlo, & in terra obtinent, largiente Domino potestatem, Romanus autem Põtifex ipsos cœli cardines, scil. Patriarchas, & sacros Pontifices potest claudere, & aperire, soluere & ligare. In scrinio cuius pectoris totius iuris summa consistit. Et cum aliorum Pontificum sit particularis, vniuersali Romani Pontificis potestati in magno vel minimo præiudicare non potest, quin in pusillis & maioribus rebus omnium suæ voluntatis exerceat potestatem.

Matth. 16. & 18. Ioan. 20.

Ioan. 21. 15. & 16.

F

G

Epistola ad Eug. Toletanum. Extat in vetusto codice templi Toletani.

Hæc sunt S. Ecclesiæ septem, quæ prælibauimus, sacratissima Sacramenta; quibus decore regio redimita Regi Regum sponso suo filio præclarissimæ Mariæ Virginis Iesu Christo in sidereis mansionibus sperat omni fide ac desiderio sociari. Sacramentum *Baptismi* est aula prima ad aulam imperatoris summi per fidem introeuntium, quo filij iræ filij Dei efficiuntur, & etiam peccati fomes magna ex parte extinguitur.

H

Sacramento *Communionis* corporis & sanguinis Christi fidelium populus vnum corpus, capiti Christo connexum efficitur.

Sacramento *Confirmationis*, siue manus impositionis, quod idem est, sancti Spiritus gratia fidelibus augmẽtatur.

Sacramento *Matrimonij* Christi & Ecclesiæ vnio figuratur, & corporalis viri & fœminę commixtio seminum sine crimine agitur.

Sacramentum *Pœnitentiæ* hominem lapsum in corruptionem facinorum post Baptismum, ad pristinum innocentiæ reducit statum: & etiam nonnunquam largiente Domino maiorem virtutis & præmij gratiam confert.

Sacramentum *vnctionis* infirmorum, à peccato hominem purgat, & plerumque corporis restituit sanitatem.

A Sacramentum *Ordinis* decore splendoris sancti Spiritus cætera Sacramenta irradiat, Diaboli tenebras fugat: veritatis lucē manifestat; persequitur hæreses, errores cūctos interimit, gaudet cum gaudētibus ad exhortationem boni: flet cum flentibus ad consolationem doloris, & abdicationem mali operis. Fit enim *omnibus omnia, vt omnes lucrifaciat:* Benignitatis sinu colligit vniuersos, sic omnes diligens, vt omnium caute in manu forti persequatur erros: sine simulatione in Spiritu fortitudinis & lenitatis iudicat omnia, & à nemine iudicatur. Facit vnumquemque stare in gratia & in ordine, quo vocatus est. Omne quod est præter hoc fidei sacramentum, peccatum est, quia diabolica superstitio est. Ad hoc tam sublime Sacramentū cum fide & timore, atq; bonorum operum claritate accedendum est, vt lucerna ardens super huius celsum candelabrū Sacramenti luceat omnibus qui sunt in domo Domini.

1. Cor. 2. 15.

Matt. 5. 15.

Hæc sanctissima septem Sacramenta, septiformi sancti Spiritus gratia roborata, sacrosancta veneratur mater Ecclesia, quorum qui vnum negat efficitur omnium reus.

B

Cap. II.

De sacramentalibus, vt pedum lotione, ac peregrinatione. An deniq; Monachis peregrinandum.

Ioan. 13. 5. QVædam sunt alia pietatis opera: quæ dicuntur sacramentalia: vt est ablutio pedum: quam Dominus non solum præcepto docuit, verum etiam opere adimpleuit suæ passionis tempore. Et sancta peregrinatio, quam ipse Dei filius post resurrectionem suam proprio glorificato corpore consecrauit, cum in peregrini specie duobus discipulis euntibus in Emaus apparuit, & ab eis coacta inuitatione receptus illis discumbentibus panem benedixit, & fregit, eisque tribuit, & seipsum illis manifestauit. Sed illa pedum ablutio non inter præcipua computatur Ecclesiæ Sacramenta, quia tantum per eam venialium indulgetur venia peccatorum, & humilitatis obsequia commendantur. Teste namque Domino, *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*, ac si diceret, Qui mundus est à maioribus delictis, vt perfectus sit abluatur etiam à superfluis cogitationibus, ociosis sermonib⁹, & minoribus culpis. Quia dum sancti in vita præsenti degunt difficillimum est, ita caute viuere, quin saltem tenui venialium puluere respergantur. Pes enim cum per terram graditur, ipsius terræ vel atomis in toto, aut in parte respergitur. Qui nisi abluantur frequēter, paruissimi pulueris sordidantur respersione frequenti. Non sunt ergo minima negligenda peccata, quæ plerumque cōtemptum generant, qui ducit ad mortem. Vnde Sapientia dicit: *Qui minima negligit, paulatim decidit*: & Augustinus. *Vitasti grandia, vide ne subruaris arena.* Non est despiciendus medicus, qui minoribus subuenit morbis, ne inde maiora sequantur. Amplectamur huius cœlestis medicaminis sacramentum, quo ipse minima nostra peccata, licet sint multa lauantur. Nullus spernat medicinam, qui se nouit infirmum. Nullus spernat hoc sacramentum, qui se peccatorem fatetur. Nisi enim nos diuina misericordia lauerit, quorum iustitia, vt ait Propheta, est *sicut pannus menstruatæ*, non habebimus partem cum Domino in regno munditiæ claritatis illius. Sancta vero peregrinatio, non dicitur per se Sacramentum, sed eo quod sit adiacens Pœnitentiæ sacramento. Est namque Pœnitentiæ satisfactio, Angelis grata, odibilis spiritui immundiciæ. Hæc carnem atterit, immunda desideria repellit, mentem eleuat, deuotionem excitat, & totum hominē Deo facit suauissimum holocaustum. Tanta est sinceritas huius sanctissimi operis, vt non solum supernorum spiritus & animæ beatorum, sed etiam ipse Dominus Angelorum peregrinantibus nonnunquam visibiliter societur.

Luc 24. 15.

Ioan. 13. 10.

C

Eccli. 19. 1.

Isai 64. 6.

D

Efficiuntur præterea Sancti peregrinis maxime debitores, eo quod cum tanto labore venerationis suæ gratia eorum memorias deuote orando visitauerint.

Notæ quorundam quæstioni claustralium, vtrum melius sit peregrinatio ad sanctorum memorias, quam in claustro sub regula obedientiæ viuere, respondere compellor, vt vtilitatem vitæ, eorum suffragiis in cœlestibus valeam adipisci. Verba Domini ad sequendū se hominem inuitantis sunt hæc: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Qualiter autē nos ipsos abnegare, crucem tollere, atque ipsum sequi debeamus, nobis manifestat cum dicit. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Hæc Domini perfectionis verba, non tantum ad aures corporis, sed etiā ad aures cordis perueniunt & cuiuslibet claustralis cum amore cœlestium bonorum S. Spiritus gratia mentem eius tetigit, vt rebus abrenuntiaret mūdanis, & obediētiæ vinculo se arctaret, proprium velle restringeret, dum voluntatem Prælati suæ voluntati anteponeret, se ipsum abrenunciat: quia voluntati suæ nihil proprij arbitrij reseruauit, vere secutus Dominum, qui dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris.* Crucem suam tulit, & in eam ascendit nudus, quia promissione facta de proprio non habendo seipsum excruciat fame, siti, nuditate, ieiuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis, & aliis operibus bonis, quæ de ordinis rigore proueniunt. Videbitur forsitan quibusdam secularibus, me non vera prosequi, dum dico claustralem virum fame, siti affici plerumque ac nuditate. Sed illi me vera prosequi approbant, qui experimento certo multoties his laborant. Huic, vt dictum est, in cruce pendenti cato. mundus & diabolus certatim clamoribus perstrepunt dicentes: *descende de cruce.* Clamat caro aliquando petendo etiam necessaria, clamat etiam mundus delectabilia promittendo. Clamat diabolus ei per suos satellites acetum, & fel, in siti sancti desiderij offerendo, id est, hunc opprobriis & conuiciis lacessendo. Sed cum Dei seruum diabolus clauis timoris & amoris Dei affixum constanter viderit permanere, & vulnere caritatis latus mentis illius transfixum etiam pro inimicis orare, conuertit se ad callida argumenta, & quem non valet à Deo separare, illatis contumeliis nititur deiicere virtutibus simulatis. *Transfigurat* siquidem *se in Angelum lucis*, quasi bonum suggerens, & qui prius dixerat, *descende de cruce*, nunc addens dicit: *Et credimus tibi*: Ac si diceret. Iam securus es de præmio tui laboris, quia per totannorum curricula probatus, fidelis inuentus es, egredere ad peregrinandum, nullum opus bonum prætermittas inexpertum. Esto cæteris vitæ norma. Videant fratres tui opera tua bona, *vt luceat lux tua coram hominibus.* Si quidem si non perfecte prædicare poteris, tamen plures de vitæ æternæ studio admonere. Hæc suadet inimicus, non vt bona suggerat, sed vt seruum Dei qualicunque modo euertens, de cruce descendere faciat, & infirmis fratribus, ac iunioribus occasionem præbeat, vt prætextu sanctæ peregrinationis extrauagandi, luxuriandi, habendi proprium, & aliorum scelerum inueniant causam, vnde corruat in peccatum: & sit cæteris perditionis exemplum, qui prius fulgebat exemplar virtutum. Multiformiter diabolus intendit euertere seruum Dei, vt per incantelam vnius plures possit ducere in infernum. Seruus autem Dei filium Dei semper habet præ oculis in cruce pendentem, & vsque ad mortem patti obedientem. Qui non mouetur proteruis clamoribus insultantium infidelium & dicentium: *Vah qui destruis templum Dei.* Et post pauca: *Si Christus Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Non irascitur sibi acetum, & fel offerentibus, sed orat pro illis dicens. *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Illud etiam, qui Deum sequitur, attendit sedulo, quod in ipsa mortis hora egit Dei filius, videlicet, quod *inclinato capite tradidit spiritum.* Non eleuauit caput moriendo, sed *inclinauit*, vt per inclinationem capitis magister humilis exemplum præberet humilitatis etiam moriendo. In cruce perseuerauit pendens vsque ad mortem, vt qui viuens dixerat: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, moriens quoque sanctæ perseuerantiæ daret exemplum. Sanctissimæ etiam Virginis matris suæ fletibus & suspiriis non descendit de cruce, vt hoc discant exemplo viri religiosi etiam pia parentum suggestione, sanctitate præminentium nullatenus à sanctæ professionis voto, & opere declinare. Hæc omnia facta, in Dei filio vir sanctus, qui carnem suam cum vitiis & concupiscentiis sæculo abrenuncians crucifixit, peruigili solertia intuetur, & in sancta obedientia, quæ melior est quam vi-

E Luc. 9. 23.

Ioan 13. 15.

Ioan. 6. 38.

F

Matth 27. 40. 34. & 48.

2. Cor. 11. 14

G

Mat. 5. 16.

Mat. 27. 40 & 24.
Luc. 23. 35.

H

Ioan. 19. 30.

Mat. 10. 22.

A 1.Reg.11.12. ctimæ, optima parte electa desiderat permanere: & verus Christi imitator in bono opere perseuerat, & de cruce, quam ascendit, nullatenus vult descendere, donec in spiritu humilitatis, & animo contrito suum filius Dei offerat Spiritum. Sanctum quidem est peregrinationis exercitiũ, sed sanctissimum sanctæ obedientiæ votum, si vsque ad finem inconcussa mente firmiter teneatur, si vero quis in eo per diuersa studia cœperit permutari tanto (vt ait B. Isidorus) à diuina se subtrahit caritate, quanto diuersarum rerum studiis occupauerit. Qui proinde obliuiscitur voti, quia capitur illecebris natiuitatis. Sanctum est peregrinationis officium sæcularib⁹, sed illis maxime, qui versantur in luxibus carnis: quia fatigatum corpus quærit requiescere: & mens afflicti ad Dominum cogitur suspirare. Sanctorum precibus infunditur Dei gratia pro labore, & fugatis Diaboli tenebris lumen sancti Spiritus fulget in mente. Datur vltimo æternæ retributionis præmium laboranti, & beata quies in patria sine fine.

B

Cap. III.

An benedictio aquæ, cineris, frondium, candelarum sit sacramentum.

QVia superius de semptem sanctæ Ecclesiæ sacramentis fecimus mentionem, quæstio est quorundam, an benedictio aquæ, quæ aspergitur super populum: cineris in capite quadragesimalis ieiunij; frondium in dominica in Ramis palmarum; consecratio cerei in Resurrectione Domini; benedictio candelarum, & his similia ad prædicta pertineant sacramenta; vel per ea omnium criminum remissio conferatur. Ad quæ nos caritas vrget respondere, quamuis imperitia suadeat absentare.

Dicitur *sacramentum* sacrum secretum, sacrum mentis, vel sacræ rei signum. *Sacrum secretum* recte dicitur, quia deuote suspicientem ad illa sacra perducit cœlestium secretorum, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Hoc sacrum secretum Ioannes in Apocalypsi *manna absconsum* appellat, de quo subdit, *quod nemo nouit, nisi qui accipit.* Manna quidem populo veteri pro singulorum delectatione varium dabat saporem, ita vt vnus quisque prout optabat, gustus satisfaceret desiderio, ingressu primo dulcem prętendens saporem. Quid per manna dulce, vnius cuiusque gustui satisfaciens, nisi illa dulcedo cœlestis patriæ intelligitur, vbi vnus quisque fidelium, quidquid voluerit assequetur? Nullus inuidebit alteri, quia vnicuique omnia optata succedunt. Hanc absconditam beatorum dulcedinem, Propheta in spiritu intuens, quam sit inæstimabilis, quamque secreta dicebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Ad illud dulcedinis Dei secretum non admittuntur, nisi sacri, id est, sinceri Ecclesiasticis Sacramentis à peccato mundati.

1.Cor.2.9. Apoc.2.17. C Sap.16.20. Psal.30.20.

Dicitur etiam *sacrum mentis*, eo quod in intẽtione sacramentum dantis, vel accipientis, aut vtriusque consistit. Si enim is, qui baptizat, non intendit sacri baptismatis Sacramentum perficere, nec is, qui baptizatur accipere, neq; etiam fit auctoritate Ecclesię, Sacramentum non est credendum quod agitur, sed ablutio corporalis.

D

Dicitur & *sacræ rei signum*, quia præterit, quod ingerit oculis, sine sensibus assistentium, & aliud facit diuinitus assistere intellectu, vel sinu fidei, vel gratia, quando sacrificium corporis *Christi* à sacerdote geritur in altari, forma, color, odor, & sapor panis se ingerit oculis, siue sensib⁹ assistentium: sed Deus & homo *Iesus Christus* se fidei repræsentat fidelium omnium, dilatato mentis sinu, idem etiam multi iustorum, quibus reuelauit Deus per Spiritum suum capiunt intellectu. Signum enim aliud est ab eo quod significatur per ipsum. Ita sacramentum aliud videtur exterius, interius autem ineffabile est, & incomprehensibile, quod per exterius comprehensibile demonstratur.

Secundum has sacramenti descriptiones possunt præmissa Sacramenta vocari, quæ tamen ad decorem spectãt sacramentorum principalium & per ea leuia maxime dimittuntur peccata. Moyses iubente Domino immissione ligni, aquas Marath amarissimas potabiles fecit. Et Heliseus, pulmentum, vitis siluestris amaricans dulcorauit farina; atque sale aquas steriles curauit Samarię. Hęc omnia, Apostolo teste, in figura illis cõtingebant. Erant enim vmbra veritatis futuræ, sicut per mare rubrum nostrum figurabatur Baptisma: ita & per alia quæ fiebant ab illis figurabantur cætera Ecclesiæ sacramenta. Immissione ligni per Moysen dulcoratas aquas Marah intelligitur ligno preciosissimo Crucis Christi per Catholicos sacerdotes fugari à labilitate humani generis amaritudines peccatorum & virtutum dulcedinem in cordibus fidelium suboriri: Vbicumque signum sanctæ crucis à ministris Ecclesiæ geritur, Regis nostri victoria declaratur, & potestas confringitur inimici. Tanta est à Domino collata huic sacratissimo signo, vt quidquid eo fuerit signatum à sacerdotibus, sanctificetur inuocatione nominis Iesu Christi. Quid per farinam, qua dulcoratum est Helisei pulmentum viris siluestris, nisi benedictio quæ fit quotidie à sacerdotibus secundum traditionem patrum in nonis frugibus & fructibus, & in pane benedicto post consecrationem Christi corporis intelligitur, aut etiam in omnibus cibariis, quæ ab infidelibus reputantur siluestria vel immũda, de quibus dicit Apostolus, quia *sanctificantur per verbum Dei & orationem*, & quia subtilissimæ, atque innumerabiles sunt fraudes, quibus diabolus humanum genus intendit decipere, quasi ex multis farinæ atomis diuersa nobis Domin⁹ præbet arma defensionis, vt semper Christianus inueniat Sacramenta, quibus antiquum feriat inimicum. In illa noua Heliseus sal misit, & aquis immiscuit, quo mors & sterilitas pulsa est: quia tempore nouæ gratię, quodcumq; quod discretione præuia ab Ecclesię ministris in aquę sanctificatione, vel aliarum geritur rerum, diabolus, qui est mors, à fidelium cordibus pellitur, & fæcunditas bonorum operum propagatur. Fugantur præterea morbi corporei, & dæmonũ eliminantur incursus, vt ex his queat homo percipere, quanta bona etiam minimis Sacramentis Ecclesiæ, inuisibiliter hominibus conferantur. Sed quia sunt nonnulli, qui Moysi & Helisei non mouentur exemplis, dicẽtes potius esse miraculo adscribenda, quæ à sanctis Prophetis diuinitus sunt patrata, illud Saulis, qui Propheta non erat, sed princeps tantum, in medium proferamus.

E Exod.15.23. 4.Reg.4.41. & 4.Reg.2.21. 1.Cor.10.2. & 11. F 1.Tim.4.5. G

Legitur in libro Regum, quod reuertẽte populo Israel à cæde Philistinorum vespere, ac præ nimia esurie pecudes mactante, atq; contra legis prohibitum cum sanguine comedente, Saul fecit saxum magnum aduolui, & super eum carnes interfici, vt populus comedens cum sanguine non peccaret. Quæ potuit hæc esse viri laici, licet Regis vis rara dispensationis, vt delinquentis populi auferret peccatum? Nonne incomparabiliter est maior auctoritas sacerdotum Ecclesiæ Christi, quibus per Spiritum sanctum dimittendi peccata hoc est, pœnam peccati, & conficiendi corporis & sanguinis Domini sacrificium est collata potestas, vt quidquid ab eis secundum Ecclesiæ constituta digne agitur, & sanctificatur, ab eo agi, & sanctificari credatur, qui in se credentibus maiora se facturos promisit. Qui etiam dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*

1.Reg.14.32.33.& 34. Mat.28.20.

Teneant ergo fideles ad salutem corporum, & remissionem venialium criminum etiam minora Ecclesiæ sacramenta, & non negligant ea, quæ sibi per ministros Ecclesiæ à Domino misericorditer conferuntur. Licet enim per septem principalia argumenta à maioribus sunt expiati criminibus, tamen quia, vt ait Apostolus Iacobus, *in multis offendimus omnes*, offensas minimas excusso torpore diluamus, ne de contemptu à Domino districtius iudicemur. Et quia peccatum est plerumque pœna peccati, qui minora negligunt in maiora labuntur, vt inde amplius iudicentur, vnde dicit Hispaniarum Doctor Isidorus:

H Iacob.2.3. De sum. bono 2.c.19.

Iudicio diuino recto in nequiora labuntur, qui distringere minora sua facta contemnunt: sæpe peccatum causa est peccati alterius, quod committitur: & aliud ex ipso, quasi soboles oritur. Debemus itaque extirpare minima, ne periãt maiora: quæ semper in nobis cernimus quotidie pullulare. Quamuis enim à maioribus sancti viri abstineãt, aut vix, aut nunquam possunt à minoribus abstinere.

A *Ibid c. 18.* Isidorus. Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato non possunt. Nam quamuis in hoc sæculo magna iustitiæ quisque claritate resplendeat, nunquam tamen ad purum peccatorum sordibus caret, Ioan. Apost. attestante, *1. Ioan. 1. 8.* qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Multa peccata leuia vnũ grande efficiunt, sicut solent paruis & minimis guttis immensa flumina crescere. Numerositas enim in vnum coacti exundantem efficit copiam. Amplectenda ergo sunt à nobis omni desiderio hæc, quę in principio huius capituli posuimus etiam minora Eccl. Sacramenta, per quæ nobis à Domino indulgentia venialium delictorum, victoria de diabolo, honestas vitæ, atque corporum datur salus.

Cum quilibet Christianus, maxime minister Eccl. *Christi* Diaconus, vel sacerdos debeat in se bene viuere, & aliis fama & honestate fulgere, qui famam bonam & honestatem deserit, se profecto apud Deum culpabilem reddit, qui lucem bonæ famæ & honestatis cæteris subtrahit. De *Prou. 11. 10.* B huiusmodi diuina sapientia dicit: *Qui abscondit frumentum maledicetur in populis.* De his autem qui verbo prædicationis exemplo boni operis, fama sanctitatis, ostensione honestatis aliis lucent subditur. *Benedictio domini super capita vendentium illud.* *Ierem. 15. 19* Vendere frumentum sacris Eccl. ministris corporis & sanguinis Domini Sacramentorum Ecclesiæ & aliorum bonorum operum congruit: ita vt sciant, preciosum separare à vili, & iustum pretium exigere ab emptoribus. Prius debet considerare dignitatem eorum, quæ veneunt: honeste ac digne merces tractare pretiosissimas, venales * in emptorum oculis: & vile putent, quod viliter tractatur ab ipsis venditoribus. ** ne vilescant.* Sed inæstimabili digna pretio Sacramenta, nihil aliud ad sui venditionem exigunt, nisi totum hominem quem Dominus *Iesus Christus* pretio magno sui sanguinis comparauit sicut Apost. discipulis dicit. *1. Cor. 6. 20.* *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* *1. Cor. 4. 1.* Dispensator igitur mysteriorum Dei, *1. Thes. 4. 6.* qui vult caute negotiari, habet, quem imitetur prudentissimum mercatorem Christum, vt non circunueniatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum. C Qui enim in hoc negotio aliud quærit, quam salutem animarum decipit, & decipitur, quia tam ille qui vendit quam qui emit, cum Simeone Mago æternæ perditionis habetur reus. Gratis sunt danda, gratis accepta. Christi Ecclesiæ sacramenta, quorum comparatione vilissima sunt omnia temporalia. Eorum competens pretium Christus est, qui est caput Ecclesiæ cum fidelibus omnibus qui sunt membra eius. Tanti ergo pretij Sacramenta in magno honore & & reuerentia à ministris Ecclesiæ sunt habenda, vt ad eorum deuotionem etiam fideles laici incitentur, vt salutem corporum & remissionem peccatorum per ea se gaudeant percepisse. Honestas ministrorum Ecclesiæ grauitate morum & compositione eorum, quæ ad Sacramenta pertinent, declaratur. Eorum autem incompositio est populi Christiani deiectio. Nam quod illi negligunt, populi statim despiciunt, & fiunt illis exemplum perditionis, quibus esse debuerant causa salutis. Et qui pro suis delictis tenebantur tantum reddere rationem, negligentiæ causa, & D prauo exemplo pro suis subditorum excessibus tenentur æternaliter cruciari. Vnde ait beatus Gregorius. *3. par. Pastoralis admo. 5.* Scire debent, qui præsunt, quia tot motibus digni sunt, quot perditionis exempla ad subditos transmiserunt.

De sum. bono l. 3. c. 28. Isidorus. Plerique sacerdotes & clerici praue viuentes forma cæteris in malis existunt, qui in bonis exemplum esse aliis debuerunt. Hi enim quosque exemplo malæ cõuersationis perdunt, de illis rationem sunt sine dubio reddituri. Deteriores sunt, qui sine doctrinis, seu exemplis vitam, moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. E contra illi, qui bona spiritualia bene & honeste aliis conferunt, etiam de profectibus aliorum præmium sibi sanctæ retributionis adquirunt. Igitur caute debent Ecclesię ministri inter sacramenta, exercitia gerere honestatis, & altaris sacra, vasa sancta, & omnia illa quæ ad cultum Sacramentorum accedunt, vt est aqua benedicta, cereus consecratus, incensum, cinis qui fit ex benedictis ramis palmarum, sacræ vnctionis oleum, baptisterium & cætera his similia, quæ à Patribus E sanctis sunt tradita, & antiqua consuetudine approbata, omni honestate deuotissime venerari, & per ea nobis & proximis Dei misericordiam implorare. Nullius nouitatis assertores ab eis aliquatenus deuiare. Proprium est enim elatæ scientiæ, quæ temporibus nostris nititur dominari, nouitates semper quærere, aliosque ad sequendum se trahere. Quos vero non potest ducere ad sequelam, persequi & odire. Anhelat elatus, sapiens legislator videri & multoties dictis Patrum detrahere non veretur. Oriuntur plerumque ex præsumptione schismata, & errores, quibus inimici veritatis pascuntur hæretici. Immutationibus Ecclesiasticarum consuetudinem deijciunt simplices, & non esse vera, vel sancta quæ à Patribus sunt statuta dubitare compellunt. Horum proteruę sapientum Hispanarum Doctor Isidorus procacem pręsumptionem reprimit cum dicit: Antiquæ & approbatæ consuetudines Ecclesiæ Dei non debent alliquatenus immutari, nisi euidens communis vtilitatis, aut ineuitabilis emergat necessitas. Humiles F autem, & veritatis Doctores, qui propriam gloriam recusantes, quærunt ea, quæ Dei sunt; & non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram sanctorum Patrum imitantur vestigia, doctrinam deuotissimè amplectentur, tantoque propensius alios ad hæc obseruanda student inducere quanto potiora bona per ea credunt hominibus cœlitus impertiri. Primi semper Ecclesiæ sanctæ minoribus etiam Sacramentis per ea cupientes mundari, à leuioribus saltem culpis timida solicitudine præcauentes ne illis pro grauissimis imputentur. Teste namque beato Isidoro, *De sum. bo. l. 2. c. 18* tanto maius cognoscitur esse peccatum, quanto maior, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus, iuxta ordinem meritorum. Et sæpe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.

CAP. IV.

De concordia Gregorij & Isidori.

Considerare restat hilari deuotione, quanta concordia Catholicæ fidei *Gregorius* & *Isidorus* præcones clarissimi conueniant testimonio veritatis, vt si percurrat G quis sedulo beati Gregorij libros. beati Isidori fere omnia dicta inueniat. Et rursus si legat Isidorum totum in ea fere Gregorium apprehendat: vnus quidem, atque idem Spiritus per ora illorum, eandem sententiam protulit, sicut & in septuaginta interpretibus legim' præcessisse. Quamuis hæc duo magna cœli luminaria essent spaciis terrarum seiuncti, tamen in vnitate sancti Spiritus adunati, eadem vtrumque sententia redolebat, vt in ore sanctissimorum duorum testium veritatis testimonia firmarentur. Omnes alij S. Doctores eisdem sunt sententiis iuncti, vocabulorum autem varietate diuersi. Isti vero ita iũguntur sententiis, vt etiam verba in plerisque locis eadem videantur. Hac de causa quibusdam locis, vbi vnius protuli testimonium, alterius silui, quia sententiam eandem eisdem verbis repeterem. Sed fortassis dicit aliquis. Beati Gregorij libri omnes ad Isidorum peruenerunt ex quibus non solum sententiam verum etiam verba tulit. *Cap 26.* Conuincitur H hoc non esse verum, cum beatus Isidorus in libro virorum illustrium, vbi beatissimum hunc Patrem *Gregorium* præ cunctis laudat Doctoribus, quosdam libros eius *Morales*, atque *Homilias* sibi incognitas esse fatetur. Et cum de libris eius faceret mentionem, librum *Dialogorum* & *Homilias super Ezechielem* silentio prætermisit. Libri etiam *Morales* beati Iob ad eum integre minimè peruenerunt, quia post eius obitum Cindasuindi, Hispaniæ Regis tempore per Taionem Cæsaraugustanum Episcopum residui libri, quos beatus Leander non habuerat in Hispaniam sunt aducti. Fateamur ergo eorum scripturas per Spiritum sanctum concordes, vt dictum est, & non ex suffragijs mendicatis, tam insignes Ecclesiæ Dei philosophos concordare.

Cap. V.

Mortuorum animæ viuis apparent.

Quia superius dictum est, sanctos Angelos in ministerium defensionis, & salutis humani generis missos, nōnunquam inter homines degere, & sanctorum animas ad solatium morientium istorum, & ad sacra loca frequenter accedere, multi superstitiosa furia agitati dicunt deridendos eos, fœtores & immunditias hominum atque animalium contingere posse. Qui ne in tali errore permaneant, aut labantur in deterius, sunt illis de scripturis sacris aliqua proponenda. Tribus quidem pueris missis in caminum ignis ardentis profuit illis flamma ad solariũ, & non obfuit ad supplicium, ita vt vincula eorum vreret, & illos in nullo penitus tristitiæ nubilo offuscaret. Vnde scriptura ipsa testatur dicens: *Illos omnino non tetigit ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit.* Præmissum fuerat, quod flamma incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros Regis. Quo facto rationaliter potest aduerti, quod sicut illos qui adhuc corruptibiles erant corpore, sed incorruptibiles fide, corruptio ignis non attigit, & infideles flamma combussit: Ita sanctorum Spiritus licet plerunque sint inter homines, inferioribus corruptionibus & immunditiis tristari vel contaminari non possunt: cum immundi spiritus vbicunque sint omnia illis cedant ad augmentum pœnarum. Sicut enim *omnia sunt munda mundis* ad laudem gloriæ: ita immundis omnia sunt immunda ad vituperium immunditiæ, more hominis in accessione febrium æstuantis, qui in psallentium choris, & tripudiantium gaudiis nullo solatio gratulatur: ita spiritus immundi vbicumque sint, etiam inter filios Dei coram Domino pœna intolerabili cruciantur, & inuidiæ liuore semper tabescunt, vt ait beatus Isidorus, est diabolus tabidus canis ligatus ad stipitem ne seruis Dei nocere possit, nisi permissus. Sicut igitur nulla quies est cani rabido, sed vsque ad mortem continuus dolor, ita cuncti immundorum spiritus vbicumque sint concomitantur eos sine intermissione dira supplicia. Sanctis autem, qui regnant cum Domino, vbique locorum quo affuerint, beata requies est, quia vbicumque sunt Dominum contemplantur. Vnde dicit veritas Euangelica. *Angeli eorum semper vident faciem patris*, vt Angelus, ita iusti perfecti animæ de ergastulo carnis erepta. Est enim verus Sol iustitiæ Deus, à quo in omni loco illuminantur sancti, eumque semper cum gloria contemplantur, qui vbique totus per præsentiam maiestatis, in quo ineffabiliter omnia, etiam quę fiunt ab hominibus, absque sui tædio intuentur. Ad hoc probandum illud videtur accedere quod sanctissimus Pater Gregorius de beato refert Benedicto: qui quadam die adhuc eo in carne degente; dilato mentis sinu ab vno solis radio totum mundum ante se vidit collectum. Si hoc potuit homo mortalis, quomodo hæc vel maiora poterunt à morte liberi Spiritus beatorum! Et beatus Gregorius, cum dicit Apostolorum principem Petrum in Ecclesia sua intempestæ noctis silentio, cuidam, nomine Colliberto, reficienti lampades apparuisse, subiungit dicens. Qua in re, quid idem beatus Apostolus seruientibus sibi voluit, nisi præsentiam sui respectus ostendere. Quia quidquid pro eius veneratione agerent, ipse pro mercede retributionis sine intermissione semper videret. His manifestum est Spiritus beatorum semper omnia contemplari: & quamuis aliquando sint inter homines humanis sordibus non tristari, nec eorum mundiciam simplicissimam corporeis immūdiciis vel fœtoribus maculari, quibus omnia sunt munda odorifera, & pacata. Illis igitur nostra curemus deuote post Deum exhibere seruitia; à quorum oculis vel memoria non recedit quidquid nostra modicitas ex deuotione curauerit impendere illorum magnitudinis excellentiæ.

B

Mat. 18. 10.

C

3. Dial. c. 35.

3. Dia. c. 24.

D

Caput VI.

De diuinis sacrificijs & claustralis officio.

Exigit fratrum charitas, vt breuiter aliqua de diuinis sacrificiis disseramus, quibus placatur Dominus, sancti Angeli gratulantur, beatorum animæ gloriantur. Ij qui sunt in purgatorio liberantur, dæmones confunduntur, & etiam fideles in huius vitæ exilio quodammodo Angelicis spiritibus sociantur, atque æternorum bonorum effecti participes à calamitatibus & ærumnis præsentis sæculi releuantur.

Primum & sanctissimum est corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod nihil aliud sub panis & vini specie est, quam verus Deus & verus homo Christus Iesus.

Est & sacrificium laudis, de quo voce Prophetæ Dominus dicit. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*: vnde dicit Apostolus: *Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini eius.* De sacrificio communis corporis & sanguinis Domini, & bonorum operum idem Apostolus loquens ait: *Beneficentiæ autem & cōmunionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Psal. 49. 23. Heb. 11. 15. & 16. F

Est etiam sacrificium vociferationis siue iubilationis; de quo dicit Propheta: *Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.* Alia translatio habet: *hostiam iubilationis. Iubilus* est mentis gaudium, quod homo intra se cohibere non valens, in vocem verbis non expressam erumpit. Hoc sacrificium Deo plerumque offert Ecclesia, quando in sacrificio laudum verbis pneumata canit. Hoc præfigurabatur per Hieremiam cum se audit à Domino sanctificatum in vtero, & Prophetam gentibus constitutum ac diceret: *A. a. a. Domine Deus, &c.* Quis non credat has voces ex immanitate gaudij processisse? Hoc sacrificium salutare intelligendum est, plus deuota voce fieri, quam clamosa. Debet tamen esse clamosa honesta pro loco & tempore, vt omnia quę à Deo accepimus in eius sacrificiis & obsequiis expendamus. Repræsentamus etiam hac vociferatione illa nobis bona futura post carnis dissolutionem, quæ verbis explicari nō possunt. In fine Antiphonarum canitur hoc pneuma post ternos, vel amplius psalmos, quia post cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem quisque efficitur dignus inexplicabilibus gaudiis Angelorũ. Cum deuotione ergo vociferationi Deo debet hostia immolari, quæ nobis ineffabilium bonorum gaudia repræsentat. Est etiam aliud Deo acceptum sacrificium contriti cordis. De quo dicit Propheta: *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Hoc sacrificium est salutaris hostia pro peccato, quando quisque de perpetrata iniquitate conuertitur, ac confunditur, & roboratur Spiritu, vt per pœnitentiam obtinere Dei misericordiam mereatur. De hac contritione, siue sancta tristitia Apostolus dicit: *Contristati enim estis ad pœnitentiam secundum Deum. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Est præterea perfectorum sacrificium, scilicet mortificatio carnis in cōfessione Christi nominis, pie viuendo in hoc seculo; aut si tēpus instet persecutioni, corpus exponendo martyrio. De hoc sacrificio Apostolus dicit: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam, Deo placentem.* Vnde Gregorius: Fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.

Psal. 26. 6.

Ierem. 1. 6.

G

Psal. 50. 9.

2. Cor. 6. 9. & 10.

H

Rom. 12. 1.

4. Dia. c. 60

Isidorus. Qui se ipsum sanctæ obedientiæ præceptis sacrificium Deo immolat, ad carnis immunditiam iterū non recurrat, vt hostia munda, & immaculata ante Deum acceptabilis habeatur. Ad hoc Deo acceptabile sacrificium qui digne accedit, sacrificium corporis & sanguinis Domini, laudis, vociferationis, bonorum operum, contriti cordis, & orationis, de quo dicitur: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, pro salute sua, viuorum & mortuorum expiatione, digne Domino poterit immolare. Qui autem per varia mundi desideria variantur, quia sunt mercenarij nō pastores, quia temporalis lucri tantum denarium quærunt,

Psal. 140. 2.

A quærunt, aliis pro quibus hæc offerunt sacrificia prosunt,
ipsi à mercede retributionis æternæ vacui remanent. Con-
sideret ergo claustralis quisque, qui se ipsum integre vouit
Domino sacrificium, ad hæc nomini sancto eius sancta sa-
crificia continue immolandum, si causa peregrinationis,
vel etiam alterius boni operis ab istis sanctissimis operibus
debeat aliquatenus declinare. Hæc namque sunt, quę san-
ctos Angelos quodammodo hominibus iungũt, vt etiam
Can. 8. 13. eorum vocem audire desiderent, sicut in Cantico spiritua-
lis amoris legitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultãt te, sonet
vox tua in auribus meis.* Quid per *hortos*, nisi claustra seruorũ
Domini intelliguntur, vbi virtutum nutriuntur blande ir-
rigatione riuulorum scripturarum sanctarum. Hæc viri iu-
sti inhabitant, qui mundum viuentes deseruerunt vt mo-
rerentur peccato, viuerent autem Domino in voce exulta-
tionis & confessionis in sanctis suis assidue Dominum col-
laudantes. Amicus est Dominus noster Iesus Christus, qui
Psal. 41. 5. dicit: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* Sunt etiam a-
mici sancti Angeli, quibus gaudium est in cœlo super vno
B peccatore pœnitentiam agente, & humanis profectibus
semper pie ac sedulo administrant. Hi sancti amici vocem
laudis Deo psallentium audire desiderant in conspectu
quorum se Propheta psallere optat dicens: *In conspectu An-
Psal. 137. 1. gelorum psallam tibi.* Quicunque igitur presbyter secularis,
vel cuiuslibet ordinis claustralis, nisi cogente necessitate
ab horum conspectu se subtrahit, qui vt ab amico recedat
ad excusandas excusationes in peccatis quærit occasionem, au-
Psal. 140. 4. Prou. 18. 1. diat quid de illo diuina sapientia dicit: *Occasiones quærit, qui
vult ab amico suo recedere, & omni tempore erit execrabilis.* Sicut
planta extra hortum, aut vix, aut nunquam fructus ad ma-
turitatem potest perducere; sic presbyter vel Diaconus
gyrouagus, aut claustralis quilibet sine diuturna virtu-
tum experientia præcedente, æternæ dulcedinis fructus
afferre nõ possunt. Et quamuis claustrales gyrouagi huius
scripturæ gratia me habeant odiosum (quia claustrales re-
cte viuentes præ cunctis iustis æstimo sanctiores) ad corre-
ptionem oberrantiũ, cuiusdam sapientis proferam exem-
plum dicentis.
C Claustralis, inquit, inquetus & gyrouagus more asini, si-
ne regimine semper in porta monasterij vel in plateis va-
cans vanitatibus reperitur, donec in pascua luxuriæ prola-
batur. Et vt beatus Augustinus asserit, *sicut bono claustrali
nemo melior; ita malo nemo deterior inuenitur.*

CAPVT VII.

De sanctis Doctoribus.

DOminator humani generis omnipotens Deus con-
siderans hominem à malignis spiritibus multifor-
miter impugnari, vt fragilitatem hominis misericorditer
releuaret, per vterum Virginis totum assumpsit quod est
hominis, præter peccatum, vt homo coniunctus Deo, ho-
minibus fieret auxilium contra versutias inimici. Et quia
innumerabilibus Dæmonum fallaciis manifestis & oc-
cultis insidiis homo deijcitur per peccatum, ita vt quan-
doq; dum nititur vitare maiora crimina, labitur in minora
innumera: & de minimis granis grandis aceruus efficitur
D per contemptum, diuersa Dñs medicamina, & arma ma-
iora, & minori homini contulit ad curam inflicti vulneris
per peccatum, & ad resistendum forti armato per diuinum
auxilium. Ad curam quidem vitiorum secundum eorum
numerum, septem nobis contulit principalia Sacramenta.
Ad curam vero culparum leuium dedit etiam Sacramenta
minora, vt homo, qui quotidie labitur, continue sancti in-
ueniat medicaminis Sacramẽta, quibus releuetur & offen-
sum Deum diuinis possit placare muneribus. Et quia illi
soli peccamus, ipse nobis misericorditer donat, vnde illi
nostrę redemptionis pretium offeramus, qui semper par-
tus est hominũ miserijs misericordiam implorantiũ sub-
uenire. Dedit etiam nobis sancta, quæ superius retulimus
sacrificia, quibus Diabolo resistere, & apud Deum beatæ
retributionis præmia consequamur. Hæc igitur sanctissi-
ma Dei dona, quæ nobis salutem mentis & corporis con-
ferunt, & immortales efficiunt cunctis sunt rebus pretio-
sioribus præponenda, & in his est Dei seruis, secundum E
sanctorum Patrum institutiones deuotissime militãdum.
Sũt enim sancti Patres nobis cœlestia luminaria, splẽdore
sanctarum doctrinarum via cœlestis patriæ illustratur, vt
ambulent in lucem Christicolæ, ne in tenebris errorũ of-
fendant. Inter quos gloriosissimi Gregorius, Augustinus,
Hieronymus, & Isidorus, quasi lucifer inter sidera supernę
sapientiæ lumine decorantur. Organũ Spiritus sancti Gre-
gorius morali, ac præclara sanctarum Scripturarum decla-
ratione præminet summus. Malleus hæreticorum fortissi-
mus Augustinus acutissimis sententiis veritatis fulget prę-
cipuus. Ecclesię splendor Hieronymus lucida & verissima
translatione noui & veteris Testamenti perfulget. Claris-
simus Philosophus Catholicorum Isidorus tam etymolo-
giis, quam rerum naturis differendis, scientiarum & lin-
guarum varietate inter Doctores obtinet principatum.
Tantam Dominus noster Iesus Christus horum vnicui-
que diuersitate gratiarum in vnitate fidei contulit excel-
lentiam, vt recte de quocunque illorum cœlesti tripudio F
cantet Ecclesia: *Non est inuentus similis illi.* Quid de sanctissi- Eccl. 44.
mo dicam Ambrosio, qui omnium charismatum donis ita
resulsit, vt plenus gratia, sapientia & fortitudine à Christi
fidelibus merito prædicetur. Gloriosissimos etiam Docto- Mat. 13. 43
res, Hilarium, Leandrum, Fulgentium, Ioannem & bea-
tissimum Bernardum sancta Ecclesia veneratur, quorum
fulget doctrinis & patrociniis adiuuatur. Sunt & alij plu-
res Doctores sancti, fulgentes sicut Sol in Ecclesia Christi,
sanctorum Doctorum præcedentium gressu inuariabili
sequentes vestigia fidem Catholicam verbo & opere præ-
dicantes, sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici
illibatam obedientiam præstantes, sanctarum Scriptura-
rum elucidantes obscura. Superstitiones & hæreses vete-
ris & noui Testamenti gladiis viriliter persequentes, qui
tanto ab hæreticis, & superstitiosis Catholicis, qui nouita-
tibus semper gaudent, habentur exosi, quãto per eos suam
cernunt persequi ac detegi prauitatem. Superstitiosi Ca-
tholici, nisi resipiscant, ab hæreticis parum discrepãt, quo-
rum facti sunt præcursores dicentes, gloriosissimos Augu- G
stinum, Gregor. & Isidorum & cæteros Patres, aut idiotas,
vel imperitos Philosophos extitisse. Quibus stultis, & in-
sipientibus Ecclesiæ Christi præclarissimus Philosophus
laudatis Patribus, Gregorio, Augustino, & cæteris Docto-
ribus sacris subinferendo respondet, dicens: Omnia, quæ 1. Cor. 2. 10.
sunt dè scientia philosophicæ intẽtionis ipsi scimus: quod
autem est nostræ scientiæ, nescierunt: quia nobis reuelauit
Deus per Spiritum suum. Audiant superstitiosi, qui philo-
sophos mundi Platonem, Aristotelem, & cæteros nostris
veris philosophis anteponunt Ecclesiæ Doctoribus. Eru-
bescant & sileant, quia Spiritus qui viuificat, docuit istos
omnem veritatem: cuius doctrina Spiritus & vita est: ad q̃
nemo poterit peruenire, nisi ab istis acceperit, qui sunt cõ-
scij secretorum Dei. Illi sicut ait Apostolus, *cum cognouissent* Rom. 1. 21.
*Dominum, non tanquã Dominum glorificauerunt, sed euanuerũt
in cogitationibus suis.* Isti aũt, vt ait sponsa in Canticis spiri- Cant. 3. 4.
tualis amoris. *Quæsierunt eum & inuenerunt: tenuerunt nec di-
miserunt,* donec cum eo æternæ quietis cubiculum intra-
uerunt. Hi sunt Dei Patris amatores sapientiæ, in quibus
totius honestatis veræ scientiæ & sanctitatis summa consi-
stit. Quorum prudentiæ ac scientię, nulla est omniũ philo- H
sophorum scientia comparanda. Quia quantum excedit
Spiritus carnem, ratio sensum, fides opinionem, scientia
fidẽ: postremo creator oẽm creaturam: sic Ecclesię S. Do-
ctores omnium philosophorum transcẽdunt doctrinam,
& Theologiæ scientia omnium peritissimorũ mundi pru-
dentiam. Deniq; quantum excedit vita mortem, tantum
excedunt doctores Ecclesiæ philosophorum studia. *Quia* 1. Cor. 1.
mundi sapientia stultitia est apud Deum, sed miseri, & miseran-
di mundi sapientes propter simplicem eloquentiam Dei
despiciunt sapientiam, qui tantum quærentes perituri
mundi gloriam facetis, & inflatis vanitatis sibilo ver-
bis, malunt videri. De quibus Ecclesię *Christi* Philosophus Isai. 5. 21.
peritissimus à Spiritu sancto doctus Isidorus dicit.
Qui de sapientia laudari affectant, loquentem Prophetam
attendant: *væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram
vobismetipsis prudentes.* A sentiendo *sententia* dicitur:

ac per

ac per hoc arrogantes, qui sine humilitate dicunt, de sola scientia dicunt, non de sapientia. Ille enim sapit, qui recte & secundum Deum sapit. In suam dicuntur contumeliam doctores, si dum sint ab eis dicta sapienter, nimium tamen eloquenter. Horret enim sapientiæ spiritus verborum ambitum ac facundiales eloquentiæ inflatis sermonibus perornatum. Item idem. Quidam plus meditari delectantur Gentilium dicta propter tumentem & ornatum sermonem, quam scripturam sanctam propter eloquium humile. Sed quid prodest in mundanis doctrinis proficere, & inanescere in diuinis? Gentilium dicta exterius verborum eloquentia nitent, interius vacua virtutis sapientia manent. Eloquia autem sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum cœlestium sapientia fulgent. Fastidiosis atq; loquacibus scripturæ sanctæ, minus propter sermonem simplicem placent. Gētili enim eloquentiæ comparatæ videntur illis indignæ. Sæpe reperitur composita falsitas, quæ hominem suis erroribus illiciat, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit. Quanto maiora fuerunt mundanę scientiæ litteraturę studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus maiori intumescit iactantia.

L. 3. de sum. bono. c. 13.

Item idem. Nunquam consequuntur legendo perfectam scientiam arrogantes. Contentiosorum studium nō pro veritate, sed pro appetitu laudis certat, tantaque est in his peruersitas, vt veritati cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam euacuare contendant.

L. 3. de sum. bon. c. 11.

Item idem. Ideo libri sancti simplici sermone conscripti sunt, vt non in sapientia verbi, sed in ostēsione spiritus homines ad fidem perducerentur. Hæc à beato Isidoro contra arrogantes prolata in Christianorum cordibus ad vitandum fastum superbiæ recondantur. Etenim vera & simplicia debent esse eloquia Dei, vt erudiantur simplices, & suum imitētur auctorem. Venit *Christus* verus & humilis, vt humilitatem & veritatem doceret fideles, & ideo nō debent verba Dei depingi habitu meretricio. Hæc sunt veritatis documenta, quæ nobis veritatis Philosophi, *Gregorius, Augustinus, Isidorus*, & cæteri sancti Doctores ecclesiæ monstrauerunt, vt in Apostolicis præceptis, & in sanctorum Patrum traditionibus persistamus, ad dexteram, vel læuam nullatenus declinantes. Hæc fide crediderūt, verbo prædicauerunt, operibus tenuerunt, & futuris, suis scriptis caritatis studio reliquerunt. Hæc fuerunt iter eorum rectum, quo ad regna cœlestia peruenerunt. Si igitur eos secuti fuerimus, verbo & opere imitantes, simul cum illis in gloria coronabimur. Non enim aliter crediderunt, vel vixerunt, quam docuerunt: & sanctitatis præmio gaudent. Nos ergo si eorum fidem habuerimus, opera seruauerimus, imitantes doctrinam, quo ipsi præcesserunt ad palmam eos sequemur ad gloriam. Si vero nouos Doctores habere cœperimus, qui noua suadeant, & vel in paruo à Patrum sanctorum vestigiis recesserimus, timendum est, ne erroris hæretici lethali iaculo vulneremur. Sed dicit Doctor superstitiosus: Grosse, ac simpliciter locuti fuerunt Gregorius, Augustinus, & alij Patres. Vnde quærendus est nobis subtilior intellectus. Ad quod ego. Amplectenda est potius sanctorum Patrum simplicitas, & grossities sancta perducens ad cœlum, quam superstitiosa subtilitas pertrahens in infernum. Et quia (vt dicit sacra Scriptura) *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*: nos simplicitatem sanctorum Patrum teneamus, vt cum illis simpliciter gaudere in cœlestibus mereamur.

Pro. 10. 9.

Cap. VIII.

Hæretici contemnunt, corrumpuntque dicta sanctorum.

Tanta est arrogantium quorundam doctorum proterua loquacitas, vt in suis doctrinis nonnunquam verbis sanctorum Patrum detrahendo, voce blasphemiæ dicant: *Male dixit Augustinus, male sensit Gregorius*, & sic de cæteris, cum aliquid inueniunt in eorum libris, quod fortassis non intelligunt, aut vitio scriptoris, vel certe hæreticorum astutia extitit deprauatum: Qui sanctorum Patrum libris, vt veram doctrinam corrumpant, & suadeant falsitatem, interserunt praua. Vnde dicit beatus Isidorus. Tanta est hæreticorum calliditas, vt falsa veris malaq; bonis misceant, salutaribusque rebus plerumque erroris sui virus interserant: quo facilius possint prauitatem peruersi dogmatis sub specie persuadere veritatis. Plerumque sub nomine Catholicorum Doctorum hæretici sua dicta conscribunt, vt indubitanter lecta credantur. Nonnunquam etiam blasphemias suas latenti dolo in libris nostrorum Doctorum inserunt. Doctrinam namque veram adulterando corrumpunt, scilicet vel adijciendo, quæ impia sūt, vel auferendo quæ pia sunt. Caute meditanda, cautoque sensu probanda sunt, quæ leguntur, vt iuxta Apostolica monita, & teneamus quæ recta sunt, & respuamus quæ contraria veritatis existunt. Sicque bonis instruamur vt à malis illæsi permaneamus.

3. de sum. bon. c. 12.

Philip. 1. 10.

Hæc à beato Isidoro dicta consideret Lector: & Patribus sanctis non male tribuat, quod dolis hæreticorum, vel scriptorum vitio est corruptum. Exhibeat Patribus authenticis reuerentiam, & fidem, ne vnde tendit ad ortum, inde corruat in occasum. Malleum hæreticorum Augustinum sequatur, qui dicit. *Ego sic eis libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere. Et si forte in eis aliquid inuenero, quod videatur contrarium veritati, vel mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam.* Ecce de quanta temeritate redarguuntur arrogantes & superstitiosi Doctores cum Augustinus dicit, se non audere credere aliquem canonicorum errasse scribendo, vt isti viua voce dicere non vereantur, *male dixit Augustinus, Gregorius, Isidorus vel Ambrosius.* Fortassis aliqui Lectores, qui hęc venenata verba incaute proferunt, non aduertunt quanta damna auditoribus suis simplicibus inferant, dum eorum latenter animos ad hæreticorum errorem inuitant. Canonicos enim Patres, quos sanctos credebant, & eorum dicta venerabantur, sicut Euangelium Dei quasi per Spiritum sanctum prolata, incipiunt iam despicere, & Ecclesiasticas institutiones contemnere. Cauenda est igitur talis incautela verborum: imo (vt verius loquar) sæua blasphemia, quæ animas interficit blandientium, ita vt nonnunquam arrogans Doctor in errorem præcipitet, quem nullatenus hæreticorum astutia, vel persecutorius gladius ad licita potuit inclinare. Et quia de Canonicis Patribus fecimus mentionem, illos esse authenticos & canonicos credimus, quorum dicta, vel opera sancta Romana Ecclesia approbat, & auctoritate Apostolica tribuit fidelibus veneranda.

Epist. 19. & c. ego solis d. 19. verum non asseritur ad rem.

Cap. IX.

Vitandi sunt hæretici: & eorum fraudes.

Cvstodes sanctorum Sacramentorum, & librorum Scripturarum sanctarū peruigiles debent omni diligentia thesauros incomparabiles suæ fidei creditos custodire, ne manus hæretica sacra polluendo valeat suæ perditionis virus infundere, sacra mysteria profanare & sanctæ legis libros corrumpere. Qui thesaurum Catholicæ fidei gestant in corde à calliditate hæretica omni vigilantia se custodiant, vt nullum hęreticus ad eos accessum inueniat, quia lupus rapax diabolus est, & non venit nisi vt furetur animā, & mactet & perdat. Proinde quasi tempestatē eius confabulationes & solatia fugiat Christianus, nisi fuerit in lege Dei valde peritus, vt eum possit rationibus superare, & ab errore suæ vasaniæ reuocare. Caute tamen agendum est circa ipsum, ne forte se fingat credere vt occulte simplices possit illaqueare. Citius manifestanda est superioribus eius insania, etiamsi intercesserit iuramētum, quia de duobus malis minus est eligendum, si hæretico fidem quis seruet, infidelis Deo. Est enim iniquitas super omne peccatum apostatare à fide veritatis, maxime si in hæresim prolabatur. Si quis igitur tā inexplicabili mali seruandi secreti se astrinxerit iuramento, agat pœnitentiam de periurio

Ioan. 10. 10.

A [l. 2. synoni. c. de voto.] hæretici reuelata nequitia. Et quia *caritas operit multitudinem peccatorum*, remissius agetur cum pœnitente propter zelum Catholicæ fidei. Videtur quod beatus Isidorus innuat in maioribus malis fidem rescindere, si teneatur quis etiam iuramento cum dicit: In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. [l. 3 de sum. bon. c. 5.] Item idem. Ita sæpe diabolus vndique captam inplicat mentem: vt ex quacunque parte euadere quisque tentauerit, sine periculo exire non possit, veluti si iures hoc facere, quod si feceris, peccas, si non feceris reus periurij sis. In tanto enim mali discrimine, vt euadendi aditus pateat, minora mala potius eligenda sunt, vt maiora vitentur. Item idem qualiter cauendum sit ab hæreticis. [Extat epistola Isidori de hac re. Sup in Prolegomenis.] Claudio duci scribit, dicens se inquirenti: *Quod suggessisti habere te hæreticos cum quibus assidue disputas, & quos ad vitam Catholicam studes reuocare, laudamus zelum, sed audaciam reprehendimus. Dicit namque scriptura diuina:* [Eccl. 13. 1.] *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Caue igitur, dilectissime fili, vt quia Deus triumphalibus trophæis, armorum strenuitate, prostratis inimicis te fecit victoriosum, hæreticis suasionibus ignominiose ne victus succumbas.* B *Te etenim laborante, eos ab errore mortis eruere, ipsi inuigilant te in præcipitium erroris demergere, à quorum cōfabulatione vel solatio quemlibet Christicolā tanquam à letifero veneno sub obtestatione diuini iudicij, præcipimus abstinere, nisi fuerit in diuinis præceptis experientia operum probatus, & sacris eruditus Scripturis. Testamur igitur coram Deo, monemus, & quidquid possumus hortando præcipimus vt quam citius eos zelum Dei legis exercens, nisi Catholicam possessi fuerint veritatem, à te repellas.*

Sapienter à sapientissimo & sanctissimo doctore Isidoro sapientiæ doctrinam non insipienter recipiamus: sed omnino aduersantibus Catholicæ fidei hæreticis omnino etiam materialiter aduersemur. Qui licet habeant facies aduersas inuicem dissentiendo, habent tamen caudas more [Iud. 15 4.] Sampsonis vulpium colligatas, quia de falsitate in idipsum consentientes perturbare semper, aut peruertere nituntur quibuscumque possunt modis Ecclesiam Dei: ita vt plerumq; per picturarum falsarum etiam nouitatem plurimos decipere moliantur. C Depingunt enim imaginē Deificæ Trinitatis: patrem senem, filium iuniorem, Spiritum sanctum in columbæ specie vel filio minorem: vt per hoc simplices tres Deos vnius voluntatis credere compellantur: prauo intellectu seducti, vt propter hoc dicatur vnus Deus cum sint tres, quia vnius sunt concordiæ voluntatis. Et tamen misceri & alios seducunt, ipsi seducti primo. Vnus enim est Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus: cuius vna & eadem indiuisibilitas, vna essentia, eadem & vna Deitas, vna natura, & vna voluntas. Qui trinus est in personis, & vnus in substantia maiestatis. Incomprehensibilis, inæstimabilis, inuisibilis, vbique totus, incircumscriptibilis tamen. Cui similitudo nulla potest aptari [Isa. 40. 18.] in substantia deitatis, qui per Isaiam dicit: *cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid sculptile conflauit faber, aut artifex auro figurauit illum, & laminis argenteis argentarius?*

[Ibid. 25.] Item idem. *Cui assimilastis me, & adæquastis dicit sanctus.* D His manifeste patet à creatura nullam imaginem posse fieri, quæ deitati creatoris assimilari aliquatenus possit, & non solum reus est, qui producit ex materia imaginem creatoris, verum etiam qui se diuinitatis imaginem existimat apprehendere mente. Vnde ait beatus Gregorius, cauendum est summopere, ne quid in Deo mens corporeum suspicetur. In Anthropomorphitarum namque hæresim cadere est, eum qui incircumscripte implet, & circumplectitur omnia, intra corporea liniamenta concludere. [Ioan. 1. 18.] Cum igitur Deus sit incircumscriptibilis, & etiam inuisibilis falso diuinitati incomprehensibili quid poterit assimilari. Testatur Ioannes Apostolus Deum esse inuisibilem dicens: *Deum nemo vidit vnquam.* Et Augustinus. Nō est Deus talis substantia, quæ oculis corporeis possit videri. Quod Deus inuisibilis sit, & magnitudinem diuinitatis eius nullus possit sensus attingere, etiam nec Angelicus, quamuis vsque ad paritatem Angelicam humana natura post resurrectionem proficiat, & ad contemplandum Deū indefessa consurgat, [Isid. de sum. bon. c. 2.] Item idem: Sola Trinitas sibi integre nota est, & humanitas à *Christo* suscepta, quæ tertia est in

E Trinitate persona. Audiāt pictores proterua præsumptione seducti qui incomprehensibilem Dei sanctissimā Trinitatem profanis picturis esse comprehensibilem loco, & intellectu nituntur probare. Etenim Dei magnitudinem non attingat Angelicus intellectus, & sola Trinitatis nota est sibi: & nititur hoc attingere simplex pictor, & fere idiota, & laicus. Cuius tanta est immensitas magnitudinis, vt cœlum & terra concludantur ab eo ipse vero concludatur [1. de sum. bon. c. 1.] à nullo. Vnde dicit Hispaniarum Doctor Isidorus. Non ideo cœlum & terram implet Deus vt contineant eum, sed vt ipsa potius contineantur ab eo. Neq; particulatim Deus implet omnia, sed cum sit idem vnus, est tamen vbique totus. Non ita putandus est esse in omnib. Deus, vt vnaquæque res pro magnitudine portionis suæ capiat eum. Idem maxima maius, & minime minus dum sit potius ipse totus in omnibus, siue omnia in ipso. Immensitas diuinæ magnitudinis ista est, vt intelligamus eū intra omnia, sed non inclusum: extra omnia sed non exclusum. Et ideo interiorem vt oīa contineat: ideo exteriorem, vt incircumscriptæ F magnitudinis suæ immensitate omnia concludat. Per id ergo quod exterior est, ostenditur esse creator; per id vero quod interior, gubernare omnia demonstratur. Ac ne ea, [l 1. de sum. bon. c. 1.] quæ creata sunt, sine Deo essent, Deus intra omnia est: verum ne extra Deum essent, Deus exterior est vt omnia cōcludantur ab eo. Item idem. Idem Deus dicitur siue non amittendo quod habet; seu quia non aliud est ipse, & aliud quod in ipso est. Cum igitur incircumscriptibilis imaginē rei nullus possit formare, siue q̄ tota sit infra omnia & tota extra, vel quod nō aliud sit ipsa, & aliud quod in ipsa est, hæreticus seu pictor definet per imaginem blasphemię fabricatæ: atq; pro Deo stultitiæ idolum venerari. Diuinitas quidem (vt ait Doctor eximius Augustinus) in corde iusti hominis semper cōsiderata grandescit. Sed è conuerso dico, in corde hęretici male pręsumptuosi pictoris continue minorescit, dum pictura sacrilega tres Deos, aut vnum comprehensibilem Deum satagunt demonstrare.

Alius mediantibus picturis est hæreticis modus decipiendi, qui vt à fidelibus agnitus cautius valeat euitari, non G duximus silentio occultandum. Depingunt plerumq; deformes sanctorum imagines, vt earum intuitu deuotio simplicis Christiani populi vertatur in tædium.

In derisum etiam & opprobrium crucis *Christi*, imaginē crucifixi vnum pedem super alium vno clauo figentes, aut euacuare, aut in dubium ducere fidem sanctissime crucis & sanctorum Patrum traditiones, nouitatum diuersitate super inducta, contendunt, quod clarius demonstrabimus, si quod actum est in confinio Galliarum in castro, quod *Monculis* dicitur (vt relatio patefecit) in medium proferamus.

Cum Manichæorum hæresis in Galliarum partib. nostris temporibus pullularet, & erroris virus serperet per diuersa, quidam hæreticorum credentes erronei, diabolico stimulati consilio, sanctissimæ Dei Genitricis sumpserunt imaginem monoculam ac deformem hoc reddentes quasi pro ratione, in perditionem animarum eorum pro- H caciter mentientes, videlicet quod Dominus noster Iesus Christus in tantum se humiliauerit, vt pro salute generis humani turpissimam fœminam prælegerit. Hæc malitia excæcati cogitauerunt, & errauerunt, vt facilius simplices possent decipere, & illorum mentes & studia à deuotione gloriosissimæ Dominæ nostræ perpetuę Marię virginis reuocare. Egerunt etiam vt se simulantes ægritudinibus varijs laborare coram prædicta imagine miraculorum operatione viderentur curari. Diuulgabatur fama, ac si vera essent miracula, per ciuitates & castella. Et multi etiam presbyterorum pietate seducti, imagines consimiles facientes in suis ecclesijs collocabant. Quod videntes hæretici, factum quod diu occultauerant denudantes, cœperunt deridere populorum turmas, quæ deuotionis gratia ad prædictam imaginem confluebant. Fecerunt tunc temporis supradicti hæretici crucem cum tribus brachijs tantum, in qua erat imago vno pede super alio, tribus clauis eidem cruci affixa, quæ brachio eminentiori carebat. Quam venientes populi loco crucis Christi deuotissime adorabant. Veritas autem aduersarij tere, quod occulte tetenderant

dete-

A Dei ministros arguebāt dicentes: Si vera sunt quæ de cruce hactenus credidistis, non est verum quod nunc adoratis. Et si verum est quod nunc creditis, falsa sunt, quæ prius docebatis. Si enim Christus cruci fuit affixus quatuor clauis, & ipsa crux quatuor habuit brachia sicut tempore præterito docuistis, non est hæc similitudo crucis *Christi*, quam nunc adorando docetis. Ecce quomodo vacillatis: ecce qualiter dubitatis, & populos rudes vobiscum per ambigua ducitis in errorem. Auctoritas vobis nulla, consuetudo vero sibi contraria est. Hæc & alia plura contra catholicos blasphemantes hæretici, multos simplicium suorum errorem laqueis innodarunt & vsque ad præsens tempus cœptum prauitatis dissidium propagare non cessant.

Cap. X.

De forma Crucis Christi.

B Similitudo autem crucis illius, quam tribus clauis & tribus brachiis non sine scandalo mutarunt animarum, in quibusdam Ecclesiis pietatis studio adoratur. Qui etiam nulla fulti auctoritate, nec ratione ducti, tribus tantum clauis Dominum *Iesum Christum* affixum fuisse cruci, & quod ipsa crux superiori caruerit brachio proprio motu cordis affirmare nituntur.

Huiusmodi quæstio non debet de ratione nostrum, vel cuiuscumque anxie pulsare animum, dummodo Deum verum, & verum hominem Dominum nostrum *Iesum Christum* in vera carne pro salute nostra Cruci confiteamur affixum. Sed cum quis crucem quam Ecclesiæ consuetudo hactenus orandam fidelibus tradidit, nouitate super inducta nititur abolere, vel improbe quærit quid horum amplius sit tenendum. Quia de hac antiquorum Patrum auctoritas difficile reperitur. Ad consuetudinem Romanæ Ecclesiæ credimus maxime recurrendum, & quod tra-
C ditione excellentissimi Dei vicarij Romani Pontificis accepimus, sicut articulum fidei custodire. Gloriosissimi ergo Innocentij Papę tertij verba in medium deducamus: & quidquid nobis de hac quæstione tam de cruce quam de clauis in libro sermonum dixerit, audiamus. dicit quidem ipse. Fuerunt in cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus: lignum transuersum: truncus suppositus, & titulus superpositus. Stipes erectus habuit truncum suppositum, titulum superpositum. His manifeste patet Ecclesiam Romanam quatuor brachiorum crucem, ad honorem Christi nominis adorare. Vnde probatur consuetudine sacra, Crucem Dominicam quatuor brachia habuisse. Per id quod dicitur stipes erectus habuit lignum trāsuersum, & titulum superpositum & truncum suppositum: quæ omnia erant contigua erecto stipiti. Si quis in intellectu colligat, aut verbis contendat stipitem erectum in suæ longitudinis medio habuisse lignum transuersum, in
D quo saluatoris manus fuerunt affixæ, & in summitate titulum superpositum, vbi nomen gloriæ erat scriptum, vt ad modum duorum *Thau* vnum super aliud positum fuerit, minime duxi resistere, eo quod Ecclesia Christi in quibusdam Crucibus, in quibus ligni Dominici reliquias ponere maxime consueuit, hanc seruare formam dignoscitur, & significationi salutari pulchre valeat adaptari. Hanc ergo Crucis formam Romę in manibus gloriosi patris Gregorij Papæ noni cum multis millibus hominum videre & adorare merui: & in festo cœnæ Dominicæ ab ipso Papa sanctissimo benedici. Retulit tunc cunctis declamatorie ille pater sanctissimus quod tota illa Crux erat de illo benedictionis ligno, in quo pro salute hominum mundi salus pependit. Ferebatur etiam ante dictum Dei vicarium, dum equitaret, crux argentea, quatuor brachijs pulchre disposita, quod ad nostram fundandam intentionem, satis videtur sufficiens argumentum.

Hoc etiam ex præmissis colligitur, cum dicitur: stipes erectus habuit truncum suppositum, & titulum superpositum, pone trunculum inferius & titulum superius medio stipite consistente, & ibi lignum transuersum, non repeties nisi quatuor Crucis brachia feceris. Sed forsitan obijcis, quod duo Thau, vno super alio existente, sex diuisiones faciunt brachiorum. Ad quod potest breuiter E responderi, quia maior numerus non excludit minorem; possunt esse sex, propter senarij numeri perfectionem, vel etiam septem gratia cuiusdam particulæ stipitis superius prominentis propter sancti Spiritus gratiam septiformem; aut certe quatuor, vt si quid super eminet transuerso ligno computetur pro vno, propter totius mundi quadripartitam dimensionem. Per virtutem namque sanctæ Crucis confertur virtutum perfectio sanctis: & sancti Spiritus dona distribuuntur iustis. Totus homo cuius corpus ex quatuor elementis consistit, donatur redemptione, & potestas malignorum spirituum ab orbis dominio eneruatur. Attende quod si septem cuius intelligis diuisiones à trunco incipies numerare per quod intelligitur Catholicæ fidei fundamentum. Si autem significatio horum duorum Thau quæritur, possumus exponere salua F fide, quod primum Thau in quo Christus passione sua est salutem humani generis operatus, præsentem in laboribus & ærumnis vitam significat Ecclesiæ militantis, in qua tempus promerendi, & bene operandi consistit. Superius autem Thau in summitate crucis nomen & regnum scribitur Saluatoris, imaginem præbet Ecclesiæ triumphantis: quæ omni sublata miseria passionis in suo capite *Christo* regnum salutis obtinet in perpetua claritate. *Christus* in primo Thau passus est pro salute hominis. In secundo vero non est passus, sed nomen eius & regnum in eo scriptum est Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris: quia semel passus pro peccatis nostris *resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, omnis lingua confitetur, quia Rex Regum, & Dominus dominantium Christus* Iesus in gloria est Dei Patris. Duo Thau in Cruce viuifica depinguntur, quia per crucem præsentia bona credentibus tribuūtur, & æterna illis gloria à Domino elargitur. Per Crucem à præsentibus eruuntur malis. Per Crucem bonis ditamur præsentibus & futuris. Per Crucem inferni claustra reserantur. Captiui à crudeli dominio liberantur. Capti- G uator diabolus captiuatur, eius virtute supernorum spirituum diminutus numerus de hominibus reparatur. Per Crucem illusor deluditur spiritus, & confunditur in astutia sua. Nam vnde credidit inferre *Christo* perpetuam ignominiam, inde illi laudem intulit & cunctis fidelibus gloriā sempiternam. Insultet homo dæmoni, insultet caro spiritui, quia suo argumento captus est diabolus. Arte sua circumuentus est aduersarius: gladio suo concisus est inimicus, armis suis deuictus est. Ignominia Crucis nomē *Christi* delere voluit: sed Crucis gloria ab omni creatura nomen Domini celebritate magnifica prædicatur. Excellentissimi enim spiritus beatorum Deum crucis trophæo laudant. Imperatores, & Principes Christiani Crucis admirabile signum suis gaudent capitibus deportare. Nulla pretiosissima gemma adeo pulchra in aureo Regis diademate, vt crucis signum: cuncta huiusmodi insignia Crucis pulchritudine decorantur. Hoc crucis signum sacratissimum tanta diuinæ virtutis potentia sublimatur, vt vbicumq; digne H deuotione fidei defertur, fit contra potestates aëreas inexpugnabile præsidium, contra ardores & illicitos motus carnis salutis refrigerium, contra infirmitates corporis remedium sanitatis: & contra omnia aduersa fortitudinis munimen & tranquillitatis portus. Consignatione crucis omnia consummantur Ecclesiæ sacramenta. Nulla salus est vbi signum Crucis non est. Quicumq; ergo Crucis signum nititur detruncare, lumen & salutem hominum molitur delere & extinguere de populo Christiano. Multum diuinæ virtutis hoc salutiferum signum sanctus Iacob Patriarcha habere credidit, quando Effraim & Manasse in modum Crucis cancellatis manibus benedixit.

Rom. 6. 9. *1. Tim. 6. 14.* *Philip. 2. 11.* *Gen. 48. 14.*

Hæc contra illos, qui dicunt, Crucem Dominicam tria brachia solummodo habuisse. Vt enim multorum Patrum testatur auctoritas, ab Spiritu sancto illuminatus Patriarcha Iacob, futurum præuidit crucis beneficium, quo tam ipse quam filij sui, id est, fideles cuncti erant à captiuitate dæmonum liberandi, & quadripartita parte crucem domi-

A domini futuram cancellatis brachijs demonstrauit. Ad huius veritatis testimonium roborandum Doctor Hispaniarum Isidorus dicit: Docet Apostolus Paulus, illuminatos debere habere oculos cordis ad intelligendum, quę sit latitudo crucis, & longitudo, & altitudo, & profundum. Cuius latitudo est transuersum lignum quo extenduntur manus. Longitudo est à latitudine vsq; ad terram, altitudo à latitudine sursum vsque ad titulum. In summitate namque erecti stipitis fuit lignum, quod continebat scriptum: *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudaorum.*

In c.23. Luca. & c.3. Epistola ad Ephesios in fine.

Item Beda presbyter venerabilis, cuius eloquiorum flores suauitate ineffabili redolent in Ecclesia Dei. Quid inquit, de ipsa cruce dicturi sumus? Recte intelligitur in ea, quod dicit Apostolus, Quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum. Lata quippe est in transuerso ligno quo extenduntur pendentis manus, & significat bona opera in latitudine caritatis. Longa est à transuerso ligno vsq; ad terram, vbi deorsum pedes figuntur, & significat perseuerantiam in longitudinem temporis vsq; in finem. B Alta est in cacumine quo transuersum lignum sursũ versus excedit: & significat supernum finem quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ in latitudine & lõgitudine bene ac perseuerantet fiũt, propter altitudinem diuinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte, qua in terra figitur. Luce clarius præmissis panditur testimonijs parte superioris brachijs Crucem Domini præfulsisse, cum ab vtroque præmissorum sanctorum testium dicitur, quod alta est à transuerso ligno sursum vel alta est à latitudine vsque ad titulum vbi illa sacra filij Dei nominis & regni continebatur scriptura. Quatuor etiam in illa ex vnione media processisse extrema colligitur, cum à Sedulio dicitur, ait enim:

Carminũ. li.5.

Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portauit ouans ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.

Illud etiam non omittendum, quod in festo eiusdem sanctæ Crucis canit Ecclesiæ deuotio dicens.

C *Forma cuius hoc ostendit.*
Quæ terrarum comprehendit.
Quatuor confinia.

Homo præterea, qui ad similitudinem Dei factus est diuino præsagio in suo corpore similitudinem expressius continet crucis. Nam extensis brachiis ab extremitate vnius manus vsque ad aliam latitudinem innuit Crucis. A brachijs vsque ad pedes longitudinem. A brachiis vero vsque ad summitatem capitis altitudinem. Sunt etiam in humano corpore quasi duo Thau. A brachijs inferius, vnum, & superius aliud: collum enim, facies & aures crucis imaginem gerunt, & in narium dispositione atque superciliorum Thau figura consistit. In ipsa hominis facie, quasi quidam regalis titulus nomen & regnum continens Saluatoris loquela, qua Deum laudamus, oculorum & sensuum eminet pulchritudo. Hoc, vt credo diuinitus factum est, vt homo discat in dispositione sua, quod Crucis debet beneficio liberati & in homine aspiciat quod veneretur & D diligat. Offendere caueat, quem Deus signo tam celebri non solum interius, verum exterius præmuniuit & in fide catholica confirmauit: contra oppugnatores crucis Christi ad resistendum eorum iniquitati, & persequendam obstinationem proteruam seipsum totis mentis & corporis viribus præparare debet: tanquam statim moriturus omnibus indulgere, ac de commissis sceleribus & delictis veniam cum lachrymis & gemitu postulare, quasi crucifixus & mundo mortuus ab operibus illicitis abstinere; ac si statim egressurus de corpore terrena despicere, ad cœlestia suspirare: Domini nostri *Iesu Christi* Crucem & vulnera sẽper suppliciter adorare: sicut æterni Regis signifer, dignitatem suam inter cæteras creaturas agnoscere, & seruituti diaboli se minime subiugare. Tanto signo homo specialiter insignitus dedignetur peccare, & bonis operibus studeat inseruire. Tanto quidem Crucis salus ad hominem dignoscitur pertinere, qui ei salutifero signo etiam corporaliter meruit insigniri. Solus homo si bonis insistat operibus per crucem absoluitur à nexu culpæ commissi sceleris, & antiqua ei dignitas gloriosius restauratur.

E Crucem igitur Domini nostri *Iesu Christi* per quam bonis ditamur præsentibus & æternis deuote ac fideliter adoremus, vt per triumphum Dei & Domini crucifixi eo duce ad sempiternam gloriam peruenire mereamur. Amen.

Cap. XI.

Contra illos qui dicunt, tres tantum clauos fuisse fixos in manibus & pedibus Saluatoris.

QVoniam de clauorum numero qui fixi fuerunt in corpore Dominico contentio vertitur inter plures quibusdam asserentibus de proprio motu cordis, tres tantum fuisse clauos, vnde multi scandalizantur simpliciũ eo quod Patrum traditio in crucis imaginibus quatuor figere consueuit, ad dubietatis scrupulum remouendum, & veritatis præconia roboranda gloriosissimæ passionis Regis nostræ trophæum pro modulo paruitatis nostræ attollere cupimus: & huius rei notitiam fidelibus propalare. F

Quatuor quidem clauos in Domini corpore fuisse fixos magnus ille Dei vicarius Ecclesiæ doctor, & hæresum persecutor Innocentius Papa tertius testatur, dicens: Fuerunt, inquit, *in passione Domini quatuor claui, quibus manus affixa sunt, & pedes affixi.* Et post pauca: *Duos, inquit pedes & duas manus quatuor clauis debet confitere Christianus.* Quid hac auctoritate clarius? Quid his verbis verius quæ à throno Dei, hoc est à Romana Ecclesia per os sacrum cunctorum patris Innocentij exierunt. Non est iam quod contradicat catholicus: non est quod contra sentire debeat Christianus. Etenim quæcumque à Romano antistite, catholice proferuntur, sicut diuina præcepta seruanda sunt à fidelibus. Credendum est illi ab omnibus vbi manifesta sacræ Scripturæ non resistit auctoritas. Quicumque temere contradicit, reus blasphemiæ condemnatur, quia os suum ponere in cœlum comprobatur, qui vniuersæ carnis illum rectorem proposuit, & etiam iudicem constituit animarum. Est enim fidelium clauis, & regula qua in hac vita reguntur sancti, vt in cœlestem aulam valeant introire. G

Illud etiam beatissimi patris Francisci, cuius humilitate ac simplicitate sanctissima Deus nostris temporibus mundi contriuit superbiam & scientiam reprobauit: qui stigmata *Iesu Christi* in suo gestauit corpore specialius ad fulciendum testimonium veritatis in medium proferamus, vt veritas enucleatius luceat, & falsitas offuscetur: Etenim vero, vt in eius sacra reperitur legenda, & multorum Religiosorum, Clericorum, laicorum, & secularium, qui manibus contrectare meruerunt, vel corporeis oculis ante quinquennium aspexerunt, pium perhibet testimonium, in manibus & pedibus beati Francisci quatuor apparuerunt signa clauorum in Christi milite demonstrantes perfectam de luctamine mundi victoriam, & sui Regis *Iesu Christi* sequelam existere signo quatuor clauorum Dominicæ passionis. Scriptum quippe reperitur in eius legenda, quod post quandam crucifixi Seraphim beatificam visionem cœperunt in manibus & pedibus eius apparere signa clauorum, quemadmodum paulo ante virum supra se viderat crucifixum. Manus & pedes eius in ipso medio clauis confixæ videbantur clauorum capitibus in interiori parte manuum & superiori pedum apparentibus, eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Erant signa illa rotunda interius in manibus, exterius autem oblonga, caruncula quædam apparebat, quasi summitas clauorum retorta & repercussa, quæ carnem reliquam excedebat. Sic & in pedibus impressa erant signa clauorum & à carne reliqua eleuata. Signum etiam Dominicæ passionis perfectione quadam in beatissimo patre Francisco ostenditur consummatum, cum dicitur subsequenter dextrum quoque latus quasi lancea transfixum cicatrice obducta erat, quod sæpe sanguinem emittebat, ita vt tunica eius cum femoralibus multoties respergerentur sanguine sacro. O quam laudabilis beatissimus iste sanctus, in quo tanta bona cœlestia redundarunt, vt de spirituali plenitudine H

terre-

A terrena sapientia fere simplicis hominis & indocti totus orbis bonorum abundantia spiritualium quasi multarum aquarum inundantia se gaudeat abundare. Vbique per eum veritas fulget Euangelij, sanctarum Scripturarum inundantia repletur terra, & euanescit astutia falsitatis. Decenter & pulchre à creatura laudatur, quem creator nostris temporibus tanta excellentia decorauit. Præ cæteris enim sanctis signis passionis Dei & hominis antonomastice sublimatus, velut Sol meridianus torpentia corda hominum calore fidei inflammauit. Signa passionis *Christi* fide sensibili demonstrauit, ne stigmata humanæ redemptionis vetustate de fidelium mentibus delerentur. Iam enim multi retro ibant veritati contraria sentientes. Nutabant plures, qui etiam videbantur Doctores, & quasi somniantes conuertebantur ad fabulas, & superfluas nouitates. Suscitauit autem dominus misericorditer beatissimos Franciscum & Dominicum sanctissimi ordinis Prædicatorum primũ p quos mundo pro magna parte in errorum & ambiguitatis tenebris constituto lumen veritatis illuxit, de cordibus singulorum scelerum labes detersit clementia Redemptoris, & obstruxit diuerticula falsitatis. Maxima quidem pars mundi ad falsa vel dubia diuertebat. Alij diuersis erroribus implicati procaciter contendebant *Christum* in vera carne non fuisse passum. Alij nulla fulti auctoritate asserebant tribus tantũ clauis Cruci fuisse affixum, & non dextrum latus eius, sed sinistrum lancea vulneratum, sed omnipotens Deus, qui infirma mundi elegit; vt fortia quæque confundat per seruum suum litterarum elementis fere rudem Franciscum occulta fide, ita illorum elusit argumenta fallacia, vt etiam inuiti cedant manifestissimæ veritati. Si autem quis forsitan ad huc audeat dicere, ista miraculose, & non ad instar Passionis *Christi* in beato Francisco fuisse gesta, audiant quod in eius obitu legitur manifeste: Resultabat in eo reuera forma Crucis & Passionis agni immaculati, qui lauat crimina mundi, dum quasi recenter à cruce videretur depositus, manus & pedes clauis confixos habens, & dextrum latus quasi lancea vulneratum.

Item ibi. Erat in medio manuũ & pedum ipsius mirabile cernere, non clauorum quidem puncturas, sed ipsos clauos eius clauos compositos ferri retenta nigredine, ac dextrum latus sanguine rubricatum. Sufficere debent hæc ad probandum præmissa, & quatuor brachiorum fuisse crucem Christi, & in ea quatuor clauis affixum & dextro latere perforatum lancea credere Saluatorem, sic enim tenet Ecclesiæ Romanæ consuetudo præclara hoc Græcorum & Armenorum, nec non & Orientalium, vt proprijs vidi oculis, credit Ecclesia. Hoc verbis sacris gloriosus testatur Innocentius Papa. Hoc etiam Dominus in beati patris Francisci corpore clamare videtur. Quicumq; proterue resistit, Apostolicum contra se iudicium prouocat in districto examine, & filiorum Francisci turbam pauperum beatorum, quorum est regnum cœlorum.

Illud autem quod quidam ad tres probandum fuisse clauos volunt assumere, scilicet, quod non inueniuntur per diuersas partes mundi, nisi duo tantum quod vnus triũ ad sedandos maris motus pernimium tumescentes in eo fuisset proiectus, multorum eliditur testimonio, qui vnum in monasterio sanctorum Dionysij, Rustici & Eleutherij in regno Franciæ: alterum à Constantino positum in Ecclesia sanctæ Mariæ de Nazareth in partibus transmarinis: tertium in Tarso Ciliciæ: quartum vero Constantinopoli ad honorem Dei meruerunt deuotissime osculari. Ipse quoque dictos clauos in locis supra scriptis vidi, & suppliciter adoraui. In aliis etiam locis aut pars, vel certe vnus illorum ostenditur, vt illorum qui peregrinis præsentant ipsas reliquias adorádas assertio protestatur. Omnibus pie defetimus, licet tantum quatuor claui fixi fuerint in corpore Redemptoris. Potuerunt enim per partes diuidi vel crucis compages in transuerso ligno & titulo fuerunt clauis ferreis colligatæ, qui omnes consecrati sunt ipso Dei filio in cruce pendente, & merito à fidelibus cunctis deuotissime adorantur. Non enim decipitur iustus in catholica fide fundatus, nec amitteret mercedem suam, si loco viuifici ligni, vel clauorum Christi à ministris Ecclesiæ aliquid

E sibi oblatum aliud deuotione fideli, vt lignum, vel ferrum fuerit amplexatus. De cæteris sanctorum reliquijs idem iudicium, Sic potest dirimi quod beata Helena legitur fecisse clauos Dominicos limari, & ad debellandas acies perfidorum in fræno equi ponere salutares. Hæc idcirco dixerim vt in locis pluribus quam duobus vel tribus clauorum Christi reliquias ostendam posse à ministris Ecclesiæ præsentari. Possumus etiam ad consequentiam ducere antiquam consuetudinem seruatam ab Ecclesia, quatuor brachiorum fuisse Crucem, & quatuor fixorio sacratissima, quod ostenditur illa cruce & imagine quæ *Vultus de Luca* dicitur: quam testatur antiquitas à Nicodemo Christi discipulo ad similitudinem filij Dei pendentis in cruce factam. Hæc pedibus in Cruce positum repræsentat auctorem: & Crucem in eminentiori parte lignum transuersum excedere sursum ostendit. Hęc omnia supra dicta diligenter consideret, qui resistit: & cum pro se talium nihil habuerit, cedat manifestissimæ veritati. Pedes enim redemptoris non contorti, sed recti fuerunt in cruce, vt in semitis mandatorum suorum, nos recto gressu affectionis, & operum doceat ambulare. Quatuor clauis peccata nostra in corpore suo cruci affixit, vt homines per quatuor mundi partes diffusos ad cultum perduceret sanctissimæ Crucis, & in fide Catholica solidaret.

Sed dicit aliquis, ad hoc vno pede super alio, vno clauo Dominum dicimus crucifixum, & consuetudines Ecclesiæ volumus immutari, vt maiori acerbitate passionis *Christi* populi deuotio excitetur, & nouitate in consuetudinibus succedente fastidium releuetur. Non enim sunt ista de Sacramentorum substantia, vel articulorum fide, & possũt quotidie ad libitum variari. Sufficit ad salutem *Christũ* credere crucifixum, & pro indifferenti habere in cruce illum quatuor vel trium brachiorum fuisse positum, quatuor vel tribus clauis confixum, & dextrum vel sinistrum latus eius lancea vulneratum. Etiam aliqua fingenda sunt pro loco, & tempore, quamuis vera non sint, vt Christi nominis gloria dilatetur. Hæc & huiusmodi illis quasi rationabiliter asserentibus caute est, & rationabiliter respondendum ne per incautelam improuisæ responsionis erroris causa vel occasio generetur. Catholice ita respondemus quantum ad hunc articulum fidei, in vero corpore de virgine sumpto, *Christum Iesum* crucifixum credere, nobis sufficere ad salutem. In illis vero vbi de Cruce, clauis & de lateris vulnere agitur, si quęratur, illis inhæremus auctoritatibus diuinis vtentes & Romanæ sequentes Ecclesiæ instituta Quod autem dicunt aliqua esse fingenda licet vera non sint ad Christi nominis gloriam dilatandam, cum B. Iob simpliciter respondemus, qui improbis amicis dicit: *Nunquid indiget Deus vestro mẽdacio vt loquamini dolos pro eo?* vnde air organum Spiritus sancti, Deus mendacio non eget, quia veritas fulciri non quęrit auxilio falsitatis. Pœna præterea perditionis manet illis, qui mentiuntur, sicut Psalmista Deo loquitur dicens: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et diuina scriptura dicit: *Os quod mentitur occidit animam.* Patet Deum mendacijs non placari, sed potius ad inferenda supplicia prouocari. Veritas namque cum sit vult [illegible]idicis præconijs collaudari. Nudus Christus in cruce positus nuda veritate à fidelibus congrue prædicatur. Falsitas autem fictionem, & proditio excusationem semper prætendit. Iudas proditionis osculo *Christum* tradidit & male præsumptuosus palliata falsitate studet opprimere veritatem. Quod autem superius dictum est, Ecclesiæ cõsuetudines non esse de substantia Sacramentorum vel articulorum fidei, & possunt quotidie variari: respondemus, quod per Spiritum sanctum à patribus traditæ, nisi exigente necessitate ineuitabili & vtilitate communi etiam ab episcopis immutandæ non sunt: Vnde Gregorius scribens vniuersis Episcopis Numidiæ dicit. *Nos consuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, immotam manere concedimus.*

Leo Papa Ignatio Archiepiscopo, ridiculum est & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus infringi patiamur.

Pelagius Papa Armentario magistro militum inter cætera. Postquam Ecclesiæ iura documentorum interciden-tium

Iob.13.6. & Greg. in illa verba.

Psal.5.5. *Sap.1.11.*

L.1.Epi.75.

D.12.c. ridiculum citantur à Grati. Nicolai nomine & ab Iuone l.2. Decreti.

A tium sunt auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam etiam Pontifex, si velit permittatur habere licentiam.

Epist. 86. & habetur e. in his. d. 11. eademq; docet Epist. 118. & de Bapt. contra Dona. l. 4. c. 24. Isidorus. Antiquæ & approbatæ consuetudines Ecclesiæ Dei non debent aliquatenus immutari, nisi euidens communis vtilitas, aut ineuitabilis emergat necessitas.

Augustinus ad Casulanum. In his rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel instituta Maiorum pro lege ponenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum: ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coërcendi sunt.

Item idem. Nullatenus decipi poterit, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo.

Contra Lucif. & Epist. ad Licinii habetur sententia. Hieronymus. Maiorum consuetudines & traditiones, quæ tamen non sunt contra fidem leges Apostolicas arbitratur religio Christiana. Si autem quæratur à quibus Ecclesiæ consuetudines fuerint institutę, quæ quamuis vbiq; seruentur, tamen nulla scriptura eorum profert auctores,

B respondemus. Quoniam à sanctis Apostolis, vel à sanctorum Patrum Concilijs præcipiente Spiritu sancto fuerunt instituta. Vnde ait Malleus hæreticorum Isidorus. Multa sunt, quæ in Ecclesiis Christi geruntur, ex quibus tamen quædam sunt, quæ in scripturis canonicis commendantur. Quædam quæ non sunt quidem scripta sed tamen tradita custodiuntur. Sed illa quæ toto orbe terrarum seruantur vel ab ipsis Apostolis vel auctoritate principalium conciliorum instituta intelliguntur.

Epist. 118. & de Bapt. cōtra Donat. l. 4. c. 24. hoc ipsū docet. Doctor Ecclesiarum Augustinus. Multa non inueniuntur in litteris Apostolorum, neq; in Concilijs posterorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nos ab ipsis tradita, & commendata credimus.

Nos igitur fratres charissimi Crucem domini nostri *Iesu Christi* ab ipso Dei filio nobis traditam humiliter adoremus, clauos & vulnera Regis nostri deuotissime veneremur: totam cordis nostri dulcedinem, & amorem in ipsius lateris nostræ redemptionis vulnus fideliter infigamus,

C vt per hæc humanæ salutis stigmata bonis cœlestibus perfrui mereamur. Et quia nos Dei filius ad vnitatem fidei conuocauit in vnitate Ecclesiæ firmiter coniungamur, vt secundum Apostolum in consuetudinibus Ecclesiæ à sanctis Patribus institutis, ac psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: neque circumueniamur per Epistolam tanquam per aliquem Catholicorum Doctorem missam: vel per rationem nostrę fragilitati expositam. Quia potens est angelus Satanæ transfigurare se in Angelum lucis. Hæreticorum astuta calliditas, Christianę sępe simplicitatis falso speciem induit, vt decipiat. Frequens mutatio Ecclesiasticarum consuetudinum discordiam nutrit: simplices ad blasphemiam incitat: prælatos de negligentia, vel inconstantia notabiles reddit, & hæreticis præstat materiam detrahendi. Mens inconstans & leuis nouitatibus semper gaudet: vt sic legum lator à cæteris attollatur. Detrahit sæpe Patribus vt deliramenta suarum opinionum sanctorum auctoritatibus præponantur. Quapropter nos certa

D teneamus & dubia relinquamus, sanctorum Patrum instituta & exempla sequamur: vt cum eis, qui sic crediderunt, taliter vixerunt, & ita docuerunt, sic credere, taliter viuere, & ita docere ipsi mereamur, & cum eis ad stabilitatem felicitatis perpetuæ peruenire. Amen.

1. Cor. 1. 10. 2. Thes. 2. 2. 2. ad. Cor. 11. 14.

Cap. XII.

Ad quam mundi partem Christus *in Cruce conuersus erat.*

COgit nos fraterna dilectio suis quæstionibus pro viribus satisfacere, & ab incepto opere longius deuiare. Si quidem perquirentibus qua parte dextram vel sinistram in Cruce tenuerit, aut quomodo consignatio Crucis habeat fieri, illud egregie versificatoris Sedulij quod metrice de passione Domini legitur, duxi proponere. Ait certe Sedulius:

l. 5. carminum.

Splendidus auctoris fulget de vertice Eous,
Occiduo sacra labuntur sidera plantæ.
Arcton dextra tenet: medium læua, erigit axem.
Cunctaq; de membris viuit natura creantis
Et cruce complexum Christus *regit vndiq; mundum.*

E Vt hæc testantur carmina, quando *Christus* passione sua consignauit mundum, caput tenuit Oriens, pedes Occidens, sinistram Meridies, & Septentrio dextram. Colligitur ex his dignitas Occiduę regionis, quia *Christus* faciem versus Occidentalem plagam tenuit, contra quam caput etiam inclinauit, quando spiritum emisit. Hic summus sacerdos, & vere Pontifex oblatione sui corporis & spiritus, & responsione cruoris sacti consecrauit mundum, & præ cæteris partibus occiduam regionem, qui ligandi & soluēdi Romano Antistiti in occiduo hemisphærio consistenti præ cunctis mundi Prælatis contulit excellentiam in plenitudine potestatis. Hâc inexplicabilem dignitatem diabolus, vt videtur, præuiderat, cum sedem suam in lateribus Aquilonis ponere cupiebat, vt altissimo similis fieret, exercendo diræ tyrannidis in hominibus principatum, Matt. 16. 19. Isai. 14. 13.

F qui primatum gerebat inter omnes ordines Angelorum. Sed miser turgidus superbia cecidit, quia se contra Deum erexit dominium superbiens vsurpare, quod creator suo dominatui reseruaret. Audiant & tabescant, qui superbie nituntur hominibus dominari. Deus superbientibus Angelis non pepercit, sed eorum multitudinem atrocioribus flammis suo iudicio reseruauit perpetuo cruciandam. Et quomodo parcet in contumacia superbiæ persistenti, qui est vermis, & cinis? fraudatus est à suo desiderio inimicus, licet arte malitiæ suæ seduxerit hominem, & orbem ubi fraude nequitię subiugauerit vniuersum. In monte testamenti in lateribus Aquilonis à concepta malitia desistens minime post ruinam. Quia in sancta vrbe Romana, quę sita est in lateribus Aquilonis, ante aduentum *Christi* sacrilegis cultibus & nequitiæ legib. super orbem vniuersum exercuit principatum. Dominus autem noster *Iesus Christus*, qui præliaturus contra malignum principem, Crucem ascenderat, & sanctam sibi in lateribus Aquilonis, & in occi-

G duo climate prælegerat vrbem, contra Occidentem capite inclinato spiritum tradidit, vt seruum de potestate dęmonum erueret fugitiuum qui suggestione diabili à iustitiæ recesserat sole: & plus gelidus mente quam corpore, captus tenebris ignorantiæ in Aquilone, vt occasu cultutæ dæmonum se à facie sui absconderat creatoris. Insecutus est Dominus inimicum immissione sui spiritus, & eo à throno sanctę vrbis expulso atque deiecto vniuersa arma, in quibus confidebat, abstulit: & sacerdotij sui atq; imperij in ea solium confirmauit.

Apertum est præterea versus illud clima sanctissimū latus eius, de quo exiuit sanguis & aqua. Emisit Dominus Spiritum, vt seruum mortuum à peccatorum occiduo suscitaret: produxit sanguinem, vt congelatum torpore Aquilonis calefaceret; dedit aquam vt ablueret, sordidum, qui computruerat in stercore vitiorum. Dextram contra Aquilonem tenuit, quia virtute sua infidelitatis, odij, auaritiæ, accidiæ, inuidiæ, luxuriæ & superbiæ Principem debellauit. In lateribus Aquilonis, in occidua regione, situ Ioan. 1. 17.

H tamen calenti sita est *Roma*, mater cunctarum vrbium & Regina, vt in se flagret per caritatis flammam, frigidos calefaciat sanctitatis exemplo, & bona forma rudes & ignorantes illuminet per diuinam scientiam. Hæc est insignis regina illa, quæ assistit à dextris filij Dei, non solum dignitate, verum etiam situ pendentis in Cruce *in vestitu deaurato circūdata varietate*, dum splendore excellentissimæ potestatis diuersitate cunctarum gentium, ad salutem æternā pertinentium, varietate linguarum Romanus antistes, sūmus princeps & pontifex fideliter & deuotissime prædicatur: Romanum dico pontificem, Immo corde credo, & ore profiteor totius orbis animarum & corporum illum esse post Deū principem & pastorem quorundam sapiētum fideli assertione. Hæc est ad literam illa *ciuitas Regis magni, ciuitas Dei nostri*: in qua magnitudinem suam specialiter dominus ostendit incomprehensibilem & laudabilem nimis: & in qua excellenter supereminet cunctis fidelibus Christiani cultus prælatio dignitatis. Hæc mons testamenti, siue mons sāctus recte dicitur, quia in morte sua statuit dominus Romano pontifici sūmæ excellenrię, dignitatis, pacis, & Psa. 44. 10. Psal. 47. 3. Isai. 14. 13.

A eis,& gloriæ testamentū,& principem fecit illū, vt sit illi su per cunctos Ecclesiç rectores sacerdotij dignitas in ętern ū

Ad hanc vrbē sacratissimam consecrandam,& de idolorum spurcitijs emundandam de diuersis mundi partib. dominus post respersionem sui sanguinis sacratissimā, qua vniuersus orbis est consecratus, innumerabiles conuocauit sanctissimos sacerdotes, vt quælibet patria haberet Romæ quo illi cultum deuotionis ēt quasi naturaliter exhiberet. Dedit itaq; Iudæa Apostolorum principem Petrum Dedit Cilicia Doctorem gentiū Paulum. Dedit Hispania sanctissimum Leuitam Laurentium, quorum sanguine sanctificauit & corporib. vrbem desiderabilē decorauit. De omnib⁹ ēt alijs regionibus innumerabiles mundus dedit Martyres & protulit confessores, quorū effusione sanguinis, doctrina sacra, quiete corporum alma ciuitas consecratʳ. In tantū illam sanctificauit Dominus, vt quicumq; ad eam catholice de malis perpetratis venerit emundandus ipsius pontificis ministerio, qui est specialissimus vicarius Dei, & loco ac dignitate successor Apostolorū principis Petri, remissionem percipiat peccatorum,& ēt sanctitatis gratiam conse-

B quatur. Temporib. primis; vt superius prælibaui: Princeps malignorum spirituum ad suæ vesaniæ cultum nefandissimum ampliandum, quæq; meliora de cunctis gentib. gemmarum, auri, argenti, marmorū, & cunctorum insignium spolia congregauit. Fortior aūt illo superueniens Dei filius sanctis Apostolis & Martyrib. suis distribuit vniuersa. Etenī quæcumq; erant ad cultū idolorum, omnia cedunt in honorem & obsequium sanctarum Ecclesiarum. Thesaurizabat Diabolus,& ignorabat cui congregabat ea. Nimirum ipse congregauit affectu, qui multis laboribus & expensis coegit suos satellites congregare. Dominus congregauit effectu, quia ipse elicit de malis bona: cuius voluntati seruiunt reprobi etiam repugnantes. Diuino nutui seruiebat ignarus diabolus sibi æstimans perpetuo retinere quæ *Iesu Christi* famulatui parabantur. Deceptus est suis machinamentis deceptor: quia de illius & suorum laboribus Dei filius sibi thronum gloriæ decorauit.

C Inde est q̄ prærogatiua specialis priuilegij gaudet occiduum clima eo quod in se cunctarum vrbiū & dignitatum continet matrem per q̄ exuberat abundantius bonis cęlestium mandatorum. Dono ēt specialis dilectionis domin⁹ occidentalem extulit regionem, cum illius partib. vltimis beatissimi Apostoli Iacobi Apostolorum protomartyris cō tulit membra, vt quæ vocatione sanctæ prædicationis & situ erat vltima, capitis gratia & Apostolorum Petri, Pauli, &

Ioan. 20. 3. Iacobi, corporali præsentia dignitate, ac religione fieret prima. Hoc videtʳ innui in illa trepidatione Ioannis Apostoli, quando audita resurrectione Dn̄i currebant duo simul: & ille discipulus, scil. Ioannes pręcurrit citius Petro,& venit prior ad monumentum, non tamen introiuit, subsecutus est Petrus & statim introiuit. Post Petrum autem Ioannes, qui prior venerat introiuit,& vidit & credidit. Prim⁹ venit, vltimus introiuit, vltimus vidit & vltimus credidit. Quia licet orientalis Ecclesia vel Gręcorum ad fidē Christi venerit, prima, tamen statim exorbitauit secuta pseudoapostolos seductione hæreticæ prauitatis. Vbi vero Ecclesia

D Romana vocatione Apostolica venit ad Christum, fidem catholicam inter persecutiones Gentiliū sæuissimas tenuit inconcussam,& meruit obtinere acerbissima pugna, quam sibi Dominus gratia contulerat dignitatem. Docuit Petrus Romam, Ioannes vero cursum in Græcia consummauit. Certa fide Roma corpus tenet Petri & deuotissime veneratur, Græcia vero dubitat de Ioanne, tenuit ad præsens Græcia Deo & Romano Pontifici vicario eius debitā obedientiam exhibere, atque diuersis erroribus miserabiliter implicatur, Tandem largiente Domino in spiritu humilitatis ad vnitatem Ecclesiæ catholicæ reuersura.

Cap. XIII.

De descensu Christi *ad inferos.*

Qvibusdam quærentibus certificari auctoritatibus diuinis, Vtrum in emissione sui spiritus ad infernum descenderit, vel statim sanctorum animas de potestate tenebrarum liberauerit Dei filius, prout vires scientiolæ nostræ suppetunt, respondemus.

E Legitur in passione Domini quod petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt,& multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Hoc statim postq̄ emisit Christus Matt. 27. 53 spiritum fuit factum, vt resurrectio Sanctorum ostenderet mortuorum sanctorum animas de infernorum carcere liberati. Etenim iniustum esset,& valde à ratione dissonum, vt vniuersitatis pretio à Dei filio in ipsius morte dato, vlterius sancti: qui decesserant: detinerentur captiui. Adhibeamus aliqua scripturarum testimonia ne increduli occasionem reperiant fidelibus insultandi. quod post mortem suam esset Christus ad inferos descensurus ad sanctorum animas liberandas, Sibylla suis carminibus prædixit dicēs:

Et morte morietur tribus diebus somno suscepto
Et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet primus.
Resurrectionis principio reuocatis ostensus.

Item eadem Sibylla:

Inquirens tetri portas refringet Auerni
Sanctorum cuncta veniet lux libera carni.

Hoc etiam Dominus per Oseæ Prophetam prænunciauit dicēs, ô mors *ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Momor- Osea. 13. 14.
F dit infernus Dominum cum suasione infernalium Principum Iudęi *Christum* morti tradiderunt, sed non eum infernus deuorauit: quia superata morte *Christus* victor ab infernis resurrexit. Morsus inferni fuit,& non cibus: quia nec p horam ab inferno potuit detineri,& sanctos quos detinebat emisit. Momordit infernum Dominus, quia Deitas descendens in anima ad infernum non omnes qui ab eo detinebantur eruit, sed tantū iustorum animas libertati donauit. Corpus assumptum de virgine in Cruce remansit. Deitas corpus & animam continens in anima solum spoliauit infernum. Vere mortuus fuit quo ad separationem spirit⁹ à carne, vt casus in eo mortis assumptæ humanitatis ostenderet veritatem,& morte mortis principem superaret. Vere à mortuis resurrexit, vt Deitatis suæ potentiā patefaceret & de nostrorum corporum resurrectione futura nobis faceret fidē, passionem & mortē in humanitate pertulit, qui

G in diuinitate pati vel mori nullatenus potuit. Quod factū est de virgine in cruce remansit. Quod de nihilo creatū est in infernum descendit, & creator in creatura tartara spoliauit. Creator tamen à factura & creatura ex quo vtramq; assumpsit, nunquam discessit, quia vtramq; de nihilo ipse creauit, atq; ad recreationem vtriusq; de sinu Patris descēdit. Post resurrectionem vero suam, creator factura & creatura in vnitate personæ se discipulis præsentauit: & in dextera sedens Patris verus Deus & verus homo cuncta visibilia & inuisibilia regit. Cuncta namq; creauit vt sine principio Deus, omnia regit perenniter, vt sine fine Dominus.

Potest probari sanctorum Patrum auctoritatibus infinitis Dominum *Iesum* ad liberandas sanctorum animas ad inferos descendisse. Quia vero auctoritatibus tantum A- Rom. 10. 4. postolicis hoc petunt aliqui roborari solicite audiamus quod dicit Apostolus Paulus. Ait enim: *Ne dixeris in corde* Act. 2. 24 *tuo: quis descendit in abyssum?* Hoc est: *Christum à mortuis reuocare.* Et Petrus in Actibus Apostolorum de illo dicit: *Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni, iuxta* Act. 5. 30. *quod impossibile erat teneri illum ab eo.*

Item idem Dauidis proferens testimonium dicit: *Prophe-* Psal. 15. 10. *ta igitur cum esset & sciret, quia iureiurādo iurasset illi Deus de fru-*
H *ctu lumbi eius sedere super sedē eius, præuidens locutus est de resurrectione Christi: quoniam nec derelictus est in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem.* Item Paulus de triumpho Christi,& spo- Col. 2. 14. liatione inferni dicit: *Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, & spolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

Hæ auctoritates de plurib. vero & honesto debent sufficere Christiano. Ad intelligendum autem quod Dominus Passione sua principatus & potestates spoliauerit, sciendū est, quod de omnibus sanctorum angelorum ordinib. aliqui ceciderunt, tot coniuncti numero, quot ante casum in vno de nouē ordinibus consistebant. Et vnusquisq; sicut cæteris erat prælatus spiritibus beatorum: ita nunc quoq; inter Dæmones obtinet principatum. Dominus aūt principatus & potestates spoliauit, quia mortis Rege cum suis principatibus & potestatibus debellato, qui etiam de illis duo-

A dnobus magnis ordinibus extiterant, primo spolia, quæ in infernali detinebantur carcere, scilicet sanctorum animas secum detulit: & triumphum gloriæ, sola magnitudinis suæ potentia deportauit. Non eguit auxilio alieno, qui solo nutu gubernat omnia, vel etiam quædam destruit, Luc. 11. 21. quæ creauit. Fortis armatus diabolus voracitate raptus, & ignorantia cæcus in Deum fortem impegit, & ambo pariter corruerunt. Corruit *Christus*, in eo quo homo, morte corruit Diabolus, ea qua furebat, perdita potestate. Sed religato mortis principe surrexit *Christus* ferens diadema victoriæ.

Cap. XIV.

Reuerentia exhibenda rebus sacris.

HVnc Regem omnes deuotissime adoremus, hunc Deum humiliter veneremur: huius imperatoris trophæum totis nisibus attollamus cuius bonitate creati sumus, cuius sapientia gubernamur, & cuius humilitate gaudio fruimur libertatis. Qui humilitate superbię principem vicit, humilitate nos contra potestates aerias semper pugnare docuit: quod ipse et fecit tempore carnis suæ, quan- B Ioan. 19. 30. do non recto capite, sed inclinato emisit spiritum. Inclinemus & nos illi capita nostra non solum mentis, sed et corporis, laudes & gratias persoluentes, qui pro nobis peccatorib. se misericorditer inclinauit. Sed sunt nonnulli qui superbiæ spiritu tumefacti (de quibus valde dolendū est) qui etiam cum Gloria, vel Laus Deo canitur in Ecclesia cōtemnunt, aut erubescunt Regi Regum *Iesu Christo* capita inclinare. Corā transeunte cruce, vel *Christi* Euangelio nō assurgunt: in celebratione missæ, sacerdote se ad eos vertēte & Dominum annunciante inclinari contemnunt: ad benedictionem Pontificis caput nudare negligunt: & quod omnino nefarium est, & hæresi proximū, cum eleuat corpus *Christi* à sacerdote in sacratissimo ministerio Missæ, vel alias defertur, erubescunt, vel refugiunt suppliciter adorare. Hoc maxime nonnulli faciunt curiales, qui consueuerunt terrenis principibus flexis genibus, & nudo capite humiliter ministrare. O stulta dementia, & insana proteruia, C quæ se oculis filiorum huius mundi obijcit insolenter curialitatis prætextu, coram æterno Rege Regum Domino, & corā sacerdote Vicario eius humiliari refugiunt, vel erubescunt, q̄ morituris princip. & eorum tyronibus tā reuerenter satagunt ministrare, Deo nolūt, vel erubescunt humilitate debita subijci, à quo vita eis præsens & futura pręstatur, & illis tota humilitatis affectione et in illicitis seruire student, à quibus pluries vita vtraq; aufertur, mortis auctoribus officiosissime placere affectant, & omnino renuunt displicere, & vitę largitori contraire superbe vllatenus non verentur, & obsecundare humiliter erubescunt.

Sed contingit plerumq;, vt qui toto affectu terrenis assistunt Principibus, ab eis supplicijs & morte immeriti cō- Ioan. 12. 26. Matt. 10. 32 9. 26. demnentur. Qui autem Domino ministrauerit, vt ipsa testatur veritas honorificabit eum pater eius, qui est in cœlis, & qui eum confessus fuerit coram hominibus, confitebitur & ipse eum coram patre suo, qui est in cœlis, coram Angelis eius. Qui autem eum erubuerit & sermones eius, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate D sua, & Patris & sanctorum Angelorum. Quam inæstimabilis Regis nostri humilitas, qui nobis suis seruis indignis parilitate impari domini, & serui, creatoris, & creaturæ, sempiterni, & momentanei, immutabilis, & corruptibilis, humillima gratia cōpati & condescēdere solā bonitate dignatur, vt pro laude præsenti conferat æternā laudē: pro confessione coram hominib. facta in terris, confessionem coram patre in cælis vice reciproca misericorditer elargitur.

Hunc ergo tantæ promissionis accepta fiducia totis nisib. collaudem⁹: illi simplicitate recta humiliemur: illi mētis & corporis capita non verecundemur nudare & inclinare, q̄ Deus fortis pro nobis infirmis se inclinauit, vt homo infirmus fieret, vt humana firmitas soliditate perpetua fir- Ioan. 19. 30. maretur. Non erubuit nudari, flagellari, conspui, crucifigi, vt nos immortalitatis stola vestiret, qui et inclinato capite spiritū emisit, vt nobis humilitatis exemplum vsq; in finē tenendum præberet. Humiliauit se cælestis medicus, vt in se assumeret ægrum per quod curaret vulneratum, qui de- Luc. 10. 30. scendens ab Hierusalem in Hierico inciderat in latrones.

Hunc medicum ad nos misericorditer venientē repræ- E sentat sacerdos, cum in Missa conuersus ad populū dicit: Dominus vobiscum. Repręsentemus & nos inclinato capite ipsius cęlestis medici discipulos: de quibus legitur in Euangelio. Quia videntes eum adorauerunt, vt eius esse disci- Matt. 28. 17. puli mereamur, & curam ab eo percipere salutarem. Corp⁹ Domini sub panis & vini specie, atq; signum crucis illius prostrato corpore, vel flexis genib. fideliter adoremus, sancto Euangelio reuerenter & humiliter assurgamus. Prælatorum benedictionem, quæ sancti Spiritus aduentum designat, cū timore & fide suscipiamus: & in ecclesiasticis officijs nos Deo deuotos exhibeamus. Non erubescamus in Dei testimonijs nudare capita sicut hortatur Apostolus dicens: *Noli erubescere testimonium Domini nostri*. Item idem: *Om-* 2. Tim. 1. 8. *nis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* 1. Cor. 11. *Omnis aūt mulier orans aut prophetans nōn velato capite, deturpat* 4. & 7. *caput suum.* Et post pauca idem Apostolus dicit: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniā imago est, & gloria Dei.* Orare vel prophetare hac sententia vir intelligitur cum cæteris tacentibus & audientibus in Ecclesia secundum insti- F tuta sanctorum Patrum, orat, legit, vel psallit, aut agit alia ministeria quædam prout Ecclesiasticus docet vsus, quæ ad deuotionem incitandam orationis & lectionis geruntur, & diuini cultus officia decoranda.

Cum Euangeliū legitur in Ecclesia fideles viri ad significandum, quia quod erat occultum in veteri Testamento manifeste in luce Euangelica declaratur, nudant capita secundum Apostolum qui dicit: Cum transieritis ad Christū 2. Cor. 3. 16 auferte velamen. Non solum interiorem deuotionem, ve- Matt. 5. 16. rum et exteriorem reuerentiam & honestatem in nobis requirit Dn̄s: *Vt luceat lux nostra corā hominibus* ad laudem Dei, 1. Tim. 3. 7. & habeamus testimonium bonum ab his qui de foris sunt ad imitationem boni. Sed sunt nonnulli de quibus dolendum est, qui se in diuinis officijs ita exhibent superbi & negligentes, vt per vicos & plateas insectatione alicuius lucri, vel vanitatis studio huc illucq; discurrant, cum ad Ecclesiam prætextu orandi, aut psallendi veniunt sine aliqua diuinorum reuerentia quasi fatigati illico sedent, & tunc G de secularibus curis à diabolo acrius agitantur, aut incipiunt dormitare: vel certe, quod deteri⁹ est, alios ad vana vel scurrilia, & ineptas fabulas inuitare. Cum alij prosternunt Matt. 23. 13. ad preces, illi posse imped:unt, aut illecti desidia sedēt, vel dormiunt, sibi regnum cœlorum claudunt, & alios introire non sinunt, & quia totum mentis desiderium terrenis infigunt, omnino spiritualia negligunt. Ad flagitia proni sunt: & si quid boni operis aliquando videntur arripere cito exorbitant, & arescunt, quia in sancta deuotione radicati non sunt. Pro temporali tantum denario ad ecclesiam veniunt: & cum Pharaone superbe dicere videntur. *Domi-* *num nō noui.* Quem si nossent, & post mortem corporis aliā Exod. 5. 2. etiam vitam crederent, vtiq; diuinis obsequijs Deo reuerentiam & ministris eius humiliter exhiberent. Et quia mundana diligunt, temporalia tantum sectantur, & in cęlestibus delicati sunt. De his recte beatus Gregorius dicit: Omnes huius seculi dilectores in terrenis rebus sunt fortes, in cælestibus debiles. Nolunt benedictionem, & induunt maledictionem, quia in luxibus carnis, & corpore H ac desidia permanentes, improuiso exitu quando non putant, ad tartara de hoc seculo rapiuntur, maledictionem assequuntur, sicut per Hieremiam dicitur: Maledictus Cap. 48. 10. homo qui opus Dei fecerit negligenter.

Igiť deposito superbiæ typho excutiamus à nobis desidiam, & torporem, & alacri deuotione, humili ministerio ad honorem *Iesu Christi* filij Dei viui in Ecclesiasticis officijs humillime ac Catholice persistamus, vt per ipsius humilitatem cum eo, qui se pro nobis misericorditer inclinauit, in cælis semper regnare mereamur, Amen.

Cap. XV.

De signo Crucis.

QVæritur de consignatione, vtrum cū sibi vel alijs fideles imprimunt signum Crucis, man⁹ debeat transire de sinistra ad dexteram, aut de dextera ad sinistram.

Ad

A Ad quod dicimus, sicut fideliter credimus, & tenemus, quia vtrumq; bonum est, vtrumq; sanctum, vtrumq; vires exuperat inimici, dummodo in simplicitate catholica hoc getat religio Christiana. Quia vero plures insolēter nitunt' horū alterū abolere, asserentes quod non debeat manus transire de sinistra ad dexteram prout traditum tenemus à patribus, paulisper de hac re caritatis gratia conferamus.

Ad Heb. 1. 13 Enimuero cum Dominus Iesus ad restaurationem humani generis mundum misericorditer cōsignauit, à patre processit, venit in mundum, infernū quasi sinistram adijt, & ascendens in cœlum sedet à dextris Dei. Hoc repræsentare videt quisq; fidelis, cum faciem suam signo muniens crucis, tres digitos tensos contra frontem superius eleuans dicit: *In nomine Patris.* Et inferius deponens versus barbam dicit: *Et Filii.* Et in sinistram ducens, dicit: *Et Spiritus S.* Atq; inde producens in dexteram dicit: Amen. quod est, fiat vel sine defectu. Per quod intelligit æternæ beatitudinis vita, gratia finis cuius sunt omnia nostra opera peragenda, & quia per dexterā Dei intelligitur beata vita (vt ait venerabilis Be- Can. 2. 6. B da) & hæc mortalis per læuam, vt est illud: *læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* debemus finem nostrorum operū transmittere de sinistra ad dexteram, & in cœlo reponere sudores nostros, & quæ sursum sunt quærere, vbi Christus est in dextera Dei sedens: In illa beata dextera tota nostra intentio dirigat, & opera finiantur, vbi quod non Col. 3. 1. succedit sinistrum. Vnde videtur de ratione consignationem Crucis esse in parte dextera finiendā, maxime cum Dominus hoc fine Crucem subierit, vt sinistram, id est, tartara spoliaret, & suos ad dexteram patris, hoc est, ad beatam vitam perduceret. Itaq; consignatione Crucis ducamus manum de sinistra ad dexteram: quia cū essemus filij sinistræ per crucem effecti sumus filij dexteræ, & cum essemus serui diaboli effecti filij Dei. Per Crucem transiuimus de sinistra ad dexteram, de tenebris ad lucem, de ira ad gratiam, de miseria ad felicitatis gaudia, & de morte ad vitam, vbi sinistris cessantibus omnia succedunt dextera & beata.

Semper in sacra scriptura, vt Patres orthodoxi testantur C aduersa huius mundi, vita præsens, vel æterna damnatio intelligitur per sinistram, sicut per dexteram præsens prosperitas figuratur, vel requies beatorū. Præsens aduersitas, Isaia. 30. 21. vel prosperitas, vt est illud: *Non declinabitis ad dexteram neque ad sinistram,* hoc est, in prosperis, vel aduersis à rectitudine iustitiæ non est aliquatenus deuiandū. Qui n. aliquid agit de genere bonorum, vt terminet in malum, declinat ad dexteram. Quod quidē illi faciunt, qui causa bonorum temporalium alios intendunt decipere. Et qui mala scienter agit deuiat ad sinistrā. Præsens vita intelligitur per sinistrā vt paulo ante dictum est. Beata vita, vel æterna damnatio Matt. 25. 33. sicut Dominus dicit: Quia statuet oues ad dexteram suam, atq; hędos ad sinistram. Cum igitur mala semper designentur per sinistram, & bona per dexteram, non debem' actiones nostras opere sinistro finire. Sit nostrum principium & finis Christus, qui est dextera Dei quæ fecit virtutem: qui dicit in Apocalypsi: Ego sum, α, & ω, principium & finis. Ipsum Cap. 1. 8. principium ponimus, oīa opera nostra signo crucis dedicantes incipimus, & in consignatione dicimus: *In nomine* D *Patris.* Est n. ipse nomen Patris de quo scriptum est: *Ecce nomen Domini de longinquo.* Idem de patris æqualitate, quia *à* Isaia. 30. 27 Psal. 18. 7. *summo cælo egressio eius.* Ipsum finē ponimus, cum nostrorū operum finem ad ipsum dirigimus, & in fine consignationis dicimus Amen. Quia de ipso ēt in Apocolypsi dicitur. Cap. 3. 15. Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus, & cætera. Igitur cum eleuata manu ducimus: *In nomine Patris* filium secundum diuinitatem æqualē Patri, & ab eo genitum procedere designamus. Cum inferius dicimus, *& filii* personam tantum geniti assumpsisse naturam hominis, & eum secundum humanitatem minorem patre fatemur. Ad sinistram autem *& Spiritus S.* dicimus, quia per sacrum flamen ab instantib. periculis liberamur, & in nouissimo die à morte corporis resurgemus, vt Apostolus dicit, *Spiritus eius,* inquit, *qui suscitauit à mortuis Iesum viuificabit mortalia corpora vestra.* Rom. 8. 11.

De sinistra manum ducentes ad dexteram dicimus, *Amē.* Quia ipse filius rediens ab inferis, sedet in Patris dextera, & illuc vocat suos, vt sine defectu gloriæ illos secum faciat consedere. Quod aūt sit illud nōmen *Patris, & Filii, & Spiritus S.* quo nos & alios consignamus, vel actiones nostras E debemus incipere & finire, Apostolos nobis insinuat dicens: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Col. 3. 17.

Cap. XVI.

De nomine Iesv.

Iesvs est hoc nomen prædulce, nomen super omnia desiderabile, nomen (vt ait Apostolus) *quod est super omne no-* Philip. 2. 9. & 10. *men, vt in nomine* Iesv *omne genu flectatur.* Hoc est ineffabile nomen Dei; non quod fari minime possit, quantum ad prolationem vocis, sed quod in eo virtus & mysteriū manet incōprehensibile, & bonū ineffabile suis deuotis tribuit por- Act. 6. 15. titorib. Tres sunt vocales in hoc nomine, scil. i, e, & u, quia 1. Ioan. 5. 7. tres personæ, *Pater, & Filius, & Spiritus S.* sunt in maiestate vnius substantiæ Deitatis, sicut Ioan. testat dicens: *Tres sunt qui testimoniū dant in cælo, Pater, Verbū, & Spiritus S. Et hi tres vnum sunt.* Tali nomine merito pręfulget filius Dei: quia illa F eademq; natura, quæ in tribus personis est essentialiter tota & plena, simul in filij persona consistit. His trib. vocalib. duæ adduntur litteræ, vna media, & altera vltima, scil. S. geminata. Quia filij Dei persona, quæ in se totius Trinitatis naturā continet, de Virgine anima mediante humanū corpus assumpsit. Potest ēt intelligi, quod prima syllaba, scil. Ie, quæ constat ex duabus vocalib. sine consonante, patrem designat, & Spiritum S. qui humanam naturam nō sibi, sed filio assūpserunt: licet n. opera Trinitatis inseparabilia sint, solus tamen filius humanā assumpsit naturam. Vltima vero vocalis, scil. u, quæ inter duas consonantes consistit, personam designat filij, quæ animam & corpus assumpsit humanum, vt totum hominem, qui ex anima & corpore constat de potestate erueret tenebrarum. Non enim persona diuina Col. 1. 13. personam assumpsit hominis, sed assumpsit humanam naturam. Retinuit ius personalitatis natura diuina, non tamen fuit personalitas in assumpta natura. Est igitur Deus & homo non duæ personæ sed vna. Qui Deus erat de Deo Patre cooperatione Spiritus S. corpus humanum accepit de virgine Matre: atq; in ipsa corporis assumptione animā sibi creauit de nihilo, quæ creando assum- G psit, & assumendo creauit. Non sicut aliorum hominū corpora, quæ prius organice formantur in vtero matris, & postea corpori in sui creatione anima infunditur, vt formatio corporis creationē & infusionē pcedat animæ: sed vno eodemq; momento corpus & animam accepit Dei filius, vt Deus & homo fieret, qui tantum ante secula erat Deus. Et qui verus erat sine tempore, Deus, verus homo in tempore factus est, vt sit Deus & homo in vnitate personæ, nō in vnitate naturæ. Natura quidē diuinitatis impassibilis & simplicissima: natura humanitatis passibilis & cōposita ex corpore existens & anima. Recte hoc gloriosū nomē Iesus dicit ineffabile: continet n. illas, easdemq; significationes & literas latine scriptas, quæ sunt in illo Hebręo Dei nomine tetragrammaton, scil. e, i, u, vel ioth, he, vau, he, vel poti' ex tribus, quia vna geminatur scilicet, he, quoniam Spiritus sancti persona geminum habet in Deitate respectum: Patet namque à nullo est. Filius à Patre genitus est, Spiritus sanctus à Patre & Filio pariter procedit.

H Hæc est huius nominis natura, vt si diuidat in tres dictiones quælibet illarum significat idē quod totum, vt si dicatur *Ie, eu, ue,* quælibet est nomē Dei, sicut totum, scil. Ieue. Quia in qualibet harum trium personarum totius Trinitatis natura seruatur. Hæc totalis distinctio in hoc nomine Iesvs Act. 2. 38 & 8. 16. reperitur, vnde ineffabile Deitatis nomen esse pbat. Inde est quod Apostoli in nomine Domini Iesv baptizasse & miracula patrasse leguntur. Prima etenim syllaba per se posita dicit Ie. Ieiuncta e, ab, I & sublata S. de medio, & adiuncta u, dicit Eu. Item u, versa contra e, dicit ue, vt illa oīa Dei nomina, quæ in nomine tetragrammato continētur, in hoc nomine Iesus reperiant scil. ie, eu, ue, quæ sunt nomina Trinitatis. Vt aūt hoc nomen tetragrāmaton absq; periculo pferretur à nobis, immo vt nobis frequēs ipsius prolatio fieret medicina salutis diuina, Sapientia addidit huic nomini S. geminatum, vt nomen fieret Iesus in salutem credentiū. Quod Saluator siue saluatio interpretatur. Nō poterat humana fragilitas loquentem diuinitatē audire, vel Deitatis

A manifestam ferre præsentiam, nisi Deitas animã & corpus assumeret hominis, in quo homo hominib. & fragilis fragilibus appareret, teste Istaelitico populo, q dicit ad Moysen. Nõ loquaẽ nobis Dominus Deus, ne forte moriamur. Exod. 20.19 & 33. 20. Et Dominus dicit Moysi: quia *non videbit me homo, & viuere potest.* Nunc aũt secutus accedit homo ad Deũ, quem carne sua vi let vestitum. Nomini sancto suo Dominus geminũ S addidit, vt non solum sine periculo à fidelib. proferret, verum ẽt frequenti ipsius prolatione nomen gloriæ Iesvs illis existeret salus. Quasi geminũ S. diuinitati addidit animam & corpus, vt qui erat Deus terribilis & fortis fieret homo suauis & mitis, vt fragilis cõformaretur fragilib. & infirmus cõpareretur infirmis, & haberet nostra debilitas vnde posset ad Deum accedere cũ fiducia, & in suis miserijs consolari. Mat. 26. 41. Fragilis fuit homo Deus nõ mente, sed corpore, sicut ipse de se testatur dicens: spiritus quidẽ promptus est, caro aũt infirma. Accedat igitur homo iam securus ad Deum quia suauis & mitis est, & ad se homines humiliter vocat dicens: Matt. 11. 29 *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Infirma hominis dignatus est sumere vt homines infirmos curaret, B atque vt illis ad se veniendi fida daretur facultas, per omnia voluit hominibus similari, & habere fratres, quos primo habebat seruos abiectos, inutiles, delicta auferret, & in tentatione ferret infirmis auxilium pietatis, sicut Apostolus Heb. 2. 17. dicit: Vnde, inquit, debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim q passus est ipse tentatus potest eis qui tentantur auxiliari.

Tantæ humilitatis Domino se vocante quilibet peccator in corde contrito, & confessionis voce ad suam salutẽ cceleret; quia ipso teste Deo non venit vocare iustos, sed Matth. 9. 13. Marc. 2. 17. peccatores ad pœnitentiam. Miserebitur enim nostri Deus 1. Cor. 1. 5. noster, quia os nostrum, & caro nostra est. Sublatus est e- Ephes. 2. 14. nim ille antiquitatis terror, quia veniens mediator Dei & hominum inimicitias dissoluit inter Deum & hominem, & reconciliauit nos Deo Patri Christus Iesvs. Quantus putas inerat terror Israeliticæ plebi cùm Dominus super mõ- C tem Sinai cum tonitruorum fragore, & strepitu buccinæ vehementi in igne descenderet, & cõtestando diceret Mo- Exod. 19. 12 & 24. ysi, vt tam sacerdotibus, quam plebi præciperet dicẽs: Cauete ne ascendatis in mõtem, nec tangatis fines illius: Omnis qui tetigerit montẽ morte morietur. Item Dominus: Sacerdotes, inquit, & populus nõ transeant terminos, nec accedant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Et in Isaia Isaia 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* Quis habita- Deut. 4. 24. bit ex vobis cũ ardoribus sempiternis? Et illud Moysi: De- Heb. 12. 29. us, inquit, tuus Israel, ignis consumens est.

Hæc verba diuina terribilia videbantur, & non poterat humana mortalitas tolerare, nec splendorẽ diuinitatis sufferre, aut nomen diuinitatis sine periculo nominare. Vt autẽ homo nõ ad periculũ, sed ad salutẽ frueretur Deo, & eius gloriæ nomẽ proferret, datũ est per Spiritum sanctum hoc nomẽ Iesvs in nouissimis temporib. & venit Deus nõ in mõte sed in puella virgine: nõ in igne sed in carne: nõ in tonitruorũ fragore vel buccina perstrepente, sed in voce Matt. 11. 28 29. 30. humillima peccatores vocans ad se & dicẽs: *Venite ad me* D *omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugũ meũ suaue est, & onus meum leue.* Mat. 20. 28 *Non veni ministrari, sed ministrare.* Non venit filius hominis Luc. 9. 56. animas perdere, sed saluare. Venit filius hominis quæ- Matt. 9. 13. rere & saluum facere quod perierat. Venit vocare peccatores ad pœnitentiam. O Deus dulcis & amabilis, suauis, blãdus, & mitis. O verba suauia super mel & fauũ vndiq; misericordia super affluentia, plena dulcedine, & referta pinguedine caritatis. O bone Iesu iam læti & securi pulsa formidine te amplectimur verum Deum. Tuam adoramus suppliciter maiestatem. In te nostræ carnis & sanguinis am- Ioan. 6. 68. plectimur veritatẽ. Respondeat sanctissimis & clemẽtissi- Matt. 26. 35 mis verbis tuis princeps Apostolorũ Petrus, & dicat pro o- Luc. 22. 33. mnibus nobis. Domine verba vitæ æternæ habes, & quo ibimus? Si oportuerit me mori tecum non te negabo, paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire.

Cant. 3. 4. 1. Tim. 6. 16. Curramus carissimi fratres, thesaurum deitatis veneremur in homine: teneamus, nec dimittamus vitam à nobis recedere. Quia qui inhabitabat lucem & ignem inaccessibilem, nunc cõmoratur in carne: & non solum accessibilẽ, E verum etiam palpabilem & cesibilem se præbet suis fidelib. Ipse n. dicit discipulis suis: Palpate & videte, quia spiritus Luc. 24. 39. carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Ego sũ, Ioann. 6. 57. nolite timere. Qui manducat me viuit per me. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meũ in me manet, & ego in eo, & habet vitam æternam. O res mirabilis, O ca- Exod. 19. 18. ritas ineffabilis. Ille idem Deus, fortis & terribilis, qui in monte Sinai igne & tonitruis fulgurabat, nunc in puellæ virginis matris gremio suauis & amabilis virgineo lacte nutritur, & humanis blandicijs confouetur. Concupiuit Deus Psal. 44. 12. speciem virginis. Dilexit gigas pulchritudinem mulieris, & captus est leo vinculis nostræ carnis. Factus est cibus suauissimus hominum, qui cunctorum in fortitudine sua regit ordinis Angelorum. Et nomẽ gloriæ Iesvs mira dulcedine temperauit, vt esset continuis vsibus hominum frequenti prolatione aptissimũ, vt secundum Apostoli præceptum, *siue mãducamus, siue bibimus, aut aliquid aliud facimus, in* 1. Cor. 10. 31. *nomine Domini nostri Iesu Christi faciamus.* Detegũtur hoc nomine insidiæ inimici: liquescunt artes diaboli, & franguntur vires hostis antiqui. Vbicumq; fideliter & deuote fit inuo- F catio huius nominis, virtus adest Spiritus sancti ad consolationem mœrentiũ oppressorũ leuamen, & eruditionem bonorum, vt per Spiritum S. hoc nomen probetur esse inuentum, ad cuius inuocationem se statim infundit, vt per collatam gratiam dicat, *Ecce adsum.* Si quis aũt contentiose Isaia 58. 9. dicit, aliud esse trinitatis nomen ab isto in salutem credentium, audiat contra se de hoc nomine Iesv dicentem A- Act. 4. 12. postolorum Principem Petrum: Non est, inquit, nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc est igitur nomen super omnia dulce, quo nos & alios sub inuocatione Trinitatis consignamus, in quo viuimus, mouemur & sumus.

Quod si in accusatiuo casu sumamus Iesvm diuisim te petiemus, Ie, quod est nomen Dei, & hoc verbum svm, q diuinam proprie notat essentiã. Et dicitur Iesvm quasi *Deus sum.* Sicut enim dicit ipse ad Moysen: *Ego sum qui sum.* hoc Exod. 3. 14. & 15. est, nomen meum. Hoc nomen salutare Iesvs, cum scribi- G tur in Hebræo, non totalem illius nominis tetragrammatõ significationem redolet, sicut cum scribitur in latino. In Gentili eloquio est maioris virtutis, quia gẽtibus præcipue datum est hoc salutare Dei, cum cæcitas ex parte contigit Rom. 11. 25. in Israelitica plebe, cui Saluator dicit: Auferetur à vobis re- Matt. 21. 43. gnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Per vocales huius nominis diuinitatis personæ, & per consonantes humana natura congrue designantur. Quia vocales per se sonum faciunt, sine quibus nulla potest vox humanã proferri. Consonantes vero nullum sine vocalib. possunt reddere sonũ. Diuinitas namq; sine humana natura per se potest omnia, & homo sine Deo per se boni facere nihil potest. Dicitur *persona*, quia per se sonat, id est, per se sine creaturæ adminiculo cuncta perficit & gubernat. Vel dicitur *persona*, vt *per*, intensiue sumatur, & sit sensus, valde sonat. In scripturis etenim sacris, siue in intellectu subtilius capientis, cui diuinitus intelligere datur, valde sonat, quod sũt tres personæ in vnitate indiuiduæ Deitatis; sed quo mo- H do sunt, neq; scriptura potest ostendere, neq; capere intellectus. Vnius maiestatis diuinæ personarum pluralitatem liber Genesis esse declarat, cum in subuersione detestabilium ciuitatum, scil. Sodomę & Gomorræ dicit: *Pluit Dominus* Gen. 19. 24 *à Domino sulfur & ignem. Dominus à Domino,* filius est à patre: qui non duo Domini, sed vnus est Dominus: & tamen propter personarum distinctionem duo dicuntur.

Cap. XVII.

De Trinitate.

Qvod tres sint vnius Deitatis personæ, psalmista manifestat dicens: *Sedes tua Deus in seculum seculi, virga* Psal. 44. 7. & 8. *æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cõsortib. tuis.* Manifeste hic notatur Trinitas personarum, cum dicitur Deus vnxisse Deũ vnctione spiritus, de qua dicit Apostolus, vnctio eius docet nos de omnibus. Hanc sancti Spiritus vnctionẽ B. Ambrosij verbis sancta Ecclesia sibi dari precatur cum

dicit.

A

In sequentia missæ die Pent. in Missali Rom. vet.

Isaia. 11. 2.

Ioann. 1. 16.

Cap. 48. 12. 13 & 16.

dicit. Infunde vnctionem tuam clemens nostris sensibus. *Deus vnxit Deum*, id est, pater filium *oleo lætitiæ*, id est, sancti Spiritus vnctione, cum repleuit eum septem muneribus gratiarum, videlicet Spiritu sapientiæ & intellectus, Spiritu consilij & fortitudinis: Spiritu scientiæ & pietatis, & Spiritu timoris Domini. Hæc sancti Spiritus septem dona fuerunt in homine Deo Iesu Christo redundantia de cuius plenitudine nos omnes accepimus. De personarum Trinitate dicit Isaias: Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus. Manus quoq; mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos. Et post pauca: *Dominus meus misit me, & Spiritus eius*. Verba hæc Filij Dei sunt per Prophetam loquentis, cum dicitur: Quod Dominus Deus misit me primum & nouissimum, liquide patet tres esse deitatis personas, & à patre cooperatione sancti Spiritus, Filiũ missum. Non est hæc missio intelligenda localis: quia Pater & Filius & Spiritus sanctus vbique semper indiuisibiliter sunt per præsentiam vnius indiuisibilis maiestatis. Vna est harum trium personarum indiuisibilis natura, & inseparabilis vnius substantia Deitatis.

B

Quomodo ergo in mundum venit, qui semper in mundo erat & est, & à patre nunquam recessit? Sed Pater Filiũ misit, quia ipsum incarnari constituit. Filius à patre processit cum humanam naturam assumpsit. In mundum venit, cum se hominibus in carne manifestauit. Est ergo Deum *in mundum venire*, suam præsentiam hominibus manifestare. Tropologice scriptura de huiusmodi operib. diuinis loquitur, quia non potest proprie eorum existentiam propalare. Dicitur Deus ad nos venire, cum iusto iudicio nobis infligit pœnã, vel dum misericorditer infundit gratiam. Recedere dicitur, cum horum neutrum apud homines operatur. Ipse tamen semper est apud homines, & vbiq; per præsentiam maiestatis. Igitur Dei Filius in mundum tunc venit, cũ diuinitatem suam incarnatam hominibus patefecit. Tota diuinitas erat in carne humana, q̃ tota cum Patre & Spiritu sancto regebat inseparabiliter super cœlos Angelicã creaturam. Inseparabiles sunt omnino hæ tres vnius indiuisibilis Deitatis personæ, & nulli desunt locorum, quę omnino incircumscriptibiliter semper vbiq; sunt, & nullũ occupant locum, quæ ab inuicem non possunt aliquatenus separari. Vt hæc vero mentib. fidelium recondamus, vt fide teneant in salutem ineffabilia Dei, quę corde non possunt excogitari, neq; lingua fari, beatissimi Doctoris Fulgentij sententiam ad eruditionem nostrã sedulo audiamus, qua dicit: *Quoniam, inquit, vna est vera diuinitas quæ in seipsa tres habet inseparabiles omnino personas, pp quod ipsa Trinitas Vnus est Deus, & in creaturis nulla natura in tribus personis inseparabilis inuenitur*. Attendamus quid agatur in vnoquoq; homine: in quo non tres personas in vna natura, sed duas naturas inuenimus in vna persona. Deus quippe miserabili suæ virtutis opere ex duab. naturis, hoc est anima rationali & carne vnam naturam hominis composuit: & in anima & carne vnam naturam hominis manere præcipit. Ecce in homine sunt duæ naturæ in vna persona, sicut Trinitatem dicimus tres personas & in vna natura.

C

D

Attendamus ergo hic à duabus istis naturis in vna persona manentibus quædam communiter fieri, nec communiter vel accipi vel haberi. Nempe in nobis ipsis aliquid vno fieri carnis & animæ officio inuenimus: q̃ tamen aut carni tantum aut animæ deputemus. Certissime namq; sicut caro sola cibis corporalib. pascitur, sic anima verbo Dei specialiter enutritur. Et tamen vt caro, quæ de terra est, terrenis pascatur cibis, cooperante anima, comedit: quandoquidem ex anima viuit vtiliter habens vnum in se operantis, alterum secum animę cooperantis officium, cui simul est & ex vita, vt comedat & ex cibis vt viuat. Cum ergo cibus sumitur communis est operatio carnis & animæ, qui tamẽ cibus ad solam inuenitur carnem ꝓprie pertinere. In percipiendo quoq; verbo Dei, quo spirituali cibo anima sola pascitur, vt ad eundem cibum perueniat, vtitur officio aut oculorum aut aurium. Ac per hoc vt interius ipsa pascatur non sine carnis operatione perficitur. Sicut ergo hic vtriusq; naturæ inuenitur operatio cũ sit vnius acceptatio: ita credamus humanã naturã vnigeniti Dei simul à Patre, & Filio, & Spiritu sancto factam, sed à solo filio pro nostra salute susceptam. Si aũt adhuc mens nutat non capiens hanc adaptationem ad Deum de homine, quasi ad simplex de composito, aliud duxi proponere, etsi non simile, tamen fidelibus suasibile. Nulla enim creatura potest creatori assimiliari. Licet n. anima hominis ad imaginem Dei facta sit, & Angelus signaculum similitudinis Dei existat; solus tamen Filius est imago Dei inuisibilis: homo ad imaginem, & Filius Dei imago est.

E

Gen. 1. 27. Ezec. 28. 12. Col. 1. 15.

Consideremus ergo quid agatur in anima, vt per creaturam ad creatorẽ ad cuius similitudinẽ facta est ascendere valeamus. Anima cum sit simplex, & indiuisibilis, & omnino partib. careat, continet in se tria, scil. *rationem, ingeniũ, & memoriam*, quorum vnũ in aliud horum transire nequaquam potest, & horum trium quodlibet proprium exercet vsum, ita vt alterum eius actio non pertineat, vt à re simplicissima: id est anima nequeant separari. Ratio quidẽ discernit: imaginatio rerum formas capit, & memoria præteritorum conseruat pattata. Cum igitur anima sit substantia simplex vt careat partibus necesse est, & quodlibet horum trium esse in tota anima intelligitur. Tota et anima ipso effectu rationis est ratio, & effectu imaginationis est imaginatio, & effectu memoriæ nuncupatur memoria, cum ista quodammodo à se sint diuersa. Vnde dicit Isidorus: Anima, inquit, dum discernit, ratio est, dum consentit, voluntas est, dum recordatur memoria est, & tamen non tres animæ, sed vna est anima. Cum hæc reperiantur ẽt in Angelo, vel in cuiuslibet hominis anima, & fere hominibus sint inexplicabilia, cur ineffabilia personarũ diuinitatis explicare nititur temeraria præsumptio nostra? Credere salubriter possumus. Illa inuestigare, sine erroris periculo non valemus. Trinitas & vnitas quodammodo reperitur in qualibet rationabili creatura, & trinitatem personarum in vnitate Deitatis refugit credere: quia illa intellectu plenè nõ capit hebetudo humana. Alia est ratio, alia imaginatio, & alia memoria, licet vna & indiuisibilis sit anima, & tamen hæ qualitates sunt animæ non personæ Ita alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, & vna maiestas inseparabilis, vnius indiuisibilis Deitatis. Et hæc non qualitatis diuinitatis credendæ sunt, sed personæ. Nulla distinctio in Deitate credenda est, nec vnitas in personis.

F

G

Initio lib. de differentiis.

Vnde Doctor Hispaniarum Isidorus: In personis, inquit, discretio est, in diuinitate nulla distinctio. Est n. gignens, genitus & procedens. Tria quidem nomina, sed substantia vna. Sicut ignis, candor & calor, tria quidem sunt vocabula, sed res vna. In relatione personarum Trinitas est; in substantia vero naturæ vnus Deus est, Pater scil. & Filius, & Spiritus S. De Patre enim, quia Deus est, Apostolus testatur dicens: *Vnus Deus & Pater, ex quo omnia*. Item de Filio, quia Deus est, alias ipse dicit: quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in secula. De Spiritu sancto, quia Deus est idem qui supra sic dicit; *Diuisiones donationum sunt, idem vero Spiritus*. Diuisiones operationum sunt, idẽ vero Deus. Ecce Pater, & Filius, & Spiritus S. Deus est. Sed non Deorum numerus in illa Trinitate credendus. Scriptum est enim; *Ego sum & non est alius Deus præter me*. Et illud; Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Tres ergo eos credere profanum est. Trinitatem in personis non distinguere impium est. Vna est ęternitas personarum, quia nulla aliã antecedit antiquitate tẽporis vel ætatis. Pater ingenitus est. Filius genitus. Spiritus sanctus non genitus, sed procedit. Filius de Patre procedit nascendo. Pater nunq̃ est sine Filio: & tamen sine filio pater genuit, & filius patri posterior non ẽst. Spiritus S. de Patre procedit & Filio, & tamen non aliqua ꝑcisione ab eis diuiditur, à quibus procedit. Nec credendum est, quod successiue modo sit Pater, modo Filius, & modo Spiritus sanctus, cum apud ipsum nulla sit transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio, quia qualitas in Deo nulla est, sed simul & semper Pater, & Filius, & Spiritus S. in vnitate Deitatis in tribus personis est. Ad patrem pertinet de se semper filium generare, & semper in filio esse, & ad filium pertinet semper de Patre nasci, & semper in Patre esse. Pertinet ad Spiritum sanctum semper de patre filioq; procedere, & sẽper in patre & filio permanere. Natus est semper filius de patre idẽtitate naturæ. Natus est de gloriosissima Virgine matre

1. Cor. 8. 6. Rom. 9. 5. 1. Cor. 12. 4. & 5. 1. Cor. 12. 6.

Deut. 32. 39 & cap. 6. 4. Iacob. 1. 17.

H

A semel assumptione humanitatis. Nascitur de fidelium cordibus semel largitione gratiæ suæ. Digne loqui de personis vim transcendit rationis, excedit ingenia non solum humana verum etiam Angelica. Quia (vt testatur Apostol⁹) *Pax Dei exuperat omnem sensum.* Absit autem à fidelium cordibus detestabilis error, vt quia dicimus Spiritum sanctũ à patre filioq; procedere, & filium tantum humanam assumsisse naturam, credamus Deitatis personas ab inuicem locali dimensione semotas. Vel quia vnam credimus esse Patris, & Filii, & Spiritus sancti indiuisibilem naturam, vnã credamus esse personam. Aut quia dicimus tres personas, tres esse credam⁹ naturas. Siue quia dicimus tôtã Trinitatis naturam esse in Filio, credamus Patrem & Spiritum sanctum simul eum Filio hominem assumpsisse.

Philip. 4. 7.

Hoc etiã solicite aduertendum, vt cum inscriptutis Patrum inuenerimus, filium hominem assumpsisse, humanã naturam intelligimus. Non n. Dei Filius hominis personam, sed naturam, hoc est, animam, & corpus accepit. Similiter cum legerimus Patrem & Spiritum sanctum non sibi, sed Filio naturam hominis accepisse, intelligamus, cooperatione Patris & Spiritus S. pro salute hominum Dei filium Dominum & Saluatorem nostrum corpus & animã assumpsisse, qui est Iesus Christus Deus oĩm, & cum Patre & Spiritu sancto in vnitate maiestatis & personarum trinitate viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen. B

Cap. XVIII.

Quomodo alios consignemus.

Superius diximus, qualiter nos consignare debeamus, nunc etiam restat videre, quomodo alios rationis iudicio consignemus.

Ordo rerũ deposcit, vt qui boni operis quicq̃ intendit agere primo ad laudem Dei. Secundo ad vtilitatem animæ suæ. Tertio ad profectũ proximi intentionem eleuet, & in opere ipso ordinato caritate dirigatur, vt ita bonus sit proximo, quatenus ipse non separeť à Deo. Quod figurate videmur, quando alios consignantes in facie ad nostrã dexteram, & eorum sinistram crucis signum finimus, nihil n. sinistri operis agere debem⁹, vt alius prodesse possimus. Sed fidei & operum in nobis honestate seruata debemus proximorum vtilitatib. inseruire. Vnde cum facimus signũ crucis quia procedit à nobis cõsignationis opus de sinistra nostra ad dexteram manum ducimus, siue nos, vel alios consignamus, vt actio nostra fine dextero terminet. Et quia (vt ait sapientia Dei) *vias quæ à dextris sunt nouit Dominus, & quæ à sinistra sunt peruersæ sunt.* Omittentes sinistram semper dexteram teneamus, vt nostrorũ operũ finis in dextris inueniať. In consignatione in alijs finienda eorum non attendimus dexteram, vel sinistram, sed dexteram nostram tantum, vt patet, in consecratione altaris, atq; in hominib. baptizandis Nam consecrationes altarium quando fiunt de altaris sinistra sacræ vnctionis cruces ad eius dexterã producunť, vbi & finiuntur. Quando ẽ hi, qui baptizantur ad sinistrã eius, crux sacræ ducitur vnctionis. Cum etiam inter scapulas similiter insignitur, de illius sinistra crux ad eius dexteram ducitur. Quapropter patenter innuitur, dum modo in dextera & modo in sinistra alterius crux finitur, quod non eonsignandorum dexteræ, vel sinistræ finis attenditur, sed potius dexteræ consignantis. C

Prou. 4. 17.

D

Quidam tamen pro se volunt inducere, q̄ debemus cum nos ipsos consignamus, manum ducere de dextera ad sinistram, quia Christus de Iudæis transiit ad Gentiles. Quibus ratione prçuia respondemus, quia ad hoc ad Gentiles transiit, vt de sinistra, hoc est, de infidelitatis miseria reduceret eos ad dexterã, hoc est, ad fidem catholicam hoc fine, vt illos secum in sua & Patris dextera collocaret. Vnde consignatio est in parte dextera finienda. Ad q̄ designandum in introitu missæ sacramentorum librum ministri ponunt in dextera sacerdotis & altaris ad meridiẽ; & post Euangeliũ transferunt illum in sinistram eorundem ad septentrionẽ, & circa finem missæ iterum reducunt illum ad dexteram. Quia cum introierit gentium plenitudo, tunc oĩs Israel, qa conuertetur ad dominum saluus fiet. In dextera igiť est nostra consignatio finienda, quia Iudęi & Gentiles explebunt in dextera fidei finem mundi, qui erant in dextera Dei perpetuo collocandi. Trib. digitis extensis, id est, pollice, indi-

Rom. 11. 25.

ce, & medio duobus aliis digitis plicatis sub inuocatione Deificę Trinitatis nos & alios consignamus, vt trinitatẽ personarũ in vnitate Deitatis manifestis præconijs fateamur, q̃dam diuinarum scripturarũ secreta simplicioribus occultantes, ne in eis, quia non possunt capere, infidelitatis scrupulũ generemus Consignationem maiorib. minores non tribuunt, sed eam humiliter accipiunt à Prælatis. Quia (secundum Apostolum) qui minor est benedicitur à maiore. E

Heb. 7. 7.

Cap. XIX.

De crucibus duorum latronum.

Quia vero de crucibus duorum latronum q̃ritur, qui fuerunt cum Domino crucifixi, vtrum ad similitudinẽ illius in qua salus mundi pependit, quatuor fuerint brachiorum, quoniam inde nulla liquet auctoritas, nec inuenitur ratio manifesta, quid inde sentiendum sit, videtur esse difficile diffinire. In dubiis enim periculosum est in partem alteram declinare. Tamen in cuiusdam celsi montis cacumine, qui est in insula Cypri, in confinio vrbis Nichosiensis est quoddam monasterium situm, vbi ostenditur quædam magna crux quatuor brachiorum, quæ post altare ipsius monasterij in aere pendere videtur, quod plures dicun: humano artificio prouenire, quibusdam alijs hoc miraculo adscribentibus. Hæc (vt fama refert) fuit crux illius latronis, qui nostra redemptionis hora, alio blasphemante se Iesu Domino commendauit. F

Hanc crucem beata Helena mater Imperatoris Constantini (vt fertur) ab Hierosolymis detulit: & in loco iam dicto qui antiquitus Veneri fuerat consecratus, eã argenteis thecis operiens, & in medio illius crucis inserens partem dominici ligni ad tuitionẽ insulæ honorifice collocauit. Post cuius locationẽ crucis, vt dicunt indigenæ regionis per virtutẽ Dominici ligni, innumera Dominus in insulæ Cypri contulit beneficia. Siquidẽ (vt præmisi) cũ insula Cypri quondam fuerit Veneri & Dęmonib. profana consecratione dicata, atq, in viuentium damnum & periculum minime sepulta retineret corpora mortuorũ, & Dæmones per tótam insulam horrenda visibiliter perpetrarent: nunc per virtutem sanctę crucis effugantur phantasiæ, ac Dœmonum nocumenta, & terra sepulta retinet mortuorũ corpora. Huius crucis fama & forma videtur annuere, quod prædictorum duorum latronum cruces formæ Dominicæ crucis extiterint, quatuor, scil. brachiorum præsertim cum ex illo quodammodo probabile videať, q̄ in inuentione sanctæ crucis legitur, quod per resuscitationẽ mortui patuit cognitio crucis Christi, cum aliæ duæ cruces primo fuerint mortuo superpositæ, quia tres cruces fortasse consimiles videbanť. Populorum turbæ frequenter ad supra dictum confluunt monasteriũ ad adorandã non illam quidem crucem latronis, sed partem dominici ligni, q̃ in illa est cruce inserta. Nõ n. est crux alia adoranda, nisi illa in qua fuit Dominus crucifixus, & cæterę cruces, quæ ad illius similitudinem & honorem à fidelibus venerantur. Est namq; quædam adorãda, & quædã crux non adoranda, sed amplectenda, & quędam crux non adoranda nec amplectenda, sed pedib. conculcanda & cominus abigenda. Crux adorãda est Domini nostri Iesu Christi, per q̃ humanũ genus misericorditer datum est libertati. Crux non adoranda, sed amplectenda est illius latronis, qui licet tarde, tamẽ salubriter cognouit Dominum, & in hora mortis promeruit veniam peccatorum. Crux non adoranda, nec amplectenda, sed conculcanda est illius latronis, qui quoad vixit neq̃ fuit, & pendens in cruce Dominum blasphemauit, & inde duct⁹ est ad tartareos cruciatus. Prima est gloriosa crux Christi, quam Dei filius pro salute nostra in ætate florenti ascendit, & in ea perseuerauit vsque ad mortem, vt mortuus de fortitudine Diaboli triumpharet, atque inde magis confunderetur inimicus quod illum Dei filius, non viuens in corpore sed mortuus superauit. Hanc adorandam crucem Petrus & Andreas ascendit. Qui ad vnius iussionis vocem relictis omnibus, cum vernarent flore gratissimæ iuuentutis, secuti sunt Dominum: & Dei sapientię magistri pij discipuli ad similitudinem Redemptoris in cruce materiali pendentes pretiosissimã mortem suã Domino consecrarunt. Colendæ sunt à fidelibus illæ sacratissimæ cruces, non cultu religionis, sed reuerentia sanctita- G H

Matt. 4. 20

tis

A tis; quia sancto tactu Apostolorum, & illorum sacro martyrio sanctificatæ sunt & cœlitus consecratæ.

Ascendunt etiam *Christi* crucē fideles quique, qui in sui corporis valetudine amore bonorum cęlestiū desistunt ab operib. prauis digna satisfactione in se pro viribus puniētes, quæ se recognoscunt scelera commisisse. Crux namq; à cruciatu dicitur. Vnde qui pro cælestibus ieiuniis, vigiliis peregrinationibus sacris, & aliis operibus pietatis corpus suum macerat, pedes suos continet ne discurrat ad malum manus ne proximo iniuriam inferant, motus cogitationis id est mētis affectus, qui sunt timor & amor restringit, ne diu extrauagatione persistant delectationibus noxiis, & in incepto bono mēte integra perseuerat; profecto in cruce Christi tenetur affixus, & sui Redemptoris in se assumpta imagine ēt suam crucē cunctis secundū Deū vera sapienti- *Joan.4.6.* bus tribuit adorandā non cultu religionis, vt dictū est, sed *Matth.4.2.* reuerentia sanctitatis. Hanc crucē in se Dei filius antequā à Iudæis vel militibus suspēderetur in ligno consecrauit (sicut in Euangelio dicitur) Quia fatigatus ex itinere sede- B bat super puteū, & à Samaritana muliere bibere postulabat. Præfertur etiam, quia *cū ieiunasset quadraginta diebus, &* *Mat.17.27* *quadraginta noctibus postea esuriit.* Testatur etiam sacrū Euangeliū, quod passus est repulsam & conuitia ab hominibus, & cunctotū Dn̄s soluere tributa quibus plasmauerat ipse coactus est. Adoranda est crux cūctorum in robore sancti- *1.Petr.2.22* tatis Deo militantiū, sed non excellenter vt illa, quam pro nostra salute sustinuit Dei filius. Ipse namq; Deus, qui cūcta creauit peccatum non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius, bonitate sola, & misericordia ineffabili pro seruis contumacibus & iniquis mortem sustinuit in se amarissimis præcedētibus passionibus. Quilibet vero sanctus pri' in suis cruciatibus præuidet salutem animæ propriā, & sic extēditur vt compatiatur infirmitatibus proximorum. Et quia affectum caritatis Deus pensat in opere, nullius potest caritati diuinæ affectio adæquari, qua sola clementia pro nobis passus est *Christus sicut* Apostolus dicit: *Propter nimiā caritatē suam, qua dilexit nos Deus filiū suum misit in similitudinē* C *carnis peccati.* Et alibi idem Apostolus dicit: *Cōmendat autem* *Rom.8.3.* *Rom.5.8.* *Deus suam caritatem in nobis, quoniam cum essemus peccatores pro impiis mortuus est.*

Crux igitur Christi & membrorum eius cum quodammodo sit vna, est tamen præcipue in capite adoranda, quo niam in illa consistit tota salus & redemptio nostra. Est prę terea secunda crux non adoranda sed amplectenda, qua ad similitudinem illius latronis, postquam in malis vitam duxerint, aliqui cruciantur inuiti, tandē in vltimo vitæ instanti de malis præteritis conteruntur, & toto corde conuersi ad Dominum indulgentiā promerentur. In hoc laudabilis & admirabilis est misericordia Redemptoris, quia tunc peccare desistunt mente, quando peccare non possūt corpore, & indulgentiæ munus eis minime denegatur. De *Mat.27.44* illis quippe latronibus dicitur in Euangelio: Quia qui crucifixi erant cum *Christo* improperabant ei, & vnus conuer- *Luc 23.43.* sus ex illis misericordiam implorauit, & vocē Domini sta- *Ezec.18.22.* tim meruit audire dicentis: *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso.* Vere impleuit Dominus quæ promiserat dicens: D Quia in quacunque hora peccator ingemuerit iniquitatū eius non recordabor.

Amplectenda est crux huius quamuis seræ conuersionis, cum venerit: non autem adoranda: quia valde dubia sorte consistit. Multi quidem spem ponentes in illa, cōuerti per pœnitentiam distulerunt, & eam minime assecuti suis sceleribus perierunt. Hæc crux, quia sera est, rara est, quia non spontanea est, & quia multoties damnationis periculum ingerit expectantibus, cauenda est. Quia vero ex gratiæ dono licet sit sera, & illata contra propositum patientis quibusdā causa salutis efficitur, amplectenda est: quia multa bona præstantur inuitis. Melius est enim, vt quis inuite sublimetur in bonum quam eo volente ad æternæ damnationis supplicia perducatur. Vnde Isidorus dicit: Liberior est præsentis temporis ignominia quā futura gehennæ tormenta. Sera pœnitētia amplectenda est cum vere habetur, sed non est diutius expectanda; quia constringentibus doloribus, & mortis angustiis hominem, dubitatur, an in sera pœnitentia contritio sit vera. Hoc tamen sciendum, quia

orte leui r est præsentis temporis ignominia quā futura.

seram Deus non spernit pœnitentiam. Qui quamdiu ani- E ma viuit in corpore, semper est paratus recipere pœnitentiam. In vltimo quidem instanti vitæ, si affuerit vera cordis cōtritio, statim aderit vera remissio peccatorum. Quia nūquam est vera cordis contritio sine infusione gratiæ Dei. Etenim (vt ait Isidorus) quatuor sunt quæ simul sunt tempore. Id est, *infusio gratiæ, motus assurgens, cordis contritio & peccatorum remissio.* Ecce in cordis contritione nisi sequatur cōfitendi & satisfaciendi contēptus, quilibet potest percipere veniā delictorū, non tamen securus esse potest de pœnitentia in igne purgatorio peragenda. Quia si tanta nō fuerit cordis contritio, vt omnino deleat perpetrata, vel in hac vita digna satisfactione pœnitētia minime peragatur, nisi viuens aliquis sacrificijs, orationibus, & bonis operib. defuncto subueniat, in igne purgatorio est acerrime expiandus, sicut B. Aug. testatur dicens: *Purgandus est in igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis.* Hic autem ignis, & si æternus nō sit, miro modo est grauis, excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pœna, li- F cet innumerabilia martyres passi sint tormenta. Grauior est ignis ille, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Dum ergo viuimus puniamus mala, quæ gessimus, ne in tanti discriminis periculo rapiamur.

Est etiam alia crux non adoranda, nec amplectenda, sed omnimode conculcanda, & fugienda, quia ad similitudinem alterius latronis nequam plures in amaritudinibus & flagitijs vitam ducunt, & in vltimo vitæ statu morte infelicissima trucidati, ad æternos ignes tartareos ab immundis spiritibus cruciandi ducuntur. Hæc crux est hæreticorum proprie inter alios perpetua morte dignos; quia dum viuunt, ore & opere simulate Iustitiam nonnunquam prædicant, se ipsos ieiunijs, & afflictionibus cruciant vsque ad mortem, Catholicam fidem blasphemant, & nouissime malo & infami exitu consummati, & plerumq; priuati hominum sepultura infernalibus suppliciis mancipantur.

Est etiam hæc Crux hypocritarū, qui ꝑ humano fauore G vel tēporalis gratia dignitatis semetipsos excruciant, simulatis ieiunijs, orationib. operibus, & vigilijs. Qui si quando ad dignitatē perueniunt, quam sitiunt anhelanter, tunc q primo fuerint mente manifeste prauis operib. incipiūt apparere, & inflati superbia volūt ab omnib. adorari. Ante dignitatem videbanē dignitatis vigilias ieiunare, & modo in festo positi dignitatis: epulantur quotidie splēdide, vel de patrimonio crucifixi, vel de subditorū extorta substantia, sua farcire student, seu suorū marsupia propinquorū. Qui prius se habere consanguineos ignorabant, modo nepotū constipati frequentia præminent gloriosi. Se beatos existimant cum eis munera deferuntur, & miseros cū præ verecundia Eleemosynarum aliquid facere compellūtur. Se ipsos laudāt in bonis, quæ assequūtur, suæ prudētię vel fortunæ tribuentes. Non Deum prædicant, sed fortunā, spernunt viros iustos, student redarguere de superbia: adulatores vocant tractabiles & benignos. Cum Pharaone masculos, id est, viros virtutis ne illorum prauis resistant acti- H bus, interficiūt, reseruantes fæminas, id est, molles & dissolutos, q cis praue agentib. blandiātur. Inhiant lucris, de subditorū salute nullā gerētes sollicitudinem animarum. *Exod.1.16.* Perquirunt consanguineos, & nepotes, nō quot nepotes, nō quot animas acquisierint Deo, sed quot aureos vel marchas habeāt in reditib. annuatim. Expendūt viuēdo luxuriose, vel recōdunt in thesauris suis Ecclesię bona, vnde debuit Ecclesia decorari & clerici & Christi pauperes sustētari.

Hi latrones crudelissimi, præcursores Antichristi, & Iudæ Iscariotis successores, furantes ea, quæ in communi mittuntur, loculos habent, & Christum vendunt, dum non pro æternis si qua bona gesserint, faciunt, vel distribuunt Ecclesiæ Sacramenta, sed humani fauoris causa, & denarij temporalis. Et quia omnia quæ illicite cupiunt vt optant, non possunt perficere, & quæ praue agunt à populis manifeste, vel occulte. redargui sentiunt, quasi in cruce positi anxie cruciantur Et quia incorrigibiles sunt, insaniunt, non se corrigentes: excusationes blasphemiæ semper prætendunt sceleribus perpetratis, vnde sibi æternæ damnationis mortem adquirunt,

Z 4 Tandem

A Tamen tempestatibus nostris pauci sunt habito respectu ad alios, qui dicuntur hypocritæ: qui fere omnes manifeste gaudent petulantiæ & lasciuiæ inseruire. Qui prius hypocrita dicebatur, nunc *lecator* dicitur, aut cupidus aut auarus. Petulantia ineptitas dicitur & scurrilitas curialitatis nomine gloriatur. Negligens & dissolutus vocatur patiens & humilis, auarus dicitur sapiēs, & vitia nomina virtutum vsurpant.

Qui non est hodie valde malus bonus habetur. Ad hanc etiam Crucem pertinent vsurarij, superbi, susurrones homicidæ, raptores, auari, adulteri, fornicarij, & immoderati huius seculi dilectores, qui quamuis in perpetratione videantur scelerum delectari, tamen semper sunt in sollicitudine amaritudinis & dolore, & pungens cauteriata conscientia in eis iugiter perseuerat. Nunquam desideratis delectationibus satiantur, & tabefacto prauis operibus corpore exercendæ cupiditatis esuries male crescit in mente. De talibus Dei sapientia dicit: quorum viæ peruersæ & infames gressus eorum. Vt autem cætera sileam modo, in periculis bellorum, vel maris modo viarum & tempestatum, in fame, & siti: in conuitiis & rerum damnis versantur. Turbantur ita, inuidia contabescunt, vindicari summopere de inimicis cupiunt, & ab eis damnificati plures occiduntur. Prosperitas huius sæculi semper est in amaritudine. Non quidem admittit satietatem sitis humanæ cupiditatis. Quo plus adepta, eo amplius accenditur ad quærendum. In præsentia afficitur tædio, & ærumnis, & in futuro æternis incendiis condemnatur. Hæc crux conculcanda est, quæ in tempore cruciat, & æternaliter damnat.

Prou. 2. 15.

B

Igitur quia nec iustus, nec impius sine cruciatu viuere potest, crucem Domini nostri *Iesu Christi* debemus ascendere, quæ in præsenti cruciando spe bonorum lætificat, & in perpetuum saluat fruitione ineffabilium gaudiorum. Vt enim ait beatus Isidorus, *Grauius affliguntur impij commoda mundi exaggerando, quam iusti eiusdem aduersa tolerando.* Et vnde iusti ad præmium, inde tendunt impij ad supplicium sempiternum. Et beatus Iob probos, & improbos, quandiu degunt in corpore, in angustiis & ærumnis esse considerans, dicit: *Si impius fuero, væ mihi est: si autem iustus non leuabo caput meum saturatus afflictione & miseria.* Et quia (vt ait Apostolus) oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei, in cruce Christi gloriamur: quia in ipsa est salus, vita & resurrectio nostra.

C

Iob 10. 15.

Act. 14. 22.

Si quis autem videt se in mortis articulo laborare, qui cum potuit crucem Domini per mortificationem carnis & pœnitentiā non ascendit, illius felicis latronis crucē non despiciat, sed ingemiscens de perpetratis malis, & de bonis amissis cum cordis contritione & oris confessione vt potest, studeat Dei misericordiam implorare. Caueat illud peccatum, quod committitur in Spiritum sanctum quod in hora mortis damnandis noscitur prouenire, cui nulla est remissio in futuro. Namque (vt ait veritas) *Qui peccauerit in patrem*, id est in mundi prosperis, *dimittetur ei. Et qui peccauerit in filium*, hoc est, in aduersis, *remittetur ei. Et qui peccauerit in spiritum sanctum*, hoc est in mortis articulo, *non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.*

Matt. 12. 32.

D

Deo Patri vetus testamentum attribuitur, in quo conferuntur bona temporalia, & promittuntur æterna. Deo Filio attribuitur nouum, in quo huius mundi aduersa patienter præcipiuntur ferre fideles & bona illis promittuntur æterna. Vnde prospera attribuuntur Patri, & Filio aduersa mundi: salus & remissio peccatorum in mortis articulo Spiritui sancto attribuitur. Quia per ipsum cooperante Patre & filio, remittuntur peccata, & à morte resurgemus Quia (vt ait Apostolus) Spiritus sanctus viuificabit mortalia corpora nostra.

Triplex etiam est baptismus. Qui quandocumque homini viuenti prouenerit, indulgentiam confert omnium peccatorum. Est baptismus *flaminis, fluminis, & sanguinis.* Fluminis fit semel per aquam & Spiritum sanctum in ablutione regenerationis, & inuocatione Trinitatis, & Sanguinis similiter in necessitate martyrij patientis. Flaminis fit semel per fidem in articulo necessitatis, & sæpe per gratiam in contritione cordis humilis pœnitentis. Quæ licet adsit in vltimo vitæ puncto, confert digne ac vere pœnitentibus, vt dictum est, remissionem omnium peccatorum, & etiam ianuæ cęlestis aditum pandit: totaliter mundat à culpa, etiam si omnino non auferat purgatorij ignis pœnam.

E

Cap. XX.

De imaginibus.

Dictum est in præmissis, quod imago Deificæ Trinitatis ab hominib. nec debeat nec possit depingi, & nunc videndum est, quæ sint in Ecclesia Christi imagines depingendæ, & qualiter Deus vel Angeli, siue animæ sanctorum, seu Ecclesiæ Sacramenta vel homines debeant à fidelibus adorari.

Depinguntur, vel sculpuntur imagines in Ecclesia Christi quædam ad fidelium defensionem, doctrinam, imitationem, & decorem. Quædam similiter ad doctrinam, imitationem, & decorem, & quædam ad decorem tantū. Quædam etiam ad doctrinam, vt in eis timere, praue agere discat homo. Consecrauit namque crucis suæ signum Dei filius, vt sit nobis defensio contra versutias inimici, sit doctrina, qualiter pro nobis passus est Filius virginis, sit imitatio, quod nos pro ipso mori, dum se debita facultas obtulerit, debeamus; & manifesta laude Crux sit fidei nostræ, decor & pulchritudo. Sanctorum imagines sunt nobis doctrina eorundem actuum beatorum, & imitationem sanctitatis suadent, & decorem præstant in templo Dei. Sunt in Ecclesia depictæ formæ bestiarum, volucrum & serpentium, & aliarum rerum, quæ tantum ad ornatum & pulchritudinem fiunt. Iustum est enim, vt cunctorum formæ ponantur in Ecclesiæ cultu: & creator omnium in cunctis suis operibus collaudetur.

F

Quorundam etiam prauorum hominum imagines eorum detegentes malitiam & tormenta, & quasi effigies dæmonum sculpuntur in Ecclesia, vt videntes homines terreantur, & præsentibus malis, atque futuris ad mentem reuocatis supplicijs discedant ab operibus prauitatis. Hæ imagines subtili debent fieri congruitate, vt pulchritudinem honestatis aspicientibus repręsentent, & deuotionem excitent pietatis. Debet namque domus Dei cultu vario resplendere, vt ipsa eius exterior pulchritudo homines ad se ducat & tædium non inferat assistentibus, mentem subleuet ad cœlestia, ex petenda pulchritudine sua decorem cœlestis patriæ repræsentans. Domus Dei exterior pulchritudo dum oculos de foris mulcet, nonnunquam interiorem ad Dominum trahit, sicut iniquus idololatra Rex Ieroboam de populi Israel conuersione ad Regem Roboam, formidans dixit in corde suo. Si ascenderit populus, vt faciat sacrificium in domum Domini in Hierusalem, conuertetur ad Dominum suum, & hoc propter pulchritudinem templi. Hoc templum Salomon, vt celebre vbique fieret nomen Dei, & ad se nationes diuersarum gentium euocaret mira pulchritudine gemmarum, auri, & argenti ditauit, & diuersorum sculptilium imaginibus decorauit. Et non solum duo Cherubin posuit in propitiatorio sicut fecerat Moyses, verum etiam (teste libro Regum) in portis & in parietibus templi interius per circuitum sculpsit cherubin & palmas &, anaglypha, & picturas varias quasi prominentes de pariete & de ostiis templi. Boues quoque ærei, leones, cherubin, palmæ, & quasi similitudo stantis hominis sculpta erant in basi, & in tabulatis illis, quæ erant ex ære, vt non celata, sed apposita viderentur: Hæc omnia ita facta sunt ad decorem domus Dei, vt essent in figura veritatis futuræ, quæ in Ecclesia manifeste declaratur per Christum. Cum igitur ista præcesserint voluntate diuina in sacra lege mirot, qua fronte Iudæi, & aliqui Christiani proterui fideles Ecclesiæ Dei nituntur redarguere dicentes, non debere imagines fieri ad ornatum & doctrinam populi Dei. Profanari asserunt sacra templa quorumlibet sculpturis imaginum cum Dominus de templo diuersis imaginibus insignito dixerit Salomoni: Sanctificaui Domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternū, & erunt oculi

G

3. Reg. 12. 26.

H

3. Reg. 6. 29. & 32.

3. Reg. 7. 36.

3. Reg. 9. 3.

mei,

A mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Et in tabernaculo fœderis de inter duas imagines Cherubin Moysi Dominus loquebatur. Vnde videtur quod imagines factæ ad honorem sculptæ nominis Dei, & decorem Domus eius, non profanant Ecclesiam sed sanctificant. Præcepit enim Dominus Moysi vt vnctione sanctæ confessionis sanctificaret tabernaculum, & omnia quæ in ipso erant, & essent sancta, & quicumque tangeret ea sanctificaretur. Quod si sancta erant illa vnctione dictæ confessionis, multo validius sanctificantur omnia, quæ sunt in Ecclesia inuocatione nominis Dei, consecratione Pontificum, immolatione corporis & sanguinis Domini & ex illa sanctificantur fideles.

Num. 7. 89. *Exo. 30. 25.*

Angelorum imagines alas habentes in Ecclesia depinguntur, non sicut eorum simplex & inuisibilis subsistit essentia, sed sicut consueuerunt hominibus apparere per assumptam speciem, vel sicut præcepit Dominus Moysi, dicens: Duos Cherubin aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi, Cherubin vnus sit in latere vno, & B alter in altero. Vtrumq; latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantq; mutuo. Salomon quoque fecit duos Cherubin de lignis oliuarum, & alæ illorum expansæ erant & ipsi stabant erectis pedibus, & respiciebant se mutuo Et Ioannes in Apocalypsi se dicit vidisse Angelum Dei volantem per medium cælum. Ita depinguntur à nobis spiritus beatorum, sicut ipsi consueuerunt per assumptam speciem apparere, quã iterum deponunt, vt in puritate suæ simplicitatis persistant, vel sicut sancti Patres quasdam imagines ipsorum se vidisse asserunt, diuina mysteria continentes. Eorum imagines depingimus in Ecclesia vt visis imaginibus, eorum patrocinia inuocemus, quatenus eorum suffragijs ab instantibus periculis eruamur, & in æterna claritate eorum cohæredes effici mereamur.

Exod. 25. 18 *3. Reg. 7. 23.* *Apoc. 14. 6.*

Cum autem sit præmissum, quod Deitatis imago nec debeat nec possit depingi, quæritur cur in sede maiestatis in columbæ specie, vel in igne, aut in hominis specie Dominum Ecclesiastica ostendit pictura. Sedis maiestatis C imaginem sancti Prophetæ viderunt oculis corporis, per quam Deitas illorum se præsentabat oculis mentis. Exterius quidem aspiciebant formam Dei futuri hominis, licet Deitas non circumscribatur lineamentis corporeis.

Isaie. 6. 1. *Ezec. 1. 26.*

Forma hæc futuri erat corporis *Iesu Christi*. Quod cum sit circumscriptibile fideliter potest eius imago depingi. Angelus magni consilij id est Dei filius in igne apparuit Moysi. In columbæ specie Spiritus sanctus descendit super filium ad fluenta Iordanis: & super Apostolos idem Spiritus sanctus descendit in igneis linguis. Species illæ scilicet ignis & columbæ à diuinitate ereduntur assumptæ ad aliquid significandum non in vnitate personæ, quia fuerunt continuo resolutæ, solus filius Dei in vnitate personæ speciem assumpsit & naturam humanam, quam nunquam deposuit, ex quo in Virgine Matre illam accepit. Cæteræ vero species ita à diuinitate in figura assumptæ sunt, vt ostenso ænigmate, statim resoluerentur. Tamen possunt hæ species ad memoriam facti, & decorem loci in D Ecclesia depingi, & haberi in reuerentia: non quod Deus aliqua illarum sit vel fuerit specierum, sed quod, sub speciebus illis ad horam, suam docere voluit voluntatem.

Exod. 3. 2. *Mat. 3. 16.* *Act. 2. 3.*

Imago vero quæ post assumptam humanitatem ad similitudinem depingitur Saluatoris, tanto plus debet à fidelibus venerari, quanto dignior est cæteris assumpta de matre species à filio Dei. Et quanto digniora atque vtiliora mundo est Dominus operatus per ipsam.

Totus tamen honor & reuerentia est ad Dominum referendus. Primæ quidem species fuerunt vmbra veritatis futuræ: hæc autẽ est veritas præsignata, qua olim promissa bona fidelibus conferuntur. Apparuit namque Deus in flamma Moysi, vt se in illis insinuet per gratiam habitare, qui ardent flamma inextinguibilis caritatis, & quod per ignem Dominus ad iudicium sit venturus.

Exod. 3. 2.

Ezechiel quoque super similitudinem throni vidit similitudinem quasi speciem electri, velut aspectus ignis intrinsecus eius per circuitum à lumbis eius desuper. Et à lumbis eius vsque deorsum per assumptam humanitatem nobis splenduit. Qui ideo, vt ait Isidorus, in homine venit, quia per se ipsum ab hominibus cognosci non potuit. Quod autem vidit quasi speciem electri velut aspectum ignis intrinsecus eius, per circuitum à lumbis eius, & desuper, futurum eius ostendit iudicium cum veniet in sede maiestatis suæ, & erit reprobis in eo terror ignis sine splendore consolationis. In columbæ specie Sp. S. venit super Christum, vt ipse qui est benignitas Patris & Filij, illius nobis simplicitatem & mansuetudinem ad exemplum reduceret qui dicit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Idem Spiritus sanctus igneis linguis super Apostolos venit, vt eos per flammam caritatis accenderet, & linguarum diuersitate faceret esse disertos.

Cap. 1. 26. E *De sum. bono. l. 1. c. 16.* *Matt. 13. 16* *Matt. 11. 29.*

Hæ quidem species peracto ad quod factæ sunt, statim euanuerunt, cum corpus de virgine sumptum à filio Dei simul cum anima in vnitate personæ maneat in æternum, interpellans patrem pro nobis. Hæc est sola species cum Patre, & Filio & Spiritu S. à cunctis fidelibus adoranda, sicut dicit Psalmista: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Per scabellum namq; pedum Dei Christi humanitas in scripturis Patrum dicitur designari. Pulchre & honeste huius speciei & matris eius Mariæ Virginis beatissimæ debet imago depingi, quia non solum ineffabili mentis interius sanctitate, verum etiam exterius venusta & placida corporis pulchritudine mater & filius effulserunt. Fuit in virgine dulcissima matre, charissima delectabilis pulchritudo, non quæ prouocaret contuentium illicitos motus carnis, sed quæ eunctorũ duceret ad se caritatem, & ad eos internos animi incitaret affectus. Placidam humilitatem semper in sanctis moribus prætendebat: quoniã de patris sinu respexit altissimus, & inuiolatam pijssimæ virginis pulchritudinem adamauit. Pulchritudine quoq; corporis indicibili floruit Deus & homo filius eius: & inter cęteros quodam decoris præfulgebat insigni, sicut ait beatus Hieronymus. In eo qui speciosus est forma prę filijs hominum credatur fuisse quiddam in vultu oculisq; sidereum, quod attraheret electos, & terreret reprobos. Nisi habuisset in vultu oculisq; quiddam sidereum, nunquam eũ statim secuti fuissent Apostoli, Neq; qui ad comprehendendum venerant, corruissent. Talis etiam in iudicio apparebit, cum in throno maiestatis suę dederit, vt electos mansuetudine, ac pulchritudine mulceat, & ferocitate ac fortitudine reprobos terreat, Pulchre & honeste sunt in Ecclesia imagines depingendæ, quæ nobis tantæ matris & tanti Filij tam piam pulchritudinem repręsentant.

Psalm. 98. 5 F *Epist. ad Principiã virg. vbi explanat. Psal. 44. 3.* G

Cap. XXI.

De cultu Imaginum.

CVm autẽ ex deuotione sacras imagines veneramur, summopere caueamus, ne indiscrete illas siue sanctorum adorando in cæcitatem idolatriæ prolabamur, namq; Dominus in secundo decem præceptorum ad filios Israel. Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper neq; in terra deorsum: neq; eorum, quæ sunt in aquis sub terra non adorabis, neq; coles ea. Ego sum Dominus.

Exod. 20. 4 *Deut. 5. 8.*

Sane intelligenda sunt verba Domini & claro cordis oculo contemplanda. Ipse quidem præcepit Moysi, vt faceret duos Cherubin de auro, & flores repandi lilij, & scyphos instar nucis in tabernaculo fœderis, & mala granata in sacerdotali veste. Quæ omnia similitudines erant, & sculptilia. Præcipit etiam fieri serpentem æreum, in quem aspicientes hi, qui morsi erant ab ignitis serpentibus sanarentur. Et hoc vtique inter sculptilia computatur. Vetuit Deus fieri sculptile, & sculptile præcipit fieri. Hæc contrarietas cito soluitur si diligenter finem inspicimus præceptorum. In primo enim dicit. Non facies sculptibile neque similitudinem, & quo fine hoc dixerit, aperit, cum subiungit. Non adorabis, neque coles ea. Ego Dominus. Hoc est. Ego solum sum Dominus, & non est alius. Et quia similitudines & sculptilia non sunt dij ad hoc non facies ea, vt non adores. Quod in Leuitico clarius ostendit cum dicit. Non facietis vobis idolum & sculptile neque titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.

H *Exod. 25. 18 & 33. & cap. 28. 33. & 34.* *Num. 21. 8.* *cap. 26. 1.*

Ido-

A

Idolum est imago sacrificijs & profanis cultibus dæmonum dedicata, quam sacrilegi homines à diabolo seducti adorabant Deum esse credentes idolum propter dæmonem, qui pluries loqui videbatur in ipso.

Titulus est in hoc loco lapis oblongus, & ritu Gentiliũ consecratus & erectus ad cuius vmbram dormientes per somnum responsa accipere videbantur, lapis insignis, id est depictus cœli militiæ diuersas imagines continebat: in quibus mutationes temporum post oblata sacrificia decepti homines perquirebant. Hæc nullatenus debent fideles facere: sed vbicumque facta inuenerint demoliri.

Gen 28.18. Exod. 15.18. & 33 & cap. 28. 33. & 34. Iosue 4.5. & 8. & 20. & cap. 22. 10. 2. Par 3.11. Matt. 4.11.

Possunt tamen, vt præmissum est, ad decorem domus Dei, & recordati..nem operum eius, cum Iacob erigere lapidem in titulum, Cum Moyse & Salomone diuersarum rerum ideas, id est formas facere, Cum Iosuæ lapides de Iordane tollere, cum filijs Ruben & Gad insigne lapideum altare construere, & cum Salomone columnas aereas in porticu domus Domini eleuare. Non tamen debent adorari: nec debet creaturæ exhiberi cultus debitus creatori: siquidem scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

B

Sed cum in vtroq; testamento præcipimur seruire inuicem, & multos sanctorum patrum legamus, non solum sanctos homines, verum etiam reprobos adorasse, vt sanctus Iacob Esau quem septies adorauit, sedulo perquirendum est, quid sit illud adorare, & illud seruire: quod debemus Ecclesiæ sacramentis, hominibus sanctis, & etiam nonnunquam reprobis exhibere.

Gen. 33. 13.

Duæ species adorationis & seruitutis distinguuntur in sacra scriptura, latria scilicet, atque dulia. Rursus dulia diuiditur in simplicem duliam & hyperduliam. Latria est seruitus ex natura soli debita creatori. Dulia est seruitus vel subiectio, quæ sanctitatis reuerentia, Angelis, sanctis hominibus debetur & Ecclesiæ sacramentis. Hyperdulia est summa humilitas, quam viri sancti exhibent etiam hominibus prauis, vt eos lucrifaciant Christo. Verumtamen plures dicunt hyperduliam deberi sanctis, eo quod sit maior subiectio vel humilitas, & dulia hominibus prauis eo quod minor.

C

Matth. 20, 28. Ioan. 13, 5. & cap. 19. 30.

Hoc non videtur censura iustitiæ sentiendum. Maior enim est seruitus vel humilitas minori seruire, potius quam maiori. Est debita humilitatis species seruire maiori & non præferri æquali. Maior seruire æquali, & non præferri minori. Est maxima seruire minori & non præferri alicui. Hanc in se assumpsit Christus, qui venit ministrare non solum minoribus, sed etiam peccatoribus, & vsque ad ablutionem eorum pedum se coram discipulis inclinauit, & in cruce spiritum tradidit capite inclinato. A quo viri iusti sumentes normam, humilitatis cultu reprobos venerantur, & in creatura creatorem adorant. Adorare idem est, quod incuruare.

Vbi enim Latini dicimus adorare. Hebræi dicunt, histahauot, quod est incuruare. Vnde cum alicui creaturæ ex reuerentia, vel humilitate nos incuruamus ipsam continuo adoramus, eo quod adorare & incuruare sit idem. Cum etiam alicui ministramus ex humilitate vel caritate illi profecto seruimus, eo quod ministrare ac seruire idem significet.

D

Absit autem à fidelibus, vt seruitus vel incuruatio debita Domino, quod est Latria, impendatur sanctis, aut

Cap. 42. 8.

alicui creaturæ. Ipse solus est Deus, quem debemus timere, & fideliter illi seruire. Ipsum solum laudare & glorificare qui dicit per Isaiam. Ego Dominus & non est alter, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Qui sibi soli latriæ cultum retinuit, alijs sanctis adorationem & seruitutem duliæ ex reuerentia & humilitate exhiberi præcepit cum suis Apostolis dicit. *Qui voluerit inter vos maior esse, sit vester seruus*, id est, ex humilitate seruiat vobis qui mihi tenetur ex natura seruire.

Mat. 20.27

Ecce qui primo dixit: Deo soli seruies, modo dicit vt seruiamus & suis. Et non solum verbo, sed facto etiam fieri præcepit cum ipse Discipulis in ablutione pedum ministrauit, eisque dixit: si ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.

Ioan. 13.14.

Hæc Domini seruitus non est latriæ, nec duliæ, sed tantum bonitatis & misericordiæ, qui præcipit suis seruitute hyperduliæ etiam minoribus & infidelibus ministrare. De ipso namque dicit Apostolus, quod factus est tributis seruiens, & fidelibus præcipit seruis, vt subditi sint in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Item etiam de se dicit: *Omnium me seruum feci, vt omnes lucri facerem.*

E

Alludit ad Gen. 49.15. & ad Gal. 4.4. 1. Pet. 2.18. 1. Cor. 9.19.

De adoratione duliæ, id est, reuerentiæ sanctitatis Dominus Ecclesiæ suæ dicit per Isaiam. *Adorabunt vestigia pedum tuorum, filii eorum qui detrahebant tibi.* Sancti Apostoli, & sancti prædicatores pedes Ecclesiæ sunt: quia per eos fides Christi defertur per vniuersum mundum. Ipsi sunt Ecclesiæ principes, ipsi pedes: ipsi post Deum Ecclesiæ Domini, qui per potestatem gratiæ diuinæ dicuntur dij: & ipsi sunt Ecclesiæ serui, non causa conditionis, sed ministerio caritatis. Hoc ille primus, & summus princeps post Deum scilicet Ecclesiæ Romanæ præsul ostendit cum in epistolis suis ex humilitate se dicit *seruum seruorum Dei.*

cap. 60.14.

F

Sunt etiam pedum vestigia illorum exempla sancta, quæ in cordibus fidelium, vel in Ecclesiæ sacramentis, aut in Sacris scripturis profutura posteris derelinquunt. Hæc illorum sacra vestigia sunt à nobis suppliciter adoranda: non latria, quæ est cultus debitæ seruitutis Deo, sed dulia quæ est cultus reuerentiæ sanctitatis. Hanc adorationem filij prophetarum exhibuerunt Helisæo, cum videntes spiritum Heliæ requieuisse in illo, adorauerunt eum. Hanc etiam debemus impendere Angelis, hominibus sanctis, & Ecclesiæ sacramentis.

4. Reg. 2. 15.

Debemus etiam hyperduliam exhibere minoribus, quæ est humilitatis cultus, vel subiectio, vt eos compescamus à malo aut ad melius adhortemur. Quia secundum Apostolum, debemus *subiecti esse omni humanæ creaturæ propter Deum.* Hunc adorationis cultum sanctus Iacob exhibuit Esau, cum illum septies adorauit, & vxoribus suis & filijs eum adorare præcepit. Et Moyses egressus in occursum Ietro cognati sui adorauit, & osculatus est eum.

1. Pet. 2.13. Gen. 33. 2. Exod. 18. 7.

His & alijs patet rationibus quod debeamus soli Deo latria cultum naturalis seruitutis, atque adorationis impendere: beatis Angelis & sanctis hominibus exhibere dulia reuerentiam sanctitatis, & omnibus hominibus hyperdulia cultum humilitatis. Nihil autem horum impendere debemus diabolo. Quia non est Dominus cui seruiamus; neque sanctus, quem veneremur: neque homo cui ex humilitate ministremus, sed est nequissimus inimicus, cui continue debemus resistere, & illum modis omnibus pro viribus persequi, & expugnare.

G

Sacras vero imagines, non latria, sed dulia, possumus venerari non propter imaginem, quæ per se nihil obest, vel prodest; sed quia sigilla sunt nostri Regis, qui omnia potest. Regem in suis imaginibus adoramus, & sanctos in suis sigillis veneramur. Potius adoramus coram imagine Deum, quam imaginem coram Deo.

Sacramentum corporis & sanguinis Domini cultu latriæ adoramus, quia sub panis & vini specie est verus Deus & verus homo Christus Iesus. Cætera vero Ecclesiæ sacramenta non latria, sed dulia veneramur, quia non datur nobis ab ipsis gratia sanctitatis, sed à Deo per ipsa. Colimus per se creatorem solum in creatura, cum nullum sanctorum per se, vel propter se adoremus, sed tantummodo propter Deum.

H

Coram sanctorum reliquijs & memorijs, lege, & Euangelio Dei & coram sacris imaginibus cultu duliæ inclinamur propter ipsum, qui se inclinauit pro nobis, & dignatus est hominibus ministrare. Imaginatum coram imaginibus adoramus, & coram hominibus Deum sicut legitur de sanctissimo Abraham, quod adorauit Deum coram populo terræ. Et Rapsaces dicit de Rege Ezechia, quod præcepit populo Iudæ dicens: *Coram altare hoc adorabitis.* Non dixit altare, sed *coram altare.* Nihil enim numinis debet Christianus colere, vel credere excepto vno Deo, viuo & vero in aliqua creatura. Quod qui agit, non theosebiæ cultum exhibet, sed idololatriæ crimen incurrit, seruiens creaturæ, quasi creatori, & mutans gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem hominis corruptibilis. Cum ergo ad imitationem Patrum, sanctos (vt dictum est) vel sacras imagines adoramus, summopere

Gen. 23.12.

cauen-

A cauendum est, ne illis in aliquo cultum Deo debitum impendamus.

Ita sacras imagines veneramur, sicut in libro regulę Catholicæ fidei, qui *Decreta* nuncupatur, traditum tenemus à Patribus, vbi dicitur. *Venerabiles imagines Christi nō Deos appellāt, neque seruiunt eis, vt diu, neque spem salutis ponūt in eis: neq, ab eis spectāt futurum iudicium: sed ad recordationem, & memoriam primitiuorum venerantur eas, & adorant, sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ.*

Venerabiles de Cōs. d. 3. et Synod. 7. general. Actione 6. tomo 2. initio.

Dicitur quod ad recordationem & memoriam sacras imagines veneramur, quia cum eas tempore orationis aspicimus sanctorum acta ad memoriam reuocamus, vt sint nobis exemplar virtutum, & quam cum Christo fruuntur beatitudinem, recordamur orantes vt nos commendent Deo eorum orationibus sacris. Sunt nobis aliquando pro lectione & maxime laicis, qui literas nesciunt, sicut Gregorius Sereno Massiliensi Episcopo scribit, dicens: *Perlatum ad nos fuerat, quod incōsiderato Zelo succēsus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione ne adorari debuissēt cōfregeris. Et quia ea adorari vetuisse omnino laudauimus, fregisse vero reprehendimus. Dic frater à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Aliud est enim picturam adorare: aliud per pictura historiam quid sit adorādum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus. Quia in ipsa ignorantes vident, quid sequi debeāt: in ipsa legunt, qui literas nesciunt. Vnde & præcipue gētibus pictura pro lectione est.* Hic imagines laudat non adorari, quod intelligitur de adoratione latriæ. Cum in præmissis dicatur quod Christiani venerantur eas & adorant, & Ecclesia Deo canens dicat, *Crucem tuam adoramus Domine.* Quod intelligitur de adoratione duliæ. Adorare igitur debemus sicut diuinam scripturam imagines sacras, quæ aspicientibus sanctam deuotionem excitant, & doctrinam edocent salutarem credentes. Quis tanta insania ducitur, vt sacram videns scripturam non suppliciter veneretur, & Euangelium Dei non adoret, & osculetur? Habemus ad hæc exemplar vitæ sanctissimum patrem Franciscum, qui vt ipsius testatur legenda si quando in terra aliquam reperiebat scripturam, humiliter eleuans, venerabatur eam, & in loco mundo ponebat, eo quod fortassis continet scriptum nomen sanctum. Hoc etiam faciunt perfidi calumniatores Iudæi, cum coram libro legis suæ, qua possunt reuerentia incuruantur, & osculantur illud. Et ipsi quidem adorant chartam legis suæ, quia ex humilitate vel reuerentia coram re aliqua incuruari idem est quod ipsam adorare, & Christianos procaciter nituntur reprehendere, quia sacras imagines, scripturas diuinas, & sanctos Dei humiliter non cultu latriæ, sed duliæ venerantur. Videmus Iudæos, qua possunt humilitate, ac reuerentia frequenter coram seculi principibus inclinari, & tamen stultis latratibus dicunt, quod nos adoremus cultu reuerentiæ sanctos Dei.

l. 9. Epist. 9. habetur de consec. d. 3. c. perlatum.

B

C

Esther. 3. 2. Si autem quæritur, quare Mardocheus Aman noluit adorare, respondemus; quia ille diuinam adorationem sibi nolebat impendi. Ignorabant enim Gentiles Deum & temeritate sacrilega cultum diuinitatis sibi compellebant subiectos populos exhibere subiecti quoque Deos esse suos principes asserebant, & eis diuinitatis impendebant culturam. Vnde Olofernes dicit, Quis Deus, nisi Nabuchodonosor Rex omnis terræ? Et Pharao dicit: Deum non noui. Inde est quod fidelis Mardocheus, qui vere Deum nouerat Deitatis cultu Aman sacrilegum adorare nolebat. Occurrit etiam quod Ioannes in Apocalypsi Angelum voluit adorare, sed prohibuit fieri Angelus dicens: Vide ne feceris conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium IESV Deum adora. Nunquid Ioannes, qui Deum nouerat, diuinitatis cultu Angelum adorare volebat? Nequaquam sed quia erat homo se minorem Angelo æstimabat. Angelus autem maioritatis cultum ab eo sibi nolebat impendi qui hominem Deum adorabat exaltatum super omnes ordines Angelorum: & Ioannem, ac beatos eius coapostolos familiaritate diuina, & excellentia sanctitatis ad dignitatem dignioris ordinis Angelorum nouerat pertinere. Hic Angelus, vt credo, erat de numero maiorum principum supernorū, qui magnum Apostolum Ioannem, qui præ cæteris fulgebat priuilegio castitatis, & Filij Dei prærogatiua dilectionis parilitate sancta suum vocat conseruum dicens: *Conseruus tuus sum & fratrum tuorum.* Princeps exercitus Domini sanctos Apostolos mundi principes vocat conseruos: & non vult ab eis adorari minoritate dignitatis, quos Domino reuelante ęquales nouerat. vel maiores excellentia potestatis. Reuera magnus est credendus hic Angelus per quē dilecto suo Ioanni Domin⁹ reuelare voluit secreta cœlestia. Ante aduentum Christi Patres sancti Angelos velut superiores adorabant eos vocantes Dominos, & hoc fieri Angeli permittebant, quia per peccatum primi hominis inimicitias esse cernebant inter Deum & hominem, & minores censebant, quos in præsenti mori, & post mortē ad infernum duci animas eorum videbant. Nunc aūt quia per Dei filium pax est inter Deum & hominem reformata, ita vt hominib. ianuæ cœlestis ingressus pateat, & perfectorū animæ, mox vt de corpore exeunt, ad cœlestes sedes euolant, & in sanctorum Angelorum ordinibus collocantur, quos sentiunt æquales, nullatenus velut minores despiciunt: nec ab eis minoritatis expetunt cultum: si quid autē à nobis illis exhibetur reuerentiæ sanctitatis accipiunt benigne, non vt dij vel Domini, sed vt serui sunt, & sanctorū hominum conserui, & quia secundum Apostolum debemus *honore inuicem præuenire*, dignum est vt amicos Dei, tam homines q̄ Angelos humiliter veneremur: & eos nostros Dominos & Patronos non cultu Deo debitæ seruitutis, ꝙ latria dicitur, sed cultu reuerentiæ sanctitatis quod dicitur dulia, suppliciter adoremus, vt eorum adiuti orationibus ad Dominum, qui fecit nos peruenire feliciter mereamur.

D

Iudith. 5. 29
Exod. 5. 2.

Apoc. 19. 11.

E

F

Cunctorum post Deum Dominam, & Reginam genitricem Dei Mariam Virginem inuiolatam corde humili deuota mente adoratione duliæ veneremur præ cunctis sanctis, illi gratias & laudes persoluentes per quam liberati sumus, de infernalibus pœnis, & reddimur gaudijs sempiternis. Cum eius nomen sanctissimum diuinis profertur obsequijs, dexteram manum nos humiliter inclinantes & adorantes in terrā ponimus, vt ipsam de terra humani corporis fateamur de masculo & fæmina matrimonio legitimo procreatam: atq; de ipsa Dei filium verum corpus non phantasticum assumpsisse in matre virginitatis gloria permanente. Recognoscimus nos esse terram & cinerē, vt de tantis donis acceptis per matrē virginem non eleuemur superbi, sed humiliemur in conspectu Domini Dei nostri: q̄ pro nobis de terra nostra terreum corp⁹ accepit, & corpora nostra in resurrectionis gloria immutabit. Ipsum solū seruitute vel adoratione Latriæ cum Patre & Spiritu S. adoramus, laudamus, & glorificamus, qui est adorabilis, laudabilis & mirabilis in sanctis suis in secula seculorum.

G

CAP. XXII.

In templis Deus est adorandus.

QVamuis Deus vbiq; sit orandus, & adorandus eo ꝙ vbiq; sit per potentiam, siue per pręsentiam maiestatis, est tamen orandus & adorādus præcipue in templis ad honorem sui nominis dedicatis, vbi credimus frequentius adesse sanctorum exercitus Angelorum & illorum sanctorum spiritus, quorum memoriæ seu reliquię in ipsis Ecclesijs venerantur. Hos in suis orationibus merentur habere fautores, qui pia vota in Ecclesijs Deo dicatis afferent in conspectu Domini, & sanctorū Angelorum eius. Vt enim beatissimi testantur Gregorius & Isidorus & fides catholica firmiter tenet, adest Dominus noster Iesus Christus quotidie cum beatis spiritibus supernorum, quando mysterium corporis & sanguinis eius fideliter geritur in Ecclesia. Quis non credat tunc deuote adstantes fideles cęlestis exercitus consonos fieri, & in suis petitionibus iustis, sanctorū auxilio exaudiri? Deferunt orationes iustorū sancti Angeli coram Domino teste Archangelo Raphaele, qui dicit Tobiæ. *Cum orabas* tu & Sara, ego obtuli memoriā orationis vestræ in conspectu claritatis Dei. Igitr̄ orationis suæ tempore debent fideles ad domū Dei concurrere, & ibi orationes & laudes Deo persoluere, vbi præsētialiter adest Christus cū spiritib. beatorum, vt audiant orationem & confessionē Dei seruorū. Quia sicut dicit in canticis canticorum. Amici, id est sancti Angeli, auscultant vocem Tob. 12. 12.

H

A Cant. 3. 13. & c. 2. 14. Deo psallentis Ecclesiæ: quia vox illius dulcis est, & facies eius decora, quæ est conscientia munda. Tunc enim est oratio, siue laus coram Deo, & Angelis eius pulchra, cum de munda progreditur conscientia: quæ vt in quolibet etiam peccatore sit munda: primo cordis contritione abluitur, secundo confessione oris egreditur, vt appareat, tertio operis satisfactione eruditur, vt splendidior fiat. Dulcis est vox peccatoris coram sanctis Angelis, si vera præcedat contritio cordis. Sine cordis contritione non est speciosa laus in ore peccatoris. Ideo per cordis contritionem faciem conscientiæ abluere studeat, & oraturus ad domum Domini veniat, qui dulcis & decorus in præsentia sanctorum Angelorum apparere desiderat. In conspectu Angelorum se psallere psalmista fatetur cum dicit: *In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*. Audiant pigri & desides quia non dicit adorabo ad lectum meum, *sed adorabo ad templum sanctum tuum.*

Eccle. 15. 19.

Psal. 137. 1. & 2.

B Quicunque ergo se fatetur Dei seruum, & sanctorum amicum ad domum Domini tempore orationis veniat humiliter petitiones orationum suarum porrigat: faciem conscientiæ mundæ prætendat, vt cum amicis suis super illius pulchritudine Dominus delectetur & clementer annuat postulata. Capiat cognitionem diuinam ne sibi in die iudicij eum reprobis Dominus dicat, *Amen amen dico vobis, nescio vos.* Virgines, viduæ, & continentes, quæ ad agni sponsi vestri nuptias suspiratis ad Ecclesiam properate. Est enim Sponsus Christus qui ad hoc stat vt ad se venientes sponsas respiciat: & in deuotione orationis notet feruorem earum dilectionis. Fideliter viuentes cum coniugibus suis, ad domum Dei veniant: & Christo munus sanctæ orationis deferant: quia coronabit eas in æterna claritate ille cœlestis sponsus, pro cuius amore seruant fidem suis coniugibus. Omnis homo orationis gratia ingrediatur in domum Dei omnibus horis, & maxime cũ sacrosanctum corporis & sanguinis Domini sacrificium celebratur. Quia tũc vere in corpore pro nobis assumpto de Virgine Deus & homo adest Christus & auget gratiam cunctis deuotione sancta fideliter assistentibus. Licet vbique Deus sit à fidelibus adorandus, est tamen in domo orationis specialius vt est illud. *Adorate Dominum in aula sancta eius.* In Ecclesia fideles conueniant ad orandum, si possibilitas tribuit omnibus horis constitutis exemplo Domini qui eum parentibus ascendebat orare in templum Domini omni anno. Qui etiam eiecit de illo omnes ementes & vendentes, dicens, *Domus*, inquit, *mea, domus orationis vocatur.* Et de primatibus Apostolorum Petro & Ioanne legitur: Quia *ascendebant in templum orare ad horam orationis nonam.* Anna etiam spreta domo animam suam fudit orãdo in domo Domini, & meruit obtinere, vt esset mater sanctissimi Samuelis. Filia quoque Phanuelis quæ & ipsa vocabatur Anna, quæ vixerat à virginitate cum viro suo annis septem, & erat vidua octoginta quatuor annorum & non recedebat de templo seruiens Deo ieiuniis & obsecrationibus die ac nocte. Et quia perseuerauit in templo Domini meruit in carne videre filium Dei, & inter sanctos præcones Domini numerari. Conueniant fideles ad orandum in domum Domini, quia ibi est frequenter conuetus spirituum beatorum. Qui & ipsi orando orationes adiuuant seruorum Dei. Multiplicatis intercessoribus sanctis flectetur ad misericordiam Dominus: & obtinebit sanctorum oratio, quod non valent per se preces vnius peccatoris. Quia si peccatores non audit Deus sanctos pro impiis postulantes, vt conuertantur & viuant. Orant sancti pro illis qui ad orationem conueniunt in domum Domini. Orat vetus testamentum, & Ecclesia deuotissimas preces fundit. Dominus etiam se præbere eorum orationibus promittit assensum dicens, *Petite & accipietis*: & oranti Salomoni, vt quicunque orando peteret in templo Dei, exaudietur ab illo *apparuit ei Dominus, & dixit ei: Audiui orationem tuam. Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui orauerit in loco isto.* Orat enim Ecclesia, vt dignetur Dominus mittere sanctum Angelum suum de cœlis, qui custodiat, foueat & defendat omnes habitantes vel conuenientes in domum Domini.

Mat. 25. 21. Apoc. 19. 7.

C Psal. 28. 2. iuxta Psalterium Goticum

Mat. 21. 13. Actor. 3. 1. 1 Reg. 1. 9.

Luc. 2. 36.

D Ioan 9. 31. Ioan 16. 24. 3. Reg. 9. 3. & 2. Par. 7. 15.

E In annua etiam festiuitate dedicationis Ecclesiæ orat, *vt quisquis illud templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.* His & aliis orationibus sacris adiutus orans in domo Domini, exaudietur his coadiuuantibus dante Dño, qui solis suis meritis & precibus non poterat obtinere. Sed fortassis obiicis, quod Dñs dixit discipulis suis: *Cum oraueris intra cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum.* Sane intellige verba Saluatoris, ne sumas tibi ex vita periculum mortis. De cubiculo enim cordis voluit intelligere, qui pro se crucifigentibus manifeste orauit eleuatus in cruce dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt:* Et Stephanus pro se lapidãtibus manifeste orans, non in occulto sed in aperto positis genibus clamauit voce magna dicens: *Ne statuas illis hoc peccatum.* Et sanctus Dauid dicit: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Et Dñs dicit in Euangelio: *Luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ita fiãt orationes & opera nostra in publico, quatenus intẽtio maneat in occulto. Et soli Deo placere de sidetem⁹ in cubiculo cordis, & exterius cæteris luceamus exemplo bonæ operationis. Qui autẽ est ægritudine, vel necessitate ineuitabili prępeditus vbicunq; potest, oret & psallat Domino: quia vltra posse hominis Deus nihil exigit. Doleat tamen quia ad templum Dei non potest accedere: & Dñs supplebit pœna illius doloris, quod non potest perficere defectus possibilitatis. Qui etiam ad diuina venit temporibus constitutis in domum Domini, & extra gratia sibi præstatur orandi, siue psallẽdi, gratias agat, orte æquo animo & psallat: Quia quidquid supererogauerit reddet illi Dominus cum venerit in maiestate sua.

Mat. 6. 6.

Luc. 23. 34. Act. 7. 60. Ps. 5. 8. Math. 5. 16.

F

Cap. XXIII.

Quare ad Orientem oramus.

G Consueuit Ecclesia Dei orare ad Orientem, vt per hoc etiã à sectis variis & erroribus separetur, quæ solis iustitiæ illustrata, se Domino soli *Christo Iesu* desponsauit: rantoq; mente & corpore ab aliorum recedit culturis quãto præ cęteris Dei cognitionẽ accepit: & calore S. Spiritus inflammata odit tenebras vitiorum, & cunctos errores anathematizat, & execratur. Non solũ fide, verũ etiam cõuersatione, & exteriore cultu debent fideles ab infidelibus separari, ne cogitatione peruersã doctrinæ Ecclesiæ simplices deprauentur. Nihil velint habere cõmune cum hæreticis, ne illorũ hypocrisi decepti deuiẽt ab itinere veritatis. Etenim hypocryta loquitur blando sermone, sed fortiter terit pede. Tenui flatu sibilat, & subditos fraudulento gressu cõculcat. Se sanctũ ostẽdit in vita aliorum, & rigidũ, qui est mollis & dissolutus in propria. Secundũ vocem diuinã *festucã perspicit in oculo alieno, & trabẽ non videt in suo.* Nõ exigit à subditis conuersationem sanctã, sed adulatiõnẽ & pecuniã. Hæreticus exterius simulata mansuetudine mulcet audientes, & occulte letali dẽte mordet sibi credẽtes.

Prou. 6. 13.

Mat. 7. 3.

H Proinde Catholici, vt omnino ab eorum prauis dogmatibus separẽtur, sanctarum scripturarum lumine præeunte SS. Patrũ consuetudines imitãtur, vt erroris nebula nõ obstante ad solem iustitiæ valeant peruenire. Hæretici vero nouas suæ perditionis sectas cõfingunt, & tenebris obcœcati à sole veri luminis remanent alieni: & modo ad Orientem, modo ad Occidentem, modo ad Meridiem, modo ad Septemtrionem orant, & circumferuntur vagi in omnibus actionibus suis. Orant Sarraceni ad meridiem, & Iudæi diuerso modo. Catholici vero quibus diuina scriptura dicit: *Vobis timentibus nomẽ eius orietur Sol iustitiæ* orãt ad oriẽtem diuino oraculo admoniti per Salomonem, qui dicit Deo: *Oportet solem præuenire ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis ibi te adoraui.* Et quia, vt ait Dauid: *Exortum est in tenebris lumen rectis corde*, debet populus Dei respicere, & adorare ad Orientem. Vt ille, de quo dicitur: Oriens vocabitur nomen eius, qui est oriens ex alto Deus Israel, fideles lumine claritatis suæ perfundat, qui habitat lucem inaccessibilem & in lucem suę diuinitatis præcipit credere dicens: *Credite in lucẽ, vt filij lucis sitis.* Testatur etiã ipsa veritas, quod *qui male agit, odit lucem. Et qui facit veritatem venit ad lucem.*

Mal. 4. 2. Sap. 16. 28. Ps. 111. 4. Zach. 6. 12. Luc. 1. 78. 1 Tim. 6. 16. Ioan. 12. 36. Ioan. 3. 20.

A Non est aliquid numinis credendum in sole, sed ex ipsius luce & pulchritudine, quam inæstimabili creator resplendeat sapientiæ claritate, qui de nihilo tam splendidam creauit speciem: ad cuius similitudinem claritatis post resurrectionem sunt nostra corpora immutanda debent fideles aduertere, vnde est merito adorandus, & cultu debitæ seruitutis solus colendus. Paradisus quoq; terrestris fertur esse in partibus Orientis, à quo culpa sua eiectus est primus parens. Luit pœnas originalis delicti tota sequens propago, & ingemiscit, cum videt se ærumnis huius exilij prægrauari, suspirans homo vertitur ad Orientē, & quasi considerans patriam, à qua se luget expulsum, in eo compunctio, & orandi desiderium fortius excitatur, eo quod credit perdita precipibus obtinere. Et quamuis potiora sunt bona cœlestia ad quæ credimus peruenire, tamen magis excitatur animus ad quærendum dū considerat damna, quæ patitur, & bona reducit ad memoriam quæ amisit, & quia preces affectuosiores sunt, quæ nituntur bona perdita obtinere, ad Orientem oramus, vt in nobis

B excitetur deuotio quatenus preces nostræ obtineant apud Deum. Preces enim affectuosas quæ ex iusto proueniunt desiderio, exaudit Deus. Iustum est desiderium no-

Matth.6.38 strū *si regnum Dei orantes petimus primum.*

Ex sacris præmissis auctoritatibus, & rationibus patet, quod debemus orare ad Orientem, nō vt credamus, quod Orientalis plaga localiter contineat Deum, cum totus vbique sit: sed quod ab ipso patre luminum omnia opera lucis procedant, & sacris obtemperemus scripturis, qui Deum ad Orientem lucis præcipiunt adorare.

LVCÆ TVDENSIS ADVERSVS ALBIGENSES

C

Liber Tertivs.

Hæreticorum fraudes.

Cap. I.

SVperius dictum est, qualiter hæretici nituntur omnimode peruertere Catholicam fidem sanctorum patrū adulterando doctrinam in eorum libris, adiiciendo falsa, vel resecando vera, & etiam nouitate picturarum Ecclesiæ consueta mutando: nunc etiam qualiter diuersis aliis modis eandem fidem corrumpere satagunt duximus demonstrare, quatenus fideles eorum argumentorum fallacijs agnitis erroris nodos valeant euitare. Sub philosophorum seu naturalium doctorum specie sacras scripturas laborant peruertere. Malunt vocari naturales, seu philosophi, cum antiqui philosophi ab hæreticis parum distent: & modernorum naturalium plures hæretica labe sordescant. Attribuunt enim naturæ, ea quæ quotidie mira dis-

D positione Dominus operatur. Hi, quasi exponentes vetus testamentum, conficiunt sacrilegos libros, quibus fraudulenter venenum erroris legentibus infundunt, dicentes: Non reprehendimus sacras scripturas, sed quod

Genes. 1. Psal. 145. 6. ipsæ dicunt, *quia Deus fecit cælum & terram & mare & omnia*

Gen. 2. 21. *quæ in eis sunt*, nos qualiter ea fecerit explicamus. Non est credendum, quod Deus Adam excostauerit, & de costa illius formauerit Euam: sed intelligendum est, quod de superficie terræ humidæ mediante calore Adam fecerit, & de inferiori parte, illi contiguæ produxerit Euam. Vnde vir est calidior fœmina, quia de calidiori parte formatus. Dicitur autem mulier sumpta de costa viri, quia de terra illi proxima facta est. Ecce quam fraudulenter astruunt hæretici, nequam non esse verum, quod diuina testatur scriptura dicens: *Immisit soporem in Adam & tulit vnam de costis eius, & ædificauit costam quam tulerat de Adam in mulierem.* Hoc enim ita factum credit Ecclesia, sicut litera sonat.

Item hæretici, quod inquiunt, dicit scriptura Deum fecisse omnia præterita, & facere in præsenti, ita intelligen-

E dum est, quod Deus faciendi omnia naturæ contulit potestatem. Vnde proueniunt à natura, & non extenditur diuina prouidentia ad creandas species singulorum. Ergo cassæ sunt preces, quæ Deo pro bonis temporalibus offeruntur. Quia nihil potest in hoc mundo fieri nisi quod determinatum est à natura, & sic plane criminatij mentiuntur. Quia, vt ait veritas. Pater Deus vsque modo ope- Ioan.5.17.
ratur, & filius similiter operatur, & dæmonia eiicit, & perficit sanitates.

Alia plura, vt oppugnent veritatem, proferunt hæretici, qui Philosophorum seu naturalium nomine gloriantur. Quorum finis est Manicheorum inducere sectam, & duos fateri Deos, quorum malignus (vt procaciter mentiuntur) creauit omnia visibilia. Contra quos dicit Aposto- 1. Cor. 8. 6.
lus. Nobis vnus est Deus Pater *ex quo omnia*, & nos in ipso, & vnus Dominus *Iesus Christus* per quem omnia, & nos per ipsum. Item idem Apostolus de Christo alibi dicit: *Qui est* Ad Col.1.5.
imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso

F *condita sunt vniuersa quæ sunt in cælo, & in terra, visibilia & inuisibilia.*

Cap. II.

Negant hæretici vera fuisse Christi *miracula.*

ITem hæretici quidam dicunt: Verum est, quod continetur in nouo & veteri testamento, si intelligatur secundum mysticum intellectum: ad literam autem nulla sunt omnia, quę continentur in eis. Quia quod legitur de Christo, quod cœcos illuminauerit & alia signa fecerit, de illis intelligendum est, qui erant in peccato & detinebantur mentis non corporis cæcitate. Ex his & alijs erroribus multis profanas condunt scripturas, easdem philosophorum quibusdam floribus decorantes, vt est ille liber qui *perpendiculum scientiarum* dicitur quatenus propter ornatum Philosophicum, & etiam propter quasdam sententias sancta-

G rum interpositas scripturarum in cordibus legentium hæresis reperiat locum. Hi vero, qui huiusmodi libros deferunt cum deprehensi fuerint ad excusationem suæ prauitatis dicunt: *Eligat bona lector, & abiiciat praua, non enim repellenda sunt bona pro malis, nec vera pro falsis. Sapiens namque propter spinas flores non abiicit. De spina legitur rosa, & de Philosophorum libris pulchra sapientia.*

Dum hæc vera hæretici proferunt, decipere quærunt, more aucupis, qui inter laqueos auibus spargit escas. Latenter virus ingerunt dum quandam palam offerunt dulcedinem veritatis. Nulla enim est adeo praua doctrina, quin præferat aliquam veritatem. Reuera bona sunt colligenda, & abiicienda praua: sed valde periculosum est in campo refecto serpentibus colligere flores. Stultum est in toxico quærere medicinam, dum quis sanis speciebus abundat. Vnde hæreticorum libri omnino abiiciendi sunt, etiamsi aliqua contineant bona, vitandæ sunt suspectæ scripturæ, ne dum in eis quærimus vitam, mortem inueniamus. Nec est mens incaute accommodanda philosophorum sententiis, eo quod de ipsorum sanguineo fonte

H hæreses emanarunt. Quis vel insanus credit secundum cursum planetarum, vt testantur Philosophi omnia inferiora moueri, & non potius secundum voluntatem diuinam? suo enim planetæ subseruiunt creatori, sine cuius nutu, neq; ipsi mouentur nec velle atque nolle adiacet illis. Quapropter scripturas debent legere Christiani, in quib. possunt sine periculo delectabiles colligere flores & æternę dulcedinis suauissimos carpere fructus. Qui sanctorum Patrum libris abundant, in quibus cœlestia rutilant sacramenta, & sanctæ honestatis rutilant eloquia, & fulgent immarcessibilium sententiis florum, non debent oculos Deo consecratos ad feces Scripturarum hæreticorum aliquatenus retorquere. Illi autem, qui dicunt Dominum ad literam miracula non patrasse, audiant, quid de cœco nato, & curato à Domino referat Euangelium: legitur n. quod postquam illuminatus fuerat inuenit eum Iesvs, & dixit ei: *Tu credis in filium Dei?* respondit: *Quis est Domine vt* Ioan.9.35.

A credam in eum? patet quod in fide illuminatus non erat, qui vetum lumen oculis carnis videbat, & cum nō agnoscebat. Qui tamen postea cognouit Deum & procidens adorauit. Ergo illuminatio, quæ præcessit, corporea fuit. Mat. vlt. 17 Dominus etiam in Ascensione sua discipulis dicit. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: *In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c.* Qui illuminandi erant, & alios illuminare debebant signis corporeis, qui iam erant per fidem illuminati oculis cordis. Item hæreticorum aliqui, vt occulte deiicere possint, quos non valent propter fætidam suam infamiam ducere in errorem, nonnunquam sub specie presbyterorum secularium vel etiam aliorum religiosorum fratrum, & monachorum calliditate subdola secretis confessionib.. multos decipiunt, & batathro suæ dānationis submergūt

Cap. III.

Hæretici Iudæorum perfidiam simulant.

B Item hęretici quadam excogitata malitia plerumq; circunciduntur & sub specie Iudæorum quasi gratia disputandi ad Christianos veniunt, & hæreticas quæstiones proponunt. Liberius tanquam Iudæi hæreses seminant, qui primo verbum hæresis dicere non audebant. Audiunt seculi princeps & iudices vrbium doctrinam hæresum à Iudæis quos familiares sibi annumerant & amicos. Si aliquis ductus zelo legis Dei aliquem horum exasperauit, punitur quasi qui tangit pupillam oculi iudicis ciuitatis. Hi docent alios Iudæos suas blasphemias contra Christianos proponere, vt vel sic fidem Catholicam peruertere possint. Habent fautores omnes Synagogas malignantium Iudæorum & infinitis muneribus principes placant, & iudices ad sui culturam auro perducunt. Heu pro dolor, non est, qui vicem Ecclesiæ Christi doleat, & lugeat Ezech. 13. 5. detrimenta. Non est, qui se opponat murum pro domo C Domini & moueat pennam, & aperiat os, & ganniat, & stet ex aduerso, vt resistat Ecclesiam demolientibus inimi- Ierem. 9. 1. cis. *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo interfectos populi mei die ac nocte?*

Esaia. 31. 8. Cadunt Ecclesiæ fortes gladio non viri: & iudices eius Cant. 2. 5. ad æterna supplicia à vulpibus paruulis ducuntur captiui. Imponitur silentium ori meo, mutire non audeo. Quia me omnes vnanimiter amentem vocitant, & insanum. Sordescit sermo diuinus in ore meo: & qui audiunt dicunt, sile, & in oculis meis exprobant veritati.

Qui crucifixerunt Dominum Deum meum, euacuant fidem eius, & opprimunt pauperes sine causa. Ecclesiæ Prælati manus eorum roborant: & illorum cæcati muneribus, eos attollunt quasi suæ legis sedulos defensores. Nolunt credere, vel vocari hæreticos, quos hæreticis propositionibus, & operibus assidue vident fidem Catholicam deuastare. Tantam illis lætitiam generat splendor munerum oblatorum, quod dolere non possunt de mortibus subditorum, auri splendor delet rigorem iustitiæ de cordi- D bus iudicum secularium & compassionis nebulam de mentibus prælatorum.

Reginæ cœlorum inuiolatæ genitricis Dei Mariæ contra morem Hispanicum virginitas à perfidis publice blasphematur: & friget calor bellicus & Catholicus Hispanorum, qui hostes Catholicæ fidei velut flamma consueuerat deuorare. Qui si virtutis præteritæ zelum ad memoriam reuocet taliter contra huiusmodi callidissimos hostes exerto mucrone debet se gerere, vt cunctis erroribus viriliter extirpatis, etiam errorum auctores cum suo pereant scelere, nisi fidem Catholicam non solum voce, verum etiam sanctis operibus fateantur. Taliter enim procedendum est contra Iudæos, siue alios qui contra fidem Christi proponunt hęreticas quæstiones, sicut contra illos, qui eosdem gignunt errores.

E

Cap. IV.

Hæreticorum emissarii Catholicorum speciem præ se ferunt decipiendi studio.

Item hæretici, vt possint decipere occulta fraude, aliquem hæreticorū, qui in errore suo scientia & eloquentia gloriatur, pluries ad ignotas dirigunt ciuitates. Qui cum ad destinatum venerit locum, se Catholicum fingit, & in omnib. quæ geruntur in Ecclesia, se promptissimum apparenter exhibet ac deuotum. Execratur verbis hæreses manifeste, cum occulte in eo virus erroris redundet. Hic frequenter accedit ad loca, vbi hæretici sua faciunt conuenticula, ferens secum aliquos fidelium, & cum hæreticis disputationis aggreditur litem. Plura proponit Catholica, vt Christi fidem toto conamine defendere videatur. F Vltimo tamen ex industria succumbit, quasi non habens, quasi valeat defendere rationem. Infremit etiam quasi turbatus & in hæreticos iactat conuitia. Quod videntes miseri sodales eius, qui cum eo Catholici venerant, hæretici reuertuntur. Habet enim ille diabolos inter Catholicos fauorabilem opinionem. Quia quando disputat cum Catholicis quæstiones Catholicas proponendo pro viribus victor abscedit, qui semper succumbit cum hæreticis disputando. Tamen inter Catholicos sæpe proponit contraria, vt eos in fide aliquo modo faciat dubitare. Sedulo contra huiusmodi debent pastores Ecclesiæ vigilare, quia in multorum cedit euersionem, dum is qui à Catholicis sapiens iudicatur disputando cum hæreticis ab eis videtur multoties superari, maxime cum is qui fidem Catholicam videbatur tueri, se victum iure occulte ab hæreticis fateatur & hæresim laudet, quam prius se fingebat habere exosam, multi simplicium deprauantur.

Item hæretici nonnunquam, vt occasionem inueniant malignandi, diuinis se intermiscent officijs, & inter diui- G nas laudes quædam ridiculosa depromunt, & Veneris carmina, vt astantium mentes reuocent à diuinis, & detrahere possint Ecclesiæ sacramentis. Procurant etiam vt credant Christiani quod nullus hæreticus velit stare in Ecclesia dū celebratur missa, & corporis & sanguinis Domini conficitur sacramentum. Vt dum ipsi ad Ecclesiam frequenter conueniunt, & deuotas orationes & laudes se Deo simulant exhibere, indubitanter pro Catholicis habeantur: & sic valeant suam nequitiam occultare: & captare tempus quando possint doctrinam suæ væsaniæ seminare.

In secularibus quoque vanis choreis laruas ornant Ecclesiasticis instrumentis: atq; in iniuriam ordinis clericalis sordidis suis vsibus applicantes profanant sancta, quę non debent contrectari manibus laicorum, semper detrahunt ordini clericali, & in omnibus laborant Catholicæ fidei nocere. Coadiuuant eos in suis turpibus cantilenis, & vanitatibus aliis, fideles laici, & etiam clericorum aliqui credentes, quod ex deuotione sanctarum solemnitatum hoc faciunt alii. Nesciunt quod de periculo agitur animarum H illorum, & erroris gladium in eorum visceribus mergere Prou. 7. 23. student hæretici. Scire debent fideles, *quia cum nulla sit conuentio Christi ad Belial, aut consensus templo Dei cum idolis,* nul- 2. Cor. 6 15. la conuentio canticis *Iesu Christi* filii Virginis ad carmina filiorum Veneris. Quæcumq; sunt in Ecclesia manufacta, vt tectum, parietes, fundamentum, vasa & sacræ vestes, & cętera vtensilia consecrata sunt Christo, & nequaq̄ debent transire ad alios vsus, vt ira Dei prouocetur in populo.

Cap. V.

Hæretici suis sectatoribus opulentiam tenere pollicentur.

Item procurant hæretici, vt dicat fama, vt quicumque fuerit illis obediens & errore socius, erit affluens bonis mundi, & illi diuitiæ augmentabuntur continuo. Vnde veniunt ad eos miseri cupiditate aliqua inflammati, & dum cupiunt ab eis qualiter fiant diuites edoceri, obedire promittunt: eorum prauis sermonibus aurem tribuunt,

&

A &erroribus implicantur. Dum putant terrenis diuitijs misceri & blasphemi augeri, in puteum æternæ damnationis labuntur. Hoc enim ab eis hæretici exigunt, vt blasphement, & anathematizent omnia fidei Catholicæ sacramenta. Suo frustrati desiderio, orthodoxæ fidei carent diuitijs mentis & maiorem incurrunt pauperiem corporis. Quid enim diuitiarum hæretici suis credentibus conferre poterunt, qui nisi ab alijs accipiant eleemosynam, vel nisi proprijs manibus operentur, non habent vnde pascantur? Tamen credentes eorum aliqui multas pecunias aggregant: quia furandi & fraudandi causam accipiunt ab ipsis hæreticis, & dandi alijs ad vsuram.

Dicunt eis hæretici: Omnia quæ in hoc mundo visibilia sunt à Diabolo facta sunt. Vnde non refert in lucro pecuniarum vtrum bene adquirantur, vel male: quia nec bona adquisitio illarum saluat, nec mala damnat. Nihil prodest alicui bona facere, nec obest agere mala: quia omnis homo pari pœna damnatur, si extra nostrum ordinem moritur. Hæc dicentibus hæreticis vani homines tribuūt miB serabiliter fidem, & se fraudibus, homicidijs, latrocinijs & vsuris committunt. Efferuntur effrenes per varia desideria carnis, & nulla est nociua delectatio, quam non pertranseat eorum luxuria. Abutitur filius matrem, frater fratrem, & pater in filia turpitudinem operatur. Retorquent sui erroris mercedem in semetipsos: quorum sunt blasphemi & sine misericordia senes, ad omne nefas promptissimi iuuenes, luxuriosi & proterui adolescentes, impuri pueri sine certo patre: infantes cum lacte matris virus erroris sugentes: mulieres effrontes, & sine verecundia, loquacitate garrula, vt alias decipiant, per domos discurrentes. Tales per ministros suos hæreticos Diabolus edocet, quos in præsenti diuersis immundicijs, & fœtore infamiæ polluit, & in futuro æternæ damnationis flammis comburit. Hæc vt ab illis accepimus, qui fuerunt quondam cœno fecis hæreticæ obuoluti, & per gratiam Dei ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redierunt, fidelium duximus scribere caritati, vt ab his & alijs occultis hæreticorum laqueis caueant, quib. C Ecclesiam Christi impugnare non cessant. Vigilent pastores Ecclesiæ super gregem Dominicum suæ custodiæ creditum. Quia quid eorum negligentia hæreticus lupus rapuerit, de illo redditu ri sunt rationem.

Sapien. 2. 8.

Rom. 1. 27.

Cap. VI.

Varias fabulas confingunt hæretici.

SVnt & alij diuersi modi quibus inimici veritatis hæretici oues Christi dilaniant: & ipsi quidem occulti. Nam cum aliter non possunt in fabulæ modum aliqua grauia proponunt dicentes. Duo homines gradiebantur itinere vno, & (vt moris est) crucem in biuio inueniunt. Quorū vnus procidens adorauit eam: alter vero lapidibus fregit eam, & pedibus conculcauit. Vtrumq; bona præcessit intentio, vnus enim eam adorauit, quia per ipsam Deus saluauit mundum. Alter eam lapidauit, quia Iudęi in ea occiderunt Christum. Hæc hæretici dicunt, non vt credan, q̄ D aliquis crucem debeat adorare, sed ab intentione adorandi crucem satagunt alios reuocare. Cum enim dicunt, quod in vtroq; bona pręcessit intentio, scilicet, in adorante crucem, & in confringente, volunt, vt intelligamus, quod benefecerit, qui confregit. Vnde cum talem sacrilegam fabulam ab aliquo audierit Christianus prout potest dure increpet proponentem, & audacter dicat, qui adorauit crucem fecit tanquam Catholicus: & qui fregit eam, fecit sicut hæreticus.

Contra hanc proponit Christianus aliam non fabulā, sed rem gestam. Quidam miles, fide Catholicus, sed ad vindicandas illatas iniurias acer & strenuus, vbicumq; crucē inueniebat, de equo prosiliens ad honorem saluatoris nostri eam suppliciter adorabat. Accidit quadam die vt propinqui cuiusdam nobilis, quem dictus miles occiderat, eo solo reperto in quadam eremo vindicandi sanguinis causa insequerentur ipsum. Cumq; ipse supersedens equo fugeret hostes, quia plures erant, ac nobiles, & eis resistere non valebat, ad quoddam compitum venit, vbi quandam E ligneam crucem vidit. Qui oblitus fugæ de equo descendit, & sicut consueuerat crucem deuotissime adorauit. Hostes vero cursu velocissimo venerunt vsque ad locum, & militem frustratim eductis gladijs parabant concidere, sed non defuit Catholico militi clementia redemptoris, nam clausit Dominus oculos ipsum volentium interficere, & cœperunt huc illuc discurrere; & nec militem, nec equum eius videbant. Qui mirantes admodum superfacto ad propria reuersi sunt phantasma esse dicentes, quod in effigie militis apparuerat illis. Liberauit Dominus per virtutem sanctæ crucis Catholicum adoratorem suum, vt militi adesset clementia Dei, & nobis præstaretur salutis exemplum, vt fideliter agnoscamus quanta remuneratione digni sunt apud Deum qui deuotissime crucem eius adorant.

Cap. VII.

Alia hæreticorum fabula.

F ITem hæretici væsaniæ suæ fabulam proponunt dicentes: Quædam mulier candelam accensam ad quoddam altare beatæ Mariæ detulit, & ea coram altari dimissa recessit. Venit autem presbyter quidam qui Ecclesiæ seruiebat, & candelam ipsam tulit, & suis vsibus reseruauit. Sequenti vero nocte Dei Genitrix dictæ mulieri apparuit, & candentem ceram in oculis illius proiecit, dicens: Accipe mercedem obsequij tui. Nam presbyter statim vt egressa es ab altari meo, quam posuisti candelam abstulit sibi: & vnde debueras præmium obtinere, si coram altari meo ardens consumeretur candela, inde nunc sustines pœnam, quia ad momentum mihi lumen præbuisti, quod propter tuam incuriam statim amouit presbyter.

Hæc hæretici dicunt, non vt curam gerant de illuminatione altaris, sed vt simplices concitent contra clerum, & deuotionis suæ consueta Eccl. Christi non deferant lumiG naria. Hæc diabolica fabula cum tempestatibus nostris hanc nostram attigit vrbem, ita exasperauit animos cunctorum simplicium, vt nullus more solito ad Ecclesiam deferret candelam. Vt autem hoc comperit venerabilis pater Legionensis Episcopus Rodericus, & per quendam adolescentem, qui super malum mortis hęreticam execrabatur insaniam certificaretur de facto auctores huius sceleris hæreticos quosdam, multos affectos malis à ciuitate expulit, & vix potuit ad deuotionem solitam reducere ciuitatem & errorem delere quem diaboli satellites seminarunt. Hæc & illis similia quamuis parua videantur, aut fere nulla, non sunt negligenter prætereunda, quia scandalizantur in eis simplices, & pereunt pro quibus Christus mortuus est, etiam dum negligimus minima, inde maxima damna consurgunt, & cadunt in errorem multi ex illis qui stare solide in fide Catholica videbantur. Proinde in sacra scriptura *vulpibus paruulis demolientibus vineas hæretici comparantur*, quia quasi paruis fraudibus, & occultis anfractibus vineam populi Dei corrodunt continue & in errorem inducunt. Cant. 2. 15.

H Per idem tempus mulier quædam Maria nomine cuius deuotio diuinis obsequijs apud nos commendabilis habebatur, dum in quadam die cereum accensum posuisset coram altare Genitricis Dei, & coram alijs altaribus quæ sunt in eadem Ecclesia candelas similiter accendisset, reuersa ad altare beatæ Virginis, candelam quam posuerat non inuenit. Quæ in ira vehementer commota præter morem consuetæ humilitatis & mansuetudinis Ecclesiæ Capellanum probris & contumelijs lacessiuit. Sequenti vero nocte, cum se sopori dedisset ei beatissima Virgo Regina cœli apparuit, atque dixit. O mulier quare ministro filij mei contumelijs exprobrasti? In supremo huius vitæ tempore constituta, quare ministrum Dei contristare minime formidasti? Deuota obsequia exhibuisti Deo & mihi, & nunc in tempore retributionis debitum tibi præmium amittere non vereris? Hæreticis delusa fabulis, non vis, vt Dei ministri de suo ministerio sustententur. Nescis quia seruientes altario de bonis altaris viuere debent? Grauiter deliquisti, sed cū ad matutinas laudes surrexeris

A ſtatim à presbytero veniam pete:& culpam hanc precibus & eleemoſynis redime. Age,vt docet religio Chriſtiana, quia poſt tres dies febre corripieris,& die vndecima huius vitæ finies curſum. His dictis Regina cœli diſparuit. Dicta vero mulier cœpit edere planctus, & ſingultus amariſſimos, & concite ſurgens ad Eccleſiam properauit & flens & eiulans de commiſſis veniam precabatur. Vocatus affuit capellanus, & coram eo proſtrata perfuſa lachrymis indulgentiam obtinuit poſtulatam,& in multorum auribus retulit,quam viderat viſionem. Tertia die iuxta viſionis conditum febre correpta omnia quę habebat Eccleſię ac pauperibus erogauit,& die vndecima poſt perceptionem corporis & ſanguinis Domini ſpiritum exhalauit. Mors ipſa fuit teſtis, quod vera eſſent quæ dixit mulier, & dubitantibus certum præbuit argumentum.

Poſt hæc Eccleſiaſtici indiſcrete accipientes candelas, quæ deferebantur ad illuminandam Eccleſiam à fidelib. cogebatur contra eos populus murmurare. Quadam autem die Dominica, cum in celebratione miſſæ quidã clericus adoleſcens,multis videntibus laicis,qui ob hanc cau-
B ſam maledicebant illi cum irreuerenter candelas extingueret & reponeret,ſubito arreptus à dæmonio cecidit,& vſque ad nouem dies quotidie vexabatur. Videbatur in ipſo loqui ac dicere: quia idcirco arripiendi ipſum à Dei genitrice acceperat poteſtatem,quia tam in officio Veneris,quam in extinguendis candelis,& in deriſionibus alijs impudenter ſe coram hominibus exercebat. Orantibus cunctis,qui aderant pro eo,qui vexabatur nona die ſanitatem recepit,& Ciſtercienſium Monachorum ſuſcepit habitum,& de cætero mores ſtuduit emendare. Qua in re omnipotens Deus oſtendere voluit quatenus quis flagitia ſua impudenter non debet propalare: & ſic Eccleſiaſtici de bonis Eccleſiæ viuant honeſtatem prætendentes in moribus, vt laicis non præbeant materiam murmurandi. Proni enim ſunt laici ad detrahendum clericis, & cito alterantur in contrariam qualitatem. Vnde debent Eccle-
C ſiaſtici ſolicite pręcauere ne ſint populis in ruinam quibus dati ſunt ad cuſtodiam. Quia non ſolum pro ſuis iniquitatibus punientur, verum etiam pro illorum quos prauo exemplo traxerint ad peccandum.

Capvt VIII.

Alia hæreticorum fabula.

Idem hæretici, vt laicos irritent contra clerum falſitatis fabulam proponunt,dicentes: Quidam laicus in ſimplicitate ſua Domino ſeruiebat, & male viuentes clericos acrius arguebat:quædam, quæ qualitercumque didicerat de Scripturis populis proponere cupiebat:ſed inuidentes illi clerici eum loqui coram alijs non ſinebant. Eo vero,vt verbum Dei proponeret, inſiſtente, clerici ducti malitia, eum coram ciuitatis Epiſcopo vocauerunt accuſationes contra ipſum & crimina confingentes. Quo audito Epiſcopus impoſuit illi ſilentium.

D Eo nihilominus in eo quod cœperat,perſiſtente. Epiſcopus autem excommunicauit eum. Et cum nec ſic deſiſteret,& etiam ipſum Epiſcopum de ſuis exceſſibus redargueret fecit eum Epiſcopus duriſſime flagellari. Et poſt paucos dies dictus laicus mortuus eſt,& Epiſcopo iubente extra cœmiterium ſepultus. Cœperunt vero ad ſepulturam eius miracula fieri, ſed contradicebant clerici,& in iram efferebantur. Accidit quadam die, vt iuxta ſepulturam dicti laici tranſiret Epiſcopus, & inquireret de miraculis,quæ fiebant. Et ecce ſubito de dicta ſepultura ſerpens egreſſus eſt,& Epiſcopum interfecit,& flagella dicti laici vindicauit.

Hanc diabolicam fabulam audientes multi laicorum quaſi de morte Epiſcopi vindicantur,& fremunt, atq; inſaniunt contra ordinem clericalem,& ipſi ex ſacrilega fabula effecti hæretici. Qui miſeri niſi ratione carerent, & eorum ſenſus diabolus occuparet, ſtatim in eum qui talia profert manus inijcerent, & ducerent ad Prælatos Eccleſiæ iudicandum. Sed applaudunt hæretico inferenti animabus eorum vulnera mortis, & iraſcuntur presbyteris portantibus illis medicinam ſalutis. Mira hæreticorum a- E
ſtutia. Non credunt in hoc mundo à patre luminum ali- Luc. 1. 17.
qua miracula fieri,nec humanum corpus à diabolo dicũt factum,& tamen vt decipere poſſint aliqua per eum fieri mentiuntur. Simulant ẽt in quibuſdam locis immundis fieri miracula vt decepti homines credãt hæc patrari à diabolo propter ſordes locorum, & ea quæ per Catholicos fiunt miracula in Eccleſia Chriſti ſimiliter facta à diabolo arbitrentur. Quod vt manifeſte pateat,& non ſeducantur ſimplices cum hæreticorum dolo in ſordidis locis miracula videntur fieri,ea quæ in hac noſtra vrbe ante biennium calliditate hæreticorum geſta ſunt, referamus.

Cap. IX.

Falſa miracula ad duorum facinoroſorum ſepulchra fieri fingunt.

Poſt deceſſum reuerendi patris Roderici Legionenſis Epiſcopi ſuper electione futuri paſtoris diſcordante F
voto & ſtudio clericorum inimici veritatis hæretici, qui ſemper ſitiunt diſcordiam clericorũ, vt reperiant aditum quo Chriſti oues mactent & perdant,ad hanc confluxerũt Ioan. 10. 10.
ciuitatem,tunc temporis carentem cuſtodia paſtorali: & in quodam loco ſordidiſſimo vbi multi egrediebantur ad exquiſita naturæ fieri miracula confinxerunt. Fuerat ibi ſepultus quidam hæreticus,& quidam alius homicida, qui exigente iuſtitia viuus fuerat miſſus in foueam à iudicibus ciuitatis,eo quod proditione patruum ſuum interfecerat, Eſt ibi prætèrea quidam fons, quem hæretici ſanguine polluerunt vt ipſa aqua verſa in ſanguinem crederetur. Confluebant de diuerſis partibus populi vt aſpicerent miracula,q fieri videbant. Veniebãt plures,qui erant occulte muneib. ſubornati; Alii fingentes ſe eſſe cœcos,alij claudos, alii dæmoniacos,alii ægritudinib. vexatos,& hauſta fontis illius aqua ſe mentiebantur recipere ſanitatẽ. Extumulantes ẽt oſſa hæretici ſupradicti, qui Arnaldus vocatus fuerat,& ante ſedecim annos ſepultus in loco martyrem ſan- G
ctiſſimum fatebantur. Plures clericorum ſimplicitate ducti laicos in facto ſacrilego ſedulo adiuuabant, & ſuper fontem domum fortiſſimã conſtruxerunt. Parabant oſſa dicti proditoris & homicidæ communi conſilio eleuare; quia hunc quondam eſſe Abbatem ſanctiſſimum fatebantur. Quid plura? Quod callide fecerant, quibuſdam detegentes hæretici deridebant fidem Catholicã,& ſimili artificio fieri miracula in Eccleſia coram ſanctorum corporib. affirmabant. Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana conſilia reuelauerant, & in hæreſim laberentur. Peruenit tandem cõſilii denudatio ad fratres ſanctæ prædicationis, qui verbum Dei populis proponentes hortabantur ab hoc facto nefario pœnitere. Inſtabant fratres Minores & clerici ne populi vota ſacrilega in loco ſordido immundis oſſibus exhiberent,& magis accendebãtur animi laicorum ad cultum diabolicum peragendum: & fratres Prædicatores & Minores, ac clericos vniuerſos, quia erant contrarii ſuis operibus, hæreticos conclamabant. Gaudebant inimici veritatis, & publice aſſerebant, plus eſſe ſanctitatis & miraculi in luto, & in oſſibus illis, quam in omnibus Eccleſiis Chriſti,& in omnibus Sancto- H
rum corporibus,quos fides Catholica veneratur. Circumadiacentes autem Epiſcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam, & fere nihil proficiebant,quia multorum mentes inuaſerat Diabolus, & inobedientes filios colligauerat.

Quidam vero Diaconus,qui feruore fidei flagrans hæreticam præ cunctis præcipitiis oderat prauitatem,cũ eſſet in ſancta vrbe Romana, & à narrantibus diſceret quæ fiebant in ciuitate Legionenſi turbatus eſt valde & repedare ad patriam feſtinauit,vt ſe tantæ opponeret prauitati. Hic cum veniſſet Legionem & plenius cognouiſſet de facto, quaſi in inſaniam verſus cœpit manifeſte ciuibus exprobrare,& eos quaſi hæreticorum fautores redarguere.

Ira enim motus pernimia, quia videbantur ciues recedere à lege Dei,cum ſe non poſſet cohibere prohibentibus amicis, qui de illius interitu formidabant,acceſſit ad concilium & cœpit proponere, quod infamia huius facti

Hiſpa-

A Hispaniam totam polluerat, & vnde consueuerant oriri leges iustitiæ, eo quod esset ciuitas caput regni, inde hæresis pullulabat. Adiicit etiam quod non daret Dominus pluuiam super terram, vsque dũ fanum destrueretur, quod construxerant, & quæ venerabantur ossa proiicerent. Siquidem à tempore, quo nefarium cultum inceperant, & per decem menses anni non pluerat, & arescebant omnia siccitate. Tunc iudex interrogauit dictum Diaconem in cunctorum præsentia dicens: si domum euertimus, dabit Dominus pluuiam super terram? Diaconus plenus fide respondens dixit: Conferatur mihi potestas à vobis domũ libere destruendi, & euertendi omnia, quæ sunt in ea, & in nomine Domini nostri Iesu Christi spondeo sub periculo corporis & omnium rerum mearum, quod vsque ad octo dies Dominus conferet abundantiam pluuiarum.

Dedit Dominus gratiam sermonibus eius in conspectu concilij, & accepta sponsione ab ipso, ei destruendi fanũ, & omnia quæ in ipso erant, posse liberum tradiderunt. Sed cum die sequenti in manu hominum plurima fanum B destrueret, & dicta ossa confringeret minutatim & inter humana stercora spargeret, cum iam post euersionem omnium vellet quiescere, quidam sonus quasi tubę valide perstrepentis inter ligna destructionis insonuit, vt in ipso sonitu relinquere inuite locum illum Diabolus crederetur. Sequenti vero die pars ciuitatis non minima succensa est, & ignis cum vento valido mixtus plurimas domos consumpsit. Quærebatur à multis dictus Diaconus, vt interficeretur, quia cum promiserit pluuiam domus eorum incendio perierunt. Insultabant hæretici Clericis: & Diaconum dignum morte damnabant, & quod non plueret etiam post multum temporis procaciter affirmabant. Dominus autem omnipotens misertus populo suo, octaua die à fani destructione pluuiarum abundantia terræ superficiẽ irrigauit, & qui iam erant sine spe frugum & fructuum ipso anno percipiendi, eorundem copiam, Dei misericordia perceperunt. Concitauit post hæc dictus Diaconus persecutionem magnam contra hæreticos, & relicta ciuitate, C se fugæ miserabiliter contulerunt.

Cap. X.

Prælatis non detrahendum.

HÆc idcirco scripsi, vt ab astuta calliditate hæreticorum fideles caueant, Quia multæ sunt eorum insidię quibus intendunt peruertere fidem Christi. Qui licet occulte tendant retia diu tamen latere non possunt. Quia si affuerit diligens indagator, cito capiuntur in verbis detractionis, qui bus semper intendunt Prælatis Ecclesiæ derogare. Ex abundandia enim praui cordis loquuntur, & errores lingua pariunt, quos mente viperea conceperunt, Primo deceptionis limite incipiunt à detractione Prælatorum, & eorum blasphemiæ in Episcopis terminantur. Habent exosos gregis CHRISTI pastores, quorum famam nunquam desistunt verbis blasphemiæ lacerare. Sed nos qui in Ecclesiæ pastoribus gloriamur, & eorum nos spirituales filios profitemur, consideremus sollicite, quam inæ D stimabile sit malum prælatis detrahere, cum eis debeamus speciali dilectione humiliter & deuote obedientiam, & obsequium exhibere, Hoc quippe recte conspicimus, si beatissimi Papæ Greg. dicta attendimus, qui de beato Fortunato Episcopo Ecci. Tudertinę in libro Dialogorũ dicit:

Quodam in tempore, Dei omnipotentis famulus Fortunatus, ex obsesso quodam homine immundum spiritum excussit. Qui malignus Spiritus, cum vesperascente iam die secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum se quempiam esse simulans circuire cæpit ciuitatis plateas, & exclamare. O virum sanctum Fortunatum Episcopum quid fecit? Ecce peregrinum hominem de hospitio suo expulit, quæro vbi requiescere debeam & in ciuitate eius non inuenio. Tunc quidam in hospitio suo cum vxore sua & filio paruulo ad prunas sedebat, qui vocem eius audiens, & quid ei Episcopus fecerit, requirens hunc in uitauit hospitio & sedere secum iuxta prunas fecit. Cumque vicissim aliqua confabularentur, paruulum eius filiũ idem malignus spiritus inuasit, atque in eisdem prunis proiecit, ibique mox eius animam excussit. Qui orbatus miser, vel quem ipse susciperet, vel quem Episcopus expulisset agnouit. E

Petrus. Quidnam hoc esse dicimus, vt occidendi ausum in eius hospitio antiquus hostis acciperet, qui hunc peregrinum æstimans ad se hospitalitatis gratia vocasset?

Gregorius. Multa Petre videntur bona, sed non sunt, quia bono animo non fiunt. Vnde & in Euangelio veritas dicit: *si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quia cum peruersa est intentio quæ præcedit, prauum est omne opus, quod sequitur, quamuis rectum esse videatur. Ego namque hunc virum, qui dum quasi hospitalitatem exhiberet, orbatus est, non pietatis opere delectatum existimo, sed Episcopi derogatione. Nam pœna subsequens innotuit, quia præcedens illa susceptio sine culpa non fuit. Sunt namq; nonnulli, qui idcirco bona facere student, vt gratiam alienæ operationis obnubilent, nec pascuntur bono, quod faciunt, sed laude boni, qua cæteros premunt. Qua de re existimo, hunc virum, qui malignum spiritum in hospitalitate suscepit ostentationi potius intendisse, quam operi, vt meliora, quam Episcopus F facere videretur, quatenus ipse susciperet eum, quem vir Domini Fortunatus expulisset. Vt dicitur ita est, nam finis operis probat, quod munda intentio in opere non fuerit.

Ex his beatissimi patris verbis colligere possumus, quãtæ animaduersioni subiacent apud Deum Prælatorum detractores, qui non solum pro aperta Prælatorum derogatione, sed etiam pro titillatione occulta districtius feriuntur. Si is, qui occulta intentione Episcopo derogationis, filij morte grauem pertulit vltionem, qua digni sunt pœna, quibus prælatorum derogatio manifesta dulcis efficitur & suauis? Horum erit vtique damnatio valde dura, & teterrimus cruciatus. Erunt perpetuo seruituti dæmonum horribiliter mancipati. Quia vt ait beatus Isidorus: sententia Cham filij Noë damnantur, qui suorum Præpositorum culpas in publicum produnt. Sicut Cham, qui Patris pudenda non operuit, sed deridendo monstrauit. Habituri Sem meritum & Iaphet, qui reuerenter operiũt, quę G patres suos excessisse cognoscunt. Quod si ij crudelius damnantur, qui Prælatorum culpas irreuerenter produnt: Et quid erit illis, qui etiam bonos eorum mores intendũt venenatæ linguæ gladio lacerare, & quæ fiunt ab eis gratia disciplinæ sinistra interpretatione peruertunt? Teste sacra scriptura, *quasi scelus idololatriæ est, nolle obedire.* Et quibus mortibus digni sunt qui non solum obedire contemnunt, verum etiam Prælatorum famam corrodunt? Qui detrahit fratri, secundum Apostolum Iacobum, detrahit legi. Et quanto magis si detrahit patri? Graue peccatum est fratri peccanti detrahere, & non verentur miseri etiam honestos Prælatos Ecclesiæ blasphemare. Non debet Christianus de alieno vitio culpam trahere, quod vtique fit, cum fratri detrahit delinquenti: vnde beatus Isidorus dicit: De malo alieno os tuum non inquines. Non detrahas peccanti, sed condole. Non solum qui detrahit, sed etiam is qui detrahentem libenter audit, ex detractionis merito punietur. Sicut Isidorus dicit: Pari reatu detrahentes & audientes tenentur: Vtrisque simile discrimen impenditur, H & qui detrahentem libenter audiunt, & is qui detrahit. Metuere debet Christianus etiam in occulto mentis detrahere proximis & maxime Ecclesiæ Christi Prælatis, quos Dominus præposuit rectores morum, & principes animarum, quia videt occulta qui fecit abscondita, & cogitationes inspicit Deus. Percipiunt etiam dæmones nonnunquam cogitationes illicitas, & morosas & reseruant vnde possint hominem accusare. Quapropter caueat à pollutione cogitationis, qui iam per Dei gratiam abstinet à vitio manifestæ detractionis. Refrenanda est cogitatio praua & occulta detractio euitanda.

Vnde diuina sapiẽtia dicit: In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui, *ne maledixeris diuiti: Quia aues cœli portabunt vocem tuam: & qui habet pennas annuntiabit sententiam.* Aues cœli Dæmones sunt, de quibus Euangelium dicit: Volucres cœli comederunt illud, id est, verbi Dei semen quod cecidit iuxta viam. De hac sententia dicit Isidorus,

Marginalia: *Math. 6. 23.* — *de sum. bõ. l. 3. c. 39.* — *Gen. 9. 22. & 23.* — *1. Reg. 15. 23.* — *Iacob. 4. 11.* — *Math. 12. 34.* — *Lib. 1. Synonym. de vitanda detractione.* — *Ibidem.* — *L. 1. c. 9.* — *Ecc. 10. 20.* — *Math. 13. 4.* — *l. 2. Syno. de Deo & conscientia.*

A Isidorus, verbum iniquum nec in corde tuo dicas, verbum malum nec silentio abscondi putes. Omne verbũ absconsum non celabitur. Pandetur n. in manifesto, quod in occulto depromitur. Diuinis iudicijs eris reus, quamuis sis oculis humanis absconditus. Itaq; fratres omni submoto murmure, & detractionis vitio deuotione humili Prælatis nostris exhibeamus obedientiam veram, omnimode fabulas, studia, blasphemias, hypocrisim, & calliditates hæreticas execrantes reducamus frequenter ad memoriã, qualiter sanctissima Moysi soror Maria contra eundem fratrẽ suum beatissimum Moysem detractionis murmure eleuata, à tanto sanctitatis culmine corruit, & lepra toto perfusa corpore, septem dieb. extra castra eiecta est. Nec potuit amicus Dei Moyses, qui loquebatur cum Deo facie ad faciem orationibus obtinere curam sorori, nisi prius Maria septem dierum perfusa lepra in multorum exemplũ perageret pœnitentiam. Hæc n. ad nostram doctrinam scripta sunt, vt contra Prælatos nostros non eleuemur superbia, sed sub ipsis pie militare Domino satagamus. Quod si aliquis prælatorum nostrorum, quod absit, perfusus fuerit

B lepra hæreticæ prauitatis tunc non est ei deferendũ vt Prælato, sed contra ipsum tanquam contra inimicum inimicissimum insurgendum. Vnde regula Catholicorum Isidor' dicit: si à fide exorbitauerit rector, tunc erit à subditis arguendus. Pro moribus vero prauis magis est à plebe tolerandus quam distringuendus. Obedientię, patientię & humilitatis itinere gradiamur vt cum Catholicis Prælatis nostris possidere æternæ beatitudinis præmia mereamur.

l. 7. de sum. bon. c. 39.

Cap. XI.

Hæretici eis qui præcipue ipsis aduersantur, hæresis infamiam imponunt.

PRauorum dogmatum prauissimis doctoribus hæreticis omnino debent fideles resistere, & illorum callidas insidias denudare, ne illorum laqueis ignoranter simplices capiantur.

C Insidiæ n. si latent, præualent, si deteguntur nullum suis adminiculum præstant. Insidiæ si præueniantur ab aduersarijs, insidiatoribus ipsis inferunt detrimenta. Vnde hæreticorum fraudes debemus detegere, vt in ipsis corruant Dei inimici, fideles illæsi permaneant, dum eorum falsa præuenerint argumenta.

Multoties hæretici dum aliquem vident suis erroribus aduersari & nec prece, nec precio, vt ab eorum persecutione desistat, possunt aliquatenus obtinere ad calliditatis suæ arma confugiunt: & illi nomen hæretici, inferẽtes modo palam, modo occulte ipsius famam lædere non desistunt. Hoc agunt inimici Dei, vt contra ipsum seditionem moueant populorum, & illius assertioni contra hæreticos minime deferatur. Omnes, qui eum audierunt, dicãt: Quia hic ex illis est, & ad hoc se fingit proponere contra ipsos, vt errorem suæ opinionis valeat occultare. Hac insecutione callida aliqui clericorum incurrere timentes infamiã, qui potentes in diuino sermone & opere videbantur ab eorum persecutione trepidi destiterunt, eligentes magis

D frui pace mundi & gloria, quam pro Christi nomine damnis & infamia tribulari. Qui aũt feruore catholico ducti contra illos inuincibiles perstiterunt, ita illos hęretici suis mendacijs vitabiles hominibus reddiderunt, vt ẽt Ecclesiæ pastoribus eos facerent esse suspęctos. De quorum sancto proposito inuincibili noui quendam cuius nomen fileo. Qui de catholicis parentibus procreatus, & in fide catholica feliciter educatus, atq; pro Euangelio Christi nullo modo subire discrimina recusabat. Quippe etiam contra hæreticam vesaniam tantum rancorem conceperat, vt cũ hæresim nominare audiret, totus zelo legis Dei in iracundiam mouebatur: & illius loquelam sine difficultate non posset audire, in qua primum audierat verba pollutionis hæreticæ prædicare. Quam crebro hic per diuersas regiones rerum sustinuerit damna, & infamiæ detrimenta, non posset ad plenum nostræ tenuitatis stylus describere, vt ipse didici, multoties Dominus ad honorem sui nominis per eum operabaẽ miracula: quæ ita perditionis filij offuscabant nubilo detractionis, vt hæc magicis artibus

E facta diuersis mundi partibus prædicarent, & contra eum multarum gentium populos concitarent. Verissime fateor, admodum miror, qualiter eorum persecutiones & insidias euadere potuit homo. Tamen vnde ipsi credebant hæretici posse deijcere, inde magis in eo, ad eos persequẽdos exercitium augebatur. Multimode quidem persequebatur eos, qui eorum persecutiones multiplices sustinebat. Si quando illi amicorum aliquis suaderet quiescere ab insecutione tam diutina malignorum, eo quod illi indirecte notã infamiæ generaret, respondebat. Credo mihi repositum esse huius infamiæ præmium apud Deum. Quia cui hæretici benedicunt, ipse est maledictus: & cui illi maledicunt ipse est benedictus. vsq; ad hanc diem Deo dante, perseuerauit in proposito sancto, & non potuit vllis tentationibus auelli, quia domus eius *fundata est supra firmam petram.* *Matt. 7. 25.*

Hæc idcirco dixerim, vt etiam in hoc fideles intelligãt, quanta malignitatis astutia catholicorum facta & famam nituntur hęretici deprauare. Considerent spiritum, vtrum

F ex Deo sit. Quia multoties transfigurat se Angelus Sathanæ in Angelum lucis: & bona fidelium dicit mala, & hæreticorum pessima asserit esse bona. Diuersimode mutat vultus in seruis suis hæreticis, vt euertat catholicam veritatem, & intendit semper famam fidelium denigrare. *2. Cor. 11. 14*

Cap. XII.

Hæretici res sacras in ludibrium vertunt.

IIdem hæretici, cum aliter non valent decipere mimorum speciem induunt, & cantilenis & sacrilegis iocis, ea quæ fiunt à ministris Ecclesiæ Dei in Psalmis & Ecclesiasticis officijs cæteris, subsannationibus, & derisionibus fædant, vt vel sic valeant mentes fidelium fascinare, & ab Ecclesiasticis officijs reuocare. Hi frequenter subsannant clericos & Ecclesiastica Sacramenta ipsis clericis, quibus ioculatorie derogatur nonnunquam præsentibus, & se vix

G præ lætitia capientibus. Dicunt enim bona esse huiusmodi: quia fiunt propter lætitiam excitandam, vnde nõ blasphemiæ, sed ioculatoria sunt credenda. Non attendunt quod dicit diuina scriptura, stultus quasi per risum operatur scelus. Qui stolidius hæretico, *qui lætatur cum malefecerit, & exultat in rebus pessimis?* Quid miserabilius illis, qui in eorum sacrilegis cantilenis & derisorijs blasphemijs delectantur? De his namq; dicitur: *Ducunt enim in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Igitur quicumque zelum legis Dei habet in corde prætextu ioculatoris, non audiat hæreticum blasphemantem, sed catholice animetur, vt vindicet iniurias Dei sui. *Prou. 11. 13.* *Prou. 2. 14.* *Iob. 21. 13.*

Cap. XIII.

Hæretici sanctorum Patrum eleuant auctoritatem.

SVperius dictum est, quod hæretici diuinas peruertunt scripturas, vel resecando vera, aut falsa interserendo. Et nunc dicendum existimo, qualiter quibusdam immutationibus titulorum, ambiguitatem intendunt ducere in Ecclesiam Dei, vt illis decipiendi facultas facilius tribuaẽ.

H In libris namq; sanctorum Patrum peregrinos apponunt titulos, vt sermo qui editus est ab Augustino intituletur Ambrosij nomine. Et qui editus est ab Ambrosio titulum præferat Augustini, Hieronymi, Gregor j, vel Isidori. Editus ab Isidoro nomen contineat Maximi, vel Fulgentij & sic de cæteris, vt sanctorum Patrum auctoritates incertæ habeantur à nobis. Hoc faciunt inimici Dei maxime in parrochialibus ecclesijs. Et cum prauitatis suæ dogmata seminant, dicunt suis. Videte dubietatem & incertitudinem Ecclesiæ sanctorum. Nesciunt enim à quibus obseruantias acceperint, quas pro legibus venerantur. Euidentius hoc probatur, cum eorum libri ab inuicẽ sunt discordes. Nam sermones qui in libro vnius Ecclesiæ intitulantur nomine Augustini, in alio intitulantur nomine Gregorij, aut alterius doctoris, & sic de singulis, Audiunt hæc mi-

A seti hæreticorum discipuli, & aspicientes libros ita inueniunt, vt hæretica calliditas asseuerat, & laqueis errorum fortius alligantur.

Hoc etiam decipiendi prauissimum iter debent Ecclesiæ Prælati obstruere, & ecclesiarum libros corrigere, tum gratia honestatis, tum hac de causa, vt decipiendi aditus *Ephes. 4. 5.* hæreticis præcludatur. Honestum est enim, & consonum rationi, vt quorum vnus est Deus, eadem fides, libri quoq; ipsorum nullatenus sint discordes. Id ipsum dicant om- *Rom. 15. 16.* nes, vt vnanimiter, vno ore honorificetur Deus. Leuia quidem sunt hæc ad corrigendum, sed non leuia ex his damna proueniunt si libri permanserint incorrecti.

CAP. XIV.

Catus vindicat heretici blasphemias.

QVia vero diuersimode hæretici impugnare non cessant Ecclesiam & misericors Dominus eandem clementer de illorum insidijs dignatur eripere: & ad pugnandum B contra eos pro fide catholica, etiam muta prouocat elementa: & inimicis suis reddit etiam in præsenti terribilem vltionem ad laudem Christi nominis, & hæreticorum exterminium, quædam quæ narrante viro sanctissimo fratre Helia successore beatissimi patris Francisci didici literis tradere dignum duxi.

In ciuitate Lombardiæ, quæ vulgariter Lode dicitur, quidam ignotus hæreticus in quodam hospitali chronica ægritudine grauiter laborabat. Cumq; videret eum custos ipsius hospitalis quasi in vltimis laborare cœpit eum blande monere, vt vocato presbytero loqueretur cum eo more pœnitentium & corporis & sanguinis Domini sanctissimum acciperet Sacramentum. Cui respondens hæreticus cum quibusdam quasi suspirijs dixit. Et quis dabit mihi corpus Christi, vt adorem & accipiam? Hospitalis dixit ei: Vocabo presbyterum capellanum, & deferet corpus Domini. Respondens hæreticus dixit: Hic presbyter C non deferet corpus Dominicum, sed panem tostum. Post hæc cœpit hæreticus idem quasi furere, & blasphemare ineffabile sanctissimum Sacramentum. Et ecce quidam catus mansuetissimus & domesticus subito prosilijt in hæreticum, & guttur & labia blasphemi hæretici cœpit dentibus & vnguibus lacerare, ita quod vix hospitalis potuit catum ab hæretico remouere. Tunc cuncti, qui aderant intelligentes, quod miraculose catus propter blasphemias in hæreticum insurgebat dixerunt illi: Agnosce miser iudicium Dei & Ecclesiæ veritatem, & noli blasphemare Sacramentum in quo salus nostra consistit. vide, quoniam catus pugnat pro veritate. Qui respondit catus ille rabie fertur & non potest quiescere. Dixerunt ei: Nihil in se mali patitur catus: & nisi tu blasphemaueris in quiete solita permanebit. Tacuit hæreticus & catus, vt consueuerat erat quietus. Transactis tandem aliquantis horis affuit presbyter & hortabatur eum accipere pœnitentiã, & Sacramentum corporis *Christi* in remissionem peccatorum. Hæreti- D cus aũt cœpit blasphemare, & in presbyterum spuere. Sed catus in eum prosiliens in virtute quod poterat, hæreticũ laniabat: & in tantum illi molestiam intulit, quod fere peruenit vsq; ad articulũ mortis. Volebat presbyter amouere catum, sed ciues, qui conuenerant, vt viderent, miraculum minime permittebant. Tamen amotus fuit catus, & in quadam arca inclusus, ne ipsum penitus interficeret. Hæreticus autem persistens in blasphemia sua funditus expirauit, & extra ciuitatem longe à cœmiterio fidelium sepultus est. Post hæc extrahentes catum de arca cum ad locum accederet, vbi iacuerat ægrotans hæreticus, & eum non inueniret, cœpit voces emittere, & huc illucq; diuertere ad quærendum ipsum. Cumq; ad locum veniret, vbi sepultus erat, cœpit suis vnguib⁹ terram fodere, & tamdiu multis videntibus in labore cœpto perstitit donec mortuus est. Quid agis rationabilis creatura? Quare pigritaris religio Christiana? Ecce brutum animal ob vindicandas iniurias catholicæ fidei se opponit vsq; ad mortem, pro quo non est mortuus Christus nec ab eo remunerari sperat in patria beatorũ, & homo ad similitudinem Dei factus, cui Deus subiecit omnia sub pedibus eius, qui est pretio magno Sanguinis eius redemptus, & credit in cælesti patria E spiritibus Angelicis sociari, audit conuitia, quibus nomen filij Dei, & fides catholica blasphematur, & tolerat patienter? Sponsa Christi, scil. sancta Ecclesia turpiter denudatur, & non est filius de tot millibus, qui vindicet iniuriam matris? Redarguit catus segnitiem filiorum, & desidiam nobi- *Prou. 6. 6.* lium reprehendit. Ite ad catum pigri & desides Christiani, & considerate vias eius, qualiter vsq; ad mortem suo seruiat creatori, qui mansuetus est & lenis fidelibus, asper est & quasi rabidus contra hæreticum, & etiam eo mortuo non indulget. Videtur congruere huic facto quod diuina scriptura dicit Deo: *Creatura*, inquit, *tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* *Sap. 16. 24.*

CAP. XV.

Corpus combusti heretici vertitur in bufones.

NArrante quoq; eodem prædicto fratre Helia venerabili viro didici, Quod cum quidam hæretici in Burgundiæ partibus sui erroris semina spargerent virulenta, & F sanctæ prædicationis fratres Prædicatores, & fratres Minores contra eosdẽ hæreticos viriliter decertarent gladio ancipiti verbi Dei eorum praua dogmata infatigabiliter concidentes, tandem à iudice regionis capti sunt: & vt digni erant, flammarum ignibus traditi, vt maligni auctores cum suo scelere ad terrorem cęterorum hominum finirẽtur. Cumq; suppositis lignorum copijs vehementer ęstuarent incendia, subito miræ magnitudinis bufo, qui alio nomine vocatur *crapaldus* affuit: & nullo cogente se vltro medijs flammis contulit. Corruerat in ignem vnus hæreticorum, qui eorum Episcopus dicebatur resupinus & dict⁹ bufo super faciem eius sedit, & videntib. cunctis qui aderant, linguam eius comedit. Sequenti aũt die totum eiusdem hęretici corpus ossibus exceptis versum est in fętidos bufones, ita vt non possent præ multitudine nimia numerari. Videntes itaq; indigenæ miraculũ glorificabant Deum, & laudabant eum in prædicatoribus suis, qui de horrore tam immundæ pollutionis eos dignatus est misericor- G diter liberare. Recte omnipotens Deus per immundissima & turpissima animalia quam turpissima & immundissima hæreticorum sint dogmata, voluit demonstrare, vt omnes homines hęreticum tanquam Crapaldum toxicum studeant euitare. Sicut n. inter omnia quadrupedia bufo turpior iudicatur: ita hæretica prauitas omnibus alijs sectis est deterior & sordidior Iustificauit hæretica cæcitas Iudaicam perfidiam, mundificauit pollutione sua insaniam Mahometici, & luxuria sua abluit Sodomam & Gomorram. Quidquid enim pessimum est in enormitate scelerum sanctissimum est habito respectu ad turpitudinem & ignominiam hæreticæ prauitatis. Proinde Christianus tam indicibile malum effugiat, quod cunctorum scelerum crimen transcendit.

CAP. XVI.

Ignis pro fide pugnat. H

EOdem quoq; tempore in partibus Tolosanis quidam senex rebus mundi locuples, & catholicæ fidei bonis pauperrimus cũ iam grauatus senio, & corporis ęgritudine mortẽ sibi propinquam cerneret, cuidam viro Catholico filio suo contulit omnia quæ habebat, & se miserrime hæreticis tradidit, abrenuntians Catholicam fidem, q̃ promiserat in baptismo, & se per ministrum Satanę hæreticę subdidit prauitati. Perlatum est hoc catholicis iudicib. à dicentibus & ad domũ senis perditissimi accesserunt, monentes vt dictus senex regrederetur ad cultum Catholicæ veritatis. Sed dicto sene in sua nequitia persistente & in religionẽ fidei Christianæ blasphemias congerente, iudices eũ flãmis tradere censuerunt. Quæ vt prædictus filius eius vidit, turbat⁹ est valde, & cœpit vehemẽter condolere patri, & instare penes iudices, vt omnẽ substantiam eius acciperent, & insuper eum loco comburerent patris & indulgerent seni,

A fortassis illico morituro senio,&ægritudine compellente. Mirabantur valde iudices &non credebant his quæ à filio dicebantur: obijcientes,quod catholicus pro hæretico,& adolescens pulcherrimus pro sene morbido se morti exponere non deberet. Qui respondens dicebat illis: Valde doleo, quia senex proruit in errorem,sed pater meus esse non desijt, & quia Dominus patrem honorare præcepit, non pro hæretico,sed pro patre volo mori. Adiudicatum est igitur illius petitioni animi: & adolescens ad locum incendij ducebatur, qui omnem publica voce anathematizabat hæresim & fidem catholicam fatebatur, & Dominum *Iesum Christum* atq; Dei Genitricem Mariam Virginem cum omnibus sanctis adesse sibi in auxilium precabatur. Aderant tunc quidam de Minoribus fratribus, qui vehementer redarguebant iudices, dicentes non debere catholicum filium taliter pro hæretico patre mori,& detinebant adolescentem,ne mitteretur in ignem. Cum hæc agerentur subito de ipsa flamma videntibus cunctis, qui aderant,quasi ignea sagitta prosilijt,& vsq; ad lectum hæretici senis peruenit, & execrabilis senis carnes adurendo visibilis flamma consumpsit. Insonuit clamor cunctorum concurrentium,& simul cum iudicibus glorificabant Dominum *Iesum Christum*, qui tam euidenti miraculo liberauit adolescentem catholicũ,& digna pœna percussit senẽ nefandissimum. Pugnat pro fide catholica ignis insensibilis&segnitiem redarguit hominum,qui totis viribus ad defensionem veritatis catholicæ non consurgunt.

Matt.15.4.

B

CAP. XVII.

Arnaldus hæreticus sanctorum Patrum scripta corrumpit.

QVidam etiam hæreticus nomine Arnaldus de confinibus Galliæ venit in Hispaniam Zizaniam erroris hæretici seminando.Inter cętera prauitatis opera,erat studium sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, Isidori, & Bernardi opuscula minora corrumpere, subtrahendo vera,& adijciendo falsa. Erat enim scriptor velocissimus, & corrupta sanctorum opuscula vendebat, vel dabat Catholicis,vt tali fallacia posset decipere,&illaqueare incaute legentium mentes. Accidit quadam die cum translationis beatissimi Confessoris Isidori celebraretur festiuitas,erat ipse scribens , & dicti confessoris synonyma peruertebat. Visum fuit ei,quod aqua calida de recto domus super caput eius deflueret. Cumq; leuaret manum dexteram,vt caput tergeret,brachium eius fractum est, ac si valido ictu fuisset percussum,& lumen oculorum amisit.Exclamauit succursum,& conuenientibus plurimis,quid illi acciderat,indicauit. Responsum fuit ei à quibusdam Catholicis,quia eo quod in festiuitate beati Isidori scriberet, & non vacabat ab opere,sicut faciebant cæteri Christiani, hoc euenerat illi. At ipse cœpit Christi confessorem Isidorum blasphemare:& infidelitatis suæ sectam nefandis verbis detegere. Sed abreptus à Diabolo subito tandiu crudelissime vexatus est , donec funditus spiritum exhalauit. Vt cuncti patenter intelligant quam enorme scelus est apud Deum sanctorum Patrum scripturas peruertere,iusto Dei iudicio Arnaldus hæreticus morte crudelissima, in ciuitate Legionensi multis videntibus trucidatus est. Dæmon namque,qui loqui videbatur in ipso,declarabat,qua de causa,beato Isidoro compellente, inuadendi & occidendi ipsum acceperat potestatem.

C

D

Cautè igitur sunt sanctorum Patrum scripturæ legendæ,& antiquioribus eorum libris fides potius tribuenda, dum aliqua dissona repetiuntur in nouis transcriptis , ne irrepat virus hæreticæ prauitatis,& inferat mortem in scripturis sacris dare studium cupienti. Pulchre & honeste sacræ Scripturæ libri sunt conscribendi & corrigendi, vt veritas scripturæ nobis ostendat viam perueniendi ad Christum,& etiam librorum exterior pulchritudo alliciat ad legendum,& sacræ lectionis intellectus delectatione pręuia facilius capiatur. Arctius enim imprimitur cordi,quod capitur cum amore. Domus Dei cultus,si fieri potest,debet ornatu vario materialiter resplendere,vt suo decore deuotionem excitet, & fidei Catholicæ insinuet excellentiam. Monachorum & clericorum claustra debent fulgere decoris mundicia, vt etiã honestas loci Dei seruos detineat, vt ad diuina officia competentibus horis conueniant absque mora; & extrauagationibus non intendant, qui sunt diuinis officijs mancipati. Fidelium cœmiteria nulla sordibus polluantur,ne illis,qui pietate ducti super Christianorum sepulchra, pro eorum salute Deo preces offerunt , occurrat,vnde illorum deuotio contristetur. Omnia quæ ad diuinum pertinent cultum fulgere debent non solum pulchritudine spirituali,verum etiam corporali. Mentis enim & corporis mundiciam à nobis exigit Deus , vt per exteriorem etiam honestatem à pollutionibus infidelium separemur. Omnia enim honeste & secundum ordinem debent fieri in Ecclesia Christi , vt cuncti diligant decorem domus Dei.

E

1. Cor.14.40. Psal.25.8.

F

CAP. XVIII.

Hæretici schedas continentes hæresim in populum occulte spargunt.

INsolita nequitia hæreticis persistentibus, nouo decipiendi genere schedulas conscripserunt,& per deuia mõtium proiecerunt , vt inuenientes eas pastores pecudum clericis deferrent legendas. Continebatur in illis chartis, quod à filio Dei fuerint scriptæ,& per sanctorum Angelorum manus transmissæ hominibus. Videbantur hoc testari quidam suauis odor,eo quod musco fuerant delinitæ. Inter alia quoq; catholica quæ scripta erant in illis, quædam hæretica latenti dolo erant inserta in eis, vt per dulcedinem catholicorum verborũ,amarissimũ virus subreperet hæreticæ prauitatis. Non est enim aliqua falsa doctrina, quæ non pręferat imaginem veritatis.Quia nisi præueniat veritas,non habet locum falsitas subintrandi. Accipiebãt & legebant dictas chartas cum veneratione magna simplices sacerdotes,& non intelligebant se mortẽ populis propinare.Porro intelligebant hæretici,&de verbis ignorantium sacerdotum occasionem sumentes suis proselytis,testimonia proferebant.Tali fraude decepti plurimi contemnebant peccata sua sacerdotibus confiteri,&spernebant traditiones Ecclesiasticas &ieiunia custodire.Etenim diabolica illa scriptura omnium peccatorum indulgentiam cunctis eam scribentibus,siue deuote legentibus promittebat. Quapropter summum erat scriptorum studium in eis scribendis,sed non erat minor deuotio eis legendis populis simplicium clericorum. Peruenerunt hæc ad notitiã cuiusdam Diaconi,cuius mentem flamma diuinæ legis vehementissime perurebat. Hic accepto mandato à venerabili patre Arnaldo Legionensi Episcopo cœpit studiose perquirere,quis esset huius venenati seminis,nequissimus seminator Eunte igitur eo cum socijs ad quærendum, gemitus , in quodã nemore sonuerunt hominis ante horam vnam grauiter à serpente percussi. Accedentibus autem illis eundem non hominem,sed hæreticum onustũ chartis diabolicis repererunt. Qui ligantes eum detulerunt ad dictum Episcopum. A quo monita salutis percipiens effectus catholicus hæreticorum latibula, simul & versutissimas calliditates detexit nobis,diuinam laudans potentiã, qui suscitauit serpentem ad eius nequitiam repellendam.

G

H

Audiant pigri & desides Christiani, & excusso torpore totis viribus animentur ad vindicandas iniurias *Iesu Christi*,quas hæretici non cessant cudere in opprobrium nominis *Christiani*. Discant à serpente, quæ fugientem percussit hæreticũ,ne posset effugere manus seruorum Domini crucifixi. Hæc animalia bruta palam videntur redarguere tepidos Christianos , qui dissimulatione surda hæreticum prætereunt blasphemantem.Reuera nulla flagrare videt, vel scintillula dilectionis Christi in eis qui non animantur contra blasphemos Legis Dei. Qui vtiq; si Deum vere diligerent contra hæreticos incandescerent,sicut B. Bernardus testaẽ dicens:Si amas Dominum Iesum toto corde,tota anima, tota virtute tua, nunquid si videris eius iniurias contemptumq;,ferre vllatenus æquo animo poteris? Minime. Sed mox arreptus spiritu iudicij, & spiritu ardoris,&

Isaia. 4.4.

tan-

A tanquam potens crapulatus à vino repletus zelo Phinees dicens cum Dauid: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et cum Domino: *Zelus domus tuæ comedit me.* Item idem: hæretici melius proculdubio gladio coercentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos traiicere permittantur. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.

Num.25.7. Psal.118.139. Ioan.2.17.

CAPVT XIX.

Accusantur prælati aduersus hæreticos negligentes.

SIne graui gemitu dicendum, vel recolendum non est, quod non solum subditi, verum etiam quidam tepentes prælati & ignaui quos ipse illorum tepor notabiles reddit, non vt valent, solerter hæreticos persequuntur corrupti fortassis hæresi, vel muneribus, vt testatur beatus Bernardus dicens: sed etiam quidam (vt dicitur) de clero & de
B ordine Episcoporum, qui magis hæreticos persequi debuerant, propter quæstum sustineant accipientes ab eis munera. Et quomodo inquiunt damnabimus nec conuictos, neque confessos? Friuola satis non ratio, sed occasio. His & aliis videtur beatus Bernardus innuere, quod ex quibusdam præsumptionibus procedendum sit contra illos, si testes adhiberi non possunt. Etenim eorum calliditas astutissima vix aut nunquam potest ordine iudiciario deprehendi, nisi largo iure contra illos ex præsumptionibus procedatur. Tanta est eorum enormitas, vt non solù ipsi hæretici, verumetiam fautores & receptores debeant pari mortis iudicio condemnari. *Facientes enim & consentientes, secundum Apostolum, pari pœna puniuntur.* Illi etiam qui eos libenter audiunt, grauiter sunt puniendi. Quia secundum chirurgicam artem, in quibusdam vlceribus, nisi sana cato scindatur, crescentia vlcera interficient patientem. Pereant ergo cum hęreticis fautores & receptores eorum, vt fides catholica conseruetur indemnis. Tunc enim
C curatur cancer hæreticæ prauitatis, cum etiam eorum delentur vestigia gladio feriente. Quia nisi fuerit receptator, latro & hæreticus euanescent. succisis radicibus, siccatur arbor, & extinctis fautoribus, hæreticorum nequitia subruetur. Abscindenda est vita malorum, vt fides & vita seruetur bonorum, iuxta desiderium Apostoli dicentis. Vtinam ab scindantur qui vos conturbant. Multū confertur etiam ipsis incorrigibilibus impiis cum eorum deletur vita & proteruia refrenatur. Si enim amplius viuerent magis ac magis Dominum ad iracundiam prouocarent alios suis erroribus intricantes, vnde amplius æternalibus flammis merito concremarentur.

Rom.1.32. Galat.5.12.

CAPVT XX.

Vnde arripiant hæretici calumniandi occasionem.

D SVnt apud fideles quædam bona, eo quod ex bona intentione procedant, ex quibus hæretici sumunt sibi materiam malignandi. Etenim cum etiam aliqui prælatorum pietate ducti feriam illam, in qua Conceptio Domini celebratur per omnes hebdomadas anni nescio, qua moti nouitate ducti decreuerint ieiunare. Hæretici qui ad perturbationem fidei Christianæ noua machinamenta nō cessant quotidie fabricare, videntes nouum ieiunium à quibusdem fidelibus obseruati, nouis cœperunt iaculis simplicium animos lætaliter vulnerare. Cœperunt enim in hac nostra ciuitate ausu temerario prædicare, inserentes latenti dolo quod hoc solum ieiunium sufficeret cunctis ad totam eorum pœnitentiam agendam. Hæc seductio in tantum habebatur à laicis gratiosa, vt seductorem nimio venerarentur affectu & contra clericos surgerent, dicentes hoc solum ieiunium sibi sufficere ad salutem & pro auctoritate sumentes, quod ieiunium istud Romani adinuenerant Cardinales. (Taliter enim eos seduxerat doctor erroris) obsistentibus etiam clericis & dicentibus quod non deberent contra prohibitionem Ecclesiæ laicum prædicantem auscultare, cauillose laici respondebant. Quid mali prædicat homo? Nunquid non est bonum pie ieiunare hac die, quod etiā multi faciunt prælatorum: Hanc dissensionem inter Clericos & Laicos, vt optabant videntes hæretici, ad decipiendum simplices maiori audacia procedebant. Vnde factum est, vt plures tali dolo mergerentur in labyrinthū erroris. Hæc idcirco dixerim, vt hæreticorum detegerem dolos, & infideles instruam, quod multiplices eorum calliditates debent subtiliter & cautissime euitare. Quamuis enim hæc & his similia videantur parua, & contemptibiles personæ quasi proferentes simplicia; nō debent haberi minima, quibus multorum animæ & in errorē labuntur & catholica fides permaximum patitur detrimentū, sicut beatus Bernardus de ipsis hæreticis dicit: *Rusticani,* inquit, *homines sunt & idiotæ & prorsus contemptibiles: sed non est dico vobis cum eis negligenter agendum, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Quasi Catholici veri deprædatores Ecclesiæ. Vulpes pusillæ, quæ occulte demoliuntur Ecclesiam Dei. Quæ nocere, quam vincere malunt, & ne apparere quidem volunt sed serpere. Nefanda & obscena dicuntur agere in secreto. Siquidem & vulpium posteriora fætent. In operimentum turpitudinis continentiæ se insigniunt voto. In hypocrisi vulpina dolositate loquuntur fingentes amore se id dicere castitatis, quo magis causa turpitudinis fouendæ & multiplicandæ adinuenerunt. Denique indixere latebras sibi, & firmauerunt sibi sermonē nequam. *Iura, periura, secretū prodere noli.*

E

Serm.66.in Cantica, & 65. 2.Tim.2.17 Cant 2.15.

F

His à beatissimo patre Bernardo fideles præmuniti viriliter agant in defensionem catholicæ veritatis, & extirpationem hæreticæ falsitatis. Non minus sapienter quam fortiter est agendum, vt hæreticorum calliditas catholicorum sapientia retundatur, & pereat malorum cauillositas in astutia sua. Solerter etiam prouideat prudentia clericalis vt in sanctorum Patrum persistat regulis & nouis obseruantiis vel ieiuniis, non sit populis in ruinā quibus est speculatrix salutis à Domino constituta. Talia enim debent esse ieiunia clericorum, quæ auctoritate plena illorum congruāt honestati, & sanctę imitationis sint populis in exemplū: & non sumant inde peruersi materiam malignandi. Superstitiones quidem & schismata de nouitatibus oriūtur, quæ sanctorum Patrum auctoritatib⁹ minime roborantur. Certam autem honestatem & sanctitatem conferunt obseruationes & ieiunia, quæ sunt à sanctis Patribus instituta. Teneat ergo certum, & dimittat incertum religio Christiana.

G

CAP. XXI.

Hæretici læti subibant mortem.

QVorundam hæreticorum mentes in tantum inuasit diabolus, vt dum propter hęresim capti ducūtur ad mortem, nullatenus tristari, sed gaudere potius videantur. Dum de Domino Iesu Christo dicat Euangelium, quod iturus ad passionem cœpit pauere, & tædere & mœstus esse. Et ipse Dominus dixit: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem* Quamuis multos martyrum legamus in sua passione gaudere, vt legitur de beato Apostolo Andrea, qui cum duceretur ad mortem dicebat: securus & gaudens venio ad te, hoc de gaudio spiritus intelligendum est, non de gaudio corporeo, sicut Dominus dicit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quanto maior est dolor corporis in passione, tanto maius manet præmium pro iustitia patienti. Qui autem non patitur pro iustitia, sed pro hæresi, in hoc quod dicit se corporis non sentire dolorem, ostendit se ad Christi corpus minime pertinere, qui pro nobis cum dolore sustinuit passionem. Miraculosum est secari in corpore, & non sentire dolorem, sed hæreticus non ostendit miracula à Deo fieri in hoc mundo. Est ergo à diabolo eius insensibilitas, cum cęcus mente dat se præcipitem morti: quod in pluribus impiis non solum legimus, verumetiam vidimus præcessisse. Ex quibus Abimelech, ne diceretur, quod à muliere esset occisus se iubente ab armigero suo est gladio interfectus. Saul & armiger eius gladus ceciderunt, & Achitophel suspensus occubuit

H Marc.14.33 Mat.26.38 Mat.26.41. Iud.9.54. 1.Reg.31.4. & 5.

A

Actor.1.16.

cidit reprobos, cum ex iusta causa ab hominibus occiduntur. Per Spiritum sanctum prolati sunt Dauidici Psalmi, sicut Petrus dicit in Actibus Apostolorum. Oportet, inquit, impleri scripturam, quam Spiritus sanctus prædixit per os Dauid, &c. Si quis igitur diligenter percurrat dicta Psalmorum inueniet epilogatione compendiosa cuncta, quæ acta sunt in lege veteri, à Domino Iesu Christo esse facta: cuius præceptis & exemplis tenentur Reges & Principes pro tuitione bonorum impios trucidare. Sed valde considerandum est illius sanctissimi Regis Dauid exemplum, quod in extremo vitæ suæ tempore præcepit Salomoni, vt iniquos Ioab & Semei occideret. Qui cum essent rei mortis eos ipse non occiderat se viuente. Ioab enim occiderat Amner, & Amasa principes Israel, & Semei maledixerat Regi, vnde vterque secundum legem debebat mori. Et quia Dauid in eis sententiam non expleuerat legis, ne diuini præcepti esset transgressor, præcepit Salomoni, vt eos occideret, quos ipse ex pietate, & quadam vtilitate publica vt videbatur, impios viuere permiserat contra legem. Dilata fuit ex pietate sententia, quæ tandem ex iustitia est mortis effectui mancipata. Hoc exemplum cunctos admonet, quæ in vita neglecta sunt, in fine corrigere: & nequaquam inulta infidelium scelera præteriti.

3. Reg.2.4. & 8. 2. Reg.3.27 & c.20.10. 2.Reg.16.5. Exod.21.12 & 16. & c. 22.28.

B

Quia de veteri testamento clara prolata sunt testimonia quod occidendi sunt incorrigibiles impii, & maxime qui falsa prædicatione alios volunt à Domino separare: nunc de nouo & de sanctis doctoribus aliqua proferamus, vt Christi fideles ad exequendum mandatum Domini animentur, & hæretica calliditas extirpetur. Dominus similitudinarie de se loquens dicit: Quod homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & ciues eius, qui oderant eum, miserunt legationem post ipsum dicentes, eum super se nolle regnare. At ipse cum rediret accepto regno dixit suis: *Inimicos illos meos, qui nolunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Item dicit Euangelium, quod quidam seruos ipsius Regis occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Homo ille nobilis Dominus *Iesus Christus* est, nobilior Regibus cunctis: qui Filius est Dei Regis Regum, & Mariæ Virginis, quæ originem duxit de præclara stirpe Regis Dauid. Hunc super se nolunt regnare inimici eius hæretici dicentes, non esse verum hominem, sed phantasma. Occidunt autem seruos eius tanto crudeliori morte, quanto qui decipitur ab eis morietur in æternum. Quapropter qui ad exercitum Domini pertinent homicidas animorum, inimicos eius hæreticos qui hunc super se regnare nolunt, interficere debent. Quamuis sint in hoc seculo Reges, illius Regis serui esse noscuntur. Ad ipsorum spectat officium, infidelium vitam extinguere. Quod si prudenter & deuote fuerint executi cum dilectione hominum, & odio vitiorum, inde remunerationem à Domino accipient sempiternam. Debent etiam Apostolorum principis Petri factum diligenter aspicere, qui Ananiam & Saphiram morti tradidit, quia defraudato agri pretio mentiti fuerunt Spiritui sancto, sed fortassis dicet aliquis, quod isti miraculose à Deo fuerint occisi non materiali gladio interempti. Ad quod respondendum: Quia si Deus miraculose occidit impios, exemplum præbet suis, quod ipsi eos ex zelo diuinæ legis debeant trucidare. Vt enim ait Apostolus minister Dei est iudex, gladium portans in ira ei, qui malum agit, ad vindictam malefactorum laudem vero bonorum. Desiderio desiderat Apostolus infideles occidi, cum de falsis doctoribus discipulis dicit: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Vt etiam clarius ostendamus, qui occidit impios, homicidium non committere, de sanctis Doctoribus, quibus Deus quædam secreta sui consilii reuelauit aliqua testimonia proferamus.

Luc.19.12. *Matth.22.6.& 7.* C *Actor.5.5.& 10.* D *Rom.13.4.* *Galat.5.12.*

Dicit quidem beatus Hieronymus: Homicidas sacrilegos & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. Item idem. Qui malos percutit, in eo quod mali sunt & habet vasa interfectionis, vt occidat pessimos, minister est Domini. Item idem. Non est crudelis, qui crudeles iugulat: sed crudelis ideo vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur. Nam latro suspensus patibulo, crudelem iudicem putat.

Ad c.22. Hiere. habetur 23. quæst. 5. c. homicidas L.4. in Eze eadē causa, & q. c. qui malos. & ad cap. Isaiæ 13 initio ead. c. & q. c nō est crudelis.

E

Augustinus. Si homicidium est hominem occidere, potest occidere aliquando sine peccato. Nam miles hostem & iudex, vel minister eius nocentem, & cui forte inuito atq; imprudenti telum manu fugit; non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt: sed nec etiam homicidæ isti appellari solent.

L.2. de liber arbitrio, c. Si homicid. um vbi supra.

Item idem. Dum homo iuste occiditur, lex eum occidit, non tu. Isidorus: Qui ex officio pacem Ecclesiæ perturbantes interficit, non est habendus homicida, sed minister Dei. Qui contra perfidos bellum agit, ductus zelo legis Dei, reputatur illi ad iustitiam, si occidat. Si autem occiditur, suo sanguine consecratur, quia ponit pro *Christo* animam suam. Lex diuina infideles occidit, & incorrigibiles impios, non autem illi qui morte puniendo exercent mandatum Dei. Leges namque diuinæ interfici iubent incorrigibiles, vt eorum mala eis morientibus finiantur, & eorum pœna cæteri corrigantur. Non enim potest pax fidei Catholicæ conseruari, nisi transgressores acrius puniantur. Regum & Principum est hoc ministerium, scilicet, fidei rebelles occidere per se, vel per ministros suos. Quod nisi sollicite fecerint, rationem reddent Domino de his, quæ illorum dissimulatione, vel negligentia ab impiis perpetrantur. Remunerabuntur autem, si illorum ministerio cultus fidei conseruetur.

De sum. bonol. 3. c.53. sed aliis verbis.

F

Ecce quam manifeste conueniunt testimonia veritatis & impios indicant occidendos, ne patiatur bonorum innocentia detrimentum. Innocens etiam non est, qui non punit excessus malorum, sicut beatus Augustinus dicit: Non est innocentiæ parcendo sinere vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse, qui odio habebatur, corrigatur experimento, aut alii corrigantur exemplo.

G

Isidorus. Innocentis officium est aduersus aliquem nihil iniuste agere, & impios peccantes, vt potest punire. Magis quidem nocens es, si quod potes corrigere puniendo, parcendo, perire permittis. Gratianus in Decretis. Si viri sancti, & publicæ Potestates bella gerentes non fuerunt transgressores illius mandati: *Non occides.* Quamuis quosque flagitiosos digna morte petimerent. Si miles potestati suæ obediens non est reus homicidii, si imperio eius quemlibet flagitiosum interfecerit, si homicidas & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium, si pax Ecclesiæ mæstitia consoletur perditorum, si illi qui zelo Catholicæ Matris accensi excommunicatos interficiunt; homicidæ non iudicantur, patet quod malos non solum flagellari, sed interfici licet. Pater exemplis & dictis sanctorum, per quos Spiritus sanctus veritatis testimonia declarauit, interficiendos inimicos hæreticos, & in nullo eis penitus condolendum: quin eorum immanitas scelerum durius feriatur. Eorum calliditates, vt potui patefeci: & qua pœna sint à Catholicis feriendi exiguitate virium meæ scientiolæ demonstraui, vt quibus Deus melius dederit sapere fortius inimicos fidei persequantur. Diuinitus autem credo factum, vt qui beati patris Isidori miracula proposui in laudem Domini declarare, eorum quoque calliditates detegerem, & nequitiam ostenderem mortis supplicio feriendam. Quorum nequitiam idem beatus confessor modis omnibus extirpauit, dum erat in huius mortalitatis corpore constitutus.

H

FINIS.

LVCÆ TVDENSIS EPISCOPI, SCRIPTORES ALIQVOT SVCCEDANEI CONTRA SECTAM WALDENSIVM:

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI CVM PROLEGOMENIS & notis; in quibus de VValdensium factionibus, peruersisq. dogmatis copiose disseritur,

AVCTORE, ET EDITORE IACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

INDEX CAPITVM, QVÆ IN PROLEGOMENIS.

CAP. I. *De perniciosa sectæ huius fœcunditate.*

II. *De VValdensibus, pauperibus de Lugduno, Leonistis, Gazaris & Catharis.*

III. *De Patarenis.*

IV. *De aliis VValdensium sectarum nominibus, de quibus mẽtio in Constitutione Friderici Imperatoris.*

V. *Quid de VValdensibus scribat Abbas Vrspergensis in Chronico, Anno M. CC. XII.*

VI. *Quibus modis secta VValdensium nimium se diffundenti obuiam itum sit?*

VII. *Vtrum Lutherani & Caluiniani sint Fratrum VValdensium fratres?*

VIII. *Vtrum in Gallis VValdenses vsque ad nostram ætatem durauerint?*

IX. *Qui sint Auctores, quos nunc euulgamus, & qua fide Illyricus, & hunc secutus Freherus, Reinerum euulgarint?*

PROLEGOMENA

IN SCRIPTORES CONTRA SECTAM WALDENSIVM.

CAP. I.

De perniciosa secta huius fœcunditate.



Consentiunt ferme Auctores sectam VValdensium exstitisse in Gallia, Lugduni, progenitore Petro VValdo (vnde secta nomenclatura) ciue Lugdunensi prædiuite; circa Annum Domini M C L X. Non enim assentior Guidoni, qui in sua Summa *VValdenses decennio posteriores facit: nam quod secundi Tractatus nostri Auctor ortum VValdensium refert ad Innocentium II. Pontif. id nimis citum est. Si dicas, in locum Innocentii II. substituendum Innocentium III. procliue enim fuisse Librario vnam numeri Notulam omittere; id nimis serum erit; quia constat cum aliunde, tum ex Anglicana Historia Rogeri, iam Anno Redemptoris M C L X X V I I. & M C L X X V I I I diu ante Innocentii III. Pontificatum, VValdenses non modo natos; sed & damnatos esse, sub nomine Hæreticorum Tolosanorum, & Albigensium; nam hos non fuisse alios, quam VValdenses, in comperto est, & fatetur quoque Plessæus in libro, quem inscripsit* Mysterium Iniquitatis *(Caluinistica seu Plessæana addere debuerat, nam alterutrum horum vocabulorum inscriptionis complemento deest) qui ne nouitatis arguerentur, haud erubescebant quidam illorum mentiri, professionem suam ab Apostolis originem ducere.*

Psal. 327. & 350.

Alii, quamuis impudenter, tolerabilius tamen, incunabula sectæ à Syluestro Pontifice, & à Constantino Magno repetebant; insigni quidem vanitate; sed pro more & genio omnium Hæreticorum, qui vetustatem affectant, ne si nudius tertius demum exorti videantur, omnibus ludibrium debeant. Nostros Nouatores intuere, nec quidquam caussæ erit, cur alios videre velis, qui cum ne vnicum quidem homuncionem monstrare queant, qui proxime ante Lutherum omnia ea crediderit, quæ Lutherus suis credenda proposuit, iactant tamen, se ab ipsis Apostolis genus ducere, & sua placita, ab eorundem tempore, vsque ad Lutheri ætatem, continuata & propagata esse non quidem in communi omnium luce, sed in cauernis, & nescio quibus latibulis.

Quanquam ne cuiquam inferamus iniuriam, si à prima stirpe stemma sectariorum exquirere velimus, satis antiquum inueniemus. Quis enim abnuat Simonem Magum esse vetustissimum, quippe æuo Apostolis parem? At omnes, qui quoquo modo adulterant veritatem, & præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis, Samaritani Magi, discipuli & successores sunt, *inquit Beatus Martyr Irenæus, lib. 1. cap. 30.* quamuis non confiteantur nomen Magistri sui ad seductionem reliquorum, attamen illius sententiam docent, Christi quidem Iesu nomen, tãquam irritamentum præferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes mortificant multos, per nomen bonum sententiam suam male disperdentes, & per dulcedinem & decorem nominis, amarum & malignum Principis Apostasiæ serpentis venenum porrigentes eis. *Quam vetustatem nemo nec VValdensibus, nec Lutheranis, neque vllis aliis Nouatoribus inuidet.*

Porro, vt Lutheri secta quamprimum in plures alias dissecta fuit; ita vt numerositate sobolis vix cuiquam ex priscis cedat; sic & VValdensium factio derepente tot propemodum deliramenta protulit, quot capita; vsque adeo, vt hic etiam vsurpare liceat illud B. Irenæi lib. 1. cap. 30. A Petro VValdo multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eo quod multi ex ipsis, imo omnes volunt Doctores esse, & abscedere quidem ab hæresi, in qua fuerunt. Aliud autem dogma ab alia sententia, & deinceps alteram ab altera componentes, noua docere insistunt, semetipsos adinuentores sententiæ, quamcunq; compegerint, enarrantes: *quibus solemne est,* vt à regulis suis varient inter se, dum vnusquisq; proinde arbitrio suo modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei, *vt vere & scite Tertullianus in libro de præscript. scripsit. Idem licuit Albigensibus quod VValdo; idem Patarenis, quod Catharis, idem denique successoribus, quod antecessoribus.*

Quapropter vt nominibus, sic & opinionib. mox inter se discrepare cœperunt, vt in suo Tractatu ostendit Reinerius, quorũ alii nomina à locis, alii à dogmatis, alii aliunde sortiti sunt; & plerorumque meminit Fridericus II. Imp. in Authentica de statutis & cõsuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ, *vbi Imperator,* Gazaros, Patarenos Leonistas (*male quædam Editiones,* Lenonistas) Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos, & omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, &c.

Expressius in Constitutione contra eosdem, quæ exstat lib. 1. Epist. Petri de Vineis cap. 27. Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arrianistas, Circumcisos, Passaginos, Ioseppinos, Carracenses, Albanenses, Franciscos, Bannaroles, Comistas, VValdenses, Burgaros, Commincellos, Barrinos, & Ortolenos, & cum illis de Aqua Nigra, & omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, &c.

In cap. 2. Excommunicamus, *extr. de Hæreticis.* Excommunicamus & anathematizamus vniuersos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Ioseppinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur: facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum, &c.

In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap. 27. Quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & alijs locis, ita Hæreticorũ, quos alij Catharos, alii Patrinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, inualuit damnata peruersitas, &c. *Vere inualuisse dicitur, quia vix aliqua regio ab hac peste immunis & intacta mansit; adeo sese diffuderat, & cũ plu-*

rimorum exitio in varias prouincias insuderat, præcipue in Insubriam, seu Lombardiam, vt testatum faciunt cum alij scriptores, tum isti, quos nunc euulgamus.

CAP. II.

De VValdensibus, pauperibus de Lugduno, Leonistis Gazaris & Catharis.

WAldenses alio nomine appellati sunt Pauperes de Lugduno, quod vitam inopem professi, dominio & possessione omnium facultatum sese abdicare solerent: Dicti insuper sunt Leonistæ, non ab Auctore, vt vult Caluinista Goldastus in suo Irrationali; ad primum Tomum Constitutionum Imperialium, sed à loco, in quo nati, nempe à Lugduno, cui Germanice nomen Leon, Gallice Lyon. Hinc igitur Leonistæ, quod recte etiam obseruatum à Frehero in Tomo scriptorum Bohemicorum, cui ex Illyrico inseruit frustum libelli Reineriani cum notulis ad oram seu marginem. Et ipse Illyricus Cent. XII. cap. 8. Leonistæ cognominati sunt, quia Lugdunum vulgo Leon appellatur.

Ridet Caluinista illos, qui Leonistas à Leone IV. Constantini Copronymi filio, appellationem accepisse aiunt. Perridicule, inquit, cum secta hæc in Gallia ortum, non in Græcia habuerit. Quasi vero hac obiectiuncula sententiam illam labefactet. Vbi Caluinismus existit? Nonne in Gallia, vel potius Subaudia? Si Caluinistas Copronymianos vel Copronymistas à Copronymo nominē, an ideo ridicula erit appellatio, quod secta Copronymi in Græcia nata sit, secta Caluini in Allobrogibus? Certe vt hodie Caluinistæ, ita olim Leonystæ Iconomachi & imaginum euersores erant. Quare non inconuenienter siue à Leone Isaureo, siue à Leone Armenio, siue à quocunq; alio Leone Iconoclastico Leonistæ nominari potuissent. Hæc dixerim, non quod ita sentientibus adstipuler, sed vt ostendam, Calumnicolam Goldastum nugas agere, nec nisi plumbeo pugione, cum illos oppugnat, dimicare.

Dices. In Constitutione Friderici, Leonistas, & VValdenses separatim enumerari; quod argumento est, eos non solo nomine, sed & opinionum varietate inter se discriminatos fuisse. Respondeo, hoc non sequi, hæc enim discriminatio tantum maioris claritatis caussa introducta est, vt si qui forte VValdenses titulo Leonistarum, vel viceuersa, Leonistas titulo VValdensium non agnoscerent illos eo, quod cognitum habebant, nomine affectos; sicut qui hodie non agnoscit Hugonoras vel Geusios, is audito Caluinistarum nomine ignotius per notius facile cognoscit.

Addit Illyricus, VValdenses etiam Insabbatos dictos. Verum isti non solo vocabulo; sed & ritu à VValdensibus primis, &, vt ita loquar, puris, abibant, vt suo loco dicam. VValdi & VValdensium stolones erant, vt hodie Lutheri & Lutheranorum, Interimistæ, Adiaphoristæ, Vbiquistæ.

Nunc ad Gazaros, de quib. quod dicturus sum multis paradoxū videbitur; dicam tamen. Gazari sunt Cathari. Caue autem, cum Catharos nomino, antiquos illos Catharos Nouatinos intelligas. Illi hoc nomine designantur, de quibus multa Reinerus & plura adhuc Ecbertus in sermonibus aduersus Catharos Tomo secundo Auctary ad Bibliothecam sanctorum Patrum. Hos, inquit, Germania nostra Catharos; Flandria, Piphles, Gallia, Texerant, ab vsu texendi appellat. Cathari ergo Germanicum nomen; non Græcum, hoc quidem loco. Et est illud ipsum, quod hodie vsurpamus Kater, &, vt alij crassius, Kazar T mutato in Z more Germanis solemni, vt vides in his, Catus, Raz, Platea, Plaz. Hos ergo ex VValdensium secta vocabant Germani Kather seu Kazar, ex quo Latine scribentes Catharos procuderunt. Inde nata vox Gazari, C in G transformato, quasi Cazari seu Kazari. Nec est qui nesciat C & G sibi facile succedere, vt Caspar & Gasper Catus. Italis Gato Glathri, Gatter. Et hoc ipsum recte vidit Freherus, nam Tomo I. scriptorum Germanicorum, ad initium Annalium Godefridi Monachi, ad hæc verba: Quidam Hæretici de secta eorum, qui Cathari nuncupantur, in margine notat: Qui & Gazari, Authent. Gazatos Cod. de Heret. cap. 8. & 9. extr. eod.

Idem aliquo modo animaduertit Lindanus in Epist. ad Imperatorem, qui Germanicum vocabulum Käzer/ à Catharis deductū ait, teste Serario lib. 1. Rerum Mogunt. cap. 6. Rectius tamen nomen Kathari, quo latine scribentes vtuntur, à Germanico deduxisset, vel potius nihil aliud nisi Germanicum vocabulum Kazer, Latina specie indutum, dixisset; qui sectari, commune alioqui omnium hæreticorum nomen, per improbitatis & nequitiæ suæ excellentiam & immensitatem, sibi proprium fecerunt; vndecunque tandem Germanis hæc vox aduenerit.

Serarius loco cit. ait, Germanis Käzern esse diuidere. Vnde qui populum Dei diuidunt, & ab Ecclesia sancta distrahunt, hæretici & schismatici, Käzer vocati sunt; quasi diuisores. His in locis hæc notio huius vocabuli plerisque incognita est; nec vsu loquentium trita: quamuis Käzern/ pro afflictione satis vsitatum sit; quid enim notius istis; Was will ich mich lang käzern vnd plagen? Er hat sich lang gnug geplaget vnd getäzeret. Ego propensus eo sum, vt deriuem Käzer/ à cato, quasi Cazar. Cur autem maiores nostri Germani hæreticis nomen à Cato indiderint, promptum erit intelligere ei, qui proprietates cati cum genio & indole hæreticorum conferre volet. Si quis tamen secus sentit, & Hæreticos istos à Cazeres, qui est locus non procul Tolosa, nomen accepisse pertendat, cum hoc ego non contendam.

De Catharis refert Godefridus in Annalibus huiusmodi historiam. Hoc etiam Anno MCLXIII. quidam Hæretici de secta eorum, qui Kathari nuncupantur, de Flandriæ partibus Coloniam aduenientes, prope ciuitatem in quodam horreo occulte mansitare cœperunt. Sed, dum neque Dominico die Ecclesiam intrarent, à circummanentibus comprehensi & detecti sunt. Qui Ecclesiæ Catholicæ repræsentati, & diu satis de secta sua examinati, dum nullis probabilibus documentis corrigi possent, sed in suo proposito pertinacissime persisterent, eiecti sunt ab Ecclesia, & in manus Laicorum traditi. Qui eos extra Vrbem educentes, Nonis Augusti, ignibus eos tradiderunt, mares quatuor, & iuuenculam vnam: quæ, dum miseratione populi prope seruaretur, si forte interitu aliorum terreretur, & saniori consilio acquiesceret, subito de manibus se tenentium elapsa, vltro ignibus se iniecit, & periit. Vide Cæsarium lib. 5. cap. 19.

CAP. III.

De Patarenis.

PAtareni, seu Paterini, seu, vt aliqui appellant, Patrini, factio VValdensium, à persecutionum perpessione, hoc sibi nomen indiderunt, teste Friderico II. Imperatore, qui in quadam Constitutione sua aduersus Hæreticos: In exemplum Martyrum, inquit, qui pro fide Catholica Martyrium subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Huiusmodi vero misceti Patareni, à quibus abest sancta credulitas diuinitatis æternæ, sub vno contextu nequitiæ, insimul tres offendunt, Deum videlicet, proximos, & seipsos, &c.

Ad idem nominis Etymon respexit Iuo Narbonensis in Epistol. ad Giraldum Archiepiscopum Narbonensem apud Matthæum Paris in Annalibus Angelicanis: Accusatus quondam vt nostis, ab æmulis meis coram magistro Roberto de Curzun, Romanæ Curiæ tunc Legato, super hæretica prauitate, non conscientiæ scrupulum, sed causæ turpitudinem erubescens, iudicium declinaui, & hoc ipso factus suspectior. Auditis igitur illius authentici viri comminationibus, fugi à facie persequentis. Multas proinde compulsus circumiui Prouincias, Paterinis in ciuitate * Cumea commorantibus conquerendo narraui, qualiter pro fide eorum, quam, Deo teste, nunquam didiceram, vel sequebar, præcipitatis in me sententijs, exulabam. Hoc illi audito, gauisi sunt, & me felicem censuerunt, eo quod persecutionem propter iustitiam tolerassem. En, vt ob exagitationes, quibus merito exercebantur, palpum sibi obtrudunt.

Pag. 589.

*Comi.

Subdit idem Iuo de Paterinorum in se hospitalitate & in secta sua diffundenda impigro studio. Ibidem apud eos tribus mensibus splendide, ac voluptuose procurabar, & multos quotidie errores, imo potius horrores, quos contra fidem Apostolicam asserebant, audiens, subricebam, meque beneficiis obligarunt, ad promittendum sibi, quod ex tunc Christianis, cum quibus morosum possem habere colloquium, prædicarem, persuadendo, quod in fide Petri neminem contingeret saluari, & hanc sententiam pertinaciter edocerem. Hocque mihi, fide interposita, promittenti, sua cœperunt secreta detegere, prohibentes, quod ex omnibus fere ciuitatibus Lombardiæ, & quibusdam Thusciæ, Parisios dociles transmisissent scholares,

quosdam Logicis cauillationibus, alios etiam Theologicis dissertationibus insudantes, ad adstruendos ipsorum errores, & professionem Apostolicæ fidei confutandam. Multos etiam mercatores hac intentione mittunt ad nūdinas, vt peruertant diuites Laicos commensales & hospites, cum quibus loquendi familiariter indulgetur facultas, vt multiplicitet negociantes, aliorum pecunias hinc sibi lucrentur, inde animas nihilominus thesaurizent Antichristo. Cumq; à prædictis fratribus degeneribus licentiam petissem, miserunt me Mediolanum à suis comprofessoribus hospitandum. Et sic omnes pertransiens ciuitates Lombardiæ circa Padum, semper inter Paterinos, semper in recessu accepi ab alijs ad alios intersignia. Cremonā tandem perueniēs, oppidum in Foro Iulij celeberrimum, nobilissima Paterinorum bibi vina, rabiolas & ceratia, & alia illecebrosa comedens, deceptores decipiens, Paterinumque me profitens, sed, Deo teste, fide, etsi non operis perfectione Christianus existens. Cremonęq; per triduum commoratus, acceptâ licentiâ à complicibus, sed maledictione à quodam ipsorum Episcopo, cui suspectus eram, postmodum, vt audiui, pro quadam fornicatione ab eis deiecto, nomine Petro Gallo, inde cum quodam fratre Laico, canales Aquileię sum ingressus peregrinans, & transmigrando vlterius, in oppido, apud Frisac iacuimus apud Fratres. *Hæc Paris Anno Christi M. CC.XLIII.*

De ijsdem idem Historicus Anno M. CC. XXXVI. Circa dies illos inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgariter dicuntur Paterini & Bugares, in partibus transalpinis, de quorum erroribus malo tacere, quam loqui; adeo, quod fidei puritatem in finibus Franciæ & Flandriæ ausi sunt perturbando violare. Sed diligenti ministerio, & indefessâ prædicatione Minorum, & Prædicatorum, & Theologorum, præcipue Fratris Roberti de Ordine Prædicatorum, (qui cognomento * Bugre dicebatur; quia, ab illo conuersus habitum suscepit Prædicatoris:) Qui malleus hęreticorum dicebatur, confusa est eorum superstitio, & error deprehensus. Quamplures autem ex vtroq; sexu ad fidem conuerti refutantes, fecit incendio conflagari: ita quod infra duos, vel tres menses circiter quinquaginta fecit incendi, vel viuos sepeliri.

*Bulgarus seu Bugarus.

De Patarenis clamat Caluinista Goldastus. Errant, qui confundunt cum Gazaris, nec scio an non eodem impingant Auctores Concilij Lateranensis, in cuius cap. 27. legitur. *Quia in Vasconia, Albesia, &c. Hæreticorum, quos alij Gazaros, alij Patarenos, & alij alijs nominibus vocant, &c. Vt errent, qui Patarenos cum Gazaris confundunt: Error tamen venia dignus est, cum & Gazari & Patareni VValdenses fuerint, vno ex stipite VValdo prognati. Nec Patres Concilij Lateranensis, dicunt Patarenos esse Gazaros, sed historice exponunt, quomodo ab alijs appellentur hæretici illi, qui in Vasconia, Albigesio, partibus Tolosanis, alijsque locis succreuerant; quos alij, inquiunt vocant,* Gazaros, *alij,* Patarenos, *alij alijs nominibus, quia & Gazari, & Patareni, & aliorum nominum sectarij regiones illas inuaserant,* facies quidem (*hoc est, appellationes,*) habentes diuersas, *sed caudas ad inuicē colligatas, vt dicitur in c.* Excōmunicamus, *extr. de hæreticis. At audi Caluinista. Si errant, qui Patarenos & Gazaros pro ijsdem habent, errarunt ergo tui Centuriatores, qui Cent. 13. c. 5. diserte dicunt:* Patareni seu Gazari.

Addit Caluinista. Patarenos etiam Burgares *dictos. Vnde hoc probat? Ex Matthæo Parisiensi. Et tamen paulo ante adducta Matthæi verba id non euincunt, quæ sunt ista Circa dies illos, inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgariter dicuntur* Paterini & Bugares. *Ex quibus non magis colligas Paterinis Bugarum, seu Bugarorum nomen fuisse, ac Lutheranis nomen Caluinistarum, si ita loquar. Circa illos dies inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgo nominantur Lutherani & Caluiniani.*

Adde, quod Fridericus Imperator in sua Constitutione Burgaros *diserte à Paterinis distinguit. Sunt autem* Bugares *seu* Burgari *secta Catharorum, quorum Ecclesiam, vel potius Synagogam, memorat Reinerus cap. 6. sub Bulgaria seu VVulgaria nomine. Sed quinam isti Bulgari? Erat, cum suspicarer Bugares, seu Burgaros istos esse Italicorum Alpium vel Lombardiæ inquilinos. Audio enim hodie etiam superesse circa Tridentum, qui vocentur Burgares, Germanice, Bulgenraiter. Et Merula p. 2. Cosmographiæ suæ ad Lauam Mediolani in montibus, collocat* Borgoro. *Et similiter in Orona laua* Borgoro.

Verum ne in hac sententia persisterem fecit lectio Matthæi Parisij, qui Anno Domini M.CC.XXIII. expresse scribit, Albigenses, qui & VValdenses penetrasse in Bulgariam, quæ olim Mœsia vocabatur. Audi Matthæum: Circa dies istos, hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatię & Dalmatiæ, nomine Bartholomæum. In quibus partibus error ille adeo inualuit, vt etiam Episcopos, & alios multos regionum illarum ad suam allexerit prauitatem. Contra quem C. Portuensis Episcopus, & in partibus illis Apostolicæ sedis Legatus, Rhotomagensi Archiepiscopo, scripsit in hæc verba.

Venerabilib. Patribus, Dei gratiâ, Rhotomagensi Archiepiscopo, & eius suffraganeis Episcopis, salutem in Domino Iesu Christo. Dum pro sponsa veri Crucifixi vestū cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus & plorare. Ecce, quod vidimus loquimur, &, quod scimus, testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur super omne, quod colitur, aut quod dicitur Deus, iam habet perfidiæ suę præambulum hæresiarcham, quem hęretici Albigenses Papam suum appellant, habitātem in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatię, iuxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenses, & ad eorū consulta, respondet. Etenim de Carcasona oriundus, vices illius Antipapę gerens Bartholomęus hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reuerentiam, sedem & locum concessit in villa, quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomęus in literarum suarum vndique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio, intitulat in hūc mundū; Bartholomæus seruus seruorum sanctæ fidei tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates, creat Episcopos, & Ecclesias perfide ordinare contendit. *Hactenus Matthæus Parisius.*

Per Burgares *igitur seu* Burgaros *intelligendi sunt viri* Bulgari, *à regione quam hodieque incolunt, sic nominati. Chronicon Monachi Altissiodorensis de Hugone Episcopo eiusdem ciuitatis.* Hæreticos, quos Bulgaros vocant, vehementer studuit infectari, eiusque instantia actum est, vt pleriq; rebus suis exinanirentur, exterminarentur alij, alij eremarentur.

Acriter insurgit Caluinista Goldastus in Bernardum Lucemburgium, qui in Catalogo Hæreticorum scribit, coniugium à Patarenis damnatum esse. Occlamat Caluinista. Hic error Gazarorū fuit. *Num ideo non Patarenorum? Cui vis credamus, tibi an Reinero? qui cap. 6 errorem istum Patarenis aperte adscribit Nec ignoti erāt Reinero Patareni, quippe multis annis inter VValdenses versato. Quod si forte Reinero dedignatur præbere aures; præbeat illas Centuriatorū Magdeburgensium primipilo Illyrico, qui Centuria XIII. cap. 5. inter dogmata Patarenorum numerat istud.* Hominem in statu coniugali saluari non posse. *Vbi Illyricus admodum perite distinguit* Patarenos & Paterinos. *Item:* Passagenios & Passagenos, *& peritius adhuc ab Auctoribus nomen adeptos censet. Nam vnde hanc appellationem sortiti sint, satis superque iam ex Friderici Constitutione, & aliunde intelleximus. Cum autem Illyricus Centuria XII. cap. 8.* Waldenses *seu* Pauperes de Lugduno *collocet inter schismaticos, & expresse etiam testetur, non esse in Hæreticorum classem conijciendos, mirari subit, cur tam immitis sit in* Patarenos Gazaros & Passaginos, *cum Petri VValdensis charissimi vel filij vel nepotes fuerint, non minus ac* Pauperes de Lugduno, *seu* Leonistæ.

Cap. IV.

De alijs VValdensium sectarum nominibus, de quibus mentio in Constitutione Friderici Imp.

IN *Constitutione Friderici Imperatoris,* Comistæ *sunt ab Vrbe* Como, *in qua VValdēses nidulati, vt antea audiuimus ex Matthæo Parisio, ideinque liquet ex Reinero. Quorundam meminit etiā S. Antoninus p. 4. Summæ Theologicæ tit. 11. n. 7. §. 5.* Fuerūt tres sectæ Hæreticorū, Albanēsiū, *(qui nonnullis Albienses seu Albigenses, ab Albi ciuitate Galliæ, vt suspicatur ipsemet S. Antoninus, & expresse tradit hæreticus VVesenbeccius; sed Albanēses ab Albien-*

sibus

A sibus diserte distinguit Reinerus cap. 6.) Bagnolensium (forte ab oppido Bagnols, non procul Auenione, nam in illis locis maxime regnabant VValdenses & Concordensium, qui in multis erroribus eorum pessimis conueniunt, licet in paucis discordent.

Quod autem Prateolus in Catalogo Hæreticorū scribit Bagnolenses siue Baiolenses, & cōcordenses vel Cozorenses exortos esse Constantini VI. & Leonis III. Papæ temporibus circa Annum salutis DCC.XCVI. id cum vero non concinit, nam isti de VValdensiū secta fuêre, nominatim eius, quæ Catharos, complectebatur, vt planum fit ex Reinero: qui Constantino & Leone longe sunt posteriores.

Carracenses in Constitutione Friderici forsan hoc nomen habēt à Carrazo Lombardiæ oppido. Bartini forsan à Barro monte circa lacum Larium nomen hoc sortiti sunt, nisi malis à Barrian in Agro Gremensi. Ortoleui, sunt illi, quos Reinerus Ortlibienses nominat. Arrianistæ, qui ex VValdensibus de SS. Trinitate perperam sentiebant; quorū non exiguus numerus, vt Reinerus nos docet. Hæretici de Aqua Nigra à loco nomen acceperūt. Est enim Aqua Nigra Lombardiæ Transpadanæ oppidum. Circumcisi forsan illi fuerint, qui alijs Insabbati, non quod circumciderentur, inquit Caluinista sed quod in Sabbato iudaizarent. At Sabbatū adeo non obseruabant VValdenses, vt oīa omnino festa exterminarēt, totumq; vetus Testamentum repudiarent, quemadmodum ex Reinero liquet. De Insabbatatis potius Prateolo assentior qui ista. Insabbatati sunt ex factione VValdensium, sic appellati, quod qui inter eos perfectiores sunt, signum quoddam in superiore parte sui Sotularis, quem Sabbatem appellant, deferre solerent. Qui Friderico Imperatori sunt Ioseppini, eos nominat Reinerus sub finem capitis Iosepistas.

Quos Reinerus Runcatios appellat, videntur hoc nomen adepti à Roncalia. Nescio autem num incuria an fallacia Hæretici Guldinastici contigerit, vt cum constitutiones Friderici Imp. quæ exstāt lib. 1. Epist. Petri de Vineis in Tomum primum retulerit, illam, quæ verè Constitutio est auctoritate tam Cæsarea, quam Pontificia, de statutis & consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis, omiserit. Ego in eam partem sum propensior vt omissionem hanc fraudi adscribam; nam pro libertate Ecclesiastica nimis aperte loquitur; Et Honorij quoq; Pontificis calculo comprobata & corroborata est, in qua itidem videre licet contra Hæreticos sanctionem admodum valentem; vbi & Arnaldistæ nominantur, ab Arnaldo Brixiensi. De quo S. Bernardus Epist. ad Guidonem Legatum, citante ipso Caluinista. Arnaldus de Brixia, cuius cōuersatio mel, & doctrina venenum, cui caput, columbę, cauda, scorpionis est. (Habet hic descriptionem Lutheri & Caluini) quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere. Non fuit hic ex VValdensium secta, vtpote Petro VValdo aliquot annis antiquior, & Petri Abailardi discipulus de quo Otho Frisingensis lib. 2. de Gestis Friderici Imper. cap 20. Et Gerhohus Reicherspergensis eiusdem temporis scriptor lib. 1. de Inuestigatione Antichristi, quamuis morose satis de nece Arnaldi loquatur, quam sane ob tot scelera, totq; seditiones passim concitatas meritissimo subijt. Audi Gerhohum.

At vero Senarij hæc mysterialis quantitas in domo Dei, quæ est Ecclesia, non ad hoc proficit, vt Domus Dei taliter ordinata domus Dei non sit, sed Præsules earum non sint Episcopi, quemadmodum quidam nostro tempore Arnoldus nomine, dogmatizare ausus est, plebes à talium Episcoporum obedientia dehortans. Pro qua etiam doctrina, non solum ab Ecclesia Dei anathematis mucrone separatus, insuper etiam suspendio neci traditus: quin & post mortem incendio crematus, atq; in Tibrim fluuium proiectus est: ne videlicet Romanus populus, quē suâ doctrina illexerat, sibi eum Martyrem dedicaret. Quem ego vellem, vt pro tali doctrinâ suâ, quamuis praua, vel exilio, vel carcere, aut alia pœnâ, præter mortem punitum esse, vel saltem taliter occisum, vt Romana Ecclesia, seu Curia, eius necis quæstione careret. Nam si, vt aiunt absque ipsorum scientia & consensu à Præfecto Vrbis Romæ, de sub eorū custodia, in qua tenebatur, ereptus, ac pro speciali causa occisus ab eius seruis est; maximam siquidem cladem ex occasione eiusdem doctrinæ idem Pręfectus à Romanis ciuibus perpessus fuerat; quare non saltem ab occisi crematione, ac submersione eius occisores metuerūt, quatenus à domo sacerdotali, sanguinis quæstio remota esset: sicut Dauid quondam honestas Abner exequias prouidit, atq; ante ipsas fleuit, vt sanguinem fraudulenter effusum, à domo ac throno suo remoueret. Sed de his ipsi viderint. Nihil enim super his nostra interest, nisi cupere matri nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ id, quod bonum, iustum & honestum est. Sane de doctrinę & neci Arnoldi idcirco inserere præsenti loco volui, ne vel de doctrina eius praue q̃, & si zelo forte bono, sed minori scientia prolata est, vel neci eius perperam actæ, videar assensum præbere. Hæc Gerhohus nimis clementer de Arnoldo, qui si minus ob crimen hæreseos extremo supplicio addici potuisset, (potuit autem iure optimo) certe ob tot seditiones contra clerum excitatas, & ob tot cædes hisce in tumultibus perpetratas, iustissime in furcam actus est Anno Redemptoris MCLV. cineresque eius in profluentem sparsi, ne cerebri vacuum vulgus, eos, Reliquiarum instar, veneraretur.

CAP. V.

Quid de VValdensibus scribat Abbas Vrspergensis in Chronico, Anno M CC. XII.

Vide VValdensis sectæ versutiam, ne dicam, impudentiam. Eius Sectatores nonnulli Sedem quoque Apostolicam circumuenire, & in fraudem inducere tentarunt. Id vt intelligas, en tibi Vrspergensis verba.

Eo tempore, mundo iam senescente, exortæ sunt duæ religiones in Ecclesia, cuius, vt aquilæ, renouatur iuuētus, etiam à sede Apostolica sunt confirmatæ; videlicet Minorum Fratrum, & Prædicatorum. Quæ forte hac occasione sunt approbatę, quia olim duę sectę in Italia exortę, adhuc perdurant: quorū alij * Humiliatos, alij pauperes de Lugduno se nominabant. Quos Lucius Papa quondam inter hæreticos scribebat, eo quod superstitiosa dogmata, & obseruationes in eis reperirentur. In occultis quoq; prędicationibus, quas faciebant, plerunq; in latibulis, Ecclesiæ Dei & sacerdotio detrogabatur. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebātur Pauperes de Lugduno, apud sedem Apostolicam cum magistro suo quodā, vt puto, Bernhardo, & hi petebant sectam suam à sede Apostolica confirmari, & priuilegiari. Sane ipsi dicentes se gerere vitā Apostolorum, nihil volentes possidere, aut certum locū habere, circuibant per vicos & castella. Ast Dn̄s Papa quædam superstitiosa in conuersatione ipsorū eisdē obiecit, videlicet, ꝙ calceos desuper pedem prædicabant, & quasi nudis pedib. ambulabant. Præterea, cum portarēt quasdam cappas, quasi religionis, capillos capitis non attōdebāt, nisi sicut Laici. Hoc quoq; probrosum in eis videbatur, ꝙ viri & mulieres simul ambulabant in via, & plerumq; simul manebant in vnâ domo: & de eis diceretur, ꝙ quandoq; simul in lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipsi asserebant ab Apostolis descendisse.

*De Humiliatis lege Vitriacū l. 2. Historia cap. 28.

Cæterum Dominus Papa in loco eorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant pauperes Minores, confirmauit: qui prædicta superstitiosa & probrosa respuebant, sed præcise nudis pedibus tam ęstate, quam hyeme ambulabant; & neq; pecuniam, nec quidquam aliud, præter victum, accipiebant; &, si quando vestem necessariam quisquam ipsis sponte conferebat; non enim quidquam petebant ab aliquo.

Hi tamen postea attendentes, quod nonnunquam nimiæ humilitatis nomen gloriationem importet, & de nomine paupertatis, cum multi eam frustra sustineant, apud Deū vanius inde glorientur, maluerūt appellari minores Fratres, quam minores pauperes, Apostolicę sedi in omnibus obedientes. Alij, videlicet Pręedicatores, in locum Humiliatorum successisse creduntur. Humiliati quippe nulla habita autoritate, aut licentia Prelatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis prædicabāt, & vitam eorum plerumque regere satagebant, & confessiones audire, & ministerijs sacerdotum detogare. Quę volens corrigere Papa, Ordinem Prędicatorum instituit, & confirmauit. Illi quippe rudes & illiterati cum essent, operibus manuum instabant, & prædicabant, accipientes necessaria à suis credentibus. Isti vero studio, & lectioni sacræ Scripturæ iugiter insistentes, tantum in scribendo libros opus faciebant: & eos diligentissime à Magistris suis audiebant, vt cum sagittis

A gittis, & arcu, & omni armatura fortium possent ingredi, & stare pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ? & ex aduerso ascendere, ponere se murum pro domo Israël, dum fidem roborant, virtutes instruunt, statuta Ecclesiæ docent, & collaudant, vitia hominum & prauitates redarguunt, & castigant. Nihilominus sedi Apostolicæ in omnibus obediunt à qua autoritatem præcipuam trahunt.

Hæc Vrspergensis, quæ etiam recitat Ioannes Azorius Tom.I.Institut.Moralium lib.11.cap.23.q.7. Nec dubito clarissimos illos Ordines D. Francisci & D.Dominici, singulari Dei prouidentia oppositos fuisse cum alijs, tum præcipue VValdensium sectis in quibus refutandis, oppugnandis, & extirpandis duo illa Christianæ Ecclesiæ lumina, tam per se, quam per posteros suos præclaram operam posuerunt. Et de Dominico quidem id abunde docet Auctor, qui eius res gestas literis consignauit; quæ enim pericula non adijt, quos labores non subijt, vt Albigenses ad sanam mentem reduceret? Quo nomine S. Dominicus Hæreticis nostræ ætatis per quam inuisus & exosus est; adeo vt eum conuicijs passim proscindant, & Carnificem *Albigensium nominent.*

B *Illyricus quoque in Catalogo Testium per quam nasute subodoratus est*, Deum & Satanam, sub idem tempus, eadem consilia instaurandi, confirmandique suum cætum & religionem agitasse; nam ante quadringentos annos, à Cacodæmone, quatuor Apostolos, velut quatuor impietatis columnas, excitatos esse, qui Antichristum, eiusque abominationes egregie confirmarint. Quatuor istos Apostolos fuisse Gratianum, Petrum Lombardum, Franciscum & Dominicum: Apostolum autem Christi, Petrum Waldum & similes *errorum & factionum architectos. Quam Illyrici assertionem cum vero non concinere, omnis ille affirmabit, qui perpenderit, quæ & quanta miracula per Dominicum, & Franciscum, eorumque discipulos, in ipsis etiam Hæreticorum prouincijs patrata sint, cum Petrus VValdus, eiusque tot, & in tot frustra dissecti asseclæ, ne claudum quidem canem sanauerint, mortuamve muscam excitauerint.*

C *Ex posteris porro S. Dominici egregia opera aduersus Hæreticos nauata claruerunt Petrus Martyr in Italia, & Conradus de Marpurgo in Germania; vterque siue ab Hæreticis, siue ab Hæreticorum fautoribus, interfectus. Quamquam Godefridus in suis Annalibus, ad Annum M.CC.XXXIII. & hunc secutus* Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi, Conrado Marpurgensi parum æquus est. Nec scio, quam probabile sit, quod Trithemius Anno M.CC.XVI. de eodem Conrado scripsit; illum iudicio ferri candentis probare solitum eos, qui se Hæreticos esse negarent: doctior enim & pietati addictior erat Conradus, quam vt ad vulgarem hanc & à sacris Canonibus improbatam probationem descenderet.*

CAP. VI.

Quibus modis secta VValdensium nimium sese diffundenti obuiam itum sit.

D HOc I. *factum est assiduo studio & indefessa opera doctorum virorum præsertim S. Dominici & Sodalium, qui concionibus, priuatis publicisque Colloquijs, miraculis, & librorum monumentis perniciosæ huic sectæ viriliter restiterunt, & multos iam in nassam Hæreticam pertractos, à præsenti pernicie salubriter eripuerunt.*

II. *Inquisitionibus & disputationibus; nam passim, Episcoporum, præcipue summi Pontificis, auctoritate, instituti sunt Quæsitores fidei, quibus ex officio id incumbebat, vt hæreticos inuestigarent, eosque vel ad meliorem mentem reuocarent, vel in erroribus contumaciter persistentes debitis pœnis afficerent. Ex quorum numero vnus itidem fuit Reinerus iste, quem nunc in publicum exire iubemus. Duo illustria Inquisitionis & disputationum exempla habes apud Rogerum in Annalibus Anglicanis, ex quo eodem in Tomum XII. Annalium transcripsit Illustrissimus Baronius Anno Christi MCLXXVI. & MCLXXVIII. Duo Colloquia cum ijsdem instituta commemorat Plessæus in* Mysterio Iniquitatis Caluinianæ; *qui maldensibus vbique primas eruditionis tribuit; cum omnium Historicorum temporis illius testimonio constet, plerosque fuisse indoctos, & idiotas, fabrosque mechanicos; hinc & Cathari à Gallis nominabantur* Textores, *vt testatur Ekbertus in libro suo contra Catharos, quia maximam partem erant opifices.*

Pag.331 & 351.

E *Igitur quo candore Plessæus VValdensibus eruditionis laudem tribuit, eodem eandem largiri posset hodiernis Anabaptistis; VValdensium propemodum gemellis. Certe præcipui inter Albigenses, qui Anno M. CLXXVI. & M. CLXXVIII. caussam suam Tolosæ dicere debuerunt, Latinæ linguæ rudes & imperiti erant. teste Rogero, in Annalibus Anglicanis, nisi forte Plessæus inter Doctores illos numerandos censet, de quibus Illyricus in Catalogo, ex quodam vt ait,* libello Inquisitorio peruetéri. Anno Domini M. CCC. XCI. die quarto mensis Septembris infra scripti sunt errores pro nunc sectæ Waldensium. Primo, Nicolaus de Polonia, Ioannes de Polonia Filius cuiusdam Rustici, Conradus de Saxonia de Villa dicta Dubun prope Weissenburg, filius cuiusdam rustici, Walricus de Hardeck, ex artificio Sutor, Conradus de Gamundia Sueuus, filius cuiusdam Rustici, Simon de Salig Vngarus ex artificio Sartor, Hermannus de Mistelgen Bauarus, ex artificio faber, Ioannes de Drenna Bauarus ex artificio faber. Prædicti nominantur inter eos Apostoli, Magistri, Angeli, & fratres, &c. *Si Apostoli, Magistri & Angeli horum VValdensium, fuerunt ex rudium opificum tribu & cœtu, quid de discipulis & auditoribus talium* Apostolorum Magistrorum *&* Angelorum *existimandum erit?*

F

III. *Concilijs, potissimum Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Anno salutis M.CLXXX. Et alio Lateranensi sub Innocentio III. Anno Christi M.CC.XV.*

IV. *Constitutionibus Pontificum, ex quibus extra, de Hæreticis, duo Capitula, nẽpe XIII. & XV. proprie in istos hæreticos dirigũtur.*

V. *Prædicatione Crucis, & armata manu; Immedicabile enim malum ense recidendum erat. Id factum Innocentio III. summum Pontificatum tenente, Anno Christi M. CCX. vt est apud Godefridum in Annalibus Et existat hodieq́; in Concilio Lateranensi, & in Decretalibus tit. de Hæreticis forma Indulgentiarum, quas aduersus Albigenses seu VValdenses dimicaturis Pontifex impetit.* Catholici, *inquit Pontifex,* qui Crucis assumpto charactere, ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant Indulgentia, illoq; sancto priuilegio sint muniti, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur.

G *Nec defuit Deus defensoribus ac propugnatoribus Ecclesiæ suæ, quam enim illustres victorias à perfida gente retulerint, docebunt te cum alij scriptores, tum Rigordus de Gestis Philippi Augusti Francorum Regis, tum Guillermus Brito lib.8. Philippidos, & Chronicon Monachi Altissiodorensis, qui sectam Albigensium titulo* Bulgarorũ *insignire solet.* Per idem tempus, *inquit,* Bulgatorum Hæresis execranda, errorum omnium fex extrema, multis serpebat in locis tanto nocentius, quanto latentius. *Bulgari scilicet eam ob caussam dicebantur, quod in Bulgariam quoq́; penetrassent, & inde fictitium* Papam *accepissent, vt supra ex Matthæo Parisio audiuimus. De Hæreticis istis multa lectu & notatu digna inuenies apud Cæsarium temporis illius scriptorem lib.5.cap.21. & seqq.*

H *Porro legibus nemo acrius VValdensium sectas insectatus & detestatus est, quam Fridericus II. Imper. Ex quibus sanctio de statutis & consuetudinibus contra libertatẽ Ecclesiæ editis in Corpus Iuris ciuilis relata est, in qua* I. Gazaros, Paterenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos, & omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocunq; nomine censeantur, *perpetua damnat infamia.*

II. Diffidat. *Est autem* diffidare *nihil aliud, quam hostem publicum declarare.*

III. Bannit, *quod Germani dicunt;* Er thut jhn inn den Ban / oder in die Acht.

IV. *Præcipit, vt bona* talium confiscentur. Nec ad eos vlterius reuertantur.

V. Vt filij ad eorum successionẽ non possint peruenire.

VI. *In Constitutione, quæ est c.25. l.1. Epist. Petri de Vineis statuit* idẽ Imperator, vt hæretici cuiuscũq; nominis, vbicũq; per imperium ab Ecclesia, *hoc est, à Iudice Ecclesiastico,* damnati fuerint, & seculari Iudici assignati, *hoc est, brachio seculari traditi,* debita animaduersione, *hoc est, mortis supplicio,* puniantur.

VII. *Vt si qui de Hæreticis* postquã deprehensi territi metu mortis redire voluerint ad fidei vnitatem, iuxta Canonicas sanctiones, ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

VIII. Decer-

A VIII. *Decernit cap.26.vt crimen Hæreseos* inter publica crimina *numeretur.*

IX. Vt horribilius æstimetur, quam crimen lęſę Maiestatis Imperatoriæ.

X. *Easdem illis pœnas statuit, quæ* in perduellionis reos *iam olim sancitæ sunt.*

XI. Vt si in erroris concepta instantia perseuerent, viui, in conspectu hominum, comburantur.

XII. *In cap.27.Patarenos, Speronistas, & alios quoscumq́, hæreticos* perpetua infamia *inurit.*

XIII. *Iubet, vt suspecti de hæresi,* nisi ad mandatum Ecclesiæ, iuxta considerationem suspicionis, ac qualitatem personæ, propriam innocentiam, congrua purgatione probauerint, tanquam infames, & banniti ab omnibus habeantur, ita, vt si sic per annum manserint, damnatis hæreticis accenseri debeant. *Quod etiam habetur in cap.* Excommunicamus 13.*extr.de Hæretic.*

B XIV. Credentes *præterea*, receptatores, defensores & fautores Hæreticorum *banno subijcit, statuens, vt si, postquam quilibet talium fuerit ab Ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum*, ex tunc ipso iure sit factus infamis.

XV. *Ita vt* ad publica officia seu consilia *admitti nequeat.*

XVI. Nec ad eligendum aliquos ad huiusmodi officia vel consilia.

XVII. Nec ad dicendum testimonia.

XVIII. Nec testandi liberam habeat facultatem.

XIX. Nec in vlla hæreditate succedat.

XX. *vt nullus ei teneatur* respondere super quocunq; negotio, sed ipse alijs respondere cogatur.

XXI. Si iudex fuerit, vt eius sententia nullam habeat firmitatem.

XXII. Nec caussæ ad eius audientiam perferantur.

XXIII. Si aduocatus, eius patocinium nullatenus admittatur.

C XXIV. Si tabellio, instrumenta per eum confecta, nullius pœnitus sint momenti.

XXV. *Omne insuper* proclamationis & appellationis *beneficium Hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem pœnitus adimit.*

XXVI. *Hæreticorum, Receptatorum, fautorem & aduocatorum hæredes ac pastores,* vsque ad secundam progeniem cunctis beneficijs temporalibus, publicisque officijs & honoribus priuat.

XXVII. Statuit, vt potestates, consules, seu rectores, quibuscunq; fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publice iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebũt: ita quodammodo quandocunque fuerit quis in potestatem siue perpetuam, vel temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare; alioqui nec pro potestatibus, nec pro consulibus habeantur, & eorum sententias irritas ex tunc decernimus, & inanes.

D XXVIII. Si Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hęretica prauitate; post annum à tempore admonitionis elapso, terram illius ipsis exponimus Catholicis occupandã, qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei pietate conseruent, saluo iure Domini principalis: dummodo super hoc nullum pręter obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat, eâdem nihilominus lege seruata contra eos, qui non habent Dominos principales.

XXIX. Quicũq; Hęretici reperti fuerint in ciuitatibus, oppidis, seu locis Imperij, per Inquisitores aliquos, ab Apostolica sede datos, & alios Catholicæ fidei zelatores, ij, qui Iurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum, & aliorũ Catholicorum virorum insinuationẽ eos capere teneantur, & eos captos arctius custodire, donec per censurã Ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei Sacramenta, & gloriam æternæ vitæ damnabant.

XXX. *Inquisitores de Ordinibus Prædicatorum & Minorum contra eosdem Hæreticos instituit.*

XXXI. *Eosdem Præfectis & Magistratibus sedulo commendauit.* Vniuersitati vestræ mandamus, *inquit Imperator*, quatenus quocunq; & ad quemcumq; vestrum peruenerint benigne recipiatis eosdem, & personas eorũ ab incursu hæreticorum eis insidiantium conseruantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro acceptis coram Deo negotiis exequẽdis. Hæreticos vero, quos vobis ostenderint, ipsi in iurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodiâ detinere, vt post Ecclesiasticæ dãnationis iudicium, pœnam subeant, quam merentur: scituri, quod in ipsius executione negotij, gratiam Deo, & laudabile nobis exequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperij nouam & insolitam hæreticæ prauitatis infamiam, opem & operam, vna cum eisdem Fratribus præstiteritis efficacẽ: Et si quis exinde foret negligẽs, vel remissus, ac inutilis, coram Deo, & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. E

XXXII. *Deinde illud etiam statuit, vt si qui simulate abiurassent hæresin; deprehensi & hæreseos & hypocriseos suæ capitalem pœnam subirent.* F

Omnes istæ pœnæ aduersus hæreticos exstant in quatuor Constitutionibus Friderici, quarum tres reperiuntur ad calcem libri primi Epistolarũ Petri de Vineis: Quartum ad finem librorum de Feudis. Quam honorius quoque Pontifex approbauit. Et quibus manifestus fit zelus Friderici contra sectarios, eo saltem tempore, quo istas Constitutiones promulgauit.

CAP. VII.

Vtrum Lutherani & Caluiniani sint Fratrum VValdensium fratres.

Affirmat *Petrus VVesenbeccius Iureconsultus in Oratione de VValdensibus, & Albigensibus excusa Seruestæ Anno M.DC.III. Amandus Polanus in disputatione sua de confessione Auriculari, & alij passim, qui VValdenses vocant* Fratres, *non tantum quod ipsi VValdenses inter se* Fratres *vocentur; sed quia illos etiam pro suis* fratribus *habent.* G

Verum, si hoc ita est, caussæ nihil habemus, cur illis hos tam pulchros & formosos fratres inuideamus; quos Ius tam Canonicum, quam Ciuile detestatur, quos Fridericus II. Imperator seuerissimus legibus viuo comburio addixit; quos vt humani generis pestes, in omnibus angulis indagari, repertosque exterminari iussit. Quos omnes superioris memoriæ Historici, & Scriptores, qui ex professo VValdensium dogmata refellenda susceperunt, ita depingunt, vt nullus, cui cor sapit eos in fratrum suorum numerũ cooptare possit. Nam quod VVesenbeccius, Illyricus, Plessæus, & similes vociferãtur, talia dogmata VValdensibus à Cucullaris *afficta fuisse, absit, vt fidem inueniant. Quis enim credat, Fridericum Imperatorem, tot Pontifices, aliquot Synodos, tot fidei Quæsitores, tot viros doctos, eminus & cominus cum VValdensibus congressos, tot Historicos, & Annalium scriptores, doctrinam VValdensium ignorasse, aut eis quidquam per fraudem & imposturam affinxisse? Tametsi non imus infitias, VValdenses, eorumque multiplicem progeniem, fecisse id, quod nostri Nouatores hodie factitant; nempe, horribiliora sua placita in meliora subinde mutasse; vel etiam id, quod corde abditum tenebant; quamuis plenum impiæ absurditatis, ore negasse; licet animus ab ore tantum, quantum falsum à vero, dissideret.* H

Præterea, non video, quam prudenter Lutherani & Caluiniani VValdensium fraternitate glorientur: cum si fratres sint, eo ipso, in communionem omnium pœnarum veniant, quas Friderici Imp. leges VValdensibus constituerunt, præsertim cum Fridericus suis Constitutionibus, non tantum VValdenses, sed cuiuscunque alterius sortis & nominis hæreticos complectatur, licet VValdensibus fraternitate non iungantur. Quanto magis igitur, vnanimes VValdensium fratres, pœnis à se sancitis obnoxios esse volet? nam hic locum habet axioma illud Topicum: Quod in vno similium valet, valet in cæteris.

Adhæc, si VValdenses sunt Lutheranorum fratres; non erunt ergo fratres Caluinistarum, aut si sunt fratres Caluinistarum, non erunt fratres Lutheristarum; quia si VValdenses essent fratres Caluinistarum & Lutheristarum, tum Caluinistæ etiam & Lutheristæ essent fratres inter se; iuxta illud omnium Philosophorum ore

A *tritum pronunciatum.* Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. *At Lutheristæ & Caluinistæ non sunt fratres: id cum aliunde, tum ex Colloquio Mompelgardensi liquet, sub cuius finem cum Beza à Smidelino & socijs peteret, vt se & suos symmistas* pro fratribus agnoscerent, & dexteras fraternitatis porrigerent; *respondit Smidelinus*; Vt illis dexteram fraternitatis præbeant, non ignorare illos, quam horribilium errorum, & teterrimarum hæreseon in suis scriptis coram Ecclesia ipsos reos egerint; ideoque se mirari, quomodo eos pro fratribus agnoscere possint aut velint, aut eorum fraternitatem experant, si pro talibus agnoscant, qui damnatas hæreses ab Orco reuocent, & Ecclesiæ Dei obtrudant. Contra vero, in quibus, & quam tætris erroribus ipsi versentur, hac collatione eis demonstratum esse: in quibus, cum adhuc perseuerent, ipsos intelligere, quod eos pro fratribus agnoscere non possint, se tamen haud grauatim dexteras humanitatis porrecturos. *Atque Beza.* Quia dextras fraternitatis nobis porrigere recusatis; & nos pro fratribus agnoscere non vultis; amicitiæ dexteras etiam nolo. *Cum ergo Lutheristæ non sint fratres Caluinistarum, fieri non potest, vt si ipsi sunt VValdensium fratres, eorundem sint quoque Caluinistæ fratres, aut si Caluinistæ sunt VValdensium fratres, necesse est, vt ab hac fraternitate Lutheristæ excludantur.*

B

Accedit, mirum videre posse quomodo Lutheristæ VValdenses in fratrum loco & numero habeant, cum Lutherus neque horridos illos, & tot errorum formis prodigiosos, neque politiores illos in Bohemia fraternitate sua dignari voluerit: imo in Disputatione Lipsica, vix quidnam magis serio & efficaciter à se amoliri studuit, quam suspicionem, quod quidquam commune, nedum ius fraternitatis, cum VValdensibus habet. Ita enim in publico auditorio professus est. Quod me egregius D. Doctor (*Eckius*) insimulat Bohemicæ factionis (*in qua & VValdenses*) studiosum, & plane patronum; parcat ei Dominus, præsertim in tanta corona tantorum virorum. Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunque schisma. Inique faciunt Bohemi, (*ergo & VValdenses Bohemici*) quod se auctoritate propria separant à nostra vnitate. *Postea in fine sessionis illius subiungitur.* D. Martinus petiit Eckium, ne velit impingere tantam contumeliam, vt eum Bohemum faceret, quia sibi semper inuisi fuissent, ideo quod ab vnitate dissentiant.

C

Hæc Lutherus Anno XIX. in Disputatione Lipsica: vbi sane nihil fraternitatis inter Lutherum & VValdenses apparet. Cur ergo Lutheri posteri volunt esse fratres eorum quorum vel nomen, vel patrocinium, vel fauorem sibi impingi Lutherus indignissime tulit? Quos etiam in explicatione primi Præcepti Tom. 1. Lat. VViteb. sub nomine Picardorum *perquam humaniter & beneuolenter pectit in hunc modum.* Ne Pighardi Hæretici infelices, suas partes à me adiutas confidant, qui præ nimia ruditate nobis Theutonicis (superbissimo fastu suo indignati) imponunt, quod sanctos Dei colamus, & idola faciamus, &c. Ita Rustici illi (*VValdenses*) nos tandem docent, quod solus Deus sit adorandus, &c. Propter horum (*VValdensium*) rudissimam & insulsissimam rusticitatem, dico ego, &c. *Ecce tibi quales fratres Lutherus & VValdenses.*

D

Eadem fraterni amoris signa elucent ex Resolutionibus Lutheri, Conclus. XV. Tom. 1. Lat. VViteb. Quæ ideo dico, *inquit Lutherus*, ne Pighardus (*VValdensis*) Hæreticus in me sibi videatur obtinuisse, Purgatorium non esse &c. Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset. Purgatorium (vt superbit fastidiosus Pighardus) nunquid ideo credendum est hæretico vix quinquaginta annos nuper nato? *Hic iterum perspicue intueris Luthero, & VValdensibus quos etiam* Picardos *appellitant, nullam fraternitatem fuisse.*

At occurrit VVesenbeccius. Lutherum habito colloquio, & placide collatis sententiis, VValdenses pro fratribus agnouisse, & peramanter complexum esse, & honorifice de Ecclesiis, totaque eorum doctrina sensisse; & hoc præter literas ad ipsos scriptas, testari Præfationem libello seu Confessioni VValdensium præfixam. *Quod VValdenses, quosdam ex suo grege ablegarint VVitebergam ad Lutheri tripodem, discimus ex principio libri de Adoratione Eucharistia, quem Lutherus Anno M. DXXIII. ad VValdenses scripsit.*

Tom. 2. Ien. Germ.

E *Priore Anno M. D. XXII. Epistolam dederat vniuersim ad Bohemos Pragæ in Comitijs congregatos. Sed nihil in ea de Fraternitate vel generatim cum Bohemis, vel speciatim cum VValdensibus inita; quia hoc tantum agit, vt Bohemis persuadeat, ne tanta sectarum in Regno illo grassantium diuersitate & multitudine offensi, ad Romanam Ecclesiam reuertantur; quod nascenti Lutheranismo ceruicem fregisset, gulamque elisisset. Neque enim Saxones, & alij à Catholica religione, perfidi Apostatæ impulsu, desciuissent, si eodem tempore Regnum illud, tam opulentum & amplum, eo, vnde exciderat, rediisset.*

Anno Redemptoris M D X X I I I. euulgauit Lutherus libellum de adoratione Corporis & sanguinis Christi ad Fratres, cognomento Waldenses, in Bohemia & Morauia: *vbi in ipso statim limine miratur, quod VValdenses in suo quodam Opusculo Germanice & Bohemice publicato, affirment*, Christum non esse substantialiter & naturaliter in Sacramento; neque ibi adorari debere; *miratur, inquam, Lutherus hoc affirmari in libello, cum tamen Legati ad se missi, contrarium asseruerint. Et quamuis idem libellus latine redditus, postea ad Lutheri manus peruenerit, sibi tamen negat in hoc articulo de præsentia Corporis Christi in Sacramento, satisfactum esse. Et tantum abest, vt Lutherus tunc fratres istos VValdenses in fratrum suorum numerum adsciuerit, vt sub finem sui libelli, præter dissensionem circa mysterium Eucharistiæ, quatuor alia capita, iudicio suo, à vero abhorrentia VValdensibus obiecerit, & vt ea in melius commutarent, hortatus fuerit, inter quæ postremum illud, quod* Waldenses nullum vxoratum Ecclesiæ ministrum ferebant. *Omnibus enim vel cælebs vita amplectenda, vel ministerium Ecclesiasticum deserendum erat. Quod vel solum & vnicum obstare poterat, quo minus Lutherus, tantus mulierum amator, fraternitatem cum VValdensibus contraheret; etsi forte illam non abhorruisset, quam Germani vocant* Potatoriam, Zechbruderschafft

F

G *Decennio post, nimirum Anno MDXXXIII. publicauit Lutherus Confessionem VValdensium, addita præfatione sua: in qua aperte indicat, se in Confessione illa acquiescere non posse. Cur ergo illam edidit, appensa hedera? Duas ob caussas, quarum altera est, vt Pontificiis ægrè faceret, cum VValdenses Lutheri præconiis sonorisque fistulis longe supra se extolli cernūt. Altera est, vt VValdensibus palpum obtruderet, eosque in suum rete pelliceret. Quid enim Lutherano Euangelio honorificentius accidere potuisset, quam si Bohemicorum & Marauicorum VValdensium seu Picarditarum accessione auctum fuisset? Neque in hac præfatione quidquam reperitur, ex quo eluceat, Lutherum tunc VValdenses, fratrum in numero habere voluisse. Et vt maxime voluisset, forte noluissent VValdenses, præsertim propius cognito fastuosissimo Lutheri supercilio.*

Ad VVesenbeccium regredior; qui dicit, Lutherum honorifice de Ecclesiis, totaque doctrina Waldensium sensisse. *videamus num vera canat Leguleius iste. In Colloquijs* Mensalibus *seu* Symposiacis *Lutheri coniiciuntur VValdenses in titulum*, von Schwermern vnd Rotten wider D. Luther. *Honorifi cam sane existimationem de VValdensibus eum habere oportet qui VValdenses* fanaticis, Phantastis, *& vt Lutheri verbo vtar,* Schvvermeris *accenset.*

H *Dixerit forte quis*, id non factum à Luthero sed à Colloquiorum illorum Rhapsodo, Aurifabro. *Sit ita. Colloquia tamen, quæ illic recensentur, ex Lutheri ore profluxisse, nemo abnuet, nisi qui totum* Colloquiorum *opus euertere voluerit. Quid ergo in illis confabulationibus de VValdensium doctrina sermocinatus est Lutherus?* I. Articulū de iustificatione purū non habent.

Sie bekennen wol / daß der Mensch auß Gnaden / vnd durch den Glauben selig werde / sie verstehens aber / daß der Glaub sey im Hertzen ein *qualitas*, vnd Ding / das regiere / geben dem Glauben an Christum allein nicht die Seligkeit / deimen den Glauben vnd Gnade anderst / denn wir / vnd geben die Gerechtigkeit / so für Gott gilt / zu gleich / vnd mit einander dem Glauben vnd Wercken. Denn sie sagen / der Glaub ohne Werck ist todt / welches wol recht ist / wenn dieser Spruch allein auff die Predigt deß Gesetzes / vnd den eusserlichen Wandel gerichtet wird / nach den zehen Gebotten. Da er aber im Artickel der Rechtfertigung gesagt wird / vnd vom selbigen verstanden / so ist er vnrecht / ja stracks wider Gott / vnd die heilige Schrifft.

II. Die Waldenser wissen nicht den Glauben von den Wercken zu vnderscheiden / vnd einem jeglichen sein Ort zugeben / &c. das wort Formata (*quia VValdenses requirebant fidem formatam*) ist ein gifftig Wort in der Beschreibung deß Glaubens / &c.

A *Paulo post comparet iste titulus.* Der Waldenser Jrrthumb. *Mox subditur.* Die Waldenser jrren / erstlich / dann sie halten daß der Glaub ohn Werck nicht gerecht vnd selig mach / sonder der durch die Liebe reformirt ist / von der zugerechneten Gerechtigkeit (*De iustitia imputatiua*) wissen sie nichts. Zum andern wissen sie nichts von krafft deß Worts. *Hoccine est honorifice de doctrina VValdensium sentire? Quid amplius?*

Waldenses mirabiles habent opiniones de Sacramento Altaris, quas ipsemet non intelligunt. *Quo vno dicto duo facit Lutherus; nam & VVesenbeccium vanitatis, & se mendacij coarguit, quando ita scripsit Tom. 2. Lat. Epist. ad Nicolaum Haus-* Pag.133. *mannum Anno* M.D.XXIII. De Pirghardis, *hoc est, VValdensibus*, iam non male sentio, audita eorum, præsentibus ipsis, fide, circa Sacramentum Eucharistiæ. *Quid autem sentiant de Eucharistia, exponit Lutherus in alia ad eundem Hausmannum* Pag.168. *Epistola.* Pighardi sic de Sacramento sentiunt, quod Christus sub pane non sit corporaliter, quomodo aliqui dicunt, se vidisse ibi sanguinem, & puerulum, &c. sed spiritualiter, seu sacramentaliter, hoc est, qui panem accipit visibiliter, vere accipit naturaliter eius sanguinem, qui à B dextris Patris sedet, sed inuisibiliter. Vltra hoc non possum eos damnare, deinde quod non adorant, ad idem referũt, quod non sit ibi visibiliter, vt visiones habent, sed inuisibiliter, hoc est, ad dexteram Patris. *Scripsit hæc Lutherus Anno 1523. Et tamen isto ipso anno refutauit sententiam VValdensium de Eucharistia, in libello de* adoratione Sacramenti. *En quam constanter, sibique consentanee scribat & loquatur Lutherus de VValdensibus fratribus suis & Lutheranorum.*

Quærit VVesenbeccius, vndenam VValdensibus Picardorum *seu* Picardiratum *nomen?* Sunt, *inquit*, qui Picardiam Galliæ Prouinciam ipsis id nominis conciliasse puteut. Alij Begardum quendam nominant, & sectatios eius Begardos, quos vulgus postea, corrupto vocabulo, Picardos dixerit. *Forsan probabilius coniectaueris, si dicas, sic appellatos à* Picario, *id est*, Poculo domestico (von dem Becher *in quo VValdenses suam Eucharistiam conficiebant; teste Reinero, & post Reinerum, Illyrico. Sed hoc intra coniecturæ limites consistere volumus.*

C *Denique VValdenses sunt, & fuerunt Sacramentarij. Quomodo ergo fratres Lutheri & Lutheranorum? Non certe magis, quam Zvvinglius & Oecolampadius. VValdenses ad Sacramentariorum castra pertinere, testes do duos Lutheranos, alterum Senatorem quondam Norimbergensem, VVilibaldum Pyrchheimerum; Alterum, Lutheranum Superintendentem, Conradum Schlüsselburgium; quorum ille ita scribit in libro de carne & sanguine Christi contra Oecolampadium, (quam fraternæ amicitiæ caussa in Epistola ad Eleutherium idem Pirckheimerus nominat* Cœcolampadium, & Kacolampadium) Pighardi ac Waldenses hanc (*hæresin Sacramentariam*) & mordicus quidem tenent, quemadmodum ex confessione illorum, quæ impressa circumfertur, clare percipi potest. Quæ tu (*Oecolampadium seu Cœcolampadium affatur*) iterum innouare conaris, quibusdam circumstantiis modi, temporis, loci, & reliquis præstigiis exornata, non secus ac si quis cantherium quendam vetulum, claudum & edentulum pretiosis exornaret phaleris.

Schlüsselburgius libro 3. Catalogi sui istud scriptum reliquit. Anno MCLX. Waldenses Lugduni in Gallia errorem Sacramentarium disseminarunt. Waldenses vero Sacra- D mentaria hæresi infectos esse, patet ex eorum confessione quam Anno M.D.VI. Waldeusium Regi Vladislao exhibueruut, in ea enim affirmant & concludunt, quod Christus ante nouissimum diem naturali suo corpore præsens in terris esse haudquaquam possit, sed certo loco ad dexteram Dei resideat: itaque panem alia ratione non esse corpus Christi, quam qua Ioannes est, & dicitur Helias, &c. Hos Waldenses Caluiniani pro fratribus suis habent, vt testatur Beza in libello suo iconico, in quo maxime sociorum suorum viuas imagines expressit.

Cum ergo VValdenses sint fuerintque Sacramentarij, haud appellari poterunt Lutheri & Lutheranorum fratres. Quæ concordia Christo cum Belial? *inquit Lutherus in libro de verbis Cœnæ.* Si Christiana cum illis (*Sacramentarijs*) ineunda est concordia (*& fraternitas*) & mutua fouenda dilectio, omnino necesse est, vt eorum doctrinam quoque amplectamur, & opera ipsorum approbemus, aut ad minimum conniuea- E mus, & perferamus. Verum id faciat, qui velit. Ego me nego facturum, &c. Quo ad spiritum, eos vsq; ad extremum halitum deuitabimus, arguemus, & damnabimus pro idololatris, verbi Dei corruptoribus, blasphemis & deceptoribus, &c. In blasphemias eorum consentire, tacere, aut approbare neque volumus, neque debemus. *Hæc Lutherus.*

Porro ijsdem ferme argumentis, quibus probauimus VValdenses non esse fratres Lutheristarum, probari itidem potest eosdem non esse fratres Caluinistarum, nisi in delectu fratrum nullum prorsus delectum habere velint. Haud diffiteor tamen non modo VValdenses, sed & generatim omnes Hæreticos, dici posse fratres Martinistarum & Caluinistarum, *si rem ad primum omnium Hæreticorum progenitorem reuocemus, ad illum videlicet, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit. Nec VValdenses cum Lutheranis & Caluinistis concordabis, aut ad fraternitatem rediges, licet rem transigere velis ex illa Confessione, quam VValdenses miserunt in Hungariam ad Vladislaum Regem, aut ex Oratione excusatoria eorundem ad eundem Regem; aut ex scripto Apologetico* F *contra Doctorem quendam nomine Augustinum; quia licet omnia hæc subdole, versute & prorsus vulpine composita sint, ita vt in quamcunque partem trahi queant; VValdensium tamen sensus nonnullis in locis adeo clare emicat, vt Confessioni illi VValdensium & Orationi Excusatoriæ nullus Caluinicola, aut Lutherisequa, memor suæ doctrinæ, vnquam publice & authentice subscripturus sit. Quomodo enim digeret illud? (vt vnum è multis nominem)* septem esse Sacramenta: *quæ, licet VValdensis ita explicent, vt potius dici debeant non Sacramenta, quam Sacramenta; nihilominus, etiam cum VValdensium sensu & explicatione, hæc assertio à Lutheristis & Caluinistis repudiabitur. Quapropter Lutherus quoque in Libello* de adoratione Eucharistiæ *temperare sibi non potuit, quo minus hanc de septenario Sacramentorum numero assertionem, obelo confoderet.*

Itaque mirum artificem eum esse oportebit, qui Caluinistas, Lutheristas, & VValdenses vno fraternitatis iugo copulauerit. Tentauit hoc non ita pridem, hoc est, Anno 1609. quidam Adamus Zaluzanius edita Oratione, cui titulum fecit. Harmonia Confessionum Orthodoxarum Ecclesiarum Regni Bohemiæ ab G integra Cœna sacra dictæ & fratrum; *Cui orationi maxima iniuria irrogabitur, nisi inter stultissima huius æui monumenta reponatur, quæ funiculum ex arena nobis nectit, hoc est, nec cohærentia, nec vnquam cohæsura, vnire nititur; Omnes nimirum illos, qui sub vtraque specie communicant, Hußitas, Caluinistas, Lutheristas, (cur non & Anabaptistas, Schvvenckfeldianos, & id genus alios?) Et quia fratres, hoc est, VValdenses, huius vnionis videbantur incapaces, iste per suum* Henoticum *hos etiam reliquis quam bellissime agglutinat, & inde suauissimam Harmoniam conficit, quæ nunc modulis suis totius Bohemiæ aures quam iucundissime demulcet. Iam Lutheranus Bohemus Hußitam; iam hic illum, iam Caluinista Lutheranum Hußitam, cuncti;* Fratres, *fratresque iterum illos, vt fratres, imo, vt vnum in* Domino *amplectuntur & deosculantur, cuius* Vnitoris *seu* Harmostæ *vestigia si quis sequi vellit, eadem facilitate Iudæos, Turcas, & Tartaros in concordiam, dulcemque consensionem rediget.*

Quam sibi plaudet ob hanc Harmoniam Zaluzanianam *Matthias Hoë antea Plauiensis in Saxonia Superattendens, nunc Pragæ primatum tenens & amans Diotrephes. Illud merito Cordolium* H *bono Præconi creare potest, quod nuper quidam non infimæ notæ existit, qui ei, vt Vbiquetario, in ipsa Regia Praga litem mouere ausus fuit, non obstante Harmonia integre Cœnantium; idque non priuatim, sed publice; euulgata lucubratiuncula, in qua laudes huius Logoduli stridulis tibijs demodulatur.*

An nosti, ô Præco, Caluinianum Ioannem Bergman à Berge? *An non vidisti librum eius Pragæ impressum Anno 1611. cui titulum fecit;* Processus Retorsionis probation vnd conclusion Schrifft contra Matthiam Hoë, Stentorem Vbiquetarium, omnipræsentiarium, &c. *An non affirmat*, te Pragæ manum porrigere Nestorio, Ario, Marcioni, Eutycheti, Samosateno, Pelagio, & id genus aliis, diserte contra Confessionem ab Imperatoria & Regia Maiestate tribus Bohemici Regni Euangelicis statib. concessam? *An non vocat te* ein Ketzer / ein Auffrührer: *cum tamẽ Pragæ pacificus Ecclesiastices, imo Euãgelicæ Ecclesiæ Germanorum* Director *audire & salutari velis? An non te appellat*, Hæreticum Multipræsentiarium, Omnipotentiarium, & Omnipræsentiarium? *An non te tau-*

A *lem hunc in modum affatur?* Lieber Bruder *Hoë* / beweiß / bistu ein redlicher *Doctor*, mit einer *litter* Götlicher heiliger Schrifft / das Christi Fleisch allenthalben sey / Hastu kein Schrifft / solstu dich dein lebenlang schemen/vnd ein böser Ketzer bleiben.

En tibi, ô Adame Zeluzani, pulchram harmoniam, *quã sibi mutuo concinunt Euangelici fratres intregra Cœna in Bohemia vtentes; quorum tu dulcißimam Symphoniam & bellißimam Symmetriam tantis laudibus extollis. Væ capiti Prædicantis huius, si aliquando infrunito suo ore irritauerit feruentiorem aliquem Hußitam, aut Picarditam seu VValdensem. Aut valeant, vt merentur tam fratres VValdenses, quam fratres VValdensium, nullo excepto, vna cum discordi sua concordia, & dissona consonantia.*

Capvt VIII.

Vtrum in Galliis VValdenses vsque ad nostram ætatem durauerint.

B *Affirmat Schleidanus libr. 16. suæ Historiæ, & ex hoc Illyricus in Catalogo, & ex vtroque VVesenbeccius, qui dicendi tam inops fuit, vt nisi duos istos expilasset, præsens periculum ei imminuerit, ne obmutescere cogeretur. Ergo quæ Schleidanus verbose partim fabulatus, partim mentitus fuerat de persecutione aduersus VValdenses, veterum VValdensium reliquias, sub Francisco I. Galliarum Rege, Anno M.DXLV. ea sedulo suam in orationem VVesenbeccius intulit, non sine exaggeratione tantæ scilicet crudelitatis exercitæ in VValdenses, in ipsis antiquorum VValdensium sedibus commorantes.*

At credibilius est non fuisse VValdenses, sed Lutheranos, vel Caluini Farellique spiritu ex Geneua afflatos: id vt susp cer, faciunt ipsi, quos antea nominaui, sectarij, meamque suspicionem non esse vanam, satis elucescit ex illis, quæ vir doctißimus Florimundus Remundus in Historia de Origine, progreßu & interitu hæreseos lib. 7. cap. 3. & multis seqq. scripta reliquit. Fuerunt vero VValdenses, (quandoquidem in Bohemia quoque satis diu durarunt, neque ad hæc vsque ad tempora exstirpari potuerunt,) an ideo Regi Christianißimo in illos non licuit, quod à suis antecessoribus, Catholicæ fidei C *amantißimis Regibus, aduersus perfidos istos factitatum vidit? An Hæreticos conniuentia sua fouere & protegere debebat? Ita quidem sentiunt Schleidanus, Illyricus, VVesenbeccius, verum non tam Dei, quam suam caussam agunt; quia illis nihil optatius accidere potuisset, quam si zizaniis crescendi spatium concessum fuisset, donec bonam segetem penitus oppreßissent.*

Illud mihi ridiculum videtur, quod Plessæus in suo Mysterio *dictitat;* Puritatem & simplicitatẽ doctrinæ Christianæ in plerisque montibus & conuallibus Allobrogum, Prouinciæ. Galliæ Narbonensis, & Aquitaniæ, illibatam conseruatam esse. *Non iniuria suspicari posses, Plessæo eandem de Deo esse existimationem, quæ erat Syris illis, 3. Reg. 20.* Dij montium sunt Dij eorum (*Israelitarum*) ideo superauerunt nos, sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. *Ita ferme Plessæus Deum facit* Deum montium & vallium Sabaudicarum, Prouincialium, Narbonensium, & Aquitanicarum; *quia Deum cum sua Ecclesia ad has angustias redigit, simul innuens, in his montibus & conuallibus semper à temporibus Apostolicis, vel certe admodum vetustis, veram & genuinam fidei doctrinam inuiolatam perseuerasse; cum tamen constet, ante VValdenses seu Albienses, & si longius ascendere velimus,* D *etiam ante Petrum Bruis, & Henricum eius discipulum, in omnibus locis, quæ isti cum suis nouis dogmatibus infecerunt & contaminarunt, viguisse eam doctrinam, quæ hodie Tolosæ viget, & à Caluinistis* Pontificia, *seu* Papistica *appellatur: neque vllis Historiarum monumentis proditum est, Albienses seu VValdenses ex aliqua vrbe, oppido, vel Pago Ethnicismum eiecisse: Quocunque eorum perfidia pertigit, inde nihil aliud expulit, quam quod Caluinismus ex Gallia, Anglia, & Hollandia eiecit: nimirum, religionem Apostolicam, Catholicam, Romanam.*

Lepidum autem est, quod ait Plessæus, Montes & conualles aptiores esse religionis puritati conseruandæ; sicuti aptiores sunt puritati linguarum conseruandæ. *Quam enim pure & munde loquantur in montibus & conuallibus Sabaudicis, Narbonensibus, Aquitanicis, Tridentinis, Rhœticis, & id genus alijs, optime norunt politioris linguæ Galli & Itali, sicut & nos Germani probe compertum habemus, quam sit omnibus Gratijs delibutus eorum sermo, qui Alpes & Alpibus adiunctas valles incolunt. Quod de* Cantabria Hispanica & de VVallia Britannica Plessæus ingerit. E in vtraque priscam linguam ab omni peregrinitate liberam, & prorsus inextinctam perdurasse; eo quod vtraque regio sit montibus impedita, & aduenis inaccessa; *id vt ita sit, quid tandem ad propositum nostrum facit? Ostendat, si potest, Albigensium seu VValdensium doctrinam, semper in ijs, quas occupauerant, prouincijs sine vlla interruptione mansisse, sicut in Cantabria & VVallia semper Cantabrica & VVallica lingua permansit; & non ab ipsis VValdensibus & Albigensibus, circa Annum Christi M CLX. primitus in mundum introductam, & postea miris, sed pestiferis incrementis multiplicatam, expulsa illa Christianæ fidei doctrina & disciplina, quæ per totam Galliam, imo per totam Christianitatem ante ortum Petri VValdi & sequacium Catholica reputabatur.*

Occinit Plessæus. Tantam multitudinem ab Alpibus ad Pyrenæos vsque diffusam ex Petri de Waldo doctrina, vno die, quasi ex ouo excludi, omnem fidem, omnemque rationem superare. *Non necesse est, vt tanta VValdensium multitudo, vno die, ex lumbis progenitoris sui VValdi prorepserit; satis temporis & spatij ad propagationem suam habuit.* F *Exstitit VValdus, vt iam sæpius dictum, circa annum M CLX. An sedecim vel octodecim annis pestem hanc quam latißime diffundi non posse putas; nam tanto post tempore Tolosæ in VValdenses solemniter inquiri cœptum est, quod indies noua accessione multiplicarentur, vt suo loco ex Rogerio audiuimus: vt iam nihil dicam de vlterioribus annis, ad Pontificatum Innocentij III. pertinentibus, quibus dira hæc lues vires & virus suum quam maxime exeruit. Vel Lutherum vide. Quam breui tempore secta eius latißimas prouincias, & quidem integras corrupit? Intra tredecim annos nimirum à XVII. vsq; ad XXX. quot Principatus & Ducatus ab auita religione miserabiliter abduxit?*

Suspicatur Plessæus Petrum VValdum non fuisse primum huius doctrinæ architectum; & huic suæ suspicioni fulcrum inde petit, quod Petrus de Bruis, & Henricus discipulus eius antecesserint. At hoc inane est, licet enim non liqueret, qua occasione Petrus VValdus in heterodoxiam inciderit, erroresque suos disseminare cœperit; (quod tamen vel ex his nostris Auctoribus satis compertum est) atq; adeo vesana sua à Petro Bruis, & ab Henrico, assecla Bruisij, acce- G *pisset, num ideo Plessæus demonstrasset; montibus & conuallibus Sabaudicis, Narbonensibus, Aquitanicis, & id genus alijs, doctrinam à VValdo, vel etiam à Bruisio & Henrico traditam, ab antiquißimis temporibus durasse, neque vnquam mutatam fuisse, cum ex Historiis manifestum sit, Petrum de Bruis circa Annum Domini MCXXXVI. exstitisse, & Henricum Anno MCXLVII. potißimum insaniuisse. Quo anno contra eundem Legatio à sede Apostolica ad Comitem S. Ægydij destinata est, de qua legisse iuuabit Illustriß. Baron. Tom. 12. anno MCXLVII. Frustra autem est Plessæus, cum fictitiæ VValdensium antiquitati aduocatum adsciscit Reinerum; non enim ex sua, sed ex aliorum sententia cap. 4. ait, sectam VValdensium à temporibus S. Syluestri Papæ, vel etiam ipsorum Apostolorum durasse. Quod commentum diserte exsilibat scripti secundi seu* Obuiationum *Auctor cap. 1.*

Cap. IX.

Qui sint Auctores, quos nunc euulgamus; & qua fide Illyricus, & hunc secutus, Reinerum Freherus euulgarint.

H *Aduersus VValdenses scripsisse Eberardum Betuniensem, Bernardum Abbatem Fontis Calidi, & Ermengardum, testatur Pamelius in scholijs ad Epistol. 63. D. Cypriani, qui eorundem Auctorum monumenta calamo exarata habuisse videtur. Mihi videndi copia nunquam fuit.*

Habeo ex Bibliotheca S. Emmerani apud Ratisbonenses F. Monetæ Cremonensis (cuius meminit Antoninus Senensis in sua Bibliotheca) Volumen grande contra VValdenses, in quinque libros distinctum, quod cum his iam foras extrusissem, nisi operis prolixitas & magnitudo me absterruisset; in nimiam enim molem hic Tomus excreuisset, sed alia dabitur vt spero, Auctoris huius ex tenebris in lucem vindicandi occasio. Ad hos, quos nunc emitto, quod attinet, primi Tractatus Auctor est Reinerus, quem natione Germanum credidissem, ob Germanicæ linguæ peritiam; qua eum præditum fuisse, testatur hic commentariolus. Sed aliud vt crederem, fecit Antonius Senensis, qui in sua Bibliotheca isthæc, Frater Reinerius Sacho-

nus

A nus Placentinus, vir apprime eruditus in Theologica doctrina, & in Aristotele non infime, in iure quoque Canonico versatus nō modicum, primo degit in tenebris, & fuit cœcorum dux quoque cœcus & hæreticorum Episcopus, sed Dominus suæ misericordiæ viscera erga illum aperiēs, eum ab his errorum tenebris ad fidem conuertit, & vt nostri Ordinis habitum susciperet, illi inspirauit, in quo plurimum profecit, & Hæreticorum Censor factus, per Lombardiam multa pro fide Christi pertulit. Scripsit Summam præclaram contra Hæreticos. Plura alia scripsisse fertur; sed non vidi. *Claruit Anno MCCLIV. Hæc Senensis.*

Habuit Illyricus, vndecunque tandem, Reinerum, eiusq; fastum quoddam Catalogo Testium suorum inseruit: nempe, caput tertium, tametsi non integrum, & cap. 4. quanquam & hoc principio mutilatum. Sequentia autem inter cap. 4. & quintum, non comparent in manuscripto, quo vsi sumus. Omnis ergo fidelis Christi, qui legit has nefandissimas blasphemias & errores, compatiatur sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ob pretiosum sanguinem Iesu Christi, quem fudit pro ea, vt fideliter se B accingat hæreticorum Leonistarum spurcissimos errores rationibus, & præcipue noui Testamenti auctoritatibus confutando. Ipsi enim intendūt funditus subuertere fidē nostram. Et quia heu rarus est, qui consurgat cum Christo aduersus hæreticos malignantes, opponens se murum pro domo Domini, tu ipse surge Deus, & iudica causam tuam. Plurima de his, quæ scripta sunt, audiui ex ore ipsorum hæreticorum: quædam etiam in scriptis Catholicorum inueni.

Caput quintum similiter truncate ab Illyrico proponitur. Ad finem capitis quinti subijcit Illiricus istud Lemma. Explanatio dictorum errorum. *Et post lemma, seu titulum.* Sequitur explanatio dictorum errorum, *(qui scilicet capite quinto enumerantur)* cū occasionibus suis & solutionibus Catholicis. *Quam explanationem ita proponit Illyricus, eumq; secutus Freberus, quasi esset Reineri. At Sycophantice agit; quia non est Reineri, cuius liber decem solummodo capita complectitur; Quæ autem & qualia illa sint, satis superque exposuit ipse Reinerus in Proœmiolo suo. Absit, vt Reinerus talem in modum dogmata VValdensium refutarit; quia* C *si explanationem illam penitius intueri velimus, fateamur necesse est, non tam esse errorum VValdensium euersionem, quam Catholicorum dogmatum & hominum, Satyricam irrisionem & subsannationem. Id vt videas; ecce tibi vnum vel alterum exemplum præclaræ explanationis, occasionis & solutionis.*

Error. Sacramentum Eucharistiæ dicunt sacerdotem in mortali peccato conficere non posse. *Reg.* Quia Oza mortuus est, quia tetigit Arcam. Et Ioannes non audet attingere verticem Domini. Item dicunt; quod bonus Laicus, etiam mulier, possit conficere. Item, quod non in manu conficientis, sed in ore digne sumentis, fiat Transubstantiatio. *Psal. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

Occasio erroris ipsorū. Quia corpus Domini ministrabant Leuitæ, vt Laurentius & Tharsitius Romæ passus. Item quidam conficiunt ex quacunque forma, quidam ex labrusca, quidam ex tincto pane in vino. Quidam in vno vasculo anaxinum accipiunt. Quidam post ablutionem sumptam, iterum celebrant. Alij conficiunt cum aceto. Quidam Eucharistiam seruant in Cameris & in hortis, vt D in Bauaria. Item Subdiaconi corpus Domini dant infirmis. Item Diaconus tota nocte ludens, seu bibens in taberna, mane in camisia celebrauit, teste Goth Hæresiarcha. Item Eucharistia vermibus scaturiuit. *iuxta Zuuetel vel Suetel.* Testes Monachi ibidem. Item corpus Domini sæpe pedibus conculcatum, & sanguis effusus. Item ab indignis, in publico peccantibus sumitur & tractatur, & dignis, vt sacris virginibus & viduis, dari negatur, nisi forte in Cœna Domini. Item, iure à scholaribus sine pretio raro datur. Causa, quia Ecclesiæ plebanis carè locantur: Et non sufficiunt Vicarij Scholaribus in pretio respondere.

En præclaram refutationem erroris VValdici circa Eucharistiam. Ne verbum quidem vides vel audis, quod VValdensiū amentiam feriat, nihil, quod non stabiliat. Quod non hic tantum, sed in tota illa Explanatione *contingit, potissimum in loco* de Missa Sacramento Pœnitentiæ, deque imaginibus & sanctis, *vbi tam impie & blasphemede his mysteriis & ritibus differitur, vt* vehementer dubitem, num tale scriptum Illyricus in veteri Codice repererit, an ex suo male feriato & inquietissimo cerebro exsculpserit. Certe Catholici hominis non est, & omnium minime Reineri: Cuius Commentarium ex Papyraceo quodam Codice, admodum vitiose exarato, exscribendum curauimus, quem beneficio Clarissimi & Consultissimi viri* D. Christophori Gevvoldi *I.V.D. & Consiliarij Bauarici adepti sumus. Vtinam Codex emendatior & emaculatior obtigisset, de quo non despero; Reinerum enim exstare in Bibliotheca Monasterij Lambacensis in Austria, compertum habeo ex Indice librorum, qui in illa Bibliotheca asseruantur. Interim ad patefaciendas fraudes & imposturas Illyrici, satius duxi apographum ex Codice illo petitum euulgare, quam permittere, vt vanissimus Sectarius iste cum suo Pseudoreinero diutius lectoribus illudat.* E

Obuiationum seu secundi Tractatus duo habui manuscripta exemplaria, alterum ex Diessensi, alterum ex S. Nicolai, iuxta Passauium, Bibliotheca. Vtrumque Monasterium est Canonicorum Regularium S. Augustini Codex Diessensis librarij manu descriptus est Anno M.CCCC.XLIV. Auctor eiusdem vixit Anno M.CCC.XCV. vt patet ex C.30. F

In Codice S. Nicolai adijcitur hæc clausula. Explicit Tractatus contra Hæreticos Waldenses, qui intitulatur. *Dum dormirent homines.* Per manum Matthæi Sundermayr de Ampfing. *Ex quibus verbis haud satis liquet, num Matthæus libri huius Auctor, an solummodo exscriptor fuerit. Etsi hoc posterius creditu procliuius. Reliquos aduersus eosdem VValdenses, Tractatulos eidem Diessensi Codici in acceptis referre debemus. Auctorum nomina latent. Nunc ad Reinerum accedamus.*

INDEX TRACTATVVM, QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR.

I. *Liber Reineri contra VValdenses.*
II. *Catalogus, in quo va[...]orum Hæreticorum deliramenta insunt.*
III. *Tractatus Anonymi cuiusdam contra VValdenses.* G
IV. *Refutatio errorum, quibus VValdenses distinentur.*
V. *Index errorum VValdensium.*
VI. *Modus examinandi VValdenses.*
VII. *Fragmentum de erroribus Beghardorum ex M.S. libro Conradi de Montepuellarum (Magdeburg, opinor) contra Beghardos & Beginas.*

REINERI ORDINIS PRÆDICATORVM LIBER

CONTRA VVALDENSES HAERETICOS, NVNC PRIMVM INTEGRE EX manuscripto Codice editus,

PER IACOBVM GRETSERVM Societatis Iesu. H

INDEX CAPITVM TRACTATVS REINERIANI.

Præfatiuncula.

CAP. I. *De Commendatione fidei Christianæ.*
II. *Quis sit Hæreticus.*
III. *De causis Hæreseon.*
IV. *De sectis antiquorum Hæreticorum.*
V. *De sectis modernorum hæreticorum.*
VI. *De nominibus sectarum.*

A VII. *Quomodo secta agnoscantur.*
VIII. *Quomodo se ingerant familiaritati magnorum.*
IX. *Quomodo Heretici sint examinandi.*
X. *Quomodo Heretici puniantur.*

REINERI ORD. PRÆDICATORVM LIBER CONTRA WALDENSES HÆRETICOS, NVNC PRIMVM INtegre ex manu scripto Codice editus.



AVdistis quia Antichristus venit, nunc autem multi Anti christi facti sunt. Vnde scimus, quia hora nouissima est. *1. Ioan. 2. Ibi dicit glossa;* Antichristi
B sunt omnes hæretici, & qui fidem, quam confitentur, destruxerunt actibus, & omnes Christo contrarij. *Et quia, heu, iam multi sunt haretici, idcirco ad laudem Dei, & cautelam fidelium, ego Frater* Reinherus *olim haresiarcha, nunc, Dei gratia, sacerdos in Ordine Prædicatorum, licet indignus, præsens Opusculum de hareticis compilaui.*

Distinguitur autem ipsum Opusculum in decem Capitula. Primum est, de commendatione fidei Christiana. II. Quis sit hareticus. III. De causis haresum. IV. De sectis antiquorum hareticorum. V. De sectis modernorum hareticorum, & articulis haresum. VI. De nominibus sectarum. VII. Quomodo haretici cognoscantur. VIII. Quomodo haretici familiaritati magnorum se ingerant. IX. De modo examinandi hareticos. X. Quomodo haretici puniantur.

C
CAP. I.

De Commendatione fidei Christianæ.

DE primo nota, quod fidem Romanæ Ecclesiæ approbant & commendant multa; specialiter vndecim, quæ sunt hæc. Primum est, quia est rationabilior. De Deo enim non sentit, aut credit nisi condigna maiestati diuinæ: vt, vnum Deum creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, omnipotentem, trinum & vnum. Sed hæreticus ponit duo principia, diabolum dicens creatorem omnium visibilium, nec credit Trinitatem, nec filium incarnatum de Spiritu sancto, sed de Ioseph.

Secundum est; in cultu diuino, scilicet in Ecclesiarum ornatu, vestium, vasorum, cantu, lumine, festis, ieiunijs & veteri Testamento: quia hæc omnia hæretici reprobant.

Tertium est, in veneratione sanctorum Sacramentorum, quæ Deus instituit, vt sunt, Baptismus, Corpus Domini, Pœnitentia, sacer Ordo, Coniugium, Extrema vn-
D ctio. Hæc omnia Hæreticus damnat.

Quartum sunt manifesta signa, quæ faciunt fideles & sancti, & viui & mortui. Et primo nota de signis Christi Iesu. In primo enim libro Ecclesiasticæ Historiæ XII. Cap. Epistola. * *Abagarus Rex Iesu Saluatori salutem; Auditum est mihi de te, & de tuis sanitatibus, quod quod sine medicamentis & herbis fiant ista per te, & quod verbo tantum cacos videre facis, leprosos mundas, damones eijcis, & mortuos suscitas. Vnde statui in animo meo, vnum esse è duobus, aut, quod tu sis Deus, & descenderis de cœlo, vt hac facias; aut, quod filius Dei sis, qui hac facis.* Rescriptum; *Cum assumptus fuero, mittā tibi Thaddaū discipulū meum, qui curet te, & omnes tuos Damascenos.* Christus Abagaro Regi * Oganensium (qui pictorem misit imaginem Domini similiter figurare; & nequeunte pictore, propter coruscantem claritatem, quæ à facie Christi radiabat;) ipse Christus vestem propria facie imprimens, imaginem suam misit. Item VII. libro Ecclesiasticæ Historiæ Cap. XV. In Paneade fuit mulier, quæ à fluxu sanguinis curata est à

Cap 14. & 15.
** legitur vel aliquid simile.*
Euag. lib. 4. cap. 26. Niceph. lib. 2. cap. 7. Damasc. lib. 4. de fide Orthod. ca 17.
** Edessenorum.*

E Christo. In huius domo fuit basis, in qua sculpta erat imago mulieris & Christi. Hæc manus protendebat ad Christum. Iuxta hanc statuam herba noua specie nascitur, quæ cum creuerit vsque ad fimbriam imaginis, omnes languores depellit.

Item Constantinus, filius Constantij Imperatoris, per fidē Baptismi à B. Syluestro est mundatus à lepra. Itē Constantinus cum contra Maxentium pararet bellum, vidit in somnis signum Crucis in cœlo, & dixit ei Angelus; IN HOC VINCES: & sic inuitatus ad fidem in Clypeis & vexillis signum Crucis assumpsit; & sic Maxentio submerso, gloriose triumphauit. Item Helena Constantini mater Hierosolymam venit quærere sanctam Crucem; sed nesciens, quæ vera Crux esset, per resurrectionem mortui est inuenta vera Crux. Item, per idem tempus gens Iberorum fidem Christianam suscepit per quandam Christianam captiuam. Hæc igitur fœmina per sanctam conuersationem gentem illam ad imitationem induxit: Et Regina ægritu-
F dine desprata laborans iussit ad cellam deferri captiuæ, quam captiua super * cilium suum ponens, & inuocato Christi nomine, perfectæ reddidit sanitati: & sic Rex & Regina cum tota gente crediderunt in Christum.

Notandum etiam, quod opera Christi semper vera fuerunt in his, quos sanabat, & à mortuis suscitabat. Non enim visi sunt tantummodo resurgere, vel sanare, sed perpetuo ab hominibus videbantur, non tantum Saluatore præsente, sed etiam multis temporibus post, qui ab eo * creati, vel resuscitati sunt, & vsque ad nostra tempora durauerunt. Sicut Smiliter * leprosus cenomanensis factus est Episcopus, & dictus est Tubanus; & Lazarus etiam factus est Episcopus.

Item signa quæ Christiani, viui & mortui, manifeste coram principibus & populis faciunt & fecerunt, probant fidem nostram esse certissimam. Nam & Apostoli per manus impositionem dabant Spiritum sanctum, & linguis omnium loquebantur, & omnes curabant, idololatriam-
G que destruebant. Item Petrus sub Herode de clauso carcere est eductus. Sic & alij Apostoli. Item vmbra Petri infirmos in plateis positos sanauit. Item, Thabitam & plures mortuos suscitauit. Item coram Nerone Simonem volantem oratione deiecit. Item Balbina filia ducis Quirini * gutturnosa per cathenam Petri curatur. Item Paulus Athenis illuminauit cæcum natum. Et sic quasi infinita miracula Deus per Christianos fecit, in quo fidem nostram Catholicam, sibi esse dilectam, manifeste probauit.

Dic, si vis, quæ fecit per Apostolos, per Martyres; sicut Blasius, qui homines & iumenta sanauit; Georgius, qui igne de cœlo templum totum ab idolis & paganis exussit. Item per confessores; sicut Nicolaus; qui sub Constantino frumentum satum auget. Item per Virgines, sicut Agnes, quæ à Præfecto Vrbis iussa est duci ad lupinar, ab angelo custoditur, qui filium Præfecti occidit, & ipsa eum resuscitauit, & populus exuritur igne sancto, & ex terræ motu multa millia hominum sunt Romæ occisa: Et filia Constantini baptizatur. Ecce quanta signa faciunt Christiani & fecerunt. Hęretici vero nulla faciunt, nec vnquam fecerunt.

H Quintum, quod probat Catholicam fidem, est; quod Ecclesia prædicat palam in Ecclesijs; sed hæretici, in antris.

Sextum, est diuturnitas, quia durauit à tempore Apostolorum. Sed auctores hæresum sunt nouelli, sicut Ortlibenses, Runcarij, & cæteri.

Septimum, dilatatio fidei, quia in omnem terram exiuit sonus Apostolorum. Sed hæreticorum, in paucis terris.

Octauum, multitudo credentium, nam omne genus hominum habet fidem nostram, scilicet Philosophorum, literatorum, Principum. Sed hæreticorum pauci; & hoc tantum pauperes, & Opifices, mulieres & idiotæ.

Nonum, est prauitas fidei. Nam fides nostra detestatur vitia, & amat virtutes. Sed hæretici credentes suos omnia flagitia exercere permittunt, dummodo manus impositionem recipiant ab eis.

Decimum, est integritas fidei. Non enim est diuisa, sed

** fort. cilicium.*
** recreati.*
** Simon Leprosus.*
Act. 8. & 13.
Act. 5. & 19
Act. 12.
Act. 16. & 5
Act. 9.
** gutturosa strumosa.*

A sed vna. Sed hæreticorum plus quam LXX. sectæ sunt.

Vndecimum est, quia veneramur sanctos veteris & noui Testamenti. Sed hæretici omnes damnant, præter Apostolos.

Cap. II.

Quis sit hæreticus.

ET secundo nota, quod ille est hæreticus, qui falsam opinionem gignit, vt Arrius. Item, qui imitatur hæresiarcham, vt Arriani. Item, quicunque aliter scripturam intelligit, quam Spiritus sanctus flagitet; licet ab Ecclesiæ communione & Sacramentis non sit diuisus. Item, Sacramentorum peruersor, vt Simon Magus.

Cap. III.

B *Decausis hæreseon.*

Hæc vsq; ad cap. 6. edidit Illyricus in Catalgo, & Freherus in Tom. scriptorum Bohemicorum. Longe tamen nostra editio ab illis diuersis, non modo copia sed & bonitate.

ET tertio nota, quod sex sunt causæ hæresis. Prima est inanis gloria; quia enim vident Doctores in Ecclesia honorari, idcirco etiam ipsi appetunt per doctrinam honorari. Secunda est, quia omnes, scilicet viri & feminæ, parui & magni, nocte & die, non cessant docere & discere. Operarius enim in die laborans, in nocte discit vel docet: & ideo parum orant propter studium: docent & discunt sine libris: docent etiam & discunt in domibus leprosorum. Item pro introductionibus, docent vitare septem mortalia, & tria, scilicet mendacium, & detractionem, & iuramentum. Hæc multis autoritatibus probant, & vocant ea decem præcepta. Item discipulus decem dierum, quærit alium, quem doceat, vt cortina cortinam trahat. Qui vero excusant se, quod non possint discere, dicunt eis; *disce quotidie tantum vnum verbum, & post annum scies trecenta & sic proficies.* Verum est, quod dico. Quidam hæreticus, ad C hoc tantum, vt quendam à fide nostra auerteret & ad suam conuerteret, nocte tempore hyemali, per aquam, quæ *Ibsa dicitur, ad ipsum natauit. In hoc reprehendi potest negligentia fidelium doctorum, qui non sic zelant Catholicæ fidei veritatem, sicut perfidi Leonistæ zelant infidelitatis errorem.

**Ibis.*

Tertia causa hæresis est, quia nouum & vetus Testamentum vulgariter trãstulerunt: & sic docent & discunt. Audiui, & vidi quendam rusticum idiotam, qui Iob recitauit de Verbo ad Verbum: & plures, qui totum nouum Testamentum perfecte sciuerunt. Et quia sunt Laici idiotæ, falsè & corrupte scripturam exponunt, vt est illud Ioan. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Ibi dicunt *sui*, id est, *porci*, dicentes *sùi* pro *sues*. Et illud Psalmi: *Increpa feras harundinis*, straffe die Thier der Schwalben/ dicentes, *hirundinis*, pro *harundinis*. Psalmis etiam titulos imponunt: sic *Eructauit*, * der Maid Psalm: *Exsurgat*, der Rach Psalm: *De profundis*: der * re Psalm: & sic de cæteris.

*De versione Bibliorum facta ab hæreticis in Gallicam linguam Innoc. III. Epist. ad Metenses. *quia in hoc Psalmo fit crebra mentio virginum. *Illyr. der rew psalm.*

In locis & horis occultis docent & discunt, nec aliquem admittunt, qui non sit credens eorũ. Quando simul conueniunt, tunc primo dicunt, *Cauete, ne inter nos sit lignum curuum*, id est, aliquis extraneus. Suam etiam doctrinam præcipiunt occultari à Clericis. Sicut quidam loquuntur D per signa, quæ nemo intelligit, nisi ipsi: sic hæretici verba transformant, quod nemo intelligit, præter eos. Ecclesiam vocant, Steinhauß/ altare, Steinhauff/ Clericos, scribas: religiosos, Pharisæos: & sic de multis aliis. Directe nunquam respondent.

Quarta causa hæresum est scandalum de malo exemplo quorundam. Vnde, cum quosdam vident male viuere, dicunt: *Sic Apostoli non vixerunt, nec nos, qui sumus imitatores Apostolorum.*

Quinta causa est, insufficientia doctrinæ quorundam, qui prædicant quandoque friuola, quandoque falsa. Vnde, quidquid Ecclesiæ Doctor docet, quod per textum noui Testamenti non probat, hoc totum pro fabulis habent contra Ecclesiam.

Sexta causa est irreuerentia, quam quidam ministri Ecclesiæ perhibent, Sacramentorum.

E Septima causa est odium, quod habent contra Ecclesiam. Audiui ab ore hæreticorum, quod intendebant Clericos redigere, & Claustrales, ad statum fossorum, per ablationem decimarũ & possessionum, & per potentiam & multitudinem credentium ipsorum & fautorum. Cum quidam hæresiarcha nomine Hainricus, Chirotecarius in *Xeroin duceretur ad mortem, dixit coram omnibus: *Merito nos damnati: quia, si status noster non esset minoratus, potestatem, quam exercetis contra nos modo, hanc nos exercuissemus contra vos, omnes scilicet Clericos & religiosos, & Laicos.* In omnibus vero ciuitatibus Lombardiæ, & in Prouincia, & in aliis regnis & terris, plures erant scholæ hæreticorum, quam Theologorum, & plures auditores, qui publice disputabant, & populum ad solennes disputationes conuocabant, in foro & in campis prædicabant, & in tectis, & non erat, qui eos impedire auderet, propter potentiam & multitudinem fautorum ipsorum.

** Cheron. NB.*

F Inquisitioni & examinationi hæreticorum frequenter interfui, & computatæ sunt Scholæ hæreticorum, in diœcesi Patauiensi XLI. In loco, qui dicitur Cleinmaten fuerunt X. Scholæ: & eiusdem Ecclesiæ plebanus ab hæreticis est occisus: & de hoc nullum iudicium est *secutum. *Sunt autem istæ Ecclesiæ, quas hæretici habent: Lengevelde/ & ibi Scholæ: Item in Strouizingen/ & ibi Scholæ: Item, in Leuuhs: Item, in Drossendorff: Item, ad S. Osvvaldum: Item, in Emzempach/ & ibi Scholæ & Episcopus: Item, ad S. Christophorum: Item, Pehamkirchen: Item, in Ibßa: Item ad S. Gregorium. Item ad Daustetten: Item, in Vrachlaten: Item, in Newstatt: Item, in Ardach: Item, in Sitensteĩ: Item, ad S. Petrum in Auu/ & ibi Scholæ. Item, in Aßpach: Item, in Wolßbach: Item, in Witra: Item, in Hage: Item, in Spunelburch: Item ad S. Valentinũ. Item, in Herdischhofen: Item, in Steyra/ & ibi Scholæ. Item ad S. Florianum. Itẽ, in Malßveld: Item, in Sirnich/ & ibi Scholæ. Item, in Wezsenskirchen: Item, in Chemmenaten/ & ibi Scholæ plures, *plebanus occisus est ab eis.* Itẽ, in Newenhoffen/ & ibidem Scholæ leprosorum. Item, in Welßa: Item, in Erwans: Item, in Gimnecrochen: Item, ad S. Mariam: Item, in Puppingen: Item, G in Griesekirchẽ: Item, in Narden: Item, in Anaso, & ibi Scholæ: Item, in Buchkirchen: Item, in Ackergeun in Chamer/ & ibi Scholæ: Item, in Nachleub.

** Illyr. Cammach. *Sequentia huius cap. omissa sunt ab Illyrico.*

Cap. IV.

De sectis antiquorum hæreticorum.

DE quarto nota, quod sectæ hæreticorum fuerunt plures, quam LXX. quæ omnes, per Dei gratiam deletæ sunt, præter sectas Manichæorum, Arianorum, Runcariorum & Leonistarum, quæ Alemanniam infecerunt. Inter omnes has sectas, quæ adhuc sunt, vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ, quam *Leonistarum*. Et hoc tribus de causis. Prima est, quia est diuturnior. Aliqui enim dicunt, quod durauerit à tempore Syluestri: aliqui, à tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior. Fere enim nulla est terra, in qua hæc secta non sit. Tertia, quia cum omnes aliæ sectæ immanitate blasphemiarum in Deum, audientibus horrorem inducant, hæc scilicet *Leo-* H *nistarum*, magnam habet speciem pietatis: eo quod coram hominibus iuste viuant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur; solummodo Romanam Ecclesiam blasphemant, & Clerum, cui multitudo Laicorum facilis est ad credendum. Et sicut in Iudicum libro legitur: quod vulpes Sampsonis facies diuersas habebant, sed caudas sibi inuicem colligatas: sic hæretici, in sectis sunt diuisi in se, sed in impugnatione Ecclesiæ, sunt vniti. Quando in vna domo sunt hæretici, tum sectarum quælibet, quarum quælibet damnat alteram, simul Romanam Ecclesiam impugnat: Et sic subdolæ vulpeculæ, vineam Domini, id est, Ecclesiam erroribus demoliuntur.

A

Cap. V.

De sectis modernorum haereticorum.

NOta, quod secta *Pauperum de Lugduno*, qui etiam *Leonistae* dicuntur, tali modo orta est. Cum ciues maiores pariter essent in Lugduno, contigit quendam ex eis mori subito coram eis. Vnde quidam inter eos tantum fuit territus, quod statim magnum thesaurum pauperibus erogauit: Et ex hoc maxima multitudo pauperũ ad eum confluxit, quos ipse docuit habere voluntariam paupertatem, & esse imitatores Christi & Apostolorum. Cum autẽ esset *aliquantulum literatus, noui Testamenti textum docuit eos vulgariter; pro qua temeritate cum fuisset reprehensus contempsit, & coepit insistere doctrinae suae dicens discipulis suis; quod Cletus, quando malae vitae esset, inuideret sanctae vitae ipsorum, & doctrinae. Cum autem Papa excommunicationis sententiam tulisset in eos, pertinaciter contempserunt, & sic vsque hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipsorum & rancor.

* Centuriatores c. 8. Cent. 12 VValdum tantum nõ ad supremum eruditionis

B

culmen mendaciter euehũt.

Nota tria: Primo, de blasphemiis, quibus blasphemant Romanam Ecclesiam, & statuta ipsius, & omnem Clerum. In secunda parte tanguntur errores circa Ecclesiastica Sacramenta & Sanctos. In tertia parte nota detestationes, quibus omnes honestas & approbatas consuetudines Ecclesiae detestantur.

Primo dicunt, quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia Iesu Christi, sed sit Ecclesia malignantium: & quod defecerit sub Syluestro, quando venenum temporalium infusum est in Ecclesiam. Et dicunt, quod ipsi sint Ecclesia Christi: quia Christi doctrinam, Euangelij & Apostolorum verbis & exemplis obseruent.

Secundus error est, quod omnia vitia & peccata in Ecclesia sint: quod ipsi soli iuste viuant.

Tertius est, quod doctrinam Euangelicam paenè nullus seruet in Ecclesia, praeter eos.

C

Quartus, quod ipsi sint vere pauperes spiritu, & persecutionem patiuntur propter iustitiam & fidem.

Quintus, quod ipsi sint Ecclesia Iesu Christi.

Sextus, quod Romana Ecclesia sit meretrix in Apocalypsi propter superfluum ornatum, quem Ecclesia Orientalis non curat.

Septimus, quod omnia statuta Ecclesiae contemnunt: quia sint grauia, & plurima.

Octauus, quod Papa sit caput omnium errorum.

Nonus, quod praelati sint scribae; & religiosi, Pharisaei.

Decimus, quod Papa & omnes Episcopi sint homicidae propter bella.

Vndecimus, quod non sit obediendum Praelatis, sed tantum Deo.

Duodecimus, quod nemo maior sit altero in Ecclesia: *Matth. 23. Omnes vos fratres estis.*

Decimustertius, quod nemo debet flectere genua sacerdoti. Apoc. 2. vbi dicit Angelus Ioanni; *Vide ne feceris.*

Decimusquartus, quod decimae non sint dandae. quia primitiae Ecclesiae non dabantur.

D

Decimusquintus, quod Clerici possessiones non debeant habere: Deut. 18. *Non habebunt sacerdotes, & omnes qui de tribus Leui sunt partem & haereditatem cum populo Israel, quia sacrificia comedunt, & nihil aliud accipient.*

Decimussextus, quod Clerici & claustrales non debeant praebendas habere.

Decimusseptimus, quod Episcopi & Abbates non debeant iura regalia habere.

Decimusoctauus, quod terra & populus non sit per partes diuidendus.

Decimusnonus, quod malum sit fundare & dotare Ecclesias & claustra.

Vigesimus, quod Testamenta non sint Ecclesijs ordinanda. Item, quod nullus debeat fieri Ecclesiae censualis. Item, omnem clerum damnant propter otium, dicentes: eos manibus debere operari, sicut Apostoli fecerũt. Item, nomina praelatorum reprobant, sicut *Papa*, *Episcopi*, &c. Item, quod nullus sit cogendus ad fidem. Item, quod omnia officia Ecclesiastica, nulla reputant, Item, priuilegia Ecclesiastica non curant. Item, immunitatem Ecclesiae, & personarum, & rerum Ecclesiasticarum spernunt. Item, Concilia, Synodos, & conuentus spernunt. Item dicunt, quod omnia iura parochialia sint adinuentiones. Item, dicunt, quod obseruantiae per homines religiosos factae, sint traditiones Pharisaeorum.

E

Secundo, omnia Sacramenta Ecclesiae damnant. Primo, de Baptismo dicũt, quod Catechismus nihil sit. Item, quod ablutio, quae datur infantibus, nihil prosit. Item, quod patrini non intelligant, quid respondeant sacerdoti. Item, quod oblatio illa, quae dicitur * Anwegung, sit aduentio. Item omnes exorcismos, & benedictiones baptismi reprobant. Item, Sacramentum Confirmationis reprobant. Mirantur etiam, quare solis Episcopis liceat confirmare. Item, de Sacramento Eucharistiae dicunt, quod Sacerdotes in mortali non possint conficere. Item dicunt, quod transsubstantiatio non fiat in manu indigne conficientis, sed in ore digne sumentis: & quod confici possit in mensa communi * Malachias: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Item, quod semel in anno fideles communicant, hoc reprobant. quia, ipsi quotidie communicant. Item dicunt, quod transsubstantiatio fiat per verba vulgaria. Item dicunt, quod missa nihil sit. quia, Apostoli eam non habebant: &, fiat propter quaestum. Item, Canonem Missae non recipiunt, nisi tantum verba Christi vulgariter. Item, cantum Ecclesiae dicunt clamorem infernalem. Item, horas Canonicas reprobant. Item dicunt, quod oblatio, quae fit in sacerdotibus in Missa, nihil sit, neque proficit. Item, osculum pacis & altaris reprobant.

* Illyr. abwegen. Freher. alwegen.

F

* Egregia probatio.

De Sacramento Poenitentiae dicunt, quod nullus possit absolui à malo sacerdote. Item, quod bonus Laicus potestatem habeat absoluendi. Item, quod ipsi per manus impositionem peccata dimittant, & dent Spiritum sanctum. Item, quod confitendum sit potius bono Laico, quã malo sacerdoti. Item, quod non grauis Poenitentia sit imponenda, exemplo Christi: *Vade, & iam amplius noli peccare.* I. e, publicas poenitentias, vt *carenas*, reprobãt, maxime in foeminis. Item, quod generalis confessio non sit singulis annis facienda.

G

Item *Sacramentum coniugij damnant, dicentes, mortaliter peccare coniuges, si absque spe prolis conueniant. Item compaternitatem nihil reputant. Item, gradus affinitatis & consanguinitatis carnalis & spiritualis, quos Ecclesia instituit: & impedimenta Ordinis, & publicae honestatis, & Ecclesiae vetitum spernunt. Item dicunt, quod foemina post partum non egeat benedictione & introductione. Item, quod Ecclesia errauerit, dicunt, matrimonium Clericis prohibẽdo, cum etiam Orientales contrahant. Item dicunt, quod continentes non peccent per oscula & amplexus.

* Negat Illyricus haec & alia quaedam VValdensibus iure tribui. Sed affirmant scriptores aeuo VValdensibus vel pares vel suppares:

Sacramentum vnctionis etiam reprobant, quia tantum diuitibus datur; & propter plures Sacerdotes ibi necessarios. Item, Sacramentum Ordinis dicunt nihil esse. Item dicunt, quod omnis Laicus bonus, sit Sacerdos, sicut Apostoli Laici erant. Item, quod oratio mali Sacerdotis nihil proficit. Item, tonsuram Clericalem derident. Item, quod Latina oratio Laicis non prosit. Item subsannant; quod illegitimi, & praui peccatores in Ecclesia sublimantur. Item dicunt, quod omnis Laicus, & etiam foemina debeat praedicare. 1. Corinth. 14. *Volo vos loqui in linguis, vt Ecclesia aedificationem accipiat.* Item, quidquid praedicatur, quod per textum Bibliae non probatur, pro fabulis habẽt. Item dicunt, quod sacra Scriptura eundem effectum habeat in vulgari, quem in Latino. Vnde etiam conficiunt in vulgari, & dant Sacramenta. Item, Testamenti noui textum, & magnam partẽ Veteris vulgariter sciunt corde. Item Decretales, & Decreta, & dicta & expositiones sanctorum respuunt, & tantũ inhaerent textui. Item, excõmunicationem contemnunt, & absolutionem non curant. Item, indulgentias Ecclesiae respuunt, & dispensationes derident, irregularitatem non credunt. Item, nullum sanctum credunt, nisi Apostolos: nullum sanctum inuocant, nisi Deum solum. Item Canonizationes, translationes, & vigilias sanctorum contemnunt. Item Laicos, qui

H

A

qui forte sanctos eligunt in altari, derident. Item Letaniam nunquam legunt; legendas sanctorum non credunt. Item, miracula sanctorum subsannant. Item, reliquias sanctorum contemnunt. Item, sanctam Crucem reputant vt simplex lignum. Item, signum sanctæ crucis horrent, propter supplicium Christi; nec vnquam signant se. Item dicunt, quod doctrina Christi & Apostolorum sine statutis Ecclesiæ sufficiat ad salutem. Quod traditio Ecclesiæ, sit traditio Pharisæorum; & quod maior vis sit in transgressione traditionis humanæ, quam legis diuinæ. Matth. 15. *Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras* Item, mysticum sensum in diuinis scripturis refutant præcipue in dictis & actis ab Ecclesia traditis: vt quod gallus super campanile significat Doctorem. (Matth. 15.)

De tertia parte nota, quod circa consuetudines Ecclesiæ hos habent errores. Omnes igitur consuetudines Ecclesiæ approbatas, quas in Euangelio nō legunt, contemnūt: sicut festum luminum, Palmarum, reconciliationem pœnitentium, adorationem Crucis in Parasceue, festum Paschæ, Christi & sanctorum festa spernunt, propter multiplicationem festorum; & dicunt, quod vnus dies sit sicut alius. Vnde in festis occulte operantur. Item, ieiunia Ecclesiæ non curant. Isaiæ 58. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi?* Item, omnes dedicationes, benedictiones, & consecrationes candelarum, carnium, palmarum, chrismatis, ignis, cerei, Agni Paschalis, mulieris post partum, peregrinorum, sacrorum locorum, sacrarum personarum, vestium, salis & aquæ. Derident Ecclesiam muratam, reputant vt horreum, & appellant eam vulgariter, Stainhauss. Nec Deum ibi habitare dicunt. Act. 17. *Non in templis manufactis habitat Deus.* Et, quod orationes non plus ibi valeant, quam in cubiculo. Matth. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum,* &c. Item de dedicatione Ecclesiæ, vel altaris nihil curant. Item, ornatum Ecclesiæ dicunt esse peccatum: &, quod melius esset vestire pauperes, quam ornare parietes. Item, de altari dicunt, quod damnum sit, pannum putrescere super lapide. Et quod Christus non dederit Apostolis stolas, nec casulam, nec infulam. Item conficiunt in * *Picario*, pro calice. Et dicunt, quod corporale sit, vt pannus braccarum. Item de lumine dicunt, quod Deus qui est vera lux, non egeat lumine: & ad hoc tantum valere in Ecclesijs, ne Clerici ibi pedes lædant. Item, thurificationem reprobant. Aquam benedictam dicunt esse, vt simplicem. Imagines & picturas dicunt esse idololatricas. Item Ecclesiæ cantum subsannant, & dicunt quod in verbis tantum, & non in melodia sit vis. Item, clamores Laicorū derident. Item, processiones festiuas, vt Paschæ, & lugubres, vt dies Rogationum & funerum respuunt. Dicunt, quod cantus nocturnus & diurnus nouiter à Gregorio sit institutus; quem prius Ecclesia non habebat. Item, quod Sacerdos plures Missas diuersas vno die cantare permittitur, reprehendunt. Item, tempore interdicti exultant; quia, tunc plures corrumpunt. (B) (Act. 17.) (Matth. 6.) (C) (*barbara lexis è vernacula: Becher. Vel à pice, qua fere tinguntur lignei scyphi illyr. interpretatur poculum domesticum.)

Item dicunt, quod homines cogantur ire ad Ecclesiam propter quæstum; ipsi etiam ficte vadunt offerunt, confitentur, communicant, sed totum ficte Item peregrinantur, & ita Lombardiam intrantes, visitant Episcopos suos. Item sepulchrum Domini, & sepulchra sanctorum contemnunt. Item, Ecclesiasticam sepulturā reprobant. *Matt. 23. Væ, qui ædificatis sepulchra.* Vellent etiam potius sepeliri in campo, quam in cœmeterio, si non timerent Ecclesiam. Item dicunt, quod exequiæ mortuorum, Missæ defunctorum, oblationes funerum, testamenta, legata, visitatio sepulchrorum, vigiliæ lectæ, anniuersarius, tricesimus, septimus, &c. suffragia, non prosint animabus. Item, de confraternitate Laicorum & Clericorum, quæ vocatur Zeche, dissuadent, & dicunt hæc omnia agi propter quæstum. (D) (Matth. 23.)

Hos omnes errores habent; quia negant Purgatorium, dicentes tantum duas vias esse, scilicet vnam electorum ad cœlum; aliam damnatorum, ad infernum. Eccles. 11. *Lignum quocunque ceciderit, ibi erit.* Si enim est bonus; non indiget suffragio: si est malus, nihil prodest. Item dicunt, quod omne peccatum sit mortale, & nullū veniale. Item dicunt, quod vnum *Pater noster* plus valeat, quam sonus decem campanarum, & plus, quam Missa. Item dicunt, (Eccl. 11.)

E

quod omne iuramentum sit mortale peccatum. Matth. 5. *Nolite iurare omnino, sed sit sermo vester, est, est, non, non.* Qui dicit, *vere*, vel *certe*, reputat iuramentum. Perfecti enim inter eos, potius moriuntur, quam iurent. Imperfectus vero iurat, si cogitur iurare: vel etiam, si dicatur sibi forma iuramenti; per hoc se à peccato excusans, ne cogatur, & sic coactus prodat secreta. Imo, plus, quam homicidam reputant, qui cogit iurare: vt Confirmator: quia confirmando exigit iuramentum & Iudex à testibus, & examinator, in fide: & sacerdos, qui cogit abiurare peccata. Vnde multi sunt periuri. Item, reprehendunt eum, qui dicit, quod violans fidem, quam dedit sacerdoti, sit reus septem periurio rum. Item dicunt; quod omnes Principes & Iudices damnantur; & dicunt, maleficos non damnandos, iuxta illud; *Mihi vindictam, & ego retribuam*, & Matth. 13. *Sinite vtraque crescere.* Item, iudicia Ecclesiastica, quæ habent sacerdotes, fieri dicunt non correctionis causa, sed propter quæstum. (Matth. 5.) (Rom. 12.) (Matth. 13.)

Cap. VI.

F

De nominibus sectarum.

Runcarij in magna parte concordant cum * Pattinis, nisi quod dicunt, quod à cingulo deorsum non committatur mortale peccatum, quia Dominus dicit, *quod ex corde procedunt fornicationes*, vnde, omnes abominationes etiam contra naturam. Item, quia nolunt mentiri, ideo nunquam dant rectas responsiones; &, vt possint latitare, verbi gratia, cum dicitur, credis, quod homo aliquo casu possit iurare sine peccato, quod ipse non credit: occultat tamen per conditionem: *Respondeo, Domine, si ego debeo credere, credo.* Vel, simulat se simplicem, & dicit: *Vos debetis me talia docere*: Vel, simulat se stultum, quod tamen pauci faciūt. Vnde, cogendi sunt, vt respondeant directe: *sic sic*, vel, *non, non.* Item, vtuntur æquiualentiis, & aliis fallaciis. Vnde, cum dicitur: Credis, quod aliquis possit cōficere, qui non est ordinatus ab Episcopo? dicit: *quod non*, sed intelligit, quod quilibet, siue vir, siue mulier, ordinatus sit à summo Episcopo, scilicet Deo, dummodo sciat verba, quæ Dominus protulit in Cœna. Vnde magna cautela habenda est in eorum responsionibus. (*Pataținis seu Patarinis.) (Matth. 15.)

G

Item, Siscidenses concordant cum Waldensibus fere in omnibus, nisi quod recipiunt Eucharistiæ Sacramentū.

Item nota, quod Ortlibenses requisiti de articulis fidei, omnes confitentur, sed mystice intelligunt, secundum quod ex parte potest cognosci ex eorum responsionibus. Vnde etiam mulieres sectæ ipsorum, Sapientes & Clericos decipiunt.

Item, si perfecte vis cognoscere errorem *Patrinorum*, respice Summam Fratris Tonsonis. Cum talibus parum potest fieri, nisi per testes; quia, imperfecti iurant & mentiuntur. Sed perfecti, qui *Consolati* vocantur in Lombardia, & in Theutonia, *boni homines* vocantur, subirent mortem, antequam quidquam facerent horum.

H

Ordibarij dicunt quod mundus non habeat principium. Item dicunt, quod Arca Noe nihil aliud sit, quam secta ipsorum: &, quod extra sectam ipsorum omnes pereunt, vsque ad octo, qui seruabant eam. Item dicunt, quod Christus filius fuerit Ioseph & Mariæ, & quod fuerit peccator: & ipse Christus eorum sectam prædicto modo fere destructam reparauerit: Et quod fuerit de numero illorum octo: & quod per sectam ipsorum saluus factus sit. Item dicunt, non fuisse passum Iesum Christum. Item dicunt. ꝙ ipsi sint Pater, & Filius, & Spirit⁹ sanctus. Ille enim dicitur Pater, qui primo intrat sectam ipsorum. Filius, qui à tali patre per ipsius prædicationem intrat sectam ipsorum. Spiritus sanctus, qui est perfectus in secta ipsorum. Talis absoluit & ligat, & omnia potest. Item dicunt, quod nihil sit cantus Ecclesiæ, nisi clamor inferni. Item dicunt, Papam caput totius mali, & doctorem erroris. Item dicūt, Sacerdotes factores viæ mendacij. Item, quod Trinitas non fuerit ante natiuitatem Christi, sed primo tunc Deus Pater habuerit Filium, quando Iesus suscepit Verbum: Et dicunt ipsum esse filium Mariæ Virginis non carnaliter ex ea, sed spiritualiter per prædicationem eius genitum. & secundum (Anilia deliramenta.)

A cundum hoc ipsius prius fuit filia, quam ipse filius. Vnde ipsum dicunt factum fuisse ex creatura, Item, quando prædicauit Iesus & attraxit alios, tunc primo accessit tertia persona, scilicet, Petrus vel Andreas, hoc secundum ipsos est Trinitas, quæ est in cœlo. Et ad huius imitationem, & in nomine huius Trinitatis orant non sine Trinitate personarum, quam faciunt intra se. Vnde, qui senior est in secta, & alios traxit in sectam, stat loco Patris in oratione: tractus, loco filij; qui cooperatus est, loco Spiritus sancti.

Ortlibenses errant in multis articulis fidei. Et primo in Trinitate. Dicunt enim, quod Trinitas non fuit ante Natiuitatem Christi; sed tunc primo Deus pater habuit filium, quando Iesus, (quem dicunt filium fabri, scilicet Ioseph, carnalem, sicut ego sum, carnalis filius patris mei) Verbum prædicationis beatæ Virginis Mariæ suscepit. Dicunt enim, quod prædicando traxit eum in sectam ipsorum; & sic factus est Filius Dei credendo; qui ante fuit filius carnalis & peccator. Sic verbum caro factum est, quando cor carnale Domini Iesu mutatum est per Ver-
B bum, sc. Virgo genuit filium, Virgo manens post partum; alio modo non credunt Virginem genuisse Dei filium. Quando vero prædicauit per mundum Dominus Iesus; accessit tertia persona scilicet beatus Petrus, qui cooperabatur ei prędicando, & ab eis trahendo. Ipse ergo est Spiritus sanctus, qui cooperator fuit filij. Hoc, secundum ipsos est Trinitas, quæ est in cœlo. Et ad huius imitationem formant Trinitates suas in terris, dicentes; quod nemo potest venire ad regnum cœlorum, nisi inueniatur in aliqua Trinitate; sed, quod sit vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Est autem Pater, qui aliquem trahit prædicatione sua in sectam: Filius, qui trahitur; Spiritus sanctus, qui cooperatus est trahenti, cōfortando tractum, vt in secta permaneat.

In hac itaque Trinitate personarum oportet eos conuenire, quādocunq; volunt orare, & tunc, scilicet Pater, in medio duorum, filius ad dexteram patris, Spiritus sanctus ad sinistram patris. Pater in primo loco, siue altiori, filius
C in medio, dignitate scilicet, Spiritus sanctus in nouissimo loco. Hi tres vocantur proximi. Quando ergo quæritur ab aliquo ipsorum, quis est tuus proximus, intelligitur de his, qui secum steterunt in ordine Trinitatis personarum. His signis * defendes eos.

*deprendes. forte.

Item dicunt, mundum æternum esse; nec est creatus secundum eos; & ita Deus non est creator mundi. Si quæratur, quomodo Adam dicatur Protoplastus? dicunt, quod fuit primus homo, qui secundum eos per creationem Dei ex prædicatione, primo creatus fuit, qui primus fecit voluntatem Dei credendo sectæ eorum.

Attende, quomodo excæcauit eos malitia eorum, qui nesciunt, quid dicant, ponentes impossibilia. Omnes enim profitentur ordinem suum imitatorem sectæ. Quomodo Dominus Iesus fuit primus filius Dei, cum aliquis credendo tantum efficiatur filius Dei, sicut etiam seipsos filios Dei dicunt? Item, supposito, quod Iesus fuerit de secta ipsorum, sicut ipsi dicunt, quomodo adhuc potuit esse Adam primus; cum fides sit ex auditu, auditus autem per
D Verba fidei? Beata ergo Virgo, quæ prædicauit ei Verbum fidei, necessario prius credebat. Ergo ipsa prius filia fuit, quam ipse Iesus filius fuit. Ergo Deus pater prius habuit filiam, quam filium. Item, si Adam fuit primus homo, qui secundum voluntatem Dei natus est per fidem; quomodo Iesus fuit primus?

Item, resurrectionem corporum negant: & iudicium extremum dicunt futurum esse, sed vitam æternam spirituum non negant. Iudicium extremum dicunt futurū esse tunc sc. quando Papa & Imperator ad sectam eorum conuertentur. Tunc enim rollētur de medio oēs, qui non fuerunt de secta illa; & postea in æternum viuent, cum maxima tranquillitate, tñ nascentur homines & morientur sicut modo. Item omnes articulos, qui sunt de humilitate Christi, exponunt moraliter, nihil credentes ad literam. Incarnationem Verbi exponunt, sicut dixi supra.

De passione dicunt, quod filius Dei suscepit crucem vera fide, vera confessione, communi consilio, hoc est, veram pœnitentiam, siue vitam ipsorum, in quam non cadit mortale peccatum. Tunc autem crucifigitur filius Dei & flagellatur, male tractatur vel affligitur, vel occiditur; tunc E moritur filius, quatenus aliquis ipsorum cadit in mortale peccatum, vel redit à secta: resurgit autem per pœnitentiam. Ad literam de passione, resurrectione, & cæteris articulis nihil credunt.

In Sacramentis omnibus errant. De Baptismo enim dicunt, quod nihil valeat, nisi quantum valeant merita baptizantis. Paruulis vero non prodest, nisi fuerint perfecti in secta illa. Item dicunt, quod Iudæus possit saluari in secta sua sine Baptismo. Confirmationem dicunt bonum esse, sed intelligunt, quod bonum sit confirmatum esse in secta, de confirmatione Ecclesiæ nihil curantes. Item, corpus Christi dicunt esse purum panem. Corpus autem proprium appellant verum corpus Christi. De pœnitentia dicunt, sicut dictum est supra. Tamen in se austere viuunt, & graues pœnitentias agunt. Multi quoque ex eis alternis diebus ieiunant. De indulgentiis autem, quæ fiunt per Ecclesiam & clauibus, non credunt. Item, decimas non dandas dicunt esse Sacerdotibus & Clericis ex debito officij. F
Dicunt enim, quod de officio deberent viuere, sicut faber & sutor de suo officio viuit, non magis æstimantes officium sacerdotis, quam sutoris.

De Ordine & Extrema vnctione dicunt, vt supra dictum est. De matrimonio dicunt, quod matrimonium licitum est, & bonum, si velint continenter viuere: sed opus carnale coniugatorum damnant. Tamen si quæritur, an liceat talibus generare pueros, dicunt, ꝙ sic; & intelligūt de spirituali generatione per prædicationem. Item, de homicidio, iuramento & mendacio dicunt, vt supra dictum est. Item, scripta Patrum non recipiunt dicentes; quod quatuor Euangelistæ scripserunt vtiliter, quia in cordibus: sed quatuor alij inutiliter; quia in pellibus. Primos quatuor scilicet, qui vtiliter scripserunt, interpretantur, Matthæum, Lucam, Marcum, & Ioannem. Istos dicunt recipiendos; & ipsi eos recipiunt, sed tantum moraliter exponunt. Alios quatuor dicunt, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium & Bernhardum. Horum scripta contemnūt, & ipsos dicunt damnatos, præter Bernhardum; eo quod G
ipse conuersus ab errore suo sit, & saluatus, vt ipsi dicunt.

Secta Catharorum diuisa est in tres partes, siue sectas principales. Quarum primi vocantur Albanenses: secundi, * *Concorezenses*: tertij, Bagnolenses. Et hi omnes sunt in Lombardia. Cæteri vero Cathari, siue sint in Tuscia, siue in Marchia, vel in Prouincia, non discrepant in opinionibus à dictis Catharis, seu ab aliquibus eorum. Habent igitur oēs Cathari opiniones communes, in quibus cōcordant; & proprias, in quibus discordant. Communes opiniones omnium Catharorum sunt; videlicet, quod diabolus fecerit hunc mundum, & omnia, quæ in eo sunt. Item, quod omnia Sacramenta Ecclesię, scilicet Sacramentum Baptismi aquæ materialis, & cætera Sacramenta, nihil prosint ad salutem, & quod non sint vera Sacramenta Christi, & eius Ecclesiæ, sed deceptoria & diabolica, & Ecclesiæ malignātium. Item, communis opinio omnium Catharorum est; quod matrimonium carnale, semper fuerit mortale peccatum: & quod non puniatur aliquis grauius in futuro propter adulterium & incestum, quam propter legitimum coniugium. Nec etiam apud eos quisquam grauius H
puniretur. Item, omnes Cathari negant carnis resurrectionem futuram. Item credunt, quod comedere carnes, oua vel caseum, etiam in vrgente necessitate, sit mortale peccatum. Item, quod potestates seculares peccent mortaliter puniendo malefactores, vel hæreticos. Item, quod nemo possit saluus fieri, nisi per ipsos. Item, quod omnes paruuli etiam non baptizati non leuius æternaliter puniantur, quam homicidæ & latrones.

De secta Catharorū lege sermones tredecim Ekberti Presbyteri Tom. 2. Auctarij ad Bibliothecā SS. Patrum.

* Concordenses. Num à Concordia Lombardiæ.

Sed in hoc dissentiunt Albanenses dicentes, quod nulla creatura boni Dei peribit. Item, omnes negant Purgatorium. Item, est communis opinio omnium Catharorum, quod grauiter peccaret, quicunque occideret auem aliquam à minima vsque ad maximam: & quadrupedia, à mustela vsque ad elephantem. Sed de cæteris animalibus non sic intelligunt.

A Cathari ad instar simiarum, quæ actus hominis imitari conantur, quatuor habent Sacramenta, falsa tamen, & inania, illicita & sacrilega; quæ sunt, manus impositio, panis benedictio, pœnitentia & ordo. De singulis per ordinem dicamus.

Manus impositio vocatur ab eis *consolamentum*, & spirituale baptisma, siue baptisma Spiritus sancti, sine quo, secundum eos, nec peccatum mortale dimittitur, nec Spiritus sanctus alicui datur, sed per eam solummodo ab eis factam, vtrumq; confertur. Differunt tamẽ in hoc ab eis aliquantulum Albanenses: dicunt enim, quod manus ibi nihil operatur, cum ipsa à diabolo sit creata secundum eos, vt infra dicetur, sed sola Dominica oratio, quam ipsi dicũt tunc, & quod vtrumque necessarium ibi requiritur, videlicet, & manus impositio, & Dominica oratio.

Est etiam communis opinio omnium Catharorum, quod per illam impositionem manus & orationem Dominicam, non fiat aliqua remissio peccatorum, si illi, quibus tunc manus imponunt, sunt tunc in aliquo mortali

B peccato. Fit autem hic manus impositio à duobus ad minus, & non solum à Prælatis eorum, sed etiam à subditis, & in necessitate, à * *Catharabus*.

*foeminis

Fractio panis est quædam benedictio panis Catharorum, quam ipsi quotidie faciunt tam in prandio, quam in Cœna. Fit autem hæc panis fractio tali modo: Cum egressi sunt ad mensam Cathari, siue Catharæ, tunc stantes omnes dicunt *Pater noster*. Interim, qui prior est processione vel ordine, tenens panem vnum vel plures, sie necesse est ad multitudinem, quæ forte ibi esset, & dicendo; *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus nobis*, frangit panem siue panes & distribuit omnibus discumbentibus, non solum Catharis, sed etiam credentibus suis, adulterantibus, latronibus & homicidis. Veruntamen Albanenses dicunt; quod panis ille corporalis non benedicitur, nec possit recipere benedictionem aliquam, cum ipse panis sit creatura diaboli, secundum eos, & in hoc differunt à cæteris omnibus, qui dicunt; quod panis ille vere benedici-

C tur. Nemo tamen ex eis credit, quod ex illo pane conficiatur Christi corpus.

Pœnitentia autem Catharorum omnium proculdubio est falsa, vana, deceptoria, & venenosa, sicut consequenter ostenditur. Tria namque requiruntur in vera & fructuosa pœnitentia, scilicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Ego autem Frater * Rinherus, olim heresiarcha, nunc, Dei gratia, sacerdos in ordine Fratrum Prædicatorum, licet indignus, dico indubitanter & testificor coram Deo, quia nõ mentior, quod illorum trium non est aliquod inter Catharos, siue in pœnitentia eorum. Erroris namque venenum, quod biberunt, ex antiqui serpentis ore, non finit eos de peccatis suis habere aliquem dolorem.

*Reinerus, seu Reinerius.

Hic autem error quadruplex est. Primus videlicet est, quod pro aliquo peccato non diminuatur æterna gloria. Secundus est, ꝙ pœna inferni impœnitenti non augeatur. Tertius est, quod ignis purgationis nemini reseruetur. Quartus, quod impositione manus culpa & pœna à Deo totaliter relaxatur: non enim minus punietur infans vnius

D diei, quam Iudas proditor: sed omnes sunt æquales tam in gloria, quam in pœna, sicut ipsi credunt. Exceptis tamen Albanensibus, qui dicunt; quisque restituetur in gradum pristinum, non propriis tamen meritis: & quod in vtroque regno, Dei scilicet & Diaboli, alij maiores sunt alijs. Dico etiam, quod multi ex eis, qui infecti sunt memoratis erroribus, sæpe dolent, cum recolunt, quod non repleuerunt libidinem suam tempore, quo non fuerunt professi hæresim Catharorum. Et hæc est causa, quare multi credentes tam viri, quam mulieres, non timent magis ad sororem suam, & filium siue filiam, fratrem neptẽ, consanguineam & cognatam accedere, quam ad vxorem & virum proprium. Tamen alij ex eis ob horribilitatem ac humanam verecundiam fortasse ab huiusmodi retrahuntur.

Probatur etiam manifeste, quod non dolent de peccatis suis, quæ ante professionem suæ hæresis commiserunt, pro eo, quod nulli restituunt vsuram, furtum, vel rapinam, imo reseruant ea, vel potius relinquunt filijs, & nepotibus

E in sæculo remanentibus. quia dicunt, vsuram nullum esse peccatum. Præterea dico, quod in XVII. annis, quib9, heu, conuersatus sum cum eis, non vidi aliquem ex eis orare secreto seorsim ab aliis, aut ostendere se tristem de peccatis suis, seu lacrymari, vel percutere pectus suum, & dicere: *Deus propitius esto mihi peccatori*, siue aliquod huiusmodi, quod esset signum contritionis. Nunquam etiam implorant patrocinium Angelorum, vel Sanctorum, seu B. Virginis, neque se muniunt signo Crucis.

Reinerus 17. annis cum Catharis versatus.

Sequitur de confessione Catharorum, qualis sit, & quando ipsi eam faciant, & quibus confiteantur. Confessio eorum hæc est: *Ego sum coram Deo & vobis ad faciendum confessionem, & adponendum me in culpam de omnibus peccatis meis, quæ sunt in me vsque modo, & ad recipiendum de eis omnibus veniam à Deo & à vobis.* Fit etiam ista confessio publice coram omnibus, qui sibi sunt congregati: vbi multoties sunt centum & plures viri & mulieres credentes eorum Cathari. Et dictam confessionem facit quisque eorum, quando recipit dictam manus impositionem, & facit eam principaliter Prælato eorum, tenenti Codicem Euangeliorum, vel totius noui testamenti, in pectore suo. Qui facta absolutione, ponit dictum librum super caput ipsius, & alij Cathari, qui adsunt, suam dexteram, incipiendo consequenter orationes suas. F

Quomodo Cathari confiteantur.

Quatenus autem quis eorum cadit in peccatum carnis, vel in aliquod, quod sit secundum opiniones eorum mortale: postquam recepit dictam manus impositionẽ, oportet eum confiteri illud peccatum tantum, & alia, & iterum recipere manus impositionem secreto à Prælato suo, & ab vno alio cum eo ad minus. Vnus pro omnibus loquẽs alta voce, omnibusque inclinatis ad terram, coram Prælato tenente librum circa pectus suum, dicit, *Nos venimus coram Deo & vobis, confitendo peccata nostra; quia multum peccauimus verbo & opere, in visione, cogitatione*, & huiusmodi. Vnde apparet manifeste, quod omnes Cathari sine confessione moriuntur in peccatis suis. Et hoc modo ipsi confitentur tantum semel in mense, si commode possunt.

Sequitur de satisfactione Catharorum. Vbi videndum est, si Cathari faciant opera sua pro satisfactione peccatorum, quæ priusquam profitentur suam sectam, commiserunt. Ad quod breuiter dico, quod non: licet ignorantibus forte hoc mirabile videatur. Nam frequenter orant, ieiunant, abstinentque omni tempore à carnibus, ouis, caseoque: omnia videntur opera satisfactoria pro peccatis eorum; de quibus sæpe inaniter gloriantur. Sed est triplex error in eis, qui facit, prædicta opera non esse satisfactoria. Primus est, ꝙ culpa & pœna totaliter huiusmodi dimittitur per eorum manus impositionem & orationem, vel per orationem tantum, secundum Albanenses, sicut supra dictum est. Secundus error: quod Deus nulli infert pœnam purgatoriam, quam penitus esse negant, neque temporalem, quam à Diabolo inferri putant in hac vita. Hæc est etiam causa, quare ipsi non iniungant pœnitentiam abstinentiæ alicui, neque in pœnitentiam, neque in remissionem peccatorum suorũ. Tertius est, quod omnis homo tenetur necessario facere illa opera, tanquam præcepta Dei. Ita enim puer decem annorum, qui nullum vnquam mortale peccatum commiserat, antequam fieret Catharus, punitur sicut senex, qui multo tempore nunquam à peccato cessauerat. Non enim grauius puniretur Catharus aliquis apud eos, qui biberet toxicum, volens se ipsum occidere, quam si pro morte vitanda comederet pullum, de consilio medicinæ, vel in alio casu necessitatis: nec etiam in futuro grauius punietur secũdum eos. Idem etiam dicunt de matrimonio, sicut supra dictum est. Item eleemosynas paucas, vel nullas faciunt extraneis, nisi forte propter scandalum vicinorum suorum vitandum, & vt honorificentur ab eis. Paucas etiam faciunt suis pauperibus, & est duplex causa: Prima est, quod se non sperant inde habere maiorem gloriam in futuro, neque suorum veniam peccatorum. Secunda est, quod fere omnes auarissimi sunt, & tenaces. G H

Sequitur de oratione Catharorum. Hanc maxime putant necessariam esse, quando ipsi sumunt cibum, vel potum. Igitur multi ex ipsis dixerunt in suis infirmitatibus

A aliquando illis, qui eis ministrabant, quod non ponerent aliquid cibi vel potus in os eorum, si illi infirmi ad minus non possent dicere, *Pater noster*. Vnde verisimile est, quod multi ex eis occidunt hoc modo se ipsos, & à suis cohæreticis sunt occisi. Ex præmissis itaq; patet apertissime, quod Cathari nullam faciunt pœnitentiam, maxime cum non habeāt contritionem de peccatis, neque confiteantur ea, neque pro eis satisfaciant, quamuis multum se affligant: & quod pro suis erroribus & peccatis externis grauissime puniantur.

Sequitur de quarto Sacramento Catharorum, scil. de Ordine. Circa quod nota quinque. Primo, quod Ordines habeant. Secundo, de nominibus eorum. Tertio, de officio cuiuscunque Ordinis. Quarto, quomodo & quibus fiant. Vltimo quot, & vbi sint Ecclesiæ eorum, scilicet Catharorum.

Primo ergo nota, quod Ordines Catharorum sunt quatuor. Ille, qui est in primo & maximo Ordine, vocatur *Episcopus*. Ille, qui in secundo, vocatur *Filius maior*. B Qui in tertio, *Filius minor*. Qui in quarto & vltimo, vocatur *Diaconus*. Cæteri, qui sunt sine Ordine inter eos, vocantur Christiani & Christianæ. Secundo nota, quod officium Episcopi est, semper tenere prioratum in omnibus, quæ faciunt, scilicet in impositione manus, in fractione panis, & in incipiendo orare: quæ quidem seruant filius maior, absente Episcopo, & filius minor, absente maiore. Præterea isti duo filij, simul, vel separatim discurrunt visitare omnes Catharos, qui sunt sub Episcopo, & eis tenētur obedire omnes. Similiter faciunt & seruant in omnibus Diacones, & vnusquisque in suis subditis, absentibus Episcopo & filiis. Et nota quod Episcopus & filij habent in singulis ciuitatibus, in quibus morantur, singulos Diacones. Ita nota, quod officium Diaconorum est audire confessiones venialium peccatorum, quæ fiunt semel in mense, sicut supra dictum est, & subditis suis facere absolutionem, iniungendo eis tribus diebus ieiunium, vel centum inclinationes flexis genibus, & appellatur illud officium, vt ita loquar, * *caregare seruitium*.

* Sic MS.

C Fiunt vero Ordines prædicti ab Episcopo, & etiā à filiis de licentia Episcopi. Ordinatio autem Episcopi consueuerat fieri in hunc modū: Mortuo Episcopo, Filius minor ordinabit filium maiorem in Episcopum: & iste postea ordinabit Filium minorem in Filium maiorem. Post eligebatur filius minor ab omnibus Prælatis & subditis, qui erant ad hoc congregati ab Episcopo, & ordinabatur in Filium minorem. Et hæc ordinatio filij minoris, non est mutata inter eos. Illa vero, quæ supra dicitur de Episcopo, mutata est ab omnibus Catharis manentibus circa mare: dicentibus, quod per talem ordinationem filius instituat Patrem, vt videtur: quod satis apparet incongruum. Vnde fit modo aliter in hac forma. Ante mortem enim suam Episcopus ordinat Filium maiorem in Episcopum, & si moritur, filius fit Episcopus. Minor vero filius, maior fit Filius eodem die: Et ita fere quilibet etiam Catharorum semper habet duos Episcopos. Vnde Ioannes de Lugduno, qui est vnus de illis taliter ordinatus, in suis Epistolis D se sic describit: *Ioannes de Lugduno, Dei gratia, Filius maior & Episcopus ordinatus*, &cæt. Sed vtraque ordinatio manifeste reprehensibilis est; quia nec filius carnalis vnquam instituit suum genitorem: & etiam nunquam legitur, quod vna eademque Ecclesia, eodem tempore duos habuerit filios Episcopos, sicut nec vna mulier duos legitimos viros. Fiunt autem omnes supradicti Ordines cum impositione manus, & attribuitur illa gloria, scil. conferendi Ordines memoratos, & dandi spiritum sanctum soli Episcopo eorum; vel, qui maior est, & auctor in tenendo librum noui Testamenti super caput illius, cui imponitur manus.

Ioannes de Lugduno Catharorum Episcopus.

Nota insuper, Cathari in maximo laborant dubio, & periculo animæ: Verbi gratia, si Prælatus eorum, & maxime Episcopus, occulte commiserit aliquod mortale peccatum, quales etiam multi olim reperti sunt inter eos, omnes illi quidem, quibus ipse manum imponit, fiunt decepti, & pereunt, si in eo statu decedunt. Etiam causa huius periculi vitandi, omnes Ecclesiæ Catharorum, vnâ exceptâ solummodo, vel duabus; receperūt secundo, & aliquæ tertio, *consolamentū*, id est, manus impositionem, quod est Baptisma eorum, vt supra dicitur, & de prædictis est fama publica inter eos. E

Sunt aūt XVI. omnes Ecclesiæ Catharorū. Nec imputes mihi, ô Lector, quod eas appello *Ecclesias*, sed potius eis, qui se ita vocant. Quarum nomina sunt hæc; Ecclesia Albanēsis, vel de *Sensano*, Ecclesia de Contorezo: Ecclesia Baglonensium, siue de Bagnolo: Ecclesia Vicentina, vel de Marchia; Ecclesia Florentina, Ecclesia de Valle Spoletana, Ecclesia Franciæ, Ecclesia Tolosana Ecclesia * Carthasensis, Ecclesia Albisensis, Ecclesia Sclauoniæ, Ecclesia Latinorum de Constantinopoli, Ecclesia Græcorum ibidem: Ecclesia Philadelphiæ Romaniolæ, Ecclesia * Bulgariæ, Ecclesia Dugraniciæ. Et oēs originem habuerunt à duabus vltimis. Primi sc. Albanenses, morantur Veronæ, & in pluribus ciuitatibus Lombardiæ, & sunt numero fere quingenti, vtriusque sexus. Illi aūt de Contorezo sunt fere per totam Lombardiam, & sunt bene mille quingenti, vel etiam plures. Bagnolenses morantur in Mantua, Brixia, Bergomi, & in Comitatu Mediolanēsium, sed pauci, & in Romaniola, & sunt fere ducenti. F Ecclesia de Marchia nihil habet Veronæ, sed sunt circiter C.L. Ecclesia Tholosana, & Albisenses, & * Charchagensis cum quibusdam, quæ olim fuerunt, vt Ecclesia * Auzinensis, quæ fere destructa est, sunt fere CCC. Ecclesia Latinorū in Constantinopoli sunt fere L. Item Ecclesia Sclauoniæ, Græcorum Philadelphiæ, Bulgariæ, & Dugranitiæ sunt omnis gentis simul. O Lector dicas secure, quod in toto mundo non sunt Cathari vtriusque sexus quatuor millia, sed *Credentes* innumeri. Et dicta computatio pluries facta est inter eos.

* Cadurcensis.
* VVualgatia.
* Cadurcensis.
* Ausciensis.

Sequitur de propriis opinionibus Catharorum. Et primo de Ecclesia Albanensi, qui alio modo dicuntur *Senzano*, eo quod errant in pluribus, quā cæteri Cathari. Primo igitur notabiliter sciendū est, quod isti Albanenses diuisi sunt in duas partes in opinionibus contrariis & diuersis. Vnius partis caput est Gelesinanza Veronensis eorum Episcopus: & hunc sequuntur plurimi antiquiores, & pauci iuuenes eius sectæ. Alterius vero sectæ caput est Ioannes de Lugduno Bergomensis, eorum filius maior & ordinatus Episcopus: & hunc è contrario sequuntur iuniores, & pauci antiquiores. G Et ista pars satis est maior, quam prima. Prima pars tenet opiniones antiquiores, quas omnes Cathari antiquiores habebant in annis Domini currentibus M. CC. XXX.

Merula lib. 4. p. 2. Cosmogra. vbi de Vallibus circa Bergomū. Albe, Desenza.

Itaque opiniones istorum, præter communes supra scriptas, sunt istæ; quod sunt duo principia à Deo, videlicet boni & mali. Item, quod Trinitas, sc. Pater & Filius, & Spiritus sanctus, non est vnus Deus; sed quod Pater maior est Filio, & Spiritu sancto. Item, quod vtrumque principium, siue vterque Deus, creauit Angelos suos, & suum mundum: Et quod iste mundus est creatus, factus & formatus à malo Deo, & omnia quæ sunt in eo. Item, quod diabolus cum suis angelis ascendit in cœlum, & facto ibidem prælio cum Michaele Archangelo, angelus boni Dei extraxit inde ēt partem creaturarum Dei; & infundit eas quotidie in humanis corporibus & brutis & etiam de vno corpore in aliud, donec dictæ creaturæ reducantur in cœlum. H Vocantur autem istæ creaturæ Dei secundum eos, *populus Dei, & animæ atque oues domus Israel*, & etiam aliis nominibus. Item, quod filius Dei non assumpsit humanam naturam in veritate, sed eius similem ex beata Virgine, quam dicunt fuisse Angelum. Et, quod non vere comedit & bibit, nec vere passus est, nec mortuus, nec sepultus: nec eius resurrectio vera fuit, sed quod hæc fuerunt putatiua, sicut de ipso legitur. Lucæ 3. *Vt putaretur filius Ioseph*. Similiter de omnibus miraculis, quę Christus fecit. Item, quod Abraham, Isaac, & Iacob, Moyses & cæteri plures patres antiqui, & beatus Ioannes Baptista, fuerunt inimici Dei, & ministri diaboli. Item, quod diabolus fuerit auctor toti[9] veteris Testamenti, exceptis his libris, scilicet, Iob, Psalterio, libris Salomonis, Sapientiæ, filij Sirach, Isaiæ, Hieremiæ, Ezechiel, Daniel, & XII. Prophetarum, quorum quosdam scriptos fuisse in cœlo, illos scilicet, qui fuerunt scripti ante destructionem Hierusalem, quam credūt etiam esse cœlestem. Item, quod mūdus iste nunquam ha-

Luc. 3.

bebit

A bebit finem. Item, quod iudicium futurum, iam factum est, nec amplius fiet. Item, quod infernus & ignis æternus, siue pœnæ æternæ sunt in isto mundo, & nō alibi. Sic quidem prędictas opiniones tenebant omnes Albanenses generaliter in prædicto tempore, exceptis simplicioribus, quibus singula non reuelabantur.

Delirationes Ioannis de Lugduno. Opiniones vero prædicti Ioannis de Lugduno, & sequentium eum, hîc inferius describuntur. Primo autem sciendum, quod idem Ioannes adhuc tenet aliquas opiniones prædictarum; quasdam etiam penitus mutauit in pei*, & etiam errores addidit nouos, quos ipse finxit, sicut in sequentibus apparebit. Fingit itaque sæpe dictus Ioannes duo esse principia, siue duos Deos, ab æterno, vnum sc. boni, alterum mali; sed diuersimode magis, quam primi, vt infra apparebit. Trinitatē vero & vnitatem, iuxta fidem Catholicam in Deo penitus inesse, negat. Primum principium mali, secundum quod ipse dicit, vocatur in diuinis Scripturis multis nominibus. Dicitur enim *malitia, cupiditas, iniquitas, impietas, peccatum, superbia, mors, infernus, calumnia, vanitas, iniustitia, perditio, confusio, corruptio & fornicatio.* Dicit etiam, quod omnia supra dicta vitia sint *dij*, vel *deæ*; & quod habent suum esse à malitia, quam asserit esse primam causam: & quod ipsa prima causa aliquando significatur per vitia prædicta.

B Præterea dicit, quod malum principium notatur per *linguam*, de qua dicit beatus Iacobus; quod est *malum inquietum, & plena veneno mortifero*. Similiter per diem, de quo ait Dominus in Euangelio; *Sufficit diei malitia*. Item, notatur malitia per illud verbum Apostoli. 2. Corinth. 1. scilicet, *est*, & *Non*. Item, vocatur Seir: de quo in Ezech. 35. dicitur; *eo quod fueris inimicus sempiternus Domini*. Item dicitur *Venter*, de quo ait Apostolus: *Quorum Deus venter est*. Præterea dicit, quod idola gentilium, quæ leguntur per totam seriem veteris Testamenti, naturaliter sunt dij mali; id est, maligni spiritus: Et quod ipsi gentiles faciebant imagines ipsorum, vt eos magis colerent. Multa alia idem Ioannes scripsit de scripturis, vitijs & idolis, vt suos errores conaretur asserere, quæ tædium esset mihi scribere.

(Matth. 6. 2. Cor. 1. Ezech. 35. Phil. 3.)

C Sequitur dicere, quid idem Ioannes credat, de creatione rerum omnium visibilium & inuisibilium. Et primo, quid sit creare. Secundo, si creaturæ factæ sint ex nihilo, vel creatæ. Tertio, an bonæ & simpliciter & puræ sine aliqua malitia. Quarto, si fuerit vnquam in aliquo libertas arbitrij. De primo nota, quod secundum eum, creare, est aliquid ex præiacenti materia aliqua facere; & sic semper sumit, & non ex nihilo; & distinguit creare simpliciter primo de bono in melius: & secundum hanc distinctionem Christus fuit à patre creatus, siue factus. Vnde illud Isaiæ; *Ego Dominus creaui eum*. Et Apostolus; *Pontifex factus est in æternum*. Secundo dicitur, creare, de bono in malum, iuxta illud Apostoli: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo IESV*. Et dicitur Gen. 1. *In principio creauit DEVS cœlum & terram*. Quod sic exprimitur: In principio, hoc est, in Christo, qui ait; *Ego principium, qui & loquor vobis*. Secundo dicit expresse idem Ioannes; quod tunc DEVS pater ita creauit cælum & terram, non ex nihilo, sed ex aliquo, id est, Christo, aliquod bonum, sicut dicit Apostolus; *Creati in Christo in operibus suis*. Tertio dicit, quod creare, est ex malo in peius aliquid facere: ad quod inducit illud in Codice in tit. de hæreticis & Manichæis; *Omnes vetita legibus diuinis & Imperialibus constitutionibus hæreses perpetuo quiescant. Nemo vlterius conetur, quæ repererit profana præcepta vel docere, vel discere, nec antistites eorundem audeant fidem insinuare, quam non habent, & ministros creare, qui non sunt*. Dicit itaque, quod omnes creaturæ sint ab æterno bonæ creatæ cum bono Deo: & quod creatores non præcedant creaturas æternitate, sed causa & natura. Et quod creatura erat à Deo ab æterno, sicut splendor vel radij à sole, qui non præcedit radios suos tempore, sed tantum causa, vel natura. Item dicit, quod iste mundus est à diabolo, vel potius à patre diaboli factus: & quod nunquam habuerit principium, nec finem habeat. Item intelligit, quod bonus Deus habeat alterum mundum, in quo sint homines, & animalia, & omnia similia istis visibilibus & corruptibilibus creaturis; & quod ibidem fiant coniugia, fornicationes & adulteria, ex quibus procreentur infantes; & quod etiam turpius est; quod populus Dei boni contra præceptum eius duxerint aliquando filias alienigenas in vxores, & filias Dei alieni, siue Deorum malorum: & ex tali inhonesto & prohibito coniugio nati sunt gigantes, & multi alij diuersis temporibus.

(Isa. 45. Heb. 6. Ephes. 2. Gen. 1. Ioann. 8. Ephes. 2. D Cod. lib. 1. tit. 5.)

E Nunc dicendum est, si Deus bonus creauerit suas creaturas puras sine malitia secundum eum. Ad hæc præmittendæ sunt multæ blasphemiæ. Nam idem Ioannes dicit; quod Deus non sit omnipotens. Dicit enim, quod Deus potest, & vult omnia bona, quantum in se est, & in suis creaturis, quæ sibi necessario obtemperant, sed impeditur hæc Dei voluntas & potentia ab hoste suo. Item dicit; quod alterutter agit in alterum ab ęterno, & causa mali, id est, Deus malus egerit in Deum verum, & in eius filium, atq; in cuncta opera eius ab æterno. Et ad hoc inducit multas autoritates, sicut est illud Verbū Domini ad Satan in Iob: *Tu autem commouisti me aduersus Iob, vt affligerem eum frustra*: Et iterum Iob ad Dominum; *mutatus est mihi in crudelem*. Item dicit; Ille, qui est summus in malo, plus pōt, quam Dei filius Iesus Christus, quam creaturæ boni Dei. Et ē conuerso dicit; quod summum bonum plus potest, quam omnia, quæ infra summum Deum sunt in malo. Vnde ex præmissis concluditur; quod bonus Deus non potuit perfectas creaturas suas facere, quamuis hoc voluerit, & hoc sibi & creaturis accidit propter resistentiam mali Dei, qui actum suum malum, siue quandam malitiam * inseruit in eas; ex qua malitia creaturæ habuerunt posse peccare. Et ad hoc includit Ecclesiastici; *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum, & non fecit*. Quod totum simpliciter exponit de Christo. Et illud Iob: *In angelis suis reperit prauitatem*. Et iterum: *Stellæ non sunt mundæ*. Et illud Gen. *Serpens erat callidior cunctis animantibus, quæ fecerat Deus, & videns*, &cæt. sic infert. Igitur cuncta animantia calliditatem participant, & plus omnibus serpens & perfecta est ideo deceptio ad prædandum. Et facit illud, quod ipse dicit, scilicet quod nihil est, quod liberum habeat arbitrium; etiam summus Deus, qui vt supra dictum est, non potest perficere suam voluntatem, propter resistentiam hostis sui. Item dicit, quod omnis creatura boni Dei dispo nit prædictam potentiam peccandi ad actum, decepto errore, qui inde bonum summum in malo scilicet Christo, dicit quod fuerit in eo potentia peccandi, siue ius transgressoris, ita oppressa per summum bonum, quod caruit suo effectu, quod mirabile & insolitum fuit in Christo. Ideoque laudabilis est, sicut de eo dicitur Sapientiæ: *Quis est hic, & laudabimus eum*, &c.

(Iob. 2. Iob. 30. F * infudit. Eccles. 31. Iob. 4. Iob. 25. Gen. 3. G Eccles. 31.)

Et quod aliæ creaturæ boni Dei irrecuperabiles extiterunt. Ad hanc inducit illud Apostoli: *Vanitati creatura subiecta est, non volens*. Et iterum: *Scimus quod omnis creatura ingemiscit*, &c. Item, quod quando Deus infert pœnam creaturis suis pro culpa, tunc agat malum, nec conuersatur secundum Deum, imo seruit simul aduersario suo. Item dicit, quod cum dicit Deus: *Ego sum, & non est alius Deus*. Et iterum: *Videte, quod ego sum*, &c. Et similia duplicando, &c. mouetur ab aduersario suo. Deus enim verus tantum *semel loquitur, & secundo idipsum non repetit*, sicut legitur in Iob 33. Item dicit: quod Deus non *possit aliquod malum ex sui natura, seu essentia: quia non fluit ab eo, sed præscit illud aliud per aduersarium suum. Item credit, quod Deus verus propter peccata creaturarum, quæ ipsi fecerunt, sicut ipse Ioannes ait, induxerit diluuium: & quæ passus est populus Israel in Iudæa, siue in terra promissionis, intulit eis, motus ab aduersario suo. Item, quod Deus propter peccata destruxit pentapolim, & subuertit Hierusalem, dicit Ioannes sæpe dictus, sed motus ab aduersario suo. Putat enim omnia prædicta facta fuisse in quodam altero mundo Dei boni.

(Rom. 8. Ibid. Isa. 47. Iob. 33. * præscit. H Gen. 19. Sap. 10.)

Item credit, quod animæ transmutentur de corpore in corpus: & quod in fine liberabuntur omnes à culpa etiam & à pœna. Item, idem Ioannes recipit totam Bibliam: sed putat eam fuisse in alio mundo, & ibidem formatos Adam & Euam. Item credit, quod Noe, Abraham, Isaac, Iacob & cæteri Patriarchæ, & omnes Prophetæ, & Ioannes Baptista placuerunt Deo bono, & quod fuerint homines in alio mundo. Item dicit, quod Christus natus est secundum

cundum carnem ex prædictis antiquis Patribus, & quod vere assumpsit carnem ex beata Virgine, & quod vere passus est mortuus & sepultus, & quod resurrexit tertia die, sed putat, quod hæc omnia in alio superiori mundo, & nõ in isto sit passus. Item dicit, quod in eodem totum humanum genus incurrerit mortem propter peccatum, cui obediuit. Item, peccatum ab eodem Ioanne appellatur principium & causa omnium malorum, vt sæpius dictum est supra, & corporibus illorum ibidem sepultis animæ eorum descenderunt in infernum, id est, in hunc mundum. Et ad hunc infernum descendit Christus post mortem, vt auxiliaretur eis. Item credit, quod fiet ibidem resurrectio mortuorum; scilicet, quod vnaquęque anima Dei recipiat proprium corpus. Item dicit; quod verus Deus in eodem mũdo dedit populo suo dicto legem Moysi. Ibidem etiam offerebant hostias & holocausta sacerdotes pro peccatis populi, qui secundum legem Moysi præcipiuntur offerri. Item dicit; quod in *eodem Christus ad literam vere fecerit miracula suscitando mortuos, illuminando cæcos, pascendo de quinque panibus, quinque millia hominum, sc. virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Quid plura? quidquid legitur in tota Biblia factum fuisse in hoc mundo; ipse in quodam alio mundo ad literam fuisse factum, contendit.

* superiore, mundo.

Igitur blasphemias & errores prædictos, & multos alios, quos longum mihi esset tædium enarrare, finxit idem Ioannes de Lugduno Hæresiarcha; & ex eis cõpilauit quoddam magnum volumen X. quaternorum, cuius exẽplum ego Rinherus perlegi, & ex illo oẽs supradictos errores extraxi. Est ẽt valde notandum, quod ipse Ioãnes & cõplices sui, nõ audent reuelare errores prædictos credẽtibus suis, ne ipsi credentes discedant ab eis, pp hos nouos errores, & propter diuisionem & hæreditatem quæ horum causa est inter Catharos & Albanenses: quia Cathari & Albanenses damnant * Concorezenses, & ẽ conuerso.

* Concorezenses.

Sequitur de propriis opinionibus Ecclesiæ concorezensis. Isti bene sentiunt de vno principio tantũ: sed multi ex eis errant in Trinitate & vnitate. Item confitentur, quod Deus ex nihilo creauit Angelos, & quatuor elementa; sed errant, credendo, quod Diabolus de limo Dei creauerit omnia visibilia, siue hunc mundum. Item credunt, quod Diabolus primo formauerit, per se corpus hominis, & in illud infuderit primum angelum, qui in modico peccauerat. Item credunt, quod animæ extractæ sunt à dicto angelo. Item reprobant totum vetus testamentum, putantes, quod Diabolus fuerit auctor eius, exceptis his tantummodo verbis, quæ sunt inducta in nouo Testamento per Christum & Apostolos, vt est illud; *Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Et, *vocabitur Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi*, &c. & his similia. Et isti omnes damnant Moysen; & multi ex eis dubitant de Abraham, Isaac & Iacob, & cæteris Patriarchis & Prophetis. Item multi ex eis modo bene credunt de B. Ioanne Baptista, quem olim omnes damnabant. Item dicunt, quod Christus non assumpserit humanam animam, sed fere omnes credunt, eum assumpsisse veram carnem ex beata Virgine. Quidam vero Episcopus eorum & antiquissimus Nazarius, coram me Rinhero, & multis aliis, dixit pluries; quod *beata Virgo fuerit Angelus*; & quod Christus non assumpsit humanam naturam, sed Angelicam, siue corpus cœleste; & dixit, quod habuerit hunc errorem ab Episcopo & Filio Maiore Ecclesię Bulgariæ iam fere elapsis annis LX.

Isai. 7. *Isai. 9.*

Præterea notandum, quod Cathari omnes qui confitẽtur Christum assumpsisse verum corpus humanum, tamen negant glorificatum, aut glorificandum: sed dicunt, quod Christus deposuerit illud aereo in cœlo in die assumptionis suæ; & iterum resumet illud in die Iudicij. Quo facto, corpus resoluetur in præiacentem materiam, tanquam cadauer putridum. Item dicunt, quod anima B. Virginis & Apostolorum, & omnium sanctorum, non sint adhuc in gloria, nec erunt vsque in diem iudicij; sed sint in quodam loco, in aëre isto cum corpore Iesu Christi.

Sequitur de propriis Catharorum opinionibus de Bagnolo. Isti conueniunt cum prædictis Catharis de Concorezo fere in omnibus opinionibus supradictis, exceptis istis, sc. quod animæ creatæ sint ante mundi constitutionem à Deo; & tunc etiam peccauerint. Item credunt cum prædicto Nazario, quod B. Virgo fuerit angelus, & quod Christus non assumpserit humanam naturam ex ea, nec vere passus sit aliquem dolorem in morte, nec vere comederit, nec biberit, sed assũpserit corpus cœleste, vt ipsi dicũt.

Vltimo nota, quod Cathari Ecclesiæ Tolosanæ, & Corozenses tenent errores Gelosimaze & Albanensium, & Ecclesiæ omnes Catharorum de vltra mare, quo vltimo scripsi, similiter. Nulla vero Ecclesia Catharorum concordat in omnibus cum Catharis Ecclesiæ de Concorezo. Ecclesia Franciæ concordat cum Bagnolensibus. Illi vero de Marchia Teruisina, Tuscia, & Valle Spoletana concordant cum Bagnolensibus in pluribus, quam cum Albanensibus; sed paulatim trahuntur ab Albanensibus. Item omnes Ecclesiæ Catharorum recipiunt se inuicem, licet diuersas habeant opiniones & contrarias. Et Concorezenses, qui se damnant ad inuicem, sicut supra dictum est. Siquis vero Catharus, siue Cathara, cuiuscunque sit sectæ, non fuerit cõfessus prædictos errores proprios, vel saltem communes, tunc de illo dicendum est, quod ipse in hypocrisi *mendacium loquitur*, quod est proprium Catharorum, teste Apostolo; qui hoc de eis sine velamine prophetauit, & sine fuerit homo simplex, vt nouitius, aliâs in multis sectis illorum secreta minime reuelantur.

1. Tim. 4.

Paterinus dicit, quod minor creator, scilicet Lucifer, omnia visibilia creauit. Item Paterinus [dicit] Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium. Sic ergo diabolus est creator huius sæculi. Contra, Catholicus, id est, excæcari permisit mentes infidelium. Paterinus dicit, matrimoniũ esse adulterium. Contra Catholicus; *alligatus es vxori, noli quærere solutionem.* Paterinus: Malus est Deus, qui apparuit Moysi in igne, nolumus in talem Deum credere, qui comburat nos. Contra Catholicus: Idem Deus Apostolis in igne. Paterinus dicit: mortuis suffragia non prodesse. Contra Catholicus, Maria & Martha pro Lazaro orantes exauditæ sunt. Pium est ergo pro defunctis exorare. Paterinus dicit, nullum peccatum esse veniale, sed omnia mortalia: & omne peccatum æqualiter puniri in inferno, & nõ in Purgatorio. Contra Catholicus: *Tyro & Sidoni remissius erit, quam vobis in die Iudicij.* Ergo non sunt paria peccata, nec æqualiter punientur.

Errores Paterinorum. *1 Cor. 7.* *Act. 2.* *Ioann. 11.*

Manichæi, furta, rapinas, sacrilegia, non damnant, imo dicunt huiusmodi licere. Matrimonium damnant, dicentes: hoc esse meritoriam fornicationem. Sed incestum naturalem cum matre propria vel sorore, aut cum matre, dicunt esse mundam fornicationem, dummodo fiant secundum ritum sectę, qui talis est: si quis ab ipsis vult abuti propria matre, dabit ei XVIII. denarios, sex pro eo, quod concepit eum: sex pro eo, quod peperit eum: sex pro eo, quod nutriuit eum: Et sic soluta lege naturali, seu natura, licenter abutitur ea: quia nihil ei attinere putatur, & omnino liber efficitur ab omni naturali reuerẽtia matris, sicut saccus liber efficitur à frumento, quando fuerit excussum. Qui sorore voluerit abuti, dabit ei sex denarios. Qui commatre, dabit ẽi nouem denarios. Et sic licitum esse dicunt (incæstum) sine omni peccato. Aquam benedictam, tanquam venenum execrantur, dicentes, quod si quis hominum de ipsorum secta ea fuerit aspersus, debeat excauari de carne eius cum acubus & subulis. Peregrinationes vltra mare, siue ad limina sanctorum, nihil aliud esse dicunt, quã quod homines inaniter sua corpora currendo fatigẽt. Ecclesiam Romanam dicunt *meretricem.* Vnde Domino Papæ & omnibus Episcopis, Sacerdotibus & Clericis Catholicis contradicunt dicentes, se Ecclesiam Dei: & illos, mũdi seductores. Episcopus autem eorum sic dedicatur. Puerum ab vtero matris egressum, antequam gustet lac maternum, accipiunt, nutrientes eum lacte amygdalino & pecudis, & demum esu piscium. Cauetur autem, quod nunquam gustet carnes, neque lacticinia, nec aliquod, quod coitu nascitur. Demum cum ad annos discretionis peruenit, hoc ipso vice est Episcopus sectæ.

Porro quando ad locum secretum credentes eorum conueniunt, ante Præfatum Episcopum procidunt super genua sua, adorantes eum, & dicunt singuli; *Parce nobis*

Domine.

A *Domine.* Et subiungit vnusquisque dicens hæc verba Teutonico.* Nimmer müsse ich ersterben/ ich müsse vmb euch erwerben/ daß mein End gut werde. At ille singulis manus imponens dicit hæc verba, ter super vnumquenque adorantium:* Du werdest ein gut Mann. Credentibus ipsorum nullam dant spem salutis, nisi ad ipsorum sectam, relictis omnibus, conuertantur, vel saltem in extremo vitæ articulo manus impositionem ab ipsis accipiant. Dicunt enim, omnia peccata per manus impositionem ab ipsis factam relaxari, & Spiritum sanctum infundi. Et hoc volūt probare per illam autoritatem Actuum: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

*Nunquā moriar, nisi à vobis impetrem, vt finis meus fiat bonus. *Fias vir bonus. Act. 8.

Quando autem aliquem in extremo vitæ periculo recipere volunt, dant ei optionem; Vtrum velit in regno cœlorum esse cum sanctis Martyribus vel Confessoribus. Si autem elegerit statum Martyrum, tunc *manutergio* ad hoc specialiter deputato, quod Teutonice vocatur, Du tertuch ipsum strangulant, ostio super eum clauso. Si autem Confessorum elegerit, tunc post manus impositionem nil dant ei ad esum, nec puram aquam ad bibendum, & ita fame ipsum perimunt.

B

Hæretici quidam vocantur ex nomine auctoris; vt Simoniaci, à Simone Mago. Quidam ex causis, quas instituerunt: vt Nicolaitæ à Nicolao, qui ob pulchritudinem relinquens vxorem, dixit, vt qui vellet, ea vteretur, & sic versa est in stuprum: & ideo indifferenter stuprantur. Quidā ex loco, vt Runcatij, à villa. Menandriani mundum non à Deo, sed ab Angelis factum dicunt. Cathari propter munditiam negant pœnitentibus veniam. Viduas, si nubant, pro adulteris habent. Iouiniani à monacho, inter Virgines & nuptas nullam dicunt esse differentiam. Tertulliani à presbytero dicunt animam immortalē, sed corpoream, & animas peccatorum in dæmones conuerti post mortem. Apostolici nudis pedibus incedunt.

Similis fermè Catalogus est in 4. p. Summæ S. Antonini tit. 11. c. 7. Et in Compilatione Chronologica Anno Christi 458. & forte hæc non sunt Reineri.

Cataphrygæ ex sanguine infantis & farina conficiunt panem, qui infans si moritur Martyr habetur; si viuit, *Sanctus* dicitur. Adamitæ, ab Adam, nudi conueniunt ad orādum, viri & feminæ. Valesij seipsos & hospites suos castrant. Missiliani sunt vt monachi nihil operantes, & monachos, qui idem faciunt, condemnant; hi dicunt porcam cum porcellis de ore hominis exire, cum purgatur ritu eorum, & ignem non comburentem visibiliter intrare in os eorum. Priscillianistę turpissima committunt, quæ adeo occultant, vt dicant credentibus suis: *Iura, periura, secretum pandere noli.* Fatalibus stellis homines colligatos dicunt. * Passalomitæ silentio student, in tantum, vt naribus & ori suo digitum apponant, ne ipsa taciturnitate vox erumpat. Item quidam nudis pedibus incedunt, quia dicitur *Solue calceamentum*, &c. Item, Circumcelliones sunt ferocissimi in alios & in se. Nam se ipsos pcipitant & occidunt. Item, quidam dicunt animas sceleratorum in dæmones conuerti, & in quæcunque animalia meritis suis congrua, Item Iouinianus monachus Virginitatem reprobat. Item Arabij dicunt animas cum corpore mori, & post vtrumque resurgere. Paterini dicunt, inferiores partes corporis à diabolo factas: ideo flagitiose vtuntur eis. Abenonitæ vxores ducunt, sed non vtuntur eis propter continentiam. Item*Iosephistæ contrahunt matrimonium spirituale, & præter coitum omnes delectationes exercent.

C

*Passolonichitæ. Exod. 3.

D *Iosippitæ.

Cap. VII.

Quomodo sectæ agnoscantur.

Hæretici cognoscuntur per mores & verba. Sunt enim in moribus compositi & modesti: superbiam in vestibus non habent, quia nec preciosis, nec multum abiectis vtuntur. Negotiationes non habent propter mēdacia, & iuramenta & fraudes vitandas; sed tantum viuunt de labore, vt opifices, Doctores etiam ipsorum sunt sutores. Diuitias non multiplicant, sed necessarijs sunt contēti. Casti etiam sunt, maxime *Leonistæ.* Temperati etiam sunt in cibo & potu. Ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent: semper operantur, discunt vel docent, & ideo parum orant. Item ad Ecclesiam ficte vadunt, offerunt & confitentur, & communicant, & intersunt prædicationibus, sed vt prædicantem capiant in sermone.

Hæc recitat Eymeric in Catalogo, sed absque Auctore.

E

Cognoscuntur etiam in verbis præcisis & modestis. Cauent etiā à scurrilitate & detractione, & verborum leuitate, & mendacio & iuramento. Nec dicunt *vere*, vel *certe*, & similia; quia, hæc reputant iuramenta. Item ad quæstiones raro directe respondent: Vt, si quæratur ab ipsis; *Scis tu Euangelium vel Epistolas?* respondet; quis docuisset me ista? vel dicit huiusmodi debent scire, qui sunt magni vel profundi intellectus; vel, qui ad hoc sunt otiosi vel idonei:* Vel dicunt, sibi licere; quia Christus dixit Iudæis; *Soluite templum hoc*, de corporis sui templo intelligens; & ipsi intelligebant de templo Salomonis. Dicunt etiam, *est, est, non, non*,

*Illyr. Et dicunt tan tū; Est, Est Non, Nō, hoc dicūt sibi licere. Ioan. 2.

F

Cap. VIII.

Quomodo se ingerant familiaritati magnorum.

Hæretici callide student, qualiter se ingerāt familiaritati nobilium & magnorum. Et hoc faciunt hoc modo. Aliquas merces gratas, vt annulos & pepla Dominis & Dominabus exhibent ad emendum. Quibus venditis, si homines quærant ab eo, habes plures ad vendendum; respondet, habeo pretiosiores gemmas, quam sunt istæ; has vobis darē, si faceretis me securū, quod non proderetis me Clericis. Securitate itaq; accepta, dicit habeo gemmam à Deo fulgentem quod homo per eam cognoscit Deum. Aliam (habeo) quæ tantum rutilat, quod amorem Dei accēdit in corde habentis eam, & sic de cæteris; gammas dicit metaphorice. Postea recitat sibi aliquod deuotū Capitulū, vt est id Lucæ; *Missus est angelus Gabriel*, &c. Vel de sermone Domini; Ioa. 13. *Ante diem festum.* &c. Cūm igitur ipse inceperit auditori placere, tunc subdit Capitulum Matt. 23. *Super Cathedram Moysi*, &c. *Va vobis, qui tulistis clauem scientiæ*; *ipsi non intratis, & cæteros intrare prohibetis.* Et illud Marci 12. *Va vobis, qui deuoratis domos viduarum*, & quæ sequuntur. Quæsitus autem ab auditore, de quo istæ imprecationes intelligantur, respondet, de Clericis & religiosis.

Vera effigies hæreticorū nostrę ętatis, præsertim Anabaptistarum.

G

Post, hæreticus facit comparationem status Ecclesiæ Romanæ ad statum ipsorum, sic dicēs; Doctores Romanę Ecclesiæ sunt fastuosi in vestib. & moribus, Matt. 23. *Amant primos recubitus & vocari appetūt ab hominib. Rabbi:* Rabbinos vero tales non quærimus. Itē, ipsi sunt incontinentes; sed vnusquisq; nostrū vxorem suā habet, & cum ea caste viuit. Itē sunt diuites & auari, quib. dicitur: Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestrā. Nos vero habentes victum & vestes, quib. possumus tegi, his contenti sumus. Itē sunt voluptuosi, quib. dicitur; *Va vobis, qui deuoratis domos viduarū*, &c. Nos vero vtcunq; sustentamur. Itē ipsi pugnant & bella inducunt, & mandant occidi & incēdi pauperes: quib. dicitur; *Omnis qui acceperit gladium gladio peribit.* Nos vero ab eis persecutionem patimur propter institiā. Item comedūt panem ociosum; nihil operantes. Nos vero manib. operamur. Itē ipsi volunt esse Doctores soli; quibus dicitur Matt. 23. *Va vobis qui tulistis clauem scientiæ.* Apud nos vero tam feminę, quam viri docent, & discipulus septē dierum docet aliū. Item, ratus est Doctor inter eos, qui tria Capitula continuata noui Testamenti literaliter sciat corde. Apud nos vero rarus est Vir vel femina, qui textū nō sciat vulgariter recitare. Et quia veram fidem Christi habemus, & sanctam vitam & doctrinā docemus oēs nos; ideo scribę & Phærisæi gratis persequūtur nos ad mortē, vt Christum.

H

Præterea ipsi tantum dicunt & non faciunt, & alligant onera grauia in humeros hominum, sed digito suo hæc nō mouent; nos vero omnia facimus, quę docemus. Item, ipsi plus cogunt, seruari traditiones hominum, quam Dei mandata, vt ieiunia, festa, ire ad Ecclesiam, & multa alia, quæ sunt hominum instituta. Nos vero tantum doctrinā Christi seruare suademus & Apostolorum. Item ipsi pœnitentes onerant pœnis grauissimis, quas nec digito mouent; Nos vero exemplo Christi dicimus peccatori; Vade iam, & amplius noli peccare: & ei per manus impositio-

A nem omnia peccata relaxamus, & animas transmittimus in morte ad cœlum. Ipsi autem fere omnes animas transmittunt ad infernum.

His & alijs propositis, dicit hæreticus; Pensate, quis status sit perfectior, & quæ fides? nostra, vel Ecclesiæ Romanæ? & illum eligite. Et sic à fide Catholica subuertitur per errores eorum auersus: Et sic credens ipsorum & receptator, & fautor & defensor, & per plures menses ipsum occultans, in domo discit de secta ipsorum.

Cap. IX.

Quomodo hæretici examinandi sint.

Cui Papa commiserit inquisitionem hæreticorum: ille Inquisitor obtineat literas Principis terræ, in quib. mandet omnibus iudicibus & potentibus, vt efficaciter cooperentur, quod hæretica prauitas extirpetur: &, vt

B Inquisitor defendatur per eos: Et literas Episcopi habeat, qui mandet Ecclesiarum Prælatis & Vicarijs, vt similiter cooperentur. Volens autem exequi officium sibi iniunctum, præmittat literas Plebano, vbi & quo die velit inquisitionem habere, mandans ei, vt conuocet omnes *plebezanos, etiam de vicinis Ecclesijs. Quibus collectis, Inquisitor faciat exhortationem de veritate Romanæ fidei, & vt in ea quilibet perseueret, oret; & exponat literas suas omnes; & postea faciat omnes iurare, quod fidem Romanam pro viribus defendant: & quod fideliter proponant, si aliquos errores sciant, vel qui velint in publico accusare. Tunc Inquisitor assumptis sibi tribus vel pluribus discretioribus secreto, accusantes sigillatim: Primo contestans sub debito iuramento, vt veritatem non celent; sed omnia dicta testium redigantur in scripto. Postea aduocet accusatum, & dicat; Dicitur de te, quod sis hæreticus, si vis confiteri & abiurare errorem tuum, & redire ad vnitatem Ecclesiæ, fiet tecum misericordia: si autem conuictus fueris, deterius erit tibi.

*parachianos.

C Quæratur ab hæretico examinando. Primo, si aliqua sacra verba didicit, quando incepit; & cum quibus? An etiam Laicos docuerit? Item, si vnquam audierit prædicari, occultas doctrinas esse prohibitas, & propterea cōbustos homines, & tamen postea fecerit? Item, si profiteatur nomen alicuius Ordinis? scilicet Pauperum de Lugduno, & Filium? Item qualiter debeat homo in mandatis Dei saluari. Item, cui primo obediendum sit post Deum: cum dicat diuina auctoritas; *Melior est obedientia, quam victima?* An audierit vnquam, Papæ, & Clericis non esse obediendum? Item an vnquam Laico confessionem fecerit? Laicos appello, non ordinatos à nostris Episcopis; qui vadunt sine tonsura cum gladijs, & alijs armis. Item, quid sibi ille iniunxerit satisfactionis? Item quæres statim: Iniunxitne tibi vnquam vt ab aliqua fraternitate, quacunque necessitate, recederes, sed fratribus bene faceres? Item, si inhibuit, id ipsum Clericis non reuelare. Item, si illi Doctores vituperauerint Clerum dicentes; Cæci sunt, duces cæcorum; Pharisæi, qui claudunt regnum cœlorum ante

D homines? Item, si credit, vel vnquam crediderit bonum Laicum, sacerdotem esse Christi; & malum hominē presbyterum Pharaonis. Item, quid credat de statutis ab homine, quæ non videntur inueniri in Biblia; sicut de Ordinibus, de vnctione, de Ecclesiarum structura, de altaribus in Ecclesia; de Missis defunctorum; de suffragijs animarum; de peregrinationibus, de candelis in Ecclesia? Item si sint duæ viæ tantum, & non tertia? Item, quid offerri Presbyteris? An prædicta cum aliis vnquam fecerit? Item, in quibus eleemosyna optime locari possit? Et, si dixerit, in pauperibus: quære, an vnquam audierit, quod ipsi sint pauperes Christi. Idem, si credit, quemlibet Laicum posse ligare & soluere.

Item quære sub maxima comminatione, si iam esset occidendus, à quo potius vellet sumere communionem? aut de manu sui magistri, aut de manu mali presbyteri? Item an potius Eucharistiam confectam à fornicatore presbytero; vel à magistro suo Laico? Item, si se dicit nihil penitus scire; quære, si velit hoc eligere, si conuincatur, quod

E quasi hæreticus condemnetur? Item: si dicit, se fuisse in hac *via. * vita, quare, si velit abiurare illam? Et, si dicit, se velle pœnitere, quære, si velit iurare, se prodere omnes consocios talium; ita vt si inuentus fuerit scienter mentitus esse tanquam hæreticus condemnetur. Item, si velit iurare de cætero, nunquam tales, ac talia diligere? Si nullo modo velit iurare; coniuretur per Patrem & Filium, & spiritum sanctum, per Christi misericordiam, per passionem, per tremendum iudicium, per excommunicationē Petri & Pauli; si credat, Papam & suos aliquem posse ligare, vt prodat tales? Item, vnde habeat, quod iurare sit peccatum. Item, quid crediderit de combustis in fide tali, an sint de numero saluandorum & Martyres? Item, quid audierit magistros dicere de esu carnium, de ieiunio, quid dicant, an eis placeat an non? Item an vnquam collectam fecerit fratribus in Lombardia? Item si talem familiaritatem vnquam confessus fuerit sacerdoti suo? Et vtrum suaserit integraliter confitendum presbyteris, vel non?

F Cum in publico sit inquisitio, assumantur assessores honesti, & dicta testium audiantur. Et quæret Iudex; Vis hæresim abiurare? Si perfectus est, respondebit; non iurabo; quia Christus prohibuit iurare. Et tunc est conuictus & confessus. Si autem est imperfectus, tunc respondebit; si debeo iurare, iurabo: Vel dicet; si iubetur me iurare, iurabo. Tunc Iudex dicat; non iubeo te iurare; sed si vis vt credamus tibi, iura. Si dixerit hæreticus; nescio iuramentum facere, vel iurare; docete me formam iuramenti. Has omnes & similes tergiuersationes habet, vt formet sibi conscientiam, quod non sit iurans, sed tantum recitator iuramenti iudicis. Si autem est imperfectus, tunc per se iurabit, & pro iuramento pœnitentiam recipiet à suo Episcopo; & qui sunt de societate ipsius cum eo. Ideo iudex cautus sit circa tales; quia, sicut anguilla, quanto fortius stringitur, tanto facilius elabitur; sic in omni responsione hæreticorum inuenies duplicitatem. Iurabit etiam, quod prodat omnes doctores & discipulos eorum. Præstito iuramento, dicet Iudex. Si de cætero fuerit inuentum, te esse relapsum, tunc condemnaberis, vt conuictus. Si autem

G conuictus & confessus redire noluerit; tunc Iudex à singulis prudentioribus, qui examinationi intersunt requirat, an ipsi iudicent, eum sufficienter cōuictum de hæresi? quibus asserentibus, quod sit, pronunciet Iudex sententiam sic: Iste in tali & tali articulo contra fidem pertinaciter errauit, neque vult errorem suum corrigere; ideo denuncio vobis, ipsum præcisum esse ab vnitate Ecclesiæ.

Cap. X.

Quomodo hæretici puniantur.

Punitur autem hæreticus quatuor modis. Primo excommunicatione. Omnis enim hæreticus siue magnus, siue paruus, manifestus vel occultus, excommunicatus est ipso iure maiori excommunicatione, vt *extra, Ad abolendam*. Secundo, depositione; quia, siue sit Clericus, siue

H Laicus, Papa vel Imperator, & quilibet inferior, deponi debet ab omni dignitate. Clerici prius degradati Ordinibus seculari potestati relinquuntur puniendi. *Extra de crimine falsi, Ad falsariorum*: Vel inuocet brachium seculare contra rebelles, vt XI.q.3. *Si quis sacerdotum*. Qui vero fuerint inuenti, aut deprehensi sola suspicione notabiles, non ad arbitrium Episcopi se expurgauerint; simili sententiæ subiacebunt, vt *extra, Ad abolendam*. Tertio, militari persecutione; quia, si aliter fieri non potest, manu armata sunt ab eis omnia bona auferenda, vt VIII. d. *Quo iure*. Tutum est autem, vt hoc fiat speciali edicto Principis, vel Ecclesiæ; ne, ex cupiditate, vel vltione Ecclesia videatur pugnare: vt XXIV.q.1. *Tit. de Hæreticis.*

Si vero conuertantur ad fidem, non restituuntur eis ablata, nisi de gratia, vt *extra, Vergentis*: Quid si hæretici habeant filios orthodoxos, nunquid hæreditarie capient bona paterna? Secundum Canones, videtur quod non, vt 1. *Et Manichæos*; Vbi dicitur, quod bona hæreticorum deueniebant ad filios, aliquando ad cognatos. Vasalli absolutu ipso *Tit. de Hæreticis.*

A tur ipſo iure à fidelitate, & omni pacto, quacunque firmitate vallato, quo hæreticis tenebantur adſtricti, vt *ext. c. vlt.* Imo etiam Vaſalli Dominorum temporalium, qui requiſiti ſuam terram purgare neglexerint ab hæretica fœditate, poſt eorum excommunicationem, & contemptum, denunciandi ſunt abſoluti, vt *extra, Excommunicamus.*

Tit. de Hæreticis.

Ex hoc patet, quod Principes ſeculares & Domini temporales, & Epiſcopi, ſi propter hæreſim aliorum, quos, dū poterant, exterminare neglexerint, excommunicādi ſunt, & expellendi à terris; & terræ ipſorum exponi poſſunt Catholicis occupandæ, vt XVII. diſt. 4. *Si quis deinceps.*

De pœna defenſorum, fautorum, & credentium hæreticorum teneas, quod dicunt leges, *extra Excommunicamus.* Qui vero ab hæreſi deſiſtere volunt, recipiantur ſecundum formam, quæ habetur in cap. *Ad abolendam.* De pœna Prælatorum, circa hæc negligentium legitur in ca. *Excommunicamus.*

B Sed quæritur, an cum reuerſis ab hæreſi valeat diſpenſari, vt promoueri poſſint, & per quos diſpenſetur? Sciendum eſt, quod tales de Iure communi recipiendi ſunt ad Laicam communionem, vt 1. q. 7. Adhibetur autem erga eos quadruplex diſpenſatio: ſcilicet ſemiplena, vt recipiātur in Ordinibus iam ſuſceptis, ſublata ſpe promotionis, vt eſt 1. q. 1. ſi quis hęretice. Item plena; vt poſſint ſacerdotes fieri & non vltra, vt 1. q. 7. *Conuenientibus.* Item plenior, vt poſſint eſſe Epiſcopi, & non Primates. Item pleniſſima, vt ad omnes dignitates & Ordines valeant promoueri, vt 23. q. 4. *ipſa pietas.*

DECRETALIS CONTRA HAERETICOS.

Ex lib. 5. Decret. tit. 7. cap. 15. & 13. Et ex alius capit. eod. tit. & ex conſtit. Fred. Imp. de ſtatutis contra libert. Eccleſiaſt. editis.

EXcommunicamus, & anathematizamus Vniuerſos hæreticos, Catharos, Paterinos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Ioſeppinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & alios, quibuſcunque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diuerſas, ſed caudas ad inuicem colligatas: quia de vanitate conueniunt in idipſum. Damnati vero per Eccleſiam, ſeculari iudicio relinquantur animaduerſione debita puniendi: Clericis, prius à ſuis Ordinibus, degradatis. Si qui vero de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere retrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hæreticos ſimiliter iudicamus: Item receptatores, fautores, defenſores hæreticorum excommunicationis ſententiæ decernimus ſubiacere, firmiter ſtatuentes, vt ſi poſtquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ex tunc ipſo iure ſit factus infamis, nec ad publica officia, ſeu conſilia, nec ad eligendos aliquos ad huiuſmodi, nec ad * teſtationum admittatur. Sit etiam inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ipſi ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi forte Iudex extiterit, eius ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, inſtrumenta per ipſum facta, nullius ſint momenti, ſed cum auctore damnato damnentur; & in ſimilibus idem præcipimus obſeruari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur: vt, in quo maior eſt culpa, grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales, poſtquam ab Eccleſia fuerint denotati, euitare cōtempſerint; excommunicationis ſententia vſq; ad ſatisfactionem idoneam percellantur, aliâs animaduerſione debita puniendi.

C D

* teſtimonium.

E Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ propriam innocentiam congrua excuſatione monſtrauerint, anathematis gladio feriantur, & vſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita vt ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc, velut hæretici, condemnentur. Item proclamationes & appellationes huiuſmodi perſonarum minime audiantur. Item Iudices, aduocati, & notarij nulli eorum officium ſuum impendant. Alioqui perpetuo eodem officio ſint priuati. Item Clerici non exhibeant huiuſmodi peſtilentibus Eccleſiaſtica Sacramenta, nec eleemoſynas, aut eorum oblationes accipiant. Similiter Hoſpitalarij ac Templarij, & quilibet regulares: alioqui ſuo priuentur officio: ad quod nunquam reſtituantur abſque indulto ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Item quicunque tales præſumpſerint Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, vſque ad ſatisfactionem idoneam, excommunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere, nec abſolutionis beneficium mereantur: niſi propriis manibus extumulent, & proiiciant huiuſmodi corpora damnatorum; & locus ille perpetua careat ſepultura. F

Lib. 6. tit. de Hæret. cap. 2.

Item firmiter inhibemus, ne vnquam Laicæ perſonæ liceat publice vel priuatim de fide Catholica diſputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item, ſi quis hæreticos ſciuerit, vel aliqua occulta conuenticula aliquos celebrantes, ſeu à communi conuerſatione fidelium & vita diſſidentes, eos ſtudeat indicare confeſſori ſuo vel alij, per quem credat ad Prælati notitiam peruenire: alioquin excommunicationis ſententia percellatur. Filij autem hęreticorum, receptatorum, fautorum & defenſorum eorum vſque ad ſecundam generationem, ad nullum beneficium ſeu officium admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum & inane. G

CATALOGVS IN QVO VARIORVM HÆRETICORVM DELIRAMENTA. H

LECTORI.

QVæ ſequuntur, non pertinent, meo iudicio, ad Reineri librum; quia iam abſoluit, quidquid in Proœmio decem capitibus tractandum propoſuerat. Quia tamen in manuſcripto Exemplari ſubiungebantur Reineriano Tractatui, noluimus nos à loco ſuo diuellere, multoque minus omnino omittere, cum quædam ſcitu non indigna contineant, præfixo Titulo, qui eſt in ipſo M. S. Codice.

De Hypocritis, qui nuncupantur Stertzer.

INter hypocritas, qui vocantur Stertzer, alij ſunt miſerabiles; alij, honorabiles. In prima ſecta ſunt, qui ſe fingunt pauperes, cæcos, contractos, turgidos

A gidos per herbam; putridos; per sanguinem eius, in vesica sanguini fluos, brachium emortui allegant, feminæ gestāt tres pueros alienos, palidi se colorāt. In secundā sectā sunt, qui se fingūt peregrinos. S. Iacobi, plumbati, & vltra marinos, & spatulatos pœnitentes. Item barbati cum longis crinibus, cathenati cū ferreis circulis. Item nudi in femoralibus cum flagellis bouis sanguine paratis se verberant sine læsione, & dicunt se esse parricidas & huiusmodi. Item feminæ in habitu religionis mendicant. Aliæ habitum & gestus viriles assumunt, scilicet Chnappinæ. Item mentiūtur meretrices se fuisse. Item aliqui dæmoniacos fingunt se esse: aliqui Iudæos se fuisse dicunt. Item aliqui medicos se fingentes, matronas corrumpunt. Item aliqui se fingunt se comites, aut milites.

Aliqui per characteres decipiunt, & auferunt res. Aliqui, per alligaturas. Aliqui per præstigia. Aliqui mentiuntur se curare per miracula. Aliqui fingunt imagines lacrymari, vel sudare oleum. Aliqui, Eucharistiam in carnem B verti. Aliqui fontes sacros & arbores venerantur: aliqui reliquias falsas, acetuos lapidum: aliqui sanctos falsos: aliqui dæmones deuouent. Aliqui fingunt angelos sibi loqui de statu hominum: aliqui fingunt iubilum & deuotionem. Aliqui promittunt thesauros absconditos reuelare. Aliqui prætextu spiritualis collationis feminas corrumpunt. Aliqui ossa boum pro reliquiis ostendunt; & falsis literis faciunt collectas, quas turpiter expendunt, prædicantes etiā errores. Aliqui bona dicunt, & pessime viuunt. Aliqui habent habitum sanctitatis, sed vitā non habent. Aliqui fingunt ad cælum vel ad infernum se rapi, & merita ibi, & pœnas adhuc viuentium se videre. Aliqui de Bryonia, quę dicitur Stucfwurtz, imaginem sculpunt, quam mādragoram esse fingunt. Aliqui radicibus diuersa nomina imponunt, vt Sialdewurtz, Heuwurtz, & sic homines deludunt. Aliqui mutos se fingunt, & sic futura prædicunt nutibus. Aliqui dicunt esse terram viuentium, vt in Verbena. Aliqui dicunt, quod mortui redeant ad amicos. Aliqui contrahunt matrimonium spiritualiter, & sic feminas corrumpunt. Aliquis contrahit cum XXX. quas omnes relin- C quit.

Examinatio Leonistæ. Quære ab hæretico Leonista; si doctrinam Iesu soli Apostoli seruare teneantur; an ipsi Leonistæ? Si respondet, quod etiam ipsi totum Euangelium teneantur seruare: ergo tenentur percutienti se maxillam præbere, & tunicam auferenti etiam pallium relinquere, & prædicare super tecta. Quia igitur hæc non seruant, peccant, & multa alia. Item quære, quare potius vult mori, quam iurer. Si dicet; quia Christus docuit, *non iurare.* Contra, quare ergo non seruat doctrinam Euangelij, vt non timeat eos, qui corpus occidunt, & vt renuntiet omnibus, quæ possidet, & alia multa. Item quære; si doctrinam Christi intelligat litteraliter, vel spiritaliter; si dicat, literaliter; ergo si oculus eum scandalizat, vel pes, aut manus, eruat & abscindat. Si dicat; spiritualiter; eādem ratione non de iurando spiritualiter intelligere potest. *Iacob. 2.* Iacobus dicit; *Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est reus omnium.*

D Sed tu Leonista, pauca de lege Christi seruas, & in multis offendis; ergo damnaberis. Quod probo sic: si habes duas tunicas, & das vnam non habenti? & de esca similiter. Item, si ad festa vadis, vt Christus? Item si XL. dies ieiunas? Item, si sis pauper spiritu, mitis, lugens, misericors, mundicordis, &c. Væ ergo tibi, si es diues, si es satur, si benedicetis, si non est sal terræ, & lux mundi. Item, si mandatum minimum soluis. Item si offers munus prius, quam reconciliaris fratri tuo. Item, si aduersario consentis. Item, si non respondens es, nisi *est*; &, *non*, non per circumlocutiones. Item, si ita feceris, reus eris. Item, si das omni petenti & mutuas. Item, non repetis ablata. Item, si alteri facis, quod tibi vis fieri. Item si diligis inimicos, & bene facis eis, & pro odientibus oras. Item si misericors & perfectus es, vt Deus. Item, si nesciat sinistra, quid faciat dextra. Item, si caput vngis cum ieiunas. Item si vendis, quæ possides, &c. Item, si non cogitas de crastino. Item, si non iudicas. Item, si dimittis. Item, si in via nihil portas, nec pecuniam, nec peram, nec duas tunicas, nec calceamenta. Item, si quod aure audis, super tecta prædicas. Item, si non times occidi. Item, si diligis Deum ex toto corde tuo, & proximum, &c. Item, si verbum otiosum non dicis. Item, si patrem & matrem & filios relinquis. Item, si abnegas te ipsum. Item, si patrem & matrem tuam odis. Item, si relinquis domum & vxorem. Item, si crucem quotidie baiulas. Item, si castras te propter regnum cœlorum. Item, si es paruulus. Item, si septuagies dimittis. Item si compellis intrare cæcos & pauperes. Item, si semper oras. Item, si semper vigilas. Item, si inuitatum vngis. Item, si pedes alterius lauas. Item, si credens in Christum, maiora opera facis. Item, si omnia, quæ petis, impetras. Item si sine sacculo & pera nihil tibi deest: Item, si vendis tunicam & emis gladium: Item, si animam ponis pro amicis, Item, semper doces, vbi omnes palam conueniunt, non, in occulto. E

Item, si vacas in Sabbatho, & in festo, vt compleas secundum mandatum. Item, si prædicas in mundo omni creaturæ, docendo gentes; si baptizas, si signa facis: dæmones eiecis, &c. Item, si pariter estis, & habetis omnia communia. Item, si vendens possessiones & substantias diuidis omnibus, prout vnicuiq; opus est. Item, si non habes proprium. Item, si per impositionem manus, das Spiritum sanctum visibiliter. Item si quotidie doces in tēplo. Item, si singulis panem per domos frangis. Item de morte Ananiæ & Saphiræ, Item, si gaudeant de contumelia. Item q̄te, quare non obediant Deo, vt Apostoli, publice prædicando: quia, si est ex Deo, non potest dissolui doctrina eorum. Item, si sint promptiores ad dandum, quam ad recipiendum. Item, si plures magistros non habes. Item, si indutum veste præclara, non præfers induto veste sordida. Item, si cum infirmaris recipis vnctionem, aduocans presbyteros. Item, si paratus es omni poscenti reddere rationem fidei. F

Nota, quod Orientalis Ecclesia, vt Greci, in his discordant à nobis. Primo in persona Spiritus sancti. Dicunt enim, Spiritum sanctum minorem esse patre & filio: & negant eum procedere à patre & filio, sed tantum mitti. Item in Romanam Ecclesiam obedientiā. Item, in statutis Ecclesiæ, vt in Decretalibus, Synodis, & cæteris, Item, in Sacramentis Ecclesiæ. Item, Eucharistiam conficiunt de panibus fermentatis: excidunt rotulas: ex illo conficiūt corpus Domini; & panes illi vocantur panis benedictus, & datur omnibus, qui volunt sumere in cibum, & in calice ligneo vino miscent aquam feruentem, in signum Spiritus sancti, & corpus Domini, & sanguinem sumunt de calice cum cochleari ad hoc deputato. In confirmatione & extrema vnctione discordant. Item in pœnitentia; quia vnicuique bono sacerdoti confitentur. Item in Ordine; sacerdotes enim ducunt vxores; quibus mortuis, sunt ad perpetuam continentiam obligati. Item in matrimonio: In gradibus consanguinitatis & affinitatis, & tempore interdicti, & publicæ honestatis contrahunt. In ornatu etiam Ecclesiæ, vestium, & campanarum. *Qualiter concordent Græci cum Christianis. Miscellanea hæc sunt, & vt videtur, sine ordine, comportata.* G

In his autem concordant nobiscum. Primo in veratione & inuocatione sanctorum; & fere in omnibus alijs in veteri Testamento & nouo. Armeniorum Ecclesiæ & Æthiopum & Indorū, & cæteræ quas Apostoli conuerterunt non subsunt Romanæ Ecclesiæ. Habent enim ritus per se speciales. In primitiua Ecclesia Ordo sacerdotalis* sine Ordinibus præcedentibus, sine solemnitate dabatur Laicis. Vnde, Ambrosius infra septem dies ad omnes est promotus Ordines. Item Apostoli conficiebant cor Domini in lingua Hebræa. H *si credere fas est.*

Conuenticula habere, & in secreto docere contra fidē non est, sed contra modum Euangelicum, vbi dicitur, *Ego semper docui in templo, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in abscondito locutus sum nihil.* Matth. 10. *Quod in aure auditis, prædicate in tectis,* id est, palam. Dicere, quod XX. *Pater noster* præualeant Missæ sacerdotis, contra dignitatem Sacramenti est: Cui sicut dicit Augustinus. *Dignitate in bonis nil præfertur.* Et Gregor. dicit; *Nihil Deo acceptius est, quam filium offerre.* Dicere, quod homo* mortali peccato, faciat actum sine peccato, præsumptio Manichæi est, qui sic ait, vt dicit Eustachius Episcopus. Dicere, quod anima sit sumpta de substantia Dei, Manichæorum hæresis est, vt dicit Augustinus *Errores diuersorum hæreticorū contra fidē Catholicā. Ioann. 8.* *id est, dū mortaliter peccat.

A stinus. Manichæus enim dicit, Deum lucis immortalia fecisse de se ipso. Hæc tamen hæresis ante Manichæum quorundam fuit Philosophorum. Dicere, suffragia non debere fieri pro animabus determinatarum personarum, sed illis, quibus Deus cupit, contra approbationem Ecclesiæ est, & Canones sanctorum. Beatus enim Gregorius pro monacho proprietario, sed pœnitente, post mortem determinate XXX. Missas celebrandas instituit; & sic eundem liberauit. Dicere confessionem venialium non esse necessariam, verum est, sed non est dicendum; quia licet non sit necessaria, tamen pœnitentibus est vtilis: cum de talibus dicatur; quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Veniale * culpa non est, sed dispositio ad * culpam. Dicere, quod aliquis veniat ad hoc, quod Deo non indigeat, blasphemia est in Deum, quo omnis creatura indiget; quia, aliter in nihilum deciderer, vt dicit Gregorius. Propter quod dicitur Hebr. 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*. Et Actuum 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

*mortalis culpa non est. *mortalem sc.

B Dicere, quod mulier sancta, sit Deus, hæresis est & blasphemia, & est de hæresi Pelagij. Pelagius enim dixit; Non viuo Deo, filio Dei, quia & ego, quando volo possum esse filius Dei & Deus: & hoc dicit August. de Pelagio. Idem est, quod dicitur, quod homo possit fieri Deus. Ad idem reducitur, quod dicitur; quod homo ad talem statum possit peruenire, quod omnia in Christo operetur. Aliquid enim operis datur naturæ, & aliquid concupiscentiæ, sine qua nemo est. Ioan. 2. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Rom. 8. *Non enim quod volo, illud facio, sed quod nolo, illud ago.* Quod autem Deus operetur peccatum, blasphemia est. Ad idem reducitur, quod dicitur, quod homo tantum proficiat, quod sacerdote non indigeat. Solius enim filij Dei est clauibus non indigere, quæ sacerdotali officio commissæ sunt. Et hanc similitudinem Pelagius ad similitudinem Dominicam comparare præsumpsit. Ad idem etiam reducitur, dicere; Non debere quæri consilium à viris literatis siue de vocatione, siue de alijs. Eadem præsumptio est

C Pelagij, qui suum sensum, scripturæ cõsilio præposuit. Dicere, quod aliquis ad hoc possit deuenire, quod non possit peccare, de præsumptione Pelagij est. Dicere, aliquem ad hoc deuenire, quod non oporteat eum sanctos reuereri, præsumptio Pelagij est. Iob. 5. *Ad aliquem sanctorum conuertere.* Dicere aliquem, quod anima alicuius, & facientis eadem cum Christo, æquetur animæ Christi, hæresis Pelagij est: cum gratia Christi sit vnionis ad esse: quo vere dicitur, hic homo Deus; gratiæ autem aliorum, sunt gratiæ adoptionis, vt scilicet adoptentur, non, vt sint Deus.

Dicere, quod homo vnitus Deo peccare non possit, tollere est liberum arbitrium ab homine, quod dicit Augustin. hæresim. Dicere, quod anima Deo vnita deificetur, hæresis Pelagij est, qui putabat se in Deum transferri. Dicere, quod homo vnitus Deo sit venerandus, vt corpus Christi, blasphemia est, & Pelagij hæresis. Gratia vnionis, gratiis adoptionis præfertur. Vnio enim diuinitatis est ad cor-

D pus immediate; sicut & ad animam. Eodem redit; quod aliquis dicat, se Deum in Deum recipere, quando recipit Sacramentum altaris: Non enim ipse est Deus, per gratiam adoptionis; sic, qui adoptatur, vere non est filius. At idem est, quod aliquis præferatur, & Deo æquetur. Hoc Pelagius dixit.

Dicere, quod homo in deuotione possit præcellere B. Virginem, Pelagij hæresis est, eo quod B. Virgo sola excepta sit, quod nunquam motum peccati senserit, qui deuotionem suam impedire potuit. Quod, ne secreta Verba aliis publicentur, suspectum est. Ioan. 3. *Qui bene agit, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius; quoniam in Deo sunt facta,* Et ibidem: *Qui male agit, odit lucem.* Omnis religio fit tunc suspecta, quæ præcepta & regulas manifestare non audeat. Quod dicitur, quod homo secundum voluntatem fiat Deus, de hæresi Pelagij expresse est. Lucifer concupiuit, & erectus est. Dicere, quod homo vnitus Deo non debeat confiteri etiam peccatum mortale, de errore Manichæi est. Dicere, quod homo vnitus Deo, licite

E possit tollere rem alterius, mendacium est in doctrina veritatis. Talis enim plus peccat aliena tollendo, quam non vnitus, in quantum maioris gratiæ contemptor est: propter quod dicit Augustinus. Quanto altior gradus, tanto profundior casus est. Dicere, quod Deo vnitus non debeat ieiunare vel orare, Pelagij error est: cum Helias, Moyses & Christus, maxime Deo vniti, ieiunauerunt & orauerunt.

Quod dicitur, quod nec Angelus sit, nec dæmon, de antiqua hæresi est Essæorum: quam Christus in Euangelio, & Nicæna Synodus condemnauit. Qui dicit, diuinitatem à corpore Christi separatam esse, de hæresi est Nestorij, & Eutychis, & Pauli cuiusdam Samosateni; qui de antiqua hæresi Arrij propagati sunt; qui Christum * resurrexisse dicunt. Dicere, quod homine comedente, Deus comedat, blasphemia est & hæresis Pelagij. Dicere quod orationes, ieiunia, confessiones peccatorum, impediant bonum hominem, mendacium est in doctrina veritatis; quia inter oĩa mendacia hoc perniciosissimum est; cum ieiunio

*Locus mendosus forte, vocula Non, desideratur.

F occidantur pestes corporis; & oratione, pestes mentis; & confessio remedium sit circa vtrumque. Et de errore Manichæi est & Donati, qui in Nicæna Synodo condemnatus est, vt dicit Augustin. de Baptismo paruulorum. Dicere, quod sanguis boni hominis venerandus est vt sanguis Christi, Pelagij hæresis est. Dicere, quod licite comedantur tempore ieiunij prohibita ab Ecclesia, vt caseus, & oua, hæresis Pelagij est; & est contra claues Ecclesiæ. A clauibus enim Ecclesiæ procedit, quod venerabiliter ieiunia sunt tenenda.

Dicere, quod soluta concumbendo cum soluto, non plus peccat, quam admittendo matrimonialiter sibi coniunctum, hæresis est Iouiniani; cuius hæresis est à Manichæis propagata, vt dicit Hieronymus in libro contra Iouinianum. Item, dicere, quod puerum ex licito concubitu patiens, sine macula sit, est prædicare concupiscentiam maculam non esse, & est hæresis cuiusdam Iuliani, qui fuit discipulus Pelagij, vt dicit Augustin. in libro contra Iulianum Pelagianum. Dicere, quod homo æquatur Patri, &

G transcendat filium, Pelagii hæresis est, & est diabolicum. Lucifer enim dixit: *Similis ero altissimo.* Dicere Christum nõ doluisse in passione, est dicere, quod Christus non fuerit homo, nisi phantasma; & hæc hæresis Nestorij & Eutychis. Dicere quod Angeli non sint lapsi de cælo contra veritatem Euangelij est Luc. 11. *Videbam Satanam, &c.* 2. Pet. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit.*

Dicere, angelos non esse, nisi virtutes, & dæmones non esse, nisi vitia, hæresis est Essæorum. * Dicere, hoc sub Angelo à bonis fir, non sit peccatum, hæresis est Leonistæ, qui fuit discipulus Iuliani & Pelagiani. Dicere bonum hominem peccatorem confitendo sacerdoti, contra veritatem Euangelicam est. Misit enim leprosos Christus, vt ostenderent se sacerdotibus. Est autem de errore Manichæi. Dicere, non oportet inclinare corpori Christi, eo quod homo sit Deus, Pelagianum est. Dicere, quidquid faciant homines, ex Dei ordinatione faciunt, est hæresis, quia di-

*Ita M. C.

H cunt, omnia euenire ex necessitate, & nihil ex permissione diuina; & est error cuiusdam Alexandri. Dicere, non esse memorandam passionem Christi, impiissimum & hæreticum est; cum nihil ita sit memorandum Threnot. 3. *Recordare paupertatis & transgreßionis meæ, absinthij & fellis.* Est autem error Manichæi & Nestorij, qui dicunt Christum non fuisse vere passum; & ideo non esse curanda, quæ de passione eius dicuntur. Quod de morte patris & matris non sit dolendum, nec pro animabus ipsorum orandum, inhumanum est, & continet errorem Manichæi; qui dixit suffragia animabus non prodesse. Dicere, bono homini non esse peccatum periurare & mentiri, Pelagij vesania est: qui dicit hominem impeccabilem.

Dicere, hominem debere ab exterioribus abstinere, & sequi responsa Spiritus intra se, hæresis est cuiusdam Orcleni, qui fuit de Argentina, quem Innocentius III. condemnauit. Dicere, oscula virorum & mulierum solutorum non esse peccatum, est mentiri in doctrina veritatis, Ephes 5. *Neque scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Ibi glossa; *quæ est in osculis & amplexibus.*

Dice-

A Dicere quod Diabolus non afficiat animam dulcedine, est mentiri in doctrina veritatis. Augustinus dicit; *Immiscent se saporibus & sanguini, vt dulcedine afficantur.* Dicere, quod communicans, quando ad communionem vadit, Deum ad Deum portat, Pelagij hæresis est. Dicere, quod mater quandoque puerorum virgo possit esse, hæresis est Iouiniani.

Omnes isti prædicti hæretici, quocunque nomine censeantur, eorumque fautores, receptatores, defensores, & ipsorum erroribus & falsissimis opinionibus credentes, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Psal. 68.

LECTORI.

ABsurdissimos errores, quos hic Catalogus continet, Reinerusque in suo Opusculo commemorat, copiosissime refellit F. Moneta, in libro suo contra Waldenses, quem nunc ex membranis minutissimo, & vix, nisi lynceis oculis, visibili Charactere exaratis, exscribendum curauimus: nec publico inuidebimus, si otium relegendi & recognoscendi obtingat. B

PETRI DE PILICHDORF SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS

LIBER

CONTRA SECTAM VValdensium.

C NVNC PRIMVM EX TENEBRIS IN lucem assertus. Studio IACOBI GRETSERI Societatis Iesu Theologi.

LECTORI.



Vo habebam Exemplaria calamo exarata huius libri: sed in neutro apparebat Auctor. Tandem cum iam opus hoc sub prælo versaretur, venit ad me Codex manuscriptus, in quo nomen Auctoris prodebatur. Si quæras, vnde hic mihi Codex? Audi. Ex Celebri & Peruetusto Bauariæ Monasterio Tegernseensi: beneficio Admodum Reuerendi & Religiosissimi in Christo Patris ac Domini PAVLI, *loci illius Abbatis vigilantissimi. Ex quo Codice non tantum Auctorem huius disputationis eruimus, sed & aliqua loca aliorum exemplarium suppleuimus, & luculentum insuper Auctarium adiecimus: quod in duobus Codicibus, quibus vtebamur, non exstabat. Inscriptiones Capitum desunt in manuscripto Tegernseensi: sed in aliis quos secuti sumus, leguntur. Vale, & operam nostram boni consule: qui duplici modo Hæreticos nostræ ætatis oppugnandos censemus: altero, edendis propriis: altero: publicandis alienis, vt ita quiuis Scriptor de thesauro suo noua & vetera proferat.* D

* *
*

E

TRACTATVS

PETRI DE PILICHDORF CONTRA HÆRESIN WALDENSIVM.

*In M. S. Dissensi titulus est. *Oblationes contra hæreticos VValdensium.* M.S. Nicolainus. *Obuiationes sacra Scriptura cõtra errores Baldens.*



VM dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici. Matth. 13. *Licet Dominus & saluator noster Iesus Christus per inimicum hominis bonum semen in agro seminatis, diabolum intelligat, quem etiam hominis nomine in ipsa parabola designat, quia tamen, sicut Christus omnium bonorum caput est, ita etiam diabolus malorum: potest non incongrue per inimicum designari quilibet aduersarius virtutum; qui etiam Sathan meritò vocatur. Maxime vero inimici sunt, qui omnium virtutum fundamentum; quod est fides Christiana, impugnare conantur *sicut sunt hæresiarchæ; qui Prælatis Ecclesiæ, velut hominibus rationabiliter & humane viuere debentibus, in corpore negligentiæ dormientibus, illas pauculas, & vtinam non multas ouiculas rapiunt, inficiunt & furantur.* Matth. 13. *M.S.S. Nic. *sicut scribunt.* F

*Et licet varij variarum sectarum & hæresum hæresiarchæ, & errorum Magistri inter sanctam Ecclesiam reperiantur: Specialiter tamen contra illos insurgendum & vigilandum, de quibus apertissime constat, quod maiorem numerum Christi fidelium simplicium à fidei orthodoxæ abducunt infallibili veritate. Inter quos nostris temporibus hæresiarchæ, secta VValdensium hæreticorum plurimam Christi fidelium multitudinem suis peruersis doctrinis, sub quibusdam simulatæ sanctitatis dulcedinibus errorum veneno mortifero. *lethaliter infecerunt; quorum quidem malus est ortus, peior progressus, & exitus pessimus.* *M.S.S. Nic. mortaliter.

CAP. I.

Nota ortum & originem hæreticorum VValdensium. G

ORtus & origo Waldensium hæreticorum talis est: licet iniquitatis filij coram simplicibus mentiantur, dicentes, sectam eorum durasse à temporibus Syluestri Papæ, quando videlicet Ecclesia cœpit habere proprias possessiones; hoc hæresiarchæ reputant non licere; cum Apostoli Christi sine proprio iussi sint viuere, Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum,* &c. Respondet Ecclesia, quod idem Dominus Iesus Christus, qui quandiu mansit in terris corporali præsentia, in corpore mortali, dixit ad discipulos verbum præmissum. Ipse tempore recessus, & separationis ab eis, dixit Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et cum discipuli respondissent; nihil, Dominus adiunxit: *Sed nunc, qui habet sacculum tollat, similiter & peram.* Quod prius prohibuit, postea concessit. Ideo licet Prælatis Ecclesiasticis habere proprium, ad defendendam Ecclesiam contra hæreticos, & alios iniuriosos. Vnde Pater ad filium in Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Ex hoc enim vocantur possessiones Ecclesiæ patrimonium Christi. Matth. 10. Luc. 22. H Psal. 2.

Item, tempore primitiuæ Ecclesiæ, non solum Apostoli vel Clerici, sed etiam omnes Christiani tam Clerici, quam Laici habebant omnia communia; *nec quisquam eorum, qui possidebat, aliquid suum esse dicebat,* Vt habetur Act. 5. Quapropter etiam Ananias & Saphira, qui fraudem fecerunt de precio agri venditi correpti simul & mortui sunt. Si ergo possessio proprij damnaret Ecclesiam, tunc etiam omnes credentes hæresiarcharum Waldensium damnarentur: sicut & in veritate cum suis Magistris, nisi conuersi ad fidem Catholicam fuerint, damnati sunt, non ex possessione proprietaris, sed ex vitio hæresis. Mentiuntur ergo, quod ex tempore Syluestri Papæ sectæ eorum durauerint. Actor. 5.

Vnde notandum quod fere octingentis annis post Papam Syluestrum, tempore Innocentij Papæ II. in ciui-

A

Illyr. Cent. XII. cap. 8. Petrus VValdus ab oppido VValdis, sito in Marchia Galliæ. *Cod. Tegern.* versus Alamanniam.

tate Walden, quæ in finibus Franciæ * sita est, fuit quidam ciuis diues, qui vel ipse legit, vel audiuit, Dominum dixisse cuidam adolescenti, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et eum ille tristis abisset, eo quod diues fuerat, multas possessiones habens, dixit Dominus; *Quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Et iterum: *Multo facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Et post pauca, dixit Petrus Domino; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Putabat ille Petrus Waldensis; cum hanc audiret, aut legeret scripturam, quod vita Apostolica iam non esset in terra, Vnde, cogitabat eam innouare; & omnibus venditis, & pauperibus datis, cœpit vitam pauperem ducere: quod videntes quidam alii, corde compuncti sunt, & fecerunt similiter. Inter quos prædicto Petro quidam se adiunxit, qui dictus erat; Ioannes, & erat de Lugduno.

*C.T. Qui dictus erat Ioannes de Lugduno, à quo etiã sectatii vocabantur Pauperes de Lugduno.

*M. S.S. Nic. mandauit.

Cum autem diu in paupertate stetissent, inceperunt cogitare, quod etiam Apostoli Christi non solum erant pauperes, imo etiam prædicatores, cœperunt & ipsi prædicare Verbum Dei. Quod, postquam ad sedem Apostolicam peruenisset, * mandat Dominus Apostolicus, quod cessarent; cum prædicatio Verbi Dei rudibus & illiteratis non conueniat: ipsi noluerunt obedire; quasi hoc Romana Curia ex inuidia prohiberet. Quo comperto, Ecclesia excommunicauit eos: Et ipsi resistentes contumaciter ab Ecclesia condemnati sunt. Et quia iam in palam prædicare non præsumebant, occulte saltem prædicabant. Vnde in o: ium Clericorum & veri Sacerdotii ex antiquis erroribus veteranorum hæreticorum, & superadditis nouis & damnosis articulis, inceperunt, solis exceptis Sacramentis, omnia destruere & condemnare, & reprobare, per quæ Clerus, velut pia mater, filios congregat, sicut gallina congregat pullos suos sub alis. Quorum errores, cum suis aliqualibus reprobationibus in sequentibus apparebunt.

B

Cum autem longo tempore furtiue prædicarent taliter, & multos sub prætensa sanctitatis apparenti simulatione, à fidelium communione, ad suam sectam adducerent, cogitabant inutiles esse ipsorum prædicationes, nisi etiam scrutarentur conscientias credentium * ipsorum per confessiones. Tandem post successum temporis inceperunt confessiones audire, pœnitentias iniungere, & à peccatis absoluere. Et quia credentes ipsorum viderunt, & quotidie vident, eos exteriori sanctitate pollere; Sacerdotes vero Ecclesiæ quam plurimos, vitiis, proh dolor, & maxime carnalibus, insistere; credunt, se melius per eos à peccatis absolui posse, quam per sacerdotes Ecclesiæ. Et nisi diuina clementia dignata fuerit Prælaris Ecclesiæ maiorem inspirare vigilantiam, timendum est, ne forte maiorem sibi adhuc vsurpent potestatem. Nam nouiter compertum est, quod quidam hæresiarcha, licet fuerit purus Laicus, corpus Christi, vt sibi videbatur, confecerit, & seipsum, & quosdam complices communicauerit, licet fuerit super hoc ab aliis hæresiarchis aliqualiter redargutus.

C

* *M. S. S. Nic.* suorũ.

CAP. II.

De fidei vnitate & identitate.

D

AD retorquendum igitur, repugnandum, resarciendum & reprobandum ipsorum erroneos articulos, est primo notandum, quod fides vna, est omnium electorum tam præcedentium Christi aduentum, quam sequentium. Vnde qui præcedebant, & qui sequebantur, clamabant: *Osanna filio Dauid,* Matth. 21. De his, qui præcedebant Christi aduentum, pulchre dicit Paulus ad Hebr. 11. De Abel, Enoch, Noe, Abraham, Sara, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyse, Raab, Gedeon, Baruch, Sampson, Iephthe, Dauid, & Samuel, & aliis Prophetis, quibus omnibus vna fides erat: qui tanta, quæ ibi ponuntur, sunt à Domino consecuti. Post quos *in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est* ille vnigenitus Dei filius, mundi Saluator Dominus noster Iesus Christus; qui prius per ora nunciorum legationem fecit; postea ipse nuncius à Patre missus est, & ore suo osculatus est sponsam suam prædicatione fidei orthodoxæ; qui etiam se ipsum ad hoc missum dicit Luc. 4. *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum.*

Baruch. 3.

E

Luc. 4.

CAP. III.

De continuatione fidei.

ET quia non decebat ipsum nostræ mortalitatis defectibus perpetim subiacere; quia per mortem suam nostros venit curare defectus & languores, instituit eiusdem vnicæ suæ fidei Prædicatores Apostolos, & postea magnum illum gentium doctorem B. Paulum. Quibus, inquam, Apostolis non volebat Christus omnia credenda in suis prædicationibus innotescere; sed multa seruauit aduentui Spiritus sancti. Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit* (Spiritus Veritatis) *ille, vos docebit omnem Veritatem:* Sed quia Christus & Spiritus eius, qui est ipse Spiritus sanctus, non dico de illa eius anima rationali, non solum cum discipulis, verum etiam cum omnibus Christi fidelibus manere dignatus est. Matth. vltim. *Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Et Matth. 18 *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Ioan. 16.

Matth. 18.

F

CAP. IV.

De perpetuitate fidei.

IDeo eadem fides, quæ præfigurata est in Patriarchis, prænunciata in Prophetis, prædicata à Christo & discipulis, hodie, & in æuum, prædicatur ab Ecclesiæ Doctoribus & Prædicatoribus. Vnde concludendum, quod vnica est fides Catholica omnium Electorum Dei, & non est alia, quæ scilicet mansura est, vsque ad finem sæculi, vbi fide euacuata, *videbitur Deus Deorum in Sion* ab electis facie ad faciem. Luc. 22. dicit Dominus Petro; *Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Et Luc. 1. *Et regni eius,* scilicet Christi, *non erit finis.* Et Daniel. 4. *Potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem.*

G

CAP. V.

Vnde prius VValdensis ordinatus fuerit?

REspondeas ergo Waldensis hæretice, si sacerdotium Apostolicum ablatum est tempore Papæ Siluestri, sicut mentitur tibi iniquitas tua; quis ergo ordinauit primum VValdensem in sacerdotem, cum nullum fuerit aliud sacerdotium in mundo verum, nisi illud Christi secundum ordinem Melchisedech? Vel ergo dices, quod te ordinauerit sacerdos Iudæus, vel Paganus, vel Christianus; vel, Deus, vnde tibi ergo nomen Christiani; cum nemo nihil det, quod non haber? Si Christianus, & quis potuit fuisse, cum tu mentiaris sublatum fuisse sacerdotium? Si Deus: ostende per signa. Sed non credis hodie in Ecclesia fieri signa. Ergo non poteris ostendere per signa; quia nemo approbat se per hoc, quod impugnat.

H

Quod autem oporteat te probare per signa, probatur; quia, tu credis te vices gerere Apostolorum; Et illis dedit Saluator, signa facere. Nec quidem voluit hoc esse donum illi magno suo Baptistæ Ioanni. Ioan. 10. *Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Signa ergo facere, fuit euidens signum Apostolorum: imo etiam Iudæ pessimi: quem etiam Dominus non excepit, cum discipulis dixit Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite.* Relinquitur ergo quod sis ordinatus & missus à diabolo. *Vos ex patre Diabolo estis,* Ioan. 8. Mendaces, homicidis peiores, fures: qui non venitis nisi vt furemini, mactetis, & perdatis. Ioan. 10. *Quotquot venerunt,* scilicet non legitime missi, *fures sunt & latrones.* Non estis pastores boni, qui relinquitis credentes vestros, & fugitis ab eis, & non paretis, quia Ioan. 3. dicitur; *Qui male agit, odit lucem.* Si vero tu temetipsum elegisti; hoc sine Diabolo

A bolo non fecisti. Heb. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Ergo percussus es lepra, vt Ozias, qui accepto thuribulo, voluit adolere incensum Domino. 2. Paral. 26. Deglutit te terra, id est, infernus, vt Dathan & Abyron, Num. 26.

CAP. VI.

Ex quibus probetur Vnitas.

VNitas etiam fidei Catholicæ potest probari ex vnitate Dei, qui nos omnes creauit; ex vnitate primi parentis, qui nos omnes propagauit: ex vnitate Christi, qui nos reparauit; ex vnitate Baptismi, qui nos omnes ab originali crimine mundauit; ex vnitate regni, ad quod promerendum, Paterfamilias nos omnes, velut ad denarium diurnum accipiendum, in vineam præsentis Ecclesiæ vocauit, constituit, & locauit.

B

CAPVT VII.

Quod fides debeat esse manifesta probatur de Christo.

HAnc autem fidem oportet esse manifestam, non occultam, probatur multipliciter. Primo, Christus fidei fundamentum nasci noluit in angulo Orientis, Occidentis, Austri, vel Aquilonis, sed, in medio terræ, & ibi salutem nostram operari. Psalm. 73. *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* vt videlicet traheret circumquaque electos eius ad se. Matth. 8. *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum.* Item, Regibus Orientis tredecimo die ætatis eius voluit apparere. Matth. 2. Item. quadragesimo die in templo manifeste præsentari. Luc. 2. Item, duodecimo anno in templo inter Doctores à parentibus inueniri. Luc. 2. Item, publice in templo docere. Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.*

C

CAP. VIII.

Argumenta VValdensium cum solutionibus.

SED dicis Waldensis hæretice: *Tamen Christus docuit Nicodemum in nocte de Sacramentorum exordio, scilicet de Baptismate.* Ioan. 3. Respondeo, Christus non venit ad Nicodemum, sed Nicodemus ad Christum. Tu vero fur, & latro, lupe, glis & vespertilio, noctua cæca nocte ad simplices volitas, circuitans circuis quærens quem deuores.

Item obiicis; Tamen Christus dicit discipulis, Luc. 12. *Quod in aure auditis in cubiculis.* Respondeo, allegas scripturas sicut Magister & Pater tuus Diabolus, qui dicit ad Dominum, Matth. 4. *In manibus tollent te, vt non offendas,* &c. Sed tacuit, quod sequitur; *Super aspidem & basiliscum,* id est, D Diabolum, *ambulabis:* sic tu, non addis; *prædicabitur in tectis.* Tu vero rana venenosa repis in cellaria ad ministrandum tua prætensa officia, quando mulierculas audis confitentes in cellariis, cauernulis, & domorum angulis, & in cistis.

Item oblatras; *Tamen Christus solis discipulis prædicauit de excidio templi, & die iudicii.* Matth. 24. Respondeo; Et vnde hoc scires, si hoc prius prædicari publice non audiuisses? Cum enim fueris sartor, faber, sutor, rusticus, *pilliator, molendinator, aut alius ex artificibus, prius audiuisti hoc publice prædicari in Ecclesia, quam à tuo Magistro in priuata doctrina, & prædicatione occulta.

*M. S. S. Nicolai, *palliator*, forte legēdū pileator Huter. Ita C. T.

Item *replicat vulpes dolosa; Tamen discupnli erant intus clausi propter metum Iudæorum post Christi resurrectionem. Ioan. 20. Ad quos etiam dixit, *Sedete in ciuitate.* Luc. 24. Respondeo ad primum; Discipuli, qui primo, metu Iudæorum ex infirmitate latebant, postea roborati in aduentu Spiritus sancti, publice prædicabant. Ad secundum non dixit, *Sedete* in molendino, in cellario,

* *M. S. S.* Nic. *reganit.*

E in stabulo, in angulo, sed, *in ciuitate,* quæ interpretatur, ciuium vnitas; ad designandum, quod inter se deberent habere mutuam charitatem. Item, non dixit, sedere per dimidium annum, sed donec induamini virtute ex alto: & tunc ibitis in Vniuersum mundum. Sed, quando, tu, hæretice, prædicas omni populo? Semper tu latitas in angulo, manifeste designans, quod non sis indutus virtute, sed iniquitate, non ex alto, sed ex inferno, & quod non sis repletus Spiritu sancto, sed Spiritu maligno.

Item, Christus manifeste passus est in elemento communi, scilicet in aere, quod nemo Regum & Principum, aut quorumcunque potentum sibi potest quomodolibet propriare. Et hoc ideo, quod designaret, quod sine acceptatione personarum pro omnibus pateretur. Ioann. 12. *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Patet ergo, quod Christus prædicator summus, voluit esse manifestus.

CAP. IX.

F

Probatio eiusdem per Apostolos.

SED & idem facere docuit suos discipulos. Probatur primo, Matth. 5. vbi dixit in prima eiusdem prædicationum in monte; *Vos estis lux mundi.* Licet enim Christus originaliter & essentialiter sit lux mundi, Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Et Ioann. 12. *Ego lux in mundum veni.* Discipuli vero participatione, quantum participant lucis à Christo: tamen prius voluit suos Apostolos publice vocare lucem mundi, quam se ipsum; quia de seipso primum loquitur, Ioann. 8. *Ego sum lux mundi*, post multas prædicationes Iudæis publice factas, Ioan. 5. & 6. & 7. Forte ideo; quia prædicatio discipulorum in propriis personis diutius multo durauit in mundo, quam Christi. G Christus enim prædicauit solum tribus annis cum dimidio: sed discipuli tempore multo. Et etiam ad designandam infallibilem & irrefragabilem veritatem verborum Christi, quam voluit publice prædicari. Vnde, *eloquia Domini sunt argentum igne examinatum, purgatum terra septuplum.* Psalm. 118.

CAPVT X.

Quod VValdensis non prædicat mundialiter viuentibus.

DIxit ergo; *Vos estis lux mundi*; quasi diceret; Verba & facta vestra debent illuminare corda mundialia, tenebrosa. Hoc tu Waldensis hæretice non facis; non vadis ad mundum, non prædicas peccatoribus magnis, & litigiosis, fornicariis, lusoribus, furibus, latronibus, bibulis, chorearum ductoribus, vsurariis, raptoribus, & aliis in mundo criminosis, sed solos illos attrahis, quos H audis esse pacificos, quietos, silentiosos, compositos, qui sine te manerent filii regni, te cum facis filios inferni, lupo per omnia similis, qui de grege consueuit oues rapere pinguiores.

CAP. XI.

Quod hæresiarcha VValdensis non primo inducit aliquem, nec, per se.

NEc quidem per teipsum hoc facis, sed te in angulo latitante, aut per mundum gyrante, vetulæ & mulierculæ sunt ministræ tuæ, & venenum bibitum de te, taliter consueuerunt in alios fundere. Et quando, te reueniente, volunt tibi nouellam ouiculam adducere, tu nimis argute syllogizas, & præuenis instantias dicens; *Videte caute quod homo iste sit bene dispositus, alias non admittam eum.* Vnde factum est semel, quod cum quædam nollet consentire

confes-

A confessioni faciendæ, dixit ad inductrices hæresiarcha: *Non Rachel, sed Liam suppposuisti mihi.* Hoc Petrus & Paulus non fecerunt: imo ad nequissimum Neronem personaliter venerunt. Item, Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Mons Christus est, ille *pinguis*, ille *coagulatus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Ioan. 10. *Vt cognoscatis & credatis; quia Pater in me est, & ego in Patre.* Supra hunc montem posita est ciuitas, id est, fides Catholica, quæ est ciuium vnitas. Nam omnes Catholici de quatuor plagis mundi concordant in fidei vnitate.

Psal. 67.

Cap. XII.

Quod hæretici diuersarum sectarum damnant se mutuo.

NON sic hæretici; quorum quidam alios reprobant, & condemnant; sicut Waldenses reprobant, imo nauseant Runcaros & Beghardos, & Luciferianos, & alios diuersos. Illi adhuc omnes sunt filii Diaboli; quia nondum sunt per Christum in vnum congregati. Ioann. 11. *Christus non tantum moriturus erat pro gente, sed, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Sed quomodo filij Dei, si nondum congregati, sed dispersi? Respondeo; Christus loquitur secundum æternam prædestinationem, filios Dei esse, qui finaliter sunt saluandi; quantumcunq; temporaliter sunt mali.

B

Sed dices hæretice; *Sic ego fortassis etiam sum filius Dei.* Respondeo, DEVS non denegat tibi gratiam, si conuerti velis ad eius Ecclesiam. Hæc ergo ciuitas non debet abscondi, sed publice propalari. Item, Lucæ 11. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit; neque sub modio, sed supra candelabrum, vt, qui ingrediuntur, lumen videant.* Simile habes Matth. 5. vbi dicitur; *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus,* &c.

C

Cap. XIII.

Quod VValdensis hæreticus timet publice prædicare.

SED dicis hæretice: *Non possum esse talis lucerna publica propter instantes persecutiones; quia, vocant me hæreticum.* Respondeo; Hoc ipso ostendis te non esse in Apostolatu Christi, nec esse Vicarium discipulorum eius; quia, propter timorem, dimittis fidei prædicationem. Si secta tua fides esset vera, non ires de discipulis suis, imo potius, ad eos. Dicit Dominus Matth. 10. *Ad præsides & reges ducemini propter me. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Si Spiritum Christi habes, quare non prædicas ante reges & Præsides, cum de Paulo scriptum sit, & ad Ananiam dictum; *Vade, &c. quia vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram regibus & gentibus?* Item Luc. 12. dicit Dominus discipulis suis: *Dico vobis amicis meis; ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem, mittere in Gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Ecce, quia propter mortem corporis non est cessandum ab officio publicæ prædicationis.

Act. 9. Luc. 12.

D

Item, Matth. 26. *Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo,* Item, Matth. vltim. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Non sic facis hæretice, qui quandoque in vna magna ciuitate vix quatuor, vel sex habes credentes, qui tamen nimii sunt, vtinam omnino nulli essent, quia sequitur eos mors æterna. Item, Luc. vltim. *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari pœnitentiam & remissionem in omnes gentes.* Audite Waldenses. Non est sub sole infidelior natio, quam vos estis. Creditis enim extra fidem vestram, vt pote veram, nullum posse saluari: & tamen quandoque, imo multoties, prohibetis mulieribus, ne reuelent eam legitimis maritis, &, è conuerso: imo filii occultant eam à parentibus, quandoque parentes à filiis, imo frater à fratre, soror à sorore, & tales, scienter, secundum vestram opinionem, permittitis condemnari. Damnati igitur estis omnes. Luc. 12. *Qui negauerit me coram hominibus, denegabitur coram angelis Dei.* Si ergo secta vestra esset fides vera, vos essetis æternaliter condemnati: quia non confitemini eam secundum mandatum Euangelicum.

E

CAPVT XIV.

De temerario iuditio VValdensium.

SED Waldensis hæretice obiicis verbum Domini dicentis, Matth. 20. & 22. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et in Psal. 3. *Domine quid multiplicati sunt.* Item; *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.* Item; *annunciaui & locutus sum; multiplicati sunt super numerum. Item, A fructu frumenti vini & olei multiplicati sunt.* Item, Ecclesiast. 10. *Stultorum infinitus est numerus.* Vbi per *vocatos*, & *multos*, intelligis Catholicos: Et per *paucos electos*, intelligis complices tuos.

Psalm. 16. Psalm. 39.

F

Psalm. 4.

Respondeo, quod omnes prædictæ auctoritates essent æque veræ, etiamsi tui pauci, quos electos reputas, nunquam fuissent. Sed, nimis es præsumptuosus, si te electum cum tuis credentibus reputas. Oblitus es verbi Salomonis Ecclesiast. 9. *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Quis te constituit *iudicem Catholicorum*? Nescis scriptum Matth. 7. *Nolite iudicare. In quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini.* Et ad Rom. 14. *Tu, quis es, qui iudicas seruum alienum? Suo enim Domino stat, aut cadit.* Temerarius igitur iudex es, qui te cum complicibus tuis sectariis, notos, id est, die Kunden/ & alios Catholicos, die Frembden/ nominas. Sed noti qualitercunque dicimini, tunc vera est de vobis illa scriptura; *Et * noti mei longe recesserunt à me, dicit Dominus.* Non ergo vos estis illi pauci, quos Dominus electos nominat, quia, * nihil satis estis ad illam ruinam magnam restaurandam, quam angeli Apostatici fecerunt. Qui etiam nimiam iniuriam facitis diuinæ clementiæ, quasi Christi sanguis pro solis vobis efficienter effusus sit.

* Alluditur ad illud Iob. 6. Necessarii quoq; mei longe recesser. à me.

* id est, non sufficientes

G

Cap. XV.

De multitudine saluandorum; contra eosdem VValdenses loquitur.

ADuerte * etiam numerum electorum nomine multitudinis in scripturis exprimi; licet, in comparatione damnatorum, sit paucus. Dicit Dominus Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum.* Item, Ioan. 12. *Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, fructum multum affert.* Item, Ioan. 15. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Item, Apoc. 7 Post illa quadraginta quatuor millia signatorum, dicit Ioannes se vidisse turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis.

* M.S.S. Nic. Audite.

H

Sed licet, tu Waldensis hæretice, * minimos credentes habeas ad æternam damnationem, ostendam tibi tamen gentes, tribus, populos & linguas, vbi per Dei gratiam sunt omnes Catholici, & omnes homines sunt immunes à tua secta penitus conseruati, scilicet Angliam, Flammingiam, Flandriam, Brabantiam, Garlandriam, Westphaliā, Daciam, Sueciam, Norweigiam, Prussiam, & regnum Cracouiæ, * pene nullos habens Waldenses. Qualiter ergo poteris esse discipulorum Domini successor, cuius doctrina per Dei gratiam in tot partibus est incognita? Cum de Apostolis dicatur: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Non es ergo pastor bonus ille, de quo dicit Dominus Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Quare non perstitisti cū ouib. in Turingia, Marchia, Bohemia, Morauia,

* id est, paucissimos. M. S. S. Nic. nimios.

* C.T. penitus.

Psalm. 18.

A vbi ex Dei gratia, iam infra spatium duorum annorum, citra mille personas, hæretici VValdenses, ad fidem Catholicam sunt conuersi? Quare non venis ad Austriam & Vngariam, vbi spes est *inquisitionibus hæreticæ prauitatis, plures item quam mille personas tuorum credentium fore de faucibus Leuiathan extrahendos? Nullibi compares; semper fugis, & pauperes simplices in suis tribulationibus relinquis. Dico audacter, si tua foret iusta doctrina, facile tibi esset in locis omnibus prædicanda. Nunc falsarie monetam tuam, vtpote fallam, oportet te cautius occultate.

*C. T. inquisitoribus

Dissens. De oblatratione hæreticorum erga sacerdotes.

CAPVT XVI.

De obtrectationibus VValdensium contra presbyteros Ecclesiæ, &c.

B OBloqueris etiam sacerdotibus Ecclesiæ dicens: *Fornicarii sunt; Vsurarii sunt; Tabernarii sunt;* *& alia multa *vitia coniectas in eos.* Respondeo: Quid ergo? Nūquid ideo sacerdotes non sunt? Absit. Sicut autem bonitas hominis singularis non confert sacerdotium; sic eius prauitas non aufert ipsum. Non enim est ille Petrus ideo Sacerdos; quia Catherinæ peccatricis filius, sed quia per Episcopum Catholicum intra viscera matris Ecclesiæ rite ordinatus. Ecce purus Laicus quantumcunque sit virtuosus, & iustus, & sanctus, non tamen ex hoc, id est, ex illis virtutibus, potest esse Sacerdos. Similiter pessimus homo, qui est Sacerdos, non cessat ex suis vitiis esse Sacerdos, etiamsi tantam dignitatem, sibi ad iudicium habeat, ministerium tamen eius, quin efficax existat, non præiudicat. Pessimus ergo homo, qui est Sacerdos, dignior est sanctissimo homine, qui est Laicus. Et quis est ille tam sanctus Laicus, qui manu sua contrectare præsumeret Christi venerabile corpus? Audacter dico, si contrectare præsumeret, iam sanctus non esset,

*Taxillarii sunt, falsarii sunt, habet M. S. S. Nic.
*Idem: conuitia.

C Sicut ergo fornicatio, aut adulterium, non tollit à Rege regalem dignitatem, si alias est bonus Iustitiarius, faciens in terra iudicium & iustitiam, ita nec potest tollere dignitatem sacerdotalem, si alias rite Sacramenta ministrat, Verbum Dei prædicat, aut alia sacerdotalia faciat. Quis dubitat luxuriosum regem casto milite digniorem, etsi non sanctiorem? Est *quidam Episcopus & fornicarius, & alius, simplex Sacerdos, & castus, quis dubitat eum esse sanctiorem, sed non digniorem? Contingit frequenter simplicem monachum suo Abbate reperiri sanctiorem, nunquam autem digniorem. Nemo dubitare debet, Nathanaelem sanctiorem Iuda Scarioth: & tamen Iudam digniorem propter Apostolarum Domini, ad quem non Nathanael, sed Iudas susceptus est,

*C.T. quis.

Sed dicis hæretice, *Tamen dixit Christus.* Ioan. 20. *ad discipulos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Ergo Sacerdos, qui Spiritum sanctum non habet, quando fornicarius est, aut aliter criminosus, non potest absoluere.* Respondeo: Etsi presbyter criminosus charitatem non habet, aut Spiritum sanctum, vt homo singularis, nihilominus dignum est eius Sacerdotium, dignum est eius ministerium, quoad Sacramentorum efficaciam, etsi quoad ministerium, indignum: In quibus Sacramentis inuisibilis gratia illius magni Sacerdotis Melchisedech Iesu Christi Domini nostri, salubriter & efficaciter operatur. Est ergo idem valor Sacramentorum, dignitas & nobilitas, siue à digno, siue indigno presbytero conferantur.

D

CAP. XVII.

Exempla familiaria de Sacramentis à quibuscunque collatis.

EXemplum. Rosa rubens æqualiter ruber in manu Imperatoris, & alterius fœtidæ mulieris. Similiter carbunculus in manu regis & rustici. Et famulus meus ita bene mundat stabulum cum furca ferrea, & rubiginosa, sicut cum aurea, & lapidibus preciosis adornata. Nemo dubitat, Heliæ temporibus multos fuisse cygnos in sæculo; nec tamen Dominus per cygnos, sed per coruum nigrum Prophetam cibauit. 3. Reg. 17. Licet forte iucundius fuisset per cygnum, tamen æque saturatus (fuit) per coruum. Et licet iucundius bibatur nectar de scypho aureo, quam de vase luteo; tamen non minus inebriat vndecunq; potatum. Etsi acceptior & gratior sit, si rex per summum eius militem donat mihi annulum aureum, æque tamen nobilis est annulus, si portat ipsum ad me rusticus.

E

CAP. XVIII.

De obedientia exhibenda malis presbyteris.

ERgo non solum bonis ministris Ecclesiæ, sed etiam malis est obediendum. Sicut, si Rex faciat mihi mandatum per *garzonem, que ligat me, sicut si fuisset factum per Principem, aut militem. Et si esset minister indignus, dignissimus tamen est Dominus eius. Vnde 1. Pet. 2. *Serui subditi estote in omni timore Dominis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Item ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri.*

*per puerū.

F

Sunt etiam eiuscemodi sacerdotes, etiam mali, plurimum honorandi. Hoc enim fecit & Apostolus. Quis enim dubitat sacerdotes Hierosolymitanos temporibus Christi fuisse, vt plurimum, impios & iniquos: qui tot conuiciis, tot improperiis Dominum Iesum Christum, & eius discipulos infestabant? Eosdem tamen Dominus propter sacerdotii dignitatem plurimum honorauit. Vnde Matth. 8. postquam iam leprosum Dominus mundasset, dixit, *Vade, & ostende te sacerdotibus.* Et quid indiguit sacerdotibus, quem iam sanauerat omnium Dominus? Ecce honor sacerdotibus etiam prauis impensus. Nec quidem vacua manu remisit ipsum, sed dixit: *Offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Item. Luc. 17. Cum decem leprosi starent à longe, petentes sibi misereri à Domino, poterat vtique Dominus illos præsentialiter curasse, sed non fecit. Dixit enim: *Ite, ostendite vos sacerdotibus: Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Item, Matth. 23. Licet, peccatis Scribarum & Pharisæorum exigentibus, Dominus octo vicibus dixerit, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ,* tamen in principio Capituli honorauit eos dicens, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Item, piissimus Dominus patientissime eis frequenter respondit ad maxima conuicia. Luc. 11. Matth. 12. *Hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Ioan. 8. & 10. *Dæmonium habes.* Et Ioan. 11. Cum Caiphas in Concilio dixisset, *Expedit vobis,* &c. scribit Ioannes, *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex, prophetauit.* Ecce dignitate prophetali decoratur Pontificium.

G

Item, Actor. 23. Cum Ananias Princeps sacerdotum præcepisset astantibus sibi, vt percuterent os Pauli: & Paulus dixisset: *Percutiet te Deus paries dealbate.* Et tu sedens *iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Et cum astantes dixissent Paulo, *Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit Paulus, Nesciebam fratres, quia Princeps est sacerdotum. Scriptum est enim, principem populi tui non maledices.* Item, licet quidam Episcoporum Asiæ reprehensibiles essent, tamen Spiritus sanctus vocat eos *Angelos,* Apocal. 2. & 3. Sed tu VValdensis hæresiarcha, quando venis ad complices tibi credentes, frequenter consueuisti sacerdotibus detrahere, & vnius peruersi sacerdotis vitia, in omnes transfundere, & credentes tuos in odium Cleri concitare, nesciens quid facis, quia, non potest iniquitas tua per maioris iniqui vitia minorari; nec tua sanctitas, quam prætendis, augmentari. Et quare non loqueris bona de sacerdotibus bonis, sicut libenter mala de malis? An putas omnes sacerdotes Ecclesiæ Catholicæ fore malos? Erras. si scrutari velles bonos, inuenires per Dei gratiam, quam multos. Et, si veritatem fateris, nosti de sociis tuis hæresiarchis VValdensibus, repertos fuisse multos criminosos, similiter etiam de credentibus non paucos.

H

Exod. 22.

A

CAPVT XIX.

De incredulitate B. Virginis & aliorum sanctorum.

TEnent VValdenses hæretici B. Virginem Mariam, & sanctos in Patria tantis impletos esse gaudiis, quod nihil possint cogitare de his, quæ in terris fiunt, & per consequens, eos non esse inuocandos à nobis; quia non possunt orare pro nobis. Contra Luc. 15. bis ponitur; *Gaudium erit Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.* Si gaudent angeli de nobis pœnitentibus, sciunt vtiq; pœnitere nos. Nihil enim gaudet de illo, quod simpliciter nescit. Nunquam enim gauisus es de fratre tuo in regem coronato; si nunquam occurrerit menti tuæ, fratrem tuum in regem fore possibilem coronari. Ex quo concluditur, quod Angeli in cœlo non solum intelligunt bona nostra, sed etiam mala, quæ facimus in terris, & pœnas, quas patimur in terris. Si enim sciunt, & quia sciunt quod pœnitemus, sciunt profecto propter quid pœnitemus; non autem propter bonum, quod fecimus, sed malum, quod commisimus, aut bonum, quod facere debuimus, & non fecimus,

B

pœnitemus; ergo sciunt non solum nostra bona, sed etiam nostra mala.

Vis testimonium scripturarum? audi Ioannem scribentem Angelo, id est, Episcopo * Ephesi; *Scio opera tua & laborem tuum, & patientiam tuam.* Sequitur post pauca: *Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primã reliquisti.* Apoc. 2. Item ibidem: *Angelo Smyrnæ Ecclesiæ. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam.* Item ibidem: *Angelo Ecclesiæ Pergami: scio vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Et postea sequitur: *Sed habeo aduersus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Item ibidem: *Angelo Thyatiræ Ecclesiæ: Noui opera tua, & fidem & charitatem tuam.* Et postea: *Sed habeo aduersum te pauca; quia, permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Propheten, prophetare, docere & seducere seruos meos,* &c. Et (Apoc. 3.) *Angelo Ecclesiæ Sardis: scio opera tua; qui nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Item ibidem: *Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ: scio opera tua, &c. quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Item idem ibidem, Angelo Laodiceæ Ecclesiæ; *Scio opera tua: quia neq; frigidus es, neq; calidus.* Sequitur post pauca; *Dicis, quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* Sed, quis hæc omnia dixerat Ioanni? qui, cum prædicta scriberet, fuit in insula Pathmos. Audi principium: *Apocalypsis Iesu Christi: quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito, & significauit mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.* Ecce Deus Trinitas reuelauit Christo * homini, Christus Angelo, Angelus Ioanni, Ioannes Ecclesiis. Habes ergo quod Angeli sciunt nostra bona & mala.

C

* Ecclesia M.S.S. Nicolai.

Item, ille medicus Raphael, nonne sciuit cæcitatem & paupertatem Tobiæ, sed etiam artem medicinæ, & Asmodæum iugulasse septem viros improbos Saræ filiæ Raguelis in Rages ciuitate Medorum; & quanta familiaritate sit ille cælestis nuntius cum hominibus conuersatus; nouit optime iniquitatem illorum septem virorum, quam prohibuit Tobiæ iuniori dicens Tob. 6. *Qui coniugia ita suscipiunt, vt Deum à se & sua voluntate excludant, & suæ libidini ita vacant, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, habet super eos dæmonium potestatem: tu autem per tres dies continens esto ab ea, & nil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.*

*Sic M. S. S. Nic. Dicitur Domino.

D

Item, Gen. 18. dixit Angelus ad Abraham; *Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerunt, an non est ita, vt sciam.*

Sed forte iam dubitas hæretice, Angelos in cælis scire ea, quæ aguntur in terris, cum dicat Angelus; *descendam & videbo:* quasi Angeli nihil sciant terrenorum, nisi de quib. descendendo & videndo capiant experientiam. Erras hæretice. Sciuit Angelus in cælis; sed descendere, & videre se dicit, innuens, Deum non properare ad vindictam; & docens iudices non nisi certitudinaliter informatos de causis ferre sententiam.

E

Sed petis hæretice; *Vnde sciunt angeli in calo ea, quæ à nobis fiunt in terris, cum tanta sit distantia, & illis iocunditas excellentissima. Nunquid possunt suam iocunditatem derelinquere, & quæ fiunt in terris, interim auscultare?* Respondeo, Verbo Domini Matth. 18. dicentis de pueris non contemnendis, & scandalizandis; *Angeli, in*quit, *eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Habes manifeste, quod Angeli in cælis Deum conspiciunt, & in terris homines custodiunt. Nequaquam ergo minoratur iocunditas Angelorum, cum à Deo mittuntur ad explenda qualiacunque in terris negotia. Angelus enim Gabriel illius maximi secreti prænuncius, incarnationis videlicet filii Dei, nullo modo vilioris ex hoc potuit esse conditionis, quod ad Virginem partu fœcundandam diuino iussu missus est; quasi medio tempore contemplatione caruerit iocundissimæ Trinitatis, in qua summa, & vltima Beatorum consistit felicitas & vita æterna. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Imo, non solum non vilioris, sed profecto excellentioris conditionis ex tanta legationis fruitione fieri & esse debuit ille gloriosus Gabriel Archangelus; cuius insignem annunciationem, modulatis vocibus læta per orbem canit mater sancta Ecclesia: *Mittit ad Virginem non quemuis Angelum, sed fortitudinem suam Archangelum amator hominis.*

Luc. 1.

F

Et si, tu hæretice, cãtus huiuscemodi Deo placere nõ credis, quid id nostra refert? Respondemus Catholici; *Dominus regnauit*, irascantur hæretici, sed de hoc in sequentibus retunderis. Sed quæris, & quomodo possunt hæc fieri? Respondeo, quod angeli videndo Deum, omnia vident in Deo pro suæ capacitatis modulo, quantum pertinet * ad Deum & ipsorum felicitatem. Nunquam legisti, Ioan. 1. de Verbo æterno, quod factum est, *in ipso vita erat:* Vbi ly, *erat*, non tam præteriti imperfecti, quam præsentis perfectissimi, & æterni temporis est; quia, quidquid ab æterno fuit, in hoc verbo vitæ, nunquam *fuit*, est, vel, *erit*, vel, *esse poterit*, mortuum; sed, semper viuum: cui nil præteritum, nil futurum, sed interminabilem vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit. Ideo Dominus Christus Verbum illud idem æternum, in tempore incarnatum, illum æternitatis orbem incommutabilem, humanæ capacitati inattingibilem complectitur; dicens, Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

M.S S.Nic ad Dei laudem.

G

Item, cum cognoscere sit bonum naturæ rationalis; si sancti in patria nil cognoscerent eorum, quæ nobiscum hic aguntur; sequeretur, quod maior perfectio esset in damnatis, quam saluatis Ille enim diues epulo, Lucæ 16. qui mortuus est, & sepultus in inferno, inter illas inexstinguibiles flammas Gehennæ, quarum cruciatus fatetur se sufferre, recordatur se adhuc in domo patris sui quinque fratres habere.

Item, sancti in Patria recordantur sanguinem suum fusum in terra; Apoc. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum, & non vindicas de his, qui habitant in terra?*

H

Item; nunquid videtur tibi Dauid Prophetam fuisse delirum, qui toties inuitat ad laudem Dei? *Laudate Dominum de cælis Laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Benedicite Dominum omnes virtutes eius, Benedicite Dominum omnes Angeli eius. Adorate Dominum omnes angeli eius*; quasi loquatur de his, qui nihil intelligunt?

Sed forte dicis; nil probas; quia etiam Sol & Luna, stellę & lumen, & omnia quælibet irrationabilia inuitauit ad Dei laudem, Respondeo; attende modum laudantiũ diuersum, & agnosces diuersitatem inuitatorum. Irrationabiles creaturæ laudant Dominum ex insita eis naturali virtute: sed rationales, ex arbitrii libertate. Si ergo non intelligunt inuitantes, quæ (*creaturæ*) ratione carent, & tamen naturaliter Deum laudant; non sequitur, quod non intelligant, quæ rationem habent, & Deum liberaliter glorificant.

A

CAPVT XX.

Dicunt hæretici (VValdenses,) quod solus DEVS *sit laudandus, &c.*

DIcunt etiam hæretici Waldenses; quod solus Deus sit laudandus, honorandus & inuocandus, & sibi soli seruiendum; & quod sancti non orent pro nobis propter plenitudinem gaudiorum, quam habent; Et quod, quia solus Deus redemit nos, ideo solus possit iuuare nos; & sancti sibi ipsis meruerunt, & non nobis: Et, quia Deus per se bene scit, quod nobis necessarium sit, non indiget sanctorum precibus moueri; & quia, quidquid ipse vult, hoc volunt omnes sancti: ergo non oportet inuocare sanctos, sed solum Deum.

Contra quæ sunt auctoritates largissimæ scripturarum. Lucæ 1. dicit Beata Virgo: *Beatam me dicent omnes generationes.* Non solum dicit, Beatam credent, sed, *beatam me dicent.* Beatam autem dicere, est, laudare; ergo beata Maria est laudanda. Quam etiam Dominus laudauit Cantic. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Item, Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quã pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa; pulchriora sunt vbera tua vino: & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata:* Et, *fauus distillans labia tua, sponsa. Mel & lac sub lingua tua: odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conc. fons signatus.* Item, mater Ioannis Baptistæ ad matrem Domini, Luc. 1. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et; *beata quæ credidisti: quoniam perficientur in te omnia, quæ sunt dicta tibi à Domino.* Ex quibus liquide patet; quod, quia Waldenses non laudant beatam Mariam, non sunt generationes, sed corruptiones, imo mortificationes.

B

Nec sufficit, quod dicunt; credimus eam sanctam, quia vt supra patuit B. Virgo non dicit *beatam me* credent, sed, *dicent.* Audi Waldensis illam Euangelicam laudatricem almæ genitricis, Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Quem volebat illa mulier finaliter laudare? Nonne Dominum Christum, illum tam dignum prædicatorem? Vtiq; Nam in signum huius, Euangelista præmisit: *Factum est, dum hæc diceret,* scilicet Christus, *Extollens quædam mulier vocem de turba dixit,* ad Iesum: *beatus venter,* &c. Interrogemus hanc mulierem, cur in laude filij coassumpsit matrem? Nonne potuit dixisse; beatus es tu, qui tam sapienter prædicas; qui mortuos viuificas, & leprosos mundas, qui cæcos illuminas, qui multa millia virorum paucis cibas panibus, & alia multa potuit hæc mulier congessisse. Sed hæc omnia superioris erant naturæ in Christo, videlicet diuinæ. Quare alias Dominus dixit matri suæ, Ioan. 2. in nuptiis; *quid mihi & tibi est mulier*; quando illa misericors aduocata in alleuiationem paupertatis inopũ cognatorum dixit ad filium; *Vinum non habent:* Et Dominus dixit, quid mihi, & tibi, quasi diceret; Mortales esse, nobis est commune; *nondum venit hora mea*: quoniam in stipite crucis ostendam, quid à te susceperim. Vinum autem vel creare, vel ex aqua transmutare, altioris est naturæ, scilicet diuinæ. Quapropter Euangelica laudatrix prædicta, volens laudare tam dignum filium, coassumpsit tam dignam eius matrem, vt non solum, quod est Christi Dei, sed etiam, quod est eiusdem Christi hominis, commendaret.

C

D

Item, Ecclesiast. 44. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi.* Et post; *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem, & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.* Et postea laudantur Enoch, Noe, Abraham, Moyses, Aaron, Iesus Naue, qui & Iosue, *Caleb filius Iephone, Samuel, Dauid, Salomon, Helias, Ezechias, Iosias, & alij quamplures.*

Item, quam excellenter laudauit Dominus Ioannem Baptistam adhuc viatorem, Matth. 11. Lucæ 7. *Inter natos mulierum.* &c. & tamen ei minimum prætulit comprehensorem, dicens; *Et qui minor est in regno cœlorum, hic maior est illo.*

E

Item, Petrum adhuc peccaturum Dominus mirabiliter laudauit, Matth. 6. *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et, ego dico tibi; quia, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Item, centurionem nouiter ad fidem conuersum. Matth. 8. & Luc. 6. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.*

Et, mulierem Cananæam, Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua.*

Item, Luc. 16. *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.*

Item. Mariam Magdalenam, Luc. 7. *Quoniam dilexit multum.* Et Luc. 10. *Optimam partem elegit,* &c. Et Matt. 26. *Bonum opus operata est in me.* Item Natanaelem, Ioan. 1. *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.*

F

Item Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis.*

Erras ergo Waldensis hæretice, dicens, sanctos non esse laudandos, & honorandos. Si enim tantum laudati sunt prædicti viatores, quantum laudandi sunt ipsi comprehensores? Et, si eos tantum laudauit Dominus, quantum debent ipsos laudare serui eius? Hester. 6. Dixit* inimicus Aman de Mardochæo; *hoc honore dignus est, quem Rex voluerit honorare.* Item, Psal. 149. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Item. Psal. 150. *Laudate Dominum in sanctis eius.* Item, Deut. 32. *Laudate gentes populum eius.* Item, Matth. 25. ad omnes electos suos dicet Dominus. *Venite bened. cti Patris mei.* O quam magna laus illa. Item, Luc. 12. *Amen dico vobis. præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Item, Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus,* &c. Ecce Pater Domini nostri IESV Christi, honorificabit ministros filij sui? & hoc quidem non sine sua liberrima voluntate, quam nil potest cogere.

*M.S.S. Nic. inuitus.

G

Qualiter ergo, Waldensis hæretice, Deum oras dicens; *fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*; cum eius voluntas sit, quod honor impendatur sanctis: quod non solum tu non facis, imo non faciendum credis, & dicis. Sed dicis; scriptum est Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.* Vbi finaliter concludis, seruiendum esse soli Deo: Respondeo, cui seruitur potissimum, quando seruitur sanctis propter Deum? Nonne quando sanctis Dei seruitus impenditur, sanctorum sancto Deo seruitur? Nonne te honorat, qui propter te amicum tuum honorat? Nihil facis à te. Sancti Dei amici honorati sunt: quos Dauid nimis honoratos esse denunciat dicens; *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Psal. 138.

Matth. 6.

An putas nos Catholicos in tantam delapsos esse dementiam; vt, non intelligamus impendendæ Deo & sanctis eius seruitutis esse differentiam? Deum adoramus, Deum honoramus, (Deo seruimus,) tanquam nostri, & omnium rerum creatorem, & nostrum redemptorem. B. Virginem, tanquam eiusdem creatoris omnium, & nostri redemptoris electissimam genitricem. Deum adoramus, honoramus, inuocamus, vt alpha & omega, principium & finem, omnis boni fontalem originem, & originalem fontem; qui id ipsum * idem summum bonum est, quod in ipso fontaliter, & originaliter, & æternaliter est. Sanctos vero veneramur tanquam eiusdem summi boni & veri non tam seruos, quam amicos * participes factos. Adoramus ergo, honoramus, & inuocamus Deum, sicut credimus Deum. Adoramus, honoramus, & inuocamus Dei sanctos tales, quales credimus eos. Credimus autem vnum & solum verum Deum; sed naturaliter, essentialiter, & æternaliter. Credimus omnem beatum, Deum; sed temporaliter participantem, socialiter, imo fraternaliter. 1. Cor. 1. *Fidelis autem Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi.* 1. Ioan. 1. *Societas vestra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo.* Item, Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror,*

H

* id est, M. S. S. Dissens.

*M. S. S. Nic. *principes.*

A ror,& mater est. Item, Matth. 6. Dignatus (est) nobis Christus, Dominus noster ad eius patrem orare: *Pater noster, qui es in cælis.* Matth. 23. *Vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Ioan. 20. *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.* Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Matth. 5. *Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est.* Item, Matt. 5. *Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur.* Item, Ecclesiast. 4. *In iudicando pupillis, esto misericors, vt pater; & pro viro matri illorum; & eris tu, velut filius altissimi,* &c. Ioan. 12. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis.* Cuius lucis? Christi, dicentis, Ioan. 8. *Ego sum lux mundi:* Sicut ergo filii Principum principes sunt, & vocantur; Et sicut filii Diaboli, Diaboli sunt & vocantur. Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis.* Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Sic filii Dei, Dii sunt, & vocantur. Ioan. 10. *Nonne in lege vestra scriptum est? Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes.* Boetius: *Omnis beatus Deus; natura quidem vnus est Deus, participatione vero nihil prohibet esse plurimos.* Exod. 7. *Dixit Dominus ad Moysen, Ecce ego constitui te Deum Pharaonis.*

B Sed quando dicis Hæretice; sanctos esse tantis impletos gaudiis quod non possint *implorare pro nobis, erras. Christus enim est in plenissimo gaudio, & tamen orat pro toto mundo, 1. Ioan. 2. *Sed si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.

*pro, orare

Item quando dicis, *solus Deus potest iuuare nos. ergo solus à nobis est inuocandus:* Erras. Nam Dominus dixit Petro, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: ergo sanctus Petrus etiam potest iuuare nos.* Nonne Raphael Tobiam iuuit multipliciter iuniorem; Tob. 6. De pisce redimendo, dicens: *apprehende branchiam eius,* & trahe eum ad te; ab Asmodæo præseruando, Tob. 8. *Tunc Raphael apprehendit dæmonium, & religauit eum in deserto superioris Ægypti.* Et Gabelo chirographum reddendo, & pecuniam ab eo ferendo, Tob. 9. Item seniorem, lumen ei perditum restituendo, & eum cum omnibus suis ditando, Tob. 11. Nonne Angelus Domini

C iuuit Ezechiam Regem. 4. Reg. 19. *Factum est igitur in illa nocte, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum C. L X X X V. millia.* Concordat litera 2. Paral. 32. idem habes Isa. 36. Item, Daniel. 9. *Adhuc loquente me in oratione; & ecce vir Gabriel, quem videram in visione in principio, cito volans tetigit me, in tempore sacrificii vespertini, & docuit me.* Ecce Gabriel Angelus Danielem docuit, quod tamen Deus per se optime docere potuit, sed per angelum fecit.

Item Iudic. 13. habes Angelum annunciantem Sampsonis natiuitatem, & mirabiliter circa parentes eius agentem & docentem. Item, Angelus eduxit Loth de Sodomis, ne periret in scelere ciuitatis, Gen. 19. Item, Angelus liberauit Isaac, ne occideretur ab Abraham, iuxta mandatum Domini, Gen. 22. Item, Angelus cum Iacob luctabatur, & mutauit nomen eius in Israel, Gen. 32. & alia multa legis ibidem. Item, *Ecce Angelus in impetu spiritus sui apprehendit Prophetam Abacuk, & portauit illum capillo capitis sui, & posuit eum in Babylonem super lacum Leonum, in quo fuerat Propheta Domini Daniel.* Dan. vltim. Item, Dan. 13. dixit Daniel

D ad vnum senem nequam: *Ecce Angelus Domini, accepta sententia, scindet te medium.* Et ad alium: *Manet te Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.*

Item in nouo Testamento, Angelus Domini Gabriel annuntiauit natiuitatem Ioannis Baptistæ, Luc. 1. Item, conceptum Virginalem Domini nostri Iesu Christi, Luc. 1. vbi non solum Angelus honorauit Virginem verbis diuinæ salutationis, & Angelicæ allocutionis, sed etiam facta ab ea discessionis. Vnde scribitur ibidem; *Et discessit ab ea Angelus,* quasi indignum se reputando mysterio incarnationis diuinæ factæ in Virgine à tota sancta Trinitate: Imo etiam Virgo honorauit Angelum; quia licet omne, quod angelus Virgini locutus est, Verbum, mittentis Domini Dei fuerit, tamen Verbum Virgo angelo adscribit dicens; *fiat mihi secundum Verbum tuum.* Item Matth. 1. Cogitante Ioseph, quod vellet occulte dimittere Virginem Mariam: *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens; Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Item, Matth. 2. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis*

E *Ioseph dicens; surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Item, Luc. 22. *Apparuit autem illi,* scilicet Christo in horto *Angelus de cælo confortans eum.* Item, Matt. 28. *Solicitis mulieribus de reuolutione lapidis de sepulchro Domini dicentibus, illud verbum; quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Sequitur; *Angelus autem Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem.* Et infra: *Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui,* &c. Item, Act. 1. dixerunt Angeli; *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum.* Item, Act. 12. Petrus autem ad se reuersus dixit; *Nunc scio vere; quia misit Dominus Angelum suum, & liberauit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum.* Item, quantas reuelationes, quantas familiaritates angelus Domini cum Ioanne habuerit in Apocalypsi, non faciliter apprehendi potest. Item, Angeli accesserunt & ministrauerunt Christo, post tentationes, Matth. 4.

F Item, quando dicis; *Tamen solus Deus redemit nos; ergo solus Deus est inuocandus.* Erras. Non aduertis, quod Deus noluit nos redimere, nisi *Prophetæ prius, eius aduentum *prænuntiarent: Ioannem præcursorem præmitteret, antequam filius Virginis fieret. Et vnde scis Dominum redemisse nos, nisi per prædicationes Apostolorum, & suorum successorum, legitimorum scilicet doctorum, & magistrorum Ecclesiæ? Sicut ergo, inhonoratores Prophetarum, Apostolorum, & suorum sequacium, meruerunt pœnam; ita eorum honoratores, merentur gloriam. Vnde enim alias Dominus diceret, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Et Matth. 10. *Qui vos recipit, me recipit.* Et Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis,* &c. *vt veniat super vos omnis sanguis iustus.*

*C. T. per Prophetas. *nuncia-ret.

Nunc, ô tu superbe Waldensis Hæretice, sanctos spernis, cum dicis; *Antequam cum famulo loquar, cum Domino totum expediam.* Non sic fecit Dauid dicens. Antequam diceret; *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram,* præmisit prius: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Iob. 5. *Voca, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Honestius vobis fecit ille diues epulo; damnatus, qui dixit: *Pater Abraham miserere mei.* Et iterum: *Rogo ergo te pater, vt mittas Lazarum in domum patris mei.*

Psal. 120. ibid.

G

Luc. 16.

Si non orarent sancti pro nobis, male loqueretur, Hierem. 15. *Et dixit ad me, si steterit Moyses & Samuel coram me, non erit anima mea ad populum istum.* Non propter orantes, noluit Dominus exaudire populum, sed propter populi peccatum nimium, super quo pœnitentiam non egerunt, sed etiam peccatis peccata addiderunt. Ideo ponitur Hierem. 11. *Tu ergo noli orare pro populo hoc; neque assumas pro eis laudem & orationem: quia, non exaudiam eos.* Item, 2. Machabæorum 15. *Vidit Iudas Oniam summum sacerdotem defunctum protensis manibus orare pro omni populo Iudæorum:* & eundem, *sanctum Oniam dixisse,* * cum alio quodam viso per Machabæum; *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta D E I.* Item, Iob. 12. *Dixit Raphael Angelus ad Tobiam; Cum orabas cum lacrimis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos per diem abscondebas in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Item, Iob. 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de mille, vt annunciet hominis æquitatem; miserebitur eius, & dicet; Libera eum, vt non descendat in corruptionem:* * *inueni, in quo ei propitier.* Et Zach. 1. *Respondit Angelus Domini, & dixit; Domine exercituum, vsque quo tu non misereberis Hierusalem & Vrbium Iuda, quibus tu iratus es? Et respondit Dominus Angelo; reuertar ad Hierusalem in misericordia.* Item, Eccles. 5. *Ne dicas coram Angelo; non est prouidentia, ne forte iratus super sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

*C. T. de

H

*C. T. quia

Item, Apoc. 8. *Et Alius Angelus venit, & stetit; ante altare habens thuribulum aureum; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationib. omnium sanctorum de manu Angeli coram Domino.* Item, Apoc. 5. *Et cum aperuissent librum quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singulas citharas, & phialas plenas odoramentorum, quæ*

A *sunt orationes sanctorum.* Item, Apocal. 6. Petunt sancti vindictam inimicorum; multo fortius veniam amicorum. Vnde scribitur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter Testamentum, quod habebant, & clamabāt voce magna dicentes. Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Et dictum est illis, vt requiescerent adhuc modicū tempus, donec compleatur numerus fratrum eorum, qui interficiendi sunt, sicut etiam illi.*

Item quando dicis; *Sancti solum sibi ipsis meruerunt & nobis non;* Erras. Quia Ioannes dicit oppositum. 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus Dei charitatem; quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Imo propter merita sanctorum, Deus dignatur nobis beneficia præstare. Alias inaniter multi sancti huius vitæ monuissent Deum in suis precibus, per merita sanctorum suorum prædecessorum defunctorum. Vnde Moyses Exod. 23. petiit pro populo dicens: *Memento Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens; Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli.* Item Daniel 3. dixit Azarias B in fornace ignis ardentis: *ne quaso, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne dißipes Testamentum tuum, neque auferas misericordiam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.*

Sed cum prius ostendissemus, Waldensis hæretice, quod angeli Dei orant pro nobis, tu fortasse credis id verum esse de Angelis, sed non de aliis sanctis: scias oportet, electum & assumptum esse Angelum, imo Ioannem Baptistam nondum assumptum. Matth. 11. dicit Christus de Ioanne; hic est enim, de quo scriptum est; *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Imo quilibet sacerdos est Angelus. Malach. 2 *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.*

Sed quia tu Waldensis hæretice, sacerdotes habes odio, probabitur tibi sanctos in patria vocari Angelos. Nota verbum Christi Matth. 22. contra Saducæos dicentis; *Erratis, nescientes scripturas, in virtute Dei, & resurrectione, neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Idem habes C Marc. 12. & Lucæ 20. clarissimam audi scripturā *Æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei cū filij sunt resurrectionis.* Itē 1. Ioan. 3. *Clarißimi, nunc filij Dei sumus, & nondū apparuit, quid erimus. Scimus enim cum apparuerit, similes ei erimus.* Ecce habes electos non solum esse Angelos, sed & Dei filios.

Ex quibus arguo sic: si Angeli, qui propter suā* subtilitatem, (&) confirmationem suam, nulla humani corporis miserabilia, nec pœnalia, nec culpabilia passi sunt, nec pati possunt, orant pro nobis, ministrant nobis, solliciti sunt de nobis; quanto plus animæ sanctorum; quæ cum in corporibus nostris* secularibus essent, portauerunt pondus diei & æstus. Sed tu, Waldensis hæretice, etsi forte non ex tuo proposito, tamen vtique infidelitatis eos arguis, quasi* successibus prosperis obliti sint de nobis, sicut pincernarum Pharaonis præpositus, oblitus est Ioseph incarcerati interpretis sui Gen. 40.

*M.S.S. Nic. assumptos.

*D. Sublimitatem.

*M.S.S Nic. similibus.

*Id succedētibus.

D Item cum dicis hæretice; *Deus per seipsum bene scit, quid nobis necessarium sit: ergo, non indiget sanctorum precibus commoneri.* Erras si ex hoc inferre conaris, quod sancti non orant pro nobis. Verum est, quod non indiget commoneri, sed vult moneri non solum à sanctis, imo à nobis. Nam licet ab æterno sciuit, quid nobis necessarium sit, vt habetur Matth. 6. *Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis;* tamen non solum nos docet, qualiter orare debemus dicens: *Sic autem orabitis: Pater noster.* &c. Imo diligenter sollicitat nos ad orandū Matth. 7. & Luc. 11. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; qui quærit inuenit; & pulsanti aperietur.* Item Luc. 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.*

Item quando dicis: *Quidquid vult Deus, hoc volunt omnes sancti: ergo solus Deus est inuocandus:* Erras, & nescis, quod his verbis,* tibimet concludis, quando dicis; Quidquid vult Deus, hoc volunt omnes sancti; recte diceres conuersum sermonem dicendo; Quidquid volunt omnes sancti, hoc vult etiam Deus. Alias non esset eadem voluntas Dei & sanctorum, quod falsum est. Cum ipse Christus & nobis

*temet.

E viatoribus iubeat voluntatem nostram diuinæ voluntati conformare, dicendo in Dominica oratione; *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Et sæpissime, imo semper bona volentibus, & bene, Deus conformat suam voluntatem. Vnde Matth. 15. dicit Dominus mulieri Cananææ. *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut tu vis.* Ex quo igitur Deus facit voluntatem sanctorum, & sancti volunt nobis & petunt præsentari beneficia & auferri mala; ergo dilatetur Ecclesia catholica, crescat fides nostra, & deficiat & pereat hæresis sua,* &c.

*M.S. Dissens. Amen.

Cap. XXI.

* *Quod solum sint duæ viæ.*

*Sic M.S. S. Nic. Dissens. paulo aliter: De incredulitate purgatorij ipsorum hæreticorum. *C.T. ibi.

Item, dicunt hæretici Waldenses, solum esse duas vias post hanc vitam, & non purgatorium. Et videntur hoc velle probare per verbum Christi, Matth. 7. *Lata est porta, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta, & arcta porta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Ex quibus verbis Waldenses volunt sic arguere; *Christus* non posuit plures vias, ergo nō sunt plures:* nesciētes, quod locus ab auctoritate negāte, F nō tenet: tenet tamē affirmatiue. Sic optime sequitur Christus hoc ita dixit, & ita intellexit; ergo est verum; ergo est faciendum. Et notanter dicitur, *& ita intellexit,* quia, Mat. 18. dicit. *Si manus, tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Hoc Dominus nequaquam intellexit ita, sicut verba sonant. Ergo non est literaliter obseruandum; quia hæc *litera* non solum *occidit,* imo oculos eruit, manus & pedes abscindit; *Spiritus autem viuificat.* 2. Corinth. 3. Sed, non sequitur; Christus hoc non dixit, ergo non est verum, non est credendum, nec faciendum: imo, multa vera, multa credenda, multa facienda reseruauit aduentui Spiritus sancti. Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo,* &c. Sicut etiam prius ostensum est. Simili G modo Responderur tibi, si allegas illud verbū, Ecclesiast. 11. *Si ceciderit, lignū ad Austrū, aut ad Aquilonē, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Vbi per Austrū vis intelligere *angustam portam,* & arctam viam, quæ ducit ad vitam: & per Aquilonem *latam portam* & spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem; & nescis, nec intelligis, quod lignum, quod cadit ad Purgatorium, ad Austrum cadit, & angustam portam, & viam arctam, quæ ducit ad vitam æternam; licet non statim. Ergo si finaliter intelligeres verum, diceres solum duas esse vias, ducētes ad solum duos terminos, vbi finaliter & æternaliter est manendum. Cum hoc bene stat, esse Purgatorium viam tertiam, vbi manendum est ad tempus his qui in pœnitentia decedunt, quam non plenarie, compleuerunt.

Sumas exemplum: Imperet Rex præpotens, & dicat; Omnis qui habet oculos omnino claros, vadat Hierosolymam: & omnis, qui totaliter est cæcus, vadat ad Babyloniam, sed qui habet oculos non omnino claros, vadat H Romā, & ibi maneat, donec oculi clarificentur: Et post, etiam vadat Hierosolymā Ecce tres vias, sed finaliter solū duas propter solum duos terminos Hierosolymā & Babyloniam, quia sic Roma non habet rationem termini, sed viæ ad terminum. Sic & à simili, omnis, qui nullum peccatum mortale, nec veniale commisit; vel, si commisit illud, per sufficientem pœnitentiam diluit, immediate ad cœlestem Hierosolymam post mortem vadit: & omnis, qui mortale commisit, in quo sine contritione, quæ prima pars est pœnitētiæ, decedit immediate ad infernalem Babyloniam vadit. Qui vero cum venialibus decedit, aut pro mortalibus nondum plenam pœnitentiam impleuit, soluet in purgatorio debitum; donec, pro soluto liber vadat ad patriam.

Exemplum (esto) quod frequenter accidit. Peccat quis annis triginta, & hodie cadit in lectum decumbens apostemate pestilentiæ vel vulnere mortali: ille cognoscens, vel timens mortem sibi imminere, conteritur de commissis, & ommissis saltem contritione sufficienti sibi ad euasionem ęternæ mortis: confitetur, assumit pœnitentiam,

A &proponit,si vixerit,adimplere;&sic moritur.Talis non damnatur, quia, *cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Nec statim euolat in patriam, quia non sufficienter pœnituit,imo modicum satis. Talibus ergo diuina misericordia,quæ nullum bonum irremuneratum, & iustitia, quæ nullum malum impunitum relinquit, ne sit dedecus culpæ sine decore iustitiæ,prouidit de purgatione, quasi de remedio gratioso.

Sed quia VValdenses hæretici persuasionibus huiusmodi cum rationibus veritatis non poterant obsistere,ideo in duos alios errores pessimos sunt prolapsi. Primus, quod nullum sit peccatum veniale. Secundus,quod quandocunque Deus dimittit culpam, dimittat & pœnam. Contra primum stabit manifeste Ioannes circa finem, 1.Ioan.1. *Si dixerimus,quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,& veritas in nobis non est.* Ergo secundum te VValdensis B.Ioannes cum hoc dixit,peccatum mortale habuit, sed falsum est.quia,confirmatus in gratia, post acceptum Spiritum sanctum,à modo peccare non potuit. Ergo de peccato veniali,quod cum gratia stare potest, intel-
B lexit,non de mortali, quod cum gratia stare non potest. Vnde Paulus 2.Corinth.6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? aut,quæ conuentio Christi ad Belial?* Item 1.Cor.3. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum,argentum,lapides preciosos,lignum fœnum,stipulam,vniuscuiusque opus manifestum erit.* Vbi per *aurum, argentum lapides preciosos,* intelliguntur opera meritoria,Per *lignum,fœnum,stipulam,* opera non meritoria, sed venialia.

Sed dicis,Hæretice,*quare non per lignum,fœnum,stipulam, ita dicis intelligi peccata mortalia,sicut venialia?*Respondetur, mortaliter peccare,non est ædificare, sed omnia destruere,etsi non fundamentum, tamen ædificium. Nam vno commisso peccato mortali, quidquid superædificatum fuerit,destruitur;& committens,æternis pœnis obligatur. Item Prou.24. *Septies in die cadit iustus.* Hoc nullo modo intelligitur de casu mortali. Quia si iustus mortaliter to-
C ties in die caderet,(fingat, qui potest) ego non intelligo, quomodo iustus esset? Item 1.Ioan.vlt. *Qui scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem pro eo petat, & dabitur ei vita,peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem,non pro illo dico,vt roget quis,*intellige, si finaliter in illo decedit. Vbi manifeste per peccatum ad mortem, mortale peccatum intelligitur: sed per peccatum non ad mortem, veniale. Item Pater non propter quodcunque peccatum,filios exhæredat,sed gratiose punit. Absit à patre misericordiarum, vt semper contra peccantes filios gladium dirum eximat,& non magis virgã paternæ correctionis in mansuetudine prætendat. Psal.89. *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Acuta sagitta iacitur contra lupum, sed virga tenera tenditur contra catellum. Legislator non pro quocunque crimine, damnat hominem ad mortem, sed, quandoque ad carcerem, & ad talionem temporalem.

Contra secundum,scilicet,quod quandocunque Deus dimittit culpam,dimittat & pœnam,est illud, quod prius
D in baptismo dimittitur omnis culpa, & relinquitur multa pœna,imo mors,& grauissima quandoque, & pœnalissima dispositio ad mortem. Item,sancti Patres fuerunt sine culpa,& cum magna vixerunt pœna,qui portauerunt pondus diei & æstus,vt Ioannes Baptista, Ieremias Propheta, *Matth.20.* B.Virgo Maria,& vnigenitus filius eius. De Virgine matre ne dubites, memento gladii Simeonis, Luc.2. Item Deus pater noluit dimittere culpam mundo sine maximis pœnis eius dilecti filii. Item Matth.12. loquitur Christus: *Dico autem vobis,*quoniam *de omni verbo otioso,quod locuti fuerint homines,reddent rationem de eo, in die iudicij.* Si de verbo otioso, quid de maledico, quid de blasphemo? Item,si semper dimissa culpa, dimittitur pœna,quare, Hæretice hæresiarcha,confitentibus tuis iniungis pœnitentiam? Si culpa remittitur à Deo per contritionem,&confessionem. quare premis hominem per graue ieiunium,&multam orationem? Adeo cæcus es,quod factum proprium non intelligis:in quo euidenter patet,non semper culpa dimissa, pœnam dimitti.

E Sed dicis,*tamen Luc.23. Christus dimisit latroni secum in cruce pendenti pœnam & culpam.* Respondetur, Latro magnã occasionem sufficientis pœnitentiæ habuit: qui tunc non in deliciis, non inter epulas fuit, sed in cruce pependit. Item,fidei magnitudo, & Christi publica confessio, sibi pro sufficienti iustificatione reputatur. Nam licet Christum in suppliciis, & ignominia crucis viderit, Iudæos circa eum & prætereuntes,& stãtes,sed & milites blasphemantes, & irridentes audierit, nihilominus eum Dominum,& regnaturum confessus fuit dicens: *Domine memento mei,cum veneris in regnum tuum.* Item,anima latronis illius priuilegiata fuit. Nam Christus, qui dixit,Cant.7. *Dixi, ascendam in palmam,* scilicet crucis, *& apprehendam fructus eius,*scilicet animam Latronis: illam animam carpsit, velut primitias suæ fructuosissimæ passionis. Non ergo potes in consequentiam trahere, quod omnibus sero pœnitentibus,statim aperiatur, imo paucissimis * & rarissime, ianua paradisi. *M.S.S. Nic. rarissimis.

Scire ergo debes,triplicibus duntaxat morientibus datum esse,statim ad patriam euolare. Primo illis, qui sine
F omni actuali peccato post baptisma decedunt: In cuius euidentiam super Christum baptizatum cæli aperti sunt. Matth.3. *Et ecce aperti sunt ei cæli.* Marc.1. *Et statim ascendens de aqua,vidit cœlos apertos.* Lucæ.3. *Et baptizato Iesu,& orante,apertum est cælum.* Secundo illis,qui pro fide Christiana per passionem Martyrii decesserunt. Et ideo super B. Stephanum Protomartyrem cælum apertum est. Qui dixit Actor.7. *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Tertio illis,qui post longam peractam hic plenarie pœnitentiam,ad virtutum culmen & perfectionem peruenerunt,& taliter decedunt. Hoc significatum est,in B.Ioanne Euangelista,qui vidit etiam cælos apertos. Apocal.4. *Post hæc vidi,& ecce ostium apertum in cælo.* Quantos vero putas non solum de multitudine Christiana,sed etiam de paucitate VValdensium hæreticorum decedere, qui post baptismum varia & magna peccata committunt, & illa satis imperfecte, & incomplete pœnitent,& sine martyrio pro fide Christiana assumpto vel passo decedunt? G
Annumeraui autem hæreticos Christianis,eo quod VValdenses dicunt,& credunt,se statim,post mortem,ad patriam euolare, propter tam irrefragibiles probationes, quibus per hæreticos, nulla veritatis opera conuenire possunt.

Lapsi sunt quidem hæresiarchæ moderni in sensum recta erroribus prioribus contrarium,& non minus hæreticum, dicentes, quod Deus nequaquam acceptat pœnitentiam seram. Cuius omnino contrarium,habent in latrone,quem prius ex acie contraria pro se in medium produxerunt.

Item probationem Purgatorii babes, Matth.12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo,neque in futuro.* Vbi, luce clarius patet, remissionem esse in futuro: alias illud verbum Christi esset inutile & inane, quod falsum est; cum ipse sit lignum plantatum secus decursus aquarum,cuius folium non defluit,vt patet in Psalm.1. Hanc autem remissionem nec in *Psalm.1.* cælum,nec in infernum possumus ponere, cum vtrobiq; H nihil sit remissibile. Et quia *non potest solui scriptura,*oportet *Ioan.10.* ponere alium locum,vbi possit fieri remissio illa, Et hunc ponit,& vocat Ecclesia Purgatorium.

Item, quod propter peccata venialia, in quibus quis absque pœnitentia decedit,puniatur in Purgatorio habetur 1.Cor.3. vbi dicitur, *Vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit,quia in igne reuelabitur.* Et, *vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit,quod superædificauit,mercedem accipiet. Si cuius opus arserit,detrimentum patietur,ipse autem saluus erit sic tamen,quasi per ignem.*

Sed dicis hæretice,*Ignis iste est præsentis temporis tribulatio, qua purgamur.* Contra,omnia prædicta verba S.Pauli,scilicet,*manifestum erit,ignis probabit,mercedem accipiet, detrimentum patietur,saluus erit:* Omnia,inquam,sunt futuri temporis,non præsentis.

Item,licet omnes dies Domini Dei sint,dies tamen vltimus cuiuslibet hominis, non solum dies Domini, sed tempus in scriptura sacra vocatur.*Psalm.74. Cum accepero*

tempus

A *tempus, ego iustitias iudicabo.* Et quæso, quando Dominus tempus non accipit; cum eum non solum tempore, imo nec æternitate priuare quis possit? Sed dies Domini, tempus Domini dicitur, quando per eius districtum & iustum iudicium homo quilibet, non solum in illo vniuersali iudicio, verum etiam in cuiuslibet particulari, de suis actionibus & omissionibus iudicatur. Item 1. Cor. 15. *Alioqui,* si scilicet non erit resurrectio mortuorum, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si enim omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* Hoc nequaquam intelligi potest de baptismo, qui est primum Sacramentorum, & ianua: cum Sacramentum illud non sit iterabile: sed intelligitur de baptismo pœnitentiæ; qui quasi secundus baptismus dicitur; eo quod innocentia baptismalis per actuale peccatum perdita, per pœnitentiam, quasi per secundam tabulam post naufragium recuperatur. Vnde Matth. 10. Postquam Christus dixisset Ioanni & Iacobo, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum,* addidit eiusdem sententiæ verba; *Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini:*
B Christus autem cum hæc verba dixerat, dudum erat baptizatus, necdum vero passus; ergo, non de Sacramento baptismatis, sed de baptismo passionis aiebat. Baptizari ergo pro mortuis, est, opera satisfactionis exercere pro eis, qualia sunt orationes, ieiunia, eleemosynæ, vigiliæ, peregrinationes, & præ omnibus oblatio corporis Christi in sacrarum missarum celebratione. Et licet fideles defuncti, qui ad pœnas temporales sunt in Purgatorio deputati, iam pro se ipsis non sint in statu promerendi, nec sibi ipsis valeant suffragari; tamen, quia cum fidelibus adhuc in terra degentibus membra sunt Christi corporis mystici, ipsi quidem sub certitudine, illi vero adhuc spe sola, nondum scientes, an odio, vel amore digni sint; & ideo, licet illi in pœnis sibi ipsis non possint mereri; potest tamen eis à suis commembris plurimum suffragari. Exemplum in humano corpore; cuius nulla membra, nisi os solum comedit, & tamen de solius oris manducatione alia membra vegetantur, nutriuntur & sustentantur.

C Sunt ergo triplicia membra corporis Christi mystici. Quædam pugnant in terris, quædam triumphant in cælo, alia purgantur temporalibus pœnis. Et hoc innuit Ecclesia, quando Sacerdos in Missa diuidit & frangit hostiam Sacramenti in tres partes; quarum vnam, mittit in calicem, in suffragium speciale illis, quæ adhuc sunt in Purgatorio, & bibunt calicem passionis. Potest etiam per eandem particulam, non incongrue intelligi felicium iam in regno cælorum assumptorum congregatio, qui bibunt in domo Domini merum, vinumque perennium gaudiorum de calice voluptatis, de quo Psalm. 22. *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* Item Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quamuis & id, alium intellectum habeat. Corpus enim Domini ter fractum esse, legitur; scilicet ante mortem in flagellatione & coronatione. In morte, in manuum & pedum crucifixione: Post mortem, in lateris apertione. Item, 2. Machab. 12. *Nisi eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis. Et quia considerabat,*
D *quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Hic, Waldensis hæresiarcha, perpende, qui ea, quæ in Biblia ponuntur, accipis; quantumlibet alibi orationes pro defunctis non tam expresse ponantur, tamen ita clare & lucide tanguntur, quod clarioribus & nudioribus verbis exprimi non valeant. Vbi manifeste patet fraus tua. Quare hoc simplicibus credentibus tuis non solum non declaras? Imo intellectum tuum præcludis & obseras, vt hanc tam claram sententiam ne dum possis, imo intelligere non velis.

Item Ioann. 11. Martha & Maria Magdalena orabant pro fratre eorum Lazaro mortuo, & iam quatriduano, dicente Martha; *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Simile verbum dicebat & Maria quæ præ fletus amaritudine, non valebat amplius deprecari. Sed Martha dixit: *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Et harum orationes non cassæ, nec vacuæ permanserunt: imo Christus ob amorem sororum, & pium affectum, resuscitauit fratrem earum. Item, Actor. 9. *In Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Thabita, quæ interpretata dicitur Dorcas. hæc erat plene operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat. Factum est autem in diebus, vt infirmata moreretur; quam cum lauissent, posuerunt eam in cœnaculo. Cum autem prope esset Lidda ab Ioppe, discipuli audientes, quod Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes, ne pigriteris venire vsque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis; & cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendebant illi tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua sua orauit, & conuersus ad corpus dixit; Thabita surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro, resedit. dans autem illi manum, erexit eam.* Ecce quod non vanum sit & inutile, orare pro mortuis.

Ioan. 11.

E

Item Ecclesi. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Vbi, si dixeris, intelligendum esse de corpore defuncti; contra; Tu, tam corporibus, quam animabus defunctorum gratiam prohibes. F Animabus; cum credis, & dicis, non esse orandum pro ipsis. Corporibus; cum credis & dicis, æque bonum esse, sepeliri in agro, vel puteo, sicut in cœmeterio. Item Matth. 19. *Archisynagogus* (qui apud Luc. 8. Iairus dicitur,) *dixit ad Iesum. Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum super eam, & viuet.* Item 3. Reg. 17. Rogauit Helias pro filio mulieris Sareptanæ defuncto, & reuixit. Item, 4. Reg. 4. Mulier Sunamitis orauit Helizæum pro filio suo defuncto & reuixit. Item; humanius, vt videtur, egit ille diues epulo sepultus in inferno, qui orat pro fratribus quinque viuis adhuc, in domo patris sui. Luc. 16. ne & ipsi venirent ad locum tormentorum, quam Waldenses hæretici, qui non orant pro defunctis.

CAP. XXII.

De sepultura in cœmeterio.

G Reprobat hæretici cœmeteria & alia loca sepulturæ.

Item dicunt hæretici Waldenses, quod non sit melius; corpus hominis defuncti sepeliri in cœmeterio, quam in alio quocunque agro, vel loco. Contra, S. Patriarcha Iacob in Ægypto defunctus, ibidem noluit sepeliri: sed, sicut habetur, Gen. 49. *Præcepit filiis suis dicens; Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici; quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre, in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: Ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.* Et, (sequitur cap. 50.) *fecerunt filij Iacob, sicut præceperat eis; & portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.*

Gen. 23.

Item, S. Ioseph prædicti S. Iacobi filius, ne quidem ossa sua dimitti voluit in Ægypto, licet, * post eius obitum, trecentis annis * primo fuerint efferenda. Gen. 50. in fine *locutus est Ioseph fratribus suis. Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Cumque adiurasset eos, & dixisset, Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto;* sequitur; *mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto:* vt videlicet suo tempore efferretur; quod & factum est Exod. 13. *Et armati ascenderunt filij Israel de Ægypto, tulitque Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel dicens; Visitabit vos Deus, & efferte ossa mea, hinc vobiscum.*

*M. S. Dissent. trecentos annos post eius mortem.

H

Item; Vna de grauibus maledictionibus, quas Dominus fecit propter peccata populi, erat, communiter sepeliri mortuos, & non in loco deputato. Ierem. 7. *Posuerunt offendicula in domo, in qua inuocatum est nomen meum, & polluerunt eam.* Et sequitur: *Ecce dies veniet dicit Dominus, & sepelientur in Thophet, eo quod non sit locus.* Thophet interpretatur * Gehenna prauorum; ad designandum, quod Waldenses hæretici, qui ponunt, communiter, & non specialiter esse sepeliendum, sepeliri debeant in inferno. Item Ierem. 19. *Hæc dicit Dominus exercituum; sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra*

*M.S.S. Nis. Ichenna pauoris

instau-

instaurari, & in Thophet sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum. Item, Ierem. 20. *Tu autem Phassur, & omnes habitatores tui ibitis in captiuitatem; & in Babylonem venies, & ibi morieris: ibique sepelieris tu & omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.* Vbi manifeste innuitur, melius esse, sepeliri in Hierusalem, quam in Babylone.

Item Hierem. 22. Ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda, *cui oculi & cor ad auaritiam, ad sanguinem innocentem effundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda: Non plangent eum; Væ frater, & væ soror; non concrepabunt ei. Væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefractus, & proiectus extra portas Hierusalem.* Et hæc est propria Waldensium; quare? Quia, non credunt melius esse in cœmeterio sepeliri, quam alias vbicunque, vbi debent ipsi cum asinis extra cœmiterium sepeliri. Item, Ezech. 39. *Ait Dominus Deus. Et erit in die illa, dabo Gog* (supple aduersus quem vaticinatus est Propheta in malum) *locum nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris.* Ecce, quoniam inimici Dei in viis sepeliuntur. Item Isa. 14. *Tu autem proiectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis.* Item ibid. *Quasi cadauer putridum, non habebis sepulturam.* Item, Ierem. 26. *Proiecit rex Ioachim cadauer Vriæ in sepulcrum vulgi ignobilis.* Item; Tobias cum esset iustus & sanctus mandauit filio suo Tobiæ de matris sepultura dicens; (Tob. 4.) *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Cum autem ipsa compleuerit tempus vitæ eius sepelias eam circa me.* Item, Ecclesiast. 6. *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos. & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ sepulturaque careat; de hoc ego pronuncio, quod melior illo sit abortiuus.*

Item, non solum ciues Hierosolymitani suam habebant sepulturam, imo ex pretio sanguinis Christi peregrinis comparata est. Matth. 26. Emerunt *ex illis* (denariis) *agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Item maritus Iudith sanctissimæ mulieris, *sepultus est cum Patribus suis.* Iud. 8. Item 3 Reg. 2. *Dormiuit Dauid cum Patribus suis & sepultus est in ciuitate Dauid.* De quo Petrus Actor. 2. dicit; *Et sepulcrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem.* Item 2. Paralipp. de sancto rege Ezechia dicitur: *Dormiuit Ezechias cum Patribus suis, & sepelierunt eum super sepulcra filiorum David.* Item 2. Paralipp. 35. de sancto Iosia rege scribitur; *Mortuus est, & sepultus in Mausoleo patrum suorum, & vniuersus Iuda & Hierusalem luxerunt eum.* Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices vsq; in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant. Item Ioannem Baptistam in carcere decollatum eius discipuli non vbilibet sepelierunt, sed in certo loco. Vnde Marc. 6. *Quo audito, venerunt discipuli eius, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumentum.*

Maximum vero testimonium accipimus à Domino nostro IESV Christo, qui maiorem charitatem, imo maximam, qua maiorem nemo potest habere, habuit; vt pro amicis & inimicis animam suam poneret. Ioan. 15. Hic talis, ac tantus, si nouissimis nobis salubre, vel vtile, vel honestum fuisset, ipse vtique communiter, & miserabiliter permisisset sepeliri corpus eius mortuum; quod tot suppliciis & blasphemiis, & illusionibus, & flagellationibus & crucifixionibus & miseriis aliis exposuit viuum. *Non sic impii, non sic.* Sed secundum Isaiæ vaticinium 11. c. *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Et in Psalm. 75. *In pace factus est locus eius.* Is, qui pro nobis mortuus miserabiliter; sepultus est gloriose & solenniter, non solum quoad sepulturam, imo, quantum ad sepulturæ modum. Non à personis vulgaribus, imo etiam secundum sæculi dignitatem, nobilibus & famosis, quorum Ioseph ab Arimathia secularis, Nicodemus cooperarius eius spiritualis erat. De Ioseph Matth. 27. *Venit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph.* Marc. 15. *Venit nobilis decurio, & audacter introiit ad Pilatum & petiit corpus IESV.* Luc. 23. *Vir bonus & iustus, hic non consentiebat consilio & actibus Iudæorum.* Matth. 27. *Quia & ipse erat exspectans regnum DEI.* De Nicodemo scribitur Ioann. 3. *Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.* Qui Ioann. 7. maledicentibus Iudæis & principibus turbas credentes in IESVM, dixit; *Nunquam lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso prius & cognouerit, quid faciat?* De illo scribitur Ioan. 19. *Venit autem & Nicodemus, qui venit ad IESVM nocte primum ferens misturam myrrhæ & aloes.* Ecce officium veri spiritualis. De Ioseph seculari. Marc. 15. *Mercatus sindonem.* Matth. 27. *Inuoluit illud in Sindonem mundam, & posuit illud in monumento nouo; quod exciderat in petra.* Ioan. 19. *Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Luc. 23. *Et posuit illud in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Similiter Ioan. 19.

Item, Maria Magdalena commendatur à Domino, propter opus sepulturæ. Matth. 26. *Bonum opus operata est in me mittens mulier hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Marc. 14. *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Ioann. 12. *Sinite illam, vt in die sepulturæ meæ seruet illud.* Item, Tobias commendatus est propter sepulturam, Tob. 12. Item 2. Reg. 2. *Et nunciatum est, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul, dixitque per nuncios ad eos. Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam vobis gratiam, eo quod feceritis verbum istud.*

Item 3. Reg. 13. dicitur ad virum DEI qui venit de Iuda. *Hæc dicit Dominus; quia non obediens fuisti ori Domini, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepi tibi, ne comederes panem, nec biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchro patrum tuorum.* Item Iosias Rex bonus pepercit monumento, in quo iacebat Propheta. 4. Reg. 23. *Nemo commoueat ossa eius.* Ecce Waldensis hæretice in prædictis habes plane melius & salubrius esse quemlibet fidelem defunctum sepeliri in cœmeterio, quam in agro, vel in alio communi loco.

CAP. XXIII.

De incredulitate consecrationis Ecclesiæ.

DIcunt Waldenses hæretici, Ecclesiam materialem ab Episcopo Catholico dedicatam, seu consecratam, *non fore, quacunque alia domo, meliorem, sanctiorem, vel digniorem, cum vbique DEVS possit, ac debeat adorari, & sibi seruiri.* Respondeo: quod quando quis ex rationabili causa præpeditus non potest ad Ecclesiam pertingere; potest Deum in domo adorare; & hoc Ecclesia Catholica non reprobat, sed solum contemptum, quem hæresiarchæ magistri eorum superinduxerunt, & credentes eorum acceperunt.

Quod autem Ecclesia materialis consecrata ab Episcopo Catholico dignior sit aliis domibus; & oblationes & orationes ibi factæ Deo (sint) acceptabiliores, hoc sufficienter potest probari ex vtroque Testamento. Et primo ex Veteri. Deut. 12. *Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi.* Ex quo habetur, quod non solum in Ecclesia consecrata, imo in parochia, imo in propria parochia, * Deus velit gratius honorari. Item Exod. 23. *Primitias frugum terræ deferes in domum DEI tui.* Et Isa. 2. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius; quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Ecce quod prædicatio & doctrina debent quæri, & fieri in Ecclesia, non in molendino, non in horreo, non in angulo. Item, Ierem. 7. Irascitur Dominus de inhonoratione domus suæ dicens; *Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?* Item Zach. 14 *Et non erit mercator vltra in domo Domini exercituum.*

* *M. S. S.* Nic. acceptius est sacrificium orationis, & oblationis Domino.

Item ad magnam commendationem templi materialis scriptum est. 1. Paral. 22. dicente Dauid ad Salomonem; *Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini mei; sed factus est ad me sermo Domini dicens; Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti; non poteris ædificare domum*

nomini

A *nomini meo, tanto effuso sanguine; dixitque mihi; filius, qui nascetur ex te, erit vir quietissimus, cumque faciam requiescere ab inimicis suis per circuitum; & ob hanc causam pacificus vocabitur; & pacem & otium dabo in Israel, cunctis diebus eius, ipse ædificabit domum nomini meo,* &c. *Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te,* &c. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domo Domini, auri talēta centum millia, & argenti mille millia talētorum,* &c. Non est contemnenda talis domus, quam ædificare talis Propheta & Rex non erat dignus: quamq. solum modo filius eius tanta sumptuositate, tanta diligentia ædificauit, iuxta Domini Dei voluntatem, sicut habetur 3. Reg. 6. & 7. De qua eiusdem 9. dixit Dominus ad Salomonem; *Sanctificaui domum hāc, quam ædificasti, vt ponerem nomē meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Et cap. 8. dixit Rex Salomon ad Dominum; *sint oculi tui aperti super domum hāc die ac nocte, vt exaudias orationem, quam orat ad te seruus tuus in loco isto.* Et ostendit, ibi esse orandum pro pace, pro pluuia, pro fame auferenda, & multa similia: Et quod etiam alie-B nigenæ in illa domo orantes exaudiantur.

Item, vna & magna inter maledictiones propter peccata in peccantes, erat illius gloriosi materialis templi dissolutio. Eiusdem 3. Reg. 9. *Si auersione auersi fueritis vos & filij vestri, non sequētes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis, &c. erit Israel in prouerbium, & in fabulam cūctis populis. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui trāsierit per eam, stupebit, & sibilabit & dicet. Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? Et respōdebunt; quia dereliquerunt Dominum Deum suum, &c. Idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc.* Et Matth. 23. post multa væ, concluditur: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Item, Ioel. 1. *Sāctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri; & clamate ad Dominum; a, a, a, prope est dies Domini, & vastitas à potente veniet. Accingite vos, & plangite, & plangite Sacerdotes, vlulate ministri altaris; ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei; quoniam interiit* C *de domo Dei vestri sacrificium & libatio.* Item in bono. Mich. 4. *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius; quia de Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Item Aggæi. 1. Populus iste dicit, *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est Verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens; Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Ponite ergo corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, & portate ligna, & ædificate domum; & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus; & intulistis in domum, & exsufflaui illud. Quam ob causam, dicit Dominus exercituum: quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum. Et vocaui siccitatem super terram, & super montes & super triticum, & super vinum,* D *& super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta & super omnem laborem manuum.*

Ecce vos nequam hæretici VValdenses, quanta mala patitur mundus propter vos, qui detrahitis domibus Dei, & Ecclesiis, & eius sanctis. Item, Amos 2. *Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam eum,* &c. *quia vinum damnatorum biberunt in domo Dei sui.* Item ad honorem templi scribitur de Athalia interfectrice omnis seminis regii 4. Reg. 9. *Dixit Sacerdos Ioiada, non occidatur in templo Domini.* Item Ezechias conualescens iussus est venire ad templum Domini. 4. Reg. 20. *Dixit Isaias ad ipsum: Hæc dicit Dominus. Ecce sanaui te; die tertia ascendes & addam diebus tuis annos quindecim:* Item Tobias commendatus est, Tob. 1. *Hic solus fugiebat consortia omnium,* scilicet malorum, *& pergebat ad Hierusalem ad templum Domini; & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas fideliter offerens.* Item, Iudith. 4. *Audientes filii Israel,* scilicet tyrannidem Holophernis, *timuerunt valde à facie eius, tremor & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Hierusalem & templo Domini, quod fecerat aliis* E *ciuitatibus & templis eorum; & induerunt se sacerdotes ciliciis, & in facies prostrauerunt se ante faciem templi Domini.* Item Sap. 3. de felice sterili & incoinquinata; *Dabitur illi fidei donum electum; & sors in templo Dei acceptissima.*

Item irascitur Dominus non bene confidentibus de templo propter ipsius sanctitatem: Ierem. 7. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes; templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Item Psalm. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Item Psal. 10. *Dominus in templo sancto suo.* Item, 21. *In medio Ecclesiæ laudabo te.* Item, 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Item, 28. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Item, 27. *Confitebor tibi in Ecclesia magna.* Item, 44. *Adducentur in templum regis.* Item, 47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Item, 67. *In Ecclesiis benedicite Domino.* Item, 65. *Introibimus in domum tuam in holocaustis,* &c. Item, 78. *Deus venerunt gentes,* id est hæretici, Waldenses scilicet, *polluerunt templum sanctum tuum.* Item, 88. *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, etenim* F *veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.* Item, 117. *Benediximus vobis de domo Domini.* Item, 121. *In domum Domini ibimus.* Item, 131. *Iurauit Domino Dauid, votum vouit Deo Iacob, quoniam inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Item, 133. & 134. *Qui statis in domo Domini.* Item, 137. *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Item in laudibus gloriosi Simeonis, Eccles. 50. *Simeon Oniæ filius Sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.* Et postea, *quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.*

Post probationes allegatas ex veteri Testamento, audi eas, quæ possunt allegari ex nouo. Primo, natiuitas Ioannis præcursoris Christi annunciata est in templo Domini. Lucæ 1. Item B. Maria portauit filium suum in templum. Lucæ 2. Anna vidua commendata est; quia non discedebat de templo. Item, parentes Christi post triduum inuenerunt eum in templo. Luc. 2. Item, Christus facto de G funiculis flagello eiecit vendentes & ementes, de templo. Ioan. 2. *Et dixit; Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Item, Ioan. 7. *Iam die festo mediante ascendit Iesus in templum & docebat.* Item ibid. 7. *Clamabat ergo docens in templo, Iesus;* non in horreo, non in molendino; clamabat, non silebat. Item, Ioan. 8. *Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum.* Item ibid. *Hæc verba locutus est in Gazophylacio docens in templo.* Item Luc. 18. *Duo homines ascenderunt in templum:* non in horreum, non in molendinum; *vt orarent.* Item, Matth. 21. *Et intrauit in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo,* &c. *& dicit eis, domus mea domus Orationis vocabitur* &c. *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.* Nunquam legitur, Christum tantum ostendisse zelum. Vnde pro illa eiectione scribitur Ioan. 2. *Recordati sunt discipuli eius; quia scriptum est; Zelus domus tuæ comedit me.* Et Marc. 11. *Et non sinebat, vt quisque portaret vas per templum. Et docebat eos Dominus.* Nonne scriptum est: *quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus?* Ergo vos Waldenses hæretici nihil estis; quia, H nullius gentis estis: quia Ecclesiam Dei contemnitis.

Item, Matth. 26. dicit Christus Iudæis: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo.* Et Ioan. 18. *Ego semper docui in Synagoga, & in templo, in quo omnes Iudæi conueniunt.* Vnde Luc. 21. *Et omnis populus manicabat in templo audiens eum.* Item, Act. 3. *Petrus & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam: & claudus sanatus intrauit cum illis in templum laudans Deum.* Item, Actor. 5. *Adueniens quidam annunciauit in principibus sacerdotum dicens: quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes & docentes populum.* Quia igitur templi tanta est commendatio & dignitas; ideo merito scribitur in Psalm. 92. *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.*

A

Cap. XXIV.

*De * incredulitate altaris consecrati.*

* M. S. S. Nic. De altariis.

ITem Waldenses hæretici reprobant altaria in Ecclesia consecrata. Contra ex veteri Testamento. Psalm, 25. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Item, Psalm. 42. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Item, Psal. 83. *Altaria tua Domine virtutum.* Item, 117. *Constituite diem solemnem, in condensis, vsque ad cornu altaris.* Item, Sap. 9. *Deus Patrum meorum, & Domine misericordiæ,* &c. *& dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare.* Item, Eccles. 35. *Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi.* Item, in laudibus Dauid, Eccles. 47. *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modulos.* Et in laudibus Simonis sacerdotis magni. Eccles. 50. *In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.* Item ibid. *Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso principi.* Item

B

Isa. 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari & tetigit os meum.* Item, Isa. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti,* &c. *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Item, Isa. 56. *Lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia, domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus.* Itē Threnor. 2. deplorat Ieremias dicens: *Repulit Dominus altare suum.* Item in signum maledictionis. Oseæ 3. *Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari,* &c. Item, Ioel. 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Item, Amos. 9. *Vidi Dominum stantem super altare: & dixit percute cardinem, & commoueantur superliminaria.* Item in nouo Testamento Matth. 5. dicit Dominus Iesus. *Si offers munus tuum ad altare,* &c.

C

O cæce Waldensis hæretice, (in) hoc obdormiuisti. Ecce Christus acceptat altare; & tu reprobas: ergo contrariaris ei. Item Matth. 23. *Cæci, quod maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?* Ecce hæretice, quod altare est sanctum, aliàs non posset sanctificare donum. Item ibidem: *quem* (Zachariam) *occidistis inter templum & altare.* Et Luc. 1. *Apparuit Zachariæ Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Item 1. ad Cor. 9. *Et qui altari deseruiunt, cum altari participant.* Item ibid. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Item, Iac. 2. *Abraham pater noster nonne est ex operibus iustificatus offerens filium suum Isaac super altare?* Ecce tot sunt commendationes altaris. Item Apoc. 6. *Et cum aperuisset quartum sigillum, vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Item Apo. 9. *Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei.* Item Apoc. 11. *Datus est mihi calamus similis virgæ: & dictum est mihi; surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.* Adhuc in veteri Testamento, pluries, quam centies, inuenies de altari testimonium.

D

Cap. XXV.

De incredulitate vestium sacerdotalium, salis & aquæ, cinerum & aliorum.

ITem reprobant Waldenses hęretici consecrationes vestium sacerdotalium, & pontificalium, aquæ, salis, cinerum, candelarum, ciborum tempore Paschali, & omnium aliorum, quæ per Episcopos & sacerdotes consecrantur: Et etiam consecrationes Episcoporum, Sacerdotum, Ecclesiarum, Altarium, Cœmeteriorum, aquæ baptismalis, chrismatis & olei vnctiones, palmarum, frondium & herbarum, dicentes illas res taliter consecratas nil omnino singularis sanctitatis ex illis verbis percipere, licet verba in se sancta sint & bona.

Contra quæ in vniuerso illud est, quod, ex quo verba consecrationis corporis Christi istam habent virtutem, quod transsubstantiant panem & vinum in corpus Christi, & sanguinem; habent etiam verba illa sancta, quibus pontifices & sacerdotes Catholici consecrant & benedicunt, virtutem conferendi rebus consecratis, & taliter benedictis aliquid singularis sanctitatis. Et, si dicunt, *res irrationales non possunt capere aliquid sanctitatis,* quod non possūt dicere contra consecrationes Episcoporum, vel sacerdotum; qui sunt creaturæ rationales. Relinquitur ergo, quod sacerdotes, & Episcopi rite ordinati, sancti sint. A quibus etiam hæretici, tam magistri, quam credentes percipiunt illa notanter Sacramenta, scilicet Baptismum & corpus Christi, quæ credentes à suis magistris rarissime, vel nunquam percipiunt.

E

Sed & hoc falsum est, quod dicunt, rem irrationalem omnino nihil posse sanctitatis percipere; cum superius sępissime probatum sit, templum esse sanctum, altare esse (sanctum.) Præterea videamus scripturas. Nonne Exod. 3. Appropinquans Dominus Moysi in flamma ignis in medio rubi dixit; *Ne appropinques huc. Solue calciamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et illa terra fuit irrationalis creatura. Nonne arca fœderis Domini sancta erat, propter cuius contractum Oza mortuus est, percutiēte eum Domino super temeritate sua. 2. Reg. 6. Item, Exo. 28. dixit Dominus ad Moysen; *Applica ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis, de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi,* &c. *Faciesque vestem sanctam fratri tuo, in gloriam & decorem; Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron: in quibus sanctificatus ministret mihi.* Et ponuntur ibi nobilissimæ materiæ, aurum, hyacinthus, purpura, coccus bis tinctus, byssus retorta opere polymito, & sex nomina filiorum Israel, in lapide onychino vno; sex reliqua, in altero, opere sculptoris & cælatura gemmarij sculpi iussit, & auro includi & circumdati, & alia multa dicuntur ibidem de sanctis vestibus gloriosa. Item, Exod. 40. *Applicabisque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.*

F

G

Nisi igitur, tu hæretice, credas, Catholicos presbyteros & sacerdotes vngi, & consecrari; vel oportebit te dicere, quod sacerdotium omne cessauerit; vel, quod verum sacerdotium sit apud Iudæos: quorum vtrumque falsum est; quia sacerdotium Iudæorum est secundum ordinem Aaron: sed verum sacerdotium & æternum est secundum ordinem Melchisedech, sicut ad Christum dicitur, Psalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sicut istam materiam B. Paulus clare pertractat dicens ad Hebr. 7. *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem,* scilicet Dominus Iesus, *cum iureiurando.*

Etiam non solùm sacerdotes, & vestimenta eorum, imo, omnia quæ ad diuinum cultum pertinebant, consecrabantur, Exod. 40. *Assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur: altare holocausti, & omnia vasa eius; labrum cum basi sua; omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint sancta sanctorum.*

H

Ex quibus omnibus patet; Ecclesiarum, cœmeteriorū, ararum, palmarum, campanarum, cinerum, candelarum, herbarum, & omnium aliorum, quæ in Ecclesia per verba sancta consecrantur, sanctitas, dignitas & vtilitas; quæ Ecclesiæ fidelibus in terrorem dæmonum cōmendantur in vsum; quæ, & multa alia, habent virtutem terrendi dæmones. Vnde Tob. 6. dixit iunior Tobias ad angelum; *Obsecro te, Azaria frater, vt dicas mihi; quod remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussisti? Et respondens Angelus dixit ei: Cordis eius particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.*

Cap. XXVI.

De incredulitate dedicationis Ecclesiarum.

DE dedicationibus Ecclesiarum habetur. 3. Reg. 8. *Igitur Rex,* scilicet Salomon, *& omnis Israel cum eo, immolabant*

A *labant victimas coram Domino, &c. & dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israel. In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini.* Item, 1. Machab. 4. *Dixit autem Iudas ad fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renouare. Et congregatus est omnis exercitus; & ascenderunt in montem Sion. Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, & pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum & ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerunt tubis signorum, & clamauerunt in cœlum. Tunc ordinauit Iudas viros, vt pugnarent aduersus eos, qui erant in arce, donec emundarent sancta. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege DEI & mundauerunt sancta, &c. Et ædificauerunt altare nouum secundum illud, quod fuit prius; & ædificauerunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus; & ædem, & atria sanctificauerunt. Et fecerunt vasa sancta noua, &c. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, &c.*

B *Et ornauerunt faciem templi coronis aureis & scutulis & dedicauerunt portas & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas,* &c. *Et statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum per dies octo, &c. cum lætitia & gaudio.*

Ecce, mendax hæretice, qui mentiris contra Ecclesiam Catholicam; quasi dedicationes & consecrationes prædictæ sint inanes; & p prælatos Ecclesiæ propter auaritiã adinuentæ. Nonne legisti, Ioan. 10. *Facta sunt encænia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat IESVS in templo, in porticu Salomonis.* Ille vero non contradixit sanctis festiuitatibus, sed Iudæorum peruersis actionibus. Item aduerte quid scribat Paulus ad Hebr. 9. *tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam Testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea, habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testa-*

C *menti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.*

Ecce Waldensis hæretice, quod placitum fuit Domino seruari manna, virgam Aaron, & tabulas Moysi, in signum & recordationem diuinorum beneficiorum in manna; sacerdotij legalis in virga, quæ fronduerat; diuinorum præceptorum in tabulis Testamenti. Sic reseruat Ecclesia clauos Christi, lanceam, coronam, mensale, tunicam inconsutilem, & alia signa Dominicæ Passionis, & etiam aliorum sanctorum DEI; vt viuentes Christiani, illis incitentur ad deuotionem, ad Dominicæ Passionis recordationem, & gratiarum actionem, ad sanctorum DEI imitationem, & illa honorent vt sancta. Si enim sancta fuerunt illa in veteri Testamento, quæ fuerunt figura & vmbræ futurorum; multo plus ipsa figurata, & corpore Christi & sanguine cõtacta, vel sanctorum ipsius, vt sancta creduntur, & honorãtur. Sed tu Waldensis hæretice surde & mute, aride, stolide, vt asinus, nullam deuotionem consequeris; quia non

D quæris.

CAPVT XXVII.

*M.S.S. Nic. De cantu, organis, & aliis musicis.

*De * incredulitate cantus Ecclesiæ.*

ITem reprobant cantus Ecclesiæ, siue organorum, siue hominum & aliorum instrumentorum musicalium. Contra: Psal. 12. *Cantabo Domino, quia bona tribuit mihi.* Item Psal. 20. *Cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Item, Psal. 74. *Cantabo Deo Iacob.* Item, 26. *Cantabo & psalmum dicam Domino.* Item, 28. *Et cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Item, 59. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam.* Item, 67. *Cantate Domino, psalmum dicite nomini eius.* Item, 67. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam.* Item ibidem, *Exultabunt labia mea, cum cantauero tibi.* Item 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Item, 95. *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius.*

O vos illiterati hæretici, vos Waldenses hæretici, non-

E ne videtis hic tria *Cantate* ad honorem indiuiduæ Trinitatis? quia post tria *Cantate* subiungitur; *& benedicite nomini eius,* in singulari; quia vnus est Deus in Trinitate personarũ. Item, Psalm. 97. *Cantate Domino canticum nouum quia mirabilia fecit.* Item ibid. *Cantate & exultate, & psallite.* Item, 104. *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum: iocundum sit ei eloquium meum.* Item, 106. *Cantate ei, & psallite ei.* Item 107. *Cantabo & psallam in gloria mea.* Item, 136. *Et cantent in viis Domini.* Item, 143. *Deus canticum nouum cantabo tibi.* Item, 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Item, 1. Paral. 15. *Dauid erat indutus stola byssina, & vniuersi Leuitæ, qui parabant arcam fœderis, cantoresque, & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: Dauid autem etiam indutus erat Ephod lineo. Vniuersusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes.* Item, 2. Paral. 20. *Stans Iosaphat in medio filiorum Israel, dixit; Audite me viri Iuda; & omnes habitatores Ierusalem. Credite in Domino Deo ve-*

F *stro, & securi eritis; credite Prophetis eius, & cuncta prospera. Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent; Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Amon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerunt, vt pugnarent contra Iudam & percussi sunt.*

Ecce Waldensis hæretice, quod non solum in Ecclesiis; imo in processionibus cantandum est Domino, & orandũ tempore belli, famis, pestilentiæ, & aliarum tribulationum, sicut facit sancta Romana Ecclesia. Vnde Moyses, post transitum rubri maris ibidem fecit, Exod. 15. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est,* &c.

Item ibidem; *Sumpsit autem Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu, egressæque sunt mulieres omnes post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens; Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascẽsorem proiecit in mare.* Et post victimam Iud. 5. scribitur, tunc cecinit Debora,

G *Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel,* &c. *Surge, surge Debora, surge, surge & loquere canticum.* Item in nouo Testamento, Matt. 21. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, Osanna filio Dauid; benedictus, qui venit in nomine Domini,* &c. Ioan. 12. *Rex Israel,* &c. Luc. 19. *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Mar. 11. *Benedictus qui venit in regnum Patris nostri Dauid.*

Matth. 21. in persona Waldensium hæreticorum dicentium, Deum laudare debere sine clamore, vt cantu scribitur: *Videntes Scribæ & Pharisæi mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes & dicentes; Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis, quid isti dicũt?* Luc. 19. *Magister, increpa illos. Quibus ille dixit; Dico vobis, quia si hi tacuerunt, lapides clamabunt,* Matt. 21 *Cum dixissent; audis, quid isti dicunt? Iesus dixit eis; vtique. Nunquam legistis; quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Et ex quo Deus præcepit nobis, vt eum diligamus toto corde, & tota anima, & tota mente, totis viribus, tota fortitudine. Deut. 6. Matth. 22. Et ex quo cantare so-

H lius rationalis naturæ donum est; quomodo eum tota virtute, totis viribus, tota fortitudine diligeremus, si ei nunquam cantaremus? An non requirit cantus, virtutes, vires, & fortitudines? imo plurimas. Vnde aliàs haberent monachi *Infirmarias,* in quibus reficiuntur; nisi quia sæpissime ex multo cantu grauiter infirmantur.

Sed tu mute Waldensis hæretice, nunquam laboras, nunquam cantas, nũquam ad raucedinem illi clamas; qui dicit; *Laboraui, & raucæ factæ sunt fauces meæ.* Sed Ecclesia Catholica fidelis dicit; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Et respondet: *Calicẽ salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Clamabo ad Deũ altissimũ, ad Dominũ, qui benefecit mihi. Ad Dominum cum tribularer, clamaui, Iubilate Deo in voce exultationis. Psalmos nostros cantabimus cunctis dieb. vitæ nostræ in domo Domini. Ad ipsũ ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea Bene psallite ei in vociferatione. Sumite psalmũ, & date tympanũ. psalteriũ iocundũ cum cithara. Buccinate in Neomenia tuba, insigni die solennitatis vestræ. Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara Laudate eum in tympano & choro; laudate*

A *date eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. Laudate eum in cymbalis iubilationis.*

Nec valet allegatio tua, Waldensis hæretice, ad Ephes. 5. *Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis, in psalmis & canticis spiritualibus & hymnis cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Quia B. Paulus per hæc verba non excludit canticum oris; quod cantum, & quod os Deus ita creauit sibi in laudem, sicut cor. Corde igitur amari, & ore debet cantari.

Item, vita æterna sæpissime describitur per iocunditatem cantus. Apoc. 5. *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas & phyalas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum; Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, qui occisus es, & redemisti nos DEO in sanguine tuo.* Item. 14. *Et vocem, quam audiui sicut citharœdorum, citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores.* B *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Item. 15. *Vidi eos, qui vicerunt bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, habentes citharas DEI, & cantantes canticum Moysi serui DEI & canticum Agni, dicentes; Magna & mirabilia sunt opera tua Domine DEVS omnipotens: iusta & vera sunt viæ tuæ Domine Rex sæculorum.* Item, Isai. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte perpetuo non tacebunt.* Et Tob. 13. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Hierusalem.* Sequitur; *Et per vicos eius alleluia cantabitur.* Illis ergo cælicis* cantoribus Hierusalem triumphantis conformant se pro posse cantores terreni Hierusalem militantis, donec sine labore & fatigatione, sine raucedine cum Cherubim & Seraphim, thronis & dominationibus, principatibus & potestatibus, virtutibus, Archangelis & Angelis, & omni militia cœli hymnum gloriæ Dei sine fine decantent dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

*cantationibus.

C

Cap. XXVIII.

De incredulitate horarum Canonicarum.*

*M. S. S. Nic. De horis Canonicis.

ITem dicunt Waldenses hæretici, *horas Canonicas, & omnes alias orationes, irritas & inanes, excepto solo* Pater noster: imo dicunt, *plane nihil aliud orandum esse, quam* Pater noster: *&, quod omnia alia, quæ dicuntur & leguntur in Missa, non sint institutionis diuinæ sed humanæ, solis verbis consecrationis, &* Pater noster *excepti*.

Respondetur, à parte Ecclesiæ Catholicæ; Non teipsum intelligis Waldensis Hæretice, cum dicis nihil aliud orandum esse, quam *Pater noster*. Nescis, quod dicis. Immo sic dicas, nil aliud potest orari, quam *Pater noster*? Sed hoc, cum dicis, sane intelligas. Si enim formam verborum aduertis, falsum dicis: si sensum, dicis verum. Nam secundum D verborũ sensum, impossibile est aliquid aliud debite posse orari, quam hoc, quod sensus verborum de *Pater noster* intendit. Non enim verisimile est: quando iste summus dictator, summe sapiens & summe bonus omnia petibilia in *Pater noster* non comprehenderit, & eandem suos fideles orare docuerit. Et ideo, nihil aliud potest peti, quod non in oratione *Pater noster* valeat comprehẽdi. Sed forma verborum, licet sententiam aliarum orationum non diuersificet; tamen dictum tuum secundum intellectum tuum, falsum erit, qui dicis nihil aliud orandum esse, quam *Pater noster*; cum inuideas ordinatissimis institutionibus Ecclesiæ, quas tenet in celebratione Missarum, & officiis horarum Canonicarum. Restat igitur ostendere, quod licet Matt. 6. Christus Dominus Dixit; *Sic vos orabitis: Pater noster*, &c. Eius voluntas non fuit, quod omnis alia oratio, quæ formam verborum illius orationis non habet, inutilis sit: cum plurimi amicorum Dei ante aduentum Christi & ante *Pater noster*. Deo placitissimas orationes fuderint, & exauditi sint. 1. Gen. 20. orante Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxores, ancillasque, & pepererunt. Num putas Hæretice, quod licet Abraham famulus & amicus Dei *Pater noster* non orauerit, contra Dominum fuerit? Item, E Exod. 4. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Item Exo. 32. dixit Moyses ad Dominum; *Obsecro peccauit populus iste peccatum magnum, feceruntque Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* Item, 33. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi viam tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos; respice populum tuum gentem hanc.* Item, 34. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multum misericors, & verax, si inueni gratiam in conspectu tuo; obsecro, vt gradiaris nobiscum.* Item, Exod. 17. Orante Moyse, & leuante manus vincebat Israel; si autem paululum remisisset, superabat Amalech. Item, orauit Anna sancta mater Samuelis deuotas orationes, 1. Reg. 1. Dauid, 2. Reg. 22. *Dominus petra mea & robur meum, & Saluator meus.* Item, deuotissimam orationem fecit Salomon 3. Reg. 8. & *Pater noster* non nouit. Item Tob. 11. *Quando orabas cum lacrymis*, &c. dixit Angelus Raphael. Ecce Tobias deuote orat, qui *Pater noster* ignorauit. Item castissima Iudith deuotissime orat, Iudith. 9. Item fidelis F Hester, deuote orat. Hest. 5. Item Mardochæus deuotam orationem fecit. Hest. 12. Item non est breuiter dicibile, quot orationes deuotas Dauid in Psalterio fecerit, antequam *Pater noster* fuit. Item solennissimam orationem ponit liber Sapientiæ: Sap. 9. Et Danie. 9. ponitur multum deuota oratio. Item, Isa. 33. *Domine miserere nostri; te enim expectauimus: esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.* Item, Ierem. 9. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos ne derelinquas nos Domine Deus noster.* Item, Thre. 4. *Recordare, quid acciderit nobis.* Item, Bar. 2. per magnum passum. Item, 1. Machab. 21. orationem faciebant sacerdotes.

Item de nouo Testamento. Luc. 1. *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua* Item, Luc. 2. *Anna non discedebat de templo ieiuniis & orationib. seruiens die ac nocte; adhuc Pater noster non fuerat.* Item in Euangelio multi Dominum orauerunt aliis verbis, quam *Pater noster*. Matth. 8. *Domine si vis, potes me mundare.* Item ibidem. *Domine non sum* G *dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Item Ibidem *Domine salua nos, perimus.* Item, Matth. 9. *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, & impone manum super eam, & viuet.* Item, 15. *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.* Item, 17. *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur.* Item, 20. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram in regno tuo.* Item Ibid. *Domine miserere nostri fili Dauid.* Item, Matth. 25. *Domine Domine aperi nobis.*

Item, Dominus per se ipsum aliud sæpe orauit, quam *Pater noster*. Vnde Matth. 26. *procidit in faciem suam orans & dicens; Mi Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Item; *Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat volũtas tua.* Item, Luc. 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Item, Ioan. 17. per totum Capitulum, solennissime deprecatus est patrem Iesus; & tamen formam verborum de H *Pater noster* non seruauit. Item, Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Item, Matth. 27. *Heli Heli lama sabathani.* Item, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo* spiritum meum.

Cap. XXIX.

Probatio horarum Canonicarum.

INstitutionem horarum Canonicarum non humanam, sed diuinam fore, probatur per scripturam. Psalm. 98. *Septies in die laudem dixi tibi.* Item, Act. 3. *Petrus autem & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.* Instituit ergo sancta mater Ecclesia septem horas Canonicas propter insignia Dominicæ passionis, & memoriam eiusdem. Matutinas canit, eo quod Christus homo tali hora captus est & ligatus. Primas, eo quod Annæ & Caiphæ & Pilato est præsentatus, ligatus, alapatus, calaphizatus est. Tertias, eo quod flagellatus, coronatus, purpuram indutus & alia multa passus est. Sextas, eo quod tali hora cruci-

crucifixus est, aceto potatus, à Latrone, à Iudæis & alijs multis blasphematus. Nonas, eo quod tali hora mortuus est, *Heli* clamans, & lancea latus eius perforatum est, sol obscuratus est, & alia multa facta sunt. Vesperas, eo quod hora tali de cruce positus est. Completorium, eo quod hora tali in sepulchro positus est. Item Paulus 1. Tim. 2. *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus fidelibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti: vt quietam & tanquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.*

Secundum quos quatuor modos petitiones factæ Missæ sunt ordinatę. Nam obsecrationibus petimus nobis auferri mala, adducendo quasi per modum admirationis, & magnæ admonitionis quoddam magnum nobis à Deo exhibitum (* beneficium) dicendo; *per crucem & passionem tuam libera nos Domine.* Has obsecrationes facit Ecclesia in ipsis collectis Missæ; quas concludit, *per Dominum nostrum Iesum Christum.* Item, in orationibus petimus nobis conferri gratiam spiritualem, & deuotionem conficiendi corpus Christi, sicut facimus in orationibus secretis ante præfationem. *Postulationibus* petimus beneficia, & spiritualia & temporalia nobis præstari virtute diuini Sacramenti: sicut facimus in *agnus Dei*, dicentes; *miserere nobis*, &c. *dona nobis pacem.* Tandem vltimis collectis, quas *complendas* vocamus, agimus gratias pro perceptis beneficijs Ergo ordinationes Missarum, & omnium orationum & signorum agendorum & dicendorum, sunt rite & rationabiliter institutæ, sicut de ipsis * speciales libri & bene magni sunt conscripti.

** Hæc vox necessaria abest ab vtroque M. S. S.*

** M.S.S. Nic. spirituales.*

Cap. XXX.

De * incredulitate indulgentiarum.

** De Indulgentijs.*

ITem reprobant *hæretici VValdenses* Indulgentias prælatorum Ecclesiæ: peregrinationes ad limina sanctorum, & annum iubilæum. Et non mirum, si hæc non credunt; quia, non credunt ea, de quibus hæc proueniunt. Indulgentiales enim gratiæ & veniæ fluunt ad nos de fonte & riuulis. Fons est meritum Domini nostri Iesu Christi. Riuuli sunt merita sanctorum Dei, inter quos vnus est, qui non tantum riuulus, aut riuus, sed fluuius maximus poterit & debet appellari, illa videlicet Beata Dei Genitrix semper Virgo Maria.

De omnium generalium riuulorum fonte Domino nostro Iesu Christo scribitur Ioan. 3. *Qui de cœlo venit, super omnes est. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Et Ioan. 17. dicit filius ad patrem; *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; vt, omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Item ibidem: *Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt.* Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et sic ipse gratia plenissimus Christus caput est Ecclesiæ, cuius omnes electi sunt membra. A Christo autem fluunt flumina gratiarum in eius membra. Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Item, Psalm. 67. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem.* Item, Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Item, Ioan. 1. *Et de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ecce qualiter Christus fons est gratiarum, per quem solum, & ante quem per nullum gratia mundo facta est, illa gratia, quæ ad vitam perducit æternam. Vnde Psalm. 39. dicit filius ad patrem; *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti; tunc dixi ecce venio.* Vt scilicet, ego solus, tanquam fons, & origo salutis humani generis, sacrificium & sacerdos essem pro redemptione totius mundi. Vnde 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi.* Item 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Hic autem fons largissimus propitiationis, reconciliationis & salutis, aquas gratiarum in semetipso continere nec * volens, nec potens, *propter nimiam suam charitatem, qua dilexit nos,* voluit nos eius gratiæ & indulgentiæ participes fieri largissime. Vnde Ioan. 7. *In nouissimo autem die magnæ festiuitatis stabat Iesus & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me; & bibat; qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego do ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Item, Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas & qui non habetis argentum, properate, venite, emite absque argento, & sine vlla commutatione vinum & lac.* Ecce, quam largiter, quam libenter Christus nobis impertitur gratiam suam. Ioan. 6. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eijciam foras.*

** Sic. M. S. S. Nic. Diessens. valens.*

Nunc de riuulis audiamus. Deus indulgentiarum Dominus, cum illam summam & maximam indulgentiam facere decreuisset, vt toti mundo peccata relaxare vellet, ad quem vnigenitum suum mittere dignatus est. Dominum enim Iesum Christum ipse per Patriarcharum figuras, & Prophetarum scripturas eius prænunciare aduentũ voluit: quorum præsagia quicunque vel audire, vel credere contempserunt, æterna morte perierunt, & nullas omnino indulgentias consecuti sunt; quia, de primęuis riuulis Dominicæ annunciationis pocula futuræ salutis haurire neglexerunt. Hos omnes Deus pater, vineæ Dominus, vere malos agricolas perdidit male, vt habetur Matth. 21. Et Rex, nuptiarum filij sui contemptores, abiecit, & nullas indulgentias dedit, imo non vestitum nuptialiter, licet intrauit, damnauit.

Alios vero riuos emanare de se fonte ipse Dei filius & suæ mortalitatis tempore, & adeptæ immortalitatis post resurrectionem suam fecit sanctos videlicet Apostolos. Et quicunque de ipsorum fontalibus riuulis non biberunt; similiter æterna siti perierunt. Post illos emanauerunt sancti Martyres, post illos beatissimi Doctores, Eremitæ, Confessores, Viduæ, Virgines, & quicunque perfecte iusti, Dei seruitores & seruitrices; de quibus omnibus dicitur in Psa. 64. *Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius.* Riui Ecclesiæ Catholicæ, in quibus aquæ gratiarum, & per quos velut per aurea quædam canalia, fluunt in membra Christi adhuc in terris degentia, sunt sancti Dei. Sed fluuius ille magnus B. Virgo Maria, de quo Eccles. 44. *Ego quasi fluuius Dorix & sicut aqua ductus exiui de Paradiso.* Dorix interpretatur generationis medicamentum: Et congruissime significat B. Virginem, per cuius generationem sanatum est genus humanum.

Thesaurus igitur *ille Ecclesiasticus*, de quo dantur fidelibus Indulgentiæ, meritum est Domini nostri Iesu Christi, B. Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum, omnium sanctorum, perfectorum, iustorum, adhuc in terris vita mortali degẽtium, Qui, quam sit magnus, quam sit inexhaustus, quantumq; de die in diem crescat, augeatur, non minuatur, proficiat, non deficiat, sic accipe.

Christus Dñs licet sibi meruerit sui corporis gloriosam immortalitatem, suæ resurrectionis accelerationem, sui nominis exaltationem, dilatationem; nobis proculdubio meruit ab æterna morte liberationem, peccatorum remissionem, gratiæ & glorię collationẽ. Propter cuius meritum et solius, quã inexhaustus existat Ecclesiæ thesaurus, aduerte. Iã, sicut scribitur, anno Domini * M.CCC.XCV. mille trecenti sexaginta duo anni, vel circiter elapsi sunt, postquam Christus passus est pro nobis. Quid tibi videtur? nonne sacer baptismus; nonne in Sacramento altaris venerabile & verum corpus Christi; & alia Sacramẽta à Christo Dño instituta, & eius pretiosa morte confirmata, tantę sunt virtutis, tantæ sunt efficacię, tantęque dignitatis sunt hodie, sicut fuerunt suę institutionis & confirmationis prima die? An tibi videtur, ipsorum efficaciam & virtutẽ propter dierum * prolixitatem fore minoratam? Absit. Nam si condigne consideres, quæ Matt. vlt. dixit; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi;* faciliter & infallibiliter intelliges vltimum baptizandum ita vere

** Cod. Diessen. vitiose Anno Domini M. CCCC.I. mille trecenti LXII. Anni vel*

** MS. S. Nic. longitudinem.*

ita

A ita perfecte baptizari, sicut primum, quemlibet intermedium. O virtus vnici Christi passi. Ad Rom. 5. *Si vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Item 1. Cor. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Et ad Heb. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius atq; perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non huius creationis; neq; per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem intrauit in sancta, aeterna redemptione inuentá.* Psal. (129.) *Copiosa apud eum redemptio.* Psal. (110.) *Memor erit in saeculum Testamenti sui.*

Nunc etiam aduertamus merita sanctorum Dei, quia, sicut exigente diuina iustitia, per peccatum mortale perdit homo gaudia cœlestis regni, & meretur pœnam aeterni supplicij: sic exigente diuina clementia & misericordia per opus meritorium factum, postquam per veram contritionem, confessionem, satisfactionem, pœna illa aeterna in transitoriam fuerit mutata; meretur illius temporalis B pœnae diminutionem, & cœlestis praemij salutem, & accidentalem augmentationam. Sed quia B. Virgo Maria nunquam aliquam pœnam meruit, & tamen infinita opera meritoria in feruentissima fecit charitate, ideo solummodo adepta est augmentationem praemij, & non pœnae diminutionem: Et illa secunda pars cessit in thesaurum Ecclesiae: vnde multorum peccatorum, & multarum peccatricum pœnam diminuit meritum B. Mariae. Et de illo thesauro dantur indulgentiae. Similiter S. Apostoli, Martyres, & multi perfecte iusti, etsi prius peccatores fuerint, tamen ita sufficienter in hac vita pœnituerunt, quod nullius pœnę obnoxij permanserunt, etiam cum adhuc in hac vita mortali fuerunt; & sic adepti sunt eorum operibus meritorijs solummodo praemij augmentationē, & aliud totum cedit in Ecclesiae thesaurum. Et sic patet quomodo Ecclesię thesaurus non potest exhauriri. Et huius Thesauri dispensator noluit esse ipse Christus Dominus solus; imo commisit ipse Praelatis Ecclesiae, secundum C tamen plus & minus.

Vnde quadruplices Praelati habent indulgentias dare. Primus & summus est Dominus Apostolicus, verus & legitimus B. Petri successor & Vicarius; cui Dominus plenā potestatem dedit super omnes alios. Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni caelorum.* Secundi sunt Cardinales. Et ad illorum, velut aliorum Apostolorum potestatis expressionem scriptum est, Luc. 22. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum.* Tertij sunt Patriarchae, quasi principales patres in Dominico grege, paratiores cum sanctis Martyribus sanguinem suum fundere pro fratrib. & fide. Ad quorum potestatis expressionem dicitur notanter; Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis regnum.* Quarti sunt Episcopi, quasi perfecti iusti; de quorum meritis semper locupletatur thesaurus Ecclesiae. Ad quorum potestatis expressionem dicitur Matt. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.*

Quare autem non solum Waldenses haeretici, immo D multi Catholici, quandoq; titubant de Indulgentijs, hoc facit indiscreta pronunciatio quaestuosorum sacerdotum: qui indifferenter omnibus hominibus, hoc & illud facientibus, indulgentias promittunt. Et hoc non est de mente Domini Papae, aut aliorum Praelatorum; qui non dāt eas, nisi vere pœnitentibus & confessis, & contritis. Has autem indulgentias licet ad diuersa loca, & pro diuersis operibus pietatis Praelati Ecclesiae dare valeant, tamen crebrius eas conferunt iis locis, vbi sanguis plurimus Martyrum effusus, vt factum est Romae, & alibi. Ergo *Romipetae* & alij peregrini pia intentione & recta illuc venientes, verentur eas. Nam illa Romana ciuitas specialiter à Domino est electa, vbi non solum plurimus plurimorum Martyrū sanguis, sed etiam gloriosorum principum Petri & Pauli est effusus. Et tu Waldensis Haeretice, gratias illas non vis credere; saltem credunt eas Christiani & dicunt; *Dominus regnauit, irascantur* haeretici. Iudaei nolebant credere Apostolis, & tamen ex hoc non est infirmata fides eorum: imo per hoc, quod ab eis repulsi sunt, ipsi disseminauerunt fidem per orbem terrarum Actor. 13. *Vobis oportebat loqui primum verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vita aeterna, ecce conuertimur ad gentes.* E

Cap. XXXI.

De anno Iubileo.

Item de Iubileo sic scribitur Leuit. 25. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae; ipse est enim Iubileus.*

Cap. XXXII.

De excommunicatione.

Item de excommunicatione, quam reprobant haeretici. 1. Cor. 5. *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicaui, vt praesens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis vobis & meo spiritu,* F *cum virtute Domini nostri IESV Christi, tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Item, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Et 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit Anathema, maranatha,* in Domini nostri aduentu. Sic enim interpretatur *maranatha.*

Cap. XXXIII.

*De * incredulitate imaginum.* *M. S. S. Nicol. De imaginib. in Ecclesia.

Item reprobant haeretici imagines, & earum venerationem. Et videntur habere pro se multas authoritates diuersarum scripturarum, quae postea adducentur, & soluentur.

Primo videatur, an diuinae maiestatis sit habere imagines in Ecclesia. Exod. 25. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi. Inde praecipiam & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam Testimonij, cuncta, quae mandabo per te filijs Israel.* G

Ecce Waldensis Haeretice, faciendas esse imagines. An non sunt aurei Cherubim imagines versis vultibus ad se contuendum fabricati? Vel ergo oportet te illam literam exponere, & non omnino sicut sonat intelligere, sicut scribitur Exod. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in cœlo desuper, & quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aqua sub terra;* Vel, oportet te dicere, quod Dominus praecepit contraria; quia, hîc * dicitur; *non facies:* illic, *facies.* *M S.S. Nic. dicit. An non sunt aurei Cherubim similitudines eorum, quae sunt in cœlo desuper?

An non fuit Arca colenda & honoranda, propter eum, H qui mandauit ita diligenter & sapienter ipsam fieri; immo terribiliter metuenda? Cur aliâs Oza incaute tangens eā, percussus est plaga mortis? 2. Reg. 6. Compara ergo literam quae procedit & sequitur, Exod. 20. vbi scribitur, *Non habebis corā me Deos alienos;* & specificat; *nō facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem;* intellige, vt credas, aut dicas, ea esse Deum tuum, sicut faciunt gentiles idololatrae. Non ergo adorabis ea, neque coles ea, tanquam Deos, sed, sicut sine dubio, si quis Iudaeorum praesumpsisset illos Cherubim aureos frangere, vel maculare, vel praecipitare, imo Moysi modicum contradicere; fuisse grauiter plagatus: Sic tu Waldensis Haeretice, offendens imaginem sanctae Crucis, aut B. Virginis Mariae, aut alterius sancti, vltrices flammae Christianae iustitiae deuorabunt te: cum nec rex aliquis terrenus pateretur suam galeam, vel *clenodium* deturpari. Et illo modo intelligas omnes scripturas sculptilia prohibentes, vt istam Sap. 15. *Non enim in errorem induxit nos hominum malae artis excogitatio, nec vmbra picturae labor sine*

fructu, effigies sculpta per varios colores, cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortua imaginis effigiem sine anima. Malorum amatores, digni sunt morte, qui spem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt & qui colunt: & alia per totum Capitulum intelligenda sunt, sicut prius, quando fiunt in offensam diuinæ maiestatis, quam idololatræ talibus imaginibus attribuunt.

Vnde concluditur in eôdem Capitulo: *Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem eius.* Quando autem fiunt pro Dei laude, & sanctorum eius honore, & hominum excitatione, ad imitanda exempla sanctorum; & ad inuocandum eorum intercessores, optime fiunt imagines.

Item illa Isa. 44. *Nunquid est Deus absque me, & formator, quem ego non nouerim? Plasta idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum, non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, vt confundantur. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce, omnes participes eius confundentur; fabri enim sunt ex hominibus; conuenient .n. omnes, stabunt & pauebunt, & confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est; in prunis & in malleis formauit illud; & operatus est in brachio fortitudinis suæ: esuriet, & deficiet, non bibet aquam, & lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina, fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltus plantauit pinum, quam pluuia nutriuit. Et facta est hominibus in focum, sumpsit ex eis, & calefactus est: & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est Deum, & adorauit; & fecit sculptile, & curuatus est ante illud, &c. dicens, libera me, quia Deus meus es tu.*

Nec Christus Matth. 23. redarguit Iudęos ideo, quod sepulchra Prophetarũ ædificabant, & monumenta iustorum ornabant, cum propter hoc, si alias non fuissent reprehensibiles, debebant plurimum commendari: sed redarguit eos, propter mendacium; quia dixerunt. *Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum*: Et Christus cognitor cordium dixit eis; *itaque testimonio estis vobismetipsis; quia filij estis eorum, qui occiderũt Prophetas; Et vos implete mensuram Patrum vestrorum*; serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio Gehennæ. In quibus omnibus non operatio imaginum redarguitur, sed quia idolum, vt Deus colitur.

Parenthesis ista est ex Cod S. Nicolai. Et caret Cod. Diessensis, & recte, nihil enim facit ad argumentum huius capitis. Est tamen etiã in Cod. Tegern.

Item, quod voluntatis diuinę sit, habere imagines, probatur 3. Reg. 7. *Duo ordines sculpturarum bistriatarum erant fusiles, Et stabant super duodecim boues.* Ecce Waldensis hæretice, idem Dominus, qui dixit; *non facies omnem similitudinem, quæ est in terra, deorsum*, hîc voluit habere sculptos boues. An non sunt sculpti boues similitudines eorum, quæ in terra deorsum; nisi fingas boues volare per aëra? Item eôdem cap. *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis Cherubim, & Leones & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis.* Si boues & leones faciunt ad honorem & ornatum domus Dei; quomodo non ornarent eam imago Domini nostri Iesu Christi, B. Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum sanctorum Dei & sanctarum; Item idem Dominus, qui dixit, non facies omnem similitudinem neque eorum, quæ sunt in terra deorsum; dixit etiam Num. 21. ad Moysen eundem, per quem id locutus est; *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo; qui percussus eum aspexerit, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* O cæce Waldensis hæretice, quid videtur tibi serpens iste signare? Nonne Dominum nostrum Iesum Christum in patibulo crucis pro signo sanitatis humano generi positum, & erectum? Qui dixit (Psalm. 21.) *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Aut, quis homo serpentem diligit? Sed serpens æneus imaginem quidem serpentis habet; venenum serpentis non habet; Et Christus in similitudine carnis peccati pependit; sed, peccatum non fecit. Si ergo serpens æneus propter mysticam significationem, istis hominibus sanitatem reddidit: quid fecisset homo æneus? An non maiorem expressionem humanæ formæ faceret homo æneus, quam serpens æneus?

Sed, quia tu, Waldensis Hæretice, non curuas genua ante imaginem crucifixi, non habebis sanitatem, donum crucifixi. Fideles vero Catholici genua flectunt, imaginem ipsam non vt Deum, sed propter Deum redemptorem cultu duliæ, non latriæ colunt, honorant, & adorant, mortem Christi deplorant, & suorum peccatorum remissionem consequuntur. Sunt ergo imagines *libri Laicales*, qui nesciẽtes scripturas, quandoque maiorem deuotionem & gratiam percipiunt, quam quãdoque magnus literatus ex lectione librorum. Sed Deus mihi testis, quod non mentior; videns vidi plures de secta Waldensium conuersos, in Ecclesia incedere non aliter, quam cæcos, & mutos, surdos & obstinatos, & asinos insensatos. Sed non mirum, quia; *Quod noua testa capit, inueterata sapit.*

Sed dicis Waldensis Hæretice; Tamen expresse litera sonat Sap. 15. *Morte sunt digni, qui spem in talibus habent & qui faciunt illa, & qui diligunt, & qui colunt.* Respondeo, verum est; si sculptor, vel pictor, aut alius artifex, scilicet quod quis vellet adorare imaginem, quasi ipsa esset Deus, tam artifex, quam idololatra morte sunt digni: sed sic non faciunt Catholici artifices. Audi ergo diligenter; sculptores, pictores non esse reprobatos secundum suum artificium, Ecclesiast. 38 vbi iunguntur sculptores & pictores cum rusticis, agricolis, figulis, & fabris, in his verbis? *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulato boues agitat, & conuersatur in operibus eorum, & enarratio eius in filiis taurorum. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum. Sic omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signaculo sculptilia, & assiduitas eius variat picturam. Cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri. Vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innouat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus eius. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit imperfectionem. Sic figulus sedens ad opus suum, & conuertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & innumera est omnis operatio eius. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutẽ suam. Cor suum dabit, vt consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem. Omnes hi in manibus suis sperauerunt, & vnusquisq; in arte sua sapiens est; sine his omnibus non ædificatur ciuitas. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Ecclesiã non transilient. Super sellam iudicis non sedebunt, & testamentum iudicij non intelligent, neque palam facient disciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur; sed creaturam æui confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.*

Cap. XXXIV.

*De * incredulitate omnium quæ sacerdotes faciunt circa obsessos.*

**M.S.S. Nic. De obsessis.*

Item damnant & reprobant hæretici (Waldenses) omnia, quæ pij sacerdotes faciunt circa obsessos à dæmonio dicentes; *à * tempore passionis Christi nullum hominem posse dæmonio obsideri.*

**M.S.S. Diessens. post passionem Christi & triũphum nullum hominem postea diabolo obsideri.*

Contra, Marc. vlt. dixit Christus post resurrectionem suam: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient.* Ergo dęmonia corpora hominum post Christi passionem obsident. Item, Act. 16. scribit B. Lucas; *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines, serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine IESV Christi exire ab ea. Et exiit eâdem hora.* Quid dicis ad hæc Waldensis hæretice? nonne confusio tua in foribus est? quia hæc sunt manifeste contra te.

Item, Act. 19. *Virtutesque non modicas quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita, vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur. Tentauerunt autem quidam & de circumstantibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes; Adiuro vos per*

Iesum

A *Iesum, quem Paulus prædicat, &cæt. Respondens autem spiritus nequam dixit eis, IESVM noui, & Paulum scio, vos autem, qui estis? Et insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.*

Cap. XXXV.

De studijs priuilegiatis.

ITem damnant & reprobant studia priuilegiata, dicentes, ea fore omnimodam vanitatem. Contra Act. 9. *(Paulus) loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Græcis.* Item, Act. 17. *Paulus disputabat in Synagoga cum Iudæis*, &cæt. *per omnes dies ad eos, qui aderant.* Item Act. 18. *Paulus disputabat per omne Sabbatum in Synagoga interponens nomen Domini Iesu. Suadebat Græcis*, &cæt. Dicit notanter, *disputabat*, & non *prædicabat*: quia tempus disputandi est aliud, quam tempus prædicandi. Et hæc disputatio facta est in Corintho.
B Item eodem capite in Epheso. *Paulus ingressus Synagogam* disputat cum Iudæis. Item, Actorum 20. in Troade: *Vna autem die cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum.* Item, Actorum decimo nono. *Introgressus autem Paulus in Synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans & suadens de regno Dei.* Sed tu Waldensis hæretice, raro vel nunquam venis ad disputandum.

Item Paulus fuit studens Actorum 22. *Ego sum vir Iudæus natus Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis.* Item Timotheum studentem laudat Paulus 2. Timoth. 3. *Tu vero permane in his, quæ credidisti, & credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris; & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Item Christus XII. anno ætatis eius inuentus est. *Sedens in medio doctorum in templo, audiẽs eos, & interrogans eos. Stupebant autem qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius.* Lucæ 2.
C Item, Lucæ 4. *Christus venit Nazareth*, vbi erat nutritus, *& intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ; Et vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me. Et cum complicuisset librum, reddidit ministro, & sedit, & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum.*

Ecce, Christus, qui tantæ auctoritatis fuit, vt verbo suo mortuos suscitaret, & infinita miracula faceret, voluit magisterium suum probare per lectionem scripturarum, manifeste innuens, eos debere literas scire, qui docent populum. Sed tu Waldensis hæretice & asine, & literas nescis, & studia damnas, Latinum idioma, quod nescis, reprobas, Iudaicum ignoras, Græcum non nosti, & si in vulgari Barbaro de scripturis noscis, vel intelligis, vel non intelligis: si non intelligis, cæcus cæcos ducis, & secum in foueam vadis. Si intelligis, & tuis credentibus non exponis, traditores pauperum animarum, quos quidem sapere non doces.

Cap. XXXVI.

D *MSS. Nic de Iuramentis.

*De * incredulitate iuramenti quantumcunque iudicialiter facti.*

ITem dicunt Waldenses hæretici, quod omne iuramentum; quantumcunque iudicialiter, & veridice factum, sit peccatum, & reprobatum. Et ad suum errorem confirmandum peruertunt verbum Saluatoris Matthæi quinto dicentes Dominum dixisse; *Ego autem dico vobis; omnino non iurare*: volentes Christum intendisse, quod nullis modis, nullis ex causis, possit quis sine peccato iurare. Sed miseri, illiterati idiotæ & asini, dictionum constructionem nescientes, non intelligunt, magnam esse differentiam inter, *omnino non iurare*, sicut dicit hæreticus; &, inter *non iurare omnino*, sicut dicit Christus. Et vt illa doctrina magis luceat, accipias verbum Apostoli Iacobi suæ Canonicæ 5. cap. cum dicit: *Nolite iurare.* Et addamus verbum Christi, *omnino*: Et illam formemus orationem; *Nolite iurare omnino.* Hæc locutio est Christiana & vera, & de mente Saluatoris. Quam peruertentes hæretici, dicunt; *omnino nolite iurare*, quæ est hæretica, & falsa, & de mente errantis deceptionis. Tripliciter autem potest ista locutio Christiana & Euangelica exponi; *nolite iurare omnino.* Primo, sic, id est, in omni verbo. Secundo sic, pro omni facto. Tertio sic, & apertius ad propositum Euangelij, nolite iurare omnino, id est, per omnem rem, quia non per creaturam, sed solum per creatorem, aut per creaturam per Deum sanctificatam. Et tale iuramentum fit principalius per creatorem sanctificantem, quam per creaturam sanctificatam. Et in hunc modum sonat litera sequens. *Nolite iurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum eius est: neque per Hierusalem, quia ciuitas magni regis est. Neque per caput tuum iurabis, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, Quod autem his abundantius est à malo est.*

Hic autem dicit hæreticus, *à malo*, id est, à peccato iurantis. Et hoc non intendit Christus; quia, sic, omnis iurans esset malus, & CHRISTVS, & Paulus, & Angelus, & DEVS: sed *à malo*, simplicia verba sine iuramento non credentis, & iuratorem ad iurandum, per eius incredulitatem quasi compellentis: Non tamen semper à malo culpæ, sed quandoque à malo ignorantiæ, vel timoris, dum timens quis se à simpliciter loquente decipi, vult iurari. Alias omnis iudex peccaret; quia, licet locum Dei teneat, vel habeat, non tamen DEVS est, vt corda hominum valeat agnoscere. Ne ergo per sententiam suam iniuste iudicet, vult sibi per iuramentum ea proponi, de quibus debet iudicare.

Et illud intendit Beatus Paulus ad Hebræos 6. *Omnis controuersiæ hominum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* Vbi autem Christus Matthæi quinto posuit, non esse iurandum per cœlum, terram, Hierusalem, caput hominis nusquam positum est nomen Dei, quasi vellet Christus dicere; quando iurare oportet, solum iurari debet per Deum. Vnde Deuteronom. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies; & per nomen illius iurabis.* Psal. (62.) *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo; quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Et ideo Ioseph Iudæus optimus in Ægypto, volens se non manifestum fieri fratribus, iurat paganice, quasi ipse incircumcisus, & paganus, vel gentilis, non Iudæus esset, & dixit Genes. 42. *Per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite vnum ex vobis, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, vtrum vera sint. Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.*

Volens ergo Christus Dominus differentiam esse inter modum iurandi paganicum & Christianum, noluit, quod iuraremus per creaturas, vt tales, sed per creatorem; aut, si per creaturas, tamen vt à Deo sanctificatas. Et sic iuramus per sanctam Mariam, non quasi per puram creaturam, sed vt per Deum sanctificatam. Vnde non dicimus per Mariam, sed, per sanctam Mariam. Sanctitas autem illa originaliter à solo Deo est, à quo fluxit in Mariam, & sanctificauit eam. Vnde Matth. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci: quid enim maius est aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt: & quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso: Et qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.* Sic possum dicere: qui iurat per sanctam Mariam, iurat per eam, & per eum, qui sanctam fecit eam.

Ecce manifesta cõfusio tua Waldensis Hæretice. Christus dicit, aurum templi, & donũ altaris, esse sanctum quæ sunt res inanimatæ, & per consequens, irrationales, & tu non credis, quod dicit Christus, ergo tu es hæreticus: Et tamen dicis, quod sis Christianus, & non credis, quod loquitur Christus: ergo stolidior es quam Asinus.

A Quod autem non omne iuramentum sit peccatum, patet. *Quia* Psalm. 109. *iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. Vnde Paulus ad Heb. 7. *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt. Hic autem*, scilicet Christus, *cum iureiurando per eum, qui dixit, Iurauit Dominus*, &c. Item Psal. 88. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit.*

Item, Psalm. 131. *Iurauit Dominus veritatem, & non frustrabitur eum*, &c. Item, Actor. 2. *Propheta igitur cum esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius.* Item, Gen. 22. *Per memetipsum iuraui dicit* Dominus ad Abraham; *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.*

Vnde Paulus ad Heb. 6. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem se, iurauit per semetipsum, dicens: Benedicens benedicam, & multiplicans multiplicabo te.* Item de S. Abraham scribit Moyses. Genes. 24. *Erat Abraham senex dierum multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei, dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat. Pone manum tuam super femur meum, vt adiurem te per Dominum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram & cognationem meam proficisceris, inde accipies vxorem filio meo Isaac. Posuit igitur seruus manum suam sub femore Abraham Domini sui, & iurauit illi super sermone hoc.* Item, Isai. 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, & brachio fortitudinis suæ.* Item, Luc. 1. *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.*

B Item quoties aliquam arduam sententiam locutus est in Euangelio, iurauit Dominus; *Amen dico vobis*; vel, *Amen Amen dico vobis.* Luc. 12. *Vere dico vobis; quia super omnia, quæ possidet, constituet eum*, scilicet seruum fidelem. Item, Luc. 9. *Dico autem vobis; Vere sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Item, Iurauit Paulus ad Rom. 1. *Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius; quia, sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis.* Item Apoc. 10. *Et Angelus, quem vidisti stare super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum, & ea, quæ in eo sunt, quia amplius tempus non erit.* Item, Ierem. 4. *Iurauit Dominus in veritate, iudicio & iustitia.* Item Ierem. 12. *Si eruditi didicerint vias meas populi mei, vt iurent in nomine meo: viuit Dominus, sicut docuerunt populum meum in Baal, ædificabuntur in medio populi mei. quod si non audierint, euellam gentem illam euulsione & perditione dicit Dominus.*

C Item, Dan. 12. *Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum leuasset dexteram & sinistram in cœlum, & iurasset per viuentem in æternum: quia in tempus & tempora, & dimidium temporis*, &c. Item in laudibus Abrahæ Ecclesiast. 44. *Ideo iureiurando dabit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum.*

Item, Isai. 19. *In illa die erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa, iurantes per Dominum exercituũ. Ciuitas solis vocabitur vna.*

D Ecce Waldensis hæretice, quam placitum est Domino Deo iurare homines per nomen suum, quando iurant veritatem; & tu illud damnas? Quapropter tu damnaberis, si non conuersus fueris ad Deum viuum, ad quem nos perducat filius suus vnigenitus, Dominus noster Iesus Christus, qui est in sæcula benedictus.

Explicunt obuiationes sacræ Scripturæ erroribus VValdensium ANNO Domini M. CCCC.XLIV.

LECTORI.

SVperiori Tractatui contra VValdenses subiungebatur in Codice Tegernseensi sequens cõtra VValdenses Disceptatio, quæ peculiare opusculum constituit; cum præcedens Tractatus solemni, vt vidisti, clausula, finitus ac terminatus fuerit, Ad calcem hæc leguntur. *Explicit Tractatus contra Pauperes de Lugduno, editus per venerabilem Doctorem & Magistrum Petrum de Pilichdorff Professorem sacræ Theologiæ.* Vnde quis coniecturam facere posset: solum posteriorem lucubratiunculam ad hunc Auctorem referri debere. Sed priori *Tractatui* diserte etiam nomen Petri de Pilichdorff in Codice Tegernseensi præfigitur. Nec putaui me operæ pretium facturum, si totum Tractatum Operi huic insererem, tum quia Codex mendosissime exaratus est, vt aliquot locis nullus plane sensus erui queat: tum quia Auctor iste nonnulla de Dominio rerum, & mendicitate laborare valentium: nullamque approbatam Religionem profitentium, differit, quæ num ad eruditorum stomachum factura essent; vehementer ambigo. *Pauperes de Lugduno* veterum Hæreticorum, quos S. Epiphanius, & alij vocant *Apostolicos*, seu *Apotacticos*. errorem quadantenus amplectebantur, nempe Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ exemplo omnium rerum proprietatem non modo in particulari, sed & in communi procul habendam & repellendam esse, viuendumque ex mendicato. Quos Auctor iste prima Tractatus sui parte refellit, sed adscitis quibusdam argumentis, quæ auribus probe purgatis non satis probe tinniant.

FRAGMENTVM
EX TRACTATV PETRI DE PILICHDORFF CONTRA pauperes de Lugduno. Ex M.S.C. Monasterij Tegernseensi.



SAluator noster Iesus Christus clamat Ioann. 14. errantibus & viam ignorantibus; *Ego sum via*, dubitantibus, & non credentibus: *Ego sum veritas.* In qua veritate Ecclesia Catholica fundatur iuxta illud Matth. 16. *Et super hanc petram*, id est, Christum, qui Veritas est, *ædificabo Ecclesiam meam*, restante & dicente discipulo in 2. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hanc igitur Ecclesiæ fundationem strenuissimam egregius Doctor beatus Augustinus contra Epistolam Fundamenti attendens, inquit, *quod non crederet Euangelio, nisi eum ad hoc Ecclesiæ auctoritas commoueret.* Sæuiat igitur contra Ecclesiam Catholicam hæreticorum prauitas, quantum potest. Euacuet contra eam pharetras suas turma schismatica; subuerti tamen non potest, & eorum nequit multitudine conculcari. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & nõ cecidit: quia fundata erat supra firmam petram. *Petra autem erat Christus. Qui, vt ipsam sibi redderet gloriosam, non habentem maculam, aut rugam*, ad Ephes. 5. sed potius, *vt ipsam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, tradidit semet ipsum pro ea.* 1. Cor. 10. Quapropter, quilibet Christianus, vbi ipsam viderit blasphemari, aut contumelias ei irrogari, ipsam defensare, & sub diuinæ potentiæ dextra murum inexpugnabilem se opponere tentet. Quia S. Chrysostomus homilia 5. de Opere imperfecto: *Nam licet dissimulare iniuriam propriam pium sit, tamen iniuriam Christi dissimulare iniquum.* Quæ autem maior iniuria Christi esse potest, quam quod sua sponsa sibi in veritate copulata, fucatis argumentorum coloribus ab hæreticis & schismaticis impugnetur?

Aduersus igitur hos friuolos & * impudicos assertores, clamat Christus cuilibet Christiano, in Psalmo: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Contra quos rursum discipulus Veritatis zelum Christianorum suscitare cupiens, conformiter clamat: *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, & galeã salutis assumite, & gladium Euangelij quod est Verbũ Dei*; ad Eph. 2.

* impudẽtes fortè. Psal. 34.

Sic

A Sic Augustinus orthodoxæ fidei pugil fortissimus, in certamine contra hæreticos positus, gladio ipsius, quod est Verbum DEI protectus, [capita] quæque hæreticæ prauitatis suo tempore amputauit. Sed quia, *oportet hæreses esse* & schismata, *vt, qui probati sunt, manifesti fiant*, primæ Corinthiorum vndecimo, vt ergo veritas Christianæ religionis toti mundo manifestetur; his modernis & quasi extremis temporibus, DEO permittente, quidam satellites Antichristi *conuenerunt in vnum aduersus CHRISTVM eius. Intenderunt arcum, & parauerunt sagittas suas, vt sagittent in obscuro rectos corde.* In vita autem & habitu *habentes speciem pietatis, sed virtutem eius abnegantes*, eo quod decipiunt plures, qui se transfigurant in angelos lucis, cum sint Satanæ: Verba respondentes dolosæ confessionis; Errores in corde retinentes; quia, vt scriptum est; *Est, qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Prou. 20. Vnde & in argumentum fidei suæ sectæ simplicitatis vultum demittunt, prosternunt corpus, lacrymas aliquas sibi extorquent, si possunt verba gemitibus interrumpunt. [Psal. 2. Psal. 10. 2. Tim. 3.]

B Quod si in religione agatur, statim visiones & somnia proferunt, laudant ieiunia, commendant vigilias, de patientia & humilitate, ac de singulis virtutibus plenissime, sed vanissime disputant; quia disputatione superba dissimulant coram Iudice culpam, vt differat pœnam. *Vasa figuli probat fornax*, & tribulatio vere pœnitentes discernit. Qui enim veraciter pœnitent, laborem pœnitentiæ non abhorrent: sed, quidquid eis pro culpa, quam oderunt, iniungitur, tacita conscientia amplectuntur. Simulati vero pœnitentes, vna vel leui contumelia, aut exigua pœna interrogati, eam dissimulare non possunt, minantur, frendent, in astutia promittunt, se mortem sibi irrogaturos, & tandem frontosi & impudentes effecti, seniores & maiores contemnunt, & tanto deterius, quanto desperatius, patenter inobedientiæ errores, quos plus latenter siluerunt, vel abnegare promiserunt, arrogantes confitentur. Vnde, de talibus scribit Apostolus ad Romanos vltimo. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis. Huiusmodi enim Domino nostro non seruiunt, sed ventri suo: & per delicatos sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.* Cuiusmodi sunt quidam culpabiliter errantes, *Pauperes de Lugduno* vocati; qui, inaniter de sua paupertate gloriantes, dicunt, tanquam pro fundamento sui erroris; quod ipsi soli vitam Apostolorum seruent, nihil habentes in proprio, vel communi: & consequenter, quod à spe salutis sint exclusi, Papa & Episcopi Apostolorum successores, & omnes Pastores, in communi, vel proprio aliquid habentes. [Eccles. 27.] C

Sed contra erroris eorum fundamentum, quo dicunt, Apostolos nihil habuisse in proprio, aut communi, arguitur; supponendo, primo: quod infidelitas non obstat vero dominio, sed quod etiam infideles habeant verum dominium temporalium rerum. Probatur sic: Dominium rerum temporalium certis hominibus datum à DEO, quod ab eis auferre, aliis etiam infidelibus minime licet, est verum dominium, non solum permissum, sed etiam concessum ab illo, qui verum & legitimum dominium dare, & concedere potest. DEVS autem, vt habetur Deuteronom. secundo, dedit filijs Esau, & filiis Moab, & filiis Amon, qui erant infideles, certas regiones, quas eis auferri à fidelibus non licebat. Igitur ipsi, quamuis essent infideles habuerunt verum & legitimum dominium temporalium rerum, &c. [I Propos.] D

Secundo, qui præcepto speciali diuino in Regem inungitur non solum à Deo habet potestatem regiam permissam, sed etiam concessam: quia, vnctio regalis legitima non est, sine legitima potestate. Deus autem præcepit Heliæ Prophetæ, vt legitur 3. Reg. 19. vt vngeret Hazael Regem super Syriam, qui tamen infidelis erat. Ergo Hazael legitimam sui regni habet potestatem & dominium: de quo ibidem subditur: *Quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu.*

E Tertio ille habet verum dominium rerum temporalium, & non solum permissum: cui fideles illa, quæ dicit esse sua, reddere obligantur: quia illa, quæ Tyrannus vendicat, aut prædo, aut inuasor, non tenetur aliusei reddere, sed Christus voluit & præcepit fidelibus, vt redderent Cæsari ea, quæ sua essent: Vnde dicebat Christus: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. Ergo Cæsar ille, scilicet Tiberius, qui extitit infidelis, habebat verum & & legitimum dominium. [Matth. 22.]

Item ille, cui fideles non solum propter periculum vitandum, sed propter conscientiam debent esse subiecti, habet verum dominium, & legitimam potestatem. Potestatibus autem infidelium debebant tempore Apostolorum Christiani esse subiecti; non solum propter periculum vitandum, sed etiam propter conscientiam, teste Apostolo ad Rom. 13. cum ait; *ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo infideles habuerunt verum & legitimum dominium; quia, dominium non est aliud, nisi potestas præsidentialis de re sibi subiecta. F

Quod autem Apostolus ibi sub potestatibus superioribus comprehendat infideles, patet per id, quod scribitur 1. ad Timoth. 6. *Quicunque sunt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant; quia fratres sunt, sed magis seruiant: quia fideles sunt.* Vbi aperte insinuat; quod Dominorum verorum quidam erant fideles, quidam infideles; & quod seruiendum est vtrisque.

Item, cum dixit ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; voluit fideles esse subiectos, etiam potestatibus infidelibus.

Item cum dixit ibidem: *non est potestas, nisi à DEO: quæ autem à DEO sunt, ordinata sunt:* intellexit aperte, quod potestas, quæ erat apud infideles, ordinata erat à DEO, & non solum permissa: quia, de illa potestate dixit. *Qui autem resistit potestati, DEI ordinationi resistit*; quod de potestate permissa, & non concessa intelligi non potest. Non enim Patres in veteri Testamento, qui sæpe infidelibus hominibus, super eos potestatem permissam habentibus resistentes, ordinationi DEI restiterunt, quia resistendo illis, nequaquam sibi damnationem acquisierunt, sed potius laudabiliter & meritorie hoc fecerunt. G

Si igitur Christiani infidelibus opprimentibus eos, & potestatem permissam habentibus resistere tentauerunt, nullatenus Dei ordinationi resistunt. Potest ergo extra Ecclesiam & apud infideles esse legitima potestas & concessa & non permissa solum, &c.

Infideles, eo quod ad fidem conuertebantur, dominium temporalium rerum, quas diuisim, aut coniunctim in infidelitate possederunt, non amiserunt. Propter quod, ex quo in antiqua & repudiata Synagoga, erant dominia & possessiones hominibus à Deo cõcessa & distributa; igitur à maiori argumentando, in noua Christi sponsa licita sunt talia dominia, tum quia perfectior, & dignior est, ratione cuius magis debitum est, vt suæ indigentiæ de tali, aut tali re supplementum ministretur: Tum etiam, quia spiritualior est, & pluribus scientiis & virtutibus adornata: ratione cuius sibi dominium legitimum rerum magis competit; quia, secundum Philosophum 3. Politicorum. *Qui viget intellectu & ratione, est naturalis dominus aliorum.* Talis enim, quia sapientis est regere, potest melius politias in pace conseruare, &c. [II. Propos.] H

Si, (Waldenses) dicant se missos, dicant suæ missionis testimoniũ: Et, an sint missi à Deo, vel ab hominibus? Non à Deo; quia, pro suæ missionis * initio dicunt, quod socius Syluestri, tempore Constantini, noluit consentire, quod Ecclesia, Constantini temporibus, ditaretur, & ex hoc à Syluestro recesserit, viam paupertatis tenendo, apud quem etiam suis adhærentibus in paupertate degentibus Ecclesia permansit: & Syluestrum cum sibi adhærentibus ab Ecclesia dicit cecidisse. Item, quod post annos * trecentos à Constantino surrexit quidam è [* indicio. VValdensium Lepida fabella.]

regio

A regione Waldis Petrus nominatus, qui similiter viã paupertatis docuit, à quibus secta Waldensis est orta. Sed, quæ signa virtutum prædictis perhibent testimonium? Cum tamen facta celeberrima & miracula Syluestri totum mundum non latuerint.

* Longe plures sunt à Constantino vsque ad VValdû

Item Ecclesia Christi est illa ciuitas, quæ in quadro posita est, Apoc 21. quæ verba Haymo pertractans, sic inquit: *Bene Ecclesia in quadro posita memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem.* Ex quo tanquam à posteriori potest sic argui. Quæcunque multitudo est firmior & robustior per fidem, longanimior per spem, amplior per charitatem, efficacior per operationem, illa est Ecclesia Christi; sed multitudo succedens Syluestro est huiusmodi. Igitur tenet consequentia: quia istæ sunt conditiones domus firmæ in quadro positæ, & conditiones Ecclesiæ, sunt ex conditionibus & proprietatibus Apocalyps. 21. Igitur & antecedens, quoad primam partem, videlicet quod firmior. Nam fideles ipsius potius laudabiliter moriuntur, quam aliquid, quod est de substantia fidei abnegent, prout multi successores beati Syluestri fecerunt; quam tamen firmitatem
B fidei Waldenses minime tenent, quia dicunt in sua secta, quod fides sit celanda ad martyrium euitandum; &, quod pro salute vitæ, nomen Dei, licet non mente, sed voce sit negandum. In quo etiam eorum insipientia manifestatur. Nam, qui vere diligit Deum, & est verus eius discipulus, plus diligit Deum, quam se, & per consequens, potius perdit se, quam nomen Dei. Vnde Augustinus de vita Christiana; *Illi Deum diligunt, qui vnde nomen Dei glorificetur, exercent.* Igitur ex quo fides eorum non confitetur Deum coram hominibus, nec Dominus Iesus Christus confitebitur eos coram patre suo. Iuxta illud Matthæi 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Item etiam prædictus error eorum repugnat scripturæ Matthæi 12. vbi dicitur. *Quod ex fructu arbor cognoscitur: & quod ex abundantia cordis, os loquitur.* Et quod *bonus homo de thesauro suo profert bona, & malus similiter mala.* Et Aristoteles 3. Ethic. *Vnusquisque talis est qualia dicit, & qualia operatur.*
C Item Saluator. *Sermo, qui procedit ex ore meo, ille testimonium perhibet de me.*

Item hanc mendacem fidem, qua corde confitentur Deum, & ore negant, pulcherrime reprobat Augustin. in lib. de mendacio; ostendens aperte, quod non est faciendum mendacium pro aliquo malo vitando, nec pro commodo procurando, nec pro hominis anima vt vita saluanda, & exprimit vnam inter alias pulcherrimam rationem: *Si, inquit, aliquando liceret ex tali causa proferre mendacium, tota Ecclesiæ doctrina periret: quoniam tunc prædicans fidem in publico, ex tali causa posset mentiri. Cur ergo, cum sic doceretur, fidem auditores in cordibus suis non possent sic arguere? Iste, secundum doctrinam suam potest licite dicere falsum, & mentiri: nescio, nec scire nunc possum an talis iam sibi insitet casus. Igitur doctrinæ suæ non debeo fidem adhibere.* Et tandem concludit: *quod ad officium Iusti hominis nunquam pertinet, proferre mendacium.*

Item, hoc est præceptum Saluatoris Marci 10. Vbi cuidam quærenti ab eo, quid faciam, vt vitam æternam possideam? Taliter respondet: *Ne adulteteris, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris.* Quomodo
D ergo fraudulenti & mendosi Waldenses, socium Syluestri sequentes, dicunt fidem suam esse veram, & cum hoc, in angulis prædicandam, cum veritas non quærat angulos, testante ipsa Veritate, & dicente suis Apostolis, & discipulis Matthæi 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: &, quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Ex quibus patet prima pars assumpti, videlicet quod multitudo succedens Syluestro est firmior & robustior per fidem, quod fuit probandum.

Sed secunda pars, quod sit longanimior per spem, probatur: quia tantum est gaudium isti multitudini, & tanta obtinendi certitudo, continuum præbens consolationis & patientiæ auxilium, vt sine molestia futuram gloriam expectent; parte alia contra Deum murmurante, & se iustificante, quod se hæc pati permittat. Et multum adauget spem prædictam Gamalielis sententia honorati, & legis Doctoris dicentis Actor. 5. *De quibusdam, qui insurrexe-*

E *rant, & multiplicati erant, dicentes se aliquid magni esse, & quia ex Deo non erant, id circo multitudo eorum periit, & consumpta est:* sic in proposito articulo: Cum multitudo sequens socium Syluestri, continue coarctetur, ex Deo non est.

Sed tertia pars assumpti, videlicet, quod sit amplior per charitatem, patet, quia oportet, quod illud scripturæ impleatur. *Adorabunt eum omnes reges terræ. omnes gentes seruient ei.* Psalm. 71. In quacunque ergo multitudine prædicta scriptura magis adimpletur, censetur esse Ecclesia Christi: sed hoc est in multitudine Syluestri videlicet.

Item in ipsa magis impletur scriptura, quæ dicit de Ecclesia sponsa Christi. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam: Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Psalm. 79. Et illud Isa. 9. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis.* Ex quo ergo Ecclesia Christi vbique dilatanda est, iuxta illud Prophetæ in Psalmo: *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine:* Psal. 85. tunc in hoc discriminatur inter Ecclesiam Christi, & alia conuenticula: quia, illa dilatanda est, & dilatatur
F quotidie, ista vero de contrario coarctatur.

Sed quoad quartam partem antecedentis, videlicet, quod sit efficacior per operationem, patet. quia efficacitas operationis Ecclesiæ militans, quousque perducatur in triumphantem, consistit in efficacia Sacramentorum à Christo institutorum: sed illis abutuntur prædicti Waldenses, seu Pauperes de Lugduno vocati, dicentes: *etiam non sacerdotem posse conficere, & Sacramentum pœnitentiæ posse dispensare:* contra primæuam institutionem illorum Sacramentorum. Vnde Christus instituens Sacramentum Eucharistiæ, dixit Apostolis, vel ad minus non nisi suis discipulis, quibus in Ecclesia non succedunt nisi sacerdotes: *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Luc. 22. Hoc idem habetur ex sententia Pauli 1. ad Corinth. 10. *Panem quem frangimus*, nos scilicet Apostoli, *nonne communicatio corporis Domini est?* Si enim quilibet fidelis posset conficere, non oporteret alium aliis frangere, sed quilibet posset de suo sacrificio communicare. Ex fundamento huius sententiæ Ecclesia determinauit Extra de sum. Trin. & fide Catholi-
G ca, quod nemo conficere potest, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ. Et ratio ad hoc congrua est: quia, sicut ab anima, mediante corde, deriuantur virtutes animæ & cætera membra: & in corde est principalis sedes vitæ secundum Aristot libr. de animalibus. Sic & in qualibet politia, actus principales pertinentes ad ipsam politiam, exerceri debent per personam principalem in illa politia: Et sic rationabile est, actum conficiendi & dispensandi Eucharistiam residere apud illum, qui est in Ecclesia Hierarcha. Sed talis est sacerdos. Igitur.

Ex quo sequitur, quod nec ministerium pertinens ad Sacramentum pœnitentiæ, potest à Laico dispensari. Congruum est enim, vt idem habeat potestatem super corpus Christi verum & mysticum. Et ex præcedentibus, solus sacerdos habet potestatem super corpus Christi verum: Ergo & super corpus mysticum. Confirmatur: quia sicut in Ecclesia triumphante, ita & in militante, quia militans à triumphante descendit iuxta illud Apocal. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, descendentem de cœlo*, &cæt. Ex quo
H ergo militãs sumpsit originem à triumphante, & in triumphante extrema reducuntur ad extremum per medium: Idcirco si congruit in Ecclesia militante, vt extrema, scilicet peccatores, reducantur in extremum, hoc est in Deum per hierarcham. Non ergo sine graui periculo potestatem cibandi populum Christi, & potestatem clauium sibi assumunt tales pseudodiscipuli Christi, contra formam relictam à Christi Apostolis, & eorum successoribus, prout per successores Apostolorum, & per relationes & scripturas fidelium ad nos peruenerunt, prout longo tempore etiam ante Syluestrum fuit obseruatum. Et grauitas huiusmodi transgressionis & inobedientiæ, constat ex dicto Christi, Luc. 10. Vbi inquit: *Qui vos audit, me audit: Et, qui vos spernit, me spernit.* Quæ verba pertractans Bernardus in lib. de præcepto & dispensat. dicit: *Obedientia, quæ maioribus debetur. Deo exhibetur. Quamobrem quidquid vice Dei præcepit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo; haud secus omnino ac-*

A cipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, vtrum per se, aut per suos ministros, siue per homines, siue per angelos hominibus innotescat suum beneplacitum Deus? Hæc Bernardus.

Item, si solus bonus conficit corpus Christi, non esset in magnum remedium viatorum, conficere, sed quasi communiter in detrimentum. Cum enim nullus possit esse certus de bonitate propria; multo magis nec de bonitate alterius. Ergo, si ex bonitate ministri dependeret consecratio, vel baptismus, nunquam posset aliquis esse certus, si vere recepisset [Eucharistiam vel] baptismum. Item, ex parte suscipientis est congruentia; quia, omnino iniustum est, alterum pro iniquitate alterius puniri, quando alter nullo modo communicat iniquitati illius, ita vt possit sibi imputari; Sed, ille baptizandus disponit se ad gratiam, quantum potest; si ergo malitia minister impeditur, ille punitur propter culpam alienam nullo modo imputandam. Tanquam ergo infideles puniendi sunt, qui præcepta Patrum & superiorum contemnunt, testante Beato

B Gregorio 37. Moral. *Obedientia sola est, quæ meritum fidei possidet, sine qua infidelis esse quisque conuincitur, licet fidelis esse videatur.*

Ex quorum Patrum doctrina sequitur, quod quilibet tenetur parere superiorum mandatis, non solum in his, quæ ex sacra scriptura deducuntur, aut euidenti ratione conuincuntur, sed etiam in his, quę sic obscura sunt, vt nec cognitum sit, quod Deus sic, aut aliter velit. Vnde & Beatus Bernardus, vbi supra, monet; quoniam de dubiis nobis, quoad Dei voluntatem, sic dicendo. *Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & præcipienda fallere possunt; Respondendum, sed enim quid refert tua, qui conscius non es, præsertim* cum tractas de scripturis; *quia, labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirent, quia angelus Domini exercituum est. Requirent legem, quam vel authentica vlla scriptura tradidit, vel ratio manifesta probauit. De huiusmodi quippe nec præceptor expectandus est, nec prohibitor auscultandus, Sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, vt in dubium venire possit; Vtrum nam Deus sic, an aliter forte velit. Si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore angeli Domini* (Malach. 2.)

C *ni rectum reddatur, à quo denique diuina potius consilia requirentur, quam ab illo, cui tradita est dispēsatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.* Hæc Bernardus.

Valde igitur notandi sunt, & tanquam de infidelitate, & hæresi suspecti, qui non solum non volunt, sed etiam nolunt obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo non solum super his, quæ sic in dubium venire possunt, an Deus sic, vel aliter velit; sed etiam super his, quæ aperte sacræ Scripturæ repugnant.

Item hæretici sunt censendi, qui nolunt ad requisitionem sui Iudicis dimittere habitum insuetum, & suspectum; in quo plures, tāquam sub ouina pelle, lupi rapaces, callidæ vulpes, venenosi serpentes, dicentes se discipulos Christi, latuerunt, prout super hoc Inquisitores hæreticorum certam notitiam habent, & habuerunt. De quibus pseudodiscipulis Apostolus 2. Tim. 3. prędixit: *hoc scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Ne aūt crede-

D ret, quod in extremis tantum temporibus, videlicet Antichristi imminerent ista pericula dicit glossa consequenter super illo verbo: *Ex his sunt, qui penetrant domos,* &cæt. quod in primitiua Ecclesia quidam tales fuerunt; per quales instabunt ista pericula. Sed appropinquante finali Ecclesia, in maiori multitudine erunt. Item insuetum habitum, voluntarie assumptum, & ab Ecclesia non concessum, licet vilem reprobat Beatus Augustinus in sermone Domini in monte sic dicens: *Maxime animaduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine seruitutis Dei plures decipit. Qui autem in professione Christianitatis insuetato squalore, aut sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, cæteris eius operibus potest conuinci.*

Si igitur quis ad requisitionem Iudicis, cum ratione talis habitus suspectum habentis, statuerit, se nolle talem habitum dimittere, & sibi de alio prouidere; constat eum

E non necessitate, sed voluntarie tali habitu insueto, quasi pro noua religione vti. sed sacris Canonibus est interdictum, ne quis nouum Ordinem, aut religionem inueniat, aut habitum nouæ religionis assumat: sed quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis. Constat igitur, quemcunque talem contra præceptum Ecclesiæ venire, qui sic insuetum vestitum pro religione ab Ecclesia non approbata vsurpans, sub quo & hæretici sunt reperti, coram Iudice deponere contemnit.

Item, quicunque congregationes & conuenticula facit discipulos sibi eligendo, sicut* præfatus Nicolaus de Lugduno fecit, quos per orbem terrarum circumducit, & noua eis loca construit, aut constructa recipit, in quibus eos angulatiter docet, & à quorum doctrina & conuersatione nequaquā vult desistere, est tanquam vulpes callida, & rapax lupus in sua doctrina vitandus. Timēdum est enim, ne forte sit de numero illorum, de quibus dicit Apostolus (* vbi mentio huius Nicolai facta?)

F Actorum 20. *Scio quod intrabunt post discessionem meam in vos lupi rapaces, non parcentes gregi, loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Et multum videtur addere, & præsumptionem facere, quod talis sit perfidus & peruersum dogma doceat, si in huiusmodi conuenticulo hæretici sunt reperti, testante B. Ambrosio, & dicente in Epistola secunda ad tres Imperatores. Quomodo enim fieri potest, vt, quem societati hæreticorū inferrum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ iudicemus? Vnde Ecclesi. 13. scribitur; *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea.* Deuitandus igitur est talis in doctrina sua, qui pro ipsa secreta loca exquirit. In hoc enim obuiat doctrinæ Christi, Matth. 10 *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine,* &c.

Rursum quod talis sit vitandus, patet per B. Ioannem in Canonica sua secunda: *Si quis venit ad vos, & doctrinam, Christi non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis; qui enim dixerit ei aue, communicat operibus eius malignis.* Et 2. Timoth. 2. dicebat Apostolus. *Profana autem & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum*

G *vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam: Et subuerterunt quorundam fidem.* 2. Timoth. 3. *Et hos deuita.*

FINIS.

REFVTATIO ERRORVM, QVIBVS VVALDENSES DISTINENTVR, INcerto auctore.



Erroribus hæreticorum Waldensium est subsequentibus, & aliis subscriptis obuiandum. Et notandum, quod Frater Petrus infra spatium vnius anni de prædictis hæreticis reuocauit ad fidem circa sexcentos.

Primo dicunt, hæresiarchas, quos apud se fratres nominant, & in confessione Dominos appellant, esse veros discipulorum Christi successores.

H Contra: Ipsi secreto prædicant, & paucis hominibus in angulis domorum, & plerunque noctis tempore; quorum etiam occultissime confessiones audiunt: ergo non sunt successores Apostolorū Christi; de quibus dicit Psalmus & Apostolus Roman. 10. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Christus Luc. 12. (Psalm. 18.) *Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis.* Item Matth. 26. *Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo,* &c. Item. Matth. vlt. *Ite, docete omnes gentes.* Item, Luc. vlt. *Nonne oportuit Christum pati,* &c. *& prædicari remissionem peccatorum in omnes gentes.* Item, Christus Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo in Synagogis, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Item, Matth. 26. *Quotidie apud vos eram docens in templo. Quotidie,* dicit, contra hæresiarchas Waldensium: qui sæpius nocte prædicant, quando familia Christiana dormit, quam inter se vocant *alienam,* & die *Frembden*: *in templo* dicit, contra eosdem; qui in cameris, solariis, granariis,* stubellis, occultissimis & clausis. Ideo, (* hypocaustulis.)

A non solum non sunt Apostolorum Christi successores; verum etiam sunt fures & latrones: qui lucem odiunt, ad lucem non veniunt; quia, *mala sunt opera eorum*, *& non in Deo facta*, Ioann. 3. cap. Item Ioann. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* Et ibidem; *quotquot venerunt*, (ante me) id est, sine auctoritate Dei, vel Romanæ Ecclesiæ, se miserunt, *fures fuerunt & latrones*. Ipsi vero dogmata peruersa sub verorum dulcedine, & sanctarum doctrinarum specie, contra veritatem Romanæ Ecclesiæ prædicant: ergo non ab ea, sed contra eam à magistro erroris diabolo missi sunt: nec vnquam literis, aut scripturis, aut signis probauerunt, quod à Deo missi sint. Ergo, licet quædam veritatem continentia doceant, vt sunt, non furari, non mœchari, non maledicere, non fallere, non mentiri, &cæt. His tamen sententiis mellitis venenum iniquitatis Articulorum hæreticorum, per sanctam Romanam Ecclesiam reprobatorum inferunt, simplices decipiunt, animarum salutem subtrahunt, & furantur, & infinita mala introducunt.

B Secundo dicunt; *Sacerdotes Ecclesiæ Catholicæ sine ratione ideo non esse veros & legitimos successores discipulorum Christi; quia possident propria, quod, secundum eos, Apostoli non fecerunt, præcipiendo Domino Matth. 10. Nolite portare sacculum, neque peram, neque pecuniam in zonis vestris: nolite possidere aurum, neque argentum*, &c. Et dicente Petro; *Ecce nos reliquimus omnia*, Matth. 6.

Respondetur, quod idem ipse Dominus, qui ante tempus manifestæ persecutionis dixit, quod præmissum est, imminente hora passionis, horum licentiam dedit. Luc. 22 *Quando misi vos sine sacculo, pera, & calceamētis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et respondentibus ipsis, nihil; Dominus subiunxit. *Sed nunc, qui habet saccum, tollat, similiter & peram*, &c. Item ipse Dominus, qui ante mortem dixit coram Pilato; *regnum meum non est de hoc mundo*; post resurrectionem suā, dixit coram discipulis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Item Pater ad filium Psalm. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.*

C Item tempore primitiuæ Ecclesiæ, non solum Apostolis, sed omnibus credentibus *erant omnia communia*, *& nemo quidquam suum esse dicebat*; Vnde etiam Ananias, & Saphyra fraudem committentes, à Petro correpti mortui sunt. Si ergo sacerdotes ex possessione proprietarum non sunt sequaces Apostolorum: ergo nec Laici primorum credentium; & per consequens, credentes hæresiarcharum Waldensium, etiamsi hæretici non essent, condemnati sunt; si ea, quæ magistri eorū vna cum ipsis asserunt, vera sunt, &c.

Tertio, quia vident in pluribus presbyteris Ecclesiæ mala exempla, superbiæ, auaritiæ, incontinentiæ, ebrietatis, rixæ, iracundiæ, inuidię, & aliorum vitiorum Ideo plus credunt suis hæresiarchis præbentibus eis exempla bona humilitatis, largitatis, castitatis, sobrietatis, pacis, amoris, mansuetudinis & aliarum virtutum, quam præsbyteri prędicti: & libentius audiunt eorum prædicationes, quam illorum; & libentius confitentur eis, quam illis, & maiorem credunt eos ex bona vita exteriori habere autoritatem absoluendi à peccatis, quam illos; quanquam non credant eos ab Episcopis Ecclesiasticis ordinatos.

D Contra: Iudas Ischarioth, traditor, Matth. 26. Fur, Ioan. 13. Simoniacus Matth. 26. *Quid vultis mihi dare*, &c. & aliis plenus vitiis, vt etiam Dominus *diabolum* appellaret, Ioan. 6. *Nonne duodecim vos elegi; & vnus vestrum diabolus est?* Hic tam scelestus cum aliis vndecim ad prædicandum mittitur. Matth. 10, Prædicat, baptizat, signa facit. Et potuit vtique Dominus angelicum hominem, verum Israelitam, qualis fuit Nathanael. Ioan. 1. (ad quem Dominus; *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est*,) in Apostolum, vnum de duodecim elegisse; sed noluit; imo Iudam Diabolicum secum habuit, ad prædicandum misit, potestatem super virtutem inimici donauit. Dominus etiam leprosum sanatum ad sacerdotes misit, quanquam essent peruersi. Mat. 8. Item Luc. 17. Decem leprosi cum essent coram Domino, sanati non sunt, sed missi ad sacerdotes; & euntibus sanitas data est. Nam scribitur: *Et factum est, dum iret, sanati sunt.* Item Dominus Matth. 23. Eos, ad quos vno Capitulo dicitur octies. *Væ vobis*, honorat ibidem in principio dicens: *super Cathedram Moysi*, &c. *quæ dicunt, facite.* Item Ioan. 11. *Hoc Cayphas à se non dixit, sed, cum esset Pontifex prophetauit.* Ecce Pontifex malus, est honore prophetiali decoratus. Item Paulus in Act. Apost. c. 23. *Cum percutienti se summo sacerdoti dixisset, percutiat te Deus paries dealbate*; *& improperantibus ei, qui astabant, & dicentibus tu summum sacerdotem Dominum maledicis?* Respondit, nesciui, quod sit summus sacerdos Domini. Scio namque scriptum; *Principem populi tui ne maledixeris.* Item filij Heli, Ophni & Phinees, mali fuerunt, & tamen sacerdotale habuerunt; nec per Iudęos depositi sunt, donec eos Dominus occideret in bello, &c. Exod. 22.

E

Quarto dicunt; *Sanctos in patria non esse inuocandos.* Ratio. *Quia absorpti sunt plenitudine gaudiorum, vt nihil possint cogitare de nobis, & his, quæ nobiscum aguntur.*

Contra: Luc. 15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Si gaudent super pœnitentia peccatorum, sciunt vtique eam. Non enim potest quis super eo, quod verum sit, an non sit, noscit, gaudere. Si ergo angeli sciunt, quod peccatores hic pœnitent; sciunt ergo nō tantum nostra opera bona, sed etiam mala. Item Apoc. 1. 2. 3. scribit Ioannes septem Angelis, id est, septem Episcopis in Asia, quorundam bona bona opera, & etiam mala, & illa didicit ab Angelo; ergo angeli, sciunt nostra bona & mala. Item, Matth. 18. *Angeli eorum*, id est, paruulorum, *semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est*; ergo Angeli in cœlo faciem Dei conspiciunt, etiam paruulos in terris custodiunt. F

Et, si dicit hæreticus; tu probas recte pro Angelis, sed non pro animabus Sanctorum. Contra: Matth. 22. *Filij regni non nubent, neque nubentur, sed sunt similes Angelis Dei*: imo alius Euangelista, *æquales* dicit. Item, si Angeli, qui nunquam sunt in corporibus, faciunt incommoda nostra, multo plus animæ sanctorum; qui cum essent in corporibus, cum corporibus passi sunt ea. Item, ex quo cognoscere est bonum rationalis creaturæ, quæ hic cognoscit in via, multo plus cognoscit in patria. Ideo Christus per *cognoscere* describit vitam æternam Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et quia omnes fideles sunt membra corporis Christi mystici; ergo sine ipso non potest totum corpus Christi mysticum cognosci. Cognoscunt ergo sancti in patria ea, quæ nobiscum aguntur, clarius, perfectius, constantius, quam nos ipsi, qui quales isto momento in quo sumus, futuri sumus, nescimus. Ipsi vero, qui nos in Deo, & in Dei verbo æterno vident, & cognoscunt, nos mutabiles & inconstantes immutabiliter & constanter cognoscunt nos, & ea, quæ hic nobiscum aguntur, in quantum est pro gloria eorum, & pro laude Dei. Vnde Ioann. 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* G

Item in inferno est cognitio; ideo potius in cœlo. Primum patet Luc. 16. *Eleuans autem diues oculos suos cum esset in in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu suo.* Item recordabatur se habere adhuc quinque fratres in domo patris sui. Nec obstat, quod scribitur Ecclesiastę 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare: quia non est opus, nec scientia, nec ratio apud inferos, quo tu properas*: quia hoc intelligitur de opere meritorio, & salubri. *In inferno enim laborabunt in æternum, & viuent adhuc in finem.* Et labor eorum pessimus, & miserabilis est; maledicere Deum, inuidere bonis, & irasci. Apoc. 16. *Commanducabunt linguas suas, & maledicent viuentem in sæcula sæculorum.* Psalm. 111. *Peccator videbit, & irascetur.* Et hic labor non solum est eis non meritorius, imo pœna miserabilis & acerba, grauior quam gehennalis flamma. In purgatorio: etsi non laborabunt hic miserabiliter, & damnabiliter: tamen nihil omnino merentur omnibus pœnis eorum, nec de præmio essentiali, nec accidentali. Et sicut dictum est de *opere*, ita etiam dicendum de *scientia* & *ratione* apud inferos. Psalm. 48. H

Patet ergo, quod tam reprobi, quam electi cognoscūt, differenter tamen; quia electi in verbo, reprobi ex naturali discursu. Diues enim, cum nec vidisset fratres suos quinq; in Abrahæ sinu, nec apud se in inferno; ergo cognouit eos adhuc esse in paterna domo. Dictus est autem infernus *terra obliuionis*; quia etsi quædam sciuntur, vt præmissum est; hoc tamen solum est eis ad maiorem pœnam & confusionem: Electis vero ad gloriam.

Item

A

Item dicunt, (Waldenses hæretici:) *Si sancti orant pro nobis, ipsi arerent gaudio.*

Contra: Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris:* Qui non potest videre sine gaudio & deiformitate Electorum. Item Angelus Gabriel, quando salutauit Virginem Mariam, & ei exposuit veri Dei incarnationem; non solum gaudio non caruit; imo maius habuit, quam est gaudium Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente; quæ tamen non profuit alicui ad salutem æternam, sine incarnatione & morte Christi. Plus fuit ipsis gaudium de totius mundi salute, quæ ortum habuit in incarnatione Verbi. Vnde in Christi natiuitate facta est *cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium & dicentium; Gloria in excelsis DEO;* qui est cantus exultationis & lætitiæ. Luc. 2.

Item Tob. 12. dixit Angelus Raphael ad Tobiam. *Quando orabas cum lacrymis, & abscondebas per diem mortuos in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli preces tuas in conspectu Dei.* Item Ioannis Apoc. 5. *Vidit Angelos habentes phialas suas &*

B

tutibula aurea plena odoramentorum, & exposuit; *quæ sunt orationes sanctorum.*

Item dicunt *Tamen solus Deus creauit nos, redemit nos, glorificabit nos; ergo sibi soli, & nulli aliorum seruiemus.*

Respondetur: verum est, solus Deus creauit nos, sed non sine sanctis eius redemit nos, & glorificabit nos. Voluit enim ante opus redemptionis habere Patriarchas, eius aduentum, & nostram redemptionem & glorificationem prænunciantes in figuris; Prophetas, in promissionibus & scripturis: Ioannem, qui præcurreret: Apostolos qui Euangelium eius per totum mundum prædicarent, & signis & prodigiis & miraculis confirmarent. Item Martyres, qui nos eorum tormentis & morte, in fide solidarent; & qualiter pro fide pugnare debeamus, instruerent: Doctores & Confessores, qui nos doctrinis & exemplis virtutum instruerent, & scripturas imponerent. Omnes ergo tales honorandi sunt, & inuocandi, & eis seruiendum est, quos omnipotens Deus taliter, vt præmissum est, honorauit, vt etiam eum per mortis acerbitatem sequerentur. Ecclesiast.

C

Gloria magna est, sequi Dominum. Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Ecce, licet Pater omne iudicium dederit filio, Ioan. 5. tamen etiam Apostoli, imo quique perfecti, cum Domino iudicabunt. Matth. 19. *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, &c. Et sedebitis super sedes iudicantes & condemnantes duodecim tribus Israel,* Illos scilicet, qui vobis credentibus credere noluerunt. Si ergo taliter eos honorauit Rex omnipotens; quomodo non honorarent eos eius famuli? Hester. 9. *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.*

Nunc ad illam præcellentissimam Virginem Mariam Dei genitricem, * & eam omni laude dignissimam firmissime credamus. In Euangelio Luc. 11. cap. quando viri pessimi dixerunt de Domino Iesu. *Hic non eijcit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum: extollens vocem quædam mulier de turba dixit ad Iesum. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti:* volens hæc mulier laudare filium, laudauit matris vterum. Latior enim fuit laus illa, qua boni filij bonam laudauit matrem; quam si solum bonum filium commendasset. Potuit enim dixisse; Beatus es Domine Iesu cœlorum terrarumque creator, leprosorum mundator; infirmorum curator, cæcorum illuminator, surdorum, claudorum, mutorum reparator; mortuorum suscitator, famelicorum in desertis locis cibator, super maris vndas ambulator; optime prædicator. Si hæc & talia, & alia, quæ Christi sunt ex æterna eius diuinitate, quam nō originaliter ex homine matre, sed ex Deo patre habuit, expressisset, filium vtique sine matre commendasset. Vnde Ioann. 2. cap. cum in nuptiis Virgo pauperum defectui compatiens, dixit ad filium; *Vinum non habent,* dixit Dominus: *quid mihi & tibi est mulier?* quasi diceret; mutare rerum naturas eius est, qui creauit eas, Dei videlicet, quam à te originaliter non habeo. *Nondum venit hora mea.* Quando pendentem videbis in cruce humanitatem, quam à te suscepi, durissime vulnerari. * Volens igitur mulier Euangelica prædicta,

* veniam.

D

* videtur aliquid deesse.

in Domini laudem amplam & latam prorumpere, ab eius dignissima genitrice voluit exordium ducere, dicens, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.*

E

O vos igitur Waldenses hæretici miserabiles & miseri; qui nunquam dicitis, beata & casta mater Domini, quam velut ignaram & surdam esse creditis; imo, quasi non sit laudis digna, non beatificatis, cum tamen ipsa dixerit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Pater ergo vos non generationes sed corruptiones esse, & pessimos corruptores. Et si vera essent vestra dogmata, iam non esset misericordiæ mater Virgo Maria: quia dicitis; si ipsa nostri misereretur, esset ipsa misera, non beata. Pater, hoc euidentissime falsum esse. Si enim omnis misericors esset miser, quid prohiberet miserum esse Deum? ad quem Dauid: *Miserere mei Deus.* Et Paulus vocat eum patrē misericordiarū, & Deum totius consolationis. Aliter ergo mouebatur Christus in carne mortali; cum diceret; *Misereor super turbam: quia non habent, quod manducent:* & aliter iam in carne glorificata. Similiter credendum est de Virgine Maria, & aliis [sanctis] qui sunt in patria. Item in Canonica 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Christus Deus non interpellat pro nobis; quia est æqualis patri secundum deitatem. Interpellat autem pro nobis secundum humanitatem Christus homo. Ergo etiam Maria Virgo, & quilibet sanctus & Angelus in cœlo. Luc. 1. Psalm. 50. Ioan. 6.

F

Item dicunt hæretici; *Tamen scriptum est; Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies. Ergo non est sancto alicui seruiendū.* Deut. 6.

Respondetur; verum est, adoratione latriæ, solus Deus est adorandus. Sed adoratione duliæ omnes hi adorandi sunt, & eis seruiendum, ad quos dixit Psalmista. *Ego autem dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Et Boethius in de consolat. *Omnis beatus, Deus.* Et si natura quidem vnus est Deus, participatione vero nil prohibet esse quam plurimos. Item, quamuis Christus solus sit ostium in ouile ouium hic in terra militantium, & in cœlo triumphantium: tamen in Apoclypsi describitur ciuitas Hierusalem habens portas duodecim secundum duodenarium Apostolorum [numerum.] Sancta ergo mater Ecclesia sobriè, piè, & iustè canit ad B. Virginem, Aue maris stella, &c. Fœlix cœli porta: Item sponsa in Canticis potuisset dixisse; *Dilecte,* tui amore langueo. Non sic dixit; sed sic; *Filia Hierusalem, nunciate dilecto; quia, amore langueo.* Item diues, videns Abraham esse honoratum à Deo, adeo vt requies Patrum sanctorum sinus Abrahæ diceretur: *Rogo te Pater Abraham,* dixit, *miserere mei,* quia tamen immediatè potuisset dixisse; *Miserere mei Deus,* &c. Psalm. 81. Apoc 21. Cant 5. Luc. 16.

G

Quarto dicunt; *Ecclesiarum dedicationes esse inutiles & ædificationes turrium, Ecclesiarum, Campanarum, ornatuum, altarium consecrationes & cœmeteriorum, cantus organorum, & plurima,* imo quasi omnia, quæ pro solennitatibus fuerint, damnant, & reprobant, dicentes *esse pompas & superbias Deo displicitas.*

Contra: Moyses ad mandatum Domini fecit arcam dispositionis mirandæ, & pulcherrimæ, vt pulchritudo Iudæorum vocaretur arca à Dauid in Psal. 77. *Tradidit Dominus pulchritudinem eorum in manus inimici.* Item Salomon ad mandatum Domini templum pulcherrimum ædificauit & ornauit, consecrauit, & consecrationis festiuitatem instituit. Dauid in Psal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Et hoc templum in scriptura *sanctum* dicebatur. Vnde Psalmista; Psal. 10. *Dominus in templo sancto suo.* Item Psal. 5. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Item, 1. Mach. 4. *Machabæi ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Domino.* Item, Christus Dominus, veniens in Hierusalem, prius, frequenterque venit in templum, de quo Christus allegat per * Prophetas, Matt. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Imo, nunquam legitur Christus pro aliquo malo tam apertam vindictam fecisse; sicut de inhonoratione templi: *faciens quasi flagellum de funiculis* (Ioan. 2.) *eiecit vendentes & ementes.* * Isa. 56. 1. Machab. 3.

H

Item de ornatu vestimentorum sacerdotalium. Respondetur, quod ad mandatum Domini Moyses fecit fieri Aaron Pontificalia.

Item, sicut in eius Passione vestitus est alba veste coram

A

Herode, & veſte purpurea & chlamyde coccinea coram Pilato: ſic ad memoriam paſſionis, quā ſacra miſſa repræſentat, dicente Dño; *hoc facite in meam commemorationem*, ſacerdos vtitur & induitur talibus veſtimentis. *Luc. 22.* Veſtes ſacerdotales ſignificant virtutes, & repræſentant Chriſti veſtes, quibus indutus fuit tempore paſſionis. Amictus quo tegitur caput, ſignificat ſalutem, quæ per fidē tribuitur. Epheſ. 6. *Galeam ſalutis aſſumite.* Et repræſentat illud operimētum, quo velabant Iudæi faciem Chriſti, dicentes; *Prophetiza nobis Chriſte*, Mat. 26. Alba, qua tegitur corpus à ſurſum vſque deorſum, ſignificat ſpem, quæ ex gratia prouenit Eccleſiæ ſurſum, & ex meritis Eccleſiæ deorſum. Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus*; Hæc repræſentat veſtem albam, in qua illuſit Herodes Chriſto, Luc. 23. Cingulus ſignificat iuſtitiā, cuius duo ſunt brachia inter ſe conſtringentia, ſc. declinatio à malo, & reparatio in bono. Iſa. 11. *Et iuſtitia cingulū lumborum eius.* Et repræſentat flagellum, quo Pilatus fecit cædi Ieſum, Ioan. 18. Manipulus, qui in læua manu ponitur, ſignificat fortitudinem, quâ contra aduerſa bellatur.

B

*Philoſophus; *fortitudo eſt virtus retundens impetus aduerſitatis.* *[* Ariſtoteles.]* Hic repræſentat funem, quo Chriſtus fuit ligatus à Iudæis. Ioann. 18. Stola, ſiue Orarium habet duo brachia pendentia, & ſignificat prudentiam & temperantiam. Per prudentiam diſcernit, quid fugiendum, & quid ſequendum. Per temperantiam, qualiter moderandum. De primo Mat. 10. *Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes.* De temperantia, quæ eſt, in proſperis non extolli: ad Tit. 2. *Sobrie, &c. viuamus in hoc ſæculo* Hæc repræſentat ligaturam, qua fuit Chriſtus ligatus ad columnam. Caſula, quæ cætera contegit, ſignificat charitatem, *quæ operit multitudinem peccatorum.* *1. Pet. 4.* Et repræſentat purpureum veſtimētum, quo milites circumdederunt Ieſum, Ioan. 19.

Item de cantu Eccleſiaſtico, quantū Deo placeat, & nō diſpliceat, notetur Verbum Moyſi poſt tranſitum maris rubri: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt*, &cæt. *Exod. 15.* Itē cecinit ſoror eius Maria cum cæteris dominabus. Item ad clamorem Iudæorum cecidit Iericho. *Ioſ. 6.* Item Iſaias & Dauid: *Cantate Domino canticum nouum.* *Iſai. 42.* Item, *hymnus omnibus ſanctis eius*: imo plurima ſcriptura facit ad hoc per ſeriem Bibliæ.

C

Pſalm. 149. *Pſalm. 48.* Et Chriſtus accepit cantus & clamores præeuntiū & ſequentium in die palmarum. Clamabant enim & benedicebant: *Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Iſrael, benedictum regnum patris noſtri Dauid, Oſanna in excelſis.* *Matth. 21.* *Luc. 19.* *Mar. 11.* Ex iſto etiam probatur, quod proceſſiones, quas facit Eccleſia, ſunt Deo & acceptæ & gratæ, &c.

Sexto dicunt; *Quod Papa, Archiepiſcopi, Epiſcopi non habeant maiorem auctoritatem, quam ſacerdotes.*

Contra: In Exodo ad conſilium Ietro ſacerdotis Madian, Moyſes Deo placitus elegit centenarios, quinquagenarios, decanos, qui iudicarent populum in cauſis & caſibus ſimplicibus. *Exod. 18.* Maiora autem negoria deferebant ad Moyſen. Vnde Dauid; *Diſtribuite domos eius.* *Pſalm. 47.* Item in veteri Teſtamento in temporibus Chriſti, erant Hieroſolymis ſummi Pontifices & Sacerdotes. Item, Matth. 16. dixit Dominus Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Item Paulus in Epiſt. ad Epheſ. 4. *Dedit* Dominus *alios Paſtores & Doctores, alios* Euangeliſtas. Item Pſalmiſta: *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* *Pſalm. 132.*

D

Sicut caput habet ſenſus aliorum membrorum, & non è conuerſo; ſic Papa, caput Eccleſiæ, auctoritatem omnium inferiorum [obtinet] & non è conuerſo. Et ſicut in capite eſt plenitudo ſenſuum, ſic in Papa plenitudo poteſtatum. Item in Actibus, 8. *Audientes diſcipuli, quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad illos Petrum & Ioannem; qui, cum veniſſent, orabant pro eis, vt acciperent Spiritum ſanctum.* Ecce, quod alij diſcipuli facere non poterant, principales faciebant, &c.

Septimo dicunt, *Quod ea, quæ conſtituuntur ab Epiſcopis & Eccleſiæ Prælatis non ſunt ſeruanda; eo quod ſint traditiones hominum, non Dei.* Reſpondetur; quod, ſicut licuit Prælatis primitiuæ Eccleſiæ, ſtatuere ac ordinare, prout ſaluti animarum videbant expedire; ita etiam licet Eccleſiæ Romanæ Act. 15. Item Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Item, 1. Ioan. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus.*

E

Item. 2. Cor. 7. *Cæteris ego dico, non Dominus.* Ex quibus patet, quod Eccleſia Dei non fuit, nec eſt cōtenta his, quæ Chriſtus præſens docuit. Et ideo potuit competentes conſtitutiones facere illo inſpirante. Matt. 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, &c.* Item Eccleſiæ de Iudæis, quæ minoris & auctoritatis & poteſtatis fuerat, licuit conſtituere præter legem Dei. Heſter. 9. Item, 1. Machab. 2. & 4. Item Apoſtoli mutauerunt formam baptiſmi traditam ſibi à Chriſto; & baptizauerunt in nomine Ieſu Chriſti. Act. 3. & 10. & 19.

Ad auctoritates hæreticorum, primo, Deut. 10. *Non addetis ad Verbum, quod ego loquor, neque minuetis ex eo.* Item, 13. c. *Quod ego præcipio tibi, hoc tantum fac, nec addes quidquam, nec minues.* Reſpondetur; quod Iudæi non debebant addere legi aliquid, ne inſufficiens lex eo tempore videretur. Item obijciunt Iſaiæ 29. & Matth. 15. *Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Reſpondetur; quod conſtitutiones Eccleſiæ non ſunt tantum hominum, ſed Dei, qui per miniſtros ſuos illas inſtituit.

F

Matth. 10. Non vos eſtis qui loquimini, &c. Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Item, Rom. 15. *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.*

Item obijciunt ad Gal. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod euangelizatum eſt vobis, anathema ſit.* Reſpondetur, præter id, id eſt, cōtra id. Item ſimiliter reſpondetur; Apoc. vlt. *Si quis appoſuerit adhæc*: id eſt, contra hæc. *Inſtituit ergo Eccleſia propter Dei glorificationem, animarum ſalutem, delictorum emendationem, & peccatorum declinationem, & bonorum ſpiritualium & ſalutarium confirmationem, & propter ipſorum ampliationem & propagationem. Ecce ſex cauſas, &c. *[* Id eſt conſtituit ſeu conſtitutiones facit.]*

Octauo dicunt; *Quod non liceat Prælatis excommunicare; & quod Eccleſia Dei non debeat malos perſequi, nec etiam vitare.* Non aduertentes; quod ad Dei gloriam pertinet, quod eius contumelia de medio tollatur, & contumelioſi de medio ſanctorum eijciantur. Et hoc ſolū magiſtratui Reipub. commiſſum eſt, quod ſoli incumbit ex officio Item, quanto magis è vicino ſunt hoſtes ciuitatis ſanctificatæ, Deoque dilectæ, tanto periculoſius eam impugnant.

G

Maxime autem ſunt ei à vicino quando ipſi ſunt permiſti. A maximo autem nocumento, & maxima impugnatione maxime cauendum eſt eidem ciuitati; quare à permiſtione maiorum cauendum eſt. Iſai. 57. *Viam facite, præbete iter, declinate à ſemita, auferte offendicula de via populi mei.* In quo poteſtates ſeculares, adiutores ſunt; & adiutorij magiſtratus ſpiritualis. Propter quod inuocandi ſunt à magiſtratu ſpirituali cum pœna ſpiritualis non timetur.

Item; Omni medicina ſpirituali & ſalutari vtendum eſt medicis ſpiritualibus contra morbos ſpirituales vitiorum & peccatorum. Sed excommunicatio eſt medicina. 1. Cor. 2. Item ad Tit. 1. A corpore. n. humano ſecatur membrum putridum, ne cætera inficiat, & à grege, ouis morbida, ne cæteras contaminet. Item, à congregatione, collegio & ciuitate ſeparantur & eiiciuntur rebelles & contumaces, ne fermentum malitiæ paucorum totam maſſam corrumpat. Quia vero medicus generis humani Chriſtus Dominus eius Eccleſiæ facit de propria carne antidotum, & de proprio ſanguine ſirupum, nullum voluit eſſe ſalutis medicamentorum expertem.

H

Etiam Deus corporibus humanis prouidit medicamenta ſufficientia; multo fortius debuit hoc facere animabus. Medicus autem corporalis, non ſolum vtitur lenitiuis, ſed quandoque aſperis; ſic etiam facere debet medicus animarum.

Excommunicatis etiam & indignis Sacramenta ſanctiſſima communicanda non ſunt; quia à gratia ſanctitatis remotiſſimi ſunt, vtpote Deo rebelles & contrarij. Iob. 15. *Tetendit aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt.* Non eſt ergo ſanctum dandum canibus: nec margaritæ proijciendæ ſunt ante porcos. Matthæi 7. & Marc. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sicut autem paterfamilias filium proteruum & contumacem à domo eijcit, quem aliter corrigere non poteſt. Sic paterfamilias ſpiritualis Prælatus. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, & ſeq. Si Eccleſiā non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Item, Mat. 18. *Amen, amen, dico vobis, quod*

A *cunque ligaueris super terram.* Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 1. Ioan. 3. *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert*, &c. Et subdit causam: *Qui enim dixerit ei aue, communicat operibus eius malignis.* 1. Corint. 5. Tulit Apostolus sententiam (excommunicationis) contra fornicatorem. Item alios excommunicauit propter hæresin. 1. Timoth. 1. quos tradidit Satanæ. Item 1. Corinth. in fine; Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. Item, Gal. 1. *Si quis euangelizauerit præter id*, id est, contra id, *quod accepistis, anathema sit.* Item, 2. Thessal. in fine; *Denunciamus vobis, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Item, Rom. 9. *Declinate ab eis. Ista autem subtractio & declinatio debet fieri secundum formam traditam.* Matthæi 18.

Opponunt autem hæretici contra excommunicationes huiusmodi; 1. Pet. 2. & 3. *Qui cum malediceretur, non remaledicebat.* Item, *non reddentes malum pro bono.* Item, 1. Corin. 3. *Maledicimur & benedicimus.* Respondetur; non licet excommunicare amore pœnæ, sed amore correctionis & iustitiæ, B sicut patet Deutoronom. 27. Luc. 11. Mat. 11. Actor. 8. 13. & 23. Galat. 5.

Nono dicunt; *Indulgentias & remissiones, quæ per Episcopos fiunt, nullius esse vtilitatis, & momenti.* Et arguunt sic: *Si benefactoribus alicuius loci remittitur tertia pars, vel huiusmodi iniunctarum pœnitentiarum; ergo remissiones illæ, sunt venales. Si quis enim ouum, vel obulum dederit, erit benefactor; Et, si datur illi remissio pro pecunia, venalis erit remissio, & remissionis gratia.*

Respondetur, quod Prælatus per Indulgentias & remissiones huiusmodi intendit ampliorem cultum, & honorificentiam Dei. Ad hoc enim aliqua Ecclesia ædificatur, vt honor Dei & cultus amplietur: Vt in ea talis sancti laudes digna veneratione celebrentur, vt per diuinum seruitium remissiones & gratiæ, cæteraque Dei beneficia fidelium animabus impetrentur. Sicut igitur non pro pecunia, licet per pecuniam, ædificatur Ecclesia: sic, non pro pecunia, sed per pecuniam fit indulgentia: Et quod cum pecunia, & per pecuniam fit illa indulgentia, hoc est; quia C locus huiusmodi nō potest ædificari sine pecunia. Et sicut non pro aqua sed per aquam, & non sine aqua, in baptismo datur remissio peccatorum: Non pro chrismate, sed per & cum chrismate fit confirmatio. Nec pro pane & vino, sed per panem & vinum, seu, non sine pane & vino fit missæ celebratio; sic, non pro pecunia, sed cum pecunia, & per pecuniam, & non sine pecunia, vel æquiualentis fit indulgentia, & huiusmodi remissio. Secundo arguunt sic. *Si duorum, vel plurium annorum pœnitentia in vnius oboli oblationem commutatur, & annorum plurimorum in horam breuissimam: ergo Deus defraudatur.*

Respondetur, quod ipse decor & honor diuini seruitij & cultus non solum supplet, quod de pœnis per indulgentias subtrahitur; sed etiam superabundat; maxime cum sacrificium laudis, orationum incensa, & laudum thymiamata plus Deus diligat, quam tormentorum pœnalium, siue pœnitentialium afflictiones. Isai. 58. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominē animam suam? nunquid saccum & cinerem sternere?*

D Tertio arguunt sic: *Si verum esset, quod de indulgentiis dicitur; ergo eodem precio longæ & graues pœnitentiæ, quo leues, & breues redimuntur.*

Respondetur; sicut non maiorem peccatorum remissionem obtinet, qui in maiori aqua baptizatur, quam qui in minori; sic qui maiorem offert pecuniam, non maiorem recipit remissionem, & indulgentiam, quam qui offert minorem. Et hoc ideo; quoniam sicut non ex aqua est remissio in baptismo, sed ex virtute diuina, quæ adest clauibus, & ministerio Prælatorum. In omnipotentis enim iudicio non quid datur, sed à quo, inspicitur. Vnde Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ex eo, ad munera eius.* Simile patet de vidua duo æra minuta offerente. Et licet communi vocabulo dicatur ibi fieri remissio, magis tamen in veritate fit ibi commutatio. Quia enim leuius est aliquid offerre habentibus & abundantibus, quam pœnitentiales labores & molestias ferre: illa remissio reputatur cōmutatio pœnitentialis afflictionis in munus oblationis, &c.

E Quarto arguunt sic: *Huiusmodi indulgentiæ dant impunitatem peccandi; quia homines impune peccant, si tam leuis, imo ridiculosa sit redemptio peccatorum.*

Respondetur; Quod si soli indulgentias huiusmodi suscipiunt, qui mundi sunt, & immunes à mortalibus peccatis; nulli autem certum est, quod immunis sit, & mundus ab illis. Timor enim Dei timere facit omnes quia bonarum mentium est ibi timere culpam, vbi culpa non est. Nulli ergo certum est, quod indulgentias illas percipiat. Certum autem debet esse vnicuique, se esse debitorem iniunctæ sibi pœnitentiæ. Quare certum est, neminem propter huiusmodi indulgentias debere cessare ab agendâ pœnitentia, ne committat se periculo, & inæstimabilem ignem Purgatorij incurrat pro negligentia agendi pœnitentiam. Nulli propter hoc pro certo & præcisè promittimus indulgentias, sed sub conditione illa, si immunes & mundi sunt à mortalibus.

Quinto arguunt; *Si indulgentiæ essent veræ, tunc insanissimi sunt, qui transfretationes, & alias longas peregrinationes suscipiunt, si tres oboli tantum eis prosunt.* F

Respondetur; quod sicut in baptismo plus prodest trina immersio in aquam sanctificatam ad remissionem peccatorum; & hoc propter virtutem Sacramenti, quam quæcunque, vel quantæcunque aliæ ablutiones in alia quacunque aqua, licet fiant pœnitentialiter, & plus valeat vnius peluis aqua baptismaliter vtentibus, quam magna flumina, vel etiam totum mare aliter vtentibus: sic modicus labor, vel modica oblatio in operibus, propter quæ indulgentiæ fiunt, plus prosunt ad obtinendam remissionem, quam magnæ oblationes, grauesque labores aliter facti: & hoc propter virtutem clauium, non propter se. Propter virtutem etiam clauium confidendum est de sanctorum suffragio specialiter, quorum veneratio fit in locis, pro quibus indulgentiæ istæ fiunt, quæ veneratoribus & cultoribus suis indulgentias & remissiones huiusmodi impetrabunt, quæ volunt, ex beneuolentia, & possunt ex gratia: & ideo vere impetrant. Item confidendum est, de meritis & suffragiis omnium sanctorum, quoniam eorum omnium generalis, aut specialis veneratio & memoria est ibi facienda. G Item confidendum est de meritis Ecclesiæ; huius vox est, quæcunque orationes, & seruitia ibi fiunt, & ex persona eius dicuntur. Item confidendum est de gratiositate & virtute diuini cultus, qui non potest esse non gratiosus apud Deum, cuius est honor & gloria. Indulgentias autem dare eius est, cuius pœnitentiales satisfactiones iniungere. Eiusdem est etiam, eas augere, minuere, & mutare, prout ad Dei honorificentiam, & animarum salutem, publicamque, & specialem, imo spiritualem validitatem viderit expedire, &c.

Decimo dicunt, *animas illorum, qui in charitate decedunt, nulla pœna Purgatorij puniendas.* Et quia ipsis arguitur: tamen rarissime aliquis talis est sine peccatis venialibus: ergo oportet eum purgari post hanc vitam. Respondent, & maxime priores hæresiarchæ; *quod nullum sit peccatum veniale.* Et quia ipsis arguitur, de maximis peccatoribus, qui pœne nil in tota vita sua pœnitent, sed prope finem vitæ conuertuntur: hi, quia in charitate decedunt, non debent æternaliter condemnari. Et quia hic nihil purgati sunt; non debent statim ingredi ad regnum æternum.

Respondent; *Quod quandocunque dimittitur alicui culpa, dimittitur & pœna.* Etiam negant Purgatorium post hanc vitam, dicentes: *solum esse duas vias, scilicet bonorum immediate ad vitam æternam; & malorum, immediate ad mortem æternam.* H Probant, videlicet Matth. 7. *Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur. Lata autem est via, quæ ducit ad mortem, & multi ingrediuntur per eam.* Et ibi non ponuntur plures viæ, ergo tantum sunt duæ. Item Eccles. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Et taliter etiam negant suffragia Ecclesiæ tam militantis quam triumphantis, quæ fiunt pro mortuis.

Ita ex vno errore fiunt quatuor. Primus, quia nullum sit peccatum veniale. Contra: Qui hoc dicit, non sentit de Domino in bonitate, cum credat ipsum pro qualibet offensa irasci seruis eius ad mortem: non enim Pater misericordiarum pro qualibet offensa charissimos filios suos exhæ-

A redabit: quin potius, sicut habet gladium æternæ mortis, quo vtitur in seruos maleuolos pro magnis offensis; sic habet virgam correctionis & purgationis transitoriæ in suos filios pro leuibus offensis. Item, sicut non est ad mortem omnis infirmitas, vel vulnus, corporalis: sic nec omnis læsio vel infirmitas animæ est mortalis. Item, sicut nō omnis casus corporalis est fractio colli & capitis: Ita nec est semper ad mortem casus spiritualis. Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus, & resurgit.*

Item, sicut non proijciuntur vasa pretiosa pro qualibet inquinatione, sed purgantur: sic nec animæ, pro qualibet immunditia damnantur, sed purgantur. Ad idem patent exempla in veste, ornatu & aliis, quæ non pro qualibet macula, seu vitio destruuntur; sed *siue per ignem siue per aquā eduxisti nos in refrigerium.* Psalm. 68

Item, si nullum peccatum sit veniale, nullus erit absque mortali. Psalm. 115. *Omnis homo mendax.* Et. 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Item, *quod sit aliud peccatum veniale non mortale,*

B patet. 1. Ioan. 5. & 6. Et 1. Corinth. 4. *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem,* quem creauit benignitas creatoris ad purgandas animas humanas, sicut creauit ignem, ad purganda metalla.

Contra secundum errorem, qui ponitur, quod quando dimittitur culpa, dimittitur & pœna, quæro; Ad quid ergo monet scriptura ad pœnitentiam? Matth. 3. quia, si est aliquis in mortali, non est ei pœnitentia meritoria. Si vero dimissum est ei peccatum quoad culpam, non est ei pœnitentia necessaria quoad absolutionē à pœna, cum secundum eos, nullius pœnæ sit debitor? Item, quare his, qui magis peccauerunt, maior iniungitur pœnitentia, si tota pœna dimittitur eis cum culpa? Item constat, quod antiqui Patris multi pœna puniti sunt, & in exilio huius mundi, & etiam post mortem, licet culpa mortalis esset eis dimissa, fuerunt in limbo, donec Christus eduxit eos. Oseæ 13. Act. 2. Apoc. 1. Coloss. 2.

C Item, si hoc esset, videretur diuina iustitia euacuari, & esset dedecus culpæ sine decore vindictæ. Item, pœna proportionalis est culpæ; sed cum peccator non imponit finem suæ culpæ, debetur ei pœna infinita & acrior, secundum quod culpa fuit maior. Ergo cum peccator imponit finem culpæ suæ, debetur ei pœna infinita & transitoria, & maior vel minor, secundum quod culpa fuit maior, vel minor.

Præterea cum Deus Pater potius voluerit, quod proprius eius filius pœnam pro humano genere transitoriam solueret, quam quod eam remitteret: non est verisimile, quod ita de facili pœna peccatoribus remittatur. Et Bernardus: *Qui non parcit filio, nunquam parcet figmento, nunquam parcet seruo nequam.* Si forte dicatur; Quod pœnitentes de peccato puniendi sunt in præsenti & in futuro; ergo Dei misericordia erit magis propitia his, qui differunt conuersionem suam vsque in finem vitæ suæ, quam qui in iuuentute sua conuertuntur; cum puniantur hi, & non illi; Et sic Deus erit benignior in contemptores suæ benignitatis, quam in alios. Quo contra Rom. 3. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?*

D Contra tertium errorem, quod possint suffragia Ecclesiæ pro mortuis non prodesse. Nota, quod sit detestabilis, cum sæuiat in mortuos, auferens Ecclesiæ succursum his, qui igne Purgatorij cruciantur. Contra illud Ecclesiast. 7. *A mortuo non prohibeas gratiam.* Vide ergo quam sit iniquum prohibere, dare eleemosynam indigenti. Prouerb. 3. *Noli prohibere eum benefacere, qui potest, si vales, & ipse benefac.* Quod autem valeant huiusmodi suffragia; patet Ioann. 1. vbi ad preces Mariæ & Marthæ Dominus Iesus Lazarum suscitauit. Item ad preces Petri fuit Thabita suscitata. Actor. 9. ad idem 1. Corinth. 15. Si mortui, & cæt.

Hactenus manuscriptum exemplar.

E

INDEX ERRORVM,

QVIBVS VVALDENSES INFECTI SVNT.

1. Item suffragia B. Virginis Mariæ & omnium sanctorum negant allegantes, *quod sint completi gaudijs cælestibus, & nesciunt quid hic agatur nobiscum.* Idcirco nec ieiunant Vigilias eorum, nec dies celebrant, ne oblationes faciunt, nec reliquias osculantur, nisi in quantum oportet, ne à Christianis notentur.

2. Hac etiam de causa Magistri eorum non iniungunt suis confitentibus Aue Maria. Nec etiam tam ipsi, quam credentes eorum dicunt Aue Maria, nisi rarissime. Etsi Magistri eorum paruulis primo confitentibus iniungunt Aua Maria, hoc faciunt, quia Neophytis eorum hoc nimium displicet, si quoquo modo ab Aue Maria prohibentur; maxime cum nondum idonei sint ad capiendum, vel occultandum secreta. F

3. Item dicunt, Christianos esse idololatras propter imagines sanctorum, & signum crucifixi.

4. Item cantum Ecclesiasticum & horarum Canonicarum dicunt esse *latratus canum.*

5. Item quidquid benedicitur ab Episcopis & Presbyteris, siue sit ipsa Ecclesia, siue fons Baptismi, sal, aqua, herbæ, cœmeteria, paramenta, palmæ, candelæ, dicunt penitus non valere: Et si quandoque intersunt, hoc faciunt, ne notentur.

6. Item indulgentiis & peregrinationibus, & Ecclesiarum dedicationibus nihil credunt.

7. Item de sepulturis in Ecclesiis & cœmeteriis non curant; nisi vt non notentur: dicentes, vtilius esse in locis aliis speliri. Idcirco quando Magistri eorum moriuntur in domibus credentium suorum: quia sunt aliis hominibus ignoti, sepeliunt eos in profundis foueis cellariorum suorum; ne, si quando necesse foret vendere domum; & alij Christiani quidpiam ibi fodiētes ex inuentis mortuorum ossibus malum aliquod suspicentur, &c. Sicut frequenter in agris procurant se & in pomeriis sepeliri. G

8. Item dicunt, Papam esse caput omnium hæresiarcharum; & ex eo ipso, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Imperatores, Reges, Principes, Duces, & omnes Iudices tam spirituales, quam seculares vna cum omnibus presbyteris esse damnandos differentes, si possibile esset, aliquem saluari, ex tunc fides eorum esset falsa, & mala, & nulla. At hoc reputant impossibile.

9. Item, omne iuramentum credunt esse mortale peccatum.

10. Item, Sacramentum confirmationis non credunt; licet plurimi eorum se confirmari faciant, ne notentur.

11. Item dicunt, nihil orandum esse præter Pater noster. Ergo, plurimi eorum ignorant Aue Maria. Non orant Psalmos ac orationes alias quantumcunque deuotas. Item dicunt, omnia verba Missæ, & omnia præparamenta ad Missam spectantia, esse de errore, præter verba consecrationis. H

12. Item quidam ipsorum consueuerunt se ipsos* consecrare ad Pascha isto modo. Aliquis eorum sumit panem azymum ponēs eum super paruum afferem vnū, & aquam ad vnum cochlear, & benedicit ista simul: & communicat se & alios; quo facto, tam afferem, quam cochlear in igne proijcit comburenda. Plurimi tn̄ Magistrorum suorum abhorrent hoc, non habentes multam fidem in huiusmodi communione propria: sed ad communicandum in Ecclesia, *quando est populi maior pressura, ne notentur. Multi tamē ex ipsis quandoq; manent sine communione ad quatuor, vel sex annos, abscondentes se in villis vel ciuitabus Paschali tempore, ne à Christianis agnoscantur.

*communicare, forte

*veniunt.

13. Item suadent credentibus suis ire ad communionem Ecclesiæ solum tempore Paschali, & sic colorant se, quasi sint etiam Christiani.

A 14. Item docent orare subditos suos in omni loco, in quo manent;& vt primum orent pro illis, qui sunt in secta, quatenus omnipotens Deus eos ab omni malo custodiat; & quatenus nobis Christianis, quos inter se *alienos*, id est, die Frembden/credunt & nominant, permittat aduenire bella, famem, pestilentiam, vel alia incommoda, vt in eo tempore ab eorum inquisitione & impugnatione cessemus.

15. Item processiones in die Corporis Christi & aliorum temporum Christianorum, dicunt esse vnam *truffam*, & ridiculum simpliciter, & de candelis quas Christiani solent ibidem deferre.

16 Item de signo Crucis nihil credunt, asserentes, quod nec venerentur illam Crucem, in qua Christus pependit; nec spineam coronam, nec clauos, nec lanceam, nec tunicam inconsutilem, si viderent; quorum omnium venerationem dicunt esse vanam & inutilem: & quod sacerdotes inuenerunt propter lucra.

B 17. Item excommunicationes siue Papæ, siue aliorum Prælatorum nihil omnino curãt, nisi suorum superiorum.

18. Item Vniuersitates scholarum, Parisiensem, Pragensem, Wiennensem, & aliarum, reputant inutiles, & temporis perditionem.

19. Item quidquid summi Pontifices, & ordinarij in Ecclesijs seruandum statuunt, nihil aduertunt, &c.

20. Item de Martyribus, Confessoribus, Eremitis & Sanctis, Nicolao, Martino, Hieronymo, Ambrosio, Katharina, Margaretha, & omnibus aliis sanctis, quidquid prædicatur, nil credunt, sed dicunt, quod fortassis in inferno sepulti sunt.

21. Item dicta sanctorum nihil curant, nisi quantum pro secta eorum confortanda retinent: sed tantum nouum Testamenrum ad literam obseruant.

21. Item, vocant nos Christianos vulgariter die Frembden/id est, *alienos*; & se, die Kunden/id est, *notos*, quasi Deus non nos, sed rantum ipsos noscat quoad cõprobationem.

C 23. Item omne homicidium, quorumcunq; maleficorum credunt esse mortale peccatum dicentes; sicut nos non posse viuificare, sic nec debere occidere.

24. Item ædificia altarium, Ecclesiarum, turrium, Campanarum, organorum, & cætera Ecclesiarum ornamenta reprobant.

25. Item omnia paramenta Episcoporum, infulas, chirothecas,* curuaturam, annulos; & eadem vocant superstitionem.

** pedum.*

26. Item dicunt, quod coronas, & tonsuras clericorum Deus odiat: eo quod non sit idem institutor.

27. Item confessionem generalem nihil aduertunt.

28. Item miracula, quæ fiunt in Ecclesia Dei Sanctorum meritis, omnino abijciunt.

29. Item docent subditos suos ne grauiora peccata sacerdotibus confiteantur, & mittantur ad auctoritatem Episcoporum, vt mos est Christianorum; & ibi confundantur, & pecuniis excorientur; dicentes, quod sacerdotes sint pleni auaritia.

30. Item consecrationes Clericorum, Ecclesiarum, D Cœmeteriorum, & Ordines Ecclesiasticos dicunt esse insaniam & errorem; & quod Papa & Episcopi talia adinuenerint propter lucra.

31. Item improbant omnes religiones tam monachorum, quam sanctimonialium dicentes, esse superfluas & inanes.

32. Item dicunt, quod Papa, Episcopi, Cardinales, &c. non hẽt maiorem auctoritatem, quã simplices sacerdotes.

33. Item dicunt; quod nemo possit à dæmone obsideri, & vexari, & quod talia sint vana vesania, quæ circa dæmoniacos peraguntur.

34. Item asserunt, quod oẽs, qui destruunt siue consilio, siue auxilio, vel fauore sectam illam, cæteris profundius condemnentur.

35. Item dicunt, quod illa secta sit vera & vnica fides Catholica, extra quam nullus possit saluari.

36. Item derident Christianos, qui eligunt sibi Apostolos, prout mos est fieri in Ecclesia Dei & Christi, & qui vigilias sanctorum ieiunant & festa celebrant; Etsi ipsi propter colorem similia faciunt, dicunt se hoc solum ad laudem Dei, & non sanctorum facere. E

37. Item alios complures articulos habent, qui in prædictis includuntur, & faciliter ex ipsis eliciuntur.

IN EODEM CODICE SVBIVNGEBANTVR SEQVENTIA.

NOta. Quidam sunt hæretici alterius sectæ pessimæ, qui tenent quosdam diabolicos articulos: quorum paucos subscribam. Primo, adorant luciferum; & credũt eum esse Dei fratrem, iniuriose de cœlo detrusum, & secum ipso regnaturos, pueros eorum ei immolant. Ipsum pro diuitiis rogant; prius aquam baptismalem abluunt, chrisma salis fricatione abluunt: ad loca subterranea, quæ communiter der Büsteller/quo nescio inuentore, dicuntur, conueniunt; promiscuas concupiscentias & abominabiles luxurias exercent. Beatam Virginem post Christi partum dicunt non mansisse castam, sed plures filios habuisse: Corpus Christi, & omnia alia Sacramenta non credunt: Pollice oculos tempore eleuationis obstruunt. Hæc & similia innumera, dimissis illis, asserunt & confirmant, &c. F

Sapiens igitur homo ille, qui omnibus aliis explosis solos illos articulos firmissime tenet, qui per Romanam Ecclesiam publice prædicati & determinati sunt, fuerunt, & erunt in Christo Iesu Domino nostro.

MODVS EXAMINANDI HÆRETICOS.



Vando producitur suspectus aliquis de hæresi; quæratur primo: scis, quare sis captiuatus? Item, sciuerunt quid alij de tua captiuitate? Item, audistine ab aliquo causam tuæ captiuitatis? Si dicit, nescio: dic; dicitur de te, quod ex informatione quorundam secretorum Magistrorum, quibus in simplicitate tua confisus es, à fide Christiana publica, & manifesta parumper aberraueris. Quidquid post hoc dixerit, siue sic, siue aliter, statim procedatur secum ad iuramentum, nisi adeo iuuenis & puerilis existat, quod etiam iuramentum quid sit, & cuius vigoris non intelligat. G

Forma autem iuramenti primo in communi proponatur his verbis: Ecce tu iurabis, quod velis puram veritatem dicere tibi notam, de te, & de omnibus aliis, de quibus hic requisitus fueris. Si iurare noluerit, plus suspectus erit. Et vide ne tibi subripiat, quasi volens iuramenti causam & inquisitionem, vtpote vel compellentem vel iubentem, retorquere. Postquam autem induxeris eum, quod sponte velit iurare: Ipse sponte, & per se digitos imponat, & formam verborum non mutet. Ibi sit cautus, propter versurias vulpium fraudulentas. H

Forma autem iuramenti vulgaris est ista: Ich Hans schwere ein Eyd Gott dem Allmächtigen/ meinem Herrn von Mentz/ vnd den gegenwertigen Herrn an seiner statt/ daß ich wil sagen eine lautere warheit/ ohn alles Gefehr/ aller der Dinge/ die mir wissentlich sind/ der ich hie gefragt wird/ von mir/ vnd allen anderen Leuten/ als mir Gott helff/ vnd sein heilige Mutter an meinen letzten Zeiten.

Si scis, quis sit, quis vocetur, à quibus parentibus, & vnde natus, vbi nutritus, & qualiter conuersatus, tanto melius. Si nescis, sic interroga. Quod est tibi nomen? vnde es natione, vel oriundus? quis fuit Pater tuus? quæ mater? qui fratres, quæ sorores? Cuius artificij es? & cuius erat Pater tuus? Es tu ne vnus ex notis hominibus. Bist du nicht ein Kunder? Es tu de secta Waldensium?

A

ALIVD CAPITVLVM.

INTERROGA QVASI AFFIRMATIVE EX SVPPOSITO SIC:

QVotiensES tu confessus hæresiarchis, id est, illis bonis hominibus, qui ad te venerunt occultè dicentes, se loco Apostolorũ in mundo de loco ad locum ambulare, prædicare, & confessiones audire? Quot annis es tu iam hic residens? Quot annis etas, quando primo fuisti eis confessus? Hinc computare potes, quandiu fuerit in secta. Primo adde; quando es eis vltimo confessus? Quales reputasti illos, quibus sic confessus fuisti? Habuerunt coronas Clericales, vel vestes sacerdotales? Quid iniunxerunt tibi pro pœnitentia? Tenuisti pœnitentiam illam, vel impleuisti? Iniunxeruntne etiam aliquod Aue Maria? quanto tempore debuisti illam pœnitentiam implere? Credidisti tu, quod possent te absoluere? Vtrum melius, quam nostri

B

sacerdotes, vel æqualiter? Quis primo induxit te in sectam, vel in vitam illam? Quot hæresiarchis es confessus? quod fuit [nomen] primi, quod secundi, quod tertij, &c. Fuerunt patentes tui illius sensus, sectæ, opinionis, vel vitæ? quotiens sumpsisti corpus Christi? Es tu confessus etiam nostris sacerdotibus? Es tu etiam confessus nostris sacerdotibus te fuisse talis opinionis? quare non es confessus? Hinc concludere potes, quod sumpsit corpus Christi in peccato mortali, & in excommunicatione Papali. Quotiens audiuisti prædicationes eorum? Vbi primam? In quot domibus istius loci? In quo * coramodo istius domus? fuit die, vel nocte? mane vel vespere? Qui fuerunt tecum? Quotiens audiuisti inter amicos tuos taliter dici: quando nostri sacerdotes prædicauerunt, & ipsi interfuerunt. Ille sacerdos bene prædicauit, sed multa mendacia admiscuit? quotiens es taliter locutus? quale mendacium admiscuit, sicut tibi videtur? Quid prædicauerũt? Post hoc, vade ad articulos, & primo principales.

* In welchem Zimmer oder Gemach.

Primus articulus, de Purgatorio. Sic interroga. Quid

C

prædicauerunt Magistri tui, vel illi, quibus es confessus, de Purgatorio? Estne aliquod Purgatorium? Estne aliquod Purgatorium post hanc vitam?

Secundus articulus, de suffragiis Ecclesiasticis pro fidelibus defunctis, sic interroga. Quantum oras quotidie pro animabus parentum tuorum, vel aliorum amicorum, vel benefactorum tuorum defunctorum? quãtam eleemosynam dedisti pro eis? quot dies ieiunasti pro ipsis? quid offers in anniuersariis eorum? quot missas celebrari fecisti vel procurasti pro eis?

Tertius articulus est de veneratione sanctorum, & imploratione auxilij eorum. Sic interroga. Scis Aue Maria? dicas, qualiter scis? scis aliquam orationem deuotam de aliquo sanctorum specialiter? si scis, dicas eam. Credis S. Mariam & alios sanctos scire miserias nostras, quas habemus in terris, & compati nobis, & orare pro nobis? Quis est patronus in parochia tua? quando celebratur eius festum? Ieiunaturne eius vigilia per Ecclesiam? Ieiunasti tu ipsam, & celebrasti diem eius? Qualis est sanctus ille? An-

D

gelus, Martyr, Confessor, Apostolus, Virgo, vidua? quid prædicatur de vita eius? quid prædicatur de morte ipsius? quãtum obtulisti in festiuitate sua pro veneratione ipsius? Elegisti tibi Apostolum? Quis est Apostolus tuus? Interroga, quando celebretur eius festum? & alias interrogationes (fac) sicut iam dictum est de Patrono.

Quid sentis de adoratione S. Crucis, clauorum, coronæ spineæ, lanceæ, & aliorum insignium Christi & imaginum sanctorum Dei? Signasti te signo Crucis? Es tu osculatus reliquias sanctorum? Es tu confirmatus? quid est confirmatio? Visitasti tu limina sanctorum pro indulgentiis? Fuisti Romæ, Aquisgrani, Pragæ, ad ostensionem reliquiarum? Aspersisti te aqua benedicta? gustasti sal benedictum? habes herbas & palmas benedictas in domo tua, & candelam? Fecisti talia ex puro corde, sicut alij homines Christiani, quos tu *alienos*, id est, die Frembden nominas? Vel fecisti solummodo talia ad ostentationem, ne notareris? dic puram veritatem. Credisne sanctum Marti-

E

num esse saluatum? & sanctam eius animam esse in regno cœlorum? Vis bibere in nomine sancti Martini? Scis aliquam cantilenam de Deo, vel de sancta matre sua? Cantasti etiam in die Paschæ, Christ ist erstanden? Quid sentis de cantu organorum, & cantu scholarium & sacerdotum? de campanis magnis, turribus, ornatibus templi, paramentis? Possetne celebrari missa sine vestibus illis & altari? Transisti aliquoties ad dedicationes Ecclesiarum, altarium, & ad ordinationes presbyterorum, & ad primas missas nouorum sacerdotum? Si staret in voluntate tua, velles libentius te, vel aliquem amicorum tuorum sepeliri in cœmeterio, vel in alio communi loco, vt in agro, vel pomærio?

Potest homo occidi sine peccato mortali? Peccatne Papa, mittendo exercitus contra Saracenos, & dando Crucem contra rebelles alios? Peccantne Imperatores, Reges condendo leges de occisione? Peccantne Iudices & iurati condemnando impios morte, vel condemnando maleficos morti. Potest quis peccare sine peccato mortali?

F

Quantum peccauit, qui dixit; Vere vidi illum, & non est mentitus? Credis esse vnicam fidem Christianam, sicut credis vnum Deum, & vnum baptisma. Et sic interroga de aliis articulis quibuscunque.

Et tunc dic: Ecce relinquitur tuo arbitrio, & voluntati, si velis veraciter conuerti, à tuis erroribus, & ab illa & omni secta hæretica? Et amplius nunquam communicare, nec participare aliquibus hominibus istius sectæ, quamdiu tales sunt, & super hoc facies iuramentum; & quod pœnitentiam peragere gratiosam velis. Et iurabis ex te ipso taliter: Ich Hans schwere ein Eyd GOtt dem Allmächtigen vnd meinem Herrn von * Mentz / vnd den gegenwertigen Herrn an seiner statt / ohn alles Geude / daß ich fürbaß me / nimmer kommen wil zu den Leuten / die sich nennen die Runden Waldisser / noch kein Gemeinschafft haben will / weder mit jhnen / weder mit jhren Meistern / Predigern / Beichtigern / dieweil sie also sindt. Auch verschwer ich allerley Vnglauben der da ist wieder den offenbahren Glauben / den mann gemeiniglich vberall helt in der heiligen Römischen Kirchen vnnd Christenheit / vnd das ich mich will gesellen zu der Buß vmb meine Missethat / wann mann mich darzu fordert / vnd will die Buß halten / wie mann mir sie aufflegt / nach Gnaden / als mir GOTT helff / vnnd seine heilige Mutter an meinen letzten Zeiten.

* *Strarius in lib. 5. Rerum Moguntiacarum.* Irrepsit Moguntiã his temporibus VValdensium Hæresis, adeo vt ea infames 36. ciues Bingam abducti, & ibidem igne plexi sint. *Accidit hoc sub Conrado II. huius nominis qui Ar-*

G

chiepiscopatum iniit M.CCC. LXXXVIII. Obiit M. CCC. XCV. Quapropter cum & in hac, & in superius recitata iuramẽti formula, mentio fiat Archiepiscopi Moguntini suspicari subit scriptũ hoc Moguntiæ primitus natum esse. Vide Clement. Ad

H

nostrum de hæreticis.

DE ERRORIBVS BEGEHARDORVM.

EX CODICE MANVSCRIPTO CONRADI DE MONTE PVELLARVM Canonici Ratisbonensis contra Begehardos & Beginas.

LIcet enim iam dudum in Wiennensi Concilio status quorundam hominum vtriusq; sexus, & præcipuè in Alemanniæ partibus, qui vulgariter Begehardi, quoad viros, & Beginæ, quoad fœminas, nominantur, fuerit prohibitus, nihilominus hi homines nequaq; minorati sunt, sed tam in statu suo, quam in erroribus quotidianum hacten⁹ acceperunt & accipiunt incrementum. Nec est, qui inter Prælatos notabilem obicem opponat. Sunt. n. huiusmodi viri rusticani, & pleriq; mechanici, corpore robusti, & literarum omnino inexperti, ac penitus idiotæ: aut, si literas aliqualiter norunt, tenuissimum tamen est, quod sciunt. Hi opera manualia suorum postponentes artificiorum cucullati gyrouagando Prouincias per diuersas incedunt, & latebras quærunt occultas, præcipuè hospitiis Beginarum inhiantes, eo q̃ simile suo simili complaudat. Quibus pro nocturno receptaculo in prima congressione malitiæ suæ, coloratis verbis, insanas, & vt plurimum infectiuas seminant doctrinas. At illę illorum in crastino promotrices, seu, vt verius dicam, copulatrices, ostiatim per domos cursitant mulierum, intimando sub arcani Sigillo, asserentes angelum verbi diuini adesse occultum, quoadusque conuenticula eisdem hypocritis placita congregentur. Quibus

A bus secretissime conuenientibus in vnum, labia suæ malitiæ resoluunt, de attributis in diuinis, atque de proprietatibus diuinæ bonitatis differendo. Et sic paulatim descendendo, affirmant, qualiter ex pietate diuina homo ad Dei imaginem creatus existat, & tantum mereri valeat per exercitium bonorum operum, vt Christo Domino nostro in humana anima sua æque perfectus quis efficiatur. Talium etenim vnū de Sueuia natum, ego in Ratisbona reperi, qui iam prædictum & articulos alios in Clementinis prohibitos sub titulo de hæreticis ad nostrum, diligenter affirmabar.

Nec veretur quorundam illorum temeritas maledicta, de Sacramentis Ecclesiasticis iudicare, blasphemantes in perniciosum Ecclesiæ Christi scandalum, & in animarum suarum æternum periculum, Saluatoris nostri memoriale nobis relictum salutiferum, videlicet beatissimum Eucharistiæ Sacramentum, asserentes nequaquam corpus Christi
B verum, sub panis tam succincta quantitate posse latere, siue comprehendi. Pro cuius assertionis pertinaci perseuerantia quidam illorum in carcere reuerendi Patris Domini Ratisponensis Episcopi, iam præteritis temporibus fuerat extinctus.

Blasphemant insuper sacerdotium Christi, presbyteros in Ecclesia Dei, Deifices, quasi Deum facientes, illusiue, seu derisorie nominando. Cū tamen nō Christum faciant sacerdotes, sed per verba consecrationis à Christo instituta, sub speciebus panis & vini aqua misti, Christum Dominum nostrum esse præsentem faciunt corporaliter, vbi corporaliter non fuerat prius, Spiritu sancto huius oblationis transsubstantiationem deifice operante.

Vidi & ego vnum illorum nomine Ioannem de Mechelinia, qui se sacerdotem confitens, publice Verbum Dei in superioribus Alamanniæ partibus diuulgabat, habens crebrum populi concursum, imo etiam simplicis Cleri, nobiles sequelas; qui eundem propter subtilitatem verborum, & dulcedinem eloquij sui libentissime audiebant, ac ipsū Magistrum nominabant. Cui, cum me causa experiētię, a-
C liqualiter applicuissem, reperi eum Sacræ Scripturæ omnino ignarum, & penitus idiotam. Hic inter cætera affirmauit, corpus Christi infra triduum mortuum, in limbo paterno inferni sepultum fuisse. Eo quod diuinitas animæ rationali Christi vnita descenderit tūc ad inferna. Et quia diuinitas Christi nunquam separata fuit à corpore ipsius etiam mortuo: Igitur & tunc oportuit corpus Christi mortuum simul cum diuinitate in inferno fuisse, tanquam argueret isto modo: Vbicunque est corpus Christi, ibidē est diuinitas; igitur & è conuerso, vbi diuinitas, ibidem & corpus Christi. Nesciuit enim se, indoctus Magister, committere fallaciam consequentis; cum esse præsentiale diuinitatis, se longe latius habeat, quam, esse corpus Christi.

Tantis talibusq; seminarijs tam contagiosi morbi non contenti, signis, licet sophisticis; & miraculis quamuis fictis clarescere quidam eorum laborant. Faciunt enim paria vasculorum omnino æqualium, & similium in colore &
D figura: quorum vnū Baccho, id est, vino delicatissimo farciunt, & caute sub hiatu suarum vestium occultant: reliquum vero vacuum liquore ancillæ domus porrigunt pro aqua bibili afferenda; qua siquidem allata, subtili præstigio, oculos præsentium præstringunt, vnum pro reliquo commutando: affirmantes, tunc Spiritum sanctum aquam in vinum sua misericordia conuertisse.

Quanta etiam mala in mulierculis quorūdam illorum recipiant latibula, facundissima, vt dicam, vix congrue exprimeret facundia. Quarum quasdam ipsi per cannas trās parietes cubilium susurrādo ad lectos earum, tanquā vox angelica nocturno sub silentio loquatur puellis, vt commisceantur eis, ad sanctæ prolis prolificationē beatam, decipere laborant. Et Deus scit, quia non mentior, quod ego vni talium, quem deuotum & synceræ fidei æstimabā, frequentē eleemosynam porrexeram; qui vnā ex filiab. meis confessionalibus accedens, cum fictis suspirijs asserebat, sibi Spiritum sanctum locutum, quod ex cōmistione ipsius cum ea nasciturus esset filius, qui B. Ioanni Baptistæ in sanctitatis puritate penitus æquiualeret. Et cum illa secreto me cō suleret, alloquio repagula mox opposui opportuna.

Quia vero illorum Deus venter est, qui Veneris ingluuiem speciali quadam celebritate colere nituntur: igitur E
nonnulli ex eis commessationibus, ebrietatibus, & huiusmodi carnis illecebris inhiantes in libidines spumant, vt cum reuerentia loquar, spurcissimas, adeo etiam, vt contra naturam exercitia pessima committere crebris ausibus sint reperti. Sub illorum etiam habitu quarum libet hæresum species, vtpote pauperum de Lugduno, & aliarum iniquitatis sectarum partitiones per ouile Christi suos Apostolos satagunt seminare.

VARIÆ LECTIONES IN OPVSCVLVM REINERI.

Cvm Reinerus iam excusus esset: venit ad me ex F
Lambacensi Monasterio Austriæ, Codex ille, cuius in Prolegomenis cap. 9. mentionem feci: quem cum editione nostra contuli: & has notulas inde excerpsi.

Inscriptio est talis. Incipit libellus de Hæreticis & erroribus eorum à Fratre Rynhero compilatus.

Pag. 298. v. 14. Littera B. *Quid sit.*

Ibid. v. 48. l. C Omittitur in vtroque exemplari Sacramentum confirmationis. Quod vitio librariorum euenisse arbitror. Infra enim cap. 5. specialis mentio fit Sacramenti confirmationis, quod æque ac alia Waldenses reijciebant. Quod monere visum, ne quis in ipso statim limine suspicaretur, aut sex tantum Sacramenta à Reinero agnita, aut Waldenses Sacramentum Confirmationis approbasse. Ibid. v. 58. *Rescriptum IESV.* Ibid. v. 60 *& omnes tuos.* *Damascenus.* Citat. enim Reinerus Damascenum, cuius sunt, quæ ibidem subiunguntur.

Ibid. v. 63. l. D. *propria faciei.*

Ibid. l. E. v. 18. *In admirationem.*

Ibid. v. 20. l. F. Cod. Lambacensis expresse, *cilicium.*

Ibid. v. 28. l. F. *Curati.* Ibid. v. 29. *Simon.* Ibid. v. 30. *Iubanus.* G

Ibid. v. 42 l. G. *guttnosa.* Ibid. v. 50. *datum.*

Pag. 299. v. 7. l. A. *De secundo nota.* Ibi. v. 15. l. B. *De tertio nota.* Ib. v. 20. *Operarius in die laborans, nocte nihil impedimenti habere poterit, quin discat vel doceat.*

Ibid. v. 28. l. B. *Qui vero excusas se, quod non possit discere, dicunt ei.* Ibid. v. 44. l. C. *Exponētes* sui *pro* poteis, *accipientes*, &c. Ib. 60. l. D. *quod nemo ea intelligit.* Ibid. v. 70. *quædam friuola vel falsa.*

Ibid. v. vltimo *exhibent Sacramentis.* Ibid. v. 7. l. E. *Te vvein.* Ibid. 8. *Merito nos modo.* Ibid. v. 11. *In Prouincia Prouincia.*

Ibid. v. 22. l. F. post illud: *Secutum:* sequitur in Cod. Lamb. Titulus rubrica notatus. *Nomina Ecclesiarum vel villarum.*

Ibid. v. 23. Strāntzinge.

Ibid. v. 45. l. G. *Præter sectas Manichæorum & Paterenorum, quæ occupant Lombardiam, & Præter sectas Ortlibariorum, Runcariorum*, &c. Ibid. v. 63. l. H. *Quando in vna domo sunt hæretici trium sectarum, quantum quælibet damnas alteram & simul Romanam Ecclesiam impugnant, & sic sub dolo vulpecula.*

Pag. 300. v. 18. l. B. *doctrina ipsorum & Runcarii.* Postea subditur iste titulus. *Blasphemia & errores* Ibid. *quia ipsi doctrinam Euangelij*

Ibid. v. 7. l. E. post: *Pharisæorum.* Subditur hic titulus. *Hæretici damnant omnia Sacramenta.* H

Ibid. v. 12 avvegen. Ibid. v. 29. l. F. *nihil prosit.*

Ibid v. 30. post, *reprobant:* Sequitur iste titulus: *De pœnitentia.*

Ibid. v. 51. l. G. post, *amplexus*, titulus. *De extrema vnctione.*

Ibid. v. 29. l. H. *praui & notorii peccatores.*

Pag. 301. v. 14. post; *Doctorem.* Titulus. *Errores circa consuetudines Ecclesiæ.*

Ibid. v. 44. l. C. *idololatriam.*

Ibid. v. 63. l. D. *oblationes Pompa funerum.* Ibid. ver. 65. post, *animabus. Item vigilias nocturnas funerum reprobant, propter insanias, quæ ibi fiunt.*

Ibid. v. 28. l. F. *per conditionem respondendo.*

Ibid. v. 39 l. G. *Syfridenses.* Ibid. v. 47 *Torsonis*

Ibid. v. 51. post *horum*, Titulus. *Errores Ortlibariorum.* Mox. *Ortlibarij.*

Pag. 302. v. 7. l. A. *inter se.* Ibid. v. 9. post. *Sancti.* Titulus. *Opiniones Ortlibensium.*

Ibid. v. 18. *Sic virgo genuit.* Ibid. v. 24. l. B. *& alios trahendo.*

Ibid. v. 42. l. C. *deprehendes.* Ibid. v. 51. *confitentur ordinem suum initiatorem sectæ.*

Ibid. v. 2. l. E. *Et flagellatur, quando aliquis ipsorum male tractatur vel affligitur, vel cum occiditur.*

Ibid. v. 40. l. G. post. *dicunt:* Titulus. *Diuisio Katharorum.*

Ibid. v. 44 *Baglenses.* Ibid. v. vlt. l. H. post; *intelligunt.* Titulus. *Quatuor falsa Sacramenta Katharorum.*

pag. 33. v. 49. l. C. *subsequenter.*

A Ib d.v.25.l.F.*Quando autem.*Ibid.v.27.*supradictam.*

Ibid.v.47 l.G.*totaliter homini.*

Ib.d.v.64.l H *Item.*

Pag.304.v.22.l. B. *De secundo nota.*Ibid.v.26. *Similiter facit filius minor absente Episcopo, & filio maiore.*Ibid.vers.32.*Item.* Ibid.v.38.post:*servitium;*titulus *Ordinatio Episcopi antiqua.*

Ibid.v.45.l.C.*ad hoc congregati, & ab Episcopo ordinabatur.*

Ibid.v.45.*Et ita fere qualibet Ecclesia Catholicorum.*

Ibid.v.61.l.D.*duos habuerit Episcopos:*omissa vocula,*filios.*

Ibid.v.64.*illa gratia.*Ibid.v.68 *quod omnes Cathari.*

Ibid.v.3 .E.post *inter eos:* Titulus. *De nominibus Ecclesiarum Hæreticorum Latinorum.*Ibid.v.7.*Concorezo.*

Ibid.v.27.l.F.*Dugranitiæ omnes simul quingenti.*

Ibid.v.30.l.E.post.*inter eos.* Titulus.*Opiniones Katharorum.*

Ibid.v.32 *Albanensium, qui alio modo dicuntur de Senzano.*

Ibid.v.36.*Gelesmansa.*

Pag.305.v.28.l.B.*Item.* Non,*per verbum Apostoli.* Et hæc est vera lectio. Aiebat enim delirator iste, malum principium denotari per illud Non, de quo 2.Cor.1.Apostolus.

Ibid.v.38.post;*Scribere.* Titulus.*De erroribus Ioannis de Lugduno.*Ibid.v.53.l.C.*sic exponit.*Ibid.v.56.*ad aliquod bonum.*

Ibid.v.35.l.F. Videtur legendum *prædictam,* quia vterque Codex vti-

B tur isto compendio p̄dtm̄.

Ibid.v.40.l.G.*decepto errore, qui inde etiam dicit Deum summum in malo. Sed de Christo dicit, quod in eo fuerit potentia peccandi, siue vis transgressoris.*

Ibid.v.58 *præscit illud aliquando* Ibid.60.l.H.post *fecerunt:* non comparent illa verba:*Sicut ipse Ioannes ait,* sed v.63.post,*aduersario suo:* subduntur ista:*Sicut ipse Ioannes de Lugduno ait.*

Ibid.v.68 *anima Dei.*

Pag.306.v.35.l.B.post: *E conuerso.* Titulus. *Opiniones Concorezensium.*

Ibid.v.72.l.F.post.*Christi.* Titulus.*Opiniones Katharorum.*

Ibid.v.6 l.E.post;*dicunt.* Titulus.*Concordantia Hæreticorum.*

Ibid. vers. 7. *& Carthasenses.* Ibid. vers. 8. *Gelesmanse.* Ibid. vers. 9. *quot.*

Ibid.v.24 l.F.*& nisi fuerit.* Ibid.v.25.post. *reuelantur.* Titulus. *Errores Paterini.*

Ibid.v.29.l F. *Dicit Catholicus, excæcauit id est,* &c. Sic in sequentibus, quoties nostra Editio habet, *Contra,* Cod Lamb. exhibet, *Dicit.* Ibid.v.41 l.G.post.*punientur.* Titulus. *Errores Manichæorum.*

Ibid v.45.*irratoriam.* Ibid.v. 46. *commutare.* Ibid.v.52.*nihil iam ei* Ibid.v.56.post illud;*nouem denarios.* Codex Lamb.*Sodomiam licitam esse dicunt,* &c.Ibid.v. 68.loco *pecudis,* quod excusum est, habet vterque Codex; *Penidis.* Nec potest legi, *pecudis,* cum paulo post dicatur; hu-

C iusmodi puero ab omnibus lacticinijs, & quæ ex coitu nascuntur, abstinendum esse.

Ibid.v.69.*cauens.* Ibid.v.72 l.H. *ipso iure.*

Pag.307.v 16.l.A.*Si itaque elegerit.* Ib. v. 20.l. B. *nihil dans ei ad vsum vel ad esum.* Ibid.capitis 7. inscriptio est ista. *Quomodo Hæretici noscantur.* Ibid titu. capit. octaui sic habet. *Qualiter hæretici se ingerant familiaritati Dominorum.*

Pag.308.v.6.l.A *Catholicus* Ibid. Inscriptio capitis noni est ista. *De modo Examinandi hæreticum.* Ibid.v. 22 l. B. *Romana Ecclesia & fidei,* Ibid.v.34.post, *tibi,* Titulus. *Interrogatio.* Ibid. 41.l.C.*& similium.* Ibid. v.47.*cum gladiis, sicut & alii.* Ibid.v.49 *nunquam recederes, sed semper,* &c. Ibid.v 50 *nunquam reuelare.* Ibid.60.l.D. *quid valeat offerri.* Ibid.v.64. *Si credas, quemlibet bonum laicum.* Ibid.v.18.l.E.post; *vel non.* Tit. *In publica Inquisitione sic fit.* Ibid.v.24.*Si iubetis.*

Ibid.v.69 l.H.*Secundum Canones videtur, quod non.* vt extra cap.*Vergentis.Sed contradicunt Leges.* Code.de Hæreticis.L. *Manichæos.* Ibid.v.vlt. *alioqui.* Pag. 310. v.1.*per sanguinem ouis.* Ibid.v.3.*tres pilos.* Ibid.v 21.l.B. *Dæmones aduocant.* Ibid.v.30. *Aliquis de Bryono qui dicitur* Schilwurtz Ibid.v.39.post; *relinquit.* Titul. *Examinatio Leonistæ Hæretici.* Ibid.v.71.l.E.post;possides.*Item si non es sollicitus quid manduces, vel quo induaris.* Ib.v. vlt.*in aure.*

Ibid.v.14.l.E. *Si semper.* Ibid.v.33.l.F. post; *fidei.* titul. *Concordan-*

D *tia & discrepantia Græcorum à Christianis.* Ibid.v.41. *Ex quibus excidunt.*

Ibid.v 73.l H post, *Hebræa:* Titul.*Quid sit contra fidem Catholicam.* Ibid. v. 72. *Dicere, quod homo faciat mortalis peccati actum sine peccato,* &c.

Pag.311.v.38.l B *de deuotione.* Ibid.v.44.l.C.*Item quod anima alicuius, facientis eadem cum Christo,* &c.

Ibid. vers.53. *transformatum* pro, *transferri:* vers. 59.l. D. sic distingue. *non enim ipse est Deus per gratiam adoptionis; sicut qui adoptatur,* &c.

Ibid.v.66.*Quod dixit, ne.*

Ibid.v.72.*Et hoc Lucifer.*

Ibid.v.47.l.G. *Dicere, quod hoc, quod sub cingulo à bonis fit, non sit peccatum, hæresis est Elyotistæ.*

Ibid.v. 49.*bonum hominem peccare.*

Ibid v.53 *non oportere.*

Ibid.v.68.l. H. post; *impeccabilem;* additur; *sed tali plus peccatum est, quam alijs.*

Ibid.v.70.*Ortleni.*

Pag.312.v.6.l.A.*mater quinque.*

EPISTOLAE SEPTEM E

DE VENERABILI SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

EX QVIBVS SENÆ REFELLVNT DELIRIVM FOLMARI Præpositi Trieffensteinii, seu Petræ stillantis, Epistola prima propositum & expositum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITÆ. ex M. S. C. Monasterij Raittenhaslacensis. F

LECTORI.

Vixit circa tempora Alexandri III. Pontificis Romani Folmarus quidam, Præpositus Petræ Stillantis, seu Trieffensteinii in Franconia infra Herbipolim, qui siue ex imperitia, siue ex malitia, siue ex vtraq; varios Errores partim per Epistolas, partim per Tractatus & libros disseminare, & cum in alias, tum nominatim in Bauariam inferre tentauit; Etiam perniciosissimum illum, terq; execrandum circa venerabile Sacramentum Corporis & sanguinis Domini; quem ipse desertis verbis exponit in Epistola prima ad S Eberhardum, Archiepiscopum Salisburgensem; & cui auditus destruendo euertendoq; reliqua Epistolæ gnauiter insistunt; quarũ secundã nõ dubito scriptã esse iussuS. Eberhardi Archiepiscopi. Tertia Gerhohi, seu Gerochi Reicherspergẽsis in Bauaria Præpositi est: qui & libro secundo de Inuestigatione Antichristi contra eiusdem Folmari Nestorianismos acriter disputat. Item præstat germanus Gerhohi frater, Decanus Reicherspergensis in proprio & prolixo Volumine aduersus Folmarũ, Vtrumq;, si Deus volet, aliquãdo publicabimus: quia vtrunq; tam ex vetustis Codicibus exscribendum curauimus, in quorum altero Monasterii Rottenbaslensis in Bauaria inferiore: has Epistolas inuenimus: quas cum scriptoribus contra sectam VValdensium foras exire iussimus; De Gerhoho si plura desideras, Chronicon Reicherspergense non ita pridem à Clariss. viro Domino Christophoro Gevvoldo I. V. D. & Consiliario Bauarico euulgatum; consule. G

DOMINO SVO EBERHARDO SALZBVRGENSI ARCHIPRÆSVLI FOLMARVS, DEI GRATIA, SI QVID EST; H

Semper gaudere, nihil aduersique timere.



Idem meam de veritate corporis ac sanguinis Domini, Domino A. Eboracensi Abbati, sed & alijs litteratis viris ac religiosis mandatam literis, diligenter exposui, eosq; in nullo penitus aduersos, siue diuersos inueni. Sapientes etenim huius mundi cum minime gustent mysterij huius suauitatem, eius videlicet non intelligunt puritatem: ideoque Sacramentum hoc humilibus spiritu per Domini spiritum credimus reuelatum. Ego igitur in sacrosancto mysterio, sicut spiritualis vuæ meracissimum sanguinem, *Impia Folmari Epistola:*

A sub vini sapore ac specie bibere me quidem, sed solum & purum, sine carne, non dubito: ita solam & puram carnem Christi, sine ossibus, sine membris corporalibus, imo & sine humani corporis plenitudine, sub panis sapore ac specie manducare me credo: nec me filium hominis, sed carnem filij hominis manducare confiteor.

Vbi vero caro Christi, ibi consequenter & Christus; nō pro parte, sed totus, totus seorsum in carne, totus seorsum in sanguine, totus simul in vtroque: nihilo minus separarim in altero, nihilo magis in vtrisq; coniunctis totus, vel integer, non ad humani corporis, vt quidam litigant, integralitatem; sed ad personę Christi indiuiduam vnitatem arbitror referendum. Oportet enim in Sacramento hoc tam offerre bene, quam recte diuidere, & naturam verbi à corporis natura distinguere. Vbicunque enim Christus est, totus est: etsi totum non est: sicut vno eodemq; tempore totus in sepulcro, & totus in inferno erat; sed totum non erat: eo quod trium substantiarum, quæ vnam faciunt in Christo personam, aliquid deerat. B

VIRO LITERATO FOLMARO DE Stillante Petra præposito, R. Salzburgensis Ecclesiæ Frater modicus, sapere ad sobrietatem, & sanam doctrinam docere nescientes.

II. Refutatio superioris epistolæ.

FLumina fontis vestri excrescentis, & se non continentis, à Petra vestra ad nos vsque stillantis, credo irrigare ariditatem nostram, qui in montanis habitamus. Potius habete eam solus: & nihil nobis cum commune & Christianis. Inter alia, quibus acuta sapientia vestra imperitiam nostram erudire satagit, de corpore & sanguine Christi, nouam fidem, immo detestandam perfidiam, sine auctore, sine exemplo nouus Euangelista prædicatis. Dicitis enim; *Credo me sub specie vuæ ueracißimum sanguinem solum & purum bibere.* Et quia hoc totum sane posset intelligi; vt, *purum*, ad sanctitatem solum referretur; ad vnius, eiusdemque Sacramenti separatam sumptionem, non ad substantiarum carnis & sanguinis diuisionem, prudentia carnis vestræ determinauit adiiciendo; *sine carne*. Adhuc latet; ---- & nondum se totum prodidit error. Audi sequentia; *sic me*, inquit, *Carnem Christi sine oßibus manducare, credo*. Quid hîc impia secta introducit; nisi, vt qui angustis faucibus fidei, ossium strangulationem timet in carne; fugiat etiam cruditatem carnis in sanguine; vel etiam in sanguine, carnes. Velletis etiam assam & coctam manducare partem carnis Christi; quia cruditatem, & membrorum glossitudinem horretis. Noli timere. Cibus est animæ, non corporis. Frangitur quidem & corporaliter, & sensibiliter in Sacramento, fidelium dentibus atteritur, integritate incorruptibilis carnis permanente, ita vt veritas per omnia non desit Sacramento, & fides sana abominationem non pertimescat in gutture. C

D O male delicatum palatum fidei, cui vsum carnalis cōsuetudinis, quasi pulpa carnis Christi placet, non ossa. Date veniam dicto: indignitas quæstionis cogit. Asseritis & vos manducare totum Christum. Et, ne hoc etiam referatur ad plenitudinem substantiarum, determinatis, totum esse referendum, non ad membrorum integritatem, sed ad personæ vnitatem, propter partem. Et adiecistis; *Credo me manducare carnem filij hominis, non filium hominis.* Quæso vbi nunc est, quod postea propter auctoritatem quasi concessistis; manducari in Sacramento totum Christum; sed, pro parte? Quare saltem & illud non datis filio hominis? Aliudne est, Christum manducare; & aliud; *filium hominis* manducare? An non vnus, idemque est Christus, & filius hominis? Quo ducit, vel potius, quo seducit, vel seducta est vestra sibi contraria, & diffusa eloquentia?

Hæc omnia, licet eâdem facilitate, qua probantur, respuantur; quod nec in superficie phantasiam habeant veritatis; parumper tamen interrogamus acumen tam nouum ingenij. Dicite nobis; sanguinem Christi bibitis sine carne, vt dicitis hic, separatâ substantiâ carnis. Sic enim vestra distinctio docuit nos intelligere. Dicite inquam; partemne sanguinis bibitis, an totum? si partem dicite, de quo membro elicitam? De capite, an de pede? Vos me cogitis hoc dicere. Insania quandoque leuius insania repellitur, quam ratione. Credo ad illud redibitis, vt dicatis vos bibere totum sanguinem Christi. Si totum bibitis iuxta traditionem vestram, separata carne, qualis quæso interim manet caro Christi? sicca, vel potius mortua, sine sanguine? Sane nemo, nisi insanus, hoc dixerit. E

Sumitur itaque sanguis Christi à fidelibus non abstractus à carne, sed sanguis cum carne, & caro cum sanguine, imo totus Christus cum integritate vtriusque substantiæ: & licet separatim, tamen non separata percipiuntur. Separatim, propter mysterij diuinam significationem, non separata, propter deificatæ immortalitatis indissolubile fœdus. Quid igitur est, quod infertis tanquam constet, quod antecedit? *Sic me credo carnem Christi manducare sine oßibus.* Quid est, *sic*? nisi; si abominabilis videatur sanguinis potus cum carne; sit & impossibilis cibus carnis cum ossibus. O timor vesanus! ô carnalis & execranda cogitatio! Times ossa in faucibus, quæ verbo Dei vnita sunt: quæ ianuis clausis intrauerunt ad discipulos. Dic mihi, quæso, quando manducas, vel potius quando rodis, secundum tuum sensum, carnem sine ossibus, ossa qualia interim manent? Nuda, an statim alia carne vestiuntur? Prophana sunt ista. Hoc est hæretico magis dente rodere carnem, quam Christiana mente manducare in Sacramento Christum. Cesset ergo tam cæca præsumptio, tam vana quæstio. Quia, sicut superfluæ curiositatis est, quærere; Vtrum, cum Deus sit vbique, sit & in calceo; & similia? Sic nemo vel antiquorum, vel modernorum quærendum esse putauit, tali forma verborum; *Vtrum in Sacramento cum oßibus Christi sumatur caro?* Cum vbique digna honestate verborum tanta rerum maiestas ita expressa sit, vt dici oportuit; & inde amplius non dubitabit, nisi hæreticus. F

Manducat itaq; Ecclesia carnem filij hominis, non partem carnis, sed totum corpus, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce; G

Non siccam sine sanguine sed cum sanguine viuam;

imo* vitam carnem. Manducat, inquam carnem non rodit ambesis ossibus, vt vos dogmatizatis. Manducat quidem, non illam consumendo; sed in illam salubriter transeundo. Manducat totam & integram carnem Christi sine diminutione, sine diuisione; imo in carne Christum totū filium Dei, totum filium hominis ineffabili, incogitabili modo: sed eo modo, quo ipse nouit. Et totum refero non ad partem tantum pro parte, vti vos subtilizatis; sed ad substantiarum carnis & sanguinis plenitudinem, dicente Augustino: *Corpus illud dico pariter offerri in altari; quod natum est de virgine; quod pependit in cruce; quod resurrexit; quod ascendit in cœlum.* Corpusne illud, quæso sine ossibus, & neruis peperit virgo; sine ossibus & neruis pependit in cruce? Manducatur itaque vt dictum est, & tamen viuit integer manducatus; quia resurrexit occisus. Totus non pro parte, sed pro toto in cœlo, in humanâ formâ visibilis; totus similiter etiam secundum corpus vbique vno & eodem tēpore in altari, in Sacramento inuisibilis. Mirum, si re attendis: mirari desinis, si Dominum consideras. Sic quoque anima Christiana bibit sanguinem Domini sui, non surgit, non elicit à carne vel totum, vel partem sanguinis, vt vestra, licet oblique, significat inuentio, sed sine diminutione, sine diuisione, in vtroque vtriusque plenitudinem mente sumit & corpore, hoc est, sacramentaliter, & spiritualiter, vno eodemque Sacramento ineffabili. Contra huiusmodi somnia, quæ etiam à Vetulis derideri possunt, licet rationes & autoritates abunde vel parum exercitato præsto sint, hîc interim potius subsannando, quam disputando abominati sumus, ne tacendo ineptiis consensisse videamur. H

*Quia caro Christi dat vitam.

III. Do-

A

III. DOMINO A. VENERABILI ABBAti Eboracensi Fr. G. de Richersperge, deuotas orationes cum fideli obsequio.*

* Gerochus

* Litera proprij nominis est erasa Sed erat, E. seu Eberhardo, vt hoc constat ex his, quæ mox sequuntur. Principium Epistolæ prima supra posita.

NVper venit in manus meas Epistola* Domino Salzburgensi destinata, in qua & vestri nominis mentio fuit, sicut videre poteritis in rescripto Epistolæ: cuius textus ita se habet: *Domino suo E. Venerabili Salzburgensi Archipræsuli, F. Dei gratia, si quid est; semper gaudere, nihil aduersiq; timere. Fidem meam de veritate corporis ac sanguinis Domini Domino A. Eboracensi Abbati, sed & alijs literatis & religiosis viris mandatam literis diligenter exposui, eosque in nullo penitus aduersos, siue diuersos inueni;* &, &c. vbi supra. Hîc perpendat sapiētia vestra; vtrumnam recte offerat, recteque diuidat; qui, quod Dominus coniunxit, sensu carnali separat? Coniunxit quippe Deus homo carnem & ossa in resurrectione sua discipulis suis dicens; *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet; sicut me videtis habere.* (Ioan 20.) Erant enim simul in eius corpore à morte suscitato non solum caro & ossa, sed & sanguis & spiritus humanus, & diuinus; quem & insufflauit suis discipulis dicens; *Accipite Spiritum sanctum.* (Ibid.) Cum autem separatio spiritus humani à corpore fit mors ipsius corporis; & item separatio carnis ab ossibus, mortem carnis operetur: cumque sanguis humanus extra carnem careat vitali spiritu, qui est anima rationalis; constat, eos rursum crucifigere, atque ostentui habere Christum; qui sic ipsum diuidunt: sicut in præmissa legitur Epistola, quæ vt maioris habeatur autoritatis, ad venerabilem destinata est Archiepiscopum; & apud vos, aliosque literatos ac religiosos viros, insinuatur approbata, in ea fide, in qua Christus contra doctrinam Pauli diuisus est.

B

Sed nos istam fidem pro maxima reputantes perfidia, carnes Agni Paschalis non ita crudas, vel aqua coctas in Ecclesia Dei manducari credimus, vt vel sanguis eius, vel caro eius bibatur, & manducetur seorsum; licet in speciebus diuersis, videlicet panis ac vini, aqua misti sumatur is, qui in semetipso indiuisus atque integer manet; totus in cœlo, totus in altari, totus in ore comedentis corpus eius, ac sanguinem bibentis: totus in corde credentis ad iustitiam; totus in ore confitentis ad salutem. Lege Ambrosiū in Lucam exponentem illud Angeli dictum; *Hic erit magnus, & filius altißimi vocabitur;* (Luc. 1.) & inuenies, quod vbicunq; verus Christianus, ibi Christus; quia, neque in Hierosolyma, neq; in monte hoc, vbi adorauerunt patres, adorandus est; quasi aliàs Deus non sit: sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Igitur in veritate Sacramentorum Christi adoratur Deus, qui & sumitur in corpore de virgine sumpto, & in cœlum assumpto. Quod corpus ore fidelium sic manducatur, vt quod de Agno Paschali figuraliter est præceptum, nunc vere impleatur. Neque enim ad literam fieri potuit, aut oportuit, quod illic dictum est: *Caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* (Exod. 12.) Repugnat quippe quod dictum est; *os non comminuetis ex eo.* (Ibid.) Quomodo autem non, comminutis ossibus, caput & pedes vorari potuissent? At nunc in vero Agno, qui tollit peccata mundi, caput cum pedibus, diuinitas videlicet cum tota humanitate voratur: quia Christus integer in altaris mysterio manducatur; neque manducans manducabit illum in se, scilicet cibum carnis suæ; sed ipse mutabitur in illum, vt sit membrum corporis eius, quod est Ecclesia vna, per vnum corpus Christi redempta, & vegetata.

C

D

Quod autem prænotatus diuisor Christi ait; *non me filium hominis, sed carnem filij hominis manducare confiteor:* (Ioan. 6.) hunc putamus illum traxisse, quod Christus dixit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Nam & Nestorius hæresiarcha inde hausit venenum sui erroris: ita vt carnem, quæ in altari sumitur, negaret esse viuificatricem, pro eo, quod esset hominis caro, inhabitatione quasi Dei sanctificata; sed minime potens manducantem se viuificare; quia, spiritus est, ait, qui viuificat, non caro. Contra cuius errorem in Synodo Ephesina legitur; *Ad benedictiones mysticas accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis, & preciosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti; non vt communem carnem percipientes, quod absit; non vt viri sanctificati, & Verbo coniuncti; seu dignitatis vnitatem; aut sicut diuinam poßidentis habitationem, sed vere viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter (est,) vt Deus existens: quia proprie carni vnitus est, viuificatricem eam professus est esse. Et ideo, quamuis dicat ad nos: Amen, Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro hominis poterit? Sed, vt vere propriam eius factam, qui propter nos filius hominis factus est, & vocatus.** Item: *Si quis non confitetur carnem Christi viuificatricem esse, tanquam ipsius Verbi Dei patris: sed quasi alterius cuiuspiam, præter ipsum coniuncti eidem: secundum dignitatem, aut tanquam secundum quod solam habitationem habuerit, & non potius, sicut dixi, viuificatricem esse: quia facta est propria verbi Dei, cui omnia viuificare poßibile est, anathema sit.* Synodus hæc Ephesina vna est de quatuor Concilijs: *quorum* sicut B. Gregorius ait, *quisquis non tenet soliditatem, etsi lapis esse videatur, extra ædificium iacet.* Addit: *Et quisquis aliter sapit, anathema sit.*

E

Habentur hæc in professione fidei, quæ exstat initio Concilij Ephesini, antiquæ Editionis. Ioan. 6.

* Est vndecimus anathematismus in antiqua Edit.

F

Vos igitur amande, ac venerande Pater cauere vobis, ne, cum lapis preciosus habeamini, & sitis in ædificio Dei, alio mendaciter vulgante, credamini credere, quod non creditis. Credo enim vos, Pater, vna nobiscum, immo vna cum tota Ecclesia, vnam fidem habere, sapiendo, in nomine carnis Christi non aliud, quam carnem Christi. Sic enim sua verba ipse Christus intelligenda insinuat, vt non aliud caro filij hominis, aliud ipse filius hominis habeatur, vbi de hoc Sacramento ait. Commendans enim carnem filij hominis manducandam, verbis præmissis etiam hoc inter cætera dixit: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* (Ioan. 6.) Manducans igitur carnem filij hominis, manducat filium hominis: manducat panem, qui de cœlo descendit, quem Pater signauit Deus, non materiali sigillo, sed summæ diuinitatis indelebili signaculo: quia: *Verbum caro factum est.* (Ioan. 1.) Et ideo, qui carnem Verbi manducat, Verbum quoque in sua carne manducat. Alioqui caro non prodesset quidquam, si non haberet in se vitam, & viuificandi efficaciam. Legite Hilarium in VIII. li. de hoc Sacramento agentem, & inuenietis eum sentientem, quæ sentio de Verbo æterno in carne sua manducando: quod prænotatus Folmarus fieri posse non credidit: qui corpus Domini, quale fuit in sepulchro, putat seorsum cogitandum.

G

Ait enim: *Vbicunque Christus est, totus est: etsi totum non est: sicut vno eodem tempore totus in sepulchro, totus in inferno erat: sed totum non erat: eo quod trium substantiarum, quæ vnam faciunt in Christo personam, aliquid deerat.* Ad quod dicimus: quod reuera tunc ad tempus corpori defuit anima in sepulchro: & animæ corpus in inferno, seu paradiso. At nunc, neque corpori Christi anima sua, neque animæ suæ suum corpus: neque his ambobus amborum vita, non aliud, quam summa diuinitas alicui, seu aliquando abesse poterit; quia *Christus iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* (Rom. 6.) Non moritur, non diuidetur, non à sede sua, in qua patri considet, mouebitur in æternum. Et tamen, sicut *spiritus, prout vult, & vbi vult, spirat:* (Ioan. 3.) Sic & ipse homo, qui natus est ex spiritu, prout vult, & vbi vult seipsum præsentat, vel spiritaliter, vel corporaliter, vt Ecclesia credit. Spiritaliter: vt Apostolus ait: *habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* (Ephes. 3.) Corporaliter: vt Ecclesia credit se pasci corpore ac sanguine ipsius: ipso seipsum sanctificante per manus, & orationes sacerdotum in tota Ecclesia facientium, quæ ipse iussit dicens: *hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. 22. 1. Cor. 10.) Vnde vnus ministrorum eius hoc facientium, ait; *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* non ait locali discretione, seu corporalis molis distensione seipsum Christus corporaliter in tam diuersis locis vno, eodemque momento præsentat in officio sacerdotum sacrificantium, vel in ore fidelium sumptum corpus manducantium; sed ineffabili virtute, illâ fide mediante, quâ indubitanter credimus

H

A

Luc. 22. Rom. 10. fieri Verbum veritatis dicentis; *Hoc facite in meam commemorationem.*

Bene dixi, fide mediante; *quia fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.* Et sicut non, nisi auditu mediante, audibile humanum Verbum capitur; sic diuinum illud Verbum carne humana, tanquam voce corporea, sensibile factum, non nisi fide mediante capitur. Da fidelem, Luc. 22. & sensit verum, quod dictum est; *Hoc facite in meam commemorationem.* Tolle fidem, & videbis non percipi hoc Verbum, quod non nisi fide capitur: sicut non capitur hominis vocale verbum nisi per auditum. Tolle auditum; frustra surdo loqueris: quia non capit, quod dicis; quod tamen ex defectu Verbi non est, sed auditus. Quia Verbum sonorum, tam surdas & obturatas, quam patulas tangit aures. Ita & Verbum Dei, per id sonorum, quod est incarnatum, & specie panis velatum porrigitur manu sacerdotum fidelibus credulis, & infidelibus incredulis. Et fidelis exinde pascitur & saginatur. Infidelis ex eôdem

B

iudicatur & damnatur, non iudicans corpus Christi, quod indigne sumit; qui de illo indigna credit: sicut iste, qui putat eum sine suis ossibus manducari; quique à carne sanguinem eius diuidit; putans illum non posse totum & integrum simul esse in cœlo, & in pluribus altaribus; cum videat sermonem de corde simul & ore hominis prodeuntem, non discindi per multas aures audientium; sed totum & integrum peruenire ad singulos. Quanto magis Verbum Dei ex corde simul & ore Altissimi prodiens: ac tamen in ipso & cum ipso permanens, totum & integrum peruenit, quo est missum ad saluandos electos, & ab æterno in ipso Verbo dilectos. Quod licet increduli tanquam surdi non capiant: aures audiendi habentes tamen Psalm. 33. capiunt, & gustu illo sapiunt, qui requiritur; vbi dicitur; *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.*

IV. DOMINO VENERABILI PRÆposito de Richersperg, Fr. A. dictus Abbas de * Ebora deuotæ orationis obsequium.

C

*Ebrach, hodie. *Petra stillante. *id est, infra scripsimus, vel subiecimus.

QVod Præpositus de * Trieph dudum scripsit fidem suam se nobis exposuisse, noueritis non aliter, quam * subscripsimus fuisse. Vice quadam in nostri præsentia, allato libello, dixit, hæc est fides mea; legitque ex eo in auribus nostris nobis nihil attendentibus, nihilque de eo huiusmodi suspicantibus. At postquam scripta vestra, quæ Catholice aduersus eum edidistis, accepimus, ex mandato Episcopi Babebergensis egimus, vt vna nobiscum ad eius præsentiam Babeberg accederet: vbi coram non paucis religiosis & literatis viris Episcopo contra eum agente, humiliter professus est, nihil tale se deinceps sentire, nec scribere. Porro nos his, quæ eadem scripta vestra habent consentimus, & Catholica iudicamus, de cætero optantes & orantes diuinam clementiam, vt illuminet oculos cordis vestri ad omnem cognitionem veritatis, & amorem virtutis.

D

V. FOLMARVS DEI GRATIA* STILlantis Petræ id, quod est, Prælatis omnibus in Bauaria & Austria constitutis.

*Trieff.

Semper gaudere, nihil aduersique timere.

Iacob. 3. Palinodia Folmari. QVi non offendit in Verbo, scriptura teste, *perfectus est vir.* A qua quidem perfectione, mea procul peregrinatur humilitas, quæ non verbis solum, sed totiens etiam in scriptis offendit. Quod equidem eo periculosius est, quo error, qui scribitur, corrigitur laboriosius, difficilius reuocatur. Et si enim *missa*, quanto magis *nescit vox scripta reuerti. Si semel emissum manet irreuocabile Verbum*; scriptum, rogo, qui poterit verbum reuocari? SANET ERGO CONFESSIO, QVÆ CORRIGI REVOCATIONE NON POTEST.

E

Scripsi ego Dòmino meo quondã Ebehardo Salzburgensi Archiepiscopo de corpore Domini, quod omnino non debui; asserens quod in altari esset quidem verum, sed non integrum, id est, non in omnium suorum plenitudine, ac distinctione membrorum, idque videbar mihi cum multis sapere argumentis, & rationibus, immo & auctoritatibus, quas necdum forte intellexeram, arguisse. Quod si quis improbat, & ego; si cui displicet, & mihi. Si quis eradit, & conspuit; mecum facit. Confiteor enim quia non solummodo verum, sed & plenum, perfectum & integrum in Altari corpus est Christi: ibique in humanæ substantiæ veritate, & integritate, sub aliena licet specie, mirabiliter, & inuisibiliter sumitur, qui ad dextram Patris visibiliter dominatur. Quod, qualiter in parte sit totum, in singulis integrum, frangatur in forma, nec in essentia diuidatur confectum, sæpenumero Angelorum non admittat & numerum, & multa in hunc modum; supra omnem sensum est non solum hominum, sed, vt ego

F

teor, Angelorum: nec habet causam nisi primissime primam, voluntatem scilicet siue potentiam Creatoris. Et hoc quidem in libello, quem de carne & anima Verbi ad Gerhohum scripsi, plenius fortassis expressum est; sed absque præiudicio sententiæ melioris. Nec enim in quæstionibus & articulis fidei pudor est vel ab hoste doceri; vbi, nemo debet naturalia sequi, & sensum suum quasi ex ratione defendere. Siquidem naturæ vsum, & rationis terminos, & Physicas, siue Logicas facultates, Fidei maiestas excedit: ideoque, vbi Fides quæritur, argumenta non valent. Et inde est forsitan, quod contra naturæ vsum caput agni cum intestinis & pedibus vorare præcipimur; sed, ossa non confringere. quia, quidquid diuinum, vel humanum est Christi, in sacrosancto mysterio sumimus, sed minime facti huius altitudinem inuestigare præsumimus. Experimento enim didici, quod opprimatur à gloria, qui contra legem discutit maiestatem.

G

IVDICIVM DE PRÆDICTA REcantatione Folmari.

HÆc dicta sunt à Folmaro errorem suum recognoscente, non per omnia, sed ex parte. Nam sunt adhuc plurimi eius errores inserti scriptis eius, aut iam propalati verbis eius indisciplinatis: quos quia nondum recognouit, Oremus tam ipsi, quam eius fautoribus, ita reuelari veritatem, vt ex eius lumine conscientias eorum reuerberante, compellantur & sanæ doctrinæ acquiescere, vel penitus obmutescere.

VI. REVERENDISSIMO PATRI Domino Gerhoho Reicherspergensis Ecclesiæ Venerabili Præposito, R. Rorensium fratrum minimus, suus alumnus.

H

Omnia magnifice contraria vincere posse.

NVncius Præpositi de Triefenstaine transiens per nos hoc anno post Natale Domini, ostendit mihi literas, quas deferebat Salzburgensi Præposito continentes qualemcunque peruicaciam supradicti missoris sui, de hæresi, quâ se polluerat. Ostendit etiam mihi libellum, quem mittebat vobis idem erroneus, quam de carne & anima Verbi Dei, nescio an satis apte, nuncupabat. Et in literis quidem sic homo arrogans & fatuus nomen vestrum indigne nimis & nude posuerat: in libello autem aperta fronte cum derisione personam vestram de prauo intellectu, inepto dogmate multipliciter arguebat. Ego vero non inscius, quid debeam vobis, non potui non dolere vicem vestram, sed & dolorem meum, præsertim cum ille non incidenter, sed ex longâ consuetudine famã vestram sine causâ laceraret: tacendo, sicut ante feceram, dissimulare non valui, nec volui: ne diceretis mihi; *qui non est mecum, contra me est.* Sciens ergo certissime spiritum ve- Luc. 11.

ritatis

A ritatis vsquequaq; custodem fore cordis, & oris vestri; spiritum vero mendacij non parum sibi vendicare de lingua & labiis aduersatij vestri; scripsi ad eum, non tam ingenio fretus, quam zelo prouocatus, arrogantiam eius fortasse nimis inuerecunde redarguens, sed omninò digna tribuens; Rom.13. vt qui illud Apostoli, *cui honorem, honorem*, in suo maiore & seniore negligeret, & ipse à minore & iuniore suo nihil honoris acciperet. Quia vero zelum Dei habent multi, non secundum scientiam; ne forte & mihi idem acciderit, misi vobis easdem inuectionis literas, vt si peccasse me iudicatis, ad pœnitentiam prouocetis: sin autem, securum me literis vestris faciatis.

VII. DOMINO FOLMARO PRAEPOSITO De Stillante Petra. Fr. R. vt Dei paruulus, pacem & veritatem diligere.

B Eccles.32. QVia senibus deferre debemus, & adolescenti *vix in causa sua* loqui à sapiente permittitur, consilium mihi fuit annis præteritis, audienti sæpe & legenti maledicta vestra, & improperia multa, nec parua contra Dominum Gerhohum patrem nostrum, ætate & vita Venerabilem, quamuis non modice cor meum conturbarent; dissimulare tamen volui, & pro debitâ senibus reuerentiâ esse. Psalm.37. *sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*; Psalm.119. vt possem dicere cum Propheta; *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Sperabam enim, quandoquidem non estis penitus idiota; habetis quippe aliquid de scientiâ, quæ inflat; quamuis nihil de charitate, quæ ædificat: Sperabam dico, quod tandem aliquando terreret simul & corrigeret vos comminatio illa totiens decantata; Psalm.36. *quoniam qui malignantur, exterminabuntur*: 1.Cor.6. & quia *maledici regnum Dei non possidebunt*, & alia multa de sacris libris, quæ aduersus conuersionem suadere noscuntur.

Psalm.13. Nunc autem, quia placet vobis imitari eos, *quorum os maledictione & amaritudine plenum est*; C *qui vitam pacis non cognouerunt*; *nec est timor Dei ante oculos eorum*. iamque maledicendi consuetudo quasi in naturam vobis versa est: non puto me modo disciplinæ limitem excedere; si iniuriam Patris vlterius ferre non valens; puer, senem, paruus, magnum in oculis suis, zelans inuidum redarguo; cum Dan.13. Daniel iunior Iudices senes, mendaces & impudicos Susannam sanctam constuprare non valêtes, ideoque mendaciter condemnare nitentes innocentem, condemnauit. Quis det eundem spiritum in cor vniuersi populi, vt similiter & nunc zelo pietatis armati & animati lapidibus dignæ increpationis, & iustæ obiurgationis insurgant côtra Psalm.72. omnes arrogantes, & inuidos, & qui *iniquitatem in excelso loquuntur*, vt vtrinque *obstruatur os peccatoris & dolosi*, sicut nûc Psalm.62. *obstructum os loquentium iniqua*, vt discat non blasphemare. Non minus digne vobis, quã illis similia facienti, similia contingerent, vt sequeremini in pœnâ, quos imitamini in culpâ. Quales patres, talis filius. D Illi quidem spiritu fornicationis seducti, cogitauerunt & locuti sunt nequitiam aduersus matrem in Israel: Vos autẽ, spiritu superbiæ inflati, Psalm.112. maculare intenditis *habitantem in domo* non adhuc *sterilem*, sicut vos; sed *matrem filiorum lætantem. In Christo enim Iesu per Euangelium nos genuit*, non sicut vos garritis, & ore polluto dicitis, atque manu sacrilega scriptitatis, pro lacte sanę doctrinę veneno erroris nos pascens; sed plane fidem pietatis intellectu muniens veritatis, habens eum docendi modum, quem tradit Apostolus, vt simpliciores lacte facilioris doctrinę nutriat, & perfectioribus solidiorem cibum sententiarum & Sacramentorum Dei abundanter apponat.

Et ideo non acquiescit vobis suadenti, vt Hilarium non legat, quasi quem non intelligat; legit & exponit eum; & in eo obscure dicta, spiritu veritatis ipse illuminatus illuminat, & omne erroris venenum potenter exterminat. Cuius verborum subtilitatem, & intellectus profunditatem, in his, quæ ei, de non rectâ fide, impudenter assignatis; si vos non capitis, ideoque alieno sensu inducitis, sicut faciunt omnes adulterantes Verbum Dei; nos non

E miramur. quia, non est nouum; secundum hoc enim faciebant & Patribus nostris hæretici antiqui, dicta eorum ad suum sensum applicantes, & aliud pro alio sentientes. Sed vobis ipsis persuadete. Non credimus vobis. Ipse vt bonus homo de bono thesauro suo profert bona; sed malus homo superseminauit zizania. Omnino syncerum vas incrustare nitimini. Non possumus ea, quæ audiuimus, & vidimus, vestris côiecturis postponere. Audiuimus verba vitæ, & legem disciplinę ex ore eius. Vidimus eum facientem mirabilia in vita sua, medicum peritum cordium, non corporum, & probauimus, quod bonus est. quia non posset arbor mala tam bonos fructus facere. Ex fructibus eius cognoscimus eum.

Cessent ergo maliloquia vestra contra virum, quem Dominus virtutum, virtutibus adornauit, præsertim cum, quidquid dicitis, non ex amore Verbi Dei dicatis, sed ex inuidia, quæ est vitium Diaboli, qua & vos stimulamini contra eum, forte pro eo, quod non estis inuentus *similis illi conseruanti legem Excelsi*, Eccl.44. F sed certe ex nimia cordis arrogantia, vt vobis, non Deo, gloriam acquiratis. Dicimus proinde vobis; Gloria tua tecum sit in perditione. Vobis quippe perditis gloriam, quam Deo non acquiritis, *cui soli honor & gloria*.

Non parua tamen glorificatio vestra. Magnum est aliquid, magnos audacter prouocare: &, magnum meretur nomen, non quidem doctoris, sed vituperatoris, qui bonis derogare non erubescit. Sed hoc dico, quia de aliorum fide iam non habetis iudicare, qui vestram noluistis illibatam seruare. quia, non potest esse accusator, cui similis causa obijcitur. Tacete proinde; & alijs tacentibus, qui non habent cauteriatam conscientiam, vos manu ori superponite, ne illud iterum in cœlum ponatis, & fiant nouissima vestra peiora prioribus.

Adhuc enim timeo pro vobis. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu*. Si fides vera mundat corda; non est fides vera, vbi non est charitas syncera, mundi cordis incola. Nam charitas benigna, non inuida, non nutrit odia, G sed parit concordiã, quod totum vobis est contrariũ. Videte ergo, an fidem vestram perfecte correxeritis. Nisi correxeritis quod adhuc indiget correctione; timete vel expertus illud iustum iudicium Dei: *qui fodit foueam, incidit in eam*. Prouer.26. Hæc legite, & dicite; *sicut feci, sic reddidit mihi Dominus*. Iud.1.

FINIS.

BEATISS. ET SERAPHYCI PATRIS NOSTRI S. FRANCISCI OPVSCVLA.

VERBA SACRAE EXHORTATIONIS Sanctissimi Patris nostri Francisci ad omnes Fratres.

DIXIT Dominus discipulis suis. Ego sum via, veritas & vita, Nemo venit ad patrem nisi per me. H Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis. Et à modo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dixit ei Philippus. Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis. Dixit ei Iesus. Tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me. Philippe, quippe qui videt me, videt & patrem meum. Pater lucem habitat inaccessibilem: spiritus sanctus est Deus: & Deum nemo vidit vnquam. Ideo non nisi in spiritu videri potest. Quia spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Sed nec filius in eo ꝙ æqualis est patri videtur ab aliquo aliter, quam pater, aliter quam spiritus sanctus. Vnde omnes qui viderunt Dominum Iesum secundum humanitatem, & non viderunt neque crediderunt secundum & diuinitatem ipsum esse verum filium Dei, damnati sunt. Ita & modo quia omnes qui vident sacramentum

quod

A

quod sanctificatur per verba Domini super altare per manus Sacerdotis in forma panis & vini, & non vident & non credunt secundum spiritum & diuinitatem quod sit veraciter sanctissimũ corpus & sanguis Domini Iesu Christi, damnati sunt, ipso altissimo attestante qui ait. Hoc est corpus meum, & sanguis noui Testamenti. Et qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Vnde spiritus Domini qui habitat in fidelibus suis, ille est qui recipit sanctissimum corpus & sanguinem Domini. Omnes alii qui non habent de spiritu eodem, & præsumunt recipere eum, iudicium sibi manducant & bibunt. Vnde, filii hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Vt quid non cognoscitis Domini veritatem & creditis in filium Domini? Ecce quotidie humiliat se sicut quando à regalibus sedibus venit in vterum virginis. Quotidie venit ad nos ipse humilis apparens. Quotidie descendit de sinu summi patris super altare in manibus sacerdotis: & sicut sanctis Apostolis apparuit in vera carne, ita & modo se nobis ostendit in sacro pane. Sicut ipsi intuitu carnis suæ tantum eius carnem videbant secundum ipsum Dominum Deum esse credebant oculis spiritualibus contemplantes: sic & nos panem & vinum oculis corporeis videamus & credamus firmiter sanctissimum eius corpus & sanguinem viuum esse & verum. Et tali modo semper est Dominus cum fidelibus suis sicut ipse dixit. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.

B

De malo propriæ voluntatis.

Dixit Dominus ad Adam. De omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. De omni ligno paradisi comedere poterat Adam, quia dum non venit contra obedientiam, non peccauit. Ille enim comedit de ligno scientiæ boni & mali, qui sibi suam voluntatem appropriat & se exaltat de bonis quæ Dominus dedit & operatur in ipso: & sic per suggestionem diaboli & transgressionem mandati factum est ei pomum scientiæ mali. Vnde oportet quod sustineat pœnam.

De perfecta obedientia.

C

Dixit Dominus in Euangelio. Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et qui voluerit animam suam saluam facere perdet eam. Ille homo renunciat omnibus quæ possidet & perdit corpus suum qui seipsum totum præbet ad obedientiam in manibus sui prælati: & quidquid facit aut dicit quod ipse sciat quod non sit contra voluntatem eius (dum bonum sit quod facit) vera obedientia est. Et quando subditus viderit meliora & vtilia animæ suæ, quam ea quæ suus prælatus præcipiat, suam voluntatem sacrificet Domino: quæ autem sunt prælati opera studeat adimplere. Nam hæc est caritatiua obedientia: quia Deo & proximo sacrificium seipsum facit. Si vero prælatus præcipiat aliquid subdito contra animam suam: licet ei non obediat: tamen ipsum non dimittat. Et si ab aliquibus persecutionem inde sustinuerit, magis illos diligat propter Deum. Nam qui potius persecutionem sustinet, quam velit à suis fratribus separari, vere permanet in perfecta obedientia; quia ponit animam suam pro fratribus suis. Sunt enim multi religiosi qui sub specie videndi meliora, quam quæ sui prælati præcipiunt, aspiciunt retro & ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. Hi homicidæ sunt & propter mala exempla sua multas animas perdere faciunt.

D

Quod nullus sibi approprie prælationem.

Non veni ministrari, sed ministrare, dicit Dominus. Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illa prælatione glorientur quantum si essent in abluendis pedibus fratrum deputati. Et quanto magis turbantur de ablata sibi prælatione quam de pedum officio, tanto magis sibi loculos & periculum animæ componunt.

Quod nemo superbiat sed glorietur in cruce Domini.

Attende ô homo in quanta excellentia posuerit te Dominus. Qui creauit & formauit te ad imaginem dilectissimi filii sui secundum corpus, & ad similitudinem suam secundum spiritum. Et omnes creaturæ quæ sub cælo sunt secundum se seruiunt, cognoscunt & obediunt creatori suo melius quam tu. Et dæmones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum & adhuc crucifigis delectando in viciis & peccatis. Vnde potes gloriari? Nam si ita esses subtilis & sapiens quod omnem scientiam haberes, & scires interpretari omnia genera linguarum, & subtiliter de cœlestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari: quia vnus dæmon sciuit de cœlestibus magis, & scit de terrenis plusquam omnes homines, licet aliquis fuerit qui summæ sapientiæ cognitionem à Domino receperit spiritualem. Similiter si esses pulchrior & ditior omnibus, & etiam si faceres mirabilia vt dæmones effugares: omnia ista tibi sunt contraria, & nihil ad te pertinent. In his nihil potes gloriari: sed in hoc possumus gloriari in infirmitatibus nostris, & baiulare quotidie sanctam crucem Domini nostri Iesu Christi.

E

De imitatione Domini nostri Iesu Christi.

Attendamus fratres omnes bonum pastorem qui pro omnibus suis saluandis crucis sustinuit passionem. Oues Domini secutæ fuerunt eum cum tribulatione & persecutione, verecundia & fame, infirmitate, & tentatione & cæteris aliis: & de his receperunt à Domino vitam sempiternam. Vnde magna verecundia est seruis Dei, quod sancti faciant opera, & nos recitando ea volumus recipere gloriam & honorem.

F

Vt bona opera sequantur scientiam.

Dicit autem Apostolus. Littera occidit, spiritus autem viuificat. Illi sunt mortui ad litteram qui tantum verba sola cupiunt scire, vt sapientiores teneantur inter alios, vt possint acquirere magnas diuitias dantes consanguineis & amicis. Et illi religiosi mortui sunt ad litteram qui spiritum nolunt diuinæ litteræ sequi: sed sola verba magis cupiunt scire & aliis interpretari. Et illi sunt viuificati à spiritu diuinæ litteræ qui omnem scientiam & litteram quam sciunt & cupiunt scire (non autem viuunt corpore sed verbo & exemplo) reddunt eam altissimo Domino, cuius est omne bonum.

De peccato inuidiæ vitando.

Vt ait Apostolus: Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto; & non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Quicunque ergo inuidet fratri suo de bono quod Deus dicit & facit in ipso pertinet ad peccatum blasphemiæ: quia ipsi altissimo inuidet qui dicit & facit omne bonum.

De dilectione.

G

Dicit Dominus in Euangelio: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, &c. Ille veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de iniuria quam sibi fecit: sed de peccato animæ suæ vritur propter amorem Dei, & ostendit ei ex operibus dilectionem.

De castigatione corporis. Quod nemo contristetur, a zelo malo alterius.

Multi sunt qui dum peccant vel iniurias recipiunt sæpe inculpant inimicum vel proximum. Sed non est ita quia vnusquisq; habet in potestate sua inimicum suũ, videlicet corpus per quod peccat. Vnde beatus ille seruus qui talem inimicum traditũ in sua potestate semper captum tenuerit, & sapienter se ab eo custodierit: quia dum hoc fecerit nullus alius inimicus visibilis ei nocere potest.

Seruo Dei nulla res debet displicere præter peccatũ. Et quocunq; modo aliqua persona peccaret, & propter hoc seruus Dei nisi in charitate turbaretur aut irasceretur, thesaurizat sibi iram & culpam. Ille est seruus Dei, qui non irascitur neq; turbatur pro aliquo. Recte viuit & sine proprio, & beatus est: quia non remanet sibi aliquid reddens quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

H

De cognoscendo spiritu Dei.

Sic potest cognosci seruus Dei si habet spiritum Domini cum Dominus operatur per ipsum aliquid boni, si caro eius neque mens exinde se exaltat: quia semper contraria est omni bono. Sed si magis ante oculos suos, se habere viliorem & in omnibus aliis hominibus se minorem existimaret.

De patientia in aduersis.

Sanctus Dei non potest cognoscere quantam habet patientiam & humilitatem in se dum satisfactum est sibi. Cum autem venerit tempus, in quo illi qui deberent satisfacere ei faciunt sibi contrariam, quantam habet patientiam ibi & humilitatem, tantam habet & non plus.

De paupertate spiritus.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: multi sunt qui orationibus & officiis insistentes multas abstinentias, & afflictiones in suis corporibus faciunt: sed de solo vno verbo quod viderint iniuriam esse suorum corporum vel de aliqua re, quæ sibi aufertur scandalizati continuo perturbantur. Hi non sunt vere pauperes spiritu. Quia qui vere pauper est spiritu, seipsum odit, & alios diligit qui ipsum percutiunt in maxillam.

A

De pace. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Illi sunt vere pacifici, qui in omnibus qui in hoc sæculo patiuntur propter amorem Domini nostri Iesu Christi in animo & corpore pacem seruant.

De munditia cordis. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Vere mundo corde sunt, qui terrena despiciunt, & cœlestia quærunt, & semper adorare & videre Dominum Deum viuum & verum mundo corde, & animo non desistunt.

De humili seruo Dei. Beatus ille seruus qui non magis exaltat se de bono quod Dominus dicit, & operatur per ipsum quam quod dicit & operatur per alium: peccat enim homo qui magis vult recipere à proximo suo quam vult dare de se Domino Deo.

De compassione proximi. Beatus homo qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem in eo quod vellet sustineri ab ipso, si in consimili casu esset. Beatus seruus qui omnia bona reddit, & attribuit Domino Deo. Quia qui sibi aliquid retinuerit, abscondet pecuniam Domini Dei sui, & quod putat habere, auferetur ab eo.

B

De humili seruo Dei. Beatus ille seruus qui non tenet se meliorem quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, sicut quando tenetur vilis, simplex, & despectus. Quia quantum est homo coram Deo, tantum est & non plus. Væ illi religioso qui ab aliis positus est in alto, & per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille seruus qui non per suam voluntatem ponitur in alto, & semper desiderat esse sub pedibus aliorum.

De bono & vano religioso. Beatus ille religiosus qui non habet iocunditatem, & lætitiam nisi in sanctissimis eloquiis & operibus Dei: & cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio, & lætitia, & exultatione. Et væ illi religioso qui delectat se in verbis otiosis, & vanis, & cum his perducit homines ad risum.

De inani & loquace religioso. Beatus ille seruus qui non loquitur sub spe mercedis, & omnia sua non manifestat, & non est velox ad loquendũ: sed sapienter prouidet quæ sibi Dominus ostendit, non retinet in corde: sed & aliis non ostendit per operationem,

C

sed sub spe mercedis magis hominibus verbis cupit ostendere quam Deo. Ipse enim recepit mercedem suam, & audientes paruum fructum reportant.

De correctione. Beatus seruus qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ab aliquo ita patienter sustinet, sicut à semetipso. Beatus seruus qui benigne reprehensus acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, & libenter satisfacit. Beatus seruus qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, vbi non commisit culpam.

De humilitate. Beatus seruus qui ita inuentus est humilis inter subditos fratres suos, sicut quando esset inter Dominos suos. Fidelis seruus, & prudens est, qui in omnibus suis offensis non tardat interius punire per contritionem, & exterius per confessionem & operis satisfactionem.

De vera dilectione. Beatus seruus qui tantum diligit fratrem suum quando est infirmus, quod non potest ei satisfacere; quantum quando est sanus, quod potest ei satisfacere.

Item de eodem. Beatus qui tantum diligit fratrem suum cum est longe ab ipso, sicut quando est cum eo. Et non diceret aliquid post ipsum, quod cum charitate non posset dicere coram eo.

D

Quod serui Dei honorent clericos. Beatus seruus qui portat fidem in clericis, qui viuunt recte secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & væ illis qui ipsos despiciunt. Licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare. Quia ipse solus Dominus reseruat sibi ad eos iudicandum. Nam quanto maior est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore, & sanctissimo sanguine Domini nostri Iesu Christi, quod ipsi recipiunt, & aliis ministrant: tanto plus peccatum habent, qui peccant in ipsis quam in omnibus aliis hominibus istius mundi.

De virtute effugante vitium. Vbi est charitas & sapientia, ibi nec timor, nec ignorantia. Vbi est patientia, & humilitas, ibi nec ira nec perturbatio. Vbi est paupertas cum lætitia, ibi nec cupiditas nec auaritia. Vbi est quies, & meditatio, ibi nec solicitudo nec vagatio. Vbi est timor Domini ad atrium suum custodiendum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. Vbi est misericordia & discretio, ibi nec superfluitas nec induratio.

E

De abscondendo bonũ ne perdatur. Beatus seruus qui thesaurizat in cœlo bona quæ sibi Dominus ostendit, & sub spe mercedis non cupit manifestare hominibus: quia ipse altissimus manifestabit opera eius, quibuscunq; placuerit. Beatus seruus qui secreta Domini obseruat in corde suo.

Hæc igitur sunt verba vitæ & salutis, quæ si quis elegerit & fecerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino, Amen.

LAVS DOMINI DEI ALTISSIMI, quam composuit beatus Franciscus.

TV es Dominus Deus. Tu es Deus Deorum, qui solus facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altissimus. Tu es Pater sanctus rex cœli & terræ. Tu es trinus, & vnus Deus. Tu es bonus, omne bonum, summum bonum Domine Deus vnus & verus. Tu es amor & charitas. Tu es sapientia. Tu es humilitas. Tu es patientia. Tu es pulchritudo. Tu es securitas. Tu es quies. Tu es gaudium. Tu es spes nostra & lætitia. Tu es iustitia & temperantia, tu es fortitudo & prudentia. Tu es omnes diuitiæ ad sufficientiam. Tu es mansuetudo, tu es protector, tu es custos, & defensor, tu es refugium nostrum & virtus, tu es fides, spes & charitas nostra. Tu es magna dulcedo nostra. Tu es bonitas infinita, magnus & admirabilis Dominus Deus meus omnipotens pius & misericors saluator.

F

ORATIO.

OMnipotens, æterne, iuste & misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere, quod scimus te velle: & semper velle quod tibi placet, & interius mundati, interius illuminati, vt igne sancti Spiritus accensi possimus sequi vestigia tui dilectissimi filii Domini nostri Iesu Christi: & ad te altissimum sola tua gratia peruenire, qui in Trinitate perfecta, & vnitate simplici viuis & regnas & gloriatis Deus omnipotens in sęcula sęculorum, Amen.

G

ORATIO AD VIRGINEM MARIAM.

SAncta Dei genitrix dulcis & decora regem morti traditum filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis exora, vt ipse per suam piissimam misericordiam & clementiam, & virtutem sanctissimæ incarnationis, & mortis ipsius acerbissimæ nobis indulgeat peccata nostra, Amen.

Alia oratio eiusdem ad beatissimam Virginem Mariam.

SAncta Maria virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus: filia & ancilla altissimi regis patris cœlestis: mater sanctissima Domini nostri Iesu Christi: sponsa Spiritus sancti. Ora pro nobis, cum sancto Michaele Archangelo & omnibus virtutibus cælorum & omnibus sanctis, tuum sanctissimum filium dilectissimum Dominum nostrum & magistrum, Amen.

H

Verba beatissimi Patris nostri Francisci, ad humilitatem, obedientiam, deuotionem & patientiam inducentia.

BEatus seruus qui non tenet se meliorem quando magnificatur & exaltatur ab hominibus sicuti quando tenetur vilis, simplex, & abiectus, & despectus: quia quantum est homo coram Deo, tantum est & non plus. Væ illi Religioso qui ab aliis positus est in alto, & per suã voluntatẽ non vult descendere. Et beatus ille seruus qui non per suã voluntatem ponitur in alto, & semper desiderat subesse pedibus aliorum. Beatus ille Religiosus qui non habet iocunditatẽ & lætitiã nisi in sanctissimis eloquiis & in operibus Domini, & cum his perducit homines ad amorem Dei

in

A in gaudio & lætitia. Væ illi Religioso qui delectatur in verbis ociosis & vanis, & in his perducit homines ad risum. Beatus seruus qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ita patienter ab aliquo sustinet, sicut à semetipso. Beatus seruus qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, libenter satisfacit. Beatus seruus qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato vbi non commisit culpam.

Incipit littera eiusdem beatissimi Patris nostri Francisci, ad Sacerdotes ordinis sui.

IN nomine sanctæ Trinitatis, & summæ vnitatis patris, & filii & Spiritus sancti, Amen. Reuerendis & multum diligendis fratribus vniuersis Generali Ministro, ordinis minimorum. Domino suo, & cæteris ministris generalibus qui post eum erunt, & omnibus Ministris, & Custodibus, & Sacerdotibus fraternitatis eiusdem in Christo humilibus, & omnibus simplicibus & obedientibus primis

B & nouissimis, frater Franciscus. Homo vilis & caducus, vester paruus seruus, Salutem in eo qui redemit & lauit nos in sanguine suo; Cuius nomen audientes adorate eum cum timore & reuerentia proni in terra, Dominus Iesus Christus, altissimus filius nomen illi qui est benedictus in sæcula, Amen.

* Audite Domini filii & fratres mei: auribus percipite verba mea. Inclinate aures cordis vestri & obedite voci filii Dei. Seruate in toto corde vestro mandata eius: & consilia eius perfecta mente implete. Confitemini ei quoniam bonus, & exaltate eum in operibus vestris. Quoniam ideo misit vos Deus in vniuerso mundo, vt verbo & opere detis testimonium voci eius, & faciatis scite omnes, quoniam non est omnipotens præter eum. In disciplina & obedientia persuadete, & quæ promisistis ei, bono animo & firmo proposito adimplete. Tanquam filiis se offert nobis Dominus Deus. Deprecor itaq; omnes fratres cum

C osculo pedum, & cum charitate qua possum: vt omnem reuerentiam, & omnem honorem, quantumcunq; poteritis, exhibeatis Corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, in quo quæ in cœlis, & quæ in terris sunt pacificata & reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos Sacerdotes qui sunt, & erunt, & esse cupiunt altissimi, quod quandocunq; voluerint Missam celebrare, pure faciant, cum reuerentia verum sacrificium sanctissimi corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sancta intentione & munda: non pro vlla terrena re neq; timore vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus. Sed omnis voluntas quantum adiuuat gratia omnipotentis ad eum dirigatur: & soli ipsi Deo summo tantum placere desideretis. Ipse solus operatur sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit: Hoc facite in meam commemorationem: si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur. Recordamini fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est, in lege Moysi, quoniam transgredientes in corporalibus, sine vlla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quanto maiora & peiora

Missa est Sacrificiũ Corporis Christi.

D meretur pati supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus, & conculcat agnum Dei: quoniam sicut dicit Apostolus, non diiudicans & discernens sanctum panem Christum ab aliis cibarijs vel operibus indignis, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat: Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter, vel fraudulenter. Et propter Sacerdotes qui nolunt ponere super cor, in veritate condemnat nos dicens: Maledicam benedictionibus vestris. Audite fratres mei. Si beata virgo Maria honoratur (vt dignum est) quia ipsum portauit in sanctissimo vtero suo: si beatus Ioannes baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem: si e sepulchrum in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneratur: quantum debet esse sanctus & iustus, & dignus, qui non iam moriturum, sed in æternum victurum & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere,

1. Cor. 11.

E contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram fratres Sacerdotes, & estote sancti, quia ipse sanctus est. Et sicut super omnes propter hoc ministerium honorauit vos Dominus Deus, ita & vos super omnes propter hoc ministerium diligite eum, reueremini & honorate.

Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiscat, & cœlum exultet: quando super altare in manibus Sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admiranda altitudo! O stupenda dignatio! O sublimitas humilis, quod Dominus vniuersitatis Deus & Dei filius, sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat. Videte fratres humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat qui se vobis exhibet totum.

Christus sub modica Panis formula.

F Moneo prætetea, & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur fratres, vna tantum celebretur Missa in die secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sic sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius: quia absentes & præsentes replet qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus. Qui licet in pluribus videatur esse locis, tamen indiuisibilis manet, & aliqua determinata nō nouit, sed vnus verus, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre, & Spiritu sancto paraclito in sæcula sæculorum, Amen.

** Caute lege, Ioannes Ekius in enchiridio notat hanc epistolam, non agnosci à fratribus ordinis minorum pro vera epistola S. Francisci. addit Auctorem tantum loqui de feria V. in cœna Domini, non de aliis diebus. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 10. ad 12. obiectionem hæc scribit: Sane si hæc epistola de quouis die loqueretur, falsum apertissime contineret. Scribit enim Auctor epistolæ secundum vsum Romanæ Ecclesiæ vnicam missam duntaxat vno in loco celebrari: at Honorius Papa III qui sedit Romæ tempore S. Francisci,*

G *cap. cum creatura de celebratione Missarum iubet non omitti anniuersaria sacra pro defunctis, ob festum vel feriam occurrentem, sed vtraq; sacra, eodem die celebrari. Tantum Bellarminus. Forsan Auctor solum innuere voluit ordinarie, & nisi necessitas ingruat, vnam tantam missam solemnem, quam vocant maiorem, & conuentualem in vno loco celebrandam.*

Explicit Epistola Seraphici Patris nostri Francisci.

INCIPIT TESTAMENTVM BEATISSIMI Patris nostri Francisci.

DOminus dedit mihi fratri Francisco, incipere facere pœnitentiam: quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos. Et ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis, & recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et postea parum steti, & exiui de sæculo. Et Dominus dedit mihi fidem talem in Ecclesiis, vt ita simpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te sanctissime Domine Iesu Christe, hic & ad omnes ecclesias tuas quæ sunt in toto

H mundo, & benedicimus tibi quia per sanctam crucem tuā redemisti mundum. Et postea dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sæculi in parrochiis in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum.

Sacerdotes honorandi à religiosis mendicantibus.

Et ipsos, & omnes alios volo timere, amare & honorare, sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt. Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sæculo de ipso altissimo filio Dei nisi sanctissimum Corpus & sanguinem suum quod ipsi recipiunt. & ipsi soli aliis ministrant. Et hæc sanctissima Mysteria volo super omnia honorari & venerari, & in locis preciosis collocari. Sanctissima nomina & verba eius scripta, vbicunque inuenero in locis illicitis, volo colligere: & rogo

A De pace. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Illi sunt vere pacifici, qui in omnibus qui in hoc sæculo patiuntur propter amorem Domini nostri Iesu Christi in animo & corpore pacem seruant.

De munditia cordis. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Vere mundo corde sunt, qui terrena despiciunt, & cœlestia quærunt, & semper adorare & videre Dominum Deum viuum & verum mundo corde, & animo non desistunt.

De humili seruo Dei. Beatus ille seruus qui non magis exaltat se de bono quod Dominus dicit, & operatur per ipsum quam quod dicit & operatur per alium: peccat enim homo qui magis vult recipere à proximo suo quam vult dare de se Domino Deo.

De compassione proximi. Beatus homo qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem in eo quod vellet sustineri ab ipso, si in consimili casu esset. Beatus seruus qui omnia bona reddit, & attribuit Domino Deo. Quia qui sibi aliquid retinuerit, abscondet pecuniam Domini Dei sui, & quod putat habere, auferetur ab eo.

B De humili seruo Dei. Beatus ille seruus qui non tenet se meliorem quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, sicut quando tenetur vilis, simplex, & despectus. Quia quantum est homo coram Deo, tantum est & non plus. Væ illi religioso qui ab aliis positus est in alto, & per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille seruus qui non per suam voluntatem ponitur in alto, & semper desiderat esse sub pedibus aliorum.

De bono & vano religioso. Beatus ille religiosus qui non habet iocunditatem, & lætitiam nisi in sanctissimis eloquiis & operibus Dei: & cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio, & lætitia, & exultatione. Et væ illi religioso qui delectat se in verbis otiosis, & vanis, & cum his perducit homines ad risum.

De inani & loquaci religioso. Beatus ille seruus qui non loquitur sub spe mercedis, & omnia sua non manifestat, & non est velox ad loquendū: sed sapienter prouidet quæ sibi Dominus ostendit, non retinet in corde: sed & aliis non ostendit per operationem,

C sed sub spe mercedis magis hominibus verbis cupit ostendere quam Deo. Ipse enim recepit mercedem suam, & audientes paruum fructum reportant.

De correctione. Beatus seruus qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ab aliquo ita patienter sustinet, sicut à semetipso. Beatus seruus qui benigne reprehensus acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, & libenter satisfacit. Beatus seruus qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, vbi non commisit culpam.

De humilitate. Beatus seruus qui ita inuentus est humilis inter subditos fratres suos, sicut quando esset inter Dominos suos. Fidelis seruus, & prudens est, qui in omnibus suis offensis non tardat interius punire per contritionem, & exterius per confessionem & operis satisfactionem.

De vera dilectione. Beatus seruus qui tantum diligit fratrem suum quando est infirmus, quod non potest ei satisfacere; quantum quando est sanus, quod potest ei satisfacere.

Item de eodem. Beatus qui tantum diligit fratrem suum cum est longe ab ipso, sicut quando est cum eo. Et non diceret aliquid

D post ipsum, quod cum charitate non posset dicere coram eo.

Quod seruus Dei honorent clericos. Beatus seruus qui portat fidem in clericis, qui viuunt recte secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & væ illis qui ipsos despiciunt. Licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare. Quia ipse solus Dominus reseruat sibi ad eos iudicandum. Nam quanto maior est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore, & sanctissimo sanguine Domini nostri Iesu Christi, quod ipsi recipiunt, & aliis ministrant: tanto plus peccatum habent, qui peccant in ipsis quam in omnibus aliis hominibus istius mundi.

De virtute effugante vitium. Vbi est charitas & sapientia, ibi nec timor, nec ignorantia. Vbi est patientia, & humilitas, ibi nec ira nec perturbatio. Vbi est paupertas cum lætitia, ibi nec cupiditas nec auaritia. Vbi est quies, & meditatio, ibi nec sollicitudo nec vagatio. Vbi est timor Domini ad atrium suum custodiendum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. Vbi est misericordia & discretio, ibi nec superfluitas nec induratio.

E De abscondendo bonū ne perdatur. Beatus seruus qui thesaurizat in cœlo bona quæ sibi Dominus ostendit, & sub spe mercedis non cupit manifestare hominibus: quia ipse altissimus manifestabit opera eius, quibuscunque placuerit. Beatus seruus qui secreta Domini obseruat in corde suo.

Hæc igitur sunt verba vitæ & salutis, quæ si quis elegerit & fecerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino, Amen.

LAVS DOMINI DEI ALTISSIMI, quam composuit beatus Franciscus.

TV es Dominus Deus. Tu es Deus Deorum, qui solus facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altissimus. Tu es Pater sanctus rex cœli & terræ. Tu es trinus, & vnus Deus. Tu es bonus, omne bonum, summum

F bonum Domine Deus vnus & verus. Tu es amor & charitas. Tu es sapientia. Tu es humilitas. Tu es patientia. Tu es pulchritudo. Tu es securitas. Tu es quies. Tu es gaudium. Tu es spes nostra & lætitia. Tu es iustitia & temperantia, tu es fortitudo & prudentia. Tu es omnes diuitiæ ad sufficientiam. Tu es mansuetudo, tu es protector, tu es custos, & defensor, tu es refugium nostrum & virtus, tu es fides, spes & charitas nostra. Tu es magna dulcedo nostra. Tu es bonitas infinita, magnus & admirabilis Dominus Deus meus omnipotens pius & misericors saluator.

ORATIO.

OMnipotens, æterne, iuste & misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere, quod scimus te velle: & semper velle quod tibi placet, & interius mundari, interius illuminari, vt igne sancti Spiritus accensi

G possimus sequi vestigia tui dilectissimi filii Domini nostri Iesu Christi: & ad te altissimum sola tua gratia peruenire, qui in Trinitate perfecta, & vnitate simplici viuis & regnas & gloriatis Deus omnipotens in sęcula sęculorum, Amen.

ORATIO AD VIRGINEM MARIAM.

SAncta Dei genitrix dulcis & decora regem mortis traditum filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis exora, vt ipse per suam piissimam misericordiam & clementiam, & virtutem sanctissimæ incarnationis, & mortis ipsius acerbissimæ nobis indulgeat peccata nostra, Amen.

Alia oratio eiusdem ad beatissimam Virginem Mariam.

SAncta Maria virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus: filia & ancilla altissimi regis patris cœlestis: mater sanctissima Domini nostri Iesu Christi: spon-

H sa Spiritus sancti. Ora pro nobis, cum sancto Michaele Archangelo & omnibus virtutibus cælorum & omnibus sanctis, tuum sanctissimum filium dilectissimum Dominum nostrum & magistrum, Amen.

Verba beatissimi Patris nostri Francisci, ad humilitatem, obedientiam, deuotionem & patientiam inducentia.

BEatus seruus qui non tenet se meliorem quando magnificatur & exaltatur ab hominibus sicuti quando tenetur vilis, simplex, & abiectus, & despectus: quia quantum est homo coram Deo, tantum est & non plus. Væ illi Religioso qui ab aliis positus est in alto, & per suā voluntatē non vult descendere. Et beatus ille seruus qui non per suā voluntatem ponitur in alto, & semper desiderat subesse pedibus aliorum. Beatus ille Religiosus qui non habet iocunditatē & lætitiā nisi in sanctissimis eloquiis & in operibus Domini, & cum his perducit homines ad amorem Dei

A

in gaudio & lætitia. Væ illi Religioso qui delectatur in verbis otiosis & vanis, & in his perducit homines ad risum. Beatus seruus qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ita patienter ab aliquo sustinet, sicut à semetipso. Beatus seruus qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, libenter satisfacit. Beatus seruus qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustines verecundiam & reprehensionem de peccato vbi non commisit culpam.

Incipit littera eiusdem beatissimi Patris nostri Francisci, ad Sacerdotes ordinis sui.

IN nomine sanctæ Trinitatis, & summæ vnitatis patris, & filii & Spiritus sancti, Amen. Reuerendis & multum diligendis fratribus vniuersis Generali Ministro, ordinis minimorum. Domino suo, & cæteris ministris generalibus qui post eum erunt, & omnibus Ministris, & Custodibus, & Sacerdotibus fraternitatis eiusdem in Christo humilibus, & omnibus simplicibus & obedientibus primis & nouissimis, frater Franciscus. Homo vilis & caducus, vester paruus seruus, Salutem in eo qui redemit & lauit nos in sanguine suo; Cuius nomen audientes adorate eum cum timore & reuerentia proni in terra, Dominus Iesus Christus, altissimus filius nomen illi qui est benedictus in sæcula, Amen.

B

Audite Domini filii & fratres mei: auribus percipite verba mea. Inclinate aures cordis vestri & obedite voci filii Dei. Seruate in toto corde vestro mandata eius: & consilia eius perfecta mente implete. Confitemini ei quoniam bonus, & exaltate eum in operibus vestris. Quoniam ideo misit vos Deus in vniuerso mundo, vt verbo & opere detis testimonium voci eius, & faciatis scire omnes, quoniam non est omnipotens præter eum. In disciplina & obedientia persuadete, & quæ promisistis ei, bono animo & firmo proposito adimplete. Tanquam filiis se offert nobis Dominus Deus. Deprecor itaq; omnes fratres cum osculo pedum, & cum charitate qua possum: vt omnem reuerentiam, & omnem honorem, quantumcunq; poteritis, exhibeatis Corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, in quo quæ in cœlis, & quæ in terris sunt pacificata & reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos Sacerdotes qui sunt, & erunt, & esse cupiunt altissimi, quod quandocunq; voluerint Missam celebrare, pure faciant, cum reuerentia verum sacrificium sanctissimi corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sancta intentione & munda: non pro vlla terrena re neq; timore vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus. Sed omnis voluntas quantum adiuuat gratia omnipotentis ad eum dirigatur: & soli ipsi Deo summo tantum placere desideretis. Ipse solus operatur sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit: Hoc facite in meam commemorationem: si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur. Recordamini fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est, in lege Moysi, quoniam transgredientes in corporalibus, sine vlla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quanto maiora & peiora meretur pati supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus, & conculcat agnum Dei: quoniam sicut dicit Apostolus, non diiudicans & discernens sanctum panem Christum ab aliis cibarijs vel operibus indignis, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat: Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter, vel fraudulenter. Et propter Sacerdotes qui nolunt ponere super cor, in veritate condemnat nos dicens: Maledicam benedictionibus vestris. Audite fratres mei. Si beata virgo Maria honoratur (vt dignum est) quia ipsum portauit in sanctissimo vtero suo: si beatus Ioannes baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem: sic sepulchrum in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneratur: quantum debet esse sanctus & iustus, & dignus, qui non iam moriturum, sed in æternum victurum & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere,

C

Missa est Sacrificiũ Corporis Christi.

D

1. Cor. 11.

E

contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram fratres Sacerdotes, & estote sancti, quia ipse sanctus est. Et sicut super omnes propter hoc ministerium honorauit vos Dominus Deus, ita & vos super omnes propter hoc ministerium diligite eum, reueremini & honorate.

Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiscat, & cœlum exultet: quando super altare in manibus Sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admiranda altitudo! O stupenda dignatio! O sublimitas humilis, quod Dominus vniuersitatis Deus & Dei filius, sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat. Videte fratres humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat qui se vobis exhibet totum.

Christus sub modica Panis formula.

F

Moneo præterea, & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur fratres, vna tantum celebretur Missa in die secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sic sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius: quia absentes & præsentes replet qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus. Qui licet in pluribus videatur esse locis, tamen indiuisibilis manet, & aliqua determinata nõ nouit, sed vnus verus, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre, & Spiritu sancto paraclito in sæcula sæculorum, Amen.

* *Caute lege, Ioannes Ekius in enchiridio notat hanc epistolam, non agnosci à fratribus ordinis minorum pro vera epistola S. Francisci. addit Auctorem tantum loqui de feria V. in cœna Domini, non de aliis diebus. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 10. ad 12. obiectionem hæc scribit: Sane si hæc epistola de quouis die loqueretur, falsum apertissime contineret. Scribit enim Auctor epistolæ secundum vsum Romanæ Ecclesiæ vnicam missam duntaxat vno in loco celebrari: at Honorius Papa III qui sedit Romæ tempore S. Francisci, cap. cum creatura de celebratione Missarum iubet non omitti anniuersaria sacra pro defunctis, ob festum vel feriam occurrentem, sed vtraq; sacra, eodem die celebrari. Tantum Bellarminus. Forsan Auctor solum innuere voluit ordinarie, & nisi necessitas ingruat, vnam tantam missam solemnem, quam vocant maiorem, & conuentualem in vno loco celebrandam.*

G

Explicit Epistola Seraphici Patris nostri Francisci.

INCIPIT TESTAMENTVM BEATISSIMI Patris nostri Francisci.

DOminus dedit mihi fratri Francisco, incipere facere pœnitentiam: quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos. Et ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis, & recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et postea parum steti, & exiui de sæculo. Et Dominus dedit mihi fidem talem in Ecclesiis, vt ita simpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te sanctissime Domine Iesu Christe, hic & ad omnes ecclesias tuas quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi quia per sanctam crucem tuã redemisti mundum. Et postea dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sæculi in parrochiis in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum.

H

Sacerdotes honorandi à religiosis mendicantibus.

Et ipsos, & omnes alios volo timere, amare & honorare, sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt. Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sæculo de ipso altissimo filio Dei nisi sanctissimum Corpus & sanguinem suum quod ipsi recipiunt. & ipsi soli aliis ministrant. Et hæc sanctissima Mysteria volo super omnia honorari & venerari, & in locis preciosis collocari. Sanctissima nomina & verba eius scripta, vbicunque inuenero in locis illicitis, volo colligere: & rogo

 quod

A quod colligantur, & in loco honesto collocentur. Et omnes theologos & qui ministrant nobis sanctissima verba diuina debemus venerari sicut qui ministrant nobis spiritum & vitam. Et postquam Dominus dedit mihi, de fratribus nemo ostendebat mihi quid deberem facere: sed ipse altissimus reuelauit mihi quod ego deberem viuere secundum formam sancti Euangelii. Et ego paucis verbis & simpliciter feci scribi, & dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quæ habere poterant dabant pauperibus. Et erant contenti tunica vna intus & foris repetiata, qui volebant, cum cingulo & bracchis, & nolebamus plus habere. Officium dicebamus Clerici secundum alios Clericos: Laici dicebant, Pater noster: Et satis libenter manebamus in Ecclesiis pauperculis & derelictis, & eramus, ydiotæ & subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam & volo laborare: & omnes alii fratres firmiter volo quod laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendum ociositatem. Et quando non daretur nobis precium laboris, recurramus ad mensam domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem hanc reuelauit mihi Dominus, vt diceremus: Dominus det tibi pacem. Caueant sibi fratres vt Ecclesias & habitacula, & omnia alia quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant nisi essent sicut decet, secundum sanctam paupertatem quam in regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut aduenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus vniuersis, quod vbicunque sunt non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, per se nec per interpositam personam, neque pro Ecclesia, neque pro alio loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum: sed vbicunq; non fuerint recepti, fugiant in alienam terram ad faciendum pœnitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire generali Ministro huius fraternitatis & illi Gardiano quem sibi placuerit mihi dare, & ita volo esse captus in manibus suis vt non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est. Et quamuis simplex & infirmus, tamen semper volo habere Clericum qui mihi faciat officium sicut in regula continetur. Et omnes alii fratres ita teneantur firmiter obedire Gardianis suis, & facere officium suum secundum regulam. Et si aliqui inuenti essent qui non facerent officium secundum regulam, & vellent alio modo variare aut non essent catholici, omnes fratres vbicunque inuenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci vbi ipsum inuenerint debeant præsentare. Et Custos teneatur per obedientiam, ipsum firmiter custodire sicut hominem in vinculis die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus eius, donec in propria sua persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales fratres qui die noctuque custodiant ipsum sicut hominem in vinculis, donec repræsentent ipsum coram domino Ostiensi, qui est dominus Protector & corrector istius fraternitatis. Et non dicant fratres, hæc est alia regula, quia hæc est recordatio, admonitio & exhortatio & meum Testamentum, quod ego frater Franciscus paruulus vester facio vobis fratribus meis benedictis, propter hoc vt regulam quam domino promisimus, melius catholice obseruemus. Et generalis minister & omnes alii Ministri & Custodes, per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta regulam: & in omnibus Capitulis quæ faciunt quando legunt regulam, legant & ista verba. Et omnibus fratribus meis clericis & laicis præcipio firmiter per obedientiam vt non mittant glosas in regula nec istis verbis dicendo, ita volunt intelligi, sed sicut dedit mihi Dominus simpliciter & pure dicere & scribere regulam, & ista verba, ita simpliciter & pure sine glosa intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis vsque in finem. Et quicumque hæc obseruauerit, in cælo repleatur benedictione altissimi patris cælestis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui cum sanctissimo Spiritu paraclito, & omnibus virtutibus cœlorum & omnibus sanctis. Et ego frater Franciscus paruulus vester & seruus, quantumcunque possum confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem, Amen.

Theologi honore prosequendi.

B Pr mores Franciscanorũ vita.

C

Improborum coercitio.

D

Explicit Testamentum beatissimi Patris nostri Francisci.

LAVDES TESTAMENTI BEATISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

Laus stam B.P. Fran authonony

O Testamentum pacis, Testamentum nulla obliuione delendum, nulla dedignatione spernendum, nulla superordinatione contraria mutandum: Testamentum inquam, non morte testatoris, sed immortalis vitæ condonatione sancitum. Beatus qui non spernit vel abiicit tharitatis incorruptibile testamentum, fertile humilitatis feudum desiderabile paupertatis thesaurum tanti patris sibi traditione legatum.

F

INCIPIT ORATIO SEV EXPOSITIO beatissimi Patris nostri Francisci super Pater noster.

SAnctissime *Pater noster*, creator, redemptor noster, saluator noster, consolator noster. *Qui es in cælis*, in Angelis, in Sanctis illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu es, domine, lux inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu, domine, amor es inhabitans & implens eos ad beatitudinem: quia tu, domine, summum bonum es & æternum bonum à quo omnia bona, & sine quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum.* Clarificetur in nobis notitia tua vt cognoscamus quę sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum, sublimitas maiestatis, & profundum iudiciorum. *Adueniat regnum tuum.* Vt regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum vbi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Vt amemus te ex toto corde, te semper cogitando, ex tota anima te semper desiderando, ex tota mente omnes intentiones nostras ad te dirigendo: & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus nostris omnes vires, sensus animæ & corporis in obsequium tui amoris & non in alio exponendo: & proximos nostros amemus sicut nosipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo, in malis compatiendo: & nemini vllam offensam faciendo. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Dilectum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum da nobis hodie in memoria, in intelligentia & reuerentia amoris quem ad nos habuit & eorum quę pro nobis fecit, dixit & sustinuit. *Et dimitte nobis, debita nostra.* Per tuam misericordiam & ineffabilem passionem dilecti filii tui Domini nostri Iesu Christi virtutem & beatissimæ Mariæ virginis & omnium electorum tuorum merita & intercessiones. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et quia non plene dimittimus, tu domine fac plene dimittere vt inimicos propter te diligamus, & pro eis apud te deuote intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodesse studeamus. *Et ne nos inducas in tentationem*, occultam siue manifestam, subitam vel importunam. *Sed libera nos à malo*: Præterito præsenti & futuro. *Amen spontanee & gratis.*

G Matth. 6. Luc. 11.

H

Supradicto modo dicebat Beatus Pater noster ad omnes horas.

SAN-

S. LVDOVICI GALLIA-
A RVM REGIS CHRISTIANISSIMI PRA-
GMATICA SANCTIO.



VDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri ac tranquillo statu Ecclesiæ regni nostri, nec, non pro diuini cultus augmento & Christi fidelium animarum salute, vtque gratiam & auxilium omnipotentis Dei, cuius soli ditioni atque protectioni regnum nostrum semper subiectum extitit & nunc esse volumus, consequi valeamus: Quæ sequuntur, hoc Edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus, & ordinamus.

1. Primo vt Ecclesiarum regni nostri, prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarii, Ius suum plenarium habeant, & vnicuique sua Iurisdictio debite
B seruetur.

2. Item Ecclesiæ cathedrales & aliæ regni nostri, liberas electiones, & earum effectum habeant.

3. Item Symoniæ crimen pestiferum Ecclesiam labefactans à regno nostro penitus eliminandum volumus & iubemus.

4. Item promotiones, collationes, prouisiones prælaturarum, dignitatum, vel aliorum quorumcunque beneficiorum, officiorum Ecclesiasticorum regni nostri, secundum dispositionem, & ordinationem, & determinationem iuris communis, sacrorum conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum fieri, volumus pariter & ordinamus.

5. Item libertates, franchisias, immunitates, prerogatiuas, iura & priuilegia per inclitæ recordationis Francorum reges prædecessores nostros, & successiue per nos Ecclesiis, Monasteriis, atque piis locis religiosis, nec non personis Ecclesiasticis regni nostri concessas & concessa, innouamus, laudamus, approbamus, & confirmamus per præsentes: harum tenore, vniuersis iustitiariis, F officiariis, & subditis nostris, ac loca tenentibus præsentibus & futuris, & eorum cuilibet pro vt ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus, quatenus omnia & singula prædicta, diligenter & attente seruent, teneant & custodiant, atque seruari, teneri, & custodiri inuiolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quouis modo faciant vel attentent, seu fieri vel attentari permittant: Transgressores aut contrafacientes, iuxta casus exigentiam, tali pœna plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum: In quorum omnium & singulorum testimonium, præsentes literas, sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Parisiis, anno Domini 1268. mense Martio.

Explicit Sanctio Pragmatica tempore sancti & Christianissimi Francorum Regis Ludouici, solenniter, & salubriter edita.

S. LVDOVICI REGIS
C GALLIARVM CHRISTIANISSIMI
MEMORABILE CVM RAIMVNDO TOLOSATVM COMITE ARRIANO, FOEDVS.



Sententia Raimundi veteris Comitis Tholosæ

N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ludouicus Dei gratia Francorũ Rex. Nouerint vniuersi præsentes pariter & futuri. Quod cum Raimundus filius Raimundi quondam Comitis Tholosani dum excommunicatus persistens Ecclesiæ Dei & nobis esset longo tempore contumax & rebellis, ad cor tamen reuersus Domino faciente ad mandatum Ecclesiæ & literarum domini sancti Angeli Cardinalis Apostolicæ sedis Legati nostri venit humiliter & deuote absolutionem suam petens, gratiam & misericordiam Ecclesiæ & non iudicium postulando, promisit autem dicto legato nomine Ecclesiæ Romanæ, Quod Ecclesiæ & nobis hæredibus nostris de cætero erit & vsque ad mortem & fideliter adhærebit & quod hæreticos & eorum credentes, fautores & receptatores in terra, quod ipse & sui tenent & tenebunt semper totis viribus expugnabit, non parcet in hoc proximis, vassalis, consanguineis, nec amicis & terram eandem purgabit ab hæreticis & hæretica fœditate. Iuuabit autem purgare terram quam nos tenebimus & promisit quod iustitiam de manifestis & fieri faciet per balliuos suos viriliter & potenter, hæreticis, inquiret autem diligenter & inqui-
D ri faciet de inueniendis hæreticis, credentibus, fautoribus & receptatoribus eorundem ordinationem quam super faciet dictus legatus. Et vt facilius & melius hæretici valeant inueniri, promisit quod soluet vsque bieunium duas marcas argenti & exinde in perpetuum vnam ei qui hæreticum ceperit & per Episcopum loci vel alium qui potestatem habeat ille qui captus fuerit de hæresi condemnatus, ita quod si plures ceperit, pro singulis dabit vel dari faciet tantumdem de aliis non manifestis & credentibus, receptatoribus & fautoribus hæreticorum seruabit
E & seruari faciet secundum quod dictus legatus vel Romana Ecclesia ordinabit. Item seruabit & seruari faciet pacem in terra, quam ipse & sui tenebant, iuuabit seruari in terra quam nos in manu nostra tenebimus, & ruptiones expeller & puniet animaduersione debita receptatores eorum, Ecclesias & viros Ecclesiasticos defendet & G defendi faciet à suis, & iura, libertates & immunitates quas habent confirmabit eisdem, & faciet finaliter ea obseruari, & ne cætero in terra illa claues Ecclesiæ contemnantur, sententias excommunicationis seruabit & seruari faciet à suis & per suos excommunicatos vitabit & vitari faciet, sicut in sacris institutionibus continetur. Et si aliqui in excommunicatione per annum contumaciter permanserint, ex tunc idem ad mandatum Ecclesiæ ipsos ad sententiam matris Ecclesiæ redire compellet, occupando omnia bona sua mobilia & immobilia, donec ad plenum satisfaciant de causa pro qua fuerint excommunicationis vinculo innodati, & damnis datis contra Ecclesiam excommunicationis prædictæ faciet omnes balliuos suos instituendos, & instituendo in ipsa institutione iurare quod omnia supradicta obseruabunt, ita quod si negligentes in his reperti fuerint, pro modo delicti punientur: & si culpabiles, omnium puniantur amissione bonorum. Instituet autem balliuos non Iudæos sed catholicos in terra, & nullius hæresis suspicione notatos: & tales prohibiti non possunt admit i ad redditus ciuitatum, villarum, aut castrorum, aut pedagiorum administrandos: & H si talis ignoranter institutus fuerit, expellet eum & punietur super hoc cum certificatus fuerit. Idem promisit idem Comes quod omnia bona immobilia & alia Ecclesiarum & Ecclesiasticorum virorum ad præsens restituet & restitui faciet ad plenum à suis in tota terra, quam ipse & sui tenebunt, illa videlicet quæ Ecclesiæ aut Parochiæ Ecclesiasticæ tenebant ante primum aduentum crucæ signatorum, aut de quibus constat eos esse spoliatos, & de aliis stabit iuri coram ordinariis, aut coram dicto Legato, aut à

Excommunicationis compellit excommunicatum.

A ne voluntate Ecclesiæ, & nostra, nec alibi fient nouæ forticiæ, villas tamen non inforciatas bene poterit facere idem Comes in terra quæ dimittitur ei: si vero aliqua villarum & castrorum quæ debent dirui, vt dictum est, essent hominum suorum, & nollent quod diruentur, idem Comes faciet viuam guerram, nec pacem vel treugas sine assensu Ecclesiæ, & nostro cum eis faciet, donec diruantur muri & impleantur fossata. Omnia supradicta iurauit & promisit nobis & dicto Legato præfatus Comes se firmiter perpetuo seruaturum bona fide sine fraude & malo ingenio, & quod faciet bona fide ab hominibus & vassallis & fidelibus suis firmiter obseruati, & idem iurare omnes ciues Tholosanos, & alios homines terræ quæ dimittitur illi, & addetur iuramento eorum quod ipsi dabunt operam efficacem, quod ipse Comes seruet ea, & si idem venerit contra prædicta vel aliquod prædictorum, ipso facto de voluntate eius sint absoluti, & nunc ipse absoluit eos à fidelitate & homagio & omni alia obligatione quibus ipsi tenentur ei, & adhærebunt Ecclesiæ & nobis contra ipsum, nisi infra quadraginta dies postquam fuerit monitus emendauerit vel iuri steterit coram Ecclesia de iis quæ B ad Regem pertinet, & tota terra ipsa quæ dimittitur ei, incidet in Commissum Regis, & erit idem Comes in eo statu in quo nunc est, quo ad Regem & quo ad excommunicationem & omnia alia quæ fuerunt statuta contra ipsum & patrem suum in concilio generali, vel postea, addetur autem iuramento ipsorum quod ipsi iuuabunt Ecclesiam contra hæreticos, fautores, credentes & receptatores eorum, & contra omnes alios qui occasione hæresis vel contemptus excommunicationis Ecclesiæ, contrarij extitent in terra quæ dimittitur eis, & in terris aliis supradictis, & Regem iuuabunt, & quod eis facient viuam guerram donec ad mandatum Ecclesiæ reuertantur, & renouabunt iuramenta de quinquennio in quinquennium ad mandatum Regis, vt autem omnia supradicta adimpleantur, & Ecclesiæ, & nobis plenius & melius obseruentur, tradet pro securitate Ecclesiæ & nostra in manibus nostris castrū Narbonæ, & tenebimus vsque ad decennium & muniemus & inforciabimus si visum fuerit expedire. Item dabit C nobis pro securitate Ecclesiæ, & nostra in manibus nostris, caput castri noui, caput castri Vauri, castrum de monte acuto, pennam de Agenesio, & rippam Petrusii, castrum de Cordua, castrum Verdunum, castrum de villa muro, & vsque ad decennium tenebimus ea. Ita quod primis 5. annis si voluerimus tenere, faciemus expensis propriis custodiri, tamen poterimus si placuerit Ecclesiæ & nobis diruere 4. castra de prædictis, videlicet caput castri noui, caput castri Vauri, Villamurum & Verduuum, & propter hoc nominetur prædicta summa 1500. librarum Turonens. redditus, & prouentus castrorum omnia quæ Iure dominij percipiuntur, erunt comitis, & nos ad sumptus in omni tenebimus capita ipsorum castrorum & Corduam, & idem Comes tenebit ibi Ballinos suos non suspectos Ecclesiæ & nobis, qui facient iustitiam hominibus, & recipient redditus & prouentus prædictos. Post decennium autem restituemus dicta capita castrorum & Corduam dicto Comiti libere saluis conditionibus supradictis, & si prædicta omnia quantum ad Ecclesiam & nos sunt obseruata, pennam autem de Albigesio tradet nobis ad Kal. August. proximas cum aliis castris detinendam à nobis vsque ad ter- D minum illum, ex tunc obsideri faciet & viuam guerram quo vsque ipsam habeat, nec pacem nec treugam faciet cum ipso qui tenet eam vel tenebit, donec ipsam habeat: non tamen propter hoc retardabitur peregrinatio transmarina de qua superius est ordinatum. Et si vsque ad annum integrum post ipsas Kal. Aug. tradiderint nobis prædictam pennam de Albigesio, erit in conditione supradictorum castrorum. s. quod reddemus ei quando reddemus alia castra. Si vero post annum prædictum, ipsam pennam Albigensem non poterit assignare, ex tunc tradet eam in Ecclesiam templariis vel hospitalariis, aut aliis religiosis saluis hæreditatibus eorum qui se tenent ex parte nostra possidendam ad voluntatem Legati vel Ecclesiæ Romanæ, tali conditione quod ipsi non alienent ipsam de manu sua, nec de ipsa guerram faciant dicto Comiti nisi de mandato Ecclesiæ. Et si non poterunt aliqui inueniri qui velint eam habere, diruatur omnino, nec possit reædificari sine voluntate Ecclesiæ Romanæ & nostra, & ipsius Comitis. Item donec dictam pennam de Albigesio tradat vel templariis vel aliis religiosis sicut dictum est, tenebimus propter hoc obligatum pennam de Agenesio & castrum Narbonæ: si autem infra decennium det pennam de Albigesio templariis vel hospitalariis vel aliis religiosis vt dictum est, post decennium sub precibus nostris tenebimus si voluerimus illa duo castra prænominata quanto tempore distulerit tradere pennam de Albigesio, & si post decennium pennam de Albigesio, non vt acquisita, tandiu post tempus memoratum tenebimus illa duo castra quousque ipsa penna sit restituta & assignata sicut superius est expressum. Et nos soluimus quantum ad nos pertinet, ciues Tholosanos & alios homines terræ, qui ipsi Comiti tenentur ad iuramentum, & aliis obligationibus factis, nobis & patri nostro & Comitibus Montis fortis se obligauerant vnquam in dominum ipsius Comitis vel patris eius reuertentur, saluis in omnibus & per omnia conditionibus supradictis, vt autem omnia prædicta rata maneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & Regij nominis charactere, inferius annotato fecimus communiri.

Iuramentũ Comitis

E F

FINIS.

S. EDMVNDI THEOLOGI PARISIENSIS ET CANTVARIENSIS ARchiepiscopi, ad cisterciensis Pontiniacensis Monasterij Monachos, Libellus; qui dicitur SPECVLVM ECCLESIÆ; Christianis omnib. vtilis apprimè & necessarius.

G

DE S. EDMVNDO CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO EX S. Vincentii Beluacensis Speculo Hist. lib. 31. Cap. 67. & deinc. Anton. par. 3. Tit. 19. Cap. 10. & deinc. per M. D. L. B.



SANCTVS *Edmundus Abbendoniæ natus, in Anglia patre Eduardo, matre Mabilia: quod cum ad S. Edmundi Martyris Reliquias oraret, deprehendisset primum in eo vitalis spiritus primitias, & contra morem nascentium, è cellis suæ natiuitatis* H *produisset mundus, ita vt nil supra: Edmundus (à mūditia) à matre nominatus est. Puer, cū Parisiis, bonis literis studeret, Christū vidit specie infantis, & cū eo est colloquutus. Arte sancta, & munusculis docuerat illum mater 6. feria ieiunare in pane & aqua; donauerat que cilicio profecturum Lutetiam: Vbi, cum digito Imaginis Virginis Dei para annulum inseruisset, nouo more illam subarrauit professus Virginitatis illibatum florem se seruaturum. Quo in instituto, cum alia multa caste fecit, tum libidinis furorem, ex puellæ animo virginis profligauit. Monitus à matre in somniis, Theologiam est professus, euasitque in egregium prædicatorem, subtilissimum disputatorem, & Lectorem pium. Euectus ad Archiepiscopatum Canthuariensem; multa in eo, à Rege, Optimatibus, & Clero perpessus est, ita vt sponte exularet (post multa ab eo facta diuinitus miracula) ne, si errata non corrigeret præsens, dissimulatione probare videretur.*

A *deretur. Obiit Pontiniaci, in Gallia, 16. Kal. Dec. paulo post Cathalogo Sanctorum adscriptus ab Innoc. 3 & an. sequenti, scilicet. 1247. de terra eleuatus. Atque in hoc quidem libello, præter leges Grammaticas passim vitiur possessiuis Pronominibus; Nominis impositionem in Baptismo videtur facere necessariam ad salutem, ca. 14. ait, noncurandũ multiplicare sæpius orationẽ Dominicã. ca. 17. Christi pœnam in Cruce fuisse maiorẽ pœna Inferni, cap. 23. S. Paulum citat, pro S. Iacob. cap. 11. & pauca quædam alia videtur peccare, quæ cum minus benè affectos possint nonnihil fortè offendere; tamen prudens Lector, subtiliter & accuratè explicata (vt & totum hoc opusculum) vehementer probabit.*

B *Plura ex variis auctoribus de S. Edmundo annotata inuenies in notis ad Romanum martyrologium 16. Nouemb. Obiit anno salutis 1246. Relatus est in sanctorum numerum ab Innocentio Quarto (non Tertio) vt hic ait Margarinus nisi mendum typographi irrepserit.*

IN NOMINE DVLCISSIMI DOMINI nostri, Iesu Christi, incipiunt capitula Libri sequentis simplici stilo dictati ad euitandum curiositatem, & ne quis dimittat interiorem sanctitatem.

Cap. I.

Quomodo homo debet respicere ad statum suum.

1. Cor. 1. 26. VIdete *vocationem vestram fratres.* Ista verba Apostoli, pertinent ad homines Religiosos. Videte (inquit) ad quid vocati estis. Et hoc dixit Apostolus ad excitandum nos ad perfectionem. Et propter hoc, quacunque hora cogito de me ipso die vel nocte, ex vna parte habeo magnum gaudium, & ex alia parte magnum dolorem. C Gaudium habeo propter sanctam religionem; dolorem & confusionem, propter meam debilem conuersationem. Et illud non est mirum, quia habeo magnam causam: nam sicut dicit sanctus Eusebius in vno sermone; Venire ad Religionem, summa perfectio est: sed non perfecte viuere in Religione, summa damnatio est. Et ideo tu qui viuis in Religione seu congregatione, sequere viam perfectionis: & si vis tuam saluationem, relinque omnia quæ sunt in hoc mundo, & omnia ei pertinentia, & appone tuam diligentiam ad perfecte viuendum.

Cap. II.

Quid est perfecte viuere.

perfecte viuere, quid sit. PErfecte viuere (sicut sanctus Bernardus nos docet) est viuere amicabiliter, humiliter, honorabiliter; Humiliter, quantum sit ad teipsum; amicabiliter, quantum ad proximum; honorabiliter, quantum ad Deum, sic vt ponas totam intentionem tuam ad faciendum voluntatem diuinam: hoc est dictu; in omnibus quæ debes cogitare corde, vel loqui ore, vel facere opere per aliquem D quinque sensuum tuorum sicut (oculis, videndo; auribus, audiendo; lingua, gustando; naso, olfaciendo vel odorando; manibus tangendo; eundo, stando, iacendo, sedẽdo) cogita semper in principio, si illa sit voluntas Dei vel non. Si sit voluntas sua, fac tunc secundum potentiam tuam: & si non; ne feceris illud propter mortem tolerandam. Sed modo quæreret aliquis à me; quæ est voluntas Dei? Dico quod voluntas sua non est aliud quam nostra sanctificatio: nam ita dicit nobis Apostolus: *Hæc est voluntas* 1. Thess. 4. 3. *Dei, sanctificatio vestra:* Quod est dicere; voluntas Dei est quod vos sancti sitis.

Cap. III.

E *Quæ faciunt hominem sanctum. & quomodo homo debet ad cognitionem sui ipsius venire, in corpore & anima.*

DVo, sine pluribus, faciunt hominem sanctum; videlicet cognitio, & amor: hoc est; cognitio veritatis, & amor bonitatis. Sed ad cognitionem Dei qui est veritas, non potes venire nisi per cognitionem tuiipsius: nec ad amorem Dei qui est bonitas, potes peruenire nisi per amorem proximi tui. Ad cognitionem tuiipsius potes peruenire per frequentem meditationem; ad cognitionem Dei, per puram contemplationem. Ad cognitionem tuiipsius potes venire isto modo: cogita diligenter & frequenter qualis tu es, qualis fuisti, & qualis eris; primo quantum ad corpus, postea quantum ad animam. Quantum ad corpus cogita quod tu es vilior sterquilinio: fuisti enim generatus in tanto fœtore quod est pudor dicere & nominare; & abominabile cogitare. Natus fuisti in magno peccato, vitam tuam duxisti in magna miseria; & post mortem traderis bufonibus, vermibus & aliis turpibus animalibus vt te deuorent & manducent. Qualis fuisti & qualis es, debes quantum ad tuam animam cogitare; nam qualis eris, non potes bene scire. Cogita & recogita quomodo tu fecisti magna mala & multa; & qualiter dimisisti multa bona & magna: cogita quandiu vixisti, quantum recepisti, & quomodo in breue tempus tuum expendisti. nam quamlibet horam in qua de Deo non cogitasti, perdidisti. Reddes etiam rationem de quolibet verbo ocioso, de omni cogitatione ociosa. Et sicut non habes vnum solum capillum capitis qui non erit glorificatus, si fueris saluatus, ita nec euadet vna hora temporis tui, quæ non erit computata. O Dei misericordia! Si totus iste mundus esset plenus de minuto puluere, quis foret ita prudens qui posset iudicare quamlibet athomum per se, & diuidere quamlibet ab alia? Certe nullus! Sed anima est millesies maior toto mundo. Et si mundus esset millesies maior quam nunc est: & si Anima esset plena diuersis cogitationibus, affectionibus, & desideriis; quis posset ita rimari & inquirere cor suum, quod posset cognoscere omnia quæ intus sunt aut cogitare? Vide modo, frater charissime, quomodo habes magnam necessitatem considerare de tuiipsius cogitatione! Deinde intellige bene qualis es modo, quantum ad animam; quomodo habes modicum boni in te, modicum sensum, modicum potestatem: nam semper, die ac nocte desideras illa quæ tibi non prosunt. Quam sæpe fuisti deceptus; modo per dolorem nimium, modo per amorem inordinatum, modo per vanam gloriam, modo per indiscretionem & intemperantiam! Modo vexaris timore, modo eleuaris falsa spe: ex alia parte quod tu es tam mutabilis, quod illud quod vis hodie, non vis cras: & sæpe es languidus propter plura, & cruciaris sæpe si illa non habeas, & postquam habueris illa ad tuam voluntatem, tunc es de eisdem multipliciter angustiatus & tædio affectus. Cogita etiam ex alia parte quam fragilis es ad resistendum, quam promptus ad consentiendum. De omnibus his miseriis te liberauit Sponsus tuus & Deus tuus Iesus Christus, & quotidie liberat plus & plus. Nam quando non eras, tunc te creauit, in anima, ad suam propriam similitudinem, & corpus tuum, de tam sordida & fætida re, quod inde abominatio est cogitare. Formauit etiam tuos sensus & tua membra tam nobilia & pulchra, quod nemo potest ista melius disponere, nec prouidere. Cogita nunc diligenter & cum affectu, tu qui amas tuos parentes carnales sic temere, quid diligis eos sic chare & vehementer: si dicas quod amas patrem tuum & matrem, quia de carne & sanguine illorum generatus es, ita sunt vermes qui nascuntur ab illis de die in diem. Ex altera parte, ex eis non habes animam neque corpus, sed à Deo per illos. Parentes enim tui, ad peccatum te perduxerunt. Qualis ergo esses, si adhuc maneres illud quod de parentibus habuisti, quando fuisti generatus ab eis in fœtore & peccato? Ex alia parte, si diligas fra-

Ars seipsũ cognoscendi. F G Homo, quam frequenter fallitur & mutatur. H Parentes, non sunt amandi amore carnali.

A fratrem aut sororem aut alium de parentela tua, propter hoc quod sunt de eadem carne & sanguine de quibus tu es; per eandem rationem, amares vnam partem patris tui vel matris charius si esset abscisa à corpore; & hoc de veritate esset magis vltra modum. Si dicas, quod illos amas quia habent in carne figuram & similitudinem hominis, & quia habent animam sicut tu habes: tunc non est frater tuus carnalis propinquior tibi, quam vnus alius: nisi in tanto quod tu & ille habetis ex vno patre carnali carnis vestræ exordium quod est, modicum fœtoris, putredinis, & feculenti. Ames ergo illum de quo omnis pulchritudo venit, & dilige omnes homines spiritualiter, & cesses deinceps amare carnaliter, & sic certe debes facere.

Cap. IV.

De beneficiis Dei.

B Si consideres sapienter vlterius de bonis quæ tibi Deus sæpe fecit, & semper plus & plus facit, illum intime diligere velles. Nam sicut dixi in principio, quando non eras, tunc te de nihilo creauit; & quando periisti, tunc te quæsiuit; quando fuisti perditus, tunc te inuenit; quando fuisti in peccatis maledictus, tunc te redemit; quando fuisti damnatus, tunc te saluauit; & quando fuisti in peccatis natus, tunc te baptizauit. Postea quando peccasti viliter & tam frequenter, tunc te liberaliter & patienter sustinuit & expectauit; deinde dulciter te recepit, & in suo conuentu dulcissimo te posuit; & quando quotidie malefacis, te corripit; & quando mereris pœnas, tibi indulget. Quando erras, te corrigit; quando titubas, tunc te docet, quando esuris, te pascit; quando sitis, te potat, quādo friges, tunc te calefacit; quando cales, te refrigerat. Quando vigilas, te saluat; quando dormis, te conseruat; quando surgis, te sustinet; quando cadis, te reparat; quando sedes, te tenet, quando stas, te portat; quando vadis, te ducit; quando reuerteris, te dirigit; quando ad eum venis, te suscipit; quando ab illo recedis, te reducit, quando C deuias, te reuocat: semper, quando male tibi est, te confortat. Ista bona & multa alia tibi fecit dulcis Sponsus tuus Iesus & dulcor cordis tui.

Cap. V.

Qualiter homo debet expendere tempus suum.

Propter hæc bona & multa alia, debes semper de Deo cogitare & loqui, ipsique quotidie regratiari, & eum laudare, & hoc, tam de die quam de nocte, si aliquid sapias de amore. Et ideo, de mane, quando surgis de lecto tuo, vel media nocte, cogita festinanter, quot millia hominum perierunt illa nocte, in corpore & anima: quidam in igne, quidam in aqua, quidam in mari, quidam in terra, & sic aliis multis modis: vt, alii spoliati, vulnerati, periclitati, occisi, subito mortui sine confessione, qui descenderunt in perpetuam damnationem. Cogita etiam quot D millia hominum ceciderunt in periculo animæ, in peccato mortali, sicut, in gula, luxuria, auaritia homicidio, & in multis aliis malis & stultitiis. Et de omnibus his malis liberauit te dulcis tuus Deus, absque tuis seruitiis & meritis! Quale enim seruitium sibi fecisti pro quo te ita custodiuit, & multos alios dimisit & reliquit. Nam si diligenter aduertas quantum bonum tibi fecit; vndique & ex omni parte, ita inuenies illum, circa tuum profectum, occupatum; quam si nihil aliud faceret quam nisi quod tibi soli intendere, & ad tuam salutem. Et ita videbis illum, propter te custodiendum, assiduum & curiosum ac si esset oblitus, per totum, mundum istum, ad tibi attendendum. Et cum sic cogitaueris, leua manus & regratiare Domino Deo tuo, de istis & omnibus aliis bonis, isto modo.

E

Oratio bona.

Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, qui me indignum famulum tuum. N. in hac nocte custodisti, protexisti, visitasti; sanum, saluum, & incolumem, ad hanc horam peruenire fecisti, & pro vniuersis aliis beneficiis tuis, quæ mihi sola bonitate tua contulisti, & quia à principio huius diei vsque ad finem me peruenire fecisti, qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio generalis, pro amicis & inimicis, pro viuis & defunctis; pro omnibus consanguineis, & pro semetipso.

In manus tuas (Domine) & sanctorum angelorum tuorum, commendo in hac die vel nocte animam meam & corpus meum, parentes, fratres, sorores, amicos & inimicos, familiares, propinquos, & benefactores meos, & omnem populum catholicum. Custodi nos Domine, in hac die vel nocte, per merita & intercessiones beatæ Mariæ virginis, & omnium Sanctorum; à vitiis & concupiscentiis, peccatis & tentationibus diaboli, à subitanea & improuisa morte, & à pœnis inferni. Illumina cor meum de spiritu sancto, & de tua gratia: & fac me tuis semper obedire mandatis, & à te nunquam in perpetuum separari permittas: qui cum Deo Patre, & eodem spiritu sancto, viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen. F

Cap. VI.

Quomodo homo debet contemplari Deum in qualibet creatura.

Tres sunt modi contemplationis. Primus in creatura; secundus, in scriptura; tertius, de Deo in sua natura contemplatio. Primo modo, nihil est aliud quam visio Dei in suis creaturis: & hoc potes videre isto modo. G Tria sunt in Deo: potestas, & sapientia, & bonitas. Potestas attribuitur Deo Patri, sapientia, Deo filio, bonitas, Deo Spiritui sancto. Per suam potestatem, omnia creantur, per suam sapientiam, mirabiliter ordinantur, per suam bonitatem, quotidie multiplicantur. Potestatem Dei potes videre per omnem creationem atque multitudinem, suam sapientiam, per totum pulchritudinem & dispositionem, & suam bonitatem, per illorum virtutem, & multiplicationem. Magnitudinem creaturarum potes videre per suas quatuor dimensiones: scilicet per suam altitudinem, per suam profunditatem, per suam longitudinem, per suam latitudinem. Sapientiam Dei potes videre, si bene attendas quomodo dedit pluribus creaturis esse solum, vt, lapidibus: aliis dedit esse viuere; vt, arboribus & plantis: aliis dedit esse, viuere & sentire; vt, angelis & hominibus Nam lapides, sunt: scilicet non viuunt, nec sentiunt, nec intelligunt. Arbores & herbæ, sunt & viuunt, sed non sentiunt nec intelligunt. Bestiæ sunt, viuunt, sentiunt, sed non intelligunt. Homines sunt, cum lapidibus, viuunt, cum arboribus, sentiunt, cum bestiis, intelligunt, cum angelis. Hic debes cogitare diligenter, quomodo Natura humana excellit omnem creaturam. Ideo enim dicit sanctus Augustinus: Nollem habere locum Angeli, si possem habere locum qui prouidetur homini. Cogita similiter, quomodo ille homo est dignus magna confusione, qui non vult viuere secundum suum gradum & conditionem! Nam omnes creaturæ quæ sunt in isto mundo, solum propter hominem sunt creatæ, propter tria: Ad adiuuandum nos in labore, vt boues, & equi: ad induendum & calciandum pro frigore & calore, vt, ligna, lanæ & coria: & ad nos pascendum & sustentandū, sicut animalia, & blada terræ, & pisces maris. Malæ creaturæ (sicut sunt, herbæ nociuæ & bestiæ venenosæ) propter tria sunt creatæ: Propter nostram castigationem, propter nostram emendationem, & propter nostram eruditionem. Nos sumus puniti, quando ab eis lædimur vel lædi formidamus: Et hoc est magna Dei misericordia, quod & nos vult castigare temporaliter ne puniamur æternaliter. Nos sumus correpti & emendati, quando cogitamus quod totum illud nobis euenit pro-

Natura humana excellit omnem creaturam H

Creaturæ noxiæ, cur a Deo creatæ sint.

A propter iram peccati: nam quando videmus quod tam paruæ Creaturæ possint nobis nocere; tunc cogitamus de nostra fragilitate,& sumus vere humiliati. Nos docti & eruditi sumus propter hoc quod videmus in multis Creaturis mirabilia opera nostri Creatoris: nam plus valent opera formicæ, quantum ad ædificationem, quam fortitudo Vrsi vel Leonis. Quemadmodum dixi de bestiis,ita intellige de herbis. Vnde cum clare Deum respexeris in suis Creaturis,eleua cor tuum ad Creatorem; & cogita quam magna est potentia, talia de nihilo facere & dare eis suum esse! Et quam magna est sapientia; illa, in tanta pulchritudine ordinare! Et quanta est bonitas; illa, propter nostram vtilitatem quotidianam, multiplicare! O quam magna Dei misericordia,quod nos sumus ita innaturales! Nos enim abutimur omnibus istis Creaturis, & ipse,eas propter nos creat! Nos illas confundimus; & ipse, illas gubernat! Nos, illas destruimus, & ipse, illas multiplicat! Dicas ergo illi, in corde tuo: Quia tu es,ideo illa sunt; quia tu es pulcher, ideo pulchra sunt; quia tu es
B bonus,bona sunt; te ergo iure laudant,te adorant,te glorificant omnes Creaturæ tuæ, ô beata Trinitas! Te iure laudant, propter eorum bonitatem; te adorant, propter eorum pulchritudinem; te iure glorificant, propter eorũ vtilitatem omnes creaturæ tuæ; ô beata Trinitas vnus Deus; ex quo sunt omnia per tuam potentiam creata; per quem sunt omnia,per tuam sapientiam gubernata! Tibi honor & gloria,in sæcula sæculorum, Amen.

Cap. VII.

Quomodo homo debet contemplari Deum, in sacra Scriptura.

MOdo habes materiam quomodo potes videre in qualibet Creatura,Deum: & hic est primus gradus contemplationis. Secundus vero gradus contemplationis,est in sacra Scriptura: Sed forte tu,qui es simplicis lit-
C teraturæ, quæres à me: Quomodo vnquam perueniam ad contemplationem Dei in sacra Scriptura? Iam dulciter mihi attendas, & forte tibi dicam: quicquid scribitur in Scriptura, potest tibi enarrari. Si ergo nescias omne quod scribitur, intelligere debes omne bonum quod à sapientibus tibi dicitur, & libenter audire. Et quando aliquid audis de scriptura,in communi sermone vel secreta collatione; attende si aliquid audieris quod valere poterit ad ædificationem animæ, ad odiendum peccatum, ad diligendum virtutem,ad timendum pœnam, ad desiderandum gloriam,& istum mundum despiciendum, & versus alium, festinandum, quid sit faciendum, & quid dimittendum! Quantum illuminat tuum intellectum, in cognitione veritatis, & quantum inflammat tuum affectum, in feruore charitatis! Nam de istis bonis,debes cognoscere quicquid est scriptum secrete vel aperte. Ex sacra scriptura debes extrahere & cognoscere (quæ sunt septem) peccata mortalia, & septem virtutes euangelicas, septem dona Spiritus sancti decem Mandata Dei, Duode-
D cim articulos fidei,& septem sacramenta Ecclesiæ, septem virtutes & opera misericordiæ, & septem petitiones orationis dominicæ, pœnas inferni,& gaudia cæli.

Cap. VIII.

De septem peccatis mortalibus & eorum speciebus.

Superbiæ, septem species.

SEptem peccata mortalia, sunt ista, Superbia, Inuidia, Ira, Accidia, Auaritia, Gula, Luxuria. Superbia, est amor propriæ excellentiæ, de qua nascuntur ista septem vitia: Inobedientia erga Deum, vel superiorem, hoc est dimittere illud quod est præceptum, & facere quod est prohibitum. Secunda species, est iactantia; quando homo se iactat & superbit de bono quod habet ex alio, vel de malo quod habet à seipso. Tertia species, est hypocrisis; quando homo fingit se habere bona quæ non habet, vel abscondit mala quæ habet. Quarta species est despe-

E ctus alterius, quando homo minuit bonum alterius vt ipse melior apparere possit. Quinta species est arrogantia, quando homo facit comparationem inter mala sua propria & mala aliena, vt sua minora possint apparere. Sexta species est impudentia siue inuerecundia, quando homo non habet signum pudoris de malo aperto. Septima species est elatio, quando homo gaudet de malo proprio. Et hic scire debes quod tria sunt ex quibus homo fit superbus, videlicet, bonum naturæ; sicut, pulchritudo, fortitudo, ingenium, nobilitas cognationis. Secundum, est bonum fortunæ; scilicet bonum quod homo acquirit, vt, Scientia, virtus, gratia, bona fama, & dignitas. Tertium est bonum temporale; velut, victus, vestitus, domus, redditus, possessiones, familia, equitatura, honor seculi. De Inuidia nascuntur, alterius mali gaudium, & dolor boni alterius. Et hoc potest esse in corde, per afflictionem; vel in ore, per detractionem; aut in opere per substractionem boni vel incitamenti mali. De Ira nascuntur; Iræ, rixæ, contentiones, inflatio cordis, verba praua, dedignatio, blasphemia. De tristitia vel Accidia nascuntur malitiæ,
F rancor, minæ, desperatio, negligentia erga Dei præcepta, vagatio mentis erga illicita. De Auaritia nascuntur, dolus, periurium, inquietudo, violentia, & duritia cordis, contra misericordiam. De Gula nascuntur, inepta lætitia, luxuria, immunditia, multiloquium, debilis intellectus. De Luxuria nascuntur, cæcitas cordis, instabilitas voluntatis, impetuositas, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, error & desperatio futuri. Ista sunt peccata mortalia. Et bene dicuntur mortalia; nam tria prima, miserum peccatorem captiuum spoliant: quartum; ipsum verberat: quintum; eum prosternit: sextum; illum decipit: septimum, in seruitutem redigit. Superbia namque, aufert ab homine suum Deum; Inuidia, suum, proximum; Ira, seipsum. Accidia, ipsum tormentat; Auaritia, præcipitat; Gula, decipit; & Luxuria, in vilissimam seruitutem eum ponit.

Superbiæ materia.

Peccatorũ mortalium soboles.

Peccatorum mortalium effectus in homine.

Cap. IX.

G

De septem Virtutibus euangelicis.

Matth. 5. Antidota contra mortalium Peccatorum, septem venena.

REmedia contra ista septem Vitia ponit Deus in Euangelio, septem Virtutes; & ait isto modo: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum:* & hoc est contra superbiam quæ aufert ab homine suum Deum. *Beati mites:* & hoc est erga proximum: *quoniam ipsi possidebunt terram:* scilicet perpetuam; & hoc est contra Inuidiam quæ tollit ab homine suum proximum. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* hoc, est contra Iram; quæ tollit ab homine, seipsum. *Beati misericordes;* id est, qui miserentur aliis: *quoniam ipsi misericordiam consequentur:* scilicet à Deo: &, hoc est contra Auaritiam. quæ de nullo habet misericordiam vel pietatem. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam;* id est, poscunt iustitiam: *quoniam ipsi saturabuntur:* hoc, est contra Accidiam & Negligentiam. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* &, hoc est contra gulam
H quæ semper cogitat de carnalitate & superfluitate. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:* Hoc, est contra luxuriam; nam luxuriosus nunquam potest habere pacem cordis vel requiem mentis. Similiter, contra Superbiam; debet homo habere in corde, in verbis, & in operibus, veram humilitatem: contra Inuidiam de bono alterius, gaudium; & de eius malo, dolorem; & erga quemlibet, amicitiam: contra iram; debet habere patientiam & mansuetudinem: contra Accidiam; agilitatem & fortitudinem cordis & corporis, in seruitio Dei & in aliis operibus bonis: contra Auaritiam, largitatem; vt det de bonis suis, pauperibus, ex bono corde, secundum quod potest: contra Luxuriam, debet esse castus corde, corpore, & loquela: contra Gulam, debet habere mensuram in seipso, cibi & potus; & maxime, potus. Nam per vinum, multipliciter, iuuenes perierunt; & virgines plures virginitatem amiserunt, & multi boni homines & mulieres castitatem amiserunt: hydropisis & febris, gutta & apostema,

A

Incommoda quam multa sequantur ex vini potu.

ma, dolor dentium, & aliæ variæ infirmitates plures quam scio nominare, multotiens ex superfluitate potus eueniunt. Ista sunt septem antidota, contra prædicta septem venena: ideoque accipe istas salutiferas medicinas, contra prædictas infirmitates mortiferas.

Cap. X.

De Septem donis Spiritus sancti.

IAm habes, infirmitates, & earum medicinas: Postea venit summus Medicus, & accipit suas medicinas, & curat homines de istis septem infirmitatibus; & ipsum confortat in illis septem Virtutibus, per dona Spiritus sancti; quæ sunt ista: Spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis; & spiritus timoris Domini. Per ista septem dona, docet Dominus noster, hominem, quicquid fuerit necessarium ad vitam Actiuam & ad vitam Contemplatiuam. Et vide qualiter homo debet primo dimittere malum; hoc enim docet spiritus Domini: & postea facere bonum; & hoc docet donum pietatis. Et quia duo sunt quæ impediunt hominem benefacere; videlicet prosperitas & aduersitas istius mundi (prosperitas enim decipit per blanditiam aduersitas, per duritiam) ideo despicere debes prosperitates istius seculi, ne decipiaris: & hoc te docet Spiritus scientiæ: & fortiter debes sustinere eius aduersitates, ne per eas muteris, & hoc te docet spiritus fortitudinis: & ista quatuor sufficiunt ad vitam Actiuam: Alia vero tria Dona pertinent ad vitam Contemplatiuam. Nam sunt tres modi Contemplationis: vnus in creaturis; & istum docet spiritus intellectus: alius est in Scripturis, vbi potes videre quid debes agere & quid dimittere; & hunc docet Spiritus consilii: tertius modus est in Deo; & istum modum docet Spiritus sapientiæ. Modo vide quam promptus est & assiduus Dominus noster Iesus Christus circa nostram sanitatem.

B

...sunt quæ virtutem impediunt.

Cap. XI.

De decem Præceptis Dei.

C

Meditationes spirituales ad primum Præceptũ Decalogi.

POst hæc debes scire quæ sunt decem præcepta Dei. Primum præceptum, est tale, *Vnum Deum adorabis, & illi soli seruies*: id est, adora Deum per rectam fidem, seruies illi soli per bonam operationem. Nam quilibet homo debet cum magna humilitate & deuotione seruire vni soli Deo: & ipsum fideliter adorare qui creauit, id est, ex nihilo fecit angelos, cælum quoque & terram: & debes firmiter credere, sicut mortem; quod Pater, & Filius & Spiritus sanctus sunt tres personæ, & vnus solus Deus. Hinc debes cogitare si Dominum Deum tuum fideliter adorasti; si super omnia sibi seruiuisti, si tua promissa sibi reddidisti; si tuam pœnitentiam veraciter perfecisti; &, si quod ei in baptismo promisisti, sibi fideliter reddidisti. Per illud præceptum, ordinatur homo erga Deum Patrem omnipotentem. Secundum præceptum, est tale: *non accipias nomen Dei tui in vanum.* Nullus homo debet accipere nomen Dei sui in vanum, iurando; sicut dicit Apostolus Paulus: *sermo vester sit, est, est, non, non*; sine iuramento: Veruntamen homo potest bene iurare veraciter Regi & aliis hominibus, vt veritas saluetur & falsitas damnetur; & hoc, in iudicio, iustitia, & veritate. In isto præcepto prohibetur mendacium, falsitas, & iuramentum: & per istud præceptum, ordinatur homo versus Deum Filium qui dicit; *Ego sum veritas.* Tertium præceptum tale est: *Memento vt diem Sabbati sanctifices*: hoc est; quodlibet Festum, statutum per Ecclesiam, ducas cordis & corporis quiete & requie: nam ita sonat hoc verbum *Sabbatum.* Nam quilibet homo tenetur custodire Sabbata quæ sunt in nouo Testamento; videlicet dies Dominicos & festa Sanctorum, & alia Festa magna quæ sunt in Ecclesia sancta, statuta & ordinata celebranda. Modo indulge pro Deo, ne habeas pro malo; & dicam

D

Exod. 20. Iuramentũ quatenus sit licitum. Iac. 5.12.

E

Festa, quomodo celebrāda sint christianis.

tibi quomodo debes sabbata custodire. Si sanus de corpore, surgas de lecto tuo, mane; ne dimittas pro frigore, nec pro somno, nec pro sudore: nam quanto es magis grauatus ad hoc agendum, tanto plus mereris si illud libenter facias. Deinde debes ire ad Ecclesiam, & deuote Matutinas dicere, vel sine garrulatione dulciter audire Missam & omnes horas diei: Et postea si apud te fuerit aliquis Prædicator proponens Sermonem facere; debes verbum Dei dulciter audire, & memoriæ commendare, & illud opere adimplere. Et cum fueris ad prandium, de bonis quæ tibi Deus accommodauerit, libenter pauperibus distribue; & post prandium de omnibus beneficiis suis Deo gratias age. Posterius; non ibis ad tabernam & luctationes vel choreas, vel ad alios ludos vanos, nam de talibus, sæpe eueniunt infortunia & peccata mortalia: sed debes, miseros & languidos visitare; & ita, dies festiuales, in Dei seruitio finire. Et istud præceptum ordinat hominem ad recipiendum Spiritum sanctum. Ista præcepta instruunt hominem, quomodo se debet habere erga Dei Trinitatem, ad cuius similitudinem, in anima creatur. Sed septem alia, docent hominem qualiter se debet habere versus proximum. Quorum primum & quartum in ordine, est hoc: *Honora patrem & matrem*: scilicet carnalem & spiritualem. Et hoc, duobus modis: scilicet quod illis debes obedire & reuerentiam facere, ac etiam debes adiuuare secundum tuam possibilitatem, in omnibus quibus indigent. *Vt sis longæuus super terram* viuentium: Istud verum est, si desideras esse longæuus vitæ æternæ, quod honores illos per quos habes tuam vitam temporalem. Nam qui non vult honorare illos per quos est; non est iustum quod sit amplius id quod est. Quintum præceptum est tale: *Non occides*: scilicet, hominem. Hic debes scire; quod homicidium fit multis modis. Est homicidium manus, linguæ, cordis. Homicidium per manus; est, quando vnus homo occidit alium propriis manibus; & quando ipsum ponit in loco mortis, sicut in carcere, vel in alio loco qui posset esse occasio mortis. Homicidium linguæ, est duobus modis; videlicet per imperium, vel per incitamentum. Homicidium cordis similiter est duobus; scilicet, quando homo cupit & desiderat mortem alterius, vel quando patitur mori, & non liberat illum à morte, si habuerit potestatem. Sextum præceptum est, *non mœchaberis.* Dignum enim est, vt qui vult habere vitam sine corruptione, in cæli gaudio; custodiat vitam sine corruptione cordis, in hoc mundo. Septimum præceptum est istud; *non furtum facies*, & hoc est iustum: Nam qui vult vitam alterius conseruare & non disperdere; non debet illa tollere quæ vitam suam debent sustentare. Octauum præceptum est istud; *non dices contra proximum tuum, falsum testimonium*: scilicet; cum illis qui volunt occidere illum, aut sibi aliquo modo nocere; & hoc iustum est. Nam qui non vult proximo suo damnum facere per se; nec debet alteri qui sibi damnum facit, consentire; nec consulere, nec auxiliari. Nonum præceptum est istud: *non concupisces vxorem proximi tui.* In quo intelligitur, quod nullus homo debet concupiscere vxorem proximi, nec ancillam, nec aliquam aliam fœminam; & quod è contrario, nulla mulier concupiscet aliquem virum vel hominem mundi, cum amore carnali. Decimum præceptum est hoc; *non concupisces rem proximi tui.* Ista duo vltima præcepta, concordant ad alia duo præcedentia. Ista videlicet; *non mœchaberis, nec furtum facies.* Nam qui habet malam voluntatem & intentionem malam in corde suo, non potest se diu à malo opere abstinere. Ideo, si non vis facere luxuriam, tu homo non concupiscas alienam, nec fœmina virum cum mala cordis intuitione. Et, si non vis furari, non concupiscas aliena in corde tuo. Ista sunt decem præcepta quæ Deus dedit Moysi in monte Sinay; quorum tria prima pertinent ad amorem Dei, & alia septem ad amorem nostri & proximi.

F

Homicidium est multiplex.

G

H

Cap.

A

Cap. XII.

De istis virtutibus, Fide, Spe, & Charitate vel amore & earum sufficientia.

VLterius scire debes quæ sunt septem virtutes, scilicet Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Iustitia, Temperantia, & Fortitudo. De vna vero & eadem materia, sunt decem Mandata siue præcepta, & istæ septem virtutes: sed hæc est differentia; quia decem præcepta nos docent quid debemus facere; & istæ septem Virtutes nos docent modum faciendi. Tres primæ Virtutes, scilicet Fides, Spes, Charitas; nos ordinant quomodo debemus viuere quo ad Deum: aliæ quatuor, nos informant qualiter debemus ordinare nostram vitam in isto mundo, vt nos perducant ad gaudia cæli. Scire enim debes quod nos omnes sumus propter vnum finem creati, scilicet ad cognoscendum, habendum, & amandum Deum: sed tria sunt necessaria ad
B perueniendum ad bonum finem, scilicet vt sciamus quo debemus tendere, vt ardenter desideremus venire, vt firmiter speremus illuc peruenire: nam magna stultitia esset homini, bonum opus incipere quod non posset consummare. Ex alia parte, si aliquis velit benefacere, oportet illum ista tria habere; scientiam, potentiam, & voluntatem: hoc est; vt sciat benefacere, possit, & velit benefacere. Sed quia non habemus scientiam, potentiam, nec voluntatem, ex nobismetipsis; ideo donauit nobis Deus Fidem ad implendum defectum nostræ cognitionis; Spem, ad implendum defectum nostræ potestatis; Charitatem, ad ordinandum nostram voluntatem ad vnum & aliud. Fides, nos ordinat ad Filium, cui appropriatur Sapientia: Spes, ad Patrem, cui appropriatur potentia; amor & charitas, ad Deum Spiritum sanctum, cui appropriatur bonitas. Et ideo, Fides nos facit cognitionem Dei habere: & ipsa cognitio nobis indicat quod ipse Deus est miserabiliter liberalis, qui in tali modo, & tam large nobis præbet
C de suis bonis. Et venit spes de eadem cognitione, quæ dicit nobis quomodo ipse est summe bonus. Venit tertia, quæ est Charitas vel amor: nam quælibet res, naturaliter amat bonum.

Cap. XIII.

De duodecim articulis fidei.

HIc debes cognoscere qui sunt duodecim articuli Fidei, & septem sacramenta. Et scias quod primus articulus Fidei, est quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus in essentia, & trinus in personis. Est, & fuit absque principio, & erit sine fine, qui etiam verbo creauit cælum & terram, & omnia que in eis sunt; id est, de nihilo formauit. Secundus articulus est, quod Filius Dei fuit incarnatus, & accepit carnem & sanguinem de virgine Maria, & de eadem virgine fuit natus verus Deus & verus ho-
D mo. Tertius articulus est, quod idem Iesus Filius Dei & beatæ Mariæ virginis fuit passus, crucifixus, mortuus, & honeste sepultus. Istam passionem gratis sustulit & de sua bona voluntate. Vt nos redimeret ab Infernali captiuitate, anima sua descendit ad Inferna, cum Deitate, corpore manente in sepulchro: & extraxit secum animas quæ in terra fecerunt suam voluntatem. Quartus articulus, est quod idem Iesus Christus, verus Deus & verus homo, tertia die resurrexit à mortuis, in carne glorificata atque Maria Magdalenæ, eius Apostolis & Discipulis sæpius apparuit, & cum illis loquebatur & comedit: & quod nos per suam resurrectionem, cum eodem corpore quod in hoc mundo habemus, de morte ad vitam resurgemus. Quintus articulus est hic. Idem Iesus Christus, verus Deus & verus homo, ad cælos ascendit, & nos per illum ascendemus, si absque mortali peccato de hoc mundo capti fuerimus. Et de cælo misit Spiritum sanctum. Et in die Iudicii, inde venturus est iudicare in sua humanitate, viuos &

Christi descensus ad inferos.

E mortuos, secundum opera recepturos. Septem vero articuli qui sequuntur, sunt septem Ecclesiæ Sacramenta, quæ sunt remedia homini contra peccatum originale, mortale, & veniale.

Cap. XIV.

De septem Sacramentis.

PRimum Sacramentum Ecclesiæ est Baptismus. Dominus noster Iesus Christus, in Iordanis flumine se fecit baptizari, ad sanctificandum Baptismi sacramentum. Per virtutem enim verborum & Baptismi, effugatur diabolus ab infante, deleturque eius Originale peccatum quod traxit à parentibus, & infunditur gratia in baptizatum. Et, si Infans fuerit in periculo, nec sit copia Sacerdotis, tunc, Laicus vel etiam mulier debet sic dicere: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen*; Et
F ponere aquam super puerum, & imponere sibi nomen: & hoc sufficit ad salutem infantis. Si aliquis infans inuentus fuerit, & nescitur vtrum sit baptizatus vel non: tunc dicet Capellanus puero: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Illi qui tenent puerum ad fontem, docere debent illum, Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum, quia nullus potest saluari nisi per Baptismum & fidem. Et caueat Sacerdos ne ponat puerum in aquam, si fuerit baptizatus à Laico vel Sacerdote: ne fiat irregularis, & puer similiter secundum decretum. Secundum sacramentum est Confirmatio, quæ Spiritum sanctum in Baptismo receptum confirmat & conseruat. Infra quinque annos ad vltimum postquam infans natus fuerit, potest confirmari de manu Episcopi, & debet bene informari antequam fuerit confirmatus. Parentes itaque debent se custodire ne ipsimet
G teneant suum infantem coram Episcopo, ad confirmandum. Tertium sacramentum, est Pœnitentia, quæ delet omne peccatum actuale, veniale, & mortale. Istud sacramentum constituit Filius Dei, qui de cælo in terram veniens humiliter, fecit pœnitentiam non pro se, sed pro suæ gentis salutatione. Et sanctus Ioannes Baptista prædicauit *pœnitentiam & remissionem peccatorum*. Pœnitentia enim cum cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione, & cum humilitate, expellit Inimicum à corde pœnitentis, & destruit mortale peccatum, & attrahit hominem ad suum creatorem, & ducit hominem ad magnum gaudium & claritatem. Quartum, est Sacramentum altaris, quod confirmat pœnitentem, & confortat ne recidiuet,
H & iterum in peccatum cadat, ipsumque reconciliat & sustentat. Cum enim Iesus Christus cœnauit cum discipulis suis charissimis, ordinauit idem sacramentum in commemorationem suæ passionis: & ideo quilibet Christianus, ad minus semel in anno debet communicare, scilicet in die Paschæ, cum magna deuotione. Quintum sacramentum est, Ordo, qui confert potestatem, ordinatis, ad faciendum suum officium, vt ad sacra celebrandum. Dominus namque Iesus optimus Deus, dedit potestatem Sacerdotibus, & prælatis Ecclesiæ, vt alios adiuuarent & in fide informarent, & ligarent & soluerent, scilicet, à peccatis: & vt Sacramenta illius ministrarent, & præcipue sacramentum Eucharistiæ, quod conficitur per virtutem verborum ab ore Sacerdotis prolatorum. Nam in tribus, sunt virtutes: scilicet in lapidibus, herbis, & verbis. Sextum sacramentum, est matrimonium, quod excludit mortale peccatum in opere generationis inter virum & mulierem.

Luc 77. Pœnitentiæ fructus.

Christiani, saltem in Paschate, obligatur ad Communionē corporis Christi. Sacramentū Eucharistiæ conficitur virtute verborum.

Deus qui est summe bonus & summe sapiens, ordinauit in Paradiso terrestri inter Adam & Euam, sacramentum matrimonii. Matrimonium, est inter virum & mulierem coniunctio tam fortis quod non possunt separari in sua vita, nisi per iudicium sanctæ Ecclesiæ, aut per mortem.

Deus etiam omnipotens ordinauit Matrimonium, propter filiorum procreationem, & propter castitatem

Matrimonium cur à Deo sit institutum.

seruan-

A

Vnctio minuit pœnã corporalem & spiritualem.

seruandam: veruntamen, coniugati, debent tempus & horam, cum magna diligentia obseruare.

Septimum sacramentum est Extrema vnctio, quod alleuiat infirmos in periculo mortis à pœna corporali & spirituali. Et ideo postquam accepit aliquis sacram vnctionem, magis debet esse assiduus in diuina contemplatione.

De quatuor Virtutibus cardinalibus.

CAP. XV.

POstea debes scire quæ sunt quatuor Virtutes cardinales, per quas tota vita humana est gubernata, & in isto mundo custodita. Et sunt istæ: Prudentia, Iustitia, Temperantia, & fortitudo. De istis quatuor, dicit Spiritus sanctus in libro Sapientiæ, quod nihil est istis vtilius homini, in isto mundo. Et vide causam quare.

B

Nam quicunque voluerit bene facere; primo, oportet quod sciat eligere bonum, à malo; & de duobus bonis, melius: & illa virtus, vocatur prudentia. Et quando elegisti bona, de malo; aut de duobus bonis, melius: & tunc debes relinquere malum; & facere bonum; & dimittere minus bonum, & facere maius bonum: & hæc virtus, Iustitia appellatur. Et quia disturbant & impedunt hominem, benefacere & malum euitare: videlicet prosperitas istius seculi, vt ipsum decipiat per falsas suauitates; & aduersitas eiusdem, vt illum opprimat per duras asperitates: ideo, contra prosperitatem debes habere mensuram & discretionem, ne nimis sis elatus: & ista virtus, vocatur temperantia: & contra aduersitatem, debes habere audaciam animi, ne sis deiectus; & ista Virtus, nuncupatur fortitudo.

Vtraq; fortuna abstrahit hominẽ à studio virtutis.

De septem Operibus misericordiæ.

C

CAPVT XVI.

COnsequenter debes scire quæ sunt septem Opera misericordiæ. Primum est, cibare esurientes; secundum est, potare sitientes; tertium est, vestire nudos; quartum est, hospitari peregrinos; quintum, visitare incarceratos; sextum, confortare infirmos; septimum, sepelire mortuos. Ista sunt septem opera misericordiæ, quæ pertinent ad corpus. Sed iam posset quis mihi ista dicere: Ego sum in religione, non habeo potestatem dandi cibum, nec potum, nec vestimentum, nec hospitium, quia non habeo ex quo possim aliquid facere; nec possum visitare incarceratos, nec confortare ægros, nec sepelire mortuos, quia sum in alterius voluntate constitutus; & ideo mihi præualeret quod essem secularis, vt possem ista opera misericordiæ perficere! Ne sis deceptus, frater: nam plus præualet habere pietatem & compassionem in corde tuo, de aliquo misero inopiam patiente, quam si possideres totum mundum istum, vt illum dares pro charitate, nam plus valet, absque comparatione, illud quod es; quam illud quod habes. Da ergo teipsum; plus das quam si dares totum mundum. Sed iam posses dicere: isto modo verum est, quod melius est homini dare seipsum, quam de suo; sed multum præualet dare vnum cum alio, quam vnum per se: nam plus valerent duo bona, quam vnum illorum per se. Dico, quod non est ita: Vtrum præualeat vocari Dominus, quam eius seruus? Tu scis bene quod præualet vocari Dominus. Sed illi qui patiuntur famem, sitim, frigus, defectus, & alias miserias propter Deum; Deus noster Iesus Christus illos vocat seipsum. Nam ipsemet dicit in Euangelio. *Quicquid feceritis vni ex his minimis meis, mihi fecistis.* Ex altera parte; vtrum præualet, iudicare vel iudicari? tu scis bene quod præualet, iudicare. Et hoc faciunt pauperes: nam ipsi iudicabunt diuites, sicut dicit Christus in Euangelio; *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, cum venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Ex alia parte, vtrum est melius habere gaudium cœli in possessione, aut in promissione? Certum est, quod in possessione, sic habent pauperes bonum ius. Ista enim ipsemet Iesus saluator noster dicit in Euangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hoc est: ita securi pauperes esse debent de gaudio cœli, sicut sunt de vna re quam tenent manibus. Ideo dicit sanctus Bernardus: Isto modo pauperes nihil habent in terra; nec diuites aliquid habent in cœlo. Igitur diuites (si volunt ibi aliquid habere) oportet illos hic à pauperibus mercari. Modo scio quod multum desideras cognoscere, qui est vere pauper, & qui non est; & qui vere diues, & qui non: audias ergo tu cum deuotione. Aliqui habent diuitias, & illas amant: cuiusmodi sunt auari, cupidi istius mundi, aliqui sunt qui diuitias non habent; illas tamen amant, atque libenter vellent habere: huiusmodi sunt, miseri & mendici istius mundi, & mali Religiosi: & isti sunt ita diuites sicut alij; & magis, in voluntate. Et hi sunt illi de quibus Christus in Euangelio dicit; *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Sed quidam sunt qui habent diuitias; illas tamen non diligunt, attamen illas bene volunt possidere. Isti sunt probi homines istius mundi; qui bene expendunt omnia quæ habent vel possident, & de illis modicum sibi retinent. Alij vero sunt qui non habent aliquas diuitias, nec illas amare nec habere desiderant: Isti homines, sancti, religiosi sunt; & isti sunt vere pauperes, & illorum est regnum cœlorum. Hæc est benedictio pauperum. Oportet ergo quod diuites habeant contrarium huius benedictionis; & ideo sint pauperes spiritu, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Tunc possum dicere isto modo de diuitibus: Maledicti diuites spiritu, quoniam ipsorum est pœna inferni. Diuites sunt, qui diuitias habent & amant: aut qui diuitias non habent, sed illas amant; & habere cupide desiderant. Pauperes sunt, qui habent paupertatem, & illam diligunt; aut qui habent diuitias, & paupertatem amant; & diuitias contemnunt.

D

Matth. 25.

Matt. 19. 28

E

Matth. 5.

Qui nã sint vere diuites vel pauperes.

F

Matt. 19. 24.

De septem petitionibus Orationis Dominicæ.

G

CAP. XVII.

POsterius habes cognoscere, quæ sunt septem petitiones Orationis Dominicæ; quæ auferunt omnia mala; & procreant omnia bona. Istæ septem petitiones vel preces continentur in ista dulcissima oratione, *Pater noster,* quam Dominus noster Iesus Christus discipulos suos docuit, vt scirent quomodo deberent Deum Patrem deprecari. Et dixit illis; isto modo vos orabitis; dicite sic; *Pater noster qui es in cælis, &c.* vsque in finem. Ista oratio superat & excellit omnem aliam orationem, in dignitate & vtilitate. In dignitate; quia ipsemet Deus ipsam composuit & fecit: & ideo facit magnum dedecus & magnam irreuerentiam Iesu Christo Dei filio, qui sibi accipit verba rithmitica & curiosa, dimittitque & relinquit orationem quam ipsemet composuit, qui scit totam voluntatem Dei Patris, & qualis oratio maxime sibi placet, & pro quibus nos miseri maxime indigemus deprecari. Nam sicut prius dixi; ille solus totam scit Dei Patris voluntatem, & totam nostram necessitatem. Igitur centum millia hominum decipiuntur per multiplicationem orationum. Cum enim putant se habere deuotionem; habent vnam vilem & carnalem affectionem, quia omnis carnalis animus naturaliter delectatur in tali loquela curiosa. Ideo sis prouidus & discretus: nam certissime tibi dico quod est vna turpis luxuria, ita delectari in tali modo guliardiæ.

Postulatio nes orationis Dominicæ tollũt mala omnia.

Oratio Dominica, dignitate superat omnẽ aliam orationem.

H

Ex alia parte sanctus Augustinus & Gregorius, & alij sancti orabant secundum suam afflictionem, Non culpo illorum orationes; sed illos vitupero qui relinquunt, & dimittunt orationem quam ipsemet Deus fecit, & orationes alicuius simplicis Sancti accipiunt vel quam reperiunt scriptam. Ideoque dicit Dominus in Euangelio; *Quando vultis orare, nolite orare per plura verba; sed orabitis isto modo, dicentes; Pater noster qui es in cælis, &c.* Ex alia parte; ista Oratio excellit omnem aliam Orationem, in sufficientia. Nam

Caute intelligendũ & pie intelligendum.

Matth. 6.

Dominica oratione petuntur omnia necessaria.

A Nā in illa continentur omnia illa quibus indigemus in ista vita & alia: quia oramus in ea Deum Patrem vt nos liberet ab omnibus malis, & vt nobis donet omnia bona, & vt tales nos faciat, vt nunquam faciamus malum, nec deficiamus à bono. Et considera qualiter omne malum quod nos aggrauat, aut est malum præteritum, aut malum futurum, aut malum quod iam patimur. De malo præterito, oramus Dominum nostrum dulcissimum quando dicimus; *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: De malo futuro, quando dicimus; *& ne nos inducas in tentationem*: de malo præsenti, quando dicimus, *sed libera nos à malo*. Prætetea, omne bonum quod est, aut est bonum temporale aut bonum spirituale, aut æternum. Bonum temporale petimus, quando dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: bonum spirituale, cum dicimus, *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: Bonum æternum, cum dicimus, *adueniat regnum tuum*. Confirmationem omnium istorum petimus, B cum dicimus, *sanctificetur nomen tuum*. Istæ sunt septem petitiones Euāgelij, quas Deus noster Iesus Christus docuit suos discipulos & amicos. Scire etiam debes, quod ista verba quatuor præcedentia, scilicet, *Pater noster qui es in cælis*, informant quomodo orare debemus, & quales esse debemus in nostris Orationibus. Quatuor enim debemus habere in omni oratione, scilicet perfectum amorem erga illum quem oramus, certam spem habendi omnia quæ petimus, & firmam credulitatem in illo in quo credimus, & veram humilitatem, quia de nobismetipsis nullum bonum habemus. Perfectus amor continetur in hoc verbo, *Pater*: nam quælibet Creatura, naturaliter diligit suum Patrem. Certa spes continetur in hoc verbo, *noster*: si enim sit noster, possumus in illum audacter sperare, & dicere quod nobis tenetur. Firma fides notatur in hoc verbo, *qui es*: cum enim dicimus, *qui es in cælis*, credimus & confitemur quod Deus est, quem nunquam vidimus: & hæc est certa Fides. Fides autem, nihil aliud est nisi credulitas rei quæ non potest videri. Vera humilitas notatur in hoc C verbo; *in cælis*: nam quando cogitamus quod ipse est summus, & nos in infimo, tunc humiliamur. Quando autem habemus ista quatuor in cordibus nostris firmiter radicata, tunc possumus audacter orare & dicere cum tota nostra affectione; *sanctificetur nomen tuum*: hoc est dictum, Confirma nomen tuum (tu qui es pater noster) in nobis, vt totaliter simus filij tui & filiæ, ita quod nihil faciamus contra beneplacitum tuum. Et vt semper agamus omne illud quod sit tibi acceptum, & quod ad laudem tuam pertinet: & quia nunquam possumus illud perfectè facere dum sumus in hoc captiuo mundo; ideo petimus, *adueniat regnum tuum*: id est, regnum tuum nobis adueniat, vt tu regnes in nobis in hac vita per gratiam, & nos in te, in alia, per gloriam. Et in ista eadem petitione, pro illis oramus qui sunt in Purgatorio. Et quia nunquam possumus tecum habere gaudium in cælo, nisi fecerimus tuam voluntatem in terra: ideo petimus, *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: hoc est, dona nobis gratiam faciendi quicquid præceperis, & relinquendi quæcunque prohibueris & omnia quibus ostenderis. Et hoc tam *in terra* quam D *in cælo*: id est; quemadmodum Michael, Gabriel, Raphael, omnes sancti angeli & archangeli, patriarchæ, & prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Discipuli, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes electi tui faciunt voluntatem tuam in cælo, ita valeant Ordines qui sunt in terra, videlicet dominus noster Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Priores, Priorissæ, Archidiaconi, Diaconi, Rectores, Sacerdotes, & omnes sancti Ordines, & omnes subditi, Reges Principes, Duces, Comites; Barones, pauperes & diuites, clerici & laici, & omnes qui sunt prædestinati ad vitam æternam in quolibet regno, in qualibet progenie, in quolibet ordine, & in qualibet ætate. Et quia non possumus facere voluntatem tuam quamdiu viuimus in corpore, nisi nos sustentes, ideo dicimus; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: hoc est, da nobis hodie fortitudinem corporis & animæ, & salutem vtriusque. Sciendum est quod triplex est panis: scilicet panis corporalis; vt victus, & vestitus: panis spiritualis; vt, doctrinæ sacræ scripturæ: E & panis Eucharistiæ ad confirmandum vtriusque naturam, scilicet corporis & animæ. Sed quia non sumus digni habere aliquod bonum, dum sumus & manemus in peccatis; ideo petimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: hoc est, dimitte nobis quicquid peccauimus contra te, in cogitatione, locutione, & opere: Et hoc, sicut nos dimittimus illis qui nobis malefecerunt. Et quia modicum valet nobis, habere veniam, nisi de cætero nos à peccatis seruemus, ideo sic orare debemus: *& ne nos inducas in tentationem*: hoc est, ne patiaris nos vinci in tentatione diaboli, carnis, & mundi. Et non solum de tentatione, sed libera nos à malo: hoc est, de malo corporis & animæ, de malo culpæ & pœnæ præsenti vel futuro. Amen. Et Dominus noster Iesus Christus dixit in Euangelio; *quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*: ideo dicas in fine, *per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum*. Hæc est Oratio quam Dominus noster Iesus Christus nos docuit in Euangelio. Nec intelligas quod debeas illud totum dicere verbotenus, quod F hic est: sed solummodo dicas nudam literam, ore, & cogita in tuo corde, super illo quod exposui, de quolibet verbo, per se. Nec cures multiplicare sæpius, *Pater noster*. Melius est, semel dicere *Pater noster*, cum intellectu bono & attentione, quam millesies, sine intellectu & deuotione. Nam ita dicit sanctus Paulus, *potius vellem dicere quinque verba corde meo* deuote, quam quinque millia, ore, & non intelligere. Eodem modo debes facere officium tuum in Ecclesia. Sic enim dicit propheta, *Psallite Deo nostro* (inquit) *psallite sapienter*: hoc est, Canta versiculos sapienter. Sapienter cantare, est quod homo dicit ore, prudenter cogitare. Nam si tuum corpus sit in choro, labia tua in psalterio, & cor tuum in foro, miserrime! & diuisus es in teipso, ne audiatis à Deo. Et quia Dominus dicit in Euangelio, primum *quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*: id est, quotquot indigetis de temporib. bonis, dabuntur vobis sine interrogatione: Ideo debes scire, quod habebis G in gaudio cælesti.

Ioan. 14. 13.

4. Necessaria, in omni Oratione.

1. Cor. 14.

Psal. 46. 2.

Matt. 6. 33.

Pars Orationis Dominicæ, pro his qui sunt in Purgatorio.

Panis triplex.

Cap. XVIII.

De dotibus corporis & animæ, & de pœnis Inferni.

7. Corporeæ Dotes corporum glorificatorum.

In cælo habebis septem dotes. In corpore habebis pulchritudinem sine turpitudine vel deformitate, agilitatem absque grauedine vel ponderositate, fortitudinem sine debilitate, libertatem sine seruitute, delectationem absque angustia, sanitatem absque infirmitate, longam vitam sine fine. In Anima vero, habebis sapientiam sine insipientia, amicitiam sine inimicitia, concordiam sine discordia potentiam sine impotentia, decus absque dedecore, securitatem absque timore, gaudium sine dolore. Captiui vtique in Inferno miseri positi, habebunt omnia istis contraria. In corpore & anima deformitatem vel turpitudinem sine pulchritudine, debilitatem sine fortitudine, &c. de omnibus aliis prædictis. Idcirco apponas omnem H curam tuam & diligentiam & potentiam, vt illud gaudiū possis obtinere. Ibi est enim tantum gaudium & tanta dulcedo, quod si posses viuere à principio mundi vsque ad futurum, & habere omnes delicias ad tuam voluntatem, adhuc, de iure omnes illas dimitteres & relinqueres vt esses vno solo die in gaudio cælesti. Hic finitur secundus Gradus contemplationis; scilicet, contemplatio in Scripturis: de qua, si bene attendas & indulgeas in tuo corde, facile erit tibi quemlibet sermonem tenere. Ex alia parte, hîc habet materiam loquendi Clericis quanquam sapientissimi sint, & laicis similiter, quamuis sint rudissimi. Quando loqueris sapientioribus, teneas aliquam istarum materiarum, & quære humiliter. Quando loqueris simplicioribus te, informa eos libenter & dulciter. Nam hîc sufficienter habes vnde cogitare possis & loqui, qualiter debeas vitam tuam gubernare & alienam vitam emendare.

De contemplatione Dei in humanitate sua.

CAPUT XIX.

TErtius gradus contemplationis, est in ipso Deo: & hoc potest esse duobus modis. Extrinsecus, in sua humilitate, & intrinsecus in sua benedicta Deitate. Ita namque dicit sanctus Augustinus: Ideo deuenit Deus homo, vt totum hominem beatificaret in seipso: Ita quod tam pro exteriori quam interiori homine, semper pascua inueniret in suo Creatore, intra per contemplationem suæ deitatis, extra, per considerationem suæ humanitatis. De sua humanitate, tria debes cogitare, scilicet, suæ incarnationis dulcedinem, suæ conuersationis honestatem, & suæ Passionis charitatem. Sed quia hoc non potes facere plenariè vna vice, illud tibi descripsi per illas septem horas diei, quas cantas in Monasterio vel Ecclesia: & nulla hora poterit euadere, quin valeas in ea cor tuum dulciter
B occupare. Ad hoc faciendum, debes scire quod quælibet hora diei, habet duplicem meditationem; vnam, de passione, alteram, de incarnatione.

De natiuitate Domini, & captione eius, ad Matutinas.

CAP. XX.

DE natiuitate Domini, in eius Matutinis, primo debes cogitare, postea de eius Passione. De natiuitate, debes cogitare diligenter tempus, locum, & horam in quibus natus fuit Dominus noster Iesus Christus dulcis. Tempus fuit, in medio hyemis, quando maximum frigus fuit: hora erat, in media nocte, quæ est hora durissima: Locus erat in medio viæ. In vna domo sine pariete, quæ dicitur Diuersorium, à diuertendo: nam illic homines diuertebant pro pluuia & aliis tempestatibus: in qua, fuit paruulis panniculis inuolutus, cum vna fascia ligatus,
C & in præsepi positus cum boue & asino, quia non habuit alium locum in diuersorio. Hic debes cogitare de diligenti cura beatæ Mariæ, circa puerum suum Iesum: & de Ioseph marito suo, quomodo habuit magnum gaudium. Cogita etiam de deuotione pastorum & de dulci turba Angelorum: erigeque cor tuum, & canta cum illis *gloria*
Luc. 2. *in excelsis Deo*, &c. De passione, debes cogitare quomodo tali hora noctis fuit à Iuda discipulo suo traditus, sicut latro, captus & ligatus, & vt nequam ductus. Cogita etiam intime, quomodo se sponte obtulit Iudæis, & gentibus: & quomodo osculatus est Iudam traditorem suum, & illum vocauit nomine suo, & appellauit illum amicum suum. Qualiter prohibuit discipulis suis, vt nullus eorum euaginaret gladium: & quomodo sanauit auriculam, quam sanctus Petrus amputauit. Et quomodo sui discipuli ipsum dimiserunt, & maledicti Iudæi ipsum acceperunt, tenuerunt, & ligauerunt, & postea duxerunt eum primo ante Annam, & ibi fuit examinatus &
D colaphizatus, quia respondebat contra illorum voluntatem. Postea duxerunt eum coram Caipha, vbi sanctus Petrus, ter ipsum negauit propter verba cuiusdam ancillæ maledictæ. (Petrus negauit Christum in domo Caiphę.)

De illusione, & resurrectione, ad primam.

CAP. XXI.

ANte Primam debes cogitare de Passione & Resurrectione: de Passione, cogitare, quomodo Iudæi duxerunt in suum concilium, & quærebant falsum testimonium contra ipsum, & imposuerunt ei, quod blasphemauit: & quod ipse dicebat se posse destruere templum Dei, & in triduo reædificare illud, & quia ipse circuiuit totam patriam à Galilæa vsque Hierusalem, subuertens gentem suam, & inceperunt mentiri de eo diuersis modis, conspueruntque in faciem eius benedictam vilius quam super canem. Postea cooperuerunt oculos eius pulcherrimos, & interrogabant eum dicentes, *quis est qui te percussit?* Et de omnibus quæ ab his dulcis Iesus patiebatur, nunquam dixit semel, quare sic facitis? sed sicut agnus in medio luporum ductus ad occisionem, vel *sicut ouis coram tondente sic obmutuit*, & ita continue se habuit, quod nullum verbum sonare voluit. Multa alia tunc sibi fecerunt, quæ nimis prolixum esset narrare. De Resurrectione, cogitare debes, quod in tali hora resurrexit Deus de morte ad vitam, postquam infernum destruxit Deus, & omnes sanctas animas à potestate inimici liberauit. Hic debes cogitare de magna dulcedine suarum appropriationum: quomodo apparuit quinquies eadem die & quinquies postea. Primo apparuit Mariæ Magdalenæ, quando ipsa æstimabat ipsum esse hortulanum. Secundo apparuit eidem & alijs mulieribus in via, quando salutauit dicens, *Auete*, id est, Deus saluet vos. Tertio apparuit sancto Petro, scilicet non habemus modum quomodo apparuit sibi. Quarto apparuit alijs duobus Discipulis euntibus versus castellum de Emaus, quomodo putabant quod ipse esset peregrinus, *cognouerunt eum in fractione panis*. Quinto, apparuit decem Discipulis, quando sanctus Thomas non erat cum eis, & quando stetit in medio illorum, & dixit eis, *pax vobis, & ostendit illis manus suas & pedes*, quia ipsum putauerunt fuisse spiritum. Sexto apparuit iterum Apostolis, quando sanctus Thomas fuit præsens cum eis, & quando Dominus dixit illi, *affer digitum tuum in locum clauorum & vide manus & pedes*; *& mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis.* Septimo apparuit sancto Petro, sancto Iacobo, sancto Ioanni, & Nathanaëli, quando piscauerunt in mari, quod quidem Euangelium vocat Thiberiadis, vbi comedit cum illis, & quæsiuit ter à sancto Petro si ipsum plus alijs diligeret. Octauo apparuit vndecim Apostolis in monte Galilææ, quando præcepit illis ire in vniuersum mundum & prædicare Euangelium omni creaturæ, & baptizare omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & dixit illis, quod ipse esset cum eis, omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi. Nono, apparuit illis in die Ascensionis, quando fuerunt ad prandium, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duriciem cordis. Decimo apparuit eis in eodem die, quando eduxit eos foras in Bethaniam, & dixit eis vt sederent in ciuitate donec induerentur virtute ex alto, deditque eis suam dulcem benedictionem, recessitque ab eis, & ascendit ad cœlum, sedetque ad dexteram sui Patris.

(Matt. 26. 68. — Isai. 53. 7. — Matt. 28. 9. — F — Luc. 24. 35. — Ioan. 20. 26 — G)

De aduentu Spiritus sancti, & de flagellatione Christi, ad Tertiam.

CAP. XXII.

ANte Tertiam, debes cogitare de Passione & de Penthecoste. De Passione debes cogitare qualiter Dominus noster Iesus Christus fuit in tali hora expoliatus totus nudus, & in domo Pilati ad vnam columnam ligatus, & ita crudeliter flagellatus, quod à vertice capitis vsque ad plantam pedis non remansit in eo sanitas. Cogita similiter quomodo Pilatus misit illum ad Herodem, & quomodo reliquit eum Herodes, & ipsum deridebat, & ipsum induebat tunica in signum quod tenuit illum esse stultum, & remisit illum ad Pilatum. Pilatus vero proposuit ipsum liberare, sed voluit prius ipsum castigare secundum modum latronum qui debe rent tales dimitti. Et milites eum cœperunt, & congregauerunt totam cohortem ad respiciendum eum, chlamydem coccineam circundederunt ei; dederunt ei baculum de arundine, loco sceptri; imposuerunt coronam spineam super caput eius, & coram ipso genuflexerunt, & deridendo, ipsum salutare cœperunt: sed adhuc propter omnia ista, Iudæi noluerunt eum dimittere, & Pilatus volens eis satisfacere, liberauit eis vnum latronem, Barrabam, donauitque eis sine causa Iesum crucifigendum. De Penthecoste debes cogitare quod tali hora diei misit Dominus noster Spiritum sanctum suis discipulis (H — Spiritus sanctus eur.)

A

Apostolis datur in linguis igneis.

pulis in eodem loco congregatis, in similitudinem ignis & linguarum, vt essent abundantes in sermone, & ardentes in amore. Est ista fuit certa prouidentia Domini Dei nostri, quia duobus modis venit malignus spiritus ad hominem decipiendum in paradiso, scilicet per malum incitamentum suæ linguæ, & per frigiditatem sui veneni, & ideo venit Spiritus sanctus in lingua, contra incitamentum diaboli; & igne, ad destruendum frigiditatem sui veneni.

Cap. XXIII.

De incarnatione & crucifixione.

Ante meridiem debet cogitare de Annunciatione & de Passione. De Annunciatione, cogitabis de misericordia Dei nostri, quia voluit homo deuenire, & mortem pati pro nobis in sua humanitate, cum alio modo potuisset nos redemisse; & totum hoc nobis fecit, vt sibi attraheret nostrum amorem. Nam si vnus, esset noster Creator, & alius, noster saluator, tunc plus amaremus nostrum Saluatorem quam nostrum Creatorem. Ideo voluit noster Creator, esse noster redemptor & saluator, & pati in suo corpore totum nostrũ amorem. De passione debes cogitare quod tali hora fuit Iesus crucifixus inter duos latrones, vnum à dextris & alium à sinistris, ac si esset illorum magister. Hic nescio quid dicam. Nam si omnes morbi & dolores istius mundi essent in corpore vnius hominis solius: &, si homo ille possit concipere tantam angustiam & tantos dolores sicut omnes homines in isto mundo, parum esset aut nihil per comparationem ad dolorem quem sustinuit pro nobis in vna hora dici. Vnde si possem viuere per centum mille annos, & qualibet die millies mori pro eo eadem morte qua pro me mortuus est semel, nihil esset in comparatione ad dolorem quem habuit in se. Tunc diceret aliquis, quod pœna quam sustinuit Christus in Cruce pro nobis, fuit maior quam pœna Inferni, in tanta hora. Verum est: Et propter istam causam, nulla Creatura potuit tantum pati sicut Iesus, cum nullus habuit in se tantum de veritate. Sed aliqua Creatura potest pati pœnam Infernalem in igne perpetuo, ergo apparet quod pœna infernalis fuit minor in tanto tempore quam pœna Christi. Non dico certitudinaliter propter scientiam alicuius gentis. Propter hoc dicit Dominus de seipso, per Hieremiam prophetam: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Certe nullus dolor est nec vnquam fuit in isto mundo, ad dolorem tuum, dulcissime Iesu: Hic etiam debes cogitare de dulcissima virgine Maria, quanta angustia erat repleta, quando stetit ad dexteram sui filij dulcissimi, & recepit discipulum pro Magistro; & quam habuit magnum dolorem, quando recepit seruum pro Domino, filium peccatoris pro Filio Dei. Ideo potuit ipsa dicere de seipsa, illud quod dicit propheta, *ne me dicas pulchram, sed de certo appelles amaram, nam amaritudine, & magno dolore Dominus* omnipotens *me repleuit.* Similiter potuit illa dicere illud in Canticis amoris, non mireris si fusca sim & pallida, quia decolorauit me Sol. Ideo dicit vnus angelicus, pietate motus: O puella speciosa, iam veraciter es experta acutissimam punctionem illius gladij, de quo Symeon fecit tibi mentionem in Purificationis die, tu modo recepisti promissa, quæ tibi promisit Anna prophetissa.

B — Cur ipse Christus voluit nos redimere.

C

Thr. 1. 12.

Ruth. 1. 20.

D

Cap. XXIV.

De morte Iesu Christi, & de eius Ascensione, ad Nonam.

Ante Nonam debes cogitare de Passione & Ascensione. De passione cogitabis quod tali hora moriebatur auctor vitæ, propter nostrum amorem. Hic debes cogitare de septem verbis quæ locutus fuit in Cruce, & de quatuor signis quæ acciderunt in morte ipsius. Primum verbum quod dixit, fuit illud, *Pater ignosce illis* eorum peccatum, *quia nesciunt quid faciunt.* Secundum verbum fuit tale *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*: illud verbum dixit latroni bono, pœnitenti. Tertium verbum fuit istud quod dixit Matri suæ & sancto Ioanni, tali modo: *Mulier, ecce filius tuus: deinde dixit discipulo: ecce mater tua.* Quartum fuit; *Hely hely lama zabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Quintum fuit illud verbum, *Sitio*, Sextum fuit, *Consummatum est*: hoc est, Iam prophetia impleta est. Septimum est illud: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & inclinato capite emisit spiritum.* Quatuor signa fuerunt ista: totius Terræ motus factus est; Velum templi scissum est in duas partes, & cecidit; Petræ scissæ sunt; & monumenta aperta sunt, & mortui resurrexerunt, & Sol obscuratus est, & retraxit à mundo suam claritatem à meridie vsque ad horam nonam. Vnde dixit Dionysius Areopagita, exiens in partibus remotis à Hierusalem, scilicet Athenis: aut Deus naturæ patitur, aut tota machina mundi dissoluitur. De Ascensione cogitabis, quia in tali hora Dominus noster venit ad montem Oliueti videntibus discipulis eius, & dulcissima matre eius, & abinde ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram sui Patris. Et discipuli eius reuersi sunt in ciuitatem, ibique fuerunt in ieiunijs & orationibus vsque ad aduentum Spiritus sancti. Fuerunt enim congregati in vna domo, centum viginti homines expectantes aduentum Spiritus sancti, sicut præcepit illis Dominus.

7. Verba Christi in Cruce.

Luc. 23.

E

Matt. 27. 46.

Ioa. 19. 30.

F

Cap. XXV.

De cœna Domini, & depositione Iesu de cruce, ad Vesperas.

Ante Vesperas debemus cogitare de cœna Domini, & de Passione. De Passione debes cogitare quomodo Ioseph ab Arimathia impetrauit corpus Iesu à Pontio Pilato: & quomodo milites venerunt ad Crucem, & fregerunt crura duorum latronum: & quomodo vnus militum, lancea, benedictū latus Iesu perforauit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Sanguis in signum nostræ redemptionis, & aqua in signum remissionis & ablutionis peccatorum. Ioseph vero deposuit ipsum de Cruce, propter hoc quod nullum corpus deberet manere inhumatum in tam magna & alta die qualis fuit in crastina die sequente. De cœna debes cogitare quomodo in tali hora Dominus noster dedit discipulis suis corpus suum & sanguinem in similitudinem panis & vini. Hic debes cogitare quod in Sacramento Altaris sunt tria: scilicet similitudo panis & vini quam videmus corporaliter: secundum est, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, quod non possumus videre oculo nostro corporali: Tertium est, spiritualis gratia quam recipimus, quando digne sumimus illud sanctissimum Corpus atque beatissimum Sanguinem. Nos videmus similitudinem panis & vini, & tamen substantia panis & vini non remanet post Consecrationem. Et nos credimus firmiter quod illa similitudo habet & continet in se veraciter corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: verumtamen similitudinem Corporis & Sanguinis Domini nostri non possumus videre, quia abhorremus & timorem habemus quantum ad corpus, comedere carnem crudam & bibere sanguinem hominis. Ideo dedit nobis Dominus Corpus suum & sanguinem sub specie panis & vini, ad confortandum nostrum sensum corporalem per talem cibum quem solemus videre & audemus comedere; & ad ædificandum nostram fidem, per hoc quod videmus vnum & credimus aliud. Et ideo cum debes appropinquare ad altare vt communices, ita sumas illud Sacramentum, ac si reciperes visibiliter corpus suum & sanguinem suum qui effluxit de latere eius.

G

In Sacramento Altaris, est similitudo panis & vini.

Substantia panis non remanet post consecratioñ.

H

Cap. XXVI.

De sudore sanguineo, & sepultura Dei, ad Completorium.

Ante Completorium debes cogitare, Primo, quomodo Ioseph & Nicodemus inuoluerunt corpus Iesu Christi in pulchris linteaminib. sindone mũda; & vnxerũt

illud vnguento precioso, & posuerunt illud in sepulchro, & lapidem ad ostium monumenti. Iudæi quoque apposuerunt sigilla supra petram, & ordinauerunt milites ad custodiendum sepulchrum. Secundum quod hic debes cogitare, est, quod Dominus noster dulcis Iesus Christus die cœnæ postquam cœnauit, iuit cum Discipulis suis in vnum hortum, vbi patrem suum orauit, & præ tristitia mortis, taliter sudauit, quod guttæ sanguinis stillauerunt de facie eius benedicta vsque ad terram.

Cap. XXVII.

De contemplatione Dei quantum ad suam diuinitatem.

Modo habes materiam & modum cogitandi de Deo, in sua humanitate. Posterius, debes scire qualiter cogitabis de ipso in sua altissima deitate. Ad hoc, debes intelligere quod Deus temperauit suam cogitationem in præsenti: nam, ita quod noluit, se homini ex toto monstrare nec ex toto celare: quia si se totaliter monstrasset, tunc Fides nihil valuisset, & Infidelitatem visitasset. Fides autem, est de re quæ non potest videri: & nunc, si aliquid video, non est Fides de illo. Si vero se totaliter celasset, tunc Fides non fuisset, sed Infidelitas excusata esset. Et ideo voluit Deus partim se monstrare, & partim se celare. Quatuor vero modis voluit se monstrare homini. Duobus modis, interius; & duobus modis exterius. Interius, per reuelationem & rationem: exterius, per Scripturam & Creaturam. Per reuelationem, quando Deus se monstrauit alicui populo per inspirationem, aut per Miraculum. Per rationem venit Deus in cognitionem hominis, tali modo. Quilibet homo bene potest videre in se, quod ipse est, quod habet esse, & quod non semper fuit: & ex hoc, bene scit quod initium aliquando habuit. Tunc sequitur quod aliud tempus erat in quo ipse non fuit; sed quando non fuit, tunc nullo modo seipsum facere potuit. Hoc enim vides, homo, in omni Creatura! Nam qualibet die, vides aliquas Creaturas transire, & aliquas venire; & quia omnes res sunt, &, à seipsis non sunt. Ideo oportet necessario quod vna res sit quæ dat omnibus esse: hoc est, à qua omnia sunt. Et ex hoc conuincitur necessario quod ille per quem omnia sunt, est sine principio: quia si haberet principium, oportet quod haberet ex alio. Tunc non esset primus auctor, & primum principium omnium. Et ideo oportet necessario quod ipse per quem omnia facta sunt, sit ante omnia, & nihil ante ipsum: &, si nihil sit ante ipsum, non venit ex alio: tunc semper fuit, & sine principio. Nam, vt prius, omne quod habet initium, ex alio habet illud (nihil enim quod non est, sibi ipsi potest dare esse.) Et ideo, oportet omnibus modis quod vna res sit quæ nunquam principium habuit. Et quando ratio hominis videt necessario quod non potuit aliter esse, incipit firmiter credere quod vnum est absque principio; qui est author, factor, gubernator omnium quæ sunt in mundo. Et illud appellatur Deus propter istam rationem: Istud enim verbum, Deus, venit à nomine græco θεὸς; Et hoc tamen valet sicut creare vel nutrire. Et ideo appellamus primum principium Deum: quia ipse omnia creauit & omnia emisit, hoc enim dicit illud verbum. Isto modo venit homo primo ad cognitionem Dei, qui est omnia bona: & de quo est omne bonum quod est.

Deus cognoscitur ab homine 4. modis.

Rationes, quibus homo cognoscit Deum esse.

Cap. XXVIII.

Quomodo, Deus est vna substantia, & tres Personæ.

Humanæ rationes cognoscendæ sacrosanctæ Trinitatis.

Postea venit ratio hominis, & videt necessario quod ille Deus fuit, vnus solus Deus, & non plures dij. Nam si duo dij essent, ex hoc sequeretur necessario quod ambo dij essent superflui & diminuti, simul & semel. Nam primus foret superfluus, quia secundus sufficeret, alter enim non esset Deus. Per eandem rationem, esset secundus superfluus, cum primus esset solus, solus sufficiens. Ex alia parte quilibet eorum esset diminutus, propter hoc quod quilibet eorum deficeret à reliquo. Nullus eorum esset reliquus, sed quilibet eorum esset summe bonus: & tunc deficeret bonum ab vtroque illorum, & sic, in vtroque esset diminutio. Et ideo, si duo dij essent, in ambobus diis esset superfluitas & diminutio, simul & semel: Et oportet necessario quod non sit nisi vnus solus Deus. Ex alia parte, nullum bonum potest Deo deficere: sed quia dulce, est bonum & solatium societatis, ideo Deus non potuit esse sine bono, societate. Et tunc oportet necessario quod pluralitas Personarum sit in Deo summe bono. Et quia societas nequit esse inter pauciora quam inter duo; ideo oportet quod in Deo ad minus sint duæ personæ. Et quia societas parum valet vbi non est fœdus nec amor; ideo oportet quod in Deo sit tertia Persona, quæ sit fœdus & amor inter alias duas Personas. Tum igitur vnitas sit bona, & pluralitas, similiter: oportet necessario quod vtraque illarum sit in Deo. Per talem rationem venit homo ad istam cognitionem Dei, quod ipse est vnus Deus in se & sua substantia, & Trinus in Personis. Istud idem videt homo in seipso. Nam ipse videt bene quod semper à principio habuit homo in seipso, potentiam, & post potentiam, sapientiam: Et tunc incœpit ille cognoscere aperte quod ipse in anima habet potestatem, & de illa potestate, scientiam, & de ambabus venit amor. Et quando videt homo quod ita est in seipso, ex hoc intelligit bene, quod ita est in Deo, qui est vltra illum: videlicet quod in Deo sit potestas, & de illa potestate venit sapientia; & de vtraque venit amor. Et propter hoc quod ex prima Persona venit secunda: & de ambabus procedit tertia: Ideo prima persona vocatur Pater, secunda, Filius, tertia Spiritus sanctus. Et quia sic solet esse inter homines, quod pater sit debilior filio propter senectutem; & filius, minus sapiens propter iuuentutem: ne aliquis homo ita æstimet de Deo; ideo potestas attribuitur Patri, & sapientia Filio. Et quod illud verbum; spiritus, sonat in austeritatem: Ideo Spiritui sancto attribuitur dulcior amor & bonitas. Isto modo venit homo, primo, ad cognitionem Dei sui Creatoris, quomodo iste est sine principio. & quare vocatur Deus, & quare est vnus in substantia & Trinus in Personis; Et quia prima Persona vocatur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus, & quia appropriatur potestas Patri, sapientia Filio, bonitas & amor Spiritui sancto. Tali modo debet cognoscere Deum Filium: Et iste modus cognitionis, est fundamentum Contemplationis.

Imago Trinitatis in Homine.

Cap. XXIX.

De tribus gradibus contemplationis Animæ.

Igitur postquam stabilieris cor tuum in recta Fide, firma Spe, & perfecta Charitate; erige sursum cor tuum in altissimam contemplationem nostri Creatoris. Sed anima tua vellet sæpe videre Deum per contemplationem: in sua natura, sed non potest. Et tunc reuertitur ad seipsam, & facit de seipsa gradus per quos possit ascendere ad contemplationem diuinam: ita vt primo posset videre & respicere suam naturam interiorem, & postea naturam quæ est supra illam. Scilicet si cogitatio sua sit per corporales imaginationes diuersimode dispersa, tunc seipsam scrutari non potest in sua propria natura. Quot enim malis cogitationibus est ducta, tot malis obstaculis est impedita. Primus gradus contemplationis est, quod anima reuertatur & recolligat se totaliter infra seipsam. Secundus gradus est, quod ipsa se videat qualis totaliter collecta. Tertius gradus est, quod anima se leuet vltra seipsam, & nitatur respicere suum gradum in sua natura interiori. Scilicet ad cognitionem suiipsius non præteruenire, quousque fuerit instructa, refrenare quamlibet imaginationem corporalem, terrenam, & non cœlestem. Et quando venit ad cor suum aliqua delectatio visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, vel ali-

A alicuius alterius sensus corporalis, debet illam refutare & calcare, vt se videat talem qualis est totaliter sine corpore. Attendit quoque diligenter, quomodo anima est mirabilis in seipsa. Ipsa est enim vna, in sua natura, & cum hoc, facit plurima diuersa opera. Nam ipsa eadem videt per oculos, audit per aures, gustat per linguam vel per os, odorat per nares vel nasum, tangit per omnia membra. Postea cogita quam magna est anima, & quæ vna sola cogitatione potest comprehendere cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, si essent millesies maiora quam sunt, quod non esse non potest. Si anima hominis sit tam grandis & nobilis quod nulla Creatura (in ista vita) potest illam perfectè intelligere; quam nobilis tunc, etiam quam potens erit ipse qui tam nobilem rem de nihilo creauit. Ipse enim est super omnia, & subter omnia, & infra omnia, & extra omnia. Super omnia, gubernans; subter omnia, supportans, inter omnia, perimplens; extra omnia, circundans. Talis contemplatio generat in homine B firmam fidem & securam deuotionem. Postea debes cogitare quomodo ipse est largus, & hoc potes videre multis modis. Primo, vide qualiter est largus de bonis temporalibus, cum ita bene dat illa bona hominibus malis sicut & bonis, in omnibus quæ vides hic in terra. Deinde vide quomodo largus est ad indulgendum & dimittendum peccata. Si enim vnus solus fecisset tot & tanta peccata, sicut omnes homines istius mundi, adhuc ipse est in centuplo promptior ad indulgendum & miserendum, quam ille miser peccator, ad indulgentiam & misericordiam petendum vel quærendum. Tertio cogitabis qualiter est largus de bonis spiritualibus: hoc est de virtutibus. Nam qui ex dono Dei habet vnam virtutem, habet omnes. Quarto cogitabis quomodo est largus de bonis sempiternis, omnibus illis qui volunt illa rectè postulare. Quomodo enim posset denegare illis illud, quod monet petere? Talis contemplatio de sua largitate, gignit in homine certam spem. Posterius debes cogitare de diuina C bonitate, dulcedine, pulchritudine. Ad hoc faciendum, debes diligenter attendere magnam pulchritudinem, bonitatem, & dulcedinem quæ in vna creatura est corporali. Quot sunt quæ delectant oculum, per suam pulchritudinem, gustum, per dulcedinem; nasum, per odorem, & sic de alijs sensibus? Quanta pulchritudo, dulcor, & bonitas esse debet & est in creatura spiritali quæ nunquam finem habebit. Et postquam tanta bonitas, dulcedo, & pulchritudo est in vna re quæ hodie in hac vita & cras præterita, & nunc multo fortius oportet quod in omnium istorum Creatore sit maior dulcedo, pulchritudo, & bonitas, sine comparatione. Iste modus contemplationis, generat in homine amorem sui Creatoris. Postremo quando taliter respexit nostrum Creatorem, per considerationem suarum Creaturarum, expelle à tuo corde imaginationem corporalem, & permitte tuum nudum intellectum euolare super omnem humanam rationem vsque in cœlum: & ibi inuenies tantam dulcedinem, & tot secreta quod nullus homo sciret præter illum qui D expertus est. Si vis illud scire per documentum, vadas ad illum qui illud probauit per experimentum. Et quamuis illud totum, ego miser probaui, illud tamen non possem enarrare. Quomodo enim possem istud ore narrare, quod non possum corde cogitare. Illud enim est ita secretum, quod superat omnem cogitatum. Ea propter oportet & iustum est, illud, vt faciam: & non lingua doceam, sed opere (per solam gratiam) perimpleam. Iam habes tres gradus Contemplationis: vnum in Creatura, alterum in Scriptura, & tertium in dulcissima Dei natura.

Quid est viuere honorabiliter, amicabiliter, & humiliter.

CAP. XXX.

SI viuas secundum istam doctrinam, tunc viuis honorabiliter: Et hæc est prima pars sermonis nostri, quæ fuit tacta in principio. Postea debes studere E vt viuas amicabiliter, quantum ad Proximum. Et ad hoc perficiendum, debes apponere totam tuam diligentiam: hoc est, propter solam bonitatem, & non pro corporis pulchritudine, & pro bono tantum, nec propter aliqua huiusmodi, sicut pro fortitudine, vel alia huiusmodi corporali virtute quæ potest amari absque Deo. Ea propter amare hominem in Deo, non est aliud nisi amare illum propter vnum tale quod non potest amari sine Deo, sicut pro bonitate, pro iustitia, vel pro veritate. Nam propter talem virtutem non potes amare hominem, nisi ames Deum. Et ideo quando amas hominem propter bonitatem, iustitiam, vel veritatem, tunc illum amas in Deo. Deus enim, est bonitas, iustitia, & veritas. Si enim nos essemus boni, nullum haberemus amicum nisi bonum, nec inimicum præter malum. Et propter hoc, debemus diligere bonos quia boni sunt, & malos etiam quia boni esse possunt: & isto modo non amas aliquem nisi F propter bonitatem. Et, si vis amari, ostende te bonum esse vel amabilem: Et, si vis esse amabilis, recipias & serues ista tria verba sine obliuione. Et facias illud quod tibi vis fieri: Et instanter roga, & Accipe sine murmuratione, & custodi quod vis tibi donari: Sustine patienter quodcunque homo tibi dicat. Si sic viuis fideliter, tunc viuis amicabiliter. Postremo studere debes vt viuas humiliter. Et propter hoc, debes scire quod duo sunt modi humilitatis. Et Vnus venit ex veritate, alius venit ex charitate. Primum modum potes habere per cognitionem tuipsius: nullus enim homo mundi potest videre teipsum qualis es in veritate nisi sis humiliatus. Secundum modum potes habere si sæpe cogitas de humilitate dulcissimi Domini nostri Iesu Christi, quomodo seipsum humiliauit qui nunquam peccatum fecit. Et talis humilitas pura, venit de charitate. Modo cognoscitis quid est viuere honorabiliter, amicabiliter, & humiliter: & hoc, est viuere perfe- G ctè. Noster dulcissimus Dominus Iesus Christus ita nobis concedat Deum honorare, Proximum nostrum amare, nosmetipsos humiliare, vt possimus pro nostro honore honorari, pro nostro amore amati, pro nostra humilitate exaltati ad gaudium cœli: quod nobis est paratum ab origine mundi. Dicant omnes, Amen.

Quid sit amare Proximum, propter Deū.

Qua ratione possit quispiam fieri amabilis.

Explicit tractatus sancti Edmundi de Pontigniaco, qui appellatur Speculum Ecclesiæ.

NICONIS, EX EPISTOLA AD ENCLISTIVM, DE INIVSTA EXCOMMVNICATIONE.

H

Caute legenda hac Epistola; nam vt hominem in iaciendis excommunicationis præcipitem cohibeat, nonnulla interdum ex dicendi calore fundit, quæ proßius discussa modum excedere, nec satis cum Theologia placitis congruere videntur. Consule Theologos 4 sent. distinct. 18. & Dominicum Soto 4 sent. distinct. 22. q. 1. art. 3.



SCias autem pater quod diuinæ Scripturæ cum diuinis Canonibus definiunt quod iniustæ quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligant? etiamsi Pontifex eas imposuerit. Quanto magis si inferior, sicut dicit sanctus Dionysius. Qui itaque considerata sententia & intemperante animo aliquem à Fidelibus separauit, eum non solum non attingit; sed in eius etiam caput recurrit, sicut sanctæ quoque Synodi pronunciant: sed illæ pœnæ ligant quæ secundum diuinos Canones & Leges sunt impositæ, non autem quæ secundum propriam voluntatem. Qui enim pœnam, præter rationem, imponit; ipse est Sc-

Iniustæ pœnæ & excommunicationes non ligant apud Deū.

Excōmunicatio iniusta recurrit in Excōmunicātis caput.

A

est Segregatus, & ipse debet eam pœnam obseruare sicut diuini & sacri Canones decernunt. Magnus quoque Petrus ad Clementem; Tu quidem ea ligabis oportet, & solues quæ soluenda sunt. Dicit enim sanctus quoque Patriarcha Nicolaus, diuinitus promotus. Habent enim Antistites potestatem puniendi, sicut etiam sancta Synodus definiit; vt qui ius ligandi & soluendi à Deo acceperint. Sin autem Antistes præter Dei scopum punierit; Deus enim non sequitur: & ecce inuenitur pœna quæ ab eo infligitur iniusta, & propterea inualida. Et de Sacerdotio dixit Dominus Petro; *Quæcunque ligaueris super terram, erunt ea etiam ligata in cœlis.* Vide vim verbi: Non dixit, *quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata in terra;* sed, *in cœlis:* vt qui excommunicat vel deponit vel prohibet, rem terribilem ducat: vt qui Deum, ad vna secum ferendam sententiam, vocet: nempe qui sub eius qui est in cœlis testimonio, hoc agat. Iam & qui prohibetur vel deponitur, horreat: vt qui extra Regnum cœlorum eiiciatur. Vide (inquit) quid facis, ô sacerdos: quæ inferius ligas, ea esse superius in rationes referendas, existima. Non est à ratione reddenda liberum vinculum, si iniuste ligaueris. In iudicio Angelorum ostensurus est, num ita & animi perturbatione, vinculum intuleris: num vt te ipsum vlciscens. Deus enim eum, qui iniuste alligatus est, defendit & vlciscitur. Qui itaque Dei gregem sincere pascit, os Dei vocatus est. Dicit enim: *Si quod est pretiosum ab eo quod est nullius pretij* separaueris, eris vt os meum.

Ligandi & soluendi potestas. — *Mat. 16. c. Mat. 18. c.* — *Excõmunicatio res terribilis.* — B — *Excõmunicationis aliquando reddenda ratio.* — *Pastor est os Dei, Hier. 15. d.*

Eiusdem de pessimorum Armeniorum pessima Religione.

QVæ ab Armeniis præter rationem fiunt & creduntur, hæc sunt. Dicunt diuinam Naturam esse patibilem: & in Aphthardocitarum hæresim inducti, Trinitatem pati dicunt. Hoc autem etsi non audent aperte dicere; iis tamen quæ faciunt, hoc declarant. Tres enim cruces coniungentes: & vni ligno tanquam iugo affigentes, nominant hoc, *sancta Trinitas.* Adiiciunt autem sancto atque adeo sanctissimo, hymno illud, *qui crucifixus es pro nobis:* Petri fullonis rabiem sequentes: & nobis quidem asserunt, se, de Filio hoc adiicere: ipsi autem, Deum esse patibilem, aperte sentiunt. Existimant quoque Spiritum esse Patri & Filio minorem: vnde & paulo ante dictarum crucium mediam, minorem statuunt: in Spiritus typum, hanc esse reuelantes. Iidem & in duarum Christi naturarum vnione, confusionem decernunt. In pane quoque mystico, vtuntur azymis, & in sanctum calicem, aquam non immittunt, & quinto mensis Ianuarij vespere festum Euangelismi celebrant, tum aliam quoque huius festi consequentiam facientes, tum etiam conueniens Euangelium legentes. Mane autem Christi natalem celebrant, & in diuino sacrificio sancta Theophania. An autem eo Euangelismi die, venerabilissimum Seruatoris nostri Natalem fuisse existimantes, hoc festum celebrent, incertum: manifestum autem est, quod non, sicut nos carnem Domini in Dei matris vtero formatam esse existimant. Quomodo enim fieri posset vt infans vno die perfectus compleusque nasceretur? & innumerabiles absurditates ex eo deducuntur. Sin autem existimant post xij menses, anno in eundem reuerso, editum esse partum: non tam magis humanam natiuitatem, quam ab equis & asinis similem introducunt: hæc enim animalia, post annum pariunt. In festo autem sanctorum Theophaniorum, non oratione, non Euangelio, non hymno, non aliarum Scripturarum lectione vtuntur: sed crucem tantum in aquam immergentes, hoc sibi sufficere existimant. Circumcisionem autem, octo diebus post Theophania celebrantes falluntur: nescientes quod prius circumcisus, deinde baptizatus est. Deinde cum magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ Episcopus, cauisset Armeniæ Episcopum à nullo alio esse ordinandum quam ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, vbi ipse quoque ordinatus est: & horrendæ execrationes & anathema in eos sit intẽtatum qui aliter faciunt: hæc quidem illi transgrediuntur; à Syriæ autem Amerano, vniuersalis eorum Episcopus ordinatur. Sin autem negant magnum Gregorium hæc constituisse: ostendant nobis, eius, ad filios constitutiones, & os eis obturabitur. Sin autem adhuc dubitauerint, dicant si possint, cum in eos anathematis sententiam protulimus, quid ab eis factum nouimus. Quod si ex hoc loco Chrisma non susceperunt, nec qui apud eos sunt sacerdotes, sacerdotio digni sunt. Quando enim vniuersalis eorum Episcopus non ordinatur ex Canonibus: quomodo qui ab eo ordinantur, fide digni habebuntur? Porro autem à sacris quoque Euangeliis abstulerunt vocem quæ dicit: *Et factus est sudor eius sicut *guttæ sanguinis in terram descendentis,* hoc esse imbecillitatis existimantes, non diuinæ maiestatis. Sed etiam, historiam quæ nos docet quod mulier ad Iesum tanquam adultera adducta est: cum is autem dixisset: *Qui non peccauit, lapidem in eam proiiciat; recesserunt omnes:* & nec à Christo condemnata est: eijciunt hanc auditionem multis esse perniciosam dicentes. Comedunt autem & in Sabbatis & in Dominicis sanctæ Quadragesimæ, ouum & caseum & butyrum, & imprimis eorum Vniuersalis Episcopus, & est apud eos Canon qui dicit: *Si quis butyrum, caseum & ouum, vino & oleo non æquiualere existimet, sit anathema.* Septimana quoque τῆς τυροφάγου, carne vescuntur: ieiunantes septima quæ est ante ἀπόκρεων, intensis ieiuniis, præter panem & aquam nihil aliud gustantes. Vocant autem hanc septimam, *Arthiburtzia*, nesciunt tamen quid sibi velit vis huius nominis. Sed nonnulli quidem dicunt fuisse hoc cuiusdam Sergij ieiunium; nonnulli vero Niniuitarum: aliqui vero Adami, quando ex paradiso deliciarum eiectus est: & hinc, sine ratione ieiunare conuincuntur. Quidam autem dicunt, & videtur verum esse quod ab eis dicitur: fuisse quendam apud eos Episcopum, qui vtebatur catulo, cui erat cognomen Artziburtzes. Id autem, præcursor seu præcessor Latine appellatur: præcedebat enim Episcopum in vrbem vel in vicum ingressurum. Quo mortuo, septem dierum ieiunium ab Episcopo constitutum est in memoriam luctus, qui fuit propter canem. Sacrum autem celebrantes, non solum capiti tegmen non detrahunt: sed etiam capiti cucullam adiiciunt, licet diuus Paulus aperte exclamet detectos esse debere in oratione. Venerabiles autem imagines non adorant: sed quod magis est, eorum Vniuersalis Episcopus cum reliquis, eos qui adorant, anathemate percutit. Nec crucem adorant, nisi clauum in eam immiserint, & ipsam etiam baptizauerint. Postquam autem clauo fixa & baptizata crux fuerit, & alterum duorum lignorum diuisum & relictum fuerit, rectum scilicet vel transuersum: id solum quod relictum est, adorant. Sed & omnia fere quæ sunt abolita Legalia, adhuc peragũt. Agnũ enim, magno Dominico sanctificant, & limina inungunt, & eius ossa comburentes seruãt cinerem cum sanguine in signum expiationis, & velum ante altare statuunt, & tintinnabula ipsi & altari appendunt. Quin etiam pro mortuis ouium & boum sacrificia peragunt: nec defunctum aliter seruandum existimant, nisi tertiis, & nonis, & quadragesimis eius diebus eiusmodi sacrificia peracta fuerint. Antequam autem eiusmodi sacrificia peragantur, sal benedicentes dant bestiis in nutrimentum, & super earum etiam capita dicunt quasdam orationes, & eas mactant. Nominant autem hæc sacrificia, Natalitia. Si qui autem aliquid eorum negant: eum qui hoc facit, anathematizant.

Aphthardocitarum crux triplex. — C — *Hymnus sanctis. Petrus fullo.* — *Mysticus panis azymus.* — *Non error est ex Eucharistiam in azymis, vt Auctor ille græcanicæ imbutus ritu existimas, cum eum morem consecrandi in azymis* D *per sancta Romana colat Ecclesia.* — *Sancta Theophania.* — *Christi Circumcisio ante Theophania quod est festum Baptismi Christi.* — *Syriæ Amer-anus.*

E — *Chrisma. Sacerdotes fide digni.* — *[illegible] Luc. 22. e. Ioan. 8. a.* — *Ieiunium Quadragesimæ Armeniorum.* — F — *Arthiburtzia. Ieiunium Adami.* — H — *1. Cor. 11. a. Armenij non adorant imagines. Crucis adoratio.* — *Magno Dominico pro delictis. Velum ante altare.* — G — *Armeniorum Natalitia.*

ERRORES DETESTABILES CONTRA CATHOLICAM VERITATEM, PER R. P. D. Guillielmum Parisiensem damnati, Anno Domini 1240.



ETsi sunt detestabiles errores contra catholicam veritatem reperti in quibusdam scriptis, quos quicumque dogmatizauerit, vel defenderit, à venerabili patre Guillielmo Parisiensi Episcopo, conuocato concilio omnium

A nium Magistrorum, tunc Parisius regentum vinculo anathematis est innodatus. Et ideo eos cauere debent omnes professores fidei orthodoxæ.

Primus est, quod diuina essentia in se, nec ab Angelo, nec ab homine videatur, vel videbitur. Contra quod firmiter credendum est, quod in sua essentia vel substantia, vel natura videbitur ab omnibus glorificatis.

Secundus error est, quod licet diuina essentia eadem sit in Patre, Filio & Spiritu sancto: tamen vt hæc est essentia, est in ratione formæ, vna est in Patre & Filio: licet non vna in Spiritu sancto. Et in his tamē forma idem est quod diuina essentia. Contra quod firmiter credendum est, quod vna est essentia substantialis, vel natura in Patre & Filio, & Spiritu sancto, & eadem essentia in ratione formæ.

Tertius est, quod Spiritus sanctus, prout est amor & nexus, non procedit à Filio, sed tantum à Patre. Contra quod asserendum est, quod Spiritus sanctus, prout est amor & nexus, procedit ab vtroque.

B Quartus est, quod multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse Deus. Contra quod asserendum est.

Quintus est, quod primum nūc, vel principium & creatio, passio, non sunt creator vel creatura. Contra quod credendum est, quod principium est creator & creatio, passio est creatura.

Sextus quod Angelus malus in primo instanti suæ creationis fuit malus, & nunquam fuit non malus. Contra quod tenendum est, quod aliquando fuit bonus.

Septimus est, quod nec animæ glorificatæ, nec corpora gloriosa, vel glorificata erunt in cœlo empyreo cum Angelis: sed in cœlo aqueo vel crystallino, quod est super firmamentum. Quod etiam dicere præsumunt de beata Virgine, contra quod credendum est, quod idem est locus sanctorum Angelorum, & beatarum animarum: scilicet cœlum empyreum. Et quod idem erit corporum glorificatorum humanorum. Et similiter idem est locus spiritualis hominum beatorum, & sanctorum Angelorum.

C Octauus quod Angelus in eodem instanti potest esse in diuersis locis, & est vbique, si velit esse vbique, contra quod credendum est.

Nonus est, quod qui habet meliora naturalia, de necessitate habebit maiorem gratiam & gloriam, Contra quod asserendum est.

Decimus est, quod diabolus nunquam habuit vnde posset stare. Nec etiam Adam in statu innocentiæ. Contra quod dicendum est, quod diabolus & Adam habuerunt vnde possent stare: licet non vnde possent proficere.

Assertiones oppositæ erroribus.

1. Firmiter credendum est, & nullatenus dubitandum, quod Deus in substantia, essentia vel natura, videbitur ab Angelis sanctis, & animabus glorificatis.

2. Item quod vna est essentia substantialis, vel natura in Patre & Filio & Spiritu sancto. Et eadem essentia in ratione formæ, in Patre & Filio & Spiritu sancto.

3. Item quod Spiritus sanctus, prout est nexus & amor, procedit ab vtroque, scilicet Patre & Filio. D

4. Item quod vna sola veritas fuit ab æterno, quæ est Deus. Et quod nulla veritas fuit ab æterno, quæ non sit illa veritas.

5. Item quod primum nunc, & creatio, passio est creatura.

6. Item quod malus Angelus aliquando fuit bonus, & non malus, & post peccando est malus.

7. Item quod idem est locus corporis, scilicet empyreum cœlum sanctorum Angelorum & beatarum animarum: & idem erit corporum humanorum glorificatorum, & similiter idem est locus spiritualis sanctorum Angelorum, & hominum bonorum.

8. Item quod Angelus est in loco per distinctiones. Ita quod si est hic, non est ibi in eodem instanti. Impossibile est enim eum in eodem instanti esse vbique, cum hoc sit proprium Dei.

9. Item quod secundum quod præordinatum est & prædestinatum à Deo, dabitur gratia & gloria. E

10. Item quod malus Angelus & Adam habuerunt vnde possent stare, & si non vnde possent proficere.

FRATRIS GVILLIELMI MORITÆ, POSTMODVM CONSTANTIENSIS Episcopi, errorum & Palinodiæ breuiculum.



Tem eodem anno, quo cantabatur Lætare Ierusalem, millesimo ducentesimo septuagesimo, Guillielmus postmodū Constantiensis Episcopus, in sermone B. Ioannis Baptistæ, in domo Minorum Parisius prædicauit, quod liberum arbitrium habet potentiam naturalem ad recipiendum gratiam non effectiuam aliquo modo. Quod falsum est: quia nolens non recipiet eam. F

Secundo, quod qui damnatus nunquam fuit in gratia, sed semper Ismael aut Iudas fuit, & nunquam Ioannes. Quod est contra fidem, Baptizati enim habent gratiam. De qua reprehensus publice in sequenti die Apostolorum Petri & Pauli, publice retractauit. Pax & gratia omnibus asserentibus hanc veritatem. Data fuit hæc sententia Parisius, Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, in Octauis Epiphaniæ.

R.P.D. STEPHANI PARISIENSIS EPISCOPI, DE QVORVNDAM ERRORVM librorum damnatione, rescriptum.

Vniuersis præsentes literas inspecturis, Stephanus, permissione diuina Parisiensis Ecclesiæ minister indignus, Salutem in filio Virginis glorioso. H



Agnarum & personarum grauium crebra, zeloq; fidei accensa insinuauit relatio, quod nonnulli Parisius studentes in artibus, propriæ facultatis limites transcendentes quosdam manifestos & execrabiles errores, imo potius vanitates & insanias in rotulo, seu cedulis his annexo, seu annexis contentos, quasi dubitabiles in scholis tractare & disputare præsumunt, non attendentes illud Gregorij: Qui sapienter loqui nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vanitas confundatur. Præsertim cum errores prædictos gentilium scripturis inueniunt, quos, proh pudor, ad suam imperitiam asserunt, sic cogentes, vt eis nesciant respondere. Non autem quod sic asserere innuunt, videantur responsiones esse, & ita palliant, quod dum cupiunt vitare scyllam, incidunt charibdim. Dicunt enim ea esse vera & vera secundum Philosophum, sed non secundum fidem catholicam, quasi sint duæ veritates contrariæ & quasi contra veritatem sacræ Scripturæ G
sit veritas in dictis Gentilium damnatorum. De quibus scriptum est: Perdam sapientiam sapientum: quia vera sapientia perdet falsam sapientiam. Vtinam tales attenderent dictum Sapientis, seu consilium, dicentis: Si tibi est intellectus, responde proximo tuo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris. Ne igitur in tantum locutio trahat simplices in errorem, nos tam doctorum sacræ Theologiæ, quam aliorum communicato consilio districtè talia fieri & consilia prohibemus, & ea totaliter condemnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores dogmatizauerint, vel aliquem de ijsdem dogmatizare, aut defendere, vel sustinere præsumpserint quoquo modo, & audientes eorum, nisi infra septem dies nobis vel Cancellario Parisiensi duxerint reuelandum. Nibilominus processuri ad pœnas contra eos pro qualitate culpæ, prout ius dictaue-

rit infligendas. Librum etiam de amore, siue de Deo amoris, qui sic incipit: Cogit me multum, &c. & sic terminatur: Caue igitur Galtere amoris exercere mandata, &cæt. Item etiam librum Geomantiæ, qui sic incipit: Æstimauerunt in di. & c. & sic terminatur: Rationare igitur super eum, & sic inuenies, &cæt. Item libros & rotulos & quaternos nigromanticos, aut continentes experientia sortis legiorum, inuocationes dæmonum, seu coniurationes in periculum animarum: seu in quibus de talibus & similibus fidei orthodoxæ, & bonis moribus aut operibus euidenter aduersantibus tractant, per eandem sententiam nostram condemnamus. Et omnes qui dictos rotulos libros, quaternos dogmatizauerint & audierint, nisi infra septem dies nobis vel Cancellario Parisiensi reuelauerint, eo modo quo superius est expressum. In his scriptis sententiam ferentes ad alias pœnas, prout grauitas culpæ exiget nihilominus processuri. Datum anno Domini mellesimo ducentesimo septuagesimo septimo, die Dominica, qua cantatur, Lætare Ierusalem, in curia Parisiensi.

R.P.D. STEPHANI PARISIENSIS EPISCOPI, VARIORVM CONTRA FIDEM articulorum damnatio.

Isti sunt errores condemnati & excommunicati cum omnibus, qui eos scienter docuerint, vel asseruerint, à Domino Stephano Parisiensi Episcopo, Anno Domini 1270. Die Mercurij ante festum beati Nicolai hiemalis.

PRimus articulus est, quod intellectus omnium hominum est vnus & idem numero. Secundus est, quod illa falsa vel propria, homo intelligit. Tertius est, quod voluntas hominis ex necessitate vult, vel eligit. Quartus quod omnia, quæ in inferioribus aguntur, subsunt necessitati corporum & supercœlestium. Quintus, quod mundus est æternus. Sextus, quod nunquam fuit primus homo. Septimus, quod anima quæ est forma hominis, secundum quod homo; corrumpitur corrupto corpore. Octauus quod anima separata post mortem non patitur ab igne corporeo. Nonus quod liberum arbitrium est potentia passiua, non actiua. Et quod necessitate mouetur ab appetibili. Decimus quod Deus non cognoscit singularia. Vndecimus quod Deus non cognoscit aliud à se. Duodecimus quod humani actus, non reguntur prouidentia diuina. Decimus tertius, quod Deus non potest dare immortalitatem, vel incorruptionem rei corruptibili vel mortali.

FRVCTVOSA VRBANI QVARTI P. MAXIMI EXPOSITIO SIVE METAphrasis in Psalmum quinquagesimum.

FOrtissime Deus spirituum vniuersæ carnis: qui vinci non potes quia es omnipotens, & rex potens; falli non potes quia sapiens es, scrutans corda & renes Deus; corrumpi non potes quia iustus Dominus & semper iustitias dilexisti: qui non parces in die vindictæ nec acquiesces cuiusquam precibus, nec recipies pro redemptione dona plurima: Ego reus & miser peccator in conspectu diuinæ maiestatis tuæ; in qua qui vere confitetur absoluitur: recognosco quia peccaui super numerum arenę Maris, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ: Incuruatus sum multo vinculo meæ ferreæ voluntatis, & non est mihi respiratio. Et quia ex indiscreto processu negotij vitæ meæ, sentio quia tua iustitia in extremo tuo iudicio manifeste debeat me grauare, ab ipsa tãquam merito mihi suspecta, ad tuam misericordiam confugio & appello. Et ne appellatione ista pendente intres in iudicium cum seruo tuo, sed potius tua misericordia me præueniat & sequatur me; & sensus & actus, cogitationes, affectiones, & opera mea, protectioni eius supponens; ipsam misericordiam postulans, & iudicium non requirens, corde compunctus humiliter tibi dico.

Miserere. Quia tempus est miserendi, non iudicandi, qui dixisti in Euangelio tuo sancto quod non venisti vt iudices Mundum, sed vt saluifices Mundum. Et in tua pietate cõfido quod appellationi meæ deferre debeas; quam ego (qui tremens factus sum & timeo à tua iustitia) tanquam ab inferiori ad superiorem sedem tuæ misericordiæ interpono, sciens quod misericordia superexaltat iudicium & quod misericordia tua est super omnia tua opera constituta: Ideoque appellationi meæ est à te merito deferendum. Nec indigneris contra me clementia tua, Deus, si videns animæ meæ periculum imminere à te irato ad te placatum ausus sum taliter appellare, cum æquo animo tuleris vt Apostolus tuus Paulus timens ne à Festo præside corporaliter grauaretur, Cæsarem appellaret. Adeo igitur cum fiducia, gratiæ tuæ thronum vt misericordiam consequar, & gratiam inueniam in auxilio opportuno. Et quia miser sum & miserabilis, ideo gemens spiritu iterum tibi dico.

Miserere. Est enim tua misericordia, miserorum chorda qua de lacu fecis & miseriæ extrahuntur. Quia igitur soluendo non sum passionis condigne ad futuram gloriam quam expecto: Et tua misericordia, non meritum sed solam miseriam intuetur: de profundis fluctibus interioris & exterioris miseriæ quib⁹ imago Dei atteritur in meipso, ad misericordiam tuam clamo lachrymabiliter tibi dicẽs.

Miserere mei. Subticeo nomẽ meum: nam si illud tibi dixero, per id me forsitan non agnosces eo quod post recuperatam alias sicut spero innocentiam baptismalem, ab illa dulci familiaritate tua me elongaui nimium imprudenter in qua, quando in montem orationis ad te olim aliquando ascendebam; tecum quasi amicus cum amico familiariter locuturus: me pluries dulciter recipere voluisti: & tunc me ipsum cum Moyse *ex nomine* cognoscebas. Et gaudebam in te cum aliis seruis tuis quorum scripta nomina sunt in cœlis: Et erat, coram te, honorabile nomen meum. Nunc autem quoniam peccata nomẽ meum de libro viuentium deleuerunt, & cum iustis non est scriptum; ideo illud non audeo nominare vel ad tuam memoriam reuocare: sicut ille vir beatus quem inuenisti virum secundum cor tuum, qui & nomen suum & suam mãsuetudinem tuæ beatæ memoriæ fiducialiter commendabat. *Memento Domine, Dauid & omnis mansuetudinis eius.* Non enim tibi blandiens siue mihi, audeo dicere sicut ille: Da imperium puero tuo, siue seruo tuo, vel filio ancillæ tuæ: Quia hæc familiaritatis nomina, me reum rogantem, amplius accusarent. Sed appellationem meam prosequens tactus dolore cordis intrinsecus, eo quod suam iracũdiam contra me excitaui, suspirans iterum tibi dico.

Miserere mei Deus. Non audeo dicere; meus: solum modo te Deum agnosco, sed meum dicere non præsumo. Nam cum esses mihi puer natus, & paruulus Dei filius mihi datus: Datus inquam à Patre, qui sic dilexit Mundum vt te Vnigenitum suum daret. Datus à matre, quæ quasi altera mulier Samaritana, vt aleret nos in fame, in igne passionis te filium suum coxit: & in Sacramento Altaris ad comedendum nobis dedit. Datus insuper à teipso qui dedisti temetipsum pro nobis vt nos ab omni iniquitate redimeres & mundares. Cum inquam sic esses ab omnibus quorum intererat, mihi datus; & ideo proprie proprius Deus meus: Ego infelix propter peccata mea te perdidi: nam te illum esse veraciter recognosco qui conquerendo de me & aliis peccatoribus dicis; *Me expectauerunt peccatores vt perderent me.* Et si te perdidi, omnia perdidi, atque etiam memetipsum: sed tu Deus qui à me imprudenter factus es tanquam vas perditum; & qui à dolente Matre tua, quæ te in templo perdiderat, inueniri per tuam magnam misericordiam misericorditer

permi-

A rem animæ quam requiro, vsque ad lauactum pedum Discipulorum tuorum tuam altitudinem inclinasti; laua me vt in æternum habeam partem tecum; laua non solum pedes affectuũ meorum, sed etiam & manus operũ & caput sensuum. Et quoniam anima mea vilis facta est, iterãs pessimas vias suas; laua à malitia cor ipsius, vt in eo cogitationes noxiæ non morentur: laua lachrymarum lixiuio calido & amaro, per singulas noctes, cõscientiæ meæ stratum: laua pedes interioris mei hominis, butiro deuotionis laua & renoua Sacramentis. Et quia aliqua aliquando sic lauantur, quod post ablutionem adhuc impura remanent & immunda, ideo sic laua vt mundes.

Et à peccato meo munda me: Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? O benignissime medice Iesu bone qui solo verbo restauras vniuersa: scio & vere scio, & hoc ipsum tuæ bonitati confiteor, quoniam si vis, potes me mundare: ergo bone Deus, bone homo, bone Domine, per misericordiã tuam magnam dic animæ meæ, multorum peccatorum lepra infectæ, dic, *volo, mundare*: Et vt hic sanari valeam & mundari, hic vre, hic seca, hic fiat expiatio mei, hic emundatio
B mei; vt cum in tuo districto examine aream tuam ventilare veneris & mundare animam meam, pœnitentiæ veræ scopis mundatam inuenias & ornatam. Interim autem non parcam ori meo; sed ibo & sacerdotibus me ostendam quatenus fiat & mihi vt dum iuero sim mundatus: sed quia animæ meæ lepram non possum vere ostendere sacerdoti nisi prius eam tibi ostendero, vel tu mihi; ideo tibi summo & æterno sacerdoti, veraciter me ostendo.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Cognosco Domine iniquitatem meam: sed ex parte cognosco, & non sicut tu cognoscis eam; neque sicut ego cognitus sum à te cuius oculi sunt multo lucidiores Sole, circumspicientes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes. Cor autem meum paruum est & inscrutabile, nec ego ipse cognosco illud: sed tu Domine qui cognouisti figmentum nostrum; & intueris abyssos, intueris &
C cognoscis illud, & iniquitatem meam quæ in eo est, & sicuti est. Quam si ego ita nude & aperte cognouissem, sicut & tu, ante cuius oculos omnia nuda sunt & aperta; certe erumperent lachrymæ de venis intimis cordis mei, & continere non possem quin super meipsum flerem ne tu DEVS patientiæ & solatij iterum super me fleres. Qui olim in diebus carnis tuæ, sub figura illius materialis Ierusalem, vidisti Ciuitatem animæ meæ, & cognoscens iniquitatem meam compatiendo fleuisti super eam dicens:
Luc.19. *Quia si cognouisses & tu* iniquitatem meam fleres: adijciens quamdiu super me flere deberem, cum mihi subsequenter dixisti: *Et quidem in hac die* præsentis vitæ in qua facis pro voluntate tua non mea: & quæris *quæ ad pacem* sunt *tibi* non mihi. O sermo qui veritas es; quam in veritate rimaris intime intima cordis mei. Et vere si cognouissem sicut
Matth.7. & tu, peterem à (à quo, omnis qui digne *petit, accipit*) vt aperirentur catharactæ capitis mei, & diluuium lachrymarum meatum faceres abundare, ita vt anima mea tota esset lachrymis liquefacta, & iniquitas mea (quæ repleuit cordis & corporis mei terram) in hoc diluuio deleretur.
D *Nunc autem abscondita sunt* mala mea *ab oculis* meis, & *non*
Psalm. 39. *potui vt viderem*; quia venerunt dies in me; quos tu (qui aperuisti ora omnium Prophetarum) prophetice prædixisti. Nam circumdederunt me inimici mei spirituales, vallo occupationum mundanarum lacerantium mentem meam; ita quod non permittunt me exterius egredi ad vtilem actionem, nec interius ad contemplationem. Circumdederunt me (inquam) & coangustauerunt me vndique tot angustiis & pressuris quod angustatum est & arctatum à Deo conscientiæ meæ stratum, vt necesse sit vt alter decidat: videlicet vel tu Deus qui es legitimus animæ meæ sponsus, vel adulter Mundus quem ego iuxta te in idem cubiculum introduxi, quamuis scirem te Dominum zelotem: vt cum ipso in oculis tuis (O nimium audacem & impudentem peccatorem!) fornicaret. Et ad terram prostraui me per amorem terrenorum; & filios meos cogitationum, & affectionum quæ in

E me sunt; ita vt possim merito deplorare illud carmen lamentabile Hieremiæ, *Effusum est in terra iecur meum*: & cum Thren.2.
deberem esse quasi lapis in aceruo testimonij positus Gen.31.
iuxta viam, vt eam per exemplum viatoribus demonstrarem, non remansit in me lapis boni exempli super lapidem fortitudinis vel virtutis Et hæc omnia mala in me pariter confluxerunt eo quod non cognoui (tibi debitas gratias referendo) tempus visitationis meæ quando tu Oriens ex alto, me (carnem assumendo) vtiliter, & mentem illuminando, delectabiliter visitasti, *& visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Iob.10. Et ex illo tantillo spiritu quem in me tua visitatio reseruauit: cognosco iniquitatem meam, vt tu Deus qui solus peccata remittis eam mihi ignoscas.

Et peccatum meum contra me est semper. O possessor cœli & terræ! tu scis quod ego in mea didici iuuentute quod meum & tuum sunt pronomina possessiua; vnde si meum est peccatum, vt meum possideo peccatum meum. Sed heu quam misera possessio peccati mei, quæ suum facit miserum possessorem! O peccatum meum! quomodo sustinui, quomodo siui, quomodo dissimulaui vt tu me potius possideres? Non enim sic meum es peccatum meum: sicut mea est, cappa mea: neque ita te possideo, quomodo possideo cappam meam cuius possessionem & proprietatem omnino possum à me excutere vna vice.

Non leue est, nec omnino illepidũ quod hic dicit de pronominibus possessiuis.

F

Infelicissime possidetur peccatum.

Te enim non sic, sed ita à me infeliciter possideris, vt derelictum à me animam meam non velis desinere possidere; Sed nihilominus si consentiatur tibi, eam quæris: sequeris, & persequeris etiam per angustissimam portam mortis, vt ipsam tradas flammis & cruciatibus sempiternis. Quomodo meum es, peccatum meum, nisi quia te feci? & ideo meum es, sicut factura est factoris. Heu horribile & abominabile factum meum! peccatum meum quare te feci? Quare per te animam meam interfeci? Quare eam de tam mortifero veneno interfeci? Quæ insania me ducebat? Quæ furia cogebat? Sciebam enim quod *stipendia peccati mors*. Sciebam quod peccatum quod Rom.6.
consummatum fuerit, generat mortem: & non solum mo- Iac.1.
G mentaneam corporis huius mortem, quæ per peccatum intrauit in Mundum; sed etiam mortem animæ, per substractionem vitæ gratiæ in præsentia priuationem gloriæ, & obligationem pœnæ perpetuæ in futuro. Et hoc ipsum didiceram te docente; *quia anima quæ peccauerit, morietur*. Ezech.18. O vita æterna! statue contra faciem animæ meæ, mortem illam æternam qua moritur immortalis anima per peccatum; vt ipsa anima mea coram se semper videat, & fugiat quasi à facie colubri, mortem illam. Audiui enim à quodam familiari amico tuo cui tu (Deus meus qui reuelas condensa) diuturnitatem & acerbitatem reuelaueras huius mortis; quæ hæc est mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia mors illa semper viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit: hæc est *mors* Psalm.33.
peccatorum pessima. De hac morte, misericordissime tu di- Ezech.22.
xisti? *Nolo mortem peccatoris*: Sed heu! ego & alij miseri peccatores, contra voluntatem tuam volumus propriam mortem nostram. Tu autem Deus meus qui *mortem* animę Sap.1.
non fecisti: vidisti & *siluisti* quandiu *post tergum* meum *omnia peccata mea* proieci ne viderem illa & pœnitetem de
H illis. Nunc autem omnipotentissime, peccatum meum & sequela peccati mei quæ est mors æterna, contra me est semper: & super hoc tibi (gratiarum optimo largitori) refero grates multas, quia non *posui me* amplius *contrarium tibi*, sed peccato meo. Iob.7. Quod quamdiu mecum fuit, contra me non fuit: *Nunc autem* quia *non est mecum, contra me est semper*, & ego volo esse in perpetuum contra illud: quia quando illud feci, *Tibi soli peccaui*: Quia tu solus es sine peccato: etsi dixeris toti Mundo, *vt qui sine peccato est* Matth.22.
primus me arguat de peccato, & primus *lapidem* in me *mittat*. Tu Iesu bone qui peccatum non fecisti, *nec inuentus est dolus in ore tuo*, Ioan.8. solus me potes arguere de peccato: & vniuersis, vno post alium exeuntibus, tu solus DEVS meus, Dominus meus, sine peccato in medio remanebis; & solus me potes de peccato soluere & damnare. Et si me condemnaueris, nemo poterit me condemnare quia *Tibi soli peccaui*, *Et malum coram te feci*. Heu heu mihi

Domine

A Domine! heu mihi! quia quando malum feci; de me (quem tu, qui solus bonus es, bonum in baptismo feceras) malum feci. Nunc autem timor & tremor venerunt super me quia audiui tuam veritatem in Ecclesia exclamantem quod malos male perdes: inter quos, nec mihi parces, nisi placabilis fueris super malitia mea Deus. Exaudi ergo Domine, placare Domine: attende & fac mecum misericordiam tuam magnam, quia, & quando coram te malum feci; nimium audax fui qui feci coram te quod coram hominibus non fecissem. Illi autem, Domine Deus meus, in quibus coram te iustitia inuenitur; Lætabuntur *coram te sicut qui lætantur in messe*. Sed ego iniustus qui *coram hominibus iustitiam* meam, & malum coram te feci, nunc de malis coram te erubesco. Parce igitur mihi Deus meus: parce mihi, amarissimos gemitus pœnitentiæ, & profunda suspiria ab imo pectore proferenti: vt tu qui dixisti per Spiritum sanctum tuum; *In quacunque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius quas operatus est amplius non recordabor; iustificeris*: Et iustus & verax, sicut es, inueniaris. *In sermonibus tuis*, quia sermo tuus veritas est; ac eos mendaces ostendes qui dicunt quod mihi ingemiscenti nō parces. *Et (eos) vincas cum* ab ipsis tu, (cui proprium est misereri semper & parcere) immisericors *iudicaris*. Cōsidera misericors Deus substantiam infirmitatis & paupertatis meæ & ostende super me magnitudinem pietatis tuæ, & in immensum misericordiæ tuæ pelagus me attolle, & tua benigna clementia omnia mea peccata remitte, quæ mihi ex Originali peccato adhæserunt, aut ex prauitatibus meis postea supercreuerunt: & ab his, Domine, me clementer emunda, & omnibus parentibus meis concede gaudia sempiterna. *Ecce enim in iniquitatibus* Originalibus & Actualibus; *Conceptus sum*: Ne intelligas, Deus meus qui gallo intelligentiam contulisti; quod ego intelligam dicere in parentum meorum Originalibus, & Actualibus me conceptum, cum credam quod & eorum Originalia deleueris in Baptismo, & ipsorum Actualia mihi tu Domine iuste iudex imputare non velis, nisi ipsorum actualium fuero imitator, quoniam tu dixisti *quod iniquitatem patris filius non portaret*. Sed hæc est intentio mea, Deus, in iniquitatibus Originalibus & Actualibus me conceptum: hoc est; in illa Lege nostræ originis vitiosa, in qua omnes corrumpimur & nascimur in vtero & ex vtero Filij iræ tuæ, atque per traducem, libidinosa carnis concupiscentia, etiam antequam peccemus actualiter, constituimur peccatores & ad actualia proniores. Sed cum non sit nisi vnum & solum Originale peccatum quod à parētibus trahitur; pro quo, non baptisati paruuli damnabuntur: non me velis Domine arguere in furore si plurali numero vsus sum in hac parte dicendo, quod in iniquitatibus Originalibus & Actualibus sum conceptus: cum dixerim hoc, pro eo quod illud vnum Originale peccatum plures habet effectus; & quia in illo vno Originali peccato intelligi plura possunt, si (quasi per membra) singula diuidantur. Et maxime quia in hoc plurali numero intelligo, sicut & tu ipse Deus intelligis singularem eum Angelus tuus in somnis apparuit Ioseph dicens, *Tolle puerum & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt qui quærebant animam pueri. Defuncti*, pluraliter dixisti per Angelum, non defunctus, quamuis intelligeres singulariter de Herode qui tunc solus quærebat te puerum, ad perdendum. Sed & Moyses dum staret in confractione in conspectu tuo vt auerteret iram tuam, designauit in plurali numero singularitatem cum dixit; *peccauit populus iste peccatum maximum*, feceruntque sibi Deos aureos; licet vnum solum Vitulum conflauissent. De quo etiam Vitulo singulari, pluraliter addiderunt: *isti sunt dij tui Israel*. Ita & ego, Domine mi colende, dicendo pluraliter, in iniquitatibus Originalibus & Actualibus me conceptum; intelligo dicere, me conceptum de illo vno in singulari Originali peccato in quo *omnes in Adam peccauerunt*; vt in materia, vel in massa. Nam in eo seminaliter omnes erant quando ipse naturam corrupit humanam, & ab illo vno homine qui omnium nostrum fuit materia & origo, & omnes concupiscentialiter descendunt; & per propagationis successionem & carnis concupiscentiam occultè illa corruptio in Posteros demigrauit.

Nimia peccatoris audacia. Isai.9.a. — *Ezech.18 f. 32.c.* — B — C — *Ezech.18 d.* — *Pluralis numerus pro singulari, frequens in Scriptura.* — D — *Quomodo omnes peccauerunt in Adam.*

E Nec tamen hoc fecit propagatio sed libido; non naturæ humanæ fœcunditas, sed libidinis fœditas quam homines habent ex illius primi iustissima tua (Deus) condemnatione peccati. Non enim quia ab Adam per carnis propagationem descendimus, ideo Originali peccato tenemur; cum & tu ipse Domine Iesu Christe qui omni peccato Originali & Actuali penitus caruisti, in medicamentum nostri vulneris sine opere concupiscentiali in sola materia corporali per diuinam conceptionis formationisque rationem descenderis ab eodem. Sed quia concepti sumus illa vitiosa Lege concipiendi nobis ex peccato Primi hominis occulte & miserabiliter accedenti, ideo Originalis peccati, ex tua iustissima (Deus) sententia rei sumus. Nam quemadmodum tu Deus omnipotens cognitor occultorum, occultissimam gratiam Spiritus sancti tui latenter infundis tuis Fidelibus & etiam paruulis in baptismo, sic & homo ille per quem hoc peccatum originale intrauit in Mundum; in se, omnes de stirpe sua venturos, occulta tabe & fœditate suæ libidinosæ concupiscentiæ adeo tabificauit quod anima à te (Deus) creando infusa corpori taliter tabefacto maculatur, polluitur, & fœdatur, sicut in vase non sincero vinum infusum licet optimum inficitur & acescit. Et in illa infusione, ipsa anima damnationis sententiam in se iustam excipiens, culpam contrahit & reatum, pœnæ perpetuæ obligatur. Et hæc recordatus sum & effudi in me coram te animam meam (Deus) vt intelligam miserabiliter in me factum quod ille primus *homo cum in honore esset*; in se, *non intellexit* à te iustissime faciendum. Tu autem Deus qui diues es in misericordia, dimittens Originalia & Actualia non propter meritum nostrum sed propter nimiam charitatem qua dilexisti nos; cum sic essemus mortui in peccatis, conuiuificasti nos per tuam gratiam in baptismo animam à vetustate culpæ mundando, reatum eius soluendo, ac ipsum à pœna perpetua liberando. Et propterea tibi Domine semper in populis confitebor. Veruntamen adhuc in carne mea (Domine) sentio incessanter etiam post baptismum, concupiscentiam illam carnis, quæ est fomes peccati, languor naturæ, tyrannus carnis, stimulus mortis, lex membrorum repugnans Legi mentis meæ & captiuans me in Lege peccati, super me tam violentum dominium exercentis quod ingemiscens sub onere isto graui necesse habeo exclamare: *Infelix ego homo* qui per me de crudeli dominio isto carnis liberari non possum: quis me liberabit de corpore mortis huius! Certe non Lex Moysi, non Prophetæ, non propriæ vires meæ, sed gratia tua Deus per Iesum Christum Dominum nostrum, quem tua (Pater) misericordia mihi dedit, vt per eum remissionem accipiam peccatorum. In hoc autem considero & suspico iustissimam condemnationis sententiam tuam, Deus, quam in Adam & in eius Posteros ratione illius inobedientiæ protulisti: quod videlicet non est aliquis si post Baptismum vixerit in hac carne, qui non ab huius hostili concupiscentia affligatur; nisi forte ineffabili miraculo ab omnipotentia tua (Deus) Lex peccati quæ est in membris, in eo penitus extinguatur; quod valde magnum priuilegium, est paucorum. Inde tamen gratias ago tibi gratiarum optimo largitori, quia etsi iste domesticus Hostis meus, hic stimulus, hic tyrannus in me maneat post Baptismum: non tamen adeo dominatur & regnat vt ante: sed per Baptismi gratiam debilitatur, minuitur, mitigatur, vt in me non valeat dominari, nisi ego in vacuum suscipiens gratiam tuam (Deus) & post concupiscentias meas vadens, restituam vires hosti; eidem, me, per consensum illicitum supponendo. Sed heu mihi misero peccatori, mi Domine metuende! cum scirem quod tu me velles spectare luctantem, iuuare deficientem, subleuare cadentem, coronare vincentem: Ecce Domine tu vidisti quoties in me insiliit subito hostis iste, impulsus ab illo cuius *halitus prunas ardere facit*: & quietem cordis mei & corporis perturbauit. Quotiens obscœnis & immundis ac vanis cogitationibus me turpiter blasphemare fecit: quotiens aduersum phalanges cordis mei mane & vespere exclamauit vt ad singulare certamen descenderem contra ipsum, vel vt pusillanimis non

F — *Psal.48.c.* — G — *Carnis concupiscentia, hostis domesticus.* — H

A mis non certaui, vel omnino solui malitiæ meæ cingulum indecenter antequam ei cederet aduersitas præliorum. Vidisti insuper (Domine ne sileas, nec propter hoc finaliter discedas à me) quomodo, cum humiliatus non mea sed tua virtute sileret & relinqueret me in pace; ego illum ipse aduersum me ad prælium excitaui; & vires reatus mei, quas in Baptismo & in prisca Pœnitentia mea perdiderat; ei reddidi: & sic coronam (væ mihi!) perdidi, quam non nisi legitime certantibus præparasti. At si recuperatis per te viribus, aliquando prædicti Hostis desideriis viciosis viriliter restiti vel restitero in futurum, eumque superaui vel superauero te iuuante: licet hostem ipsum tyrannum domesticum de carne mea in hac misera vita non possim omnino expellere, velut alterum Iebusæum: prouidisti tamen mihi ei non consentienti quod quantum ad actum tantum & non quantum ad reatum in me remanet post baptismum. Nam de tua pietate confido quod ea quæ inuitus & renitens patiens ab hoc hoste, mihi imputare nō debeas ad peccatū. Et in hoc (Deus meus) B parcendo maxime ac miserando tuam omnipotentiam manifestas: quod sicut alia mala prætereunt in nobis actu & remanent in reatu; vt homicidium, adulterium & similia: Ita è conuerso operatur in nobis mirabiliter omnipotentia tua (DEVS) vt carnalis concupiscentia cuius non consentitur desiderijs vitiosis, in Baptismo prætereat reatu, & in pœnam peccati, in nobis remaneat semper actu: & hoc est *iugum graue quod creatū est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque ad diem sepulturæ in matrē omnium*, Sub hoc iugo grauissimo ingemiscunt oēs qui eius sentiūt grauitatem. Sub quo Tobias ingemuit; ingemuit & Susanna: Sed & *omnis creatura* sub hoc iugo *ingemiscit & parturit vsque adhuc*. Ingemisco & ego sentiens in meipso quia circumdederunt me gemitus mortis, & Torrentes iniquitatis alienæ & meæ conturbauerunt me: propter quæ possum lachrymabiliter dicere cum Propheta: *Multi sunt gemitus mei & cor meum factum est in me mœrens*. Porro cum oppressus hoc iugo, aliqn̄ recogito (Deus meus) quod peccatum illud Originale in quo conceptus sum in Baptismo (tibi sit inde gratia) deleuisti: etiam gemendo ac suspirando in meipso, requiro cur pœnalitates istas quas quotidie occasione dicti Originalis peccati patior, in eodem Baptismo pariter non tulisti. Certe inter ipsas pœnalitates & pressuras fateor quod ex dispensatione maxima eas in me voluit tua admiranda prouidentia remanere; vt videlicet sagittæ tuæ (Domine) in me essent, quæ me docerent quod humiliatio mei in medio esset mei. Item vt terrores tui contra me quotidie militarent qui timorem tui mihi inferrent & amorem. Item *vt vexatio* mihi daret *intellectum* cognoscēdi quod non à nobis à te mali sumus. Item vt Adam exemplum meum ab adolescētia mea esset; & peccatum inobedientiæ meæ euitarem. Item vt sic traheres me ad te (DEVS) in funiculis Adæ, & in vinculis charitatis; vt cognoscerem quod tu Pater, me quem diligis filium sic arguis & castigas. Item vt semper haberem contra Spirituales nequitias consuetudinem præliandi, & me sacris virtutibus exercerem. Et maxime ne si liberatus fuissem ab istis pœnalitatibus in Baptismo; ego & alij homines hoc esse Baptismi pretium vel D præmium putaremus, & non gloriam regni tui. Ideoque soluto reatu ab anima; prouidentia tua (Deus) temporalem pœnam tamen in me manere voluit in hac vita, vt à me alia vita studiosius quæreretur, quæ erit à pœnis omnibus aliena. Exurge ergo Domine adiuua me: Indue me thorace iustitiæ, & accinge fortitudine lum bos meos; vt inter tot insultus hostium, in acie stem securus. Et per patentes campos humilitatis in virtute patientiæ & longanimitatis accensus, impugnantes me constanter valeam expugnare; & procacis Militiæ turbinem sapienti moderatione discutiens, innocentia vitæ & deuotæ orationis suffragio mihi continuare valeam gratiam tuam Deus. Et cum Iosue clypeum non dimittam quousque obediente te Deo, voci hominis; diem vitæ meæ protrahas ad triumphum, nec recedam ab acie donec pariar mihi congressio cœpta victoriam & coronam: alioquin quicquid ago sine te, mihi vertitur in ruinam. Nam

Eccles. 40.

Rom. 8.

Thren. 1.

Cur post Baptis C mum permaneant Originalis Peccati pœnæ.

Isa. 28.

E adhuc macula Originalis peccati teneor; & ideo (vt prædixi) existo ad Actualia magis pronus. Nec hoc dico (DEVS meus) ad excusandas excusationes quibus à te de peccatis meis possum merito accusari vel vt in parentes meos velim refundere culpam meam, cum nunquam crediderim peccatum esse si coniuges causa sobolis procreandæ carnaliter misceantur: sed vt tu (Deus) quia ea sunt in homine cognouisti, ad miserandum mei facilius inclineris si ab ipsa radice mea, me coram te confiteor peccatorem. In omnib⁹ enim trahitur iniquitas ex Adam, & vinculum peccati & propago mortis, te solo excepto [Domine Iesu Christe] qui natura mirante de sancto Spiritu es conceptus.

Et in peccatis: libidinis: *Concepit*, & aluit *Me*, in vtero, *Mater mea*. Hæc est concupiscentia libidinis, quæ peccatum est nisi per bona coniugij excusetur: & licet in vtroque Parente meo qui te [Domine] timuerunt & non me in adulterio sed in casto coniugio genuerunt, culpam nō habuerit opus illud; tamen origo peccati, in prole, secum debi- F tam pœnam traxit. Ne reminiscaris ergo Domine peccata mea vel parentum meorum, neque sumas vltionem de peccatis meis si de me peccatore, tibi [qui omnia scis] totam quam scio profiteor veritatem, quia veritas es non fallens, via non errans vita non deficiens. O vera charitas & chara veritas, qui in hoc natus es & ad hoc venisti in Mundum vt perhibeas testimonium veritati: in veritate tua exaudi me & in tua iustitia! Et quia scio quod tu iudicabis populos in veritate, & perdes omnes qui loquuntur mendacium; ideo prius hic in veritate coram te dijudico memetipsum: vt cum Deus meus, tempus acceperis & ipsas ipsas iustitias iudicabis; non in iudicium cum seruo tuo, cui tamen [tibi sit inde gratiarum actio & vox laudis] manifestasti veritatem beatæ incarnationis tuæ, quæ adhue per sapientiam Infidelibus incerta est & occulta; & veritatem remissionis peccatorum meorum, de qua similiter incertū est & occultum, cuius misereri velis & quem volueris iudicare. Et tamen hæc duo. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi*. Primum per fidem, tanquam per G alios Esaiam & Gabrielem testes mirabiliter concordantes, & dicentes mihi.

Ecce concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Secundū, per spem quasi per alterū Natham Prophetam dicentem mihi vt Dauidi veraciter pœnitenti: *transtulit à te Dominus peccatum tuum & non morieris*. Et si dixi corde contrito & humili, cōfiteor, tu propitius remisisti: & quia in sermone tuo manere volo & vere discipulus esse tuus, ideo te manifestante cognoui hanc duplicem, & in sapientia tua à sæculis absconditam veritatem. Tu autem Deus qui superbis resistis & humilibus das gratiam in præsenti, & cuius gloria humilem spem suscipiet in futuro; ex quo confidenter mihi tua prædicta occulta & abscondita reuelasti, confido quod hoc donum tuum semiplenum non relinques: Sed, *Asperges me Domine hyssopo*. Sancti tui [Domine] per quos nobis tuas etiam parabolas edisserere voluisti, dicunt nobis quod ysopus est herba humilis & medicinalis; cuius radix petræ dicitur adhærere & pulmones inflatos reprimere & purgare & ideo quando hic locutus es [Domine] de yssopo, de humilitate intelligis nobis loqui, quæ in consideratione sui est modica illa virtus quæ H in conspectu tuo & totius cœlestis Curiæ maxima reputatur. Cui tu [Deus] summus medicus magnam contulisti contra tumorem superbiæ medicinam; quando tu [qui de excelso gloriæ tuæ throno humilia respicis & ponis humiles in sublimi] cū esses immēsus & excelsus, inclinasti cœlos & descendisti in terram formam serui accipiens vt humilitatis exemplum humano generi exhiberes: & esset medicina tumoris in homine, humilitas tua Christe. Vbi enim [Domine] tua se exinaniuit maiestas, indignum est vt vento superbiæ infletur vermiculus & tumescat. Quid enim magis mirandum; quid amplius detestandum, quid grauius puniendum quam quod videns Dei Filium summum in regno cœlorum, nouissimum factum in regno hominum: *& apponat adhuc magnificare se homo super terram*? O Magister & Domine [& benedicimus] tunc nobis humilitatis tuæ librum & magisterium ostendisti, cum

Isa. 7. Matth. 1.

2. Reg. 12.

Psal. 9.

A lectionem illam, nobis, memoriæ perpetuæ commendandam, legiſt dicens: Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* O humilis celſitudo, quam vere, ſi voluiſſes dicere potuiſſes; diſcite à me, fabricari Auroram & Solem vel totam fabricam huius Mundi, ſiue diſcite à me triduanos mortuos ſuſcitare! Sed quia potentior eſt ſolidiſſima humilitas quam ventoſiſſima celſitudo: idcirco tu humilitatis Doctor egregius potius dicere voluiſti; *diſcite à me* naſcente, moriente, prædicante, miracula faciente; *quia mitis ſum & humilis corde.* O ſi cordis mei intima aſpergeres hac yſopo, certe tibi qui es firmiſſima petra Chriſte, toto corde radicatus adhærerem, ita quod vnus ſpiritus eſſem tecum, & præ gaudio exclamarem quod tibi Domino Deo meo bonum eſt adhærere. Et quoniam hæc yſopus eſt inflatis omnibus nobis opus: idcirco te, cui humilium & manſuetorum ſemper placuit deprecatio; deprecor humiliter & deuote vt me interius & exterius digneris aſpergere hac yſopo: *& mundabor.* Ac penitus emunbabor Pſalm. 18. *à delicto maximo*; quod eſt ſuperbia. Quæ inter magna, non B ſolum maius ſed primum & maximum eſt delictum. Et poſt hanc emundationem *Lauabis me:* Per gratiam tuam ſanctam in Baptiſmo ſanguinis animæ meæ, per pœnitentiam renouando quem in Baptiſmo fluminis & flaminis Baptiſmus fluminis & flaminis. (tibi ſit inde laus & iubilatio) iam lauaſti. *Et ſuper niuem dealbabor.* Ex hoc audeo dicere confidenter quia Domine tu dixiſti; Iſa. 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum* ſanguinea, *quaſi nix dealbabuntur* in pœnitentia: Et ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, ſicut lana alba erunt: & ſic opera ſanguinis in veſte tua (Domine) miſericorditer mutabuntur: ita quod de me, cum aliis ſanctis tuis quibus quaſi præclara veſte in gloria veſtiris; facies veſtem tuam, quam dealbatam mirabiliter deſignaſti cum in transfiguratione Marc 9. *veſtimenta tua facta ſunt alba ſicut nix, qualia non poſſet fullo facere ſuper terram.* Matth. 25. Et, ſi me cum illis qui viderunt te nudum & veſtierunt, vnquam permiſeris illam Lætabundam vocem tuam audire: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum quod vobis datum eſt ab origine Mundi*: *Auditui meo dabis* C *gaudium & lætitiam.* O vox exultationis & ſalutis, quæ audientibus te dabis in Chriſto lætitiam ſempiternam; ſona in auribus meis! Tu es enim vox valde dulcis, & facies ſonantis decora. Sona altiſonans, vt ſic auditu auris andiam te; vt oculus meus videat te, quem videre, idem eſt quod habere. Interim autem præ reuerentia tua (Deus) audiam tacens quod in me loquetur ſpiritus Pſalm. 84. tuus ſanctus, quoniam in me iam non *loquitur* niſi *pacem*, quantumcumque inquietet & perſtrepat foris Mundus: & audiendo, quædam in cor meum veritas indicibilis ſtillabit quæ (ſi tu non es) neſcio quid ſit. O ſecretiſſime animæ meæ Sponſe, fac me audire interius in ſilentio vocem iſtam, vt quaſi amicus Sponſi ſtem & non cadam per multiloquium & gaudio gaudeam propter vocem Sponſi, ita quod anima mea quæ adhuc eſt quaſi nix in monte ſuperbiæ congelata ad calorem tui eloquij quod Pſalm. 118. vehementer *ignitum* eſt, liquefacta in vallem humilitatis celeriter & hilariter condeſcendat: *Et exultabunt oſſa humiliata.* Oſſa animæ meæ (Domine) ſunt virtutes, quibus ipſa interius, ſicut corpus exterius oſſibus, ſupportatur; D vt ſtare poſſit ante te ſupra pedes affectuum ne labatur. Tu autem (Deus qui omnia noſti) ſcis; & ego, nec volo tibi nec valeo deffiteri, quod hæc animæ meæ oſſa pluties diſſipaſti quæ placere hominibus quæſierunt; adeo quod medulla deuotionis, à qua totum recipiunt robur ſuum, arida eſt & ſicca, ita vt poſſim dicere cum Propheta: Pſalm. 101. *Oſſa mea ſicut cremium arueruunt.* Sed quia tu es DEVS virtutum; cuius *os* (vel virtus) in Cruce non fuit, confractis aliorum duorum oſſibus, comminutum: Idcirco ſupplico tuæ ineffabili pietati vt de excelſo, ignem amoris tui in oſſibus meis mittas; quia tibi ſoli deſidero, beneplacitis actibus de cætero complacere: vt *holocauſta* Pſalm. 65. *tibi offeram medullata*: & ſic prædicta animæ meæ *oſſa hu-* Pſalm. 50. *miliata* per aſperſionem yſopi & gaudium vocis tuæ auditui mandatum, in te Domine *exultabunt* gaudio magno valde. Et ne hæc exultatio de cætero in triſtitiam conuertatur;

Auerte faciem tuam à peccatis meis. Hactenus mentionem tibi feci Domino Deo meo, de vna iniquitate & de vno E peccato meo quod eſt ſuperbia & arrogantia mea magna: de qua timeo mihi valde, attendens quod nec ſuperbientibus Angelis pepercisti, ſed illum Cherub qui erat *ſignaculum ſimilitudinis*, Ezech. 28. plenus ſapientia & perfectus decore, propter ſuperbiam de delitiis Paradiſi ad inferos detraxiſti. Idcirco à te Domine perij tam inſtanter vt hanc iniquitatem & peccatum meum deleres; lauares, mundares; quia maculam valde hærentem in anima mea fecit. Nunc autem quia intelligo quod ex hoc peccato meo, tanquam à quadam virulenta radice, multa in me peccata & iniquitates aliæ pullularunt, cum ſuperbia fundamentum & *initium* ſit *omnis peccati*, & Angelum & homi- 1. Tim. 6. nem apoſtatare à te fecerit nimium imprudenter: Ideo imploro humiliter tuam Deus ineffabilem pietatem ne lætitia & exultatio quas auditui meo & humiliatis oſſibus meis infudiſti, in lamentum vel vocem flentium conuertatur. Auerte faciem tuam non ſolum ab illo peccato meo ſuperbiæ, ſed etiam ab omnibus peccatis meis: Ita F tamen quod à me tuam faciem non auertas; qui in hac vita volo quærere tuam faciem, hoc eſt iucundam præſentiam tuam, ſemper. Scio enim Domine quod tua facies in iubilo contemplatur; &, ſi eam mihi oſtenderis, ſaluus ero: *auertente autem te faciem tuam* à me, inconſolabiliter Pſalm. 29. conturbabor. Ne auertas igitur Deus meus faciem tuam à me, ſed *à peccatis meis.* Et auertas, ne animaduertendo in me punias me pro illis; à quibus auerſus ſum, & quæ ego habeo, & habebo de cætero (te iuuante) ad te faciem tuam.

Et omnes iniquitates meas dele, De notitia tua (DEVS) & radicem, & progeniem, & germen, ſicut omnino deleſti *memoriam Amalec de ſub cœlo.* Et deletis meis iniquitatibus & peccatis, *Cor mundum crea in me DEVS.* O DEVS cordis mei, qui intellectum das paruulis, da mihi intus legere in meipſo quid peto quando peto vt *cor mundum* crees in me DEVS; Ne, ſi petiero quod ignoto, dicas mihi quod dixiſti matri filiorum & filiis Zebedæi, *Neſcitis quid petatis.* Ecce enim cœli non ſunt mundi in G conſpectu tuo & *in Angelis* tuis reperis prauitatem, quanto minus homo putredo, & filius eius vermis poterit dicere, *mundum eſt cor meum*? Et non oportet me habere cor & illud mundum, antequam videam te quem ſoli viri cordati videbunt qui fuerint mundo corde. Nunc autem, Lux intelligibilis (cuius *inuiſibilia per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur* (intelligo, te magiſtro intimo in ſchola mei pectoris intime me docente; quod ſicut corpus meum, vitam, ſaporem, gaudium & dolorem habet à carneo corde meo; quo ſeparato ab ipſo corpore, priuatur iis omnibus ipſum corpus: Sic (imo veracius atque viuacius) tu es cor & vita animæ meæ, DEVS. Qui quandiu ipſam inhabitas, vita gratiæ tuæ viuit, guſtat ſpiritualiter dulcia & amara: nam ei dulceſcunt cœleſtia & virtutes, & terrena ac vitia, ſunt amara. Et etiam, quaſi vnum myſtici corporis tui membrum ſi proſperitate membrorum aliud gloriatur, congaudet: Et, ſi aduerſitatem patitur, quodam compaſſionis participio moleſtatur & dolet. Et ſic animam meam ſentio cor habere. H Cum autem propter iniquitates meas, ab anima mea fueris ſeparatus; tunc nec vitam, nec ſaporem, nec gaudium, nec dolorem ſentit vel habet ſuper aliquo de præmiſſis; ſed velut mortua, ſine corde in loculo corporis ſui iacet, & tunc vere poteſt dicere cum Propheta. *Cor mundum dereliquit me*: Et quod *facta eſt quaſi columba ſeducta non habens cor*; Nam & vere miſerabiliter ſeductus eſt omnis homo qui propter tanti & talis cordis inopiam, animam ſuam perdit. Nam hoc eſt pro nihilo; hoc eſt pro peccato quod nihil eſt; pro quo nihilo perit cor impij peccatoris. Et, heu mihi Domine Deus meus ſine te per quem omnia facta ſunt, à me factum eſt, iſtud nihil; & pro iſto nihilo perij & *ad nihilum redactus ſum & neſciui.* Sed tu creator omnium rerum Deus qui de nihilo cuncta creaſti: cor mundum crea in anima mea Deus: ad ipſam in miſericordiis reuertendo, ſuſpirantem, & clamantem ad te *velociter exaudi me Domine defecit ſpiritus meus.* Ne auertas ergo autem tuam à ſingultu meo, ſed propter temetipſum Deus & propter

A propter nomen sanctum tuum, reuertere ad animam meam vt viuat: tu es enim propriè proprium cor ipsius & vita. Ergo misericordissime, secretissime, intime, qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis; qui promisisti quod dares nobis *cor nouum*, & spiritum nouum poneres in medio nostri si rediremus ad cor, & plantares nos in corde tuo & in anima tua tota: da te solum mihi, & te in anima mea planta, & plenus sum. Ego autem præuaricator ad vocationem tuam, redire volo ad cor: hoc est, ad te qui es cor quo viuit, sapit, gaudet, dolet, scit, intelligit anima mea, DEVS. Et hoc est cor mundum quod vt crees in me DEVS, requiro à te. Veruntamen attende Domine quod intendo: non est enim intentionis meæ (DEVS meus) petere à te qui semper es creans omnia non creatus; vt te crees in me (cum in tuam æternam essentiam creatio nulla cadat) sed tuum sanctum Spiritum emittendo in me, qui si charitatem non habuero, nihil sum: me de hoc nihil crees in te qui vere es cor animæ meæ verum & viuum & mundum: Qui attingis vbique propter tuam
B munditiam. Qui effundis super nos aquam mundam; & Mundum istum, & ab omnibus inquinamentis suis abluis & emundas: Et propter reuerentiam tui vitalis & mundi Animæ meæ cordis, concede mihi per tuam ineffabilem bonitatem, vt cor meum mundum sincerum & purum ab immundis & vanis & noxiis cogitationibus sic valeam custodire, & propter munditiam cordis mei te Regem gloriæ habeam amicum. Et quoniam dum anima mea fuit absque te (corde suo) *Miser factus sum & curuatus sum*, & inclinata est à terrena mea specie, rectitudo: ideo, *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis*: Tu es enim rectus Dominus DEVS noster, qui ad hoc hominem rectum facere voluisti, vt spectantibus terram pronis animantibus vniuersis, ista exterioris figmenti corporea rectitudo hominem illum interiorem ad imaginem tuam factum spirituali suæ rectitudinis admoneret; & rectitudo limi curuitatem argueret animi, si videret animum in corpore recto curuum. Et quia innocen-
Cant. 1. tes & *recti* adhæserunt tibi, eo quod *diligunt te* & bonus
C es his quæ recto sunt corde, idcirco imploro humiliter rectitudinem tuam DEVS, vt Spiritum rectum velis in meo pectore innouare; vt sicut incensum, in conspectu tuo mea oratio & intentio dirigatur. Et non solum in spiritu me innoua; sed etiam, *In visceribus meis*: Vnde exijt peccatum immunditiæ carnis meæ. In visceribus enim renum, sedes est voluptatis. Et quia diaboli *fortitudo* est
Iob.40. *in lumbis eius* & vmbilico ventris illius; idcirco lumbos meos nisus est pluries illusionibus adimplere, vt infirmam affligeret carnem meam. Et quoniam in vtroque peccaui; in anima scilicet & in carne; nec amplius aliquid tale committere volo; ideo à te (clementissime Domine DEVS meus, qui quem sanas in anima & corpore, simul sanas) vtroque ardenter desiderio expiari. Porro si pecca-
Iob.10. ui; imo quia peccaui, & propter hoc *oculus meus in amaritudine* pœnitentiæ commoratur: de venia tamen spero, sciens quod maior est tua bonitas quam mea iniquitas quæ est magna nimis. Veruntamen simul malum coram te feci, & faciem tuam non erubui vt debebam, *Ne proijcias me à facie tua*: Sicut Caim perpetrato fratricidio, à fa-
D cie terræ & à tua facie proiecisti. Nec mirum, quia intima sua proiecit; & desperans de venia, noluit pœnitere,
Gen.4. sed dixit quod *maior* erat sua *iniquitas quam vt veniam* mereretur. Non sic Domine, non sic proijcias me à facie tua:
Psal.1. neque sicut puluerem *quem proijcit ventus à facie terræ*. Sed per tuam superfluentem & ineffabilem bonitatem, ad illam me facias beatitudinem peruenire, in qua, non si-
1.Cor.13. cut in hac vita *per speculum in ænigmate*, sed *facie ad faciem* videbimus te finem desideriorum nostrorum: quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus: hoc munus, hic affectus, hic actus profecto sine fine erit omnibus qui tibi reuelata facie te videbunt. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*. Quem, ex quo mihi irascor, confiteor mea præterita mala & plango, & iterum non committere propono, iam me, quasi pignus gloriæ habere confido. Sciens quod hæc non possem habere pariter ex me ipso. Ergo Deus cuius iræ resistere nemo potest, ne irascaris mihi in æternum: & non solum à me non auferas Spiritum sanctum tuum, sed etiam,

E *Redde mihi lætitiam salutaris tui*: Christi saluatoris mei, qui est gaudium meum, qui est futurus præmium, qui est res mea, lux mea, laus mea, domus mea, patria mea, vita mea, salus mea, & salutare meum. Hoc Salutare, spectauēre futurum illi qui fuerunt ante nos Patres nostri, & in hac spectatione fidei sunt saluati, & in illo Salutari est & erit eis lætitia sempiterna. Et quia per eandem fidem (rei tamen iam factæ, nec fide, sed temporibus variatis) saluari expecto ab eodem Saluatore qui *omnes homines vult saluos fieri* & neminem vult perire: idcirco Pater & Domine vitæ meæ prædictam sempiternam lætitiam quam per peccata mea perdidi, redde mihi: *Et spiritu principali confirma me*. O Deus qui es maximus Spiritus, maxima regio Spirituum beatorum, in quo sanctorum animæ requiescunt: te primo superius inuocaui Spiritum rectum: secundo, Spiritum sanctum: & hic tertio Spiritum principalem, inten-
F dens, totam quæ in te est Trinitatem, in meum auxilium inuocare ad hoc vt quod in me operatus es confirmetur. Nam Filium, Spiritum rectum dico, qui est *Rectus Dominus* Psalm. 91.
Deus noster & non est iniquitas in eo. Spiritum sanctum tuum, nomine suo intelligo. Et te Patrem hic accipio per Spiritum principalem, quia tibi est potestas principaliter attributa, Bonum gratiæ quod in me operatus es, confirmandi. Confirma ergo illud, Pater: &, si me confirmaueris sicut opto & sicut me scit tua supereminens scientia indigere, confirmatus, non ego ingratus. Sed, *Docebo*. In quo tu Deus meus doces me vtilia, mirabilis atque laudabilis apparebis eo quod repente me Doctorem feceris de plorante, de lupo agnum, De altero Saulo Paulum: & alij Peccatores videntes quod mihi pepercetis, proficient per exemplum, & sic verbo & exemplo docebo, *Iniquos*: Qui in fide manentes, peccatis suis mortificant fidem suam. *Vias tuas*; Quæ sunt misericordia & veritas; per quas ad nos venis, & nos, ad te possumus peruenire. *Et*, ipsi, Impij, peccatores, *Ad te conuertentur*. Et per te Domine qui conuertis
G *petram* (scilicet cordis duritiam) *in stagna aquarum*, hoc est, in flumina lacrymarum; Lex ei tua, Domine, est immaculata, conuertens animas. Ego autem paratus sum, ad exequendum tuum ministerium, exhibere cor, linguam, & labia, deuotissime supplicando, vt tu (mi Deus & Domine Iesu Christe, qui in diebus carnis tuæ, verba vitæ æternæ adeo mirabiliter loquebaris quod mirabantur omnes de verbis gratiæ quæ de tuis labiis procedebant.) si cor meum aperias, linguam erudias, labia circumdes, vt impij ab errore viæ suæ per te sic ad te meo exemplo & ministerio conuertantur, quod anima mea saluetur à morte, & tu, meorum aperias multitudinem peccatorum, ita quod nec à te, nec à Diabolo de cætero cognoscantur. Quod vt mihi efficacius concedatur.

Libera me de sanguinibus Deus. Spiritus sancte Deus, qui ad hoc in linguis igneis dispertitis voluisti apparere, vt nobis dares intelligere quod omnia linguarum genera cognoscebas, audi efficaciter & exaudi nouā & antiquam grammaticam linguæ meæ, in qua, quasi meorum peccatorum
H doloribus inebriatus, peto à te de sanguinibus liberari. Ecce enim tu scis (qui scientiarum es Dominus) quod in Latino nostro idiomate apud grammaticos, sanguines pluraliter non dicuntur, Sed sanguis. Et tamen ad confitendum nomini tuo altissime quod ex carne per peccatum Originale corrupta, non solum vnum sed plura contraxi peccata, magis proprie & expresse intendo à te petere Deus meus, non de sanguine sed de sanguinibus liberari; Hoc est, de omnibus peccatis carnalibus quæ sunt multa, & ita libera me de illis, vt iam ab illis te adiuuante desinam penitus & desistam. Scio enim quod caro & sanguis non possidebunt gloriam regni tui, & quod nil iniquius quam quod excogitauit caro & sanguis. Non enim caro & sanguis beato Simoni Barionæ reuelauit Christum esse filium Dei viui; Sed potius eum ad vocem ancillæ vnius adeo excæcauit, vt, se eius habere notitiam denegaret. Sed tu ei Domine reuelasti, qui es firmamentum meum & liberator meus; qui Danielem de lacu Leonum, Susannam de falso

Eadem est fides Patrū & nostra. 1.Tim.2.

A falso crimine liberasti. Et idcirco à te Liberatore meo, peto suppliciter & requiro vt liberes me de sanguinibus antedictis, & ab omni corruptione pœnæ & culpæ, & des mihi incorruptionem quam dabis tuis Fidelibus in futuro, Deus, dator *Salutis meæ*. Quæ salus, erit in illa corruptione cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. Tunc veraciter mihi dices; *salus tua ego sum* quando plenam & certam, securam & sempiternam felicitatem mihi concesseris & salutem. O quando ad illam incorruptionem veniam & sic saluus ero! vere tunc sanabor cum manifestabitur salus & fœlicitas illa mihi ad quam peruenire non possum nisi prius à te fuero de dictis sanguinibus liberatus à quibus si liberatus fuero, te & nullo alio liberante.

Psalm. 34.

Et exultabit: Hoc est; cum exultatione & gaudio nunciabit; *Lingua mea iustitiam tuam*. Non illam Domine à qua superius appellaui; eo quod dominium meam misericordiam (in qua spero) non permittet secum in tuo finali iudicio considere; nam illam iustitiarum iustitiam, cum non possem cum exultatione ad memoriam reuocare; B quia valde contremiscit cor meum, nimium illam timens. Sed illam potius tuam iustitiam lingua mea cum exultatione & lætitia nunciabit; qua in præsenti vita, ex virtute ipsius tuæ præsentis iustitiæ me teneris suscipere confitentem; eo quod sacræ Leges tuæ iustitiæ in hac vita non dedignantur sacros canones tuæ misericordiæ imitari, quantumcunque in peccatores impœnitentes sæuire debeant in futuro. Si autem Deus meus & liberator meus, me (quod absit) non liberauetis de sanguinibus sicut opto; qua temeritate præsumeret lingua mea tuam iustitiam (remordente me conscientia) exultare vel cum exultatione animi nunciare; Certe potius formidaret ne tu Deus mihi diceres peccatori, *Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?* Sed quia istæ duæ res, misericordia & iustitia, semper in tuo iudicio sunt adiunctæ; ex quo de sanguinibus confiteor, & pœnitentiam beneplacitam tibi ago, de liberatione mea non dubito, quia, ô *Domine labia mea*; clausa, propter peccata; *Aperies*. Qui aperuisti os Zachariæ Prophetæ, quod nemo claudere potuit C quin te benediceret Dominum suum: Quin è conuerso ora Leonum in lacu adeo conclusisti quod nemo potuit illa aperire vt læderent Danielem. Tu (inquam) qui sic *aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit*; aperi labia mea DEVS, & non solum labia corporis mei sed etiam cordis, quæ sunt eius desideria & voluntates. Nam sicut in os corporis mei non potest cibus aliquis introire & cedere in ipsius corporis nutrimentum nisi prius apertis labiis tumine tur dentibus & teratur: Sic intrare non potest magna multitudo dulcedinis in cor meum; nisi prius tibi omnino ipsius voluntas, quasi labia, & quasi dentes, virtutes & desideria reserentur, vt per aperta tibi labia voluntatis, in cor & in animam meam intres: vt & tu animæ meæ cibus, ei spirituale tribuas nutrimentum inter dentes virtutum & desideriorum feruentium. Qui propter scelera nostra attritus es, viriliter atteratis, & reuoluendo frequenter tua beneficia, rumineris: Ita quod animæ meæ, huiusmodi labiis & dentibus degustata suauitate D indicibilis bonitatis; de te quasi de altero illud Canticum canticorum valeat decantare.

Psalm. 49.

Apoc. 3.

Guttur eius suauissimum dignum dilecto ad potandum, labiisque & dentibus ad ruminandum. *Et*. Si sic labia mea aperueris, qui aperuisti Discipulis tuis sensum vt intelligerent Scripturas: *Os meum*, Cordis & corporis: *Annuntiabit laudem tuam*. Quia iam te non poterit non laudare de bonis & beneficiis quæ à tam bono Domino DEO suo se confitetur & percipit recepisse: videlicet quod me creasti, quod me peccantem non reliquisti, quod cum peccassem ignouisti, quod confiteri monuisti, quod conuersum iustificasti, quod à meis iniquitatibus me mundasti, quod me per tuam gratiam visitasti, quod perseuerantem corona iustitiæ coronabis quam perseuerantibus præparasti. Hæ sunt laudes quas os meum interius & exterius nũciabit de te, qui in sancto habitas laus Israel, qui maior es omni laude. Et vt laus tua semper sit in ore meo: repleatur quæso os meum laude. Nam si os meum

Luc. 24.

Dei beneficia in Peccatores.

E tuis laudibus non repleueris; desiderium non ardebit nec erit speciosa laus in ore peccatoris. Sed quia iucunda est decoraq; laudatio tuæ ineffabilis bonitatis, ego, quantum in me est, te iuuante dilatabo os meum vt tu adimpleas illud; de cui⁹ plenitudine accepimus omnes, laudationemque tuam loquetur os meum vt laudem te in vita mea præsenti pariter & futura. Et quia tu dixisti quod sacrificium laudis honorificaret te; ideo scio quod tunc (videlicet in plenitudine temporis gratiæ) sacrificia pecudum non requiris.

Quoniam si voluisses sacrificium; Legale, quod secundum Legem Moysi antiqui tibi pro expiatione suorum peccaminum figuraliter offerebant, & nunc est in laudis sacrificium commutatum. *Dedissem vtique*: Et ad immolandum tibi tauros & arietes, totam meam substantiam hilariter expendissem. Sed quia audiui te Domine in Ecclesia exclamantem: *holocausta arietum, adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hyrcorum nolui*; & quod *non* accipetes *de domo* mea *vitulos neque de gregibus* meis *hircos*, F nec me in huiusmodi sacrificiis non oblatis argueres cum carnes non manducares, Taurorum, & hyrcorum sanguinem non potares, idcirco sacrificium hoc non dedi sciens quod huiusmodi *Holocaustu non delectaberis*. Spernis enim Domine taurum & hyrcum & aliarum pecudum holocausta, quæ tempus habuerunt dum futurum aliquid promiserunt: at postquam venit plenitudo temporis, & misisti filium tuum in Mundum qui per Spiritum sanctum tibi DEO viuenti immaculatam hostiam obtulit semetipsum, & nostram conscientiam ab operibus mortuis emũdauit; ex tunc holocausta & sacrificia animalium respuisti, cum pretio immolationis Christi nulla possit oblatio compensari. Sed quærenti mihi à te, quid à me tibi sit offerẽdum, te audio, de te quasi de alio respondentem.

Isai. 1.
Psalm. 49.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Peccatoris sacrificium quod placet DEO, est spiritus contribulatus: hoc est: spiritus cum patientia tribulatus; spiritus quem & si fornax tribulationis exterius tribulat & exurit, patientia tamen interius mitigat & delinit (nam sicut G *vir iracundus suscitat rixas*, ita patiens mitigat suscitatas) vt tibi Domine qui es spirituum ponderator spiritus cum patientia tribulatus in sacrificium odoratur. Et hoc est illud sacrificium quod inter alia holocausta tibi oblata à peccatoribus, præ cæteris est beneplacitum tibi semper. Nam cum aliæ oblationes & sacrificia de extrinsecis offerantur, istud cum offertur, offertur de propriis cordis intimis medullis. Cum enim spiritus, tribulationibus quatitur: contumeliis agitatur, & nihilominus totius charitatis igne succensus & virtute patientiæ intus in peccatore integer reseruatus, non cogitans de vindicta: tibi Domine qui es Deus patientiæ & solatij, inter illatas iniurias tenetur: restringitur, & mactatur; tunc in furore tuo ponitur thymiama, tunc holocausta medullata tibi cum incenso innocentum arietum offeruntur. Tunc in homine, omni bestiali ferocitate destructa, boues totius retuicositatis: cum hircis petulantiæ, immolantur. Et idcirco vt puto per quendam sapientem docere voluisti H quod *melior est vir patiens viro forti*: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Innumerabiles enim viri, in potestate, vrbes & populos habuerunt: paucissimi vero & rarissime semetipsos. Et cum quis contra populos vel vrbes decertat totus simul interior & exterior homo pugnat: Et si expugnat, non magnam videtur coronam de tali victoria meruisse eo quod extra illum sunt quæ vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute sapientiæ in se certat, non totus sed minor quam dimidius dimicat. Et si per patientiam, malitiam suam vincit, & repugnanti sibi animo dominatur, hostem iracundiæ qui iam intrauerat castrum suum & ascenderat secum in arcem, sine armis & manibus prosternendo: Vir ille vere melior est quam vrbium expugnator, & est longe gloriosior hic triumphus. Et sic patet quod maxima virtutum patientia, vincit inermis, Armatosque solet vincere sæpe viros. Quocirca tu Deus electus ex millibus, hoc sacrificium

Spiritus contribulatus quis sit.

Prou. 26.

Prou. 16.

A ficium contribulati spiritus, præ cæteris elegisti. Elegi & ego peccator tuus hoc idem de meis intimis, lætoanimo immolare, sed dares mihi vnde tibi sacrificium offerrem. Sed ecce qui tribulant me inimici mei, spirituales & corporales; *exultabunt si motus fuero* per impatientiam
Psalm.12. vel per iram. Et certe confido in te qui es patientia mea Domine, quod quando tribularer patientiam mihi dares, si tunc ad meipsum reuersus, cum fratribus Ioseph humiliter cogitarem: *merito hæc patior quia peccaui & ali-*
Gen.42. *Mich.7.* quando *in fratrem* meum. Et si dicerem cum Michea: *Iram Dei portabo quia peccaui ei.* Et tunc illatam contumeliam leuiter tolerarem, cum in secreto mentis ad mala recurrerem perpetrata. Nam sicut patiens tanto patientius medici ferrum tolerat quanto putridius esse conspicit hoc quod secat; ita & ego quanto plus pondus cognoscerem culpæ meæ; tanto tribulationis pœnam leuius sustinerem & tibi Domino Deo meo sacrificium contribulati spiritus feruentius immolarem. Sed, ô DEVS fortis, & patiens qui, *iuxta es iis qui tribulato sunt corde*, vcin
Psalm.33. B te si velint accipiant patientiæ documenta; quotiens in fornace tribulationis (in qua examinas vasa tua) per iracundiam crepui & defeci? Quotiens oblitus quod in tribulationibus mecum esses: per impatientiam, in Fratres incandui? Quotiens cor meum perdidi in furore: & de tribulationis collirio excæcatus, non potui ostium inuenire per quod reuerterer ad meipsum, vt tribulatum spiritum interius continerem ne per verba vel verbera exterius mugiret vt tonitru vel vt fulgur corruscaret? Et si aliquando (licet raro) inter aduersa vel prospera, meo tribulato spiritui patientiam tribuisti; visum fuit mihi, Domine DEVS meus, quod Angelus ille tuus qui descendit cum Azaria in fornacem & excussit flammam ignis de fornace & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, descenderet in cor meum; & in tribulatione, meum contribulatum spiritum in illo interiori sacrificio; sic tua gratia interius impinguaret, sicut Asinus exterius tribulis impinguatur. Et tunc me omnino ignis iracundiæ non
C tetigit neque contristauit, nec quidquam mihi molestiæ intulit. Sed probaui per experientiam in meipso quod etsi persecutores pugnant, postea tamen non sibi mellificant, sed patienti: propter quod, Dauid exemplum, de se ponens, vt me ad patientiam inuitaret, de Persecutoribus suis dicit;

Psalm 117. *Circumdederunt me sicut apes.* Apes enim etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen quia mellis dulcedinem administrant: sic & persecutores meos Domine amare volo; & punctiones quas mihi amaris conaribus inferunt. contribulato spiritu tolerare, vt mellita iocunditas subsequatur. Nam per quendam Sapientem audio Domine, te dicentem quod *vsque ad tempus susti-*
Eccl 1. *nebit patiens & postea redditio iocunditatis.* Ergo, bone Do-
Psalm.73. mine, bone Deus qui: *& contribulasti capita Draconum in aquis*, & rogationem contribulati non abiicis, contribula venenatæ superbiæ meæ caput in Diluuio lachrymarum vt tibi sacrificem meum spiritum cum patientia tribulatum. Nam &,

D *Cor contritum:* Hoc est; cum gratia tua tritum vel strictum, multi enim sine gratia tua (Deus) diuersis doloribus & solicitudinibus teruntur in cordibus & stringun-
Isai.65. tur; & tamen corpora eorum despicis, & contemnis; *quia contritio & infœlicitas in viis eorum*, & ideo *præ contritione spiritus vlulabunt.* Cor autem contritum pœnitentia de peccatis; quod Iudas confitendo atar, & Iacob subsequitur fulcorum duritiam conterendo: cuius *magna est contritio velut*
Thren. 2. *Mare. Et humiliatum*; Non elatum, peccata excusando: *Non despicies.* Qui non despicis loquelam gemitus, sed humilia respicis in cœlo & in terra. Ad quem enim respicies
Isai.66. Domine Deus meus, *nisi ad humilem & contritum, & trementem sermones tuos?* Sed & anima mea quæ tristis est super magnitudinem mali sui, & incedit curua in infirmitate; desiderat gloriam dare tibi. Et vt ista sacrificia spiritus contribulati & cordis contriti tibi Domino Deo meo digne valeam & iugiter immolare; tu benigne Domine, cuius benignitas ad pœnitentiam non perducit.

Benigne fac Domine Sion. Hoc est, illi superiori animæ meæ parti: quæ per aciem Sion olim sitam in eminentiori loco illius materialis Ierusalem, designatur: in cuius fastigio sicut speculator excubans visis hostibus corporalibus, exclamabat; sic pars illa superior rationis, quasi in eminenti animæ meæ solio constituta, spirituales nequitias meam interiorem Ierusalem impugnantes, præuidens venientes; contra eas semper remurmurat & reclamat. Et ne ista Sion in me Domine dormiat vel dormitet, cum tecum meam custodire debeat Ciuitatem; fac ei bone Domine, bone Deus: *In bona voluntate tua.* Non in mortua voluntate mea quæ mihi adiacet: hoc est, quasi per illicita, iuxta latus animæ meæ iacet: fac (inquam) benigne Domine, dictæ Sion quæ iis quæ sperat iam aliquid speculatur: & in bona voluntate tua fac ei vt ego semper tuam habeam bonam & faciam voluntatem; & probe quæ sit *voluntas tua bona, beneplacens, & perfecta*: bona *Rom.12.*
in se; placens in affectibus, beneplacens proficientibus, & perfecta perfectis & nihil amplius quærentibus. Et vere benigne Domine si mecum egeris sic benigne; maiora te dedisse mihi beneficia existimabo quam si omnes F
præbendas & dignitates totius militantis Ecclesiæ mihi dares. Nam ipsa bona voluntas tua; si tu Deus meus (vt opto) dederis eam mihi; dictam meam Sion non permittet prætedio dormitare; sed eam sic faciet iugiter super custodiam suam stare quod ipsa speculans spirituales hostes contra meam interiorem Ierusalem irruentes, & videns vrbem illam quam seruat, absque murorum virtutum ambitu patentem vndique & apertam; tacere non poterit propter pericula imminentia quæ videbit: quin mecum clamet in excelsis & dicat: benigne Domine, fac benigne in bona voluntate tua Sion.

Vt ædificentur muri Ierusalem. Illius scilicet interioris Ierusalem, quæ est anima mea. Hæc est enim illa: *Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas*, pro qua supplico tibi animarum benignissimo Amatori. Scio enim quod benignus es Domine & placabilis super malitia, & quod benigna est misericordia tua Domine: & ideo fac benigne, & in bona voluntate tua: quam tua benignitas gratis & absque G
meis meritis mihi dabit vt ædificentur animæ meæ muri qui stabiliuntur principaliter & consurgunt de fide viua, spe certa, charitate non ficta: fac etiam vt & muri huius mundanæ Hierico, in me funditus destruantur, & nunquam de cætero reparentur; quoniam tu Domine, *Iosu.6.*
per Iosue, maledictionis sententiam protulisti in eos qui muros huius Hierico suscitarent. Ædificat enim diabolus muros istos de luto voluptatis, palea vanitatis, & latere cupiditatis. Per te ergo (Domine) muri istius Hierico destruantur in me, & ædificentur muri Ierusalem supradicti: quos nisi tu ipse ædificaueris, *in va-* *Psalm.126.*
num laborauerunt qui eos ædificare putant. Tu enim Domine solus es qui fidem quasi fundamentum murorum istorum infundis; Spem veluti parietem erigis: Charitatem, tanquam inexpugnabilia propugnacula quæ nunquam excidunt, construis & largiris. Et hic est inexpugnabilis ille murus, quem, aperte (qui es ædificator & custos Ierusalem ciuitatis supernæ) ædificari desiderant desideria cordis mei, & clamans, *muro tuo in-* H
expugnabili circumcinge nos Domine & armis tuæ potentiæ protege nos semper. Et hoc est Domine Deus meus pernecessarium mihi; vt in me ædifices dictos muros: Nam antequam ædificati fuerint, gratum non accipies de manibus meis quicquam. Sed ædificatis firmiter in mea interiori Ierusalem dictis muris; *Tunc acceptabis:* Quia, ante, acceptabile non habebis; *Sacrificium iustitiæ*: In quo meipsum puniens, tibi per pœnitentiam victimabo. Quid enim iustius quam vt meis irascar iniquitatibus & peccatis opera iustitiæ faciam per pœnitentiam & lamentum? Et vere iustum est vt de veteri vita mea in nouam transeam vitam: vt extincto Veteri homine per pœnitentiam, in teipso sacrificium iustitiæ secundum regenerationem Noui hominis tibi sacrificem Domino DEO meo. Ac- *Eleemosynæ ex male Partis Deo ingratæ.*
ceptabis etiam, *Oblationes.* Eleemosynarum, tibi (domine) à me, per manus pauperum oblatarum: qui reputas tibi specialiter esse factum, quod vni ex minimis quotum An- *Gen. 4.*

A geli semper faciem Patris vident: à me collatum fuerit vel oblatum, dummodo non fiat hæc oblatio de iniquo. Hoc est, de male acquisito, vel male retento. Quia tu DEVS qui ad Caim & eius munera respicere noluisti eo quod tibi praua munera offerebat, non respicis in oblationibus iniquorum, sed illas oblationes dignas te reputas & acceptas quæ fiunt de substantia illa bona cuius non est peccatum in conscientia. Et has à me oblationes per sapientem *Eccl.14.* requiris, dicens; *Fili, si habes, benefac tecum & Deo dignas offer oblationes.* Tunc etiam acceptabis: *Et holocausta.* Mea scilicet, hoc est, non solum de meo, sed de me toto facta: ita quoque spiritus dolore, & corpus labore afficiatur, & omnia mea interiora & exteriora, igne charitatis inflammentur pariter & cremenetur. Nam hæc illa esse intelligo *Isai.62.* Holocausta de quibus tu Domine mihi dicis, *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper* beneplacita & accepta. Postquam etiam in me ædificati fuerint dicti muri; *Tunc* Cum auxilio Angelorum & consilio Prælatorum quos vna cum prædicta Sion super dictos muros constitui vigi- B les & custodes, omnes animæ meæ vires, *imponent super altare tuum:* Scilicet cor meum, quod est altare tuũ & meum, quod tu qui es summus Pontifex futurorum bonorum, tibi vis singulariter dedicari: & in quo quicquid boni, deuotionis, & internæ dulcedinis habeo, à te accipio & tibi offero, & tu mihi. De quo altari sapientia tua dicit; *Oblatio iusti impinguat altare.* Hoc est altare quod Noe tibi ædificauit spiritualiter in seipso, tollensque de cunctis suis pecoribus, scilicet corporalibus, & de volucribus spiritualibus purificatis & mundis super illud altare tibi obtulit holocaustum. Hæc est area Templi sancti tui quod sum *2.Reg.24.* ego; iuxta quam stat *angelus* ad custodiam deputatus, *Habens thuribulum aureum in manu sua*, vt cum incenso multo orationes coram te Domine fusas cum lachrymis, repræ- *Exod.38.* sentet, hoc est, *altare concauum* & inane; à cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum; quod tibi fieri mandauisti ad reponendum cineres memoriæ nostræ mortis. De hoc altari, amabilis amice (cuius dicere, est facere) tu dixisti vt C ignis amoris tui semper in hoc altari arderet; quem nutriret sacerdos subijciens per singulos dies, ligna. Desiderate cordis mei, qui *ignem* istum *in terram mittere*, vt arderet, venisti; veni, & in hoc altari cordis mei, tui amoris ignem accende. O summe *sacerdos in æternum, & pontifex futurorum bonorum veni.* Et ad nutriendum ignem istum ne deficiat in Sion, donec fiat caminus in illa quæ sursum est Ierusalem mater nostra, subijce lingua incentiua ac nutritiua ignem istum. Primum videlicet temetipsum qui es, iis qui te apprehenderunt, lignum vitæ: lignum (inquam) vitæ positum in medio paradisi: vt ex omni parte currentes ad te, possint te apprehendere vitam suam & vitarum vitam: lignum etiam vitæ proferens per singulos menses nostrorum defectuum, fructus suos, exercitatis per disciplinam, dulcissimos, pacatissimos, & suaues quibus sanctorum animæ reficiuntur sine fastidio & fruuntur. Secundum lignum subiice viuificæ tuæ Crucis, quod est illud dulce lignum per quod aquæ amaræ in dulcedinem sunt conuersæ: lignum benedictum, per quod factum est iustitia de Maligno: lignum exiguum cui fideles homines suas D animas commiserunt, commisi & ego meam quia fidele inuentum est in Commisso; eo quod saluæ factæ sunt omnes saluatę animę per hoc lignum. Hæc vere sunt duo ligna in altari cordis mei, nutrientia tui amoris ignem saluificum. Tu ergo solus sine peccati macula sacerdos, in al- *3.Reg 17.* tari cordis mei per singulos dies subijce ligna ista vt & ego *inde faciam, mihi & filio;* hoc est, affectui meo; panem vitæ & intellectus, vt comedamus & moriamur, vt videamus & cognoscamus *te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum*, Super hoc altare imponent omnes animæ meæ vires; *Vitulos*, Orationum & laudum, gratiarum actionum & benedictionum, charitatis & honoris, fortitudinis & virtutis. Et sic reddam tibi quamdiu fuero, meorum vitulos labiorum, à iugo peccati liberatos tua gratia & solutos. Et quia tu es dominus virtutum, rex meus & DEVS meus qui & alia altaria adhuc habes, suppliciter omnipotentiam tuam rogo vt iubeas hæc omnia ante dicta (videlicet sacrificium iustitiæ, oblationes

& holocausta & vitulos) super altare cordis mei imposita, E perferri per manum sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, vbi est iugis laus; vbi beati qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te: ad quorum consortium nos faciat peruenire CHRISTVS IESVS Filius tuus Dominus noster qui est super omnia DEVS benedictus in sæcula. Denique quia te Domine faciente (qui omnia benefacis) inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac, inde fit *Gloria Patri*, Ingenito; patri futuri sæculi, patri pauperum, patri orphanorum, patri misericordiarum, patri spirituum, patri luminum, patri sancto, qui *proprio Filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit* *Rom.8.* *illum.* Hic vere & solus est pater noster, à sæculo nomen eius. Attende ergo pater & Domine, attende de cœlo & habitaculo sancto tuo & de solio gloriæ tuæ, & vide & *visita vineam* animę meę quæ in baptismo plasmasti, vbi est *Psalm.79.* Domine zelus tuus & fortitudo tua, qui me non retrahunt violenter & pœnitus à peccato? Heu mihi Domine, multitudo viscerum tuorum continuerunt super me. Quare F me errare permisisti de viis tuis, Indurasti cor meum ne timeret te? Et nunc Domine, pater noster es, nos omnes, lutum, factor noster es, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniquitatum mearum: ecce enim omnia desiderabilia mea versa sunt in ruinas. *Luc.15.* Nunquid super iis continebis te Domine, tacebis & affliges me vehementer? Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, sed propter tuam ineffabilem pietatem fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Cuius rei gratia flecto genua mea ad te patrem Domini mei Iesu Christi, à quo in cœlo & in terra omnis paternitas nominatur: vt des mihi secundum diuitias gloriæ tuæ constantiam & virtutem, corroborare per Spiritum sanctum tuum in interiore homine, & potestatem habitare in corde meo per fidem quæ per dilectionem tibi beneplacita operetur. Tibi autem Patri qui potens es omnia nobis facere abundantius plus quam petimus vel intelligimus, sit gloria in Christo G & in Ecclesia & in omnes generationes sæculi sæculorum. *Et Filio*, Tuo vnigenito cuius gloriam vidimus, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Et cum Deum viderit nemo vnquam: ipse tamen vidit eum vnigenitus Filius qui est in sinu Patris. In quem ego ex toto corde meo firmiter credo & simpliciter confiteor: nam qui non credit in eum, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. In hoc enim apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in Mundum, vt viuamus per eum, qui fuit obediens Patri vsque ad mortem Crucis. Tu ergo Fili DEI viui vnigenite, redemptor mundi DEVS, miserere mei. Tibi enim dedit DEVS Pater potestatem omne iudicium facere. Sed supplico tibi, vt prius mihi peccata mea dimittas quam ad iudicandum me venias, & tunc, sic *Iudica me Deus*, vt dis- *Psalm.42.* cernas & separes animæ meæ *causam de gente non sancta.* Tu es enim quem DEVS Pater ante Luciferum in cœlis genuit vnigenitum, & beata Virgo Maria fœlix mater tua in terris peperit primogenitum, post quem, nullum. In cuius natiuitate subito facta est multitudo cœlestis H exercitus laudantium & dicentium, Deo gloria in excelsis. *Et Spiritui sancto*, Non facto, non creato, non genito, sed à Patre & Filio procedenti; qui ferebatur in principio super aquas, Qui est Deus spirituum omnis carnis, qui locutus est per prophetas; qui est spiritus sapientiæ, intelligentiæ & salutis; qui repleuit Orbem terrarum, qui nos facit gemitibus postulare; qui discipulos Dei & Domini nostri Iesu Christi, seipso repleuit & in linguis igneis apparuit super eos. O spiritus sancte Deus qui es ignis non consumens sed lucens, non cõburens sed vrens; vre renes meos & cor meum vt tibi casto corpore seruiam & placeam mundo corde. O ignis diuine qui amor es afficiens & ardor indeficiens, charitas Deus meus, accende me quis mihi det vt venias in cor meũ & inebries illud, & obliuiscar omnia mea mala, & amplectar vnũ & summũ bonum meum ꝙ tu es? mihi Domine miserere, vt loquar cum sim puluis & cinis. Quis enim sum ego vt amari, à me, te iubeas;

& nisi

A & nisi faciam irascatis mihi & mineris ingentes miserias? Paruane est miseria mea si non amem te? O amator deus meus qui promittis mihi multa bona si amen te; da te solũ, & sufficit mihi da quod iubes, & iube quod vis: amore amoris tui hæc peto à te; qui es Spiritus super mel dulcis, Tibi ergo Patri & Filio & Spiritui sancto, trino & vni Deo, magno, immenso, æterno, omnipotentissimo, & excelso; sit de oratione hac, gloria & iubilatio, laus & gratiarum actio; honor & imperium sempiternum. *Sicut erat in principio.* Immo ante principium; quia priusquam montes fierent aut formaretur terra & orbis, à sæculo & in sæculum tu es Deus super laudabilis & gloriosus in omnibus sæculis. *Et nunc.* Et iam præsenti clarificatus es in nobis, qui semper in te clatus es claritate quam habuisti antequã Mundus fieret, apud te. Et ex illa claritate quam in me per fidem coruscasti, & splenduisti, radiasti, tibi sit gloria; quia in hoc præsenti nunc, cupio sequi te in toto corde, & timere te, & quærere faciem tuam. Ne confundas me ab expe-

B ctatione mea; sed fac mecum secundum mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ; & erue me de fornace peccati, in mirabilibus tuis: & da nunc gloriam nomini tuo, quia tu es Dominus Deus solus gloriosus super Orbem terrarum. *Et semper.* Quia omnis sapientia à Domino Deo est, & fuit semper, & est ante Æuum. Sempiterna quoque est virtus tua atque diuinitas; quæ cum me possit dare in opprobrium sempiternum, imploro tuam omnipotentiam sempiternam vt mihi concedas potius gaudia sempiterna. Tu es enim Deus sempiternus, qui creasti terminos terræ, qui nec incipis nec desinis; sed est tibi gloria. *Et in secula seculorum.* O rex seculorum, immortalis, inuisibilis; quod ætates elapsæ sunt; quod secula transierunt & quod futura sunt, mutabis ea, & mutabuntur: Tu autem qui dixisti ego sum qui sum; idem ipse es in æternum, immutabilis & omnipotens apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Licet enim omnia sint ex te & per te & in te; non ta-

C men sunt quod tu es, qui est mutans non mutatus, faciens non factus, mouens sed manens. Et cum Beatus Apostolus tuus dicat quod nos sumus, *in quos fines seculorum deuenerunt;* æternitati tuæ supplico Deus meus, vt in me sic digneris implere Apostolicum istud verbum, vt seculum vel secularitas qui me Canonicum vel Monachum adeo facit secularem quod hoc adiectiuum totum suum in me absorbet & destruit substantiuum, in me taliter finiatur quod de cætero negotia secularia me non trahant: sed exemptum à iurisdictione seculi huius nequam, ad illa infinita secula me facias cogitare: & postea cum viuis & confessionem dantibus peruenire: qui sunt partes Seculi sancti, & secula seculorum. Didici enim Domine quod illud secula seculorum, à latino Interprete ponitur pro æterno: & quod repetitio dicentis *secula seculorum,* ad æterna transmittit animum cogitantis: & hæc sunt illa æterna immortalia Infinita secula seculorũ, quæ Iusti post ista secula præsentia & mutabilia immutabiliter consequentur. In quibus seculis seculorum, tibi Factori Seculi, sit gloria

D sempiterna. *Amen.* O Deus hebræorum, scire me voluisti quod, *amen,* nec græcum est nec latinum, sed est hebræũ: & propter sui excellentiam translatum non fuit ab Interpretibus vel mutatum, vt nomen tuum quod est mirabile & immutabile designaret; vnde tres significationes hoc vocabulum habere voluisti. Nam quandoque *amen* accipitur nominaliter & est nomen, & significat sanctum & terribile nomen tuum, vt cum in Apocalypsi legitur. *Hæc dicit amen testis fidelis & verus qui est principium creaturæ Dei.* A te ergo Domino Deo meo qui solus hoc nomen designaris; ex totius cordis mei affectibus postulo & requiro, vt propter reuerentiam huius nominis sancti tui, nomen meum in libro vitæ rescribas: & cum illis qui custodierunt Sabbata tua & elegerunt quod voluisti & tenuerunt fœdus tuum, des mihi in domo tua & in muris tuis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, & nomen sempiternum quod cætero non peribit. Secundo accipitur *amen,* aduerbialiter, vt cum tu Deus meus quoniam in terris visus & cum hominibus conuersatus es, veritatem aliquam asserere voluisti pluries adiunxisti, *Amen dico vobis:* hoc est, vere vel veraciter seu infallabiliter

1.Cor.10.

Psalm.83.

Apoc.3.

E dico vobis quod ita est sicut dico. Et nonnunquam, *amen amen* ingeminasti; vt ipsa ingeminatio, maior esset expressio veritatis: vnde te qui es chara veritas quæ non fallit, exoro suppliciter vt veritas tua semper in corde meo refulgeat, & omnis mundana & diabolica falsitas destruatur. Tertio, *amen,* accipitur verbaliter, & est verbum; vt cum in orationibus optatiuis: *amen,* hoc est, *fiat,* ab optantibus & desiderantibus quod petitur respondetur: quod & Psalmista in fine quorundam Psalmorum ingeminasse legitur, vbi dicitur *fiat, fiat.* Et in hoc sensu, in fine prædictæ orationis, mea vota & desideria continentis, dico *amen:* hoc est, ita fiat, vt videlicet tibi Patri & Filio & Spiritui sancto, trino & vni Deo, sit gloria in secula seculorum, Amen.

Matth.5.

1.Cor.14.

Psalm.40.

D. ROBERTI DE SORBONA, QVI SANCTI LVDOVICI REGIS GALLIARUM Christianissimi Pœnitentiarum OEconomus fuit, Opuscula.

F

De Conscientia. De Confessione. Iter Paradisi.

DE D. ROBERTO A SORBONA, Et eius Libris, per M. D. L. B.

D Iuus Robertus à Sorbona (vel vt alij, à Sorbonia; aut, à Sorbonio) natione Gallus; S. Ludouici Galliarum Regis non frater quidem, vt scripsit aliquis nuper in Historia peregrina facile deceptus; ac neque ex illustri genere, vt obiter meminit qui descripsit historiam sanctissimi Christianissimique Regis illius. Sed ab eo, accitus primum ob eruditionis & pietatis famam, fuit illi postea familiaris & OEconomus Pœnitentiarum: Apud optimates quoque & Nobiles, in pre-

G *tio maximo; tamen ita vt reprehensi ab eo si quid peccassent, facerent, dicerent-ue vicißim liberius quod illum remorderet. Sorbona Parisiensis prima fundamenta cum iaceret, sensit liberalem Regem, at conscientia sua, multo etiam metuentem magis; qui nisi expressa hac formula;* quãtum donare possum, *nunquam quidquam illi sit elargitus: diuino prorsum exemplo si ad posteros transisset, ne quid nimium effuse ac nisi in religione maxima, cuiquam de publico donarent. Fuisse ingenio simplici, at in explorandis & curandis conscientiarum ægritudinibus acuto & perspicaci tamen, indicant tria hæc eius Opuscula, quæ nunquam hactenus nisi iudicio meo cognita cuiquam quod sciam, ex eius Bibliotheca exscripsi nunc primum. In eorum vno: cui Titulus est, de Confeßione, videri poßit: paulo plus æquo, minutim prosequutus luxuriæ species, & Appendices: At, nec puduit Paulum huiusmodi plura dicere (ait ter maximus Chrysostomus) & Medicus, medicas manûs aluu immergit vulneri quod curaturus est; nec de hoc argumento habenda Oratione, sed ipsis factis est erubescendum: Alioqui in illorum trium Opusculorum Lectione senties vt spero [ô Lector] Spiritum Dei præsentem: vt iam facile agnoscas illud Isaiæ, requiescere diuinum numen super humilem & contritum corde: ac iam mirari desinas ingentes, prudentia & doctrinæ fama, viros, nec tot nec tantos fructûs spiritales Regum animis ingenerare: instituta vero à Regibus Gymnasia illum nominis splendorem, quem à pauperculo homine, tanta fide & religione fundata Sorbona Parisiensis, non esse Dei Opt. Max. munere consequuta.*

Isa.66.

Hom.6. in ad Thes.

H

INCIPIT LIBER D. ROBERTI DE Sorbona; de Conscientia.

LIBRVM *scribat mihi ipse, qui iudicat,* ait Iob. Hîc notanda sunt quinque. Primum est, quis est iste liber, quem petit Iob, & quare petit: Secundum est, videre vbi, & à quo audiendus est. Tertium est, de diuisione huius libri: Quartum est de introitu: Quintum est, de executione huius libri, scilicet per Procœmij, Tractatus Recapitulationis. De primo, nota quod si aliquis

Cap.1.
Iob.31.

A

propoſuiſſet modis omnibus ſe lecturum Pariſijs, & qui pro nullo bono vellet refutari, quia incurreret ſuſpendium, multum libenter ſciret & quæreret, ſi deberet ei dici à Cancellario vel ab aliquibus de concilio ſuo, in quo libro deberet examinari ſi nullatenus ſine examine poſſet licentiari: Multis enim magnatibus fit aliquando gratia, & licentiantur ſine examinatione. Omnes autem volumus ire in Paradiſum, omnes etiam qui ibi erunt, magiſtri erunt Theologiæ, & legent in magna biblia, ſcilicet, in libro vitæ, in quo omnia ſunt ſcripta. De quo in Apocalypſi, *Vidi librum ſcriptum intus & foris.* Et plus ſciet ille qui minus ſciet in Paradiſo, quam omnes Magiſtri qui ſunt in mundo: quia dicit Auguſtinus; *Vnum magiſtrum habemus in cælis, quem ſemel vidiſſe, eſt totum didiciſſe*: Gregorius: *Quid eſt quod non videt, qui videntem omnia videt?* & Ioa. *Vos vocatis me, Magiſter & Domine, & bene dicitis; ſum etenim.* Et Matthæus; *Nolite vocari Rabbi ſuper terram, vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Omnes autem erimus examinati antequam licentiemur in Paradiſo: Dicit enim Apoſtolus, *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum Scientes ergo timorem Domini hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus, ſpero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos vos eſſe.* Nulli autem fiet gratia in die iudicij, quia tantum vel amplius habebit ibi pauper, quantum diues. Dicit. n. Petrus in Actis Apoſtolorum; *in veritate comperi, quod non eſt perſonarum acceptor Deus*: Et apud Matthæum, dixerunt diſcipuli Phariſæorum, & Herodiani, *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum.* Quærit ergo Iob, tanquam prouidus & ſapiens ſcholaris, in quo deberet examinari, vt in illo poſſit ſibi prouidere dicens: *Librum ſcribat mihi eſſe, qui iudicat*: Gloſa Gregorij, erit quandoque auctor iudicij, qui nunc eſt conditor libri. Et reſpondet ei Paulus in prædicta auctoritate, & Daniel, qui fuerunt de conſilio magni Cancellarij (ſcilicet Chriſti cui Deus Pater dedit omne iudicium) *Antiquus dierum ſedit, & libri aperti ſunt coram eo*: Gloſa, *Conſcientia & opera ſingulorum in vtraque parte, vel bona vel mala reuelantur.* Similiter exponitur 4. Sent. diſt. 43. cap. 3. *Vetuſtus dierum ſedit, & libri aperti ſunt coram eo.* Libri, ſunt conſcientiæ ſingulorum, &c. In hoc quod dicitur, *Antiquus*, nota, quia in *antiquis viget ſapientia, & in multo tempore prouidentia.* Vnde; Gloſa ſuper id, *Antiquus dierum ſedit, antiquus*; id eſt, ſeuerus iudex & verus. Senex deſcribitur, vt maturitas ſententiæ comprobetur. Ariſtoteles: Nemo Iuuenes eligit duces, quia non conſtat eos eſſe prudentes. In hoc quod dicit, *ſedit*, nota diligentem examinationem: quia ſicut dicit Iob, *Omnipotens ſingulorum cauſas diligenter intuebitur.* Scimus ergo in quo libro erimus examinati, quo in libro Conſcientiæ. Sicut ergo demens eſſet Clericus cui certiſſime diceretur vel mandaretur à Cancellario, in iſto libro eris ſolum examinatus, quando petes licentiam legendi Pariſios, qui omiſſo illo, ſtuderet in aliis; ſic certe demens eſſet, imo dementiſſimus, qui (poſthabito libro Conſcientię) ſtudet diligenter in alijs: vel qui magis in aliis quibuſcunque libris ſtudet, quam in libro conſcientiæ, in quo erit diſtincte examinatus, ſicut patebit poſt) & non in alijs. Patet ergo quod multi ſunt dementiſſimi, qui tamen reputantur ſapientes. Ait Chriſtus apud Matthæum, *Confiteor tibi, pater cæli & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & reuelaſti ea paruulis.*

[*Apo. 5. & 6.* — *Ioan. 13.* — *Matth. 23.* — B — *2. Cor. 5.* — *Act. 10.* — *Matt. 22. 16.* — *2 Cor. 5.* — *Ioan. 5.* — *Dan 7.* — C — *Iob. 12.* — *Iob. 35.* — Stultiſſimus eſt qui in propriæ Conſcientiæ libro non ſtudet. — D — *Matth. 11.*]

Item ſi aliquis refutetur Pariſijs à Cancellario, hoc non eſt, niſi per annum: qui ſi poſt annum redeat, ſi bene reſpondet, licentiatur. Item, data ſententia aliquando reuocatur per preces aliquorum, vel per dona, vel per ſeruitia aliquando data vel facta collateralibus Cancellarij, vel examinatoribus alijs. Poſtquam autem Dominus aliquem refutauerit & ſententiam dederit in die iudicij, perpetua erit; nec, prece, aut pretio, reuocari poterit. Apud Prophetam, vbi noſtra litera habet, *non conſurget duplex tribulatio*, alia litera ſine tranſuerſo; *Et ideo iudicabit Deus bis in idipſum.* Et Pſalmographus: *Quæ procedent de labiis meis, non faciam irrita*: Et Iob: *Scilicet, locutus eſt Deus & ſecundo idipſum non repetit.* Ariſtoteles: quod dictum eſt, non poteſt amplius ſumi. Poëta. *Quod ſemel eſt emiſſum volat irreuocabile verbum.* Et ſi hoc verbum eſt generaliter, tum id maxime in Deo. Præterea, ſi dicat aliquis, quia in die iudicij præueniet magnum Cancellarium Deum vel Acceſſores ſuos, per maxima dona (quia diues eſt) antequam detur ſententia, vel habebit interceſſorem, vel allegabit fortiter, quia magnus Decretiſta & Logiſta, vel magnus Artiſta, quia ſcit omnia argumenta, omnes fallacias, audiat quid dicat Sapiens: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Veniet dies iudicij, in quo plus valebũt pura corda, quam aſtuta verba, & Conſcientia bona, quam marſupia plena, quia tunc Iudex ille non falletur verbis, nec flectetur donis. Chryſoſtomus: tunc neque diuitiæ diuitibus proderunt, nec pro parentibus parentes intercedent, nec Angeli, ſicut ſolebant, pro hominibus facient verbum, quia natura Iudicij non recipit miſericordiam.

[Quod ſententia Dei eſt irreuocabilis. Cap. 11. — *Nah. 1.* — *Pſa. 88. 35.* — *Iob. 23.* — E — *Prou. 6.*]

Item ſi aliquis refutetur à Cancellario Pariſienſi, non omnes ſciunt, ſed ſoli quinque, vel ſex: ſed quando aliquis in die iudicij refutabitur, non erit tam ſurdus qui non audiat, nec tam cæcus qui non videat, nec tam ignorans qui hoc neſciat, quod iuſte refutabitur. Et ſic confuſione confundetur: Quia, ſicut dicitur apud Matthæum & Lucam, *Nihil opertum quod tunc non reueletur; & nihil occultum quod non ſciatur.* Et, Sapiens: *in fine hominis, denudatio operum eius.* Et apud Ezechielem, *Nudabo ignominiam tuam coram omnibus amicis & inimicis tuis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Et iterum: *Scies, quia ego Dominus, vt recorderis & confundaris, & non ſit tibi vltra aperire os præ confuſione tua.* Iſaias. *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum vltionum copia, & non reſiſtet mihi homo* Ieremias: *quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſa ſunt domus Iſrael:* &c. Pſalmographus: *Verecundia mea contra me eſt, & confuſio mea faciei meæ cooperuit me.*

[Quod per ſententiam mali erunt infames. — F — Cap. 3. — *Matth. 10.* — *Luc. 12.* — *Eccl. 11. 27.* — *Ezech. 16.* — *Iſa 47.* — *Hier. 11.* — *Pſal. 43. 16.*]

Item, etiam ſi quis habet confuſionem animi quando refutatur à Cancellario, delebilis eſt & traditur obliuioni, per proceſſum temporis: ſed illa quæ erit in die Iudicij, erit indelebilis. Apud Sapiẽtem legitur: *Adulter, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur* Et Ieremias *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nuſquam delebitur.*

[Quod ſententia diuina eſt indelebilis. Cap. 4. — *Prouer. 6.* — G — *Hier. 20.*]

Item quando aliquis refutatur à Cancellario, non verberatur: ſed qui refutabitur in die iudicij, verberabitur virga ferrea, & faſtigabitur à valle Ioſaphat vſque in infernum, & iterum à longo inferni in perpetuum. Ioel. *Congregabo omnes gentes in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Nec poſſumus reſpondere, ſicut reſpondent aliquando pueri: Quando in ſcholis de Grammatica, dicitur alicui puero; Repete lectiones tuas, quia in die ſabbati eris verberatus ſi neſcieris illas: Reſpondet puer, aliquando repetam, ſed Iudam ſatis! Si ſum verberatus, bene valet, pro vna verberatione ero immunis, vel effugiam in die ſabbati, vel fingam me eſſe infirmum, & ita euadam. Qui ſic poſſet facere in die iudicij, ſi neſciret reſpondere de libro conſcientiæ, adhuc aliquid eſſet, & poſſet ſuſtineri quod hîc faceremus quicquid vellemus, & in libro conſcientiæ noſtræ non ſtuderemus. Sed certe verberabimur, non virgis vel corrigiis, ſed virga ferrea, ſicut dicit Pſalmiſta: *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Vas figuli non poteſt reparari cum fractum fuerit, nec ille ſanari, qui ſic verberabitur, Ieremias: *Caſtigabo te in iudicio, inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.* Nec tamen pro illa verberatione erit adhuc immunis: quia dicitur apud Matthæum, *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Ligatis pedibus*, ſicut dicit Auguſtinus, vt non poſſit effugere: *& manibus*, vt non poſſit ſe defendere. Et, Matthæus, *Diſcedite à me, maledicti in ignem æternum.* Si alterum, non ergo pro verberatione vna erit immunis: immo tantum verberabitur, quod mors quæ in mundo iſto timetur ab homine, præ cæteris ab eo deſiderabitur. In Apocalypſi: *Deſiderabunt damnati, mortem, & fugiet ab eis.* Nec effugient, quia ſicut dicit Pſalmiſta: *quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero ad Infernum, ades*: Et, Iob: *Cum ſit nemo qui de manu tua poſſit eruere.* Nec poterit ſe fingere infirmum.

[Quod ſententia grauiſſima. — *Ioel. 3.* — H — *Pſalm. 2.* — *Hier. 30.* — *Matt. 22. 13* — *Matth. 25.* — *Apocaly. 9.* — *Pſalm. 138.* — *Iob. 19.*]

A

Matt 10. Psalmographus, *Scrutans corda & renes Deus.* Et Matthæus: *Nihil opertum quod non reueletur*, &c. Et maxime quia Dominus est optimus propheticus, & videt & cognoscit omnia. Eccl.13. Heb.4. Sapiens: *Oculi Dei omnia vident.* Et iterum: *oculi Domini lucidiores sunt Sole*, &c. Apostolus: *Compagum & medullarum & cogitationum discretor est Deus; Et non est vlla creaturarum inuisibilis in conspectu eius: Omnia autem nuda & aperta oculis eius ad quem nobis sermo.* Summa ergo dementia est, librum istum, scilicet, conscientiæ, negligere, & in alijs diligenter vel magis quam in isto studere.

Quod improuisa erit Dei Sententia. Cap. 6.

Item Cancellarius Parisiensis nullum præuenit vel cogit ad petendam licentiam, sed expectat quandiu volunt Scholares, imo grauatur multoties quod instát examinari, & petunt licentiam. Sed Deus, aliquos (antequam credant) etiam inuitos facit venire ad examinationem: Aliqui enim, nunquam vellent venire. Apud Lucam: Luc.12. 40. Matt.24. *Estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, scilicet, ad examinandum & iudicandum. Item diuiti, qui sibi B Luc.12. prouiderat de tanta multitudine ciborum, & qui tam diu putabat viuere, dixit Deus, *Stulte, hac nocte repetam animam tuam à te; Et quæ antea parasti, cuius erunt?* Isa.13. Isaias: *Vlulate, quia prope est dies Domini.* In eodem: *Ecce dies veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ & furoris.* Ezech.11. Ezechiel: *Prope est dies occisionis.* Mala 4. Malachias: *Ecce dies venit succensa sicut caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula.* Sap.6. Sapiens: *Horrende & cito apparebit nobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt.*

Quod cauendum & cogitandum sit de Dei Sententia. Cap.7.

Vide ergo dementiam illorum qui non prouident sibi in libro isto, scilicet conscientiæ suæ. Ideo sollicitus quærebat Iob, *quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi*: Iob.31. vtinam istam quæstionem frequenter faceremus. Hieronymus: Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper intonare videtur auribus meis illa tuba terribilis, Surgite mortui, venite ad iudicium. In vitis patrum, dixit Abbas Amon cuidam Fratri interroganti aliquem bonum sermonem, Vade, & fac talem cogitationem tuam, qualem faciunt illi C qui sunt in carcere. Illi enim, vbi est Iudex, & quando veniet, solliciti quærunt, & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Sic quilibet Christianus debet animam suam obiurgare, dicens: Væ mihi, quomodo habeo adstare ante tribunal Christi, & actuum meorum reddere rationem! Et, si sic semper meditatus fueris, poteris saluus esse: Sin aliter debemus facere sicut faciunt illi qui debent ire ante Cancellarium, ad examinationem, qui vigilanter student in libro illo in quo debent examinari, alijs postpositis, parum bibunt, parum comedunt, omnia scripta quæ ad hoc valent, diligenter quærunt, & Magistros de hoc legentes audiunt alijs relictis; Et vix possunt incircunspecti esse, quin percipiatur à socijs suis quod sint in Psal. 76.7. examinatione. Psalmista: *Meditabar; Numerabam nocte cum corde meo, exercitabar & fouebam spiritum meum*: quasi dicat, Dies non sufficiebat mihi. Nocte, cùm ad secretum lecti tui veneris, dic animæ tuæ: O anima mea, quid boni maliue fecimus hodie? Et de malis pete veniam; de bonis vero, redde gratias Deo. Vnde quidam bonus homo, quasi D *flens*, ista verba sero consueuerat de ore suo. *Beau Sire Dieu*, de tous mes maux vous crie mercy, De tous voz biens ie vous mercy? Vnde Versus:

Parce malis, Christe, de donis laudo tuis te.

Quod in iudicio, oportebit de omnibus reddere rationem. Cap. 8.

Item si Cancellarius Parisiensis examinet aliquem clericum, in aliquo libro, sufficit quod reddat ei septem vel octo lectiones: sed de libro conscientiæ, volet magnus Cancellarius (scilicet Deus) audire in die iudicij, à princi- Sap. 8. pio vsque in finem: Quia dicitur Sapiens: *Sapientiam* (id Ecclesiast. est, filium Dei, cui dedit Deus Pater omne iudicium) *non vincit malitia, Attingit enim à fine*: id est, à puncto, *vsque in finem.* Ecclesi. *finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time & mandata eius obserua, hoc est omnis homo*: id est, ad hoc, est omnis homo. Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus ad iudicium, pro omni errato, siue bonum siue malum sit, etiam de minimis, quia & de cogitationibus interro- Sap.1. gabit. Sapien.1. *In cogitationibus impij interrogatio erit.* Idem: Sap.6. *Deus interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabi-* Iob.31. *tur.* Iob: *Nonne ipse considerat vias meas?* Glossa Gregorij: sic

E

Deus vias vniuscuiusque ponderat, sic gressus dinumerat, vt nec minutissimæ cogitationes, eius iudicio, nec verba tenuissima quæ apud nos inualuerunt, indiscussa remaneant. Item de verbis otiosis, Matthæus: Matt.12. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij, Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et nota; si de verbis otiosis oportet reddere rationem, quid de verbis luxuriosis, & de periurijs, & de blasphemijs, & de omnibus operibus malis? Ambrosius super hoc; *de omni verbo otioso, &c.* Sicut de omni verbo otioso oportet reddere rationem, ita de omni silentio. Et distinguitur tribus modis silentium. Est enim Silentium triplex. quoddam, malum, quoddam, peius; quoddam, pessimũ. Pessimum est, quando aliquis videt Proximum suum in peccato mortali, quem potest corripere, & de quo probabiliter credit, quod propter ipsum dimittet peccatum illud vel simpliciter, vel saltem ad tempus, si diligentiam Ezech.3. adhiberet, & faceret quod in se est. Ezechiel: *Si non an-* F *nunciaueris impio, nec loquutus fueris vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* In Glosa interlineari: *Morti cui non contradicis, adiungeris.* Chrysostomus: *Sic tolerandi sunt mali, vt tamen non taceatur istis talibus, quia si tacuerimus, alios perdimus: sed sic seruetur moderatio fixa admonitione, vt & lingua clamet, & cor amet.* Apostolus: *Non solum qui ma-* Rom 1. *la faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Glosa Augustini: Agens & consentiens pari pœna punienter. Dicitur autem in Gallico; *Qui tacet concedit.* Est Cõsensus multiplex. autem multiplex consensus, sufficientiæ, negligentiæ, consilij, adulationis, cooperationis & auctoritatis; quia ille facit, cuius auctoritate fit. Consentire, est tacere cum prodest arguere. Gregorius in moralibus; *Charitas Zelus est qui corrigere non valet, increpare non desinit, ne se participem delinquentum, consensu taciturnitatis adiuciat.* Augustinus: *Tantum torquet iustum iniquitas aliena, quantum recedit à sua, peccata enim proximorum frxioria sunt Iustorum*, Bernardus: *quod corrigere nequeo, quasi super impositum onus porto.* Secundum G silentium est, quando aliquis tacet cum videt Proximum suum non penitus adhærentem bonis, nec penitus malis; sed videt eum quasi natantem inter duas aquas; Et quod vult esse bene (vt vulgo dicitur) de canibus & de castratoribus; Et de talibus dicit mundus, quod sapientes sunt & liberales, quia optime sciunt se habere cum omni genere hominum, & quod bonum est tales promouere. Sed potest dici quod tales, sunt Vespertiliones, qui sunt Politici sunt similes Vespertilionum. vilissimæ bestiæ & odiosæ, de quibus nescitur, vtrum sunt animalia gressilia vel volatilia. Nota etiam de vespertilione, quod cum esset magna discordia inter animalia Fabula de Vespertilione contra Politicos. quadrupedia & volatilia, etiam assignata die ad bellandum, sese absentauit vespertilio, cogitans quod non iret ad bellum, sed videret quis completo bello melius haberet, & cum illo se teneret. Facto autem bello, & multis interfectis & vulneratis ex vtraque parte, occurrerunt Quadrupedia Vespertilioni dicentia; accipite, suspendite inimicum vestrum. Dixit autem vespertilio: Hah, boni H amici, quid dicitis? ego sum de vestris; Et ostendit eis suos quatuor pedes, & sic euasit. Similiter, Auibus ei obuiantibus dixit, & ostendit eis alas suas, & sic euasit. Sic tales homines, cum sint cum papelardis viris & religiosis, dicunt; Orate pro me, & faciunt gallum implutum, † & contrafaciunt Magdalenam; Et quando sunt cum †vel, implumem. mundanis, faciunt sicut mundani, vel peius, & detrectant de peregrinis & religiosis viris, & derident, vt habeant beneuolentiam mundanorum. Vnde vidi quendam, qui cum erat coram magnis beguinis, habebat magnum Supertunicale rotundum cum magnis & latis manicis de camelino, & coram mundanis habebat de Bruneta scissum ante & retro, strictum, sine manicis de Vario sodetatum. Vnde qui videt tales; non debet tacere, sed debet monere eos, & fideliter laborare, quousque adhæreant bonis. Tertium silentium est, quando aliquis tacet cum videt proximum suum; qui & si se teneat cum bonis & non malis, tamen tepidus est & remissus. De his, Ioannes in Apocalypsi; *quia tepidus es & non frigidus* per timo- Apoc.3. rem, vel calidus per amorem, *incipiam te euomere de ore meo.*

A Debet etiam incitare ad hoc, quod sit feruens & virilis, & quod proficiat semper in melius: quia sicut dicitur in *Psal. 83. 8.* Psalmis, *ibunt sancti in virtutem de virtute, vt videatur Deus deorum in Sion.* Quia charitas ante deficit quam non proficit, sicut dicit Gregorius. Tertium, malum secundum peius, primum, pessimum. Augustinus: Non putes te seruum tuum amare, quando non cædis, aut tunc amare filium tuum, quando ei non das disciplinam, aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor. Gregorius: *Si iste esse Dei dicitur, qui ad ferenda vitia intuitu diuini amoris vel feruore excitatur, profecto, esse se Dei denegat, qui in quantum sufficit, increpare vitam criminalium recusat.* Nota autem quod tales, sunt monachi diaboli, qui ita bene seruant prædictum silentium, cum vix inueniretur inter monachos Dei, qui suum silentium per dimidium annum. Illi autem seruauerunt per decem annos, vel à principio amplius, nec volunt aliquo modo frangere.

B *Quod de temporé oportet reddere rationem in die iudicij. Cap. XI.* Item, de tempore quod hodie ita vili penditur; interrogabit Deus. Omne tempus tibi impensum, requiretur qualiter à te fuerit expensum. Item, sicut nec capillus de capite peribit, ita nec momentum de tempore. Apud *Matth. 10.* Matthæum: *Capilli capitis vestri, omnes numerati sunt.* Et miror dementiam eorum qui student, quomodo possint tempus suum perdere, dicentes: Ludamus ad aleas, & huiusmodi, & interim transibit tempus, & trademus illud obliuioni sic ludendo. Bernardus: *Volat verbum irreuocabile, nec aduertit insipiens quid amittat.* Liber fabulari, ait, donec *Contra otiosas confabulationes.* hora prætereat, donec tempus transeat. O, donec hora prætereat, quantum, ad agendam pœnitentiam, quantum ad obtinendam veniam, & acquirendam gratiam & gloriam promerendam, miseratio Conditoris indulget? O, donec tempus transeat? qui diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad euangelicam societatem suspirare ad omissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam noctem, flere commissam ini- *Iac. 2.* quitatem!

C *Quod Dominus in propria persona tenebit Iudicium, & ideo horrendum. Cap. 10.* Item si aliquis respondeat coram Cancellario, de quatuor quæstionibus, ad tres, bene transit, & licentiatur: Sed, si aliquis coram magno Cancellario in die Iudicij, de mille, defecerit in vna, refutabitur. Iacobus: *Qui totam legem seruauerit, offenderit autem in Vno, factus est omnium reus.*

Item Cancellarius non audit omnes qui licentiantur, in propria persona, sed facit eos audiri ab aliquibus aliis magistris. Multi autem bene respondent coram aliquibus simplicibus, qui male responderent coram Cancellario, perterriti & stupefacti propter magnitudinem suæ sapientiæ. Exemplum de monacho qui erat electus in Abbatem, & præsentatus fuit à suis monachis Guiardo Episcopo qui voluit eum examinare, sicut mos suus erat de omnibus, nec parcebat alicui, & dedit ei Missale, dicens: Verte in quacunque parte volueris. Et electus, stupefactus & tremens sicut tremit folium super arborem quando ventat fortius, vix potens tenere librum, dixit ad quid

D vetterem in libro? nihil scio in illo. Et dixit Episcopus quod erat Missale in quo multoties legerat; Non enim erant Priora, aut *Posteriora*, vel decretales, vel Leges. Qui respondit, quod nec in Missali, nec in alio libro aliquid sciret dicere, ne in suo, *Pater noster.* Quæsiuit Episcopus, quare: Qui respondit, quod pro timore quem habebat de illo Episcopo pro magnitudine scientiæ suæ, cum esset vnus de maioribus de mundo. Et rogauit Episcopum, vt istam gratiam ei faceret, quod faceret eum audiri ab aliquibus sociis suis, quia melius se haberet coram socijs Episcopi quem coram Episcopo. Quod concessit ei prædictus Episcopus. Sed ecce Deus in die Iudicij, omnes singulariter examinabit in propria persona, & in plena vniuersitate; nec alij committet, aliquo modo, cuiuslibet sit scientiæ. Ad scientiam cuius Dei, nulla est compara- *Psal. 146. 5.* tio prædicti Episcopi, vel cuiusque magni clerici. Psal- *Iob. 5.* mographus: *Sapientiæ eius non est numerus.* Et Ioannes: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*, id est, *Iob. 35.* iudicium de omni Iob: *Omnipotens, singulorum causas diligenter intuetur.* Si ergo ita stupefactus fuit & ita timuit

E Monachus coram prædicto Episcopo, quid faciemus in die Iudicij, vbi non erit quærela de Abbatia vna, sed de regno Paradisi & patibulo Inferni, in quo nulla est redem- *Iob. 27.* ptio? Iob *Columnæ cæli contremiscent & pauebunt ad nutum eius:* Glossa, *Columnæ*, id est, sancti Angeli, vel summi Ec- *Mal. 3.* clesiæ Prædicatores. Malachias: *Quis stabit ad videndum eum? ipse enim est ignis conflans.* In Apocalypsi, *dicent mon- Apo. 6.* tibus & petris, *cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Augustinus: *Mallent Repro- Iob. 18.* bi omne tormentum sustinere, quam faciem irati Iudicis videre. Augustinus super illud Ioannis: *Ego sum*, qui ceciderunt ad vnam vocem Christi morituri, quid facient sub voce Iudicaturi? Glossa, in moralibus: *Quis eius iram tole- Ioan. 26. 14* ret, cuius & ipsa mansuetudo non poterat tolerari? Iob: *Cum vix per vnam stillam verborum eius audiuimus, quis poterit tonitru magnitudinis eius intueri?* Item Episcopus ille G. non erat armatus nec tenens arma & circundatus multitudine *Ezech. 21.*

F maximorum armatorum, sicut in die Iudicij. Ezechiel: *Egredietur gladius meus exacuatus & limatus de vagina sua, ad omnem carnem*: id est, ad criminaliter viuentes. In Apo- *Apocaly. 1.* calypsi, *Gladius ex ore eius, ex vtraque parte acutus*; id est, sententiam, qua anima in corpore damnabitur, exhibebit. Item in Apocal. *De ore eius procedebat gladius ex vtraque Apoc. 19.* parte acutus, *vt in ipso percutiat gentes, & ipse regat eos in virga ferrea.* O quam angustæ erunt reprobis viæ! Superius erit iudex iratus, subtus horrendum Chaos inferni: à dextris, peccata accusantia, à sinistris, infinita dæmonia ad supplicium trahentia: intus Conscientia vrens; foris, mundus ardens: O miser peccator! sic deprehensus, quo effugies? Latere, erit impossibile; apparere, intolerabile. Si quæras, quis eum accusabit? dico, perditum hunc totus mundus odio habet, persequitur eum flamma & ignis! Psalmographus: *Sicut ignis qui comburit syluam, & sic- Psa. 82. 11.* ut flamma comburens montes, ita persequeris eos in tempestate tua. *Psalm. 69. 3.* Item: *Ignis ante ipsum præcedet, &c.* Sapiens: *Accipiet armatu- Sap. 5.* ram zelus illius, & armabit creaturam vel vltionem inimicorum; *induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudi-*

G *cium certum; sumet scutum inexpugnabile, æquitatem; acuet autem iram diram in lanceam, & pugnabit cum illo omnis orbis terrarum insensatos.* Apud Matthæum: *in consummatione Matt. 13.* sæculi, mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Potes & alia multa inuenire de pœnis damnatorum, in Sententia de virtutibus; capitulo, de timore. Patet ergo dementia illorum qui in libro Conscientiæ suæ noluerunt studere, & sibi prouidere, vel diligentius student in alijs libris; libros dico, pellium vel pecuniarum; quam in libro Conscientiæ.

Quomodo poterunt respódere Prælati. Cap. 21. Item si vix sufficiet aliquis quantumcunque studuerit in libro Conscientiæ suæ, respondere de illo in die Iudicij, quomodo is qui nunquam in illo studuit? Et id quod cantat Ecclesia; *Vix iustus saluabitur, & ego miser vbi Iob. 9.* parebo? Iob. 9. *Vere scio quod non iustificabitur homo comparatus Deo; si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille.*

H Quid ergo erit de Prælatis & Principibus, *3. Reg. 20.* quos non oportet respondere pro se solum, sed pro tot *Hebr. 13.* millibus; scilicet, pro omnibus subditis suis? Vnde in tertio libro Regum: *Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subiacete; ipsi enim peruigilant, quia rationem reddituri sunt pro animabus vestris.* Veniant, veniant ante tribunal Christi, vt audiatur pupillorum querimonia grauis, accusatio dura contra eos, quorum maxime stipendiis viuunt nec diluere peccata. Augustinus ad quendam Comitem: *De omnibus qui in domo tua, id est, in iurisdictione tua sunt, oportebit te reddere rationem.* Putasne; & his qui principantur, in tantis periculis & tantis negligentiis posse sal- *Sap. 6.* uari? Sapiens: *Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ, præbete aures qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis rationum*: Et sequitur; *quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet*; *Exiguo enim conceditur misericordia, potentesque potenter tormenta patienter, & fortioribus fortior instat cruciatio.* Nota ergo dementiam illorum qui ita anhelant ad prælationes & dignitates & potesta-

A

testates, qui non sufficiunt aliquo modo respondere pro se, & nituntur modis omnibus se obligare pro aliis respondere.

De confessione, primo quod debet esse frequens. Cap. XII.

Sequitur videre de secundo: scilicet, vbi liber iste (scilicet, Conscientiæ) & à quo audiendus. Legitur autem in confessione; quia nullus nisi demens; hunc librum aperiet nisi in confessione. Item Iob: *quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Dominus, & cum quæsierit, quid respondebo illi?* (Iob. 31.) Postea: *quis mihi tribuat auditorem*, id est, bonum confessorem, *vt desiderium audiat omnipotens?* &c. Nota quia non habetur pro Scholari Parisiis, qui ad minus non vadit bis in hebdomada ad scholas: quomodo ergo reputabitur pro Scholari Parisiis, qui non vadit nisi semel in anno? Multi autem sunt qui non vadunt ad confessionem, nisi semel in anno.

Quod integra esse debet confessio. Cap. XIII.

Item non reputatur aliquis Scholaris propter lectiones transitorias, nisi audiat ordinarias, nec reputaretur à magistro aliquo, si caperetur aliquo de casu à præposito, & poneretur in Castelloto. Multi autem sunt qui nunquam fecerunt confessionem suam nisi transitorie; scilicet, currendo & transeundo quasi gallus super prunas, quam citius possunt; & sola aliqua peccata dicendo, grossa & multa omittendo: tales, non reputat quasi Scholares suos ille qui dicit, *Vos vocatis me, Magister & domine & benedicitis, sum etenim.* (Ioan. 13.) Non liberabit eos à præposito Inferni, quando capiet eos, sed remanebunt in castelloto Inferni, incarcerati. Et cum clamabunt ad Dominum, non exaudiet eos, sed dicet, *nescio vos*, scilicet, meos esse discipulos. Non vidi vos in scholis meis, nec semel in anno, & nisi transitorie; non est bonus talis scholaris, sed qui dicebat, *confitebor tibi Domine in toto corde meo, &c.* (Psalm. 9.) Ideo *confitebor Domino nimis in ore meo*, (Psa. 108. 30.) & plusquam alii, & tantum quod forte verteretur in tedium confessoribus meis. Non sufficiebat autem ei dies, sed tanquam bonus Scholaris, media nocte surgebat; *media nocte* (inquit) *surgebam ad confitendum nomini tuo, &c.* (Psal. 118.) Et iterum; *meditabar nocte cum corde meo. &c.* (Psal. 76.)

Quod frequens esse debet confessio. Cap. XIV.

C

Item ille qui frequentat magis scholas, & diligentius Magistrum audit; debet melior clericus reputari. Ergo Begumi, siue in seculo, siue in religione; & libro isto (scilicet conscientiæ) sunt sapientiores, quia frequentius & pluries confitentur, sicut patet ad oculum: immo propter hoc dicuntur papalarei, quia frequentant confessiones. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt. Quærunt Deum per exteriora, & derelinquunt sua interiora: Sed quid prosunt litteræ eruditionis Prisciani, Aristoteles, Iustiniani, Gratiani, Galeni & sic de aliis, in pellibus ouinis & caprinis, nisi deleas de libro conscientiæ tuæ litteras mortis? Quid prosunt hæc lecta & intellecta, nisi teipsum legas & intelligas? Legere enim, & non intelligere, est negligere. Legere scilicet in pellibus ouinis & caprinis, & non intelligere; est negligere; ideo dementia est, cum in isto, tam districte debeamus examinari, & hoc non in aliis! Da igitur diligentem operam internæ lectioni, quia melior & laudabilior & sapientior es si teipsum cognoscas, & teipsum legere facias; quam si, te neglecto, cognosceres cursus syderum, fundamenta terrarum, vires herbarum, complectiones hominum; haberes etiam notitiam omnium cœlestium, terrestrium, & infernorum. Nota quod in plena congregatione Parisiis, coram omnibus, qui melius responderet, melior clericus esset vel diceretur, cunctis obmutescentibus. Ille autem qui frequentius vadit ad scholas confessionis, & diligentius studet in libro conscientiæ suæ, melius respondebit in die iudicij, in plena vniuersitate, summo magistro opponente. Ergo melior & sapientior Clericus debet dici, qui melius scit confiteri. Magnum erit dedecus magistris de Artibus, & magna derisio etiam magistris in Decretis & in Theologia, qui modo nolunt studere in libro conscientiæ suæ; quia nescient respondere? Ideo obmutescent in die iudicij coram omnibus, vbi aliqua Beguma, vel conuersus, vel monachus simplex optime respondebit, qui totam suam intentionem ponit ad scrutandum & sciendum librum conscientię suæ. Psalmographus: *qui habitat in cæ is, irridebit eos, &c.*

D

Item Scholares dant pretium, & aliquando expensas & (Psalm. 24.)

E

Quæ bona det confessio. Cap. XV.

vestes magistris suis: Dominus autem, tanquam magister optimus cibum dat scholaribus suis. Psalmographus: *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* (Psa. 41. 5.) Confitentes enim, veraciter reficiuntur spiritualiter: sicut multi experti sunt. Cibus enim fortificat, delectat & roborat, calefacit, & leuiorem ad ambuladum facit; quod spiritualiter sentiunt in seipsis veraciter confitentes. Item; nouis vestibus & pretiosis indumentis induit Dominus discipulos suos, id est, vere & integre confitentes: Psalmographus *Confessionem & decorem induisti.* (Psal. 103. 9.) Apostolus; *Exuite veterem hominem, & induite nouum qui secundum Deum creatus est.* (Eph. 4. Col. 3.) Et hoc bene significatum fuit in filio Prodigo redeunte ad patrem, & peccatum suum confitente; de quo dictum est apud Lucam, *Proferte stolam primam*; id est, pretiosam vestem, &c. (Luc. 15.)

Item si esset quis magister pater, qui daret cuilibet Scholarium suorum bonam præbendam cathedralem, vbicunque vellet eligere; propter dignitatem, multos haberet Scholares: imo, quis locus posset capere? Et certe alij magistri quantumcunque probi essent possent bene ponere mensas suas, quia nullos haberent Auditores. Dominus autem, bonus magister est; qui confert omnibus scholaribus suis (& solum, suis) Præbendas optimas: scilicet, Præbendam gratiæ, quæ præualet omnibus præbendis de mundo; nec facit eos diu expectare, sed

F

confert eis in prima die qua verissime intrant Scholas eius, scilicet confessionis. Quia vt dicit Dominus apud Prophetam; *ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor eius.* (Ose. 2.) Et nota quod non erubescit Dominus legere vni soli Scholari: quod est contra superbos magistros & Prædicatores, qui nolunt legere vel prædicare nisi habeant multitudinem magnam scholarium & Auditorum. Præterea dabit Dominus præbendam gloriæ. In Psalmis: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* (Psal. 83. 12.) Apostolus, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c.* (Heb. 9.) Dabit autem Dominus præbendam his qui Scholares sui perseuerando fuerunt: Apud Matthæum; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*; (Matth. 10.) Et qui bene se habebit hic, in præbenda gratiæ: quod

G

est contra multos prælatos; qui non probatos prius in paruis, tam cito promouent ad maiora quæ possunt dare: Apud Matthæum: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gloriam Domini tui*: (Matth. 25.) Id est, quia bene re habuisti in præbenda gratiæ hîc collatæ, accipe præbendam gloriæ. Vide ergo dementiam multorum qui Scholas huius mundi volunt frequentare; sed semel in anno solummodo, & hoc curiose frequentant scholas criminis mundi & diaboli, qui eis omnia auferunt.

Quod eligendus est discretus confessor Cap. XVI.

Item stultissimus esset, qui à peiori magistro qui esset Parisiis, vellet audire librũ suum in quo deberet districtissime examinari, aliis bonis magistris relictis: quod faciunt multi qui eligunt sibi peiores confessores quos possunt inuenire, & fugiunt bonos. Exemplum de illo qui dixit qui peiores vsque huc deuians, semper quæsiuit confessores: quia, quando iacuerat cum muliere, quærebat sacerdotem qui tenebat concubinam suam, & ei confitebatur.

H

Et quærebat Sacerdos ab eo, si fecerat mulieri illi, cum qua iacuerat, vim: & dicenti, quod non: dicebat; non est, Pater noster; Pater noster. Et similiter quando biberat tantum quod ebrius erat, quærebat Sacerdotem qui libenter ibat ad tabernã, & qui sæpe ebriuserat, & confitebatur ei: qui quærebat, si bene soluerat; Respondenti, qui sic: dicebat Sacerdos quod melius esset bibere suum quam alienum; *Pater noster, Pater noster.* Et dixit peccator omnibus sociis suis, quod non erat melior confessor, nec qui citius expediret confitentes, quam ille; & collaudauit sociis suis, vt irent ad illum. Exemplum de eo qui quæsiuit sacerdotem per tres leucas, qui erat cecus, vt non posset eum videre vel cognoscere per confessionem suam. Nota quod tales, qui sic quærunt malos sacerdotes relictis bonis, similes sunt Iudæ proditori, qui quando pœnituit, non fuit confessus melioribus (scilicet Apostolis) sed Pharisæis qui erant participes sui criminis; dicens eis: *Peccaui, tradens sanguinem iustum*; (Matt. 27.) In quibus, nihil inuenit consilij, nihil auxilij, sed magnum augmentum sui doloris & suæ desperatio-

Iudæ similes sunt qui Peccatores confessores studiosius exquirunt.

nis;

A nis; Dixerunt enim; *quid ad nos?* Tu videris! Quærat ergo confitens, bonum confessorem & sapientem, qui sciat discernere *inter lepram & lepram*; & sicut medicus peritus, varijs infirmitatibus competentes & proprias adhibere medicinas: Alioquin *si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.* Licentiam tamen confitendi alij Sacerdoti sapientiori, capiat à suo sacerdote: Aliud enim est, ex contemptu vel odio, proprium sacerdotem fugere, aliud, Ecclesiam vitare. Si vero noluerit dare licentiam, confiteatur ei & absoluatur, tunc, quemcunque voluerit peccator, confessorem consulere poterit.

Matt.15.

Quod libenter cōcedi debet à Sacerdotib. vt aliis confi. camur. Cap. XVII.

Nota quod diabolicus esset magister, & dignus deponi de magisterio, vt inuidus & timens ne ignorantia sua appareret, vel maxime superbus & præsumens, si non vellet vt clerici sui post lectiones suas ab alio addiscerent in lectionibus vel disputationibus quando cessaret eis legere, & melius vellet vt essent otiosi. Quod faciunt aliqui confessores, qui irascuntur de hoc quod subditi sui alijs confitentur, postquam confessi sunt eis, cum tamen ad hoc officiū vix sufficiat aliquis, quantumcunque sit bonus & sapiens.
B Et certe bonus & sapiens, de hoc rogat discipulos suos, quod aliquando audiant ab aliis. Scit enim quod plus diligent eum, & plus honorabunt eum, prætetea & libentius audient ab eo, quando videbunt quod magister eorum ad hæc diligentius & melius docet eos quam alij, & vt referant ei opiniones aliorum. Et sic est de bonis confessoribus. Et certe, confitentes mihi, multa me docuerunt quæ ab alijs confessoribus audierunt.

Quod imperiti non debent audire confessiones. Cap. XVIII.

Et nota dementiam illorum Sacerdotum, qui nōdum vel audierunt vel legerunt librum istum, etiam semel, ordinarie, & nec per vnum diem fuerunt veri discipuli de hoc libro conscientiæ, nec volunt esse, nec sciunt adhuc introitum huius libri, nec nomen vel nomina librorum spiritualium huius libri, quod faciunt populi Grammatici de libris suis, & præsumunt esse magistri huius libri, (scilicet conscientiæ) qui etiam difficillimus videtur & profundissimus. Hieremias, *Profundum est cor hominis atq; inscrutabile, quis cognoscet illud?* Psalmographus: *delicta quis intelligit? &c.* Magistri (inquam) tot & tantorum subditorum. Et certe magnus magister Deus, faciet eis in die Iudicij, sicut paruis magistris in schola de Grammatica. Magnus enim magister, quādo audit lectiones discipulorum suorum in die sabbati, si aliqui puerorum nesciant suas lectiones, & inueniat quod magister eorum sit in causa, vel sit occasio, vel quia non bene legit eis, vel quia negligens fuit, verberabit pueros, & magis magistrum eorum. Sic Deus verberabit Prelatos & punict, pro se subditis suis si propter defectum eorum errauerint. Ezechiel: *Si non annunciaueris impio nec locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat,* &c. *sanguinem eius de manu tua requiram*: Gregorius, id est, *morti, cui non contradicis, adiungeris.* Idem ibidem: *quia tacuisti, & noluisti esse solicitus in prædicatione similiter in confessione; particeps eris in damnatione.*

Hier. 17.
Psal.18.13.
C

Ezech.3.

Quod Prælati facile dare debēt D licentiam confitendi aliis. Cap. XIX.

Demens igitur est Prælatus vel Confessor qui non vult quod subditi sui meliorem quærant Confessorem, quam ipse, si inuenire possint. Similiter dementes sunt, si non quærant. Hæc autem est vna de laudibus incipientium magistrorum Parisiis, quod à melioribus magistris de villa audierunt. Nota quod vix potest esse bonus Clericus, qui à pluribus magistris non audiuit. Similiter vix potest esse bonus confessor, vel bene confessus, qui pluribus non fuerit confessus. Augustinus: *Quanto pluribus confitebitur quis turpitudinem sui criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis.*

Quod Cōfessor debet habere zelum Dei. Cap. XX.

Et nota quod plus valet ad legēdum librum istum (scilicet Conscientiæ) zelus & diligentia, mansuetudo & experientia multa, quam librorum copia, vel scholaris scientia, maxime in communibus peccatis. Psalmographus: *Superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Christus apud Ioannem: *Cum venerit Paracletus, docebit vos omnem veritatem*: supple, necessariam ad salutem. Gregorius: *Ars artium zelus animarum.* Psalmographus. *Lex Domini immaculata, conuertens animas*: id est, *qui se tenet immaculatum, conuertit animas.* Vnde videmus aperte, vbique, quod magis proficiunt & profecerunt ab initio Ecclesiæ in conuersione

Psa. 89. 10.
Ioan.16.

Psal.18.84.

E peccatorum, à paucis literis, zelum animarum habentes, peccatoribus compatientes, quam magni literati, de sua scientia gloriantes, vel etiam præsumentes. Falleris fili, si te putas apud magistros mundi hanc scientiam inuenire, quam soli discipuli Christi (id est contemplatores mundi) diuino numine sunt assecuti. Non hanc docet lectio, sed vocatio; non litera, sed spes; non eruditio, sed executio in Mandatis Dei Psalmographus: *& mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis* Super hoc, Gregorius: *Custodia Mandatorum, aperit intellectum occultorum.*

Psal.118.

Quod prius Sacerdos non est fugiendus. Cap. XXI.

Item nota quod boni Scholares Parisiis libentius audiunt à magistris compatriotis suis, & magis notis & familiaribus sibi, maxime si sint æque boni vel meliores, quam ab aliis: imo erubescunt maxime, audire ab extraneis magistris, sibi familiaribus, æque bonis vel melioribus, omissis: quia de suis dubitabilibus, melius & facilius & securius possunt ad sibi familiares recurrere. Quod est contra illos, qui bonos confessores sibi notos fugiunt?
F minus bonos, extraneos, accipientes. Cato: *Nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus.* Idem: *Consilium arcanum tacito committe sodali.* id est, Confessori, qui tacitus est. Sapiens: *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles.*

Prouer.25.

De Partibus, & materia confessionis. Cap. XXII.

Notandum quod liber conscientiæ diuiditur in tres partes, procemium, tractatum, & epilogum: quia sicut in procemio, generaliter ea quæ postea sequuntur in speciali: sic vere pœnitens contristari debet generaliter de omnibus peccatis suis. Execuio dicitur esse, Confessio: cuius sunt vigintiquatuor libri: scilicet decem Decalogi præcepta, contra quæ forte peccauit, & ad quodlibet obligatur; Similiter, septem peccata mortalia, & septem opera misericordiæ, ad quæ quilibet Christianus obligatur, pro loco & tempore. Decem præcepta, per hos Versus cognoscuntur:

Sperne deos fugito periuria, Sabbata serua.
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Non sis occisor, fur, mæchus, testis iniquus:
Vicini, thorum, resque caueto suas.

G Septem mortalia peccata sunt hæc: Superbia. Inuidia, Ira, Acedia, Gula, Luxuria: Vnde versus:

Luxus, aua. super. ac. inuidus, ira, gula.

Septem opera misericordiæ in quibus Dominus examinabit & disceptabit cum quodlibet in die Iudicij, dignoscuntur per hunc Versum:

Vestio, poto, cibo, visito, cogo, colligo, condo.

Et in his omnibus vere confitens scrutari habet diligentius conscientiam suam. Item quodlibet istorum membrorum potest diuidi in tot partes, quot sunt circunstantiæ peccati, quæ exprimuntur hoc Versu:

Quis, quid, vbi, cum quo, quotiens, cur, quomodo quando.

Recapitulatio, dicitur esse satisfactio: quia sicut Epilogus ad hoc est vt commendentur memoriæ quæ prius specialiter tractata sunt, sic, satisfaciens, finaliter debet commendare memoriæ peccata sua, & pro illis debite satisfacere.

H

TRACTATVS MAGISTRI ROBERTI De Sorbonia super Confessione.

AD sanctam & rectam Confessionem, tria sunt necessaria ipsi animæ pœnitenti, volenti sua peccata confiteri. Primum est, vt diligenter cogitet & examinet vtrum sit in facto aliquo septem criminalium peccatorum: quæ sunt, Superbia, Inuidia, Ira, Auaritia, Acedia, Gula, Luxuria. Secundum quod postea debet facere, est videlicet, vt bene scrutetur vtrum transgressa fuerit diuina mandata, quæ sunt decem. Tertium est quod nulla debet dimittere, videlicet, vt (quia non potest omnia peccata in speciali recolligere & recolere, quæ forte propter peccatum proprium & negligentiam confitendi, tradidit obliuioni) recognoscat in gemitu, se grauiter peccasse contra Deum omni genere peccati: scilicet, cogitatione, locu-

A locutione, & operatione, ad quæ reducuntur omnia peccata. Primo ergo cognoscere potest, si peccauerit in superbia, hoc modo; si extulerit se se, corde, vel ore, super alios, propter diuitias, vel propter potentiam, vel pulchritudinem, vel generis nobilitatem, vel sapientiam, vel vestem, vel laudem popularem; quia plus laudatur vel honoratur in populo; vel (quod grauius est) propter malitiã, gloriando in peccatis proprijs vel aliorum, vel gloriando in bonis operibus, vt ieiuniis, vigilijs, orationibus, eleemosynis, & similibus; appetens inde laudem humanam. Item si dicat quod virtutem & bona quæ habet, habeat à seipso, vel à Deo pro meritis suis propriis, dando sibi plus quam aliis, vel falso iactat se habere aliquod bonum, vel credat se habere bona quæ non habet. Item si gloriatus fuerit de pulchritudine membrorum suorum, vt oculorum, manuum pedum, crinium, & cæterorum membrorum. Item si propter laudem, simulauerit se esse meliorem quam sit; vel propter appetitum lucri, vt hypocritæ faciunt. B Si hæc omnia, vel aliquod istorum in se inuenerit: statim se peccasse per superbiam nouerit, & confiteatur, & dicat; mea culpa peccaui per superbiam hoc modo, vel his modis. Secundo; debet se examinare an peccauerit per Inuidiam, quod sic cognoscere potest. Si habuerit gaudium de aduersitate Proximi, vel tristitiam de prosperitate Proximi: Item si detraxerit occulte alicui, vel falso accusauerit, vel falso crimen imposuerit, vt damnificetur alius in rebus suis vel persona. Item si aliquam proditionem fecerit, vnde accidat malum ei cui inuidet. Item si contra eum iniuste murmurauerit, si aliquo modo damnum suum procurauerit, & de malo vel in malo suo gauisus fuerit; si ei cum indiget, propter inuidiam minus succurrerit, si rancorem in animo seruauerit, si contra Deum iniuste murmurauerit; dicat, mea culpa peccaui per inuidiam, hoc modo, vel his modis. Tertio si peccauerit per Iram, debet tria cogitare. Primum est, si sit latens ira in corde; Secundum, per quantum tempus; Tertium si fuerit inueterata; & tunc dicitur C odium. Item si habuerit indignationem, si impatientiam propter iram, si stultam audaciam ad nocendum. Item si fuerit prorumpens in ore, per contumelias, per clamores, per obiurgationes, per blasphemias, per lites, & per alia turpiloquia; quæ omnia sunt confitenda. Item si fuerit exercitatus in opere, per læsiones corporales, vel rerum, vel personarum; vel si aliquod nocumentum fuerit consecutus vel per se, vel per prouocationem suam; & dicat; mea culpa prouocaui hoc modo, vel his modis. Quarto autem, videat si peccauerit per Accidiam: quod potest scire hoc modo: si tædium boni concepit. Item si aliquod bonum opus cum murmure fecerit, si cordis tristitiam, si pigritiam & somnolentiam in diuino seruitio habere consueuerit; Item, si dormierit cum orare debuerit. Item, si bona quæ debuit facere, per negligentiam amiserit; vel minus pure quam debuisset, fecerit. Item si aliquid de Officio omiserit. Item si bonum, quod statim potuit facere, propter pigritiam vsque ad tempus aliquod facere D distulerit. Item si audito verbo Dei, tædium habuerit. Item si eadem ad quæ tenebatur, facere dimiserit. Item si bonum propositum dimiserit, vel in eo non perdurauerit. Item si increpationes illatas contempserit. Si aliquod istorum in se inuenerit; dicat, mea culpa peccaui per Accidiam, hoc modo, vel his modis. Quinto videat, si peccauerit per auaritiam; quod sic potest scire. Si nimio ardore & immoderato amore temporalia acquisierit. Item si in mutando pecuniam aliquid supra sortem, vel vltra sortem receperit; vel quamcunque aliam rem accommodando, vel aliquid supra capitale admiserit, vel carius ad terminum vendiderit propter expectationem. Item si videns necessitatem Proximi, bladum in herba pro minus paruo emerit, vel aliam rem. Item si mutuum dederit, inde sperans aliquid recipere. Item si furtum, rapinam, si vastationem agrorum, vel vinearum; vel aliquo alio modo, Proximo fecerit damnum, cupiditate rei temporalis. Item si deceperit aliquem, vel aliquo alio modo fecerit fraudare, vel aliquem circumuenerit in aliqua negotiatione, in pondere, numero & mensura, vel alio modo in decipiendo. Item si collectas, vel indebitas E exactiones fecerit. Item si emendas nimis graues & iniustas ab hominibus suis leuauerit. Item si calumnias vel iniurias aliquas Proximo fecerit. Item si debitam rem, vel amissam, vel à se inuentam non reddiderit. Item si superflua pauperibus non communicauerit. Item si bladum vel vinum retinuerit, & pauperibus subtraxerit quousque inutilia essent, vel etiam vt nimis care venderentur. Item si propter lucrum temporale, falsum testimonium protulerit. Dicat; mea culpa, quia peccaui per Auaritiam hoc modo, vel his modis; si in istis vel istorum aliquo deliquerit. Sexto videat, si peccauerit per Gulam; quod sic potest scire: si nimis in cibo vel potu, per ingurgitationem excesserit; si etiam incurrendo sensus hebetationem, rationis perturbationem, vel immunditiam inciderit, vel oris, vel etiam in fragilitatem carnis, vel multiloquium, vel scurrilitatem, vel ineptam lætitiam. Item si ieiunium sine causa, vel euidenti necessitate fregerit. Item si debitam horam præuenerit. Item si nimis F frequenter, & nimis auide comederit, vel biberit. Item si nimis delicata vel sumptuosa cibaria operari fecerit vel præparari. Item si nimia in quantitate ferculorum & curiositate salsamentorum excesserit. Item si cum nimia delectatione, cibum vel potum studiose sumpserit, si contigerit vomitus, si pluries se inebriauerit dicat mea culpa, peccaui per gulam sic. Septimo videat, si peccauerit per Luxuriam: quod potest cognoscere, si adulterium commiserit, si cum soluta aliqua, & cum quot, & quotiens: si dederit fidem, & postea cognouerit: si cum vxoratis, & cum quot: si interuenit compaternitas, vel filiatio. Vtrum cum meretricibus venalibus, Vtrum in sacro loco; Vtrum in puerperio, Vtrum cum Religiosis, Vtrum vitio Sodomitico. Si in talibus dedit bona Ecclesiæ, si incestum, si cum consanguinea vel affine dormierit, vel si virginem deflorauit. Item si contra naturam tunc opus operatus fuerit, vel simili vel dissimili vel extraordinario modo vel loco, vel si per mollitiem ex contactu propriæ G carnis. Si peccauerit occasione videndi, vt in choreis: si illicitos tactus fecerit, si dormiendo vel vigilando aliquid emiserit, si aliorum luxuriam prouocauerit vel sustinuerit, vel non impedierit cum posset. Item si debitam vxorem propriam indebito modo cognouerit. Item si cum Sanctimoniali sacrilegium commiserit. Mulier autem videat, si proprium corpus causa libidinis nimis ornauerit. Item si ad spectaculum libenter ierit. Item nimiam curiositatem vestium habuerit. Item si specula vel vnguẽta possederit. Item si se aspectui hominum exposuerit. Item si mente aliquubi concupierit. Item si sensus castos non custodierit, videns quod non debuit, audiens quod non oportuit, falsas promissiones, & deprecationes & detractiones, & huiusmodi. Item, si gustum in sallamentis & speciebus inficiendo, olfactum speciebus aromaticis immoderate & sumptuose inclinando vel inquinando. Item in tactu, & agendo illicite & impudice, quod non oportuit: totum corpus in mollitie nutriendo, vt in balneis ve- H stibus & calciamẽtis. Item corpus totum curiose componendo. Similiter per simplicem fornicationem, scilicet, solutus cum soluta: si per adulterium scilicet cum coniugata: si per incestum, scilicet cum Virgine: sanctimoniali si contra naturam, in sexu simili vel dissimili. Si sic fecerit, dicat, mea culpa peccaui per luxuriam hoc modo, vel his modis. Talis debet esse confessio aĩæ sanctæ pœnitentis, si peccauerit secundum aliquod septem criminalium vitiorum. Post hæc debet videre si peccauerit contra obseruantiam Decalogi: de quorum transgressione non excusatur. Primum mandatum est de cultu vnius Dei. Vtrum adoret deos alienos; Si credat vnum Deum in Trinitate Personarum, & alios fidei articulos, sicut & sancta Ecclesia: quę sunt, incarnatio, natiuitas, baptismus, passio, resurrectio, ascensio, & Spiritus sancti missio. Sacramenta; Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Corpus Christi, Ordo, Matrimonium, Extrema vnctio. Videat ergo si dubitauerit de fide, vel de aliquo quod ad fidem pertinet. Item si crediderit maleficio, sortilegiis, incantationibus, auguriis, somniis, & illusionibus dæmonum, & huiusmodi. Item si crediderit

A diderit vetulas ire de nocte, & Deo honorem debitum nõ exhibuerit. Secundum est; vt non accipias nomen Dei tui in vanum. Videat ergo si mendaciter, si subdole iurauerit; & non vtiliter, vel pro nullo, vel sine necessitate. Item si Deum testem in iurando vocauerit, & nomen eius in vanum assumpserit, vel in opprobrium: si per caput, per pedes, vel alia membra, si per sanctos Dei iurauerit. Item si fidem datam non seruauerit. Item si votum non adimpleuerit; aut in votum baptismi peccauerit, Deo promittens quod non reddidit. Tertium mandatum est; *memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Ergo si diem Sabbathi, & alios dies solemnes, sicut Ecclesia præcipit, seruauerit. Item si diuinis vacauerit; & abstinuerit non solum ab operibus mechanicis, sed ab omni opere seruili, & ab omni peccato. Item si tabernas, vel choreas frequentauerit; & immoderate. Melius enim ei esset terram arare, secundum Hieronymum, quam choreas ducere. Item videat coniugatus, si in vigilijs, ieiuniis, & magnis festiuitatibus ab vxore propria abstinuerit, vel à quacumque alia voluerit abstinere.

Exod. 20. 4.

B Item si Sabbathum pectoris tui spiritualiter non obseruasti; per varias & inutiles cogitationes, & curiosas occupationes distractus. Quartum mandatum est, *Honora patrem & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Videat ergo, si Parentibus reuerentiam non exhibuerit, si illis indigentibus necessaria non ministrauerit. Item si dure & contumaciter contra eos locutus fuerit, si maledixerit, si aliquo modo eos iniuste offenderit, si præceptis eorum honestis non obedierit. Item si quodam modo, manus in eos miserit; si contra eos detraxerit. Item videat si Parentes spirituales; vt sacerdotes & alios ministros Ecclesiæ, modo debito honorauerit. Item si Prælatis Ecclesiæ, vel suis Prælatis bene obedierit; si præcepta eorum custodierit, si contra eos murmurauerit, si de eis detraxerit & male locutus fuerit; si eos percusserit. Item si debito matrem suam spiritualem, scilicet Ecclesiam; honorauerit; si in ea, sacrilegium, furando vel luxuriando fecerit; si verba otiosa & inutilia in ea locutus fuerit; si clamando vel litigando vel quoquo

C alio modo diuinum Officium impedierit; si debitas Decimas & Oblationes ei non reddiderit; si diebus solennibus ad Ecclesiam parrochialem, cum posset ire non ierit, vel debitam oblationem non miserit: si personas Ecclesiasticas vel Clericos percusserit, si sine licentia Prælati sui, Ordines sumpserit. Quintum mandatum est; *non occides.* Videat ergo si propria persona, vel auxilio, vel consilio, vel consensu homicidium commiserit; vel si aliquem verberauerit, vel vulnerauerit. Item si fuerit homicida, corde; mortem alterius desiderando, vel odium in corde retinẽdo: *Qui enim odit fratrem suum, homicida est.* Si vrgente necessitate potuit subuenire pauperi, & non subuenerit. Item si fuerit homicida animarum; inducendo aliquem ad peccatum, vel instigando, vel non impediendo cum posset; si peccatis aliorum consenserit. Sextum mandatum est, *non mœchaberis*: id est, non cuilibet miscearis. Videat ergo si ex indebito alicui carnaliter se copulauerit, si aliquo modo cum delectatione ex se semen emiserit, dormiendo vel

D vigilando; si cum vxore propria, alia de causa luserit nisi spe prolis, vel causa vincendi fornicationem, vel vt debet, debitum reddat. Septimum mandatum est. *non falsum testimonium dices.* Videat ergo si mendacium dixerit, si falsus testis contra aliquem, graui odio vel amore, vel precio fuerit; si in causa aliquem iniuste vel calumniose traxerit, si falsus Aduocatus, vel Iudex iniquus fuerit; si acceptor personarum in iudicio fuerit, si aliqua falsitate aliquem læserit, si falsum crimen alicui imposuerit; si aliqua promiserit & soluere noluerit; si mercedem mercenarij defraudasti, vel retinuisti. Octauum mandatum est: *Non furtum facies.* Videat ergo si rem alienam inuito domino contrectauerit, vel vsurpauerit. Si scienter rem furtiuam emisti, vel in custodia recepisti. Si mercedem mercenarij retinuerit, si res aliorum violenter rapuerit, si iniuste aliquid rapuerit vel receperit. Nonum mandatum est: *Non concupisces vxorem Proximi tui.* Videat ergo si habuerit voluntatem aliquo genere luxuriæ. Item si in corde, morosam delectationem, & consensum absque opere habuerit. Decimum mandatum est; *Non concupisces rem proximi tui, non*

E *agrum, non vineam, non seruum, non ancillam, & vniuersa quæ illius sunt.* Si generalem cupiditatem diuitiarum, & ambitionem bonorum habuerit; si rei alienæ concupiscentiam habuerit in corde male desiderando. Post hæc, contra omnia Domini mandata, commissa; purget se anima pœnitens, de omissis, considerans si per negligentiam vel pigritiam, bona quæ debuerit facere, vel promiserit facere, & potuit; non fecit. Si tempus adeo sibi commissum & concessum, in vanitate, vel otio consumpserit, ludendo cum aleis, deciis, & huiusmodi. Si de beneficiis, Deo vel hominibus, ingratus fuerit: si in charitate, humilitate, benignitate, patientia, deuotione, & aliis virtutibus defecerit. Si per ignorantiam, commissa peccata obliuioni tradiderit, de quibus nescit confiteri. Si talentum à Deo sibi traditum & commissum multipliciter contempsisti. Si opera misericordiæ, si orationes, si vigilias, vel alia opera misericordiæ, & pœnitentiæ sibi iuncta non fecerit. Si bona quæ fecit, minus pure fecerit, scilicet cum

F remuneratione, cum scandalo proximorum, vel finem debitum omittendo, vel mala intentione fecerit. In fine autem; mala generaliter subiungat, & dicat multa tradidi obliuioni, in quibus Dominum fortasse offendi quæ enumerare nescio, propter peccatum meum: in quocunque tamen Dominum offendi; seu corde, per malum cognitionem & voluntatem, & iudicium falsum: siue ore, mentiendo, detrahendo, otiosa dicendo, vel aliquibus adulando; seu familiam, vel alios nimis dure, & aspere corrigendo. Similiter in faciendo aliis quod mihi nolui fieri; similiter in dicendo, quod non oportuit dicere: in contemnendo alios, & facta & dicta ipsorum; in epilogo, in seueritate, in contumelia, in blasphemia, in opere prauo extero, per inhonestatem conuersationis, & vitæ; & mandata Domini transgrediendo: reddo me culpabilem Domino; & tibi patri. Ideo precor beatissimam & gloriosam virginem Mariam, & omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & te (pater) orare pro me. Amen.

G *Cum repetes à Proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit*: Hac authoritate, quidam magnus Clericus prædicauit Parisiis quod confessor non debet inquirere nec scrutari peccata confitentis; mirabiliter exponens eam. *Non ingredieris domum*, id est, conscientiam peccatoris: *vt auferas*, id est: elicias, *pignus*; id est, peccatum quo obligata est anima eius, diabolo; *&c.* Sed male intelligebat sic exponens: potest enim confessor in generali quærere. Et hoc notatur per hoc quod dicitur; *rem aliquam*; sed non debet in speciali, & nominatim, peccata quærere; ne ducat confitentem in tentationem. Item, si domus; id est, conscientia Proximi; habet priuata bona quæ non expedit alij reuelare: non debet scrutari, ne inde prolatis illis bonis, Proximus offendatur. Est situs; si habeat proximus domum plenam latronibus volentibus eum interficere: sic enim Confessor potest intrare conscientiam confitentis vt peccata fuget: & magnum dedecus est: quod magnus Clericus vnam vetulam

Deut. 24.

H peccatricem nescit curare à morbo peccati in confessione, nec remedia contra peccata apponere. Suppositis antecedentibus ad Confessionem: primo debet dicere confitens, *Confiteor Deo, &c.* Quæ sit ratio huius, & quid singula verba prætendant, alibi prædictum est. Tunc, primo, Confessor debet proponere de Dei dilectione, quoniam filium misit propter peccatores: de charitate Christi, qualiter, pro peccatoribus redimendis mortuus est, spinis coronatus est, lancea perforatus; manibus & pedibus clauis confixus; & quod confiteatur, vt mors Christi sibi prosit. Item; Christus venit, non propter iustos, sed propter peccatores. Item non vult Deus mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Item; si confiteatur, gaudiũ erit Angelis Dei iuxta illud; *Gaudium erit Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, &c.* Ergo; quanto maior peccator, tanto maius gaudium. Itẽ confortet cũ negatione Petri, persecutione Pauli, magnanimitate & fide latronis; &c. dicat ergo confessor peccatori, quod non diffidat, nec timeat dicere omnia peccata sua: & dicat, quod quan-

toma-

A

Luc.15.

to maior peccator fuit, tanto maius gaudium erit de eo in cœlis, ſi vere & integre confiteatur. Vnde Deus in Euangelio; *Maius gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore, &c.* Et eſt exemplum de Filio prodigo. Si ergo, gaudium de peccarore, maius gaudium, de maiori peccatore ſimiliter habet confeſſor. Pro me dico: quia maius gaudium habeo ſuper vno peccarore magno, bene confitente quam habere poſſim: & magis eum diligo poſt confeſſionem, quam ante, quãtumcunque enormia dicat. Et ratio eſt, quod melior eſt modo, ſi vere pœnitens confeſſus eſt: ſimiliter, quia familiaritatem maximam mihi oſtẽdit, quando ſecreta ſua tanta quæ patri vel matri nullatenus diceret, mihi reuelat: quæ etiam, nec poſſum nec vellem reuelare, etſi deberet mihi propter hoc amputari; & pro vno peccatore, non acciperem mille marcas, quia incompretiabilis eſt rebus humanis. Item confeſſor debet dicere: fili habuiſti vnquam confuſionem de peccato, ita quod declares illud in Confeſſione? ſi peccator dicat, quod ſic: Confeſſor dicat: amice, modo per Dei gratiam viciſti bellum, & ſuperaſti diabolum: confide ergo, nam maius peccatum & periculoſius dixiſti, vnde ſecure potes omnia alia dicere, nam grauius peccatum eſt, mentiri in confeſſione: in Pſalmis, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, Gloſſa Auguſtini: *merito perditur mentiens, quia declinat ab eo quod eſt, ad id quod non eſt*: in qua auctoritate ponderat verba, maius eſt enim perdere quam odiſſe. Dicebat autem Cardinalis Odo, quod mentiens in confeſſione, tria peccata mortalia committit de nouo: ſcilicet, mendacium pernicioſum, hypocriſim. Et tertium, quia, pollutus ſcienter, recipit ſacramentum confeſſionis. Similiter Hieremias, *peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino*, ſcilicet quia indelebiliter. *Iuda*, interpretatur, *confeſſio*: vnde, peccatum Iuda, eſt peccatum commiſſum in confeſſione. Item Deus habet duas curias, ſcilicet curiam iuſtitiæ, & curiam miſericordię. In curia iuſtitiæ amiſeratis querelam veſtram, ſicut bene ſcitis, quia pro quolibet mortali peccato obligatus eſt homo ad pœnam æternam, & non eſt reuerſus niſi ad curiam miſericordiæ quæ eſt in confeſſione: magnæ enim eſt miſericordiæ, quod pro confeſſione, peccatum & reatus amittitur, & reſtituitur homo ad hæreditatem gloriæ. Vnde, ſi quis in hac curia perdit cauſam ſuam irrecuperabiliter perdit eam, ſicut vſque nunc feciſti. Si dicat, Domine, veriſimile eſt, ſed hoc ignorabam: Confeſſor debet dicere: non propter hoc es excuſatus, quia Ambroſius, *periculoſe peccat qui ignoranter peccat*: & in exemplum de Excluſa, quanto maior, tanto plus retinet de aqua, ſic & peccatum eſt grãdius (quo ad hoc quod plus opponitur gratiæ & magis reſiſtit fluxui aquæ fontis Spiritus ſancti) celare peccatum in confeſſione: Item confeſſor debet dicere: Amice, ſeptem ſunt peccata mortalia quæ continentur in hoc verſu: *Luxus, Aua, ſuper, Ac, Inuidus, Ira, Gula*; & tu modo in curia miſericordiæ es, & ſcis quod Trutanni, infirmi & pauperes, oſtendunt tranſeuntibus, membrum magis morboſum, vt eos ad miſericordiam, & compaſſionem ſui, alliciant. Eſt enim miſericordia, miſeriæ, vel miſerorum corda: vnde vbi maior miſeria, maior pollet & habet locum miſericordia, & maxime illa quæ Dei eſt, quæ eſt infinita.

Hier.17.

B

C

D

Argumentum non ſatis ſynceræ peccatorum cõfeſſionis.

Debes ergo peccata grauiora & quæ plus tibi nocuerint, primo dicere. Signum eſt quod homo bene confiteri non debeat, quando à minori peccato inchoat. Si peccator dicat: Domine, ego peccaui peccato luxuriæ: confeſſor debet dicere, Amice debes dicere omnes circumſtantias quę aggrauant peccatum, quarum quædam nominantur in hoc verſu. *Quis, quid, vtrum, cum quo, quotiens, cur, quomodo, quando. Quis*; quærit de perſona vtrum Laicus, vel Clericus; vtrum vxoratus vel non; beneficiatus, vel non: quia quanto perſona eſt in ſtatu altiori; tanto grauius peccat. Vnde Gregorius; quanto gradus altior, tanto eſt caſus grauior. *Quid*; quærit de genere peccati.

Item vtrum peccauerit cum virgine, vel Moniali, corrupta, conſanguinea, affini; & hoc, carnali affinitate vel ſpirituali; vtrum cum maritata, vel ſoluta, vel vidua. Si peccator dicat; peccaui cum puella, Domine confeſſor dicat: Amice; grauiſſime peccaſti, deſtruxiſti enim quod Deus recuperare non poteſt: vnde Hieronymus; *cum Deus omnia poſſit, non poteſt de corrupta virginem facere.*

E

Adulterij grauitas.

Item occaſionem dediſti peccandi cum aliis, & forte proſtituendi; & quotiens peccauerit, occaſione tui peccaſſe videbitur; quia iura dicunt, *Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur.* Si peccator dicat; Domine, cum maritata peccaui: Confeſſor debet dicere; Amice, grauiſſime peccaſti, quia (quantum in vobis eſt) octo mortalia peccata commiſiſti; quæ ſunt luxuria, fides mentita, furtum, proditio, ſacrilegium, trangreſſio mandati Domini, inceſtus ſeu peccatum caninum, exhæredatio proprij filij alterius. Primo, patet quod ad alterius vxorem illicite acceſſiſti: ſimiliter, de fide mentita patet: nam mulier iurauerat ſe ſeruaturam fidelitatem marito ſuo, quam per te fregit; vnde, eodem peccato peccaſti, Agentes enim & conſentientes pari pœna, &c. Sed par pœna non eſt niſi propter parem culpam; &c. Item furtum commiſiſti; quia inſcio & inuito marito vxorem eius tibi copulaſti, quod eſt furtum. Eſt enim furtum, ſubſtractio rei alienæ inuito Domino. Quarto autem; & proditionem feciſti, quia in occulto, & non auertenti proximo tuo, nocuiſti. Quinto tranſgreſſus es mandatum Domini; quod eſt, *Non concupiſces vxorem proximi tui.* Sexto; ſacrilegium commiſiſti; ſcilicet rem ſacram deturpando, ſiue violando. Nam ſi ſacramentum Eccleſiæ defraudares & pedibus conculcares infra lutum diceteris hæreticus, & ſacrilegus; ſic ſacramentum matrimonij (de quo Apoſtolus; *hoc autem magnum ſacramentum Chriſti & Eccleſia*) in turpitudinem luxuriæ conculcaſti; quæ turpitudo, immundior eſt omni latrina: Sapiens; *Mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via.* Et ibidem: *profunda fouea, meretrix.* Septimo; Inceſtum (quantum in te eſt) commiſiſti, ſeu peccatum caninum. Nam ſicut canes, ſine diſtinctione, cum matre vel ſorore cohabitant ſicut cum aliis; ita poteſt fieri quod cum filio vel filia mulieris cum qua habitaſti, quem vel quam generaſti, conſanguinei tui matrimonialiter, vel fornicarie copulentur. Octauo (quod grauius eſt omnibus aliis prioribus) quia quod eſt proprium alterius, exhæredaſti. Et eſt caſus in quo omnes Confeſſores & omnes Magiſtri Pariſienſes, in conſilio ſalutari proferẽdo perplexi ſunt. Nam ſi quis carnaliter cognouiſſet Reginam Franciæ, de quo haberet primogenitum; Et Rex Franciæ haberet ſecundum filium: primus, de facto, haberet hæreditatem, licet iniuſte: nec crederetur matri eius, quia ſola eſſet, & filius dicitur quem nuptiæ demonſtrant. Tenetur enim Regina reuelare primum filium non eſſe hæredem regni quia in periculo animæ eius poſſidet regnum. Simul ergo commiſiſti octo mortalia peccata; pro quorum quolibet, peccator vere pœnitens obligatus eſt ad pœnam ſeptem annorum. Modo vide quam inſanus & incircumſpectus es; qui, ſi velles emere denariatam pomorum, velles bonum forum habere, & barguignare; & animam tuam, pro viliſſima delectatione & momentanea, dediſti diabolo in æternum cruciandam. Gregorius: *Momentaneum eſt quod delectat, ſed æternum quod cruciat*, non certe, fuiſti bonus mercator, de quo Salomon; *malum eſt, dicit omnis emptor, ſed cum receſſit, gloriatur.* Si peccator dicat: Domine, verum dicitis, bene cœcatus eram, nec illud vnquam aduerti: Confeſſor dicat; Amice, vſque nunc luſit diabolus de vobis ad abſconditionem, & vos decepit vltra dimidium iuſti precij. Sed modo eſtis in curia miſericordiæ: petite ergo pactum reſcindi; & fiet vobis. Item confeſſor dicat: Amice, cum quot habuiſti voluntatem fornicandi? Habuiſti vnquam voluntatem cognoſcendi aliquam cum qua non habitaſti? ſi peccator dicat; ſic, Domine: confeſſor debet dicere; Amice, quotiens vel cum quot habuiſti voluntatem fornicandi, fornicatus es. Voluntas reputatur pro facto: vnde Dominus; *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Quid*, quærit de genere peccati. Vtrum videlicet, ſecundum naturam vel contra naturam! Si peccator dicat: Domine, quid appellatis peccatum contra naturam? Confeſſor dicat: Amice, quotiens emiſiſtis ſemen extra vas debi-

F

Eccl.9.10. Pro.22.14.

G

Difficile eſt, dare conſilium in caſu Adulterij.

H

Pro.10.14.

Matt.5.28.

A

Pollutio nocturna ex causa quadruplici accidit.

tum mulieris, in vigilando (Et hoc dico propter nocturnas pollutiones) peccatum fit contra naturam. Nota quod nocturna pollutio quatuor de causis fit: & duobus modis est peccatum; & duobus alijs, non. Prima est; si ex turpi cogitatione vigiliarum oritur illusio in mente, patet occasio reatus sui; scilicet, à qua radice, illa inquinatio processit; quia quod cogitauit sciens, hoc protulit nesciens. Secunda causa est quando omnino & vltra modum rapimur appetitu gulæ in sumendis alimentis, vt crapula & ebrietate, & idcirco humorum receptacula grauantur, tunc enim habet animus aliquem reatum. Tertia causa est, ex illusione diaboli; quando menti dormientis offeruntur imagines quibus natura mouetur ad pollutionem mentis; & hoc, vt expergiscentes de illis imaginibus cogitationes inordinatæ exeant & concupiscant: Sed sic non est peccatum, nisi delectatio vel consensus sequatur. Tamen confitendum est quia ignoratur qua causa accidit, & quia dicit Gregorius quod bonarum mentium est, ibi culpam cognoscere vbi culpa non est.

B

Quarta causa est, ex naturæ infirmatione vel superfluitate: & hoc non est timendum; quia in valde sobriis, & ieiunantibus in pane & aqua, hoc accidit: Tamen bonum est vt homo de hoc confiteatur, licet peccatum non sit. De hac materia satis habetur à Gregorio & Isidoro, septima distinctione partis primæ cap. 1. & 2. vnde Versus; *Crapula, præmeditatio, langor, & humor abundans, Insomnis maculant, extrema duo sine culpa.* Si peccator dicat, Domine, nescio plura peccata luxuriæ me commisisse: Confessor dicat; Amice, adhuc sunt infinita, siue multa alia, sed diabolus vsque nunc te duxit verbo coram tuis socijs. Tunc quærat: dixisti vnquam turpia vel aliis? Si peccator dicat: Domine; sic: confessor dicat: toties luxuriatus es, quotiens tu dixisti, & coram quot, & (quantum in te est) grauissime peccasti; grauius quam si Templum beatæ Virginis combussisses. Nam illud non est hominum, nec ecclesia Dei dicitur nisi propter conuentum; scilicet propter congregationem Fideliũ:

C

1. Cor. 3.

homo vero dicitur templum Dei proprie, in quo habitat tota ciuitas. Vnde Apostolus; *An nescitis quoniam templum Dei sanctum est quod estis vos, & Spiritus sanctus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauit, disperdet* (id est, diuersis modis disperdet) *illum Dominus.* Item pessimus reputatus esses si omnia templa Ciuitatis Parisiensis combussisses: quanto magis, qui per ignem luxuriæ corda multorum combussisti, quantum in te est? vnde sapiens, *Eloquium illius quasi ignis exardescet.*

Eccles. 19.

Item Confessor debet dicere: Amice, fuisti vnquam osculatus mulieres? sic, Domine: Confessor quærat vtrum inordinate. Quomodo inordinate? Domine. Hîc caueat sibi, confessor, ne descendat ad speciales modos osculandi inordinate: sicut nec descendendum est ad aliquod peccatum contra naturam, ne occasionem det vt corruat in peccatum. Sed dicat; quando in Missa, pax sumitur, homines tenent clausum os. Item confessor debet quærere: Amice, posuisti vnquam manum tuam super mulieres inordinate?

D

si peccator dicat: Quomodo inordinate? non descendat confessor, sed dicat: potest tangi mulier sine peccato, sicut ponendo manum super humerum, vel super brachium, potest & alibi tangi inordinate.

Item, vbi, quærit de loco: vtrum in loco sacro, vel non sacro; quia grauius peccatum est, in sacro loco quam in alio: similiter, vtrum in occulto. *Cum quot,* quærit de societate: scilicet, qui & quot fuerunt socij peccati, & quorum fuisti occasio. Vnde confessor debet quærere, An de sociis fuisti vnquam confessus? Si peccator dicat, Domine, non, quid ad me de peccatis aliorum? Imo certe quia conscius eis fuisti: vnde Psalmographus: *Ab occultis meis* (id est, à priuatis & propriis meis peccatis) *munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.*

Psalm. 8.

Item confessor, cum quot sociis, & quæ eorum circumstantiæ: scilicet, vtrum casti vel corrupti; ordinate vel non, & alia huiusmodi. Non tamen nominentur à peccatore socij. Dicat etiam confessor: amice, de isto peccato non possum te absoluere, nec Papa, nec omnes

E

Sancti, nisi vno modo: scilicet. nisi velis restituere damnum spiritale quod fecisti, quia non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Vnde debetis socios vestros trahere ad bonum: &, si non eosdem, potestis tamen, pares vel meliores. Nec dico quod idem faciatis de mulieribus cum quibus peccastis, quia periculosum est vos iterum eas visitare; sed pro eis alias animas restituaris: bene enim se absoluit à debito, qui pro obolo denarium reddit. Et, si hoc non vultis facere, vos non estis vere confessus. Item: vultis esse saluus? Domine confessor, volo. Non habet ius in Paradiso, qui non vult tantum facere pro Deo quantum fecit pro diabolo: sed vsque nunc seruiuistis diabolo, & alios traxistis ad tale malum, & ad diaboli seruitium: similiter, portastis eius signa, & oportet quod eadem Deo faciatis; iuxta illud ad Romanos.

Rom. 6. 19.

Humanum dico vobis propter fragilitatem carnis vestræ, vt sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete vos seruire in sanctificatione. De Magis dicitur, quod reuersi sunt per aliam viam in regionem suam.

Matth. 2.

F

Vnde sicut sapiens medicus post curationem accessionis, febris causam laborat eradicare, ne vlterius inualescat: sic, à vobis, omnis talis occasio debet expelli. Contraria autem inuicem se expellunt, & contraria contrariis curantur. Vnde desiderium bonum permanendi in gratia, non potest esse in voluntate quin mores & gestus exteriores mundanorem mutentur, quia, qui hęc retinent, de facili recidiuant. His præmissis, adhibenda sunt remedia: vt, si primo per amorem ad pœnitentiam trahi non possint, saltem per timorem ad eam reducantur, quia propheta: *A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum sanctum salutis,* seu contritionis.

Isa. 26. 18.

Item confessor quærat: Amice, velles esse leprosus? peccator: non, Domine, pro toto mundo. Confessor: valde ergo fuistis fatuus quia naturale est quod qui cognouerit mulierem cum qua leprosus rem habuit, leprosus efficiatur, & propter hanc causam, mille facti sunt leprosi.

G

Si peccator dicat Domine, in hoc casu, bene caui mihi, quia feci socium meum prius cognoscere mulierem: Confessor: certe, in hoc, periculosissime peccastis, quia tria mortalia peccata commisistis. Primum in vobis, scilicet luxuriæ: secundum, in socio quem peccare fecistis; tertium est perditio, quia socium, vestrum (quantum in vobis est) perdidistis: & sic male cauistis, quia melius fuisset, vos leprosum fuisse, quam alterum istorum perpetrasse, nam, in morte, lepra finitur & non culpa, nisi per pœnitentiam terminatur.

Item, lepra, solum corpus inficit non animam; sed culpa, animam inficit & corpus, & sic plus nocuistis vobis quam socio, & plus decepit vos diabolus.

Item, lepra morbus est & corruptio naturæ, quæ corpus inficit, & sicut dicunt medici, quanto plus durat plus inficit, semper enim inualescit: vnde, hæc infectio infusa in corpus mulieris, semper crescit, & ita plus potest inficere illum qui vltimo cohabitat cum illa muliere quam illum

H

qui primo. Si ergo custodiuit vos Deus, vsque nunc, de cętero caueatis vobis, quia in magno periculo fuistis in corpore & anima, & magna stultitia fuit, quia pro nihilo dedistis Paradisum; maior etiam, quam si Rex Franciæ, regnũ suum daret pro pitta. Si forte, Peccator dicat: si in tanto periculo fui, multo fortius mulier quę in se corruptionem lepræ admisit, & citius debet infici lepra, quod videmus esse falsum. Confessor: Amice, non est sic: nam medici dicunt quod mulier habet intra se, pelliculas & folliculos (scilicet in matrice) qui in se retinent illam massam corruptam, & resistunt ne inficiatur totum corpus, sed inter omnes partes corporis, membrum viri tenerrimum est, & ideo, contingens illam massam: corruptam, citissime inficitur; & per consequens totum corpus: vnde; si non esset infernus nec Paradisus, tamen debetis vitare. Item alia ratione quia homo, cum coitu, multum abbreuiat vitam, sicut dicunt medici, & Philosophus in libro de morte & vita. Item; quibusdam accidit ex nimio coitu, sæpissime, tanta capitis debilitatio quod insani, vel quasi alienati sunt. Vnde audiui quod quidam Schola-

ris

A ris venit ad quendam Confessorem Parisiensem prope Pascha, & coram multis scholaribus assistentibus clamauit: Domine; pro Deo, audiatis me in Confessione. Respondit confessor: Amice, non possum modo, quia alias vos numquam audiui, nec possum vos breuiter expedire; sed istos quos alias audiui & me expectauerunt, oportet me prius expedire. Tunc ille multum instanter cœpit clamare: Domine; pro Deo, audiatis me ad minus vnum solum verbum. Tunc Confessor: libenter, At ille: Domine; tantam debilitatem capitis sentio quod fere insanio; & consilium quæsiui à Medicis, nec aliquid mihi profuit: vnde; non credo quod possim peruenire domum meam prius quam insaniam, & securior essem si essem bene confessus; modo faciatis voluntatem vestram, quia plus non possum facere, tunc confessor conuersus ad assistentes; dixit: pro Deo placeat vobis differre donec audierim istum Clericum, quia infirmus est, & non potest differre: & hoc satis ostendebat facies eius, quia pallidus

B erat in facie, & exanimatus. Tunc cœpit dicere Confessionem suam, de maxima incontinentia sua, nocte & die. Tunc confessor exposuit ei causam sui morbi; & hoc signum dedit ei, quod in mane cum iacuerat cum muliere, plus dolebat ea pite. Et addidit Confessor; non esse mirum si Medici ignorantes causam illam, non curârunt eum: ad similitudinem mulieris (de qua in Euangelio) quæ patiebatur fluxum sanguinis, & totam substantiam suam expendebat in medicis; quam solus Dominus curauit. Tunc primo cognouit, se errasse; & quæsiuit à confessore quod remedium possit adhiberi. Tunc confessor: Amice; equus iuuenis debilitatus, quando bene custoditur, conualescit, & resumit vires; sed equus antiquus nunquam: vos estis adhuc iuuenis, caueatis vobis, & estote quietus in camera vestra, & desistatis ab huiusmodi incontinentia vestra; & Dominus per gratiam suam, vos sanabit: & sic factum est. Item ex coitione cum muliere, totius corporis debilitatio sequitur, & non est mirum; quia vrna plena aqua porrecta ad ignem, ex ebullione

C equam effundit, & paulatim tota consumitur, & vltimo frangit & crepat: sic luxuriosus humorem suum naturalem effundit, ardens igne luxuriæ. Nam de luxurioso dicitur, quod præ nimia lætitate totus ardet, & quod ita dissolutus est quod guttam non tenet: *Quotiens*; quæris de numero, de quo considerandum est; quia homo, pro quolibet peccato mortali obligatur ad mortem æternam. Et debet peccator, diligenter scrutari conscientiam suam; sicut bonus marescallus, pedem equi claudici: Quia Apostolus; *Modicum fermenti, totam massam corrumpit*. Et Gregorius; *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere trahit ad aliud*. Debet ergo Confessor dicere peccatori, quod tenetur fideliter facere posse suum, ad inquirendum singula peccata: nec plus exigit Deus; quia bene cognoscit si peccator non reuelabit. *Cur*; quæris de causa: vtrum videlicet ex modica tentatione, vel ex magna: vtrum pretio, vel non; & vtrum incitatione sociorum vel aliorum, vel non; & sic de aliis: & secundum maius motiuum ad peccandum, iu-

1. Cor. 5. 6.

D dicatur peccatum maius vel minus. *Quomodo*; quæris de qualitate peccati: vtrum videlicet cum magna libidine (id est; improba voluntate) vel modica; vtrum cum magno contemptu Dei vel mandatorum eius, vel modico: sic enim peccatum intenditur & remittitur. Ita etiam est faciendum de aliis modis peccati. *Quando*, quæris de tempore: vtrum scilicet in festo die, Deo vel alicui Sancto, dedicato: vtrum in tempore ieiunij, vel alio: vtrum in quadragesima, vel extra. Et sicut est furiosum, luxuriam suam facere coram altari, sic & eam facere in tempore sancto: Et minus esset peccatum comedere carnes in Quadragesima, quam fornicari in Quadragesima: Nam Episcopus vel Papa posset dispensare cum aliquo, vt carnes comederet tunc, sed non vt luxuriam exerceret. Item, confessor debet quærere: Ornauistis vos vnquam in diebus festiuis aut aliquo tempore sacro, vt coram mulieribus vel hominibus transiretis, vt eis placeretis? Domine, sic: sed non intentione alliciendi eas ad peccatum. Confessor: Amice, grauiter peccasti, quia

E Apostolus; *si hominibus placerem, seruus Christi non essem*: Id est, placere vellem: sed esse seruum Dei, non perditur nisi per mortale peccatum. Item: amice, habetis amicum quemquam ita charum vt si coram hominibus in pleno foro vos vocaret ribaldum ei non irasceremini? Peccator: non Domine. Confessor: si circulus ponatur in medio tabernæ, signum est quod ibi vendatur vinum: similiter, circulus capillorum mitra in capite, corrigia ferrata, noduli argentei; chirothecæ in manibus, sotulares stricti, & alia huiusmodi, sunt signa lasciuiæ: non tamen in circulo est obolata vini, nec in corrigia ferrea est luxuria. Si diceretur de aliquo qui suspenderet circulum in ostio suo & haberet ostium cellarij apertum, quod venderet vinum, & inde irasceretur: quid diceretis de illo, & maxime; si circulus circa domum suam vndique poneretur? Peccator: Domine, reputarem eum fatuum. Confessor; Amice, sic potest dici de vobis, quia signa luxuriæ portastis. Nec enim dico quod propter illa fuistis luxuriosus, sed clamâstis tabernam diaboli in vobis. Nam

Gal. 1. 10.

Habitus index lasciuiæ.

F forma quæ exterius est, eius quæ interius est, præco est. Et Sapiens; *Amictus corporis, risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de homine*: Et Philosophus; *Voces, sunt notæ passionum, quæ sunt in animo*. Fatua enim vsque nunc fuistis, qui ostendistis vos vsque nunc cœcatorem & lasciuum, nec sustinuistis vt vos aliquis sic nominaret. Tunc interrogans, dicat Confessor; Amice; vsque nunc, diabolus tenuit tabernam suam in vobis; vultis ergo quod Deus teneat suam in vobis; Domine; sic. Confessor dicat: Amice; iustum habetis, aliter non essetis bene confessus. Oportet ergo quod signa humilitatis, & contraria prioribus, portetis; & statim, signum diaboli tollatis: *Hæc enim est annuntiatio dexteræ excelsi*, sicut dicitur in Psalmo; & hæc est doctrina Euangelij. Nam tres Reges quæsierunt Dominum: & cum venerunt per Herodem (id est; gloriantem in pellibus, quæ significat mundum) amiserunt Stellam; per quam, gratia significatur. In hoc; ostenditur quod illi qui pellibus vel apparatibus mundi gloriantur,

Eccl. 19.

Psa. 76. 11.

G gratiam perdunt. Et sequitur, quod illi, dimisso Herode, Deum inuenerunt; quo inuento, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Similiter; si inuenistis Dominum in confessione; oportet, vos per aliam viam incedere. Et quia multi nolunt sic facere, nec tantum pro Deo; ideo perdunt Dominum, nec Dominus in ipsis remanet, quia signa sua amiserunt; faciatis igitur iuxta consilium Apostoli dicentis; *sicut portauimus imaginem cœlestis*, &c. Et ibidem, *ab omni specie mala abstinete vos, hoc enim vobis necessarium est*. Nam in signis diaboli mūdanis, peccastis saltem occasionaliter, & fatue amando; vnde, oportet quod ea expellatis & sic in eis puniamini. Nam in libro Sap. *Per quæ quis peccat per hæc & torquetur*. Item; omnis bestia, per naturam, seruat se in esse in quantum potest, Et est in bene esse, per naturam; sed luxuriosus destruit vtrumque per luxuriam suam; vnde insipientior est omni bestia. Quod autem suum esse destruit, patet ex prædictis. Dicit enim Apostolus; *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*: Et in

1. Cor 15. 49

1. Thes 5. 22

Sap 11. 17.

Rom. 7.

H Psalmo; *Ad nihilum deductus sum*. Similiter suum bene esse quia infamis efficitur & gratiam Dei perdit. Item confessor; oportet quod vos diligatis bona, vbicunque; & in vobis & in aliis & mala omnia fugiatis; talis enim sunt naturæ; quod si bona diligatis, venient ad vos; si mala similiter. Sic igitur eradicandum est illud peccatum luxuriæ, quantumcunque fieri potest. Sequitur de Auaritia. Domine; emi bladum in terra, vt ibi lucrarer panem meum; confessor; Amice; quomodo hoc fecistis; vsura potest ibi esse! peccator; non credo, Domine; quia Presbyteri sic emunt; sed distinguunt presbyteri; si ematur ad mensuram certam, vsura est; non autem, si pure ematur quod est in herba; & hoc, propter periculum; quia ibi potest esse damnum sicut lucrum; vnde bonum est mercimonium. Sed contra hoc quæritur; primo, si daretur pecunia non tempore emptionis, sed tunc primo cum reciperetur bladum, in Augusto scilicet; & hoc fieret de pacto: habereturne pro tanto? Si non; dicendum, ibi fuisse vsuram: maxime cum asserat venditor, se libenter dedisse vltra sortem tempore Augusti, & pericula omnia in

A fe voluisse sumere: sed si sic tenetur pactum quod in tempore Augusti recepturus esset emptor, nec quicquam iuris ante haberet in eo; & si vellet, gratis posset dare denarios suos venditori, & bene faceret; maxime, si indigeret. Et vilissimum est, pro istis transitoriis temporibus, à Deo se auertere, & in illis componere, de quibus Apostolus;
Philip. 3.8. *Omnia arbitratus sum vt stercora*, & parui appreciat cor suum qui in stercoribus illud ponit, quod facit auarus. Vnde
Matt. 6.21. Dominus; *vbi est thesaurus, ibi est cor tuum.* Hic nota quædam alia quæ ad detestationem Auaritiæ attinent, & hæc inueni in summa de vitiis: Sequitur de superbia quæ maxime detestanda est; & inter omnia vitia, per hoc maxime diabolus facit esse sibi subditum, iuxta illud;
Iob. 41.25. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Facit & hominem Deo odibilem non minus quam Luciferum, quem Deus in tanta naturæ excellentia condiderat, & propter superbiam suam expulit de Paradiso in infernum, nec eum ad momentum
Isai. 14. in Paradiso permisit, secundum quod habetur in Esaia,
B fecit enim animã diabolo similem. Quod si anima superba posset videri in sua deformitate ab his oculis corporeis, sensum amitteret (nisi Deus eam retinet) ac si videret diabolum; quod sic patet. Si duo panni eiusdem coloris vel similis, in eandem tincturam ponerentur; postea extracti, eundem colorem haberent: Angelus primus, qui cecidit; ante casum, similis erat animæ in statu innocentiæ: proiecti igitur in superbiam, similes erunt. Sequitur de Accidia: quæ licet à multis ignotetur; tamen grauissimum peccatum est. Et est Accidia; tædium boni, siue pigritia: vt, sicut homo post comestionem fructuum stiptici saporis, & dentes habens obstupescentes vt comedere non possit, licet cibus sit delectabilis; sic accidiosus, bonum for-
Apoc. 3.16. midat, & facere dimittit quod Deo est delectabile, & etiam sibi esset si incepisset: vnde Apostolus: *scio opera tua, quia nec calidus*, per amorem, & feruorem boni; *nec frigidus*, per timorem & veram contritionem de peccato: vtinam, *frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.* Sequitur de inuidia, quæ est valde detestabilis;
C nam proprium subiectum destruit & cruciat, sicut per de-
Pro. 14. 30. finitionem inuidię patet. Salomon; *putredo ossium, inuidia, & magna peruersitas est, & cor eius bonum alterius capere non potest.* Sequitur de Ira, quæ valde periculosa est quia à Deo
Sap. 14. separat, est enim Deus pacis non rancoris: Similiter, proprio subiecto nocet tollendo gratiam Dei, quoniam *in maliuolam animam non introibit sapientia, &c.* sic, est odium valde detestabile Deo; quod patet per se. Sequitur de Gula. Et quoniam lingua, in duo opera naturæ congruit; scilicet, in gustum; & locutiones: primo, dicendum est de peccato in gustu, quod est graue peccatum; quia corpus corrumpit, animam deturpat, vsum rationis mutat, vitam abbreuiat, possessiones consumit, hominem infamem reddit, & Deo facit odibilem. Peccat vero quis per Gulam; in cibo & potu, vel crapula & ebrietate, nimium: vnde Versus; *Prapopere, lente, nimis ardenter, studiose.* Sequitur peccatũ linguæ; quod fit multis modis. Si peccator dicat; Domine, peccaui loquendo malum de bonis; & vbi non
D videbam nisi bonum, iudicabam esse malum: Confessor: Amice, tales sunt excommunicati à summo pontifice Deo,
Isa. 5.20. dicente per Prophetam; *Væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Dicat ergo confessor: vultis amodo ista facere? non: oportet ergo vos à contrario facere; scilicet, bonum commendare, & inuitare alios (scilicet socios vestros) ad bonum, & vitia persequi; etsi inde derideamini sicut alios derisistis, gaudeatis quia est vobis perutile: nam contraria contrariis curantur. Item, peccator: peccaui; detrahendo & diffamando: Tunc confessor; Amice, plus peccasti quam si esses furatus omnem substantiam paupe-
Pro. 22.1. rum istius villæ, cæteris paribus: nam dicit Salomon; *Melius bonum nomen quam diuitiæ multæ*: Et sicut inhumanum & crudelissimum esset, homini in medio maris existenti (cuiusuis esset fracta) qui adhæret soli tabulæ vel ligno, tabulam, vel lignum ei auferre: sic crudelissimum est, homini auferre famam suam, quæ multis est retinaculum ne in peccatis corruant: & qua amissa, effrontes sunt ad peccatum. Nam quando aliquis cogitans

E se facturum peccatum non dimittendum propter Deum nec propter infernum; timens, ne per peccatum infamis fiat apud illos qui de illo bene opinantur, occasionem sumit fugiendi peccatum. Item peccator: tantum verba scurrilia & otiosa sæpe dixi, quicum nescio numerum & per negligentiam meam: Confessor tunc: hoc periculosum, quia in die distincti iudicij, de omni verbo otioso oportebit reddere rationem: vnde Ecclesiastis; *Cuncta quæ fiunt, adducit Deus in iudicio seu bona, seu mala:* Super hoc, Glosa interlinearis: *oportebit reddere rationem de omni verbo otioso & ignoranter prolato.* Item peccator: sæpe maledixi aliquibus bonis pro causa aliqua: Confessor dicat: hoc grauissimum est, quia directe contra charitatem, sine qua non est salus. Item peccator: domine: peccaui iurando per Dominum, pro falsis affirmandis cum aliquo: confessor: hoc est Dominum mendacem reputare, quia per Dominum iurare (sicut dicunt sancti) est Deum testem inuocare. Item peccator, Domine: iuraui: per caput, & membra Christi, & aliorum sanctorum: confessor: in hoc fuisti crudelior Iudæis qui eum crucifixerunt, tamen integrum reliquerunt, sed tu demembrasti & dilacerasti eum. Sequitur de mendacio & aliis peccatis oris, blasphemiæ, & huiusmodi. Similiter de transgressione mandatorum Christi, quæ notantur his versibus: Exod. 20.4. Eccles. 2. Matth. 12. F

Sperne deos, fugito periuria, Sabbata serua,
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Ne sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus,
Vicinique thorum, resq. caueto suas.

Similiter de transgressione operum misericordiæ: quæ sunt septem, quæ possunt sciri per hunc Versum:

Visito, poto, cibo, redimo, rogo, colligo, condo.

Similiter de satisfactionibus omissis confitendum est; & in generali, de omnibus bonis omissis, per negligentiam & ignoratis & malis perpetratis: & de ipsa negligentia debet peccator confiteri. Facta autem confessione, gaudium interius debet sentire peccator, quia sententiam habet pro se in superiori curia: scilicet misericordiæ. Si vero tristis fit: consoletur eum confessor, sicut audiui de quodam scholari Parisiensi qui socio suo dedit fidem de confessione facienda in crastino, ne à proposito resiliret: & in crastino, facta sua confessione complete: ipse pulcher erat clericus, pallidus, & quasi exanimatus est factus: confessor, hoc videns, quæsiuit quomodo ei esset: Respondit, quod pessime, quia in angustia quasi intolerabili erat. Confessor cœpit mirari, quoniam aliter de aliis viderat: & quæsiuit vnde angustiabatur, qui dixit, Domine, prius eram amicus vester, & familiaris, & bene de me sentiebatis, modo aliud nouistis de me quia enormia vobis dixi, vnde de cætero non audebo conspectui vestro comparere! Tunc confessor: amice, creditis vos sacramentum confessionis, & eius virtutem? dixit: sic: &, confessor: & creditis quod similiter credam? Domine: quod multo melius. Tunc, Confessor: Amice, hoc sacramentum sanctum, tam secretum & tam fortiter inclusum est, vt nemo aperire possit, vnde illud, *Claudit & nemo aperit*: Et Augustinus: *Nihil minus scio quam quod per Confessionem scio, etiam quod nescio magis scio.* Et ratio est: quia addiscere possum: illud vero quod per confessionem scio (inquantum sit) est tam secretum quod Deus, qui omnia nouit, est immemor delictorum de quibus confessus es, sicut ipse, per prophetam dicit? *Quacunque hora peccator conuersus ingemuerit, omniũ iniquitatum eius, quas operatus est, minime recordabor amplius.* Item: lignum amoris & amicitię efficacissimum mihi ostendisti, quoniam secreta vestra quę nulli alij quanquã amico, nec patri nec matri reuelassetis extra confessionem, & mihi dixistis: vnde Sapiens: *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum tuum alieno non credes.* Itẽ: si bonum diligendum: magis bonum, magis diligẽdũ est: maxime quando cognitũ est esse bonum: quia inuisa possumus diligere, incognita nequaquã. Credete debitis quod vero confesso dimittantur peccata, & confertur gratia: & similiter credo de vobis quod prius ante confessionem ignorabam: vnde teneor, vos plus diligere modo. Tunc ille iucundus dixit: nollem habere cen- G H Apoc. 3.7. Eze. 18. 22. Prou. 24.

tum

A tum marthas pro confessione ista. Nec mirum: quia vere confessus, est in propio Paradiso: nam vbi est Deus, ibi est Paradisus. Dixit enim Christus latroni in cruce; *Hodie mecum eris in Paradiso*: Nec tamen Christus ante Ascensionem cœlos ascendit, nec latro: Augustinus, *Domine, ecce vbi es? in corde confitentis tibi!*

Luc.23.43.

D. ROBERTI A SORBONA, LIBELLVS QVI DICITVR, ITER Paradisi.

Eccles.39.6. Rom.13.11.

IVstus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum, &c. Vnde clamat Apostolus, *hora est iam nos de somno surgere.* Sed quidam differunt in tantum quod dies incalescit, & calor solis acutè apprehendit eos, vel præueniuntur nocte, frigore noctis occupati. Dicit B quilibet, quod vult ire in paradisum, & tamen multi differunt etiam incipere, cum tamen salus sit multum longa quibusdam. Vnde, *longe à peccatoribus salus.* De quolibet enim peccato mortali debentur septem anni pœnitentiæ. Tales ponunt vitam suam in magno periculo, ac si Rex Franciæ, regnum suum ad vnum proiectum talorum. Sed breuis est via scientibus; multi tamen nec sciunt nec scire volunt, & dicunt nihilominus se ituros in Paradisum. Nullus tamen tam bene scit, quin indigeat melius scire: vnde Dauid, qui fuit tantus propheta, dicit; *Vias tuas Domine demonstra mihi*, &cæt. Ab illis autem quærenda est via, qui illam nouerunt, qui patriæ lingagium nouerunt, quasi de patria existentes. Sed multi sunt qui nolunt sustinere quod eis doceatur via, nec volunt doceri nisi à magnis Prælatis, cum tamen via sæpe ab ignobilibus inquiratur, vt à leprosis qui sedent in portis ciuitatum. Et fatui dicerentur aliqui ituri in illam regionem, si starent cum leprosis in porta; quia leprosi, viam aliis demonstrantes, non vadunt sed stant ibi propter emolumentum temporale. C Leprosi, sunt mali Prælati, in ecclesiis, tanquam in portis paradisi sedentes, propter temporalia solum. Sed per Dei gratiam sunt aliqui boni, qui viam Domini in veritate docent, & facto ostendunt. Hæc via qua sumus ituri, videlicet in paradisum, tres habet dietas: cuiusmodi sunt, contritio, confessio, satisfactio, vt dicunt sancti super illud Exodi: *Ibimus viam trium dierum in solitudine.* Et quælibet dieta habet solum tres leucas. Prima igitur dieta habet tres leucas, quia in Contritione debet esse dolor de obligatione pœnæ infernalis, & hæc est prima leuca. Secunda leuca, est dolor de amissione gloriæ æternæ. Tertia est dolor de offensione diuina. Et hæc tria, sunt quasi tria mala quæ faciunt peccatum. Primum malum est quod obligat hominem ad mortem æternam, seu ad patibulum inferni. Vnde Apostolus scribit ad Romanos, *Stipendia peccati, mors.* Vnde, peccator iam est in porta inferni. In Psalmis. *Appropinquauit vsque ad portam mortis.* Nec distat plus, quam per spatium duorum digitorum; quia si de gula sua ad mensuram duorum digitorum scinderetur, in momento fieret D descensus in infernum, iuxta illud; *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Nec euadere potest peccator, de se, quia tanquam latro, iam habet cordam in collo, quam tenet diabolus tam fortis, & de quo Iob: *Non est potestas in cælo, quæ valeat comparari ei.* Hac corda stringit peccatorem, scilicet, peccato suo: Sapiens: *Funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringetur*: Psalmographus: *funes peccatorum complexi sunt me.* Contra id malum, debet esse prima leuca, scilicet, Contritio siue dolor de obligatione ad pœnam, & de commissione peccati per quod obligatur. Hoc enim modo, facillime diluitur prædictum malum. Non enim, latroni, deprehenso in furto manifesto, & iam ducendo ad patibulum videretur graue conteri de commissione furti sui, & de hoc quod suspendi deberet, si pro illa contritione deberet liberari. Similiter cum peccator recognoscit peccatum suum, & videt se obligatum ad mortem inferni per peccatum, & conteritur de hoc, Dominus paratus est liberare eum, & soluit ligaturam colli

Psalm. 118. Psalm.144. Prælati vitiosi, similes leprosis. Exod.3. Rom.6. Psalm.87.4 Iob.21.13. Iob.41.24. Prou.5. Psal.118.61.

sui. Vnde Dauid; *Dirupisti vincula mea*, &cæt. Et Ecclesia cantat illud Ioannis; *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Secundum malum quod facit peccator, est, quod huiusmodi, gloriam Paradisi sibi promissam, per peccatū amittit, bona naturalia debilitat & remittit, & gloriam datam in baptismo, tollit. Exemplū de illo qui descēdebat à Hierusalem in Hiericho, &c. Contra hæc; est leuca secunda: sc. dolor de amissione illorum bonorum. Nec est leuca ista grauis, sed breuis & leuissima. Si enim Dominus Papa auferret alicui dignitatem pinguem propter graue peccatum suum, vt propter homicidium aliquod, vel si Clericus eam ad talos amisisset, nō esset graue illi Clerico dolere de amissione illa; si propter hoc dominus Papa vellet ei restituere: Similiter: si Rex Franciæ dedisset alicui regnum suum, & postea ei auferret, quia filium suum vnigenitum occidisset, non esset graue illi, dolere de tanta amissione, si Rex propter hoc vellet eum reconciliari sibi & reddere illi regnum. Sic enim Dominus peccatori restituit omnia amissa, & etiam ampliat dona: vnde Apostolus: *vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia.* Tertium malum ex peccato proueniens, est ira & offensa Dei: Odit enim Deus peccatum, tanquam inimicum mortalem, qui ipsum Christum occidit, & intantum odit peccatū, quod primos Angelos propter peccatum deiecit in infernum, & primos parentes eiecit de Paradiso. Contra id malum, debet esse dolor de offensa Dei, qui dicit cuilibet peccatori vt doleat de eo quod offendit eum, & omnia peccata dimittet. Vnde Ezechiel: *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Tria igitur prædicta requiruntur ad veram contritionem, sine quibus impossibile est, Peccatorem, salutem consequi: & faciunt primam dietam. Sed notandum, quod nec in prima leuca est morandum vel ponendus terminus, nec in secunda insistendum, sed via solum in tertia dieta completur, & ibi secure iacendum & dormiendum: quod sic ostenditur per simile. Si enim peregrinantibus esset certum vbi secure & bene deberent morari, & quod ibi deberent terminari dieta sua, & quod si ante starent vel hospitarentur, deprædarentur & iugularentur, vel, si à recto itinere deuiarent, quod occiderentur, valde sollicite peragerent viam suam, nisi fatuissimi essent. Sic est nobis faciendum in hac prima dieta; quia diabolus vndique insidiatur, quærens quem deuoret. Nam quantumcunque de peccato doleas finaliter, propter hoc quod scis te damnandum & consecuturum mortem inferni per peccatum tuum, & si rogaueris Dominum vt tui misereatur, non exaudiet te, licet bona infinita propter hoc facias, sed poterit dicere tibi, vade in infernum & accipias ibi mercedem tuam. Fatuus enim esset, qui colens vineam, peteret pretium laboris instanter à Ioanne, ad quem nihil attineret. Similiter debet homo conteri de peccatis suis propter suum malum, vt sic contritus, mereatur gaudia Paradisi: quia quantumcunque operetur bonum hac intentione, non proderit ei ad salutem. Quod figuratur in Euangelio de quodam diuite, qui multa bona cumulauerat vt eis frueretur: & cum hæc cogitaret, dixit ei Dominus; *Stulte hac nocte repetam animam tuam à te.* Debet igitur totaliter in Deum conuertere, & dicere apud se: Bone Iesu, qui tot & tanta bona mihi fecisti, & parasti sicut pro amore mei, non propter bona mea, vt inde tibi aliquid accresceret, me formasti, & me deformatum per peccatum reformasti morte quantum in te est, sic præcipue propter amorem tuum, etsi nullum bonum deberem consequi nec malum euitare, & si nō esset Infernus nec Paradisus, volo integre peccatum meum dimittere, & de cætero nō peccare, & tibi toto corde cōuenire, quia (vt dicit Aug.) omne cor inquietum est, donec quiescat in te, bone Iesu. Sic igitur faciens, complebis primam dietam, & ibi secure poteris iacere & dormire. Secunda dieta est Confessio, cuius peregrinatio, melior est omnibus aliis peregrinationibus: quia in ista, si fiat sicut decet, obtinebitur perfecta indulgētia omnium peccatorum: & sine ista, non prosunt aliæ ad salutem. Primum igitur videndum est, quis debet esse introitus dietæ. Dicunt enim aliqui quando veniunt ad sacerdotem. Domine, venio ad vos, ad consilium animæ meæ:

E Psal.115.1 Iob.1.29. Luc.10.3 F Rom.5.20 Ezec.18.21 G Luc.12.20 H

A Sed non satis bene dicitur: consilium enim reuelare potest presbyter, sine degradatione sui, licet non honeste: sed nõ, dictum in Confessione. Debet autem peccator sic dicere in principio suæ confessionis: *Confiteor Deo omnipotenti, & B. Virgini, & omnibus Sanctis; & vobis pater*, & tunc per ordinem singula exprimere peccata: cuius multæ, sunt rationes. Nam virtutes verborum præmissorum, si exprimãtur, clauditur os sacerdotis, aperitur porta Paradisi, & obcæcatur introitus inferni, nec diaboli possunt peruenire ad ipsum qui sic vere confitetur. Roformatur etiam pax inter ipsum & Deum, quam, prius, omnes Sancti & Sanctæ facere non possent. Exemplum de filio prodigo. Item facit se habitaculum totius Trinitatis. Augustinus; *ecce Dominus vbi es? in corde confitentium tibi*. Facit etiam virtus Confessionis, in peccato, superabundare gratiam, & magis etiam diligitur confitens à Sacerdote, quam prius. Et merito: quia melior est, & maximum signum amicitiæ ostendit sacerdoti, reuelando ei secreta sua. Item sanatur peccator ab omni vulnere peccati. Et quod nomine Confessionis obturetur os sacerdotis tanquam firmissimum scrinium, quod nullus nisi Deus aperire potest; *claudit enim & nullus aperit*: ostenditur de quodam paupere rustico, qui quendam vicinum suum diuitem, patrem presbyteri villæ in qua manebant, in campis, cultro & caruca sua interfecit, quod nullus nouit nisi ipse. Et hoc fecit, quia ille diues ipsum grauiter molestauerat, & verberari fecerat. De quo dictus pauper in quadragesima valde dolens, & cum magno timore, excitatus à presbytero, confessus est. Qui cum à presbytero valde confortatus esset, cœpit agere pœnitentiam, & tandem causam vxori suæ dixit, propter hoc quod illa instanter hoc rogauerat vt secum pœnitentiam suam ageret, & alleuiaret onus suum. Sed protinus ab eo percussa exiens domum cum clamore, dixit, maritum suum, patrem presbyteri interfecisse. Qui ascendens iumentum suum, villa exiuit, fugiẽs propter inimicos suos ipsum persequentes. Qui cum obuiaret presbytero suo prædicto, factum suum intimauit; & presbyter ei bonum suum palefudum dedit, vt sic euaderet inimicos. Qui presbyter sedens super iumentum pauperis, post, obuians suis consanguineis, qui noluit eis reuelare quod ille interfecerat patrem suum ab eis occisus est. Et nota quod si fatua fuit prædicta mulier & verbosa, quia reuelauit factum mariti sui, magis fatuus fuit vir, qui proprium factum suum non potuit celare. Et iterum: mulier maritum suum iuuabat amore eius, in faciendo pœnitentiam pro marito suo, & cum illã verberabat, magis fatuus dicẽdus erat. Sic igitur patet introitus veræ confessionis, quia per ipsum obturatur os Sacerdotis. Aperitur etiã porta Paradisi. Vnde psalmus; *introite portas eius in confessione*. Nota autem quod locus confessionis dicitur dupliciter, forum, causarum scilicet & pœnitentiæ. Vnde, vadens ad confessionem, vadit ad placitum vbi discerni & iudicari debet an dignus sit regno cœlorum vel patibulo inferni. Curia Domini duplex: Scilicet, Curia misericodiæ, & Curia iustitiæ. Cum igitur aliquis peccauit mortaliter, diabolus accusat eum in curia iustitiæ, dicens peccatorem, reum mortis esse. Iustitia respondet, quod mendax est nec creditur ei, nisi probet. Respondet diabolus quod habet bonos testes, scilicet Deum & omnes sanctos. Respondet Iustitia, quod fideles habet testes, si est verum quod dicit: Isti enim requisiti, fidele perhibẽt testimonium. Testis enim fidelis in cœlo, est Deus, qui etiam vt asserit missus est, vt testimonium perhibeat veritati. Hoc etiam confitetur tota Trinitas, iuxta illud Apostoli; *tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, &c. Adducit etiam in testimonium, omnes sanctos; & ad vltimum, Conscientiam peccatoris: iuxta illud Apostoli; *testimonium reddente conscientia*, &cæt. & sic condemnatur peccator in Curia Iustitiæ. Quod videns peccator, & considerans, se totum ibi amisisse, appellat ad Curiam superiorem, scilicet ad Curiam misericordiæ. Iacob[°]: *misericordia superexaltat iudiciũ*. Curia misericordiæ est in confessione, cuius officialis est presbyter. Sed ibi ad hoc fortis est diabolus, quoniam pro se in alia Curia habuit sententiam: tunc vero timens ne fit compassio misericordiæ, in cuius Curia peccator liberatur. Et liberatur à misericordia, non per minas, non per donũ aut

Luc. 15. — Apoc. 3. 7. — Psalm. 99. 4. — Iob. 5. 7. — 1. Ioan. 5. 7. — Iac. 2. 13.

B — C — D

E preces, sed virtutes verborum istorum, *Confiteor*, &c. & virtute confessionis. Sic igitur facta confessione, & recepta pœnitentia & absolutione, cum, post; diabolus accusat peccatorem in Curia misericordiæ, respondet misericordia quod non crederet diabolo nisi haberet testes fideles, quia mendax est. Et tunc contendit, Deum testem producere contra peccatorem. Respondet Deus, se nihil de hoc scire, iuxta Prophetam; *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*. Tunc igitur facta confessione, datur sententia ab officiali, scilicet Presbytero, pro peccatore cum dicit; *Absoluo te*, &c. Et tunc inuestit ipsum de Paradyso, & liberat ipsum de pœnis inferni, quod non fieret, si peccator aliquod peccatum celaret in Confessione; & Deus posset perhibere testimoniũ de illo; quia peccator, sic in vtraq; Curia condemnaretur. Item presbyter potest facere testimonium de eo quod nõ audierit à peccatore in confessione. Sed notandũ est quod diabolus, tanquam callidus & contutus aduersarius peccatori, præuenit ipsum priusquam veniat ad confessionem: & ideo, peccator necesse haberet quærere sapientem aduocatum, & deberet inuocare Spiritum sanctum, dicẽs: *Veni sancte Spiritus*, &c. ad illuminandum se, & cogitandum peccata sua, & postea ad confessionem accedere. Quod similiter deberet facere quilibet peccator, quia diabolos suos proprios Aduocatos facit conuertere ad peccatorem ipsum decipiendum, & fugiunt se esse familiares ipsi Peccatori. Isti autẽ Aduocati sunt quatuor: malus timor, malus pudor hypocrisis, & spes vitæ longioris. Pudor autem, sic proponit ipsi peccatori qui forte fecit peccatum luxuriæ, quod tantum fœtet, quomodo posses tam enorme factum homini extraneo reuelare? & tunc, forte peccator mentitur in Confessione, dicens, se non fecisse: vel confitetur illud, sed celat circumstantias, vt quod cum consanguinea hoc peccatum fecerit. Vel peccatum id fuit contra naturam, & celat per pudorem. Secundo, si nihil potest facere pudor malus, tunc credit filia eius, hypocrysis, & allegat sic: Quomodo reuelares tam enormia facta homini, qui credit te esse bonum? iam crederet te esse malum: nunq̃ amodo te diligeret; & dicit hypocrysis, se multos promonisse qui non fuissent promoti si peccara sua reuelassent. Tertio venit spes vitæ longioris, & dicit: ô puer, iuuenis es! bene poteris ludere, quia poteris multum viuere, & cum infirmatus vel senex fueris, poteris cõfiteri. Quarto & vltimo accedit timor malus, & dicit: Tot & tanta mala fecisti, quod innueret tibi sacerdos aliquid facere quod non posses: & sic de similibus, quæ multoties retrahunt peccatorẽ. Sed tunc deberet peccator surgere & dicere cum Catone, *Antequam voceris, ad cõsilium ne accesseris*. Debet igitur totam veritatem presbytero narrare singulariter, & sic liberabitur in Curia misericordiæ. Patet igitur introitus huiusce secundæ dietæ, quæ est Confessio, cuius sunt tres leucę, q̃a Confessio debet esse integra, voluntaria, & fidelis. Integra debet esse Confessio: vnde Psalmus, *Cõfitebor tibi Domine in toto corde meo*: Et, *recogitabo tibi omnes annos meos*, &c. Secũdo, debet esse voluntaria: vnde Psalmus, *voluntariè sacrificabo tibi*, &c. Tertio: debet esse fidelis vt credat, per veram confessionem, posse à Deo liberari: & sic completur dieta. Nec est in prima leuca immorandum, vt cõfiteatur homo sicut Iudas, qui dixit, *Peccaui tradens sanguinem iustum*. Et sic confessus est integrè aggrando, peccatum, & voluntarie: sed ibi non est sistendum, vt Iudas stetit qui non credidit, quod Dominus posset ei dimittere peccatum: sicut & Cain de quo legitur in Gen. *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear*. Veniendũ est ergo ad tertium, vt fideliter cõfiteatur. Quia sicut dicit Augustinus, *plus potest Deus misereri, quam homo possit peccare*. Nota contra illos qui timent confiteri, assimilantur equo vmbratili, qui videns lapidem ante oculos, retrograditur & aliquando in foueam cum sessore cadit & læditur, & forte frangit eius collum. Sic est de illo qui timet confiteri, pro sacerdote qui sine dubio non habet membrum vnde possit se mouere, sicut nec lapis: ligata.n. sunt omnia membra eius, virtute confessionis, & est sicut vmbra arboris, refrigerium præstans. Item contra illos qui non audent videre suum confessorem cum reciderunt in peccatum præ verecundia: constat quod aliquis debet

Ezech. 3. — 4. Impedimenta veræ Confessionis. — Psalm. 85. Isa. 38. 15. — Matt. 27. 4. — Gen. 4. 13. — Qui timet confiteri peccata sacerdoti. Equo vmbratili similis est.

F — G — H

A debet habere maiorem verecundiam, qñ suspicatur de eo malum, & sic habet ille vnde potest erubescere: qñ autem accedit ad confitendum, statim veheméter accedit ipsum esse bonum, quia licet sciat vel credat quod peccauit, credit tamen quod Deus iam ei dimisit. Psal. 31. 5. Psalmus: *Dixi confitebor, & tu remisisti*, &c. Item contra illos qui credunt ꝙ post recidiuationem non diligat eos sacerdos, aut non velit libenter audire. Nota: Si sacerdos, equum suum bonum quem multum diligebat, amisit per annum vnum, equus autem ille forte per annum infirmatus fuerit: si equus ille reducatur inuentus vel sanatur, lætáter eum recipit: multo libentius & lætantius sacerdos peccatorem quem per annum amiserat libenter recipit. Item nota cótra illos qui timent dicere peccata enormia, ne sacerdos eos de cætero contemnat, vel odio habeat, quod non est timendum: qui si alicui viuenti non dixisset, & recte de me confidit, & multum amicum me reputat, & certe exigit amor meus, vt eum quem scio tantum de me confidere, diligam plus quam amicum alium. B Item scio ipsum confessum, ergo & peccatum dimissum, & quod in gratia est quod prius non sciebam nec præsumebam: Ergo teneor, eum plus diligere. Sequitur tertia dieta, quæ dicitur satisfactio: in cuius casibus iis qui ignorant eam, magna videtur esse difficultas. Cum enim secundum Sanctos, pro quolibet peccato mortali debeantur septem anni pœnitentiæ, quibusdam videtur si vellent pœnitere de peccatis & satisfacere, quod quasi semper essent in dolore. Sed tales non bene sciunt processum huius dietæ: ipsa enim bene scita, facilis videtur esse, & ipsius sunt tres leucæ. Prima est, bonum in aliis pro posse suo promouere, & malum extirpare; secunda est, iniurias sibi illatas, propter Deum dimittere. Tertia est, pro peccatis suis, iuxta conditionem sui status & consiliũ confessoris, pœnitere. De prima ergo notandum est quod Sap. 11. 37. dicitur in libro sapientiæ, *per quæ quis peccat, per hæc & punitur*. Et ita, si quis peccator, qui tenetur diligere proximum suum, ad id ad quod seipsum, peccando non tantum peccauit in Deum, sed & in proximum suum trahendo ad peccatum, vel consentiendo peccato suo, iuxta id Gregorij: *Peccato cui non contradicis, adiungeris*. C Ezech. 3. Et Ezechiel: *Si non annunciaueris impio impietatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram*. Vel etiam peccauit dãdo malum exemplum proximo suo, talis tenetur peccatorem reuocare ad statum gratiæ, pro posse suo; & iuxta conditionem sui status & consilium Ecclesiæ, pœnitere: quamuis non videtur habere partem paradiso, qui non vult tantum facere pro Deo quantum faceret pro diabolo. Rom. 6. 19. Vnde Apostolus: *Humanum dico propter fragilitatem carnis vestræ, vt sicut adhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationẽ*. Sed multi sunt sacerdotes, istam leucam ignorantes. Vnde, nota aliqui assimilantur medico, qui, vulnerato in capite, emplastrum ponit in pede. Nam cum aliquis confitetur de furto, non absoluitur, nisi restituat, aut firmiter proponat restituere alienum, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: & multi sacerdotes iniungunt dicere psalteria, vel ieiunare, & similia solum, illis qui traxerunt D alios ad peccatum, & furati sunt animas quas Deus plus diligit quam aurum vel argentum, quia proprio sanguine redemit. Deberent igitur iniungere quod animas ablatas restituerent. Sed dicet aliquis quod istud esset sibi impossibile, quia forte innumerabiles & iunctos sibi, facto verbo, vel exemplo traxit ad peccatum: & si forte rediret ad mulierem cum qua peccauit, vt prædicaret illi forte reci-Matth. 18. 7. diuaret in peccatum, vel inde scandalum oriretur. Et, *væ homini illi per quem scandalum venit*. Respondet mihi quod miles qui iuxta mandatum Ecclesiæ & consilium iret vltra mare, vt pro omnibus satisfaceret, & sic indulgentiam omnium pecatorum obtineret; Sed ei iniunctum est pro posse, ipsum restituere ablata Deo: Et respõdit miles quod non possit quia nesciebat vbi erant, & forte aliqui iam erant mortui & damnati, quid ergo faciendum? Dicendum est illi, quod sicut non oportet reddere eosdem denarios qui furati sunt, sed sufficit reddere æquiualentes: similiter sufficit, Deo reddere alios vel equales, vel maiores. Vt si redderet aliquis quinque solidos sterlingorum pro

E quinque parisiensibus. Sic facit; qui, pro laico vel muliere tracto ad peccatum, trahit Clericum ad bonum; per quem forte tota villa vna vel diœcesis regetur, quia forte fiet Episcopus: & hoc etiam multo honestius faciet, trahendo ipsum ad Deum, ducendo ipsum ad confessionem & vt consulat bonos viros. Item potest ostendi quod facilis est ista via satisfaciendi. Primo; quia non esset difficile alicui qui furatus esset Regi decem libras, & ob hoc esset paratum ei patibulum ad suspendendum si non restitueret decem illas libras, si aliquis vellet eas dare ei, vt restitueret Regi. Sic in proposito, quia certum est tibi quod multas animas Deo subtraxisti, & ob hoc tibi paratum est patibulum infernale, nisi restituas: sed Dominus dat tibi vnde restituere potes, cum dat copiam sociorum & aliorum quos ad Deum potes reuocare. Item secundo patet, hoc esse facile: quia si aliquis veniens de remotis partibus, amisisset centum libras in via, & diceretur ei quod eas inueniret iuxta murum ad introitum villæ, etsi multum esset fessus, tamen ei facile esset ire quæsitum denarios illos, nec differret, imo difficilius ei esset remanere, quam ire quæsitum: Similiter, tu, per peccatum tuum amisisti famã tuam, F de qua dicit Salomon; *melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ*. Prou. 22. 1. Et Augustinus; *crudelis est, qui famam negligit*. Sed indicat tibi Deus, quomodo facile eam recuperabis, sc. si bene egeris: Nam dum homo dormit, prædicat eius bona fama, imo & sæpe, dum mortuus est, viget adhuc eius fama bona vel memoria; Et sic, fama bona trahit alios ad bonum, & in hoc, potest dici satisfactoria. Bona fama dici potest esse satisfactoria. Item dicet fortasse aliquis, Domine, & si illos reuocauerim ad Deum, quos per peccatum Deo subtraxi, multa tamen alia peccata cõmisi pro quorum quolibet merui mortem æternam ex iustitia Dei. Cui dicendum est, quod si confiteatur & vere pœniteat, Deus ex sua misericordia illam mutabit in temporalem pœnam, & quod magna est Dei misericordia. Pœnitentiæ residuũ completur in purgatorio. Sed cum pro quolibet peccato mortali obligatur ad pœnam septem annorum, & sic videtur ei quod nunquam à pœna possit liberari in vita ista: dicendum est ei quod residuum suæ pœnitentiæ, quam in vita sua præsenti complere non poterit, in purgatorio perficiet. G Sed respõdebit, quod nullo modo vellet esse in purgatorio? etiam pro toto mundo non vellet esse per vnam diem, quia audiuit quod calor ignis purgatorij quasi in infinitum excedit calorem huius ignis materialis. Sed tunc, ad illum, dicendum est; Si paradisum velis ingredi, oportet, vt illum ignem purgatorij sentias, aut infernalem, si in vita non satisfeceris. Sed infernalis ignis in infinitum est feruentior quam purgatorius. Si ergo purgatorium tam formidas, quomodo debes ignẽ infernalẽ formidare? Item nota documentum bonũ quomodo venturum ignem sustinebis? & est tale. Ecce homo, qui tempore messis, multa blada habet colligere, quæ in propria persona minime potest metere; tamen propter breuitatem temporis, quia imminet periculum, tum propter insufficientiam personæ, non est aliud remedium nisi quod conducat plures operarios ad messes suas colligendas, & tot aliqñ habet, ꝙ plus facit in vna die cum operariis suis, quam posset facere in tribus mensibus. Sic, homo H qui per peccata sua, ad pœnã, quasi vltra vires suas obligatur, quærat operarios qui sibi subueniant, ad onus pœnitentiæ supportandum. Quod facere potest temporaliter, per orationes aliorum, alios ad bonum trahendo, & diligendo bonum Proximorum ad honorem Dei. Primum, patet per multa exempla; quia beatus Stephanus primam gratiam impetrauit beato Paulo adolescenti & custodiẽti vestes lapidantium beatum Stephanum. Similiter mater beati Augustini, per lacrymas & orationes primã gratiam Augustino impetrauit. Secundum patet sic, scilic. quod si peccatores pro posse suo ad bonũ trahat exemplo sanctæ & honestæ conuersationis, verbo saltem bonæ exhortationis & consolationis, similiter & opere: quia omne bonum ꝙ postea fecerit, suum erit, & quanto plures & meliores ad Deum traxerit, tanto citius & melius Deo satisfaciet. Vnde Apostolus dicebat Corinth. *Gloria vestra sumus, sicut & vos vestra, in die Domini nostri Iesu Christi*. Cor. 1. Et ibidem in principio; *Sciens quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis*. Vnde Gregorius: *Nullum maius Deo sacrificium*

quam

A *quam zelus animarum.* Item tertium sic patet: scilicet quod bonum in quocunque sic diligat, & omne quod Deus plus diligit, plus diligat: sed Deus plus dilexit animas, quoniam pro his mortuus est: vnde & eas similiter plus diligamus, quia vt dicit Augustinus, *quicquid diligis aut procuras in alio, tuum est.* Et istis tribus modis multa bona poterit metere, quibus & Deo poterit satisfacere. Er fatuus esset, qui differret colligere messem vsque in hieme (id est, morte) si fructum inde vellet habere. Item si lex generalis esset posita, quod nullus haberet ad comedendum per totum annum, nisi quod meteret in Augusto per seipsum, manu propria; nullus esset qui non diligenter vellet metere. Sic est de vita ista, quæ est quasi Augustus futuræ vitæ, quia vita quæ non seminat in vita præsenti, non metet bonum vitæ æternæ: vnde Psalmus: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua*: Et sequitur, *venientes*, scilicet in præsenti, de bono in bonum, *de virtute in virtutem*: *Venient*, supple, in futuro, *portantes manipulos suos*, id est proprios. Apostolus: *qui parce seminat, parcè & metet.* Et sequitur: *qui autē administrauerit semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit*, &c. Nullus igitur potest se excusare: vnde, Deus in Euāgelio quosdam arguit, dicens: *quid hic statis tota die otiosi?* Magnum enim dedecus & magnum vitium esset, illos quærere otium tempore messis, maxime, quorū interest metere. Et sic patet, quod qui per se satisfacere non potest, cum alio poterit. Et sic completur prima leuca. Secunda leuca est, vt iniurias sibi illatas dimittat, iuxta Euangelium, *dimitte*, &c. Vnde qui dicit *Pater noster*, & nō dimittit debitoribus suis, contra se orat; & hoc patet, cum dicit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*, &c. Sed dicat aliquis, hæc leuca, quam facilem dicitis, grauissima est: quomodo possum ei remittere, qui me ita læsit, vel grauiter vulnerauit, vel famam abstulit, vel patrem vel filium interfecit? Contra tales, exemplum tale est: Si sit aliquis detentus ab aliquo in vinculis, & non possit ab eis diuertere donec ei satisfecerit in centum libris, quibus tenetur ei, & non possit negare, cum Creditor habeat sufficiens testimonium, & dicat ei Creditor, debes mihi centum libras; remittentur, si velis mihi dare quinque solidos quos tibi debeo & quos forte nunquam habebis, quia plus constarent tibi ad repetendum quam valeant: Nonne statim ille qui obligatur in centum libras, diceret libentissime; faciam & sine difficultate? Cōstat omnibus, quod sic. Sic est de nobis. Nam vnusquisque peccator, in infinitum magis Deum offendit quam homo possit hominē offendere. Probatio: nam qui peccat mortaliter, quantum in se est, iterum Deum crucifigit: Apostolus; *rursus filium Dei crucifigentes.* Item quod pro aliquo empto damus, minus empto diligimus: sed Christus corpus suum & vitam suam pro nobis dedit; *Empti enim sumus pretio magno*, &c. Ergo plus diligimus animas nostras, quā corpus suum vel vitam suam dilexerit. Ergo plus offendimus eum, quando aliquem ei subtrahimus, quam si *corpus* eius iterum crucifigeremus. Ergo quilibet peccator in infinitum plus Deum offendit, quam homo hominem possit offendere. Ergo si dicat Deus, remitte fratri tuo offensam; & ego remittam tibi peccata; leuissimum est, hoc facere, & idcirco leuca ista est leuissima. Sed dicet aliquis: Ego remitto ita quod non faciam ei malum, nec procurabo vt fiat, sed si ei fieret, non dolerem; imo gauderem. Contra tales, sic progreditur: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Vnde rogas in Dominica Oratione, sic; *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, &c. Et Dominus sic tibi respondit; Sic tibi dimitto quod non faciam malum nec procurabo, sed si diabolus te portet in infernum, multum gaudebo: Sunt verba Chrysostomi, super illud verbum; *& dimitte nobis, sicut & nos*, &c. Sed dicet alius: non faciam ei malum, nec vellem vt ei eueniret, sed non tantum eum diligam de cætero, sicut prius. Contra talem, sic est replicandum: Nonne velles, vt Deus te diligeret sicut prius faciebat: certe plus. Et tu similiter debes. Sed dicet alius: bene diligam ex corde, sed non ostendam illi signa dilectionis, quia nolo loqui cum eo; Iste assimilatur militi, qui alicui fœneratori suo dedit literas suas quod teneretur ei in centum libras, & solutis illis centum non repetit chartam: vnde accidit quod ille fœnerator postea repetit totū debitum: Sic iste, bene debitum soluit, quando ex corde dimittit: sed cum signa dilectionis non exhibet, chartam non repetit. Sunt enim signa dilectionis, loqui cum illo, manducare, & similia. Vnde quando inter aliquos pax reformatur, inuicem osculantur. Sed dicet aliquis, hanc leucam ire non possum, quia nulla iniuria mihi facta est, & ideo non habeo quod alteri dimittam: vnde valde pauper sum, quia magno debito teneor Deo, nec sufficio per pecuniam soluere, cum offensa sit infinita: Item, nihil mihi debetur, quia non fore fecit mihi aliquis aliquid, & ideo non possum ex alieno soluere. Tali dicam, frater, debitum reddere aggrediaris, & statim dabitur tibi vnde poteris soluere. Sicut aliquis aliquādo arripit viam ad sanctum Iacobum cum modica pecunia, sed tantum datur ei in via quod optime conficit viam suam. Verbi gratia, aliquis incipit agere pœnitentiam, irridetur ab aliquo qui dicit; Iste est Beguinus, & tunc, iste dicet tibi aliquid, quia modo aliquo tibi iniuriatur: ignosce ergo, & aliquid lucratus es ad viam tuam. Alius dicet, hypocrita es: Ignosce similiter isti tibi iniurianti, & aliquid de debito tuo soluisti. Alij te percutient, similiter eis ignosce, & sic de debito tuo multum soluisti. Sic ergo potetis ex alieno soluere quod debes. Hæc ergo est patientia in aduersis, quam pauci habent. Multi enim sunt & magni, qui nihil pati possunt, &, si aliquando opprobria & contumelias patiantur, verberationes sustinere non possunt. Alij dicunt: si ex merito mihi fuissent iniuriati, passus forte fuissem, sed quia absque merito me affligebant, pati non poteram. Contra tales, sic respondēdum est: Certe patientiam habere non potes, nisi patiaris; sic nec humilitatē, nisi te humilies. Sed dicet aliquis, hæc leuca est grauissima: sed certe qui scit viam, leuissima est. Verum enim est quod omnis discipulus magistrum suum honorat & diligit maxime quando bonas lectiones ei legit; Et quanto difficiliores ei legit, tanto magistrum suum diligit plus, & quando maxime gratis ei legit. Sed certe qui alium conuitiatur vel percutit, docet eum patientiam, cum igitur eum percutit, illum amare & honorare debet; Et, si grauius percutit, pl' diligit, &, si gratis eum percutiat, & maxime eum diligat & honoret. Apparet ergo, quod huiusmodi leuca facillima experientia, facit artem. Oportet. n. eos qui in via Dei ambulant, multa pati; *Fili, accedens ad virtutem, sta in timore, præpara animam tuam ad tentationem.* Item, contra tales potest obijci, quod volunt debita soluere, sed nihil gratis conferre. Nolunt enim bibere gratis, nisi symbolum peccati apposuerint, & sic, cum vino patientiæ suę, volunt aquam sui delicti commisceri. Vnde Esaias: *Caupones tui miscent vinum cum aqua.* Tales etiam nolunt pati, vt Christus, sed vt Latro, cum tamen dicat Petrus; *melius est, benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quam malefacientes, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Qui iustus patitur, Christum imitatur; qui flagellis corripitur, latronem imitatur, qui cum Christo cognito in Cruce in Paradisum introiuit. Qui nec flagellis corripitur, sinistrum Latronem imitatur, qui propter peccatum crucem ascendit, & post crucem iuit ad Tartara. Sequitur de tertia leuca, quæ dicitur peccati punitio. Nam, in culpa, duo sunt; deformitas scilicet, & reatus, siue pœna annexa culpæ. Homo enim, per culpam efficitur debitor, & Deus vult alterum malum remanere imputatum. Hæc autem punitio, multis modis fit; scilicet, per magnam contritionem; Vnde dicitur quod tanta potest esse contritio peccatoris, quod si decederet, statim euolaret. Exemplum est de latrone qui pendebat in cruce, à dextris, cui dixit Domin'; *hodie mecum eris in Paradiso.* Item potest esse punitio, per corporis macerationem, quæ fit per ieiunium, vel alio modo laborando in bonis operibus misericordiæ, & aliis. Vnde Dominus in Euangelio; *Hoc genus dæmoniorum, ieiunio & oratione tollitur.* Similiter, oratio, satisfactoria est, in quantum pœnalis est; & loquitur de oratione mentali, quæ est in eleuatione intellectus & affectus, in Deum, prout coniungitur orationi vocali. Talis enim oratio, est deuota, & eam exaudit Dominus, sicut patet de beata Magdalena; cui vna hora per lacrymarum effusionem dimissa sunt omnia peccata sua. Sed forte dices: cor habeo ita durum quod flere non possum. Sed dicatur e; non est ita durum cor, si sæpe

recolat

Marginalia, left: Vita præsens est veluti Augustus futuræ vitæ. — Psal. 125. 6. — Psal. 83. 8. — 2. Cor 9. 6. — B — Matt 20. 6. — Matt. 6. 12. — C — Heb. 6. 6. — 1. Cor. 6 20. — D — Diligendorum inimicorum gradus. — Matth. 7. 2. — Matth. 6.

Marginalia, right: E — F — Patiē tiam in aduersis pauci habent. — G — Eccles. 2. — Isai. 1. — 1. Pet. 3. — H — Luc. 23. 43. — Matt. 17. 21 — Luc. 7.

A

Cor durissimũ emollitur memoria passionis Dominicæ.

recolat passionem Domini, & diuersas contumelias quas pro nobis sustinuit, quin fleret aliquoties: Gutta enim cauat lapidem. Sic etenim iugis memoria passionis Christi, lacrymas trahit à corde, ipsum perforando. Item, non est aliquis, nisi demens, si videret domum suam igne accensam, qui statim non curreret ad aquam: Domus tua, conscientia tua est. Cum ergo vides eam accensam igne peccati alicuius, per cogitationem malam aut consensum: Psalmus, *In meditatione mea exardescet ignis*, debes ad aquas lacrymarum confugere. Et similiter, cum vides domũ proximi (hoc est Conscientiam) ardere igne peccari, debes ad aquas lacrymarum confugere: quia magis teneris diligere animam proximi, quam domum eius ligneam vel naturalem. Item, aliud remedium quo puniri potest peccatum, est collatio eleemosynæ, cum cordis compassione: Sc enim facta eleemosyna, pœnalis est, quia punitur faciens, compatiendo miseriis proximi, & subtrahendo sibi quod ad sustentationem suam possidebat.

B

Floruit An. 1260.

GVIBERTI DE TORNACO ORDINIS MINORVM, TRACTATVS DE OFficio Episcopi & Ecclesiæ ceremonijs ad venerabilem Dominum D. Gulihelmum Aurelianensem Episcopum.

OPERA ET LABORE D. THEODORI Coisfeldii Colonien. Ordinis D. Antonii in lucem editus.

REVERENDO PATRI AC DOMINO D. GVLIHELMO, VENErabili Aurelianensi Episcopo, Frater Guibertus in Ordine minorum minimus reuerentiam paternalem & obedientiam filialem.

C

QVoniam cum multa precum instantia postulatis, & pene vt ita dicam exigitis, episcopalis officij, quod in Ecclesia Dei geritis, causas & origines scribi vobis, nefarium censui rantæ tamque piæ non obsecundare iussioni pro meæ modulo paupertatis. Poteram siquidem ego causas multiplices assignare, ne quod petitis deberem literis exarare, præsertim cum ad hoc suppetant meliores, quibus exuberat amplius scientia, lingua, mores & vos ipse qui petitis, qui iuris vtriusque notitiam comparastis, & solemniter docuistis, ad hoc ipsum effectui mancipandum, idoneus magis estis: vnde scriptum est: Interroga patrem tuum & dicet tibi, maiores tuos & annunciabunt tibi. Sed ne viderer ex incuria vel ingratitudine, vel contemptu, velle subterfugere laborem impositum, vel impactum: & sic per consequens, ne turbarem petentis affectum, semotis aliquantisper propriis occupationibus, quibus plurifariam & variis teneor irretitus, Christo duce, aggrediar opus iniunctum. Sciens tamen, quod in flammam more Mutij mitto manum: dum simplicitatem meam caninis expono rictibus erodendam. Sic enim sales Satyrici se immiscent, vt si quid hodie literis demandetur, inchoatio fit inuidia, cõtinuatio labor, finis odium habeatur, ad illos duntaxat qui in angulis garriunt, cachinnant in conuiuiis, silent in scholis, & ponentes maculam in electis, bona in mala conuertunt, & molarem detractionis infigunt. Sed hæc hactenus. Quoniam igitur opus arduum est, puteus enim altus est, & in quo hauriam non habeo, nisi porrigat ipse, qui Samaritanam mittens ad aquam viuam, dat omnibus affluenter, vt inter medium montium transeuntem aquam hauriam in gaudio, de fontibus Saluatoris. Ipsum inuoco Deum viuum, qui

Deut. 32.

D

Ioan. 4.

Apoc. 3.

E

Can. 2.

habet clauem Dauid, vt operta reuelet humilibus, vt me introducat in cellam vinariam, in qua mihi supernum demonstret exemplar, quod Moysi legimus in monte monstratum, quod in officio ecclesiæ militantis cernimus diligentius expolitum: solus enim ipse ordinem cœli nouit, qui rationes ipsius in Ecclesiæ mysteriis mirabiliter ordinauit. Ipsum autem inuoco Spiritum sanctum, vt mihi inspirare dignetur, vt fideliter & veraciter apetiam eorum, de quibus petitis rationem. Scio enim quamplurimos de officiis Ecclesiasticis conscripsisse, vt Isydorum Amalarium, Robertum, & Bedam, Innocentium, & alios quos mihi plurimis impeditos non vacauit, vel saltem per functoriè, videre. Quare si post tantos patres aliquid scribo, præsumptuosus censeri nõ debeo. Vos etenim ipse nostis, quod cum essem insipiens, vos me coegistis, sed hęc hactenus. Vt igitur in promptu magis appareat, quod dicetur, liminares officij Episcopalis titulos proposui, prout in eo quod mihi dimisistis ordinario, vidi plenius contineri.

F

CAP. I.

Ad sacerdotale officium spectat benedictio: & denotatur excellentia sacerdotalis.

Gen. 14.

EIs qui sacras literas didicerunt, & in thesauro memoriæ recondiderunt, dubium non esse non dubito, quin ad officium sacerdotale pertineat benedictio. Vnde in Genesi. Melchisedech introducitur Sacerdos Dei altissimi, sacerdotem euangelicum præfigurans sine successione carnali, benedictionem impartiens Abrahæ de prælio reuertenti. Non est autem dubium, quin minister sit sacerdos diuinorum munerum, qui populo impetrat per benedictionis suæ ministerium: per ipsos enim sacerdotes Christum induimur, Dei filio counimur, & membra tanti capitis efficimur, dum benedictionis effectum assequimur.

Quare necesse est eum ita viuere, quasi iam in cœlo consistat, qui cœlestia populis distribuit & ministrat. Qui enim nobiscum degunt in terris potestatem habent in cœlis, quæ negata est angelis & archangelis. Cui enim aliquando dictum est angelorum? Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Habent enim principes mundi potestatem aliquam corpora vinciendi solum in terris: habent sacerdotes vinculum potestatiuum in animas, quorum sententia confirmatur in cœlis. Et si ad corpora descendamus, sanitatem impetrat sacerdotale munus. Infirmatur aliquis ex vobis, dicit Iacobus, inducat Presbyteros ecclesiæ, & orabunt pro eo, & cætera quæ sequuntur. Hi sunt secretarij domini, socij angelorum, principes populorum, per quos spiritualiter generamur, Christi carne reficimur, & sanguine saginamur, à peccatis absoluimur, gratia reparamur, & variis virtutum muneribus, per eorum benedictiones mysticas adornamur. Quarum aliæ sunt sollemnes. Sollemnes autem sunt, quæ sollemniter fiunt: quarum quædam respiciunt tempora, quædam vero personas, & res personarum, quædam res Sacramentales, vt etiam æterna: quorum exempla patent per capitula supradicta. Non sollemnes autem sunt, quas iugiter sacerdotes in fine missæ distribuunt, & cum cibos & huiusmodi benedicunt.

G

Iac. 5.

H

CAP. II.

De benedictionibus Episcoporum sollemnibus, & forma crucis, per quã exprimitur benedictio.

SOllemnes ergo benedictiones, ad sollemnes pertinẽt Sacerdotes, scilicet ad Pontifices, quas sollemniter per sollemnes exhibent dies, quæ causam & originem nanciscuntur ex eis quæ in Numeris sic leguntur. Loquutus est Dñs ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius, sic benedicetis Israel, & dicetis eis. Benedicat tibi Dñs, & custodiat te: ostendat Dñs faciem suam tibi, & misereatur tui: conuertat Dominus vultum suum ad te, & tibi pacẽ. Tres igitur clausulæ in hac benedictione tangũtur, & tres clausulæ similiter in benedictionibus Episcopi solemnibus apponuntur, & triplex gratia appetitur, quæ videlicet informet liberi arbitrij facultatem, illuminet rationem, ordinet voluntatẽ. Et triplex malum remoueri per oppositũ postulatur: custodia à malo culpæ, releuatio à malo miseriæ siue pœnæ, liberatio à tentatione, per quam impeditur

A

Pax animæ. Tet etiam dominus in hac benedictione ponitur, vt Trinitatis gloria manifestius declaretur, vnde & tribus digitis Episcopus benedicit, & tribus digitis iuxta vaticinium Esaiæ Dominus terræ molem appendit, & in his tribus digitis forma crucis exprimitur, in cuius crucis efficacia nobis omnis spiritualis benedictio ministratur. Quia enim per crucem liberamur à culpa, visitamur in gratia, regnamus in patria, ideo nunquam datur benedictio proprie sine crucis forma; videte liberationem; Serpens in palo figitur, & Israel à serpentibus liberatur. Signatur Tau in frontibus virorum gementium, & euaditur angeli ferientis exterminium. Habet Angelus in Apocalyp. signum Dei viui, & cohibentur angeli, quibus datum est nocere terræ & mari. Ponitur sanguis in superliminaribus Hebræorum, & in vtroque poste; quæ positio secundum crucis dispositionem fuit, & sic percussis Ægyptiis, signatus cum suo possessore locus euasit. Attendite per crucem; gratiæ visitationem, amaritudo in aquis Marach inuenitur, sed immissione ligni mystici dulcorantur. Aduertite regni futuri figuram in cruce! protenduntur manus in cœlum, à Moyse superatur Amalech, vincunt Israelitæ, factus est, ait Esaias, principatus CHRISTI super humerum eius: quia per crucis efficaciam speratur gloria & triumphus; formam autem crucis benedicens exprimit. In cuius figura Iacob in vltimo spiritu constitutus Ioseph filiis benedicens, & formam crucis exprimens, manus commutans in crucis speciem. Ritu vero communi, à superiori descendit inferius, & à læua transit ad dexteram: benedicentis dextera, Christum præfigurans, per quem confirmatur benedictio nostra, qui de cœlo descendit in terram & à Iudæis transiuit ad gentes, ad Ecclesiam, scilicet gentium, à Iudæorum synagoga. Hæc igitur dicta sunt pro benedictionibus sollemnibus, quæ pro festorum & temporis differentia variantur, prout congrua & diuersa gratiarum munera postulantur.

Isa. 40.
Num. 21.
Ezech. 9.
Apoc. 7.
Exod. 12.
Exod. 15.
B
Exod. 17.
Esa. 9.
Gen. 49.

C

Cap. III.

De benedictionibus in fine missæ factis communiter.

Svnt & aliæ benedictiones non sollemnes, quæ in fine Missæ conferuntur populo tam per Episcopos, quam per minores alios sacerdotes. Hunc enim morem tenet Ecclesia, vt benedicatur populus post Mysteria consummata, qui Dominus ante ascensionem ascensurus in cœlum, discipulos suos in Bethaniam duxit, & eisdem in fine benedictionem dedit.

Luc. 24.

Cap. IV.

De benedictionibus quæ dantur in quadragesima in fine Missæ.

Svnt & aliæ benedictiones similiter non solennes, quæ vsitato & communi nomine benedictiones dicuntur, & quadragesimali tempore conferuntur, cum humiliare Deo capita nos iubemur. Quadragesimali enim tempore nouit aduersarius noster Ecclesiam contra se singulare sumpsisse certamen, & ideo fortius instat ad rapiendum, si quem inuenerit negligentius se habentem. Et ideo sacerdos Ecclesiasticus, vt prudens Agonotheta, quanto in maiori periculo videt milites fore, tanto munit eos amplius sua benedictione: vnde & humiliari capita præcipit, & deinde benedicit, quod prius virtutum sumus specimine vestiendi, & sic benedictionis gratiam habituri. Huius benedictionis extremæ puto figuram fuisse benedictionem tam Iacob, quam Moysi in extremo spiritu. Et de illo quidem in Genesi scriptum est: Benedixit Iacob singulis benedictionibus propriis, & præcepit eis dicens: Ego congregor ad populum meum, &c. quæ sequuntur. De alio vero fit in Deuteronomio. Hæc benedictio qua benedixit Moyses homo Dei filios Israel ante mortem suam.

D

Gen. 49.
Deut. 33.

Cap. V.

De communibus benedi-

Svnt & aliæ benedictiones communes, quibus in mensis, cibis, & potibus solent benedicere sacerdotes. Has figuratas legimus in Genesi. Cum Isaac Iacob benedixit, sicut scriptum est: statim vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Vbi dicit Hieronymus, tradunt Hebræi primogenitos functos officio sacerdotum, & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti victimas offerebant, antequam Aaron eligeretur in sacerdotium. Vt autem causa compendij de his benedictionibus transeamus, videmus cum familiare colloquium cum viris sanctis habemus, cum ab ipsis recedimus, benedictionem in vltimo postulamus. In cuius figura legitur Abraham à Melchisedech benedictus.

E
ctionibus quæ fiunt in mensis & cibis.
Gen. 27.
Gen. 14.

Cap. VI.

De origine Synodi, eiusque vtilitate & serie.

Post benedictionum mysterium conuertamus oculos mentis ad Synodum, cuius originem, vtilitatem, & seriem describamus. Synodus igitur, vt testatur Isydorus, ex græco cœtus interpretatur: eo quod in vnum Sacerdotem & ad nutum Episcopi congregantur: vt eorum excessus fideliter corrigantur, & per eos salubria monita populo tribuantur. Vnde scribitur quarto. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis. Et sequitur: Tradamque eis de spiritu tuo, vt sustentent tecum onus populi. Vbi & quatuor conditiones tanguntur, quæ in sacerdotibus requiruntur. Quod enim seniores dicit, ad ætatem refertur legitimam: Quod senes populi: refertur ad vitam. Ætas enim senectutis (vt in Sapientiæ libro legitur) vita est immaculata. Quod magistri, pertinet ad scientiam. Quod duces populi, ad experientiam. Synodalis enim congregationis Paulus in Actibus Apostolorum formam docuit, cum iturus Hierosolymam presbyteros congregauit: Videte, inquit, gregem, in quo vos Spiritus sanctus ordinauit. Et ad Titum sic ait: Huius gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas Presbyteros, quemadmodum ego disposui tibi. Sed postmodum tribulationibus inualescentibus, non fuit per multa tempora licitum Episcopis in aperto congregare Clerum. Postmodum vero à temporibus Constantini libere est concessum, vt facerent congregationes suas Episcopi, & salubribus & necessarijs ordinatis informarent populum. Tunc celebrata est sancta Synodus Nicena. Successerunt & aliæ, de quibus originem sumunt Episcopalia concilia, quę etiam exinde sunt vsque ad sacerdotales Synodos propagata.

F
Num. 11.
Sap. 4.
Act. 20.
Tit. 1.
G

Cap. VII.

De vtilitate Synodi, & in fine adijciuntur pericula Sacerdotum, quæ fateri debent.

Congregantur igitur etiam sacerdotes ad Synodum, vt suum periculum agnoscant, vitam corrigant, & Episcopum docentem audiant. Audi correctionem: congregauit in Actibus Apostolorum Paulus aliquantulam sarmentorum multitudinem, & deprehendit viperam latentem, quam in figuram correctionis aliquando secundum seueritatem exercendæ proiecit in ignem. Audi pij patris admonitionem, legitur in Genesi, Iacob dixisse filijs suis: Congregamini filij Iacob, & audite Israel patrem vestrum. Audiant & Sacerdotes periculum suum, & tinniant aures audientium. Primum occurrit in periculis: quoniam Sacerdotes non solum pro suis, sed pro subditorum criminibus subiacent pœnis æternis. Vnde scriptum est: Obedite præpositis vestris; Ipsi enim vigilant rationem reddituri pro animabus vestris. Si autem ei, qui vnum & minimum scandalizauerit, expedit, vt mola asinaria suspensa in collo demergatur in mare: Ille vero, qui non solum vnum aut duos, sed tantam multitudinem perdiderit, qualia putatis pœnarum genera sustinebit? Nonne Heli pro filiorum criminibus, illud triste iudicium est perpessus? Nonne Moyses ille vir mitissimus, & Dei familiaris, propter peccata cōcitatus plebis, terram non attigit promissionis? Sed forsitan aliqui allegabunt ignorantiam; quia peccata populi nescierunt. Hic Ioannis Chrysostomi audiatur sententia de libro, qui dicitur de dignitate Sacerdotali sumpta; dicit enim;

H
Heb. 13.
Matth. 18.
1. Reg. 4.
Deut. 34.

A enim: Neq; imperitiã causari poterunt, neq; ad ignorantiã conuolare neq; necessitatẽ opponere de aliorũ coactu: sed citius puto aliquem Laicorũ, qui gehẽnæ pro peccatis suis ꝓbetur esse obnoxi⁹, hũc esse adiuuandũ suffragio, quam Sacerdotem cum accusatur pro aliorum delictis. Quoniam qui fuerat cõstitutus, vt aliorum ignorantias emendaret, & Diabolo denunciaret insidias, ignorantia se defendere non valebit neque dicere, non audiui tubam, neque præsciui pugnam esse venturam. Secundo accedit ad periculum difficultas regendi populum. Sicut enim omnium hominum corpora ex iisdem constituuntur elementis, tum proprium quoddam temperamentum est eorum in omnibus complexionatis ratione cuius aliis & aliis medicamẽtis indigent, & alimentis aliis & aliis: ita aliter oportebit & aliter se habere prælatum secũdũ mores varios subditorũ. Alios n. corrigit consolatio, alios increpatio & horum aliis competit coram aliis increpari, aliis secretius admoneri. Si enim vnum animal ex multis compactum animalibus, specie & proprietate distinctis magnis & B paruis, domitis & indomitis, vni concederetur homini ad seruandum: quam difficile & pene impossibile esset, id animal sic regi, vt proprietates & mores exigerent cuiuslibet animalis, in illo vno corpore sic compacti; cum nec eisdem sibilis agerentur, nec eodem cibo & potu nutrirentur; sed interdum ipsis iisdem modis, quibus vnum ad mansuetudinem prouocaretur, aliud ad furorem suscitaretur: & quantum industriæ & laboris custodem illius animalis impendere oporteret, vt corpus illud ita regeret, vt ipsum ex tanta diuersitate compositum, in pacis vnitate & tranquillitate persisteret.

Tertio periculum aggrauatur, si non à pastore animarum vniuersalis perfectio habeatur. Si enim lex illa Moysi maculas in sacerdotibus etiam corporales non patitur: si, ne quid corporalis vitii habeant hostia vel sacerdos, diligentissime perscrutatur: profecto apparet ex figuris, quod vniuersalis perfectio & puritas esse debeat in nouæ legis Sacerdotibus & ministris. Non qua-C lis in populo, quæ dicitur perfectio sufficientiæ, Sed eminentior, quæ dicitur excellentiæ. Nam sicut nec ætas vna omnibus, nec vultuum liniamenta cunctis sunt eadem nec totius terræ vna est æqualitas, nec stellarum vnus est splendor; sic nec subditorum atque regentium vna perfectio. Inde est, quod Saul ab humero & *1. Reg. 10.* sursum eminebat super populum Hæbræorum.

Imo quanta est differentia inter rationalia & bestias, quæ rationis officio non vtuntur; tanta esse deberet inter rectores & cæteros qui reguntur: alioquin Prælati, Pastores, & oues, subditi minime dicerentur. Hæc est igitur vniuersalis perfectio, per quam domini Sacercerdotes exterioris operis totum sibi subiectum populum alliciũt ad virtutes. Quarto ad periculum additur pœna, quam Sacerdotum criminibus scriptura proponit. Certe Nadab & Abin, vastat incendium, dum ignem offe-*Leu. 10.* runt alienum. Hely vero Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatur. eius vero filii non recte vtentes ministerio, sed diuina temerantes sacrificia à Domino feriun-D tur. Sed Hely certe coercuit filios & corripuit lenitate *1. Reg. 4.* & mansuetudine patris, nõ auctoritate, non seueritate *1. Par 13.* (sicut debuit) Sacerdotis. Ozan mortis pœna mulcta-*Osee. 5.* uit, dum arcam Domini temere contrectauit. Com-*Ioh. 2.* minatur Oseæ Sacerdotibus, qui labefacti sunt in specu-*Mich. 3.* la, & quasi retia ad capiendas animas extensa. Nonne Ioel *Abac. 1.* his, qui ad altare deseruiunt lamentationem iniungit, & in cinere & sacco morari præcipit. Propter eos, ait Micheas, Syon quasi ager arabitur in Hierusalem, sicut casa in pomerio, vt alia translatio dicit. Propter hoc etiam ait Abacuc: Subuertitur lex, & iudicium ad finem non peruenit. Non respiciam, inquit dominus, ad hostias vestras vltra, & munera non suscipiam de manibus vestris. Si testimonia scripturarum retexerem omnia, quibus comminatur criminibus Sacerdotum, difficilior esset assumptio, & relinquere oporteret opus inceptum. Quinto & in hoc periculum aggrauatur, quod multo grauius Sacerdotum, quam Laicorum culpæ puniuntur. Israelitas Prophetæ grauius cæteris gentibus increpant, quod post accepta beneficia peccantes tormẽta maiora meruerant. E Offerri iubet lex sacrificium pro Sacerdotis ignorantia, quantum pro totius populi culpa, quia sic pie sentitur. Imo sicut Origenes dicit, tanto indigent vulnera Sacerdotis auxilio, quanto simul vniuersa populi multitudo. Non video, quod indigerent ampliori sacrificio Sacerdotes quam populus expiari, nisi autem grauiores deberent eorum culpæ censeri grauiores autem eas facit non conditio vel genus operis, sed dignitas facientis. Filiæ Sacerdotum, quibus nihil erat commue cum officio sacerdotali, tamen propter honorem parentum multo seueriori, quam aliæ mulieres in eodem etiam crimine fornicationis subiacent vltioni. Ex honoris consideratione procedit, quod Dominus mitius subditum, præsidentem vero seuerius punit, & insuper non soli Sacerdotes dãnum patiuntur in suo peccato, sed infirmorum animas interficiunt, quæ illorum corrumpuntur exemplo.

Sed quid in his mirum, cum huius officii difficultates & pericula numerare nitimur; perinde mihi videatur, & altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi velle metiri. F

Cap. VIII.

Congregatis igitur Sacerdotibus ad Synodum, prima die legitur eis hoc Euangelium: Ego sum pastor bonus. in quo plenius edocentur, quod eorum est officium: Pastores enim sunt animarum: in cuius figura, requisiti filij Israel, quid haberet operis hoc mysterium in Genes. responderunt in præsentia Pharaonis: Pastores, inquiunt, ouium sumus, & serui tui, & nos & patres nostri. Et bene pastor, à pascendo enim dicitur actiue. *De Euangelio quod legitur prima die in Synodo. Ioan. 10. Gen. 46.*

Cap. IX.

Secunda die legitur eisdem hoc Euangelium: Vos estis sal terræ. vel illud: Estote misericordes; pro vario vsu ecclesiarum. Sal igitur appellati sunt Sacerdotes, vt condiant virtutibus, & exsiccent à vitiis aliorum mentes. Sal enim naturam habet conditiuam, teste Iob. 6. Non enim potest comedi insulsum quod non est sale conditum, & putredinis corruptiua. Vnde & sale immisso ab Helisæo, sanatur in aquis corruptio. Notandum est autem quod in illo Euangelio quadruplex proponitur eis similitudo; salis, & lucis, ciuitatis supra montem positæ, & lucernæ super candelabrum sitæ. finit igitur sal, vt animas condiant ad incorruptionis sanitatem: lux, vt illuminent ad cognoscendam veritatem: Ciuitas, vt acquisitos ab hostibus defendant: lucerna ardens, vt defensos ad amorem diuinitatis accendant. Terribile tamen est satis, ꝙ si sal euanuerit, quod fit quando liquescit, hoc est quãdo resoluitur quãdo videlicet humidũ & frigidum dominantur: timor aduersitatis, quo corda gelantur, hoc est, amor prosperitatis, quo exinaniuntur. Quod si fiat in quo salietur? id est, in quo populus instruetur? Ad nihil enim valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus, quia sal exinanit. nihil valet vltra. Nam sicut in Luca dicitur neque in terra, neque in sterquilinio vtile est. Non terræ valet, quam germinare prohibet: Non sterquilinio, quia fœcundare nõ finit. Sal igitur exinanitum nihil valet ex defectu gratiæ, foras mittitur ex amissione gloriæ, conculcatur ex inflictione pœnæ. *G De Euangelio quod legitur die secunda. Matth. 5. Luc. 6. 4. Reg. 2.* *H Luc. 14.*

Cap. X.

Tertia vero die legitur Euangelium illud: Designauit dominus, & alios 72. discipulos: in quo admonentur sacerdotes de zelo prædicationis, de amouendis vitiis cupiditatis, de procurando bono pacis: de quibus satis in sermone primo tetigimus, ideo supersedemus. Hoc tamen notandum, quod in his & in aliis varius est vsus in diuersis ecclesiis, secundum quod citius aut tardius expediuntur negotiis pertractatis *De Euangelio quod legitur tertia die. Luc. 10.*

A

Cap XI.

De origine dedicationis Ecclesię *Ioan.*10.

Tertius titulus Ecclesiæ est, cuius originem ex scripturis possumus inuenire. Festiuitates enim annuas dedicationis ecclesiarum in Euangelio Ioannis legimus, vbi dicitur: facta sunt encœnia in Hierosolymis, & hyems erat. Encœnia enim solennitates dedicationis erant templi: vnde & græcè καινὸν appellatur nouum. Illum enim diem, in quo templum dedicatum erat, Iudæi solemniter celebrabant, & vt diem festum agebant: sed nunc longe aliter est. Cum enim iam careant templo iam careant & cultu diuino; quid mirum si careant illo festo, cum à nobis nunc Christianis mos ille primarius custodiatur, quia ad nos translata gloria comprobatur: Tabernaculum primum Moyses Domino condidit, deinde Salomon templum instituit, quod Esdras postmodum reparauit: sed cum fides Christi enituit, pia Christianorum deuotio per totum mundum Christo ecclesias consecrauit. Diebus autem octo festum illud extenditur; quia tot diebus à Salomone festum dedicationis explebatur. Vnde legitur, quod Salomon octo diebus celebrabat dedicationem. Ibi conueniunt fideles, vt orationes suas fundant domino, & effectum reportent, sicut signatum in oratione Salomonis iam fundato templo.

B

Cap. XII.

De vigiliis quæ fiunt in nocte antequam Ecclesia dedicetur. *Esa.*26. *Psal.*118. *Exod.*12. *Luc.*12.

Antequam Ecclesia consecretur, vigiliæ fiunt in ipsa nocte in honorem sanctorum, quorum reliquiæ ibi condendæ sunt: de quarum vigiliarum sciendum, quod earum antiqua fuit institutio: Esaias dicit: Anima mea desiderauit te in nocte, &c. quæ sequuntur. Dicit & Propheta Dauid: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, &c. Hoc namque tempore vastator angelus transiens Aegyptiorum primogenita consumpsit: & hoc tempore se venturum dominus repromittit. Beati ergo illi, quos, cum venerit, vigilantes inuenerit, nisi forte propter incertitudinem vocet tẽpus ipsius noctem. Qua enim hora nescimus, Dei filius est venturus, sed siue sic, siue sic, siue sero, siue media nocte, siue galli cantu, siue mane venerit. Beatus, qui vigilauerit. Ad hoc pertinet quod Iesus nocte pernoctabat in oratione. Sic Paulus & Sylas in custodia positi carceris orationibus vacantes, soluti sunt à vinculis, concussis carceris fundamentis. Erubescant igitur Hæretici, qui dicti sunt Nictizantes, quos latine somniculosos dicimus, qui, vt singula quæque locum teneant sortita decenter, de die asserunt vigilandum, & de nocte dormiendum, & non vigilandum, ne iura temerentur diuina: qui noctem ad requiem sicut diem constituit ad laborem. Sed cum ex phantasmatum suorum erubescentia mens eorum efficiatur ebria, & suppetat eis somni materia, impletur in eis illud, id est, ad Thessalonicenses: Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Igitur fratres, non dormiamus sicut & ipsi, sed vigilemus & sobrii simus. Non enim sumus filii noctis & tenebrarum, sed filij lucis.

C *Actor.* *Thess.*1. D

Cap. XIII.

Mysticè exponitur, quæ ab Episcopo in dedicationibus gerũtur latiusq; ꝓsequitur singula. *1.Cor.*3. *Philip.*2.

Prosequenda sunt breuiter ea, quæ ab Episcopo in dedicationibus geruntur, vt eorum vsis signationibus spiritualis sensus aliquis habeatur. Notandum ergo, quod ea quæ in Ecclesia fiunt visibiliter, in anima Deus operatur inuisibiliter, quæ vere Dei templum est, sicut scriptũ est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos: vbi fides fundamentum iacit, spes erigit, charitas consummat & perficit. Ecclesia igitur dedicanda, anima sanctificanda, aqua, pœnitentia, sal, sapiens, trina aspersio, trina baptismi immersio, luminaria, 12. Apostoli crucis mysterium prędicantes, Pontifex Christus, virga potestas eius, trina percussio, cœlestium, terrestrium, & infernorum dominatio seruitura Christo, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Interrogatio inclusi, ignorantia populi, apertio ostii, euacuatio peccati, intrans Pontifex precatur domui pacem: Ingrediens Christus in mundum, pacem fecit inter Deum & hominem: deinde prostratus orat pro sãctificatione dom⁹: & Christ⁹ ad passionẽ humiliat⁹ orat ꝓ discipulis suis, & pro credituris omnibus. Descriptio alphabeti in pauimento, simplex doctrina fidei est in corde humano, versus à sinistro angulo Orientis, ductus in dextrum Occidentis, & alterà dextro angulo Orientis, in sinistrum Occidentis, crucem repræsentant, & collectionem vtriusque populi figurant. Vnde Iacob cancellatis manibus filiis Ioseph benedixit. Christus ab Oriente transiens, in sinistra reliquit Iudæos, venit ad gentes: quę cum prius essent in Occidente & in sinistra: dedit esse in Oriẽte, & in dextra, & tandẽ à gẽtib. in dextra Oriẽtis visitabit Iudæos in sinistro angulo Occidentis: Deinde stans Episcopus ante altare inuocat Deũ in adiutoriũ; significans eos, qui percepta fide se præparant ad pugnam tentationum; & quia adhuc in certamine sunt, quasi inter suspiria, nondum adhuc adiungitur Alleluia. Post hæc aqua benedicitur cum sale & cinere, addito vino misto aquæ. Aqua populus, Sal doctrina, cinis memoria passionis Christi, vinum iucunditas diuinitatis, aqua, passibilitas humanitatis: quæ duo coniunguntur, quia istæ duæ in Christo vniebantur. Aspersarium de ysopo, quo Ecclesia aspersa mundatur, humilitas, per quam anima sanctificatur: funditur aqua benedicta ad basim altaris, quia Deo humiliter committendum est, quod excedit vires humanas in diuinis mysteriis. Altare linteo extergitur, quia caro Christi, & etiam cuiuslibet Christiani ad gloriam immortalitatis per multas passiones perducitur. Offert Pontifex thus super altare accensum in modum crucis in medio altaris, & per quatuor angulos eius de oleo sanctificato crucem facit: & deinde tres cruces per singulos parietes Ecclesiæ de eodem oleo, & sic consecratione, albo velamine incensum, orationes. oleum, gratia spiritus sancti. Crux per quatuor angulos facta? Christi passio per quatuor climata mundi declarata. velamen album, immortalitatis gaudium.

E *Gen.* F G

Cap. XIV.

Solemnitatem vigiliarum sequitur impositio reliquiarum. *Num.*19. *Eccle.*44.

Post solemnitatem vigiliarum sequitur de impositione reliquiarum: Vnde canon dicit, quod altaria euertantur, in quibus reliquiæ nullæ probantur, &c. quæ sequuntur. Sanctorum enim membra & corpora vera Dei sunt animata templa, per quæ diuina accipimus responsa coniugis, & deuota agitur in cordibus eorum memoria. Et ideo Ecclesiã dedicatã intrantes, vt oremus dignum & iustum est, vt eos, quorum ibi viget memoria, præsentes in cordibus habeamus, vt per eos vel ad votũ, vel ad meritum impetremus: Vnde & in lege, qui tingebat mortuum immundus erat. & in Canone pręcipitur, vt Ecclesiam, vbi paganus sepultus est, consecrare non liceat: & siue fidelium siue infidelium corpora ibidem sepeliantur, exponantur, & eiiciantur, & postmodum sicut moris est, sanctorum reliquiæ immittantur. Non enim dicendum est eos esse mortuos, quorum animæ sunt in manu Dei. Et de quibus scriptum est: Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum.

H

Cap. XV.

De præparatione Episcopi ad Missam, sine qua nõ sunt Ecclesiæ dedicandę. *Psalm.* *Psal.*83. *Psal.*84. *Psal.*85. *Psal.*118. *Psal.*115.

Sequitur de officio Missæ, sine qua non sunt Ecclesiæ dedicandæ. Et quia satis apparet, vnde sumuntur illa, quæ in ipsa Missa cantantur, ideo generaliter aliquid inde dicatur. Imprimis igitur se præparat Episcopus ad celebrandam missam; præmittens Psalmos quosdam & confessionem, secundum consilium Psalmistæ dicentis: præoccupemus faciem eius in confessione & in Psalmis iubilemus ei. Sunt autem hi psalmi quinq; secũdum consuetudinem curiæ Romanæ: Quam dilecta, &c. Benedixisti, &c. Inclina Dñe, &c. Credidi, &c. & de profũdis, &c. Vt quidquid immundũ contractum est transgessione quinque sensuum, totum soluatur oratione quinque Psalmorum. Quos siquis diligenter attenderit, inspiciet

A quam bene congruunt celebraturis Eucharistiæ Sacramentum. Et adduntur orationes speciales ad impetrandum munditiam cordis & corporum. Lauat etiam manus corporaliter, vt intelligatur actis mundari spiritualiter. sicut scriptum est: Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine. Quis enim corde polluto ad altare accedit, carnem Christi consecrat contrectat, & comedit, nisi qui sibi iudicium manducat & bibit? Signa autem quæ pulsantur in Missæ principio, tubas argenteas signant & ductiles, quibus conuocabatur populus in veteri Testamento. Vnde in libro Numerorum legitur: Fac tibi duas tubas argenteas, quibus conuocare possis multitudinem. Et quod distinguebatur antiquitus in clangore tubarum & differentia sonituum, hoc idem repræsentatur nunc in Ecclesia, cum aliter pulsetur in festis, aliter etiam pro mortuis, & aliter in conuocationibus faciendis.

Psal. 25. *Num. 10.*

Cap. XVI.

B *De accessu Episcopi ad Altare.*

PRæparatus igitur Episcopus ad celebrandam Missam solemnibus indumentis ad altare procedit. Et secundum morem Romanæ Ecclesiæ præcedit Subdiaconus, qui portat librum Euangelii clausum vsque ad altare: quo ibidem aperto osculatur Episcopus librum, ducunt Episcopum Sacerdos & Diaconus, alter hinc, alter illinc concomitantes Episcopum. Episcopus iste Christus, assistens futurorum bonorum pontifex: quoniam Ioannes Baptista præcessit. Qui cum prędicaret pœnitentiam, librum Euangelii ante Christum portauit: vnde & Euangelicam prædicationem incœpit: Et quia Christus discipulis suis sensum aperuit, vt scripturas intelligerent passionis tempore. Ideo liber clausus aperitur ad altare, quem Episcopus osculatur: quia pax in Euangelio prædicatur, & à Christo pax vera nobis relinquitur. Sacerdos & Diaconus ducunt Episcopum: quia lex & Prophetiæ annunciauerunt, & promiserunt Christum esse venturum. Prophetam, inquit, Moyses, suscitabit vobis Deus de fratribus C vestris. Et Esaias: Ecce virgo concipiet & pariet, &c.

Hebr. 9. *Luc. 1.* *Ioan. 20* *Deut. 18.* *Esa. 7.*

Cap. XVII.

De confessione & thurificatione Altaris.

PRæueniens Episcopus ad altare antequam officium incipiat vt digne introeat hunc Psalmum enunciat: Iudica me Deus, &c. confessionem faciens peccatorum: quia iustus in principio accusator est sui: percutiens pectus suum: vbi tria concurrunt. Ictus, vt cordis significetur contritio: socius vt oris confessio: tactus vt operis satisfactio. Sic enim Publicanus percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Deinde thus imponit thuribulo significans Christum, qui orationes nostro inspirat animo. Vnde & in Apoc. designatur sub figura Angeli, qui stetit ante altare habens thuribulum aureum, quod impleuit igne altaris, quia corda munda Christus implet deuotione & feruore orationis. Tunc accedens Episcopus osculatur altare, significans quod Christus sibi copulauit Ecclesiam ex amore. Vnde in Canticis: Osculetur me osculo oris D sui. Deinde Episcopus Diaconum: signans pacem aduenisse, quam promiserant Prophetæ ante Christi aduentum. Vnde scriptum est: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Inclinans se diaconus osculatur pectus Episcopi, significans quod inspiratione diuina de pace iam dicta sancti Prophetæ domini sunt loquuti. Vnde Ioannes supra pectus domini recumbens fluenta Euangelij de sacro domini pectoris fonte potauit. Deinde Episcopus sacrum incensat Altare. Vnde in lege scriptum est, & dictum est ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de Altari mitte incensum desuper. Per hanc autem thurificationem significat omnis dæmoniacæ prauitatis expulsionem. Vnde & fumum thuris quidam æstimant valere ad dæmones effugandos, assumentes pro testimonio, quod scribitur in Thobia: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.

Psal. 42. *Prou. 8.* *Luc. 18.* *Apoc. 8.* *Cant. 1.* *Psal. 71.* *Ioan. 13.* *Num. 16.* *Thob. 6.*

Cap. XVIII.

E

STante Episcopo ad altare chorus incipit officium, præmittens antiphonam quandam, quam appellant Missæ introitum, sumptam in consecratione Ecclesiæ de Genesi. Vidit in Spiritu prophetico excitatus Iacob quasi de graui somno, ait, Terribilis est locus iste; reuerentiā annuncians, quæ debetur ecclesiæ. Qui scilicet introitus repetitur interposita gloria Trinitatis, & versiculo psalmi. Dominus regnauit exultet terra. Vbi primo sciendum est chorum appellari multitudinem canentium, à corona dictum, quia in similitudine coronæ factum. Vnde ab Ecclesiastico egregius ille sacerdos describitur stans ante aram & in circuitu eius corona fratrum. Choros autem Moyses post transitum maris rubri primus instituit, cum seorsum viris, seorsū mulierib. laudes diuinas vtrosq; pronūnciare docuit. Antiphonas autem apud Latinos beatissimus Ambros. instituit primus Græcos imitatus, qui Antiphonas primitus composuerunt duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim ad inuicem sibi conclamantia, & quasi duo testamenta sibi concorditer respondentia. Vnde antiphona ab ἀντὶ quod est contra, & φωνὴ, quod est sonus, nomen accepit, quasi concordia soni ad sonum. Iste est ergo Introitus, qui præfigurat in antiquis patribus desiderium CHRISTI aduentus: hoc ergo desiderium Introitus repræsentet non semper intellectu litteræ, sed iubilo cantilenæ. vnde & chorus dilatat cor suum in iubilatione: significans, quod multi reges & prophetæ desiderabant Christum videre; vnde ex eorum persona cantamus introitum, per quos introiuit Christus in mundum. Antiphonę repetitio, deuotionis exaggeratio. Vnde Propheta, Manda, remanda: Expecta, reexpecta. Et alius Propheta: Si moram fecerit, expecta eum. Interpositio gloriæ: captatio beneuolentiæ. Vt n. obtinerent facilius q̃ expectabāt ad totā trinitatem clamabāt. Interponitur in officio dedicationis versus de psal.: Dn̄s regnauit, &c. quod cōgruit ei, quod alibi dictum est de eiusdem Ecclesiæ fundatione: Fundatur exultatione vniuersæ terræ. Celestinus enim Papa instituit, quod psalmi Dauid. 150. ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat: sed tamen tantum Epistola & Euangelium legebantur, sicut habetur in gestis pontificalibus. Vnde & adhuc in vigiliis Paschæ & Pentecostes hic mos retinetur, vt Missa à lectione incipiatur. Quod tamen ita intelligendum est, quod ex omnibus psalmis, quædam excipiuntur, quæ pro introitibus, gradualibus, offertoriis, communionibus frequenter canuntur. Psalmos autem Dauid instituit, qui in eis modulandis præcipuus fuit; non propter temporalem delectationem, sed propter spiritualem deuotionem.

Sequitur introitus Missæ. *Gen. 28.* *Psal. 96.* *Exod. 15* F *Matt. 13.* *Esa. 28.* *Abac. 2.* *Psal 92.* G *Psal. 48.*

Cap. XIX.

DEinde sequitur Κύριε ἐλέησον, quod à choro concinitur. Duæ enim sunt dictiones in Græco, & non dictio composita, &, Domine miserere, interpretatur. Vnde psalmus: Domine miserere nostri; re enim expectauimus. Et cum nouem modis peccemus, nouies illud dicimus quia contra infamem nouenarium Dei misericordia indigemus. Est enim peccatum Originale, Actuale, Mortale, & veniale. Serpens mulier, & vir. Serpens concupiscentia est, quæ suggerit originaliter: Mulier, delectatio, quæ comedit venialiter: Vir, ratio, qui consentit mortaliter. Est iterum peccatum cogitationis in corde, sicut mortuus in domo loquutionis: In ore, sicut mortuus in porta perpetrationis: In opere, sicut mortuus in monumento. Est iterum peccatum fragilitatis per impositionem simplicitatis, per ignorantiam malignitatis per inuidiam: hoc est, peccatum in patrem, & filium, & spiritum sanctum: & ideo misericordiam petimus, ter ad patrem, ter ad filium, ter ad spiritum sanctum. Vel ideo nouies dicimus, vt nouem ordinibus Angelorum sociemur. Quod cantari in Ecclesia à clero B. Greg. præcepit, quod à consuetudine Græcorum accepit

Explicat quid significet Kyrie eleison, & cur dicatur gloria in excelsis. H *Psalm.*

A Audierunt duo discipuli Ioannem loquentem, & secuti sunt. Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, &c. Aut Graduale forte siue Gradale dicitur, quoniam in gradibus ante Altare cantatur. Significat autem Graduale pœnitentiam, vnde in diebus illis qui iugem præfigurant lætitiam, vt inter Pascha & Pentecosten, non dicitur: vnde & duplex Alleluia dicitur. Illi ergo mystice Graduale canunt, qui in valle lachrymarum positi de virtute in virtutem gradatim ascendentes has in corde disponunt. Id autem dicitur Responsorium, eo quod vno præcinente vel pluribus, ipsis respondeat chorus. Subiungitur Versus, à vertendo dictus: aut quia dicto versu frequenter à versu ad Responsorium, maxime in maioribus ecclesiis, quarum morem prosequimur, fit reuersio: vel quia nos ad Orientem vicinius versum cantando. In dedicatione tamen Responsorium vt versus dicitur, vt ex suauitate melodiæ populus in mentis dulcedinem excitetur. Vnde in Esdra scriptum est: Steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum rubis, & Leuitæ filii Asaph in cymbalis vt laudarent Deum. B Et sequitur, Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, in eo quod fundatum est templum Domini. Et quia non est vera pœnitentia sine interiori lætitia, ideo nemo indignetur mihi si in Responsorio accipiam pœnitentiam, quæ sequitur ad Epistolæ lectionem, hoc est, ad prædicationem Ioannis & mentis lætitiam, quæ designatur in melodia canore dulcedinis, quod forte significabat illa confusio, de qua in Esdra legitur. Multi vociferantes in lætitia leuabant vocem, nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi. Et de vtroque in Luca: Lamentauimus vobis, & non plorastis; cantauimus vobis, & non saltastis. Si enim ad litteras seculares recurrimus, & quæ de Musica modulatione dicta sunt adinuicem conferamus, apparebit in promptu, quam sæpe iracundias cantilena represserit, quam multa in corporum vel in animorum affectionibus miranda perfecerit.

[Margin: idipsum significet, demonstrat. an. 11. — Psal. 83. — 3. Esdr. 5. — 3. Esdr. 5. — Luc. 7.]

C Cap. XVIII.

[Margin: Hoc capite agit de Alleluia, tractu & sequentia.]

Post hæc sequitur Alleluia, Adorabo, &c. Alleluia Hebraicum est, & interpretatur Laudate dominum. Tres n. linguæ sunt, quæ inter alias excellunt Hebræa propter legem, Græca pp Sapientiã, Latina propter regnum. & his tribus claruit crucis titulus, & in his trib. Missa cantatur: nã Kyrie eleison græcum est, O sanna, Sabaoth, Alleluia, Hebraica. Post Graduale ergo dicitur Alleluia, quia post pœnitentiam ineffabilis lætitia. Psalm. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, &c. venientes autem venient, &c. Remansit autem hoc nomen Hebraicum, quod ineffabilem notat lætitiam, nõ interpretatum; vt peregrinum est vocabulum, gaudium mysticaret ignotum, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, & ideo potissimè illo tempore frequentatur, quo Christus resurrexit à mortuis, in quo nobis gaudium æternæ beatitudinis designatur. Verbum hoc modicum in sermone neumatizando D protrahimus, vt mens repleta stupore & extasi rapiatur illuc, vbi erit perpetua vita sine morte, dies sine nocte, certe sine forte, iucunditas sine dolore, tranquallitas sine labore, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine peruersitate, veritas sine fallacia, charitas sine malitia, felicitas sine miseria. Vnde in diebus luctus, & maxime à Septuagesima vsque ad Pascha non dicitur Alleluia, quia Musica in luctu narratio est importuna; tempus enim illud Babylonicæ captiuitatis fuit, in qua patres nostri super flumina Babylonis fleuerunt, & in salicibus eius ne canerent, sed magis gemerent pro exilio suo, sua Organa suspenderunt. Dicitur autem Tractus illo tempore, qui luctum significat pro incolatu præsentis miseriæ, sicut scriptum est: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Vt Tractus à trahendo dicitur, eo quod Sanctorum suspiria ab imo trahuntur pectoris, siue pro dilatione patriæ, siue pro incolatu miseriæ. Vnde duo sunt genera Tractuum: quidam pertinentes ad irriguum superius, vt Iubilate, Laudate: quidam ad inferius, vt De profundis, &c. quod autem repetitur Alleluia, quando non est Tractus vel Sequentia, duplicem significat stolam Sanctorum, quam habituri sunt Sancti in patria: carnis, quia fulgebunt sicut sol, & E tanquam scintillæ in arundineto discurrent: & mentis quia exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis. Additur autem Sequentia, & non protrahitur secundum Alleluia, sed Sequentia loco eius canitur, per quam æterna gaudia & Sanctorum laudes designantur. Vnde scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Vnde & sequentia maxime in consecrationibus & dedicationibus ecclesiarum dicitur, verba continens laudabilia, & dulcedine cantus plena, in signum sanctorum igne sancti spiritus ardentium, & dulciter concordantium, vt in ista Sequentia dicitur: Rex Salomon facit templum, &c. & sequitur, In hac casa cuncta vasa, sunt ex auro de thesauro Salomonis penitus. Nam magistros & ministros docet doctos, & excoctos igne S. Spiritus. Et in illa similiter: Alma chorus Domini, &c. Psalm. Sicut lætantium omnium habitatio F est in te. Dicitur autem quod Nocherus Abbas S. Galli de terra Teutonicorum post sequentias composuit. Nicolaus Papa eas in Ecclesia cantari instituit.

[Margin: Psal. 136. — Psal. 119. — Eccl. 22. — Psal. 125. — Psal. 149. — Psal. 86. — Psal. 86.]

Cap. XXIV.

[Margin: De Euangelio, cur que magis benedicitur Diaconus, quam Subdiaconus.]

Lecturus Euangelium Diaconus ascendit pulpitum, & Sacerdos similiter cum legit sine Diacono. A dextera transit ad sinistram, & vterque versus Aquilonem; sed transitus à dextra in sinistram duo significat: Primo, quia Christus venit non vocare iustos, sed peccatores. Illi enim per dexteram, hi per sinistram designantur. Secundo, quia cultus fidei primo fuit in populo Iudæorum, deinde transiuit ad gentes; tertio reuertetur ad Iudæos: quando reliquiæ saluæ fient tempore prædicationis Enoch, & Heliæ Ideo Sacerdos in principio Missæ consistit ad dextrã, cum legit Euangelium conuertitur ad sinistram, & in fine Missæ reuertitur ad dextram, secundum istos versus: Dextera Iudæos, Gentiles leua figurat.

G *Cœpit ab his, transfertur ad hos, retrofertur ad istos,*
Nostra fides, & erunt in mundi fine fideles.

Ascendit autem Diaconus in pulpitum, vnde & Dominus ascendit in montem vt Euangelium prædicaret, quando aperiebat os suum, dicens: Beati pauperes spiritu, &c. Et Esaiæ: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Syon, & contra Aquilonem, vt expulsa diabolica prauitate, quæ in Aquilone designatur, aspirare faciat Deus in cordibus Spiritus sancti feruorem. Vnde in Canticis: Surge Aquilo, veni Auster, perfla ortum meum, &c. Lecturus autem Euangelium Diaconus ab Episcopo benedicitur: quia secundum Apostolum, Quomodo prædicabunt si non mittantur? Non benedicitur Subdiaconus lecturus Epistolam, sed Diaconus lecturus Euangelium; quia Christus postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, Apostolos & Euangelistas visibiliter misit, & docuit. Illi autem egressi circuibant castella euangelizantes & curantes vbique. Lecturus autem Euangelium debet se signare in fronte, & ore, & pectore, quasi dicat crucem Christi non erubesco, sed H corde credo, quod ore prædico. In fronte enim sedes est verecundiæ: & Dominus in Euangelio: Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris & sanctorum Angelorum. Debet etiam signare librum & osculari; quasi dicat, Hic est liber crucifixi, per quem sumus Deo reconciliati. Baruch; Hic est Liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum, &c. Anastasius autem vt legitur, in gestis Pontificalibus præcepit, vt quoties Euangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent. Vnde & stando debet audiri Euangelium, & illa cantica quæ de Euangelicis sumuntur, vt Magnificat, & Nunc dimittis, & Benedictus Deus Israel, &c. stando cantantur. In altiori gradu legitur Euangeliũ quam Epistola, quia doctrinam Apostolicam excedit Christi Doctrina. In cuius figura dicitur in Esdra: Steti Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, & paulo post super vniuersum quippe popu-

[Margin: Matth. 5. — Esa. 2. — Can. 4. — Rom. 10. — Heb. 1. — Luca. — Luc. 9. — Bar. 4. — Esd.]

A lum eminebat: Caput detegitur cum Euangelium legitur: vt designetur attentio & deuotio. & quia omnia velamina legis remouit Euangelica prædicatio, & infusa est manifesta cognitio, nec debemus nos apodiare nisi necessitate compulsi: licet Iudæi comedentes agnum Paschalem baculos tenerent in manibus, quia Christo prædicante à legalibus, quibus fulciebatur Israel, absoluti sumus: aut certe baculos deponere deberent homines cum legitur Euangelium, vt non quærant vindictam, sed sint mites, tollentes super se leue Domini iugum. Quod autem Clerus respondet, Gloria tibi Domine, sumptum est de actibus Apostolorum: Glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus Deus dedit pœnitentiam ad vitam, quia mittit eis verbum salutis. Vnde Euangelium bona nunciatio interpretatur. Legitur autem Euangelium quandoque secundum historiam, vt illud: Maria Magdalenæ & Maria Iacobi, &c. Aliquando secundum allegoriam, vt in Assumptione beatæ Virginis, illud Euangelium legitur de Martha & Maria, vt significetur beatam Virginem excellentissimam habuisse in vtraque vita actiua & contemplatiua. & in consecratione Ecclesiæ, siue dedicatione illud Euangelium de Zachæo, vt designetur indigne accedenti peccatorum remissio. vnde dicitur vbi: Hodie salus huic domui facta est. Aliquando secundum partem, vt in festo S. Crucis legitur Euangelium de Nicodemo, propter istam clausulam: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: in quo fit mentio de exaltatione corporis Christi in cruce. Aliquando secundum totum, vt illud in Circumcisione. In profestis autem diebus præcedit vnus cæreus tantum Diaconum: quia Ioannes Baptista Christi præcursor & lucerna verbi præcessit humilem Christi aduentum: sed in diebus festis præcedunt duo cærei, quia in secundo Aduentu, qui manifestus erit, præcedent Helias & Enoch duo præcones Christi: aut quia ad prædicandum ante faciem Christi missi sunt Apostoli bini & bini. Sunt multa alia quæ ante Euangelium geruntur, sed ad præsentes ecclesiarum varios vsus dimittantur.

Act. 11. *Marc. vlt.* *Luc. 10.* B *Luc. 19.* *Ioan. 3.* *Luc. 2.* C

Cap. XXV.

Hoc capite tractat de Symbolo, & quando debeat dici.

Lecto igitur Euangelio, liber & thuribulum reportantur ad Episcopum, quia ad eum bona omnia referenda sunt, à quo bona cuncta procedunt. Ipse est enim Alpha & O, finis & principium. Deinde sequitur Symbolum, quod cantari ad Missam Damasus Papa constituit, in quo innuitur, quia quod fide credendum, ore est confitendum. Corde enim creditur ad iustitiam, & ore confessio fit ad salutem. Dicitur autem Symbolum collectio ex communi sententia: quia sicut dicitur, Apostoli post missionem Spiritus sancti simul conferentes, duodecim articulos composuerunt, quos tenendos populo prædicauerunt. Et iste est duodenarius numerus multipliciter figuratus & sacratus in 12. Apostolis, in 12. Prophetis, in 12. Patriarchis, in 12. exploratoribus, principibus, tribubus, fontibus, & multis duodenariis in Biblia designatis. Cantatur autem Symbolum generaliter in festis illorum, de quibus mentio fit in Symbolo: & propter hoc in dedicationibus Ecclesiarum dicitur Symbolum, propter illum Articulum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Tunc enim Ecclesia sanctificatur, &, vt ita dicam, catholicatur. & in festis Apostolorum, quia ipsi composuerunt Symbolum: & in omnibus diebus Dominicis, propter prærogatiuam eorum: & in natali Domini, & in Epiphania & Cœna Domini, de qua dicitur, Sanctorum communionem. Cœna enim Domini est solemnitas Eucharistiæ, ad quam pertinet Sanctorum communio. Ad Epiphaniam vero pertinet quod dicitur de Baptismo, de Ascensione & Pentecoste, & Natiuitate, patet manifeste. De festo Angelorum fit mentio nomine cœli & terræ, in quo intelligitur natura angelica & mundana: tamen quidam non cantant Symbolum in festis Angelorum, quia, vt dicunt, non habuerunt fidem, sed agnitionem. In octauis cantatur propter illud, Resurrectionem mortuorum, quæ fiet in octaua ætate: Octaua enim gloriam signat resurrectionis. Et ideo licet in festo Innocentum non cantetur Symbolum, quod tamen cantare debuerat, quia erat infra octauas Natiuitatis Domini: tamen quia vox in rama audita est, ploratus & vlulatus, Rachel plorans filios suos; & quia descenderunt ad Inferos, & quia non loquendo, sed moriendo confessi sunt: ideo canticum lætitiæ tollitur, nec hymnus Angelorum, nec Alleluia, nec Symbolum dicitur, nisi in octauis tantum, propter rationem dictam: quia Octaua pertinet ad Resurrectionis gloriam. Vnde infra octauas Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Petri & Pauli, Assumptionis B. Virginis, & Natiuitatis eiusdem dicitur: tamen in natiuitate Ioannis Baptistæ, & festo S. Laurentii Symbolum non dicitur, sed in octauis eorum cantatur, eo quod infra octauas Apostolorum & Assumptionis occurrunt. Vnde in octauis Ioannis Baptistæ dicitur præfatio de Apostolis, & in octauis B. Laurentii de Assumptione; in octaua tamen Agnetis non dicitur: quia non appellatur proprie octaua. In festis S. Crucis, & B. Virginis semper Symbolum dicitur, & in festis Trinitatis, & in festo Magdalenę, quidam dicunt quod fuerit Apostola apostolorum: quia prima Resurrectionis gaudium Apostolis nunciauit. De quibusdam tamen fit mentio in Symbolo, in quorum festis non dicitur Symbolum: Vt passionis, sepulturæ; quoniam officium eorum non sequitur regulam aliorum dierum.

D

E *Matth. 2.* F

Cap. XXVI.

De Offertorio & oblationibus

Lecto Euangelio & dicto Symbolo, sequitur de Offertorio: quod ideo sic appellatur, quia tunc offertur, quia tunc Sacerdos recipit oblationes à populis, & hostias à Ministris, & dum offertur Offertorium cantatur. Vnde in lege cum offerretur holocausta, cœperunt laudes offerre Domino, sicut habetur in libro Paralipom. Sed finita oblatione stant homines in oratione. Vnde in Paralip. dicitur; Cum finita esset oblatio incuruatus est Rex, & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt. Sed antequam Episcopus aut Sacerdotes accedant ad sacrificium faciendum, lauantur manus eorum. Vnde in Exodo dicitur Aaron; Facies labium æneum & cum basi sua ad lauandum, &c. Et sequitur; Missa aqua lauabunt in ea Aaron & filii eius manus suas & pedes. Opera significant & affectus, quando accessuri sunt ad altare. Quod autem dicitur in offerenda dedicationis; Domine Deus in simplicitate cordis, &c. sumptum est ex eo, quod Salomon in dedicatione templi hostias obtulit, cuius exemplo se & dona sua offert populus Domino. Postmodum corporalia super Altare disponuntur; vnde sicut in syndone munda & linea corpus Christi erat inuolutum, ita debent esse corporalia simplicia linea, non serica imo sine tinctura, & secundum consuetudinem Romanæ curiæ, vnum expansum, & alterum super calicem plicatum, vt in plicato accipiamus fidem, & in expanso cognitionem, vt quod corde credimus, cognoscere valeamus. Et hæc de antecedentibus ad Canonem sufficiant.

2. Par. 29. G *Exod. 30.* *1. Par. 29.* *Matth. vlt.*

Cap. XXVII.

H

De his, quæ fiunt à Sacerdote post Offertorium.

Post oblationem temporalem prosequitur Sacerdos oblationem spiritualem; sed antequam ingrediatur Canonem, accipit patenam & vrceolum, calicem & incensum; patenam cum hostia, vrceolum cum aqua, calicem cum vino, thuribulum cum incenso, efficit super ea crucis signum; quæ omnia habent sensum mysticum. Incensum enim deuotionis odolendum est in thuribulo cordis, igne charitatis, vt emittat odorem suauitatis; per patenam vero, quæ à patendo dicitur, cor patens & charitate dilatum designatur, vt ambulet in latitudine charitatis, qui vult esse minister, aut particeps Sacramenti altaris. Absconditur autem patena sub corporali, vt designetur timor & latibulum, quo latuerunt in passione Christi Apostoli. Inclinatus Sacerdos ad populum orat vt oretur pro eo; & deinde orat pro populo typum Christi gerens, qui pro se orauit dicens; Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Et deinde pro populo sibi credituro; Pater sancte

Ioan. 17.

serua

A

Ioann. 17. serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Deinde accedit ad præfationem, quæ dicitur præloquutio, hoc est, ad mysterium præparatio. Orat autem voce demissa, repræsentans silentium Christi in passione factum:

Esa. 53. quia sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum: & dicitur submisse propter reuerentiā. Vnde legimus quosdam pastores vltione diuina percussos, qui super quendam lapidem panem posuerunt, & verba Canonis proferentes, percussi sunt à Domino. Ex tunc ordinatum est, vt de cætero diceretur silenter, quod prius dicebatur patenter, sed in fine eleuat vocem suam, dicens, Per omnia secula seculorum: quia quærit eleuationem & exaltationem præcipue in cœlo, &, quia hoc mysterium nullus ratione naturali potest comprehendere, ideo monet sursum corda habere; & ideo statim adiungit se Angelis, hymnum dicens angelicum: Sanctus, Sanctus, &c. Qui partim verba habet angelica, scilicet, Sanctus, sanctus, &c.

Esa. 6. Sicut patet in Isa. partim humana, sicut patet ex Euangelio, quia qui præibant & qui sequebantur, elamabant:

B

Matth. 12. Osanna, &c. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hic autem quidam Missam incipere dixerunt, eo quod in primitiua Ecclesia Catechumeni solebant interesse celebrationi Missæ vsque ad Consecrationem, & tunc clamabat Diaconus: Catechumeni exeant foras, & quia foras mittebantur, ideo Missa dicebatur.

Cap. XXVIII.

Conuenientia Sacerdotis legalis intrātis ad sancta sanctorum: & Euangelici accedētis ad secretum.

SAcerdos igitur secretum Missæ celebrans, repræsentat ea, quæ olim faciebat Pontifex intra sancta sanctorum, & quæ Christus egit, quem ita præfigurauit. Vnde sicut templum erat diuisum in duas partes velo interposito, prior autem pars appellabatur Sancta, interior vero Sancta sanctorum: ita & nunc in Ecclesia. Vnde quidquid in officio Missæ agitur ante secretum, quasi in priori tabernaculo agitur. Quidquid vero in secreto agitur, repræsentat id, quod intra Sancta sanctorum agebatur, vbi

C

2. Par. 3. erat Altare incensi, & arca testamenti, & tabula super ar-

Matth. 27. cam, & super tabulam duo Cherubin mutuo se respicien-

Exod. 39. tia. Intrabat autem ibi solus Pontifex semel in anno habens nomina patrum in rationali & superhumerali scripta, ferens sanguinem & carbones, quos cum thimiamate in thuribulo orans ponebat: deinde fumus eum obumbrabat; deinde aspergebat tabulam & Altare sanguine: deinde exibat ad populum & lauabat vestes, nec vocabatur mundus ante vesperam. Prius tabernaculum, Ecclesia militans; posterius, Ecclesia triumphans; Pontifex, Christus; sanguis, passio Christi; carbones, charitas eius; thuribulum, caro ipsius; thus crematum super aram, orationes ipsius; vestes quæ lauantur, homines qui mundantur; vespera, finis hominis: antiqua vero est, perfectio sanctificationis. Sicut ergo Pontifex olim intrabat San-

Heb. 9. cta sanctorum cum sanguine semel in anno, & Christus semel in cœlum per proprium sanguinem: sic Episcopus aut Sacerdos intrat cum sanguine, quando accedens ad

D

Canonem memoriam passionis Christi tenet in mente.

Cap. XXIX.

Proponuntur hoc capite septimo Canonis partes: quarū hæc prima est.

SVnt autem septem partes in Canone. Prima à *Te igitur* vsque ad *Quam oblationem*, &c. sicut suis locis videbitur. In prima igitur parte tria apponimus, pro tribus rogamus, tria petimus, tres cruces facimus. Apponimus enim panem, & vinum, & aquam. Hæc enim sunt necessaria vitæ hominis exterioris; & in his tribus intelligitur vita hominis interioris. In aqua, fides, quæ latet & nutritur in aquis Baptismi. In vino, quod lætificat, spes. In pane, qui confirmat, charitas. De pane & vino haben-

Gen. 14. mus figuratum in sacrificio Melchisedech; De aqua in

Exod. 17. percussione lapidis à Moyse. Et in Euangelio dicitur; In-

Luc. 22. troeuntibus vobis in ciuitate occurret vobis homo amphoram aquæ baiulans, sequimini eum, & dicite Domino domus, vbi faciam Pascha cum discipulis meis, &c. Pro tribus rogamus, primo generaliter pro omnibus, dicentes in primis; *Quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica*, &c. Secundo, pro familiaribus nostris absentibus; *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, &c.* Tertio, pro circumstantibus & omnium circumstantium, &c. tria petimus, scilicet, vt dies nostri disponantur in pace, vt eruamur ab æterna damnatione, vt numerari mereamur in dominico grege. Et ideo tres cruces facimus, vt per virtutem crucis primo apposita benedicantur; secundo, hi pro quibus apponuntur; tertio, vt quæ petimus, impetrentur. E

Secunda pars incipit ab illa parte; *Quam oblationem*, vsque, *Qui pridie, &c.* vbi petimus, vt quæ iam benedicta sunt, in verum sacrificium transformentur. Quinque ergo cruces facimus; quia quæ benedicta sunt, petimus in illud transferri; quod in quinque præcellit, omnium scilicet gratiarum plenitudine & bonitate, summo honore & dignitate, summo dominio & potestate, summa Dei charitate & proximi dilectione; quæ omnia superexcellenter fuerunt in Christo, quæ vocamus hostiam benedictam, omnium gratiarum plenitudinem, adscriptam summa dignitate, ratam summa potestate, participationem corporis & sanguinis Domini in Dei & proximi signanda charitate. Vel ideo quinque cruces facimus, vt prædictis quinque, quinque nobis necessaria impetremus ex participatione sanguinis, remissionem peccatorum; ex participatione corporis, vnitatem in societate Sanctorum; ex summa potestate, timorem & sollicitudinem mandatorum, ex summa dignitate & honore, honestatem vitæ & maturitatem morum; ex plenitudine gratiarum, plenitudinem præmiorum. *De secunda parte Canonis.* F

Tertia pars incipit, *Qui à pridie* vsq; ad illud; *Vnde & memores*; vbi duas cruces facimus, vbi etiam panis & vinum transeunt in verum Christi sanguinem, & verum corpus. Duas autem cruces ideo facimus circa hanc partem, propter duplicis naturæ scilicet corporis & animæ redemptionem. Transit autem panis in corpus Christi circa hanc partem tertiam; quia Christus apparuit in tertio tempore per humanitatem assumptam. Sicut enim tria sunt tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia, & in solo gratiæ tempore Christus venit, qui Sacramentum hoc celebrauit & instituit; sic in ista parte Canonis tertia, panis in corpus, vinum in sanguinem Christi transit. *Tertia Canonis pars* G

Quarta pars incipit ab illo loco, *Vnde & memores*; vbi quinq; cruces facimus, quia Christum sub quinaria ratione offerimus, pro quinq; rogamus, & quinq; petimus. Offerimus enim Christum, qui fuit hostia pura in passione, hostia sancta in resurrectione, hostia immaculata in ascensione: panis vitæ esurientibus, calix salutis perpetuæ sitientibus. Vnde & horum trium ibidem memoriam facimus, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri, vt ex imitatione passionis per mortificationem carnis offeramus hostiam puram; ex imitatione resurrectionis per nouitatem castitatis offeramus hostiam sanctam: ex imitatione Ascensionis per eleuationem mentis offeramus hostiam immaculatam, vt puluis temporalium non maculet cor superius eleuatum: ex participatione panis sancti vitæ æternæ obtineamus vnitatem charitatis, & ex participatione calicis salutis perpetuæ magnitudinem iucunditatis. Rogamus etiam pro quinq; pro fidelib. & viuis omnibus, pro altaris comparticipibus, pro defunctis familiaribus, pro defunctis omnibus, pro nobis peccatoribus. De primo: *Supra quæ propitio*: de secundo, *Vt quotquot ex his altaris participatione*; de tertio: *Memento famulorum, &c. qui nos præcesserunt, &c.* de quarto, *Ipsis & omnibus in Christo quiescentibus. &c.* de quinto, *Nobis quoq; peccatoribus*. Quinque etiam petimus, duo viuis, vt scilicet omni benedictione cœlesti & gratia repleamur, vt intra consortium Sanctorum admitti mereamur: tria fidelibus defunctis, Refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem. *Canonis quarta pars.* H

Quinta pars incipit ibi: *Per quem hæc omnia*; vbi captamus personarum beneuolentiam, vt petitionum nostrarum consequamur efficaciam patris commendando charitatem ineffabilem, per beneficium creationis Spiritus sancti, per beneficium spiritualis perfectionis, *Quinta pars Canonis.*

A quæ consistit in actu triplici, Sanctificatione, viuificatione, benedictione, & ideo tres cruces facimus ad hæc tria. Humana enim natura creata est arbitrio libera, ergo proficere non potuit sine gratia. Ideo ad verbum creationis non facimus signum crucis, ad tria sequentia facimus, quia ex virtute sanctæ Crucis in bono gratiæ stabilimur & proficimus: sanctificamur enim per remissionem peccatorum, viuificamur per habitus virtutum, benedicimur in consummatione præmiorum.

Sexta Canonis pars

Sexta pars incipit ibi, *Per ipsum & in ipso*, &c. Vbi sumpta maiori audacia omnium petitionum nostrarum summam in breui proferimus, quæ sub septenario continentur, vbi etiam quinque cruces facimus. Petitionum autem quædam sunt propter bonum adipiscendum, quædam vero propter malum amouendum: Bonum autem adipiscendum vel pertinet ad animam, vel ad corpus. Si pertinet ad animam aut est bonum gloriæ, aut perseuerantiæ, aut gratiæ. Bonum ergo temporale ad sustentationem vitæ necessariam, petitur ibi, *Panem nostrum*, &c. Bonum gloriæ, ibi, *Sanctificetur nomen tuum*, &c. vbi plene B sanctificata erit natura. Bonum perseuerantiæ, ibi, *Adueniat regnum tuum*, &c. Gratiæ, ibi: *Fiat voluntas tua.* Malum autem amouendum aut culpa, de quo: *Et dimitte nobis.* aut tentatio; *Et ne nos inducas*, &c. aut pœna, ibi, *Sed libera nos à malo*, &c. quæ omnia petimus amoueri. Quinque cruces facimus, vt per virtutem crucis ad cognitionem plenariam pertingamus, credendo filii cum patre æternitatem, æqualitatem, consubstantialitatem, modum existendi vtriusque ante mundi constitutionem, & post mundi consummationem, Spiritus sancti cum patre & filio vnitatem: & ideo in ista sexta serie sunt cruces aliter quam prius faciendæ. Prima enim crux ex vtraque parte parte vltra calicem extenditur, secunda calici coæquatur, tertia infra calicem coarctatur, quarta eadem cum prima secundum rationem communem, quinta fit ante calicem. In his ergo quinque si quis diligenter inspexerit, ea quæ dicta sunt videre poterit.

Septima pars Canonis.

Septima pars incipit à pace, vbi & tres cruces facimus. Tres enim notæ sunt humanæ naturæ. Prima, qua anima viuit simul cum corpore. Secunda, qua anima viuit relicto corpore. C Tertia, qua viuit resumpto corpore. In prima pax est necessaria, quæ longe faciat animam ab vtroque, quod erit imperfecta beatitudine. Ideo ergo tres cruces facimus, vt ad istam triplicem pacem per virtutem crucis veniamus: tamen aliqui duas tantum faciunt, quia solius hominis corpus & anima redimenda & ad pacem reducenda sunt. In hac parte dicitur Agnus Dei. Tria enim sunt tempora: duo misericordiæ, peregrinationis in mundo, expectationis in purgatorio: tertium pacis & iustitiæ, quod erit corpore resumpto. Ideo dicitur Agnus Dei bis cum obsecratione misericordiæ, semel autem sub obsecratione pacis & perfectæ iustitiæ.

Cap. XXX.

D Ostendit quomodo omnibus partibus Canonis respōdeat figura veteris Testamenti. *Heb. 9.*

HÆc autem de Canone, qui latine regula dicitur, quia per hunc regulariter passionis dominicæ recordamur, breuiter expedita sunt, quia de eo plenius multi sancti & doctores Ecclesiæ tractauerunt: tamen vt aliquid de figuris dicamus, sicut in principio disposuimus in illa parte vbi dicitur; *Te igitur*, &c. significatur illud, quod Pontifex olim intrabat Sancta sanctorum cum sanguine: deinde sequitur, *Imprimis*, &c. vsque ibi, *Communicantes*, &c. in quo apparet illud, quod legalis Pontifex ingrediens Sancta sanctorum; & Christus ante passionem orauit se glorificari, & discipulos conseruari. Et sicut sedens ad dexteram patris interpellat pro nobis, sic noster minister præsequens Aaron & Christum, pro tota supplicat Ecclesia: deinde pro prælatis & subditis. Sequitur, *Communicantes*, vsque ad hanc, *Igitur*, vbi repræsentatur quomodo legalis Pontifex thuribulum plenum viuis carbonibus intra Sancta sanctorum secum portauit, habens nomina patrum *Exod. 37.* scripta in rationali & super humerali. Et Christus thuribulum carnis suæ plenum omni feruore charitatis, & munere gratiarum super cœlum tulit nomina, etiam eorum

E qui sunt eius mente & opere nouit. Vnde & ibi nomina Sanctorum leguntur & exprimuntur. Sequitur, *Hanc igitur*, &c. vsque, *Supplices*, &c. vbi repræsentatur, quomodo legalis Pontifex orans fumo thimiamatis obūbrabatur & tegebatur: sic Christus dum patrem interpellat pro nobis, occultatur, quia nullus intelligit quantum apud patrem per præsentiam assumptæ carnis à Christo nobis impetratur, aut certe ista tectio significat incomprehensibilitatem, quæ est in hoc mysterio, cætera quæ sequuntur ibi, *Qui pridie*, &c. sumuntur ex verbis Christi in Euangelio. sequitur: *Supplices te rogamus*, vsque ibi, *Præceptis*, &c. Hic repræsentatur illud, quod lex præcepit, quod Pontifex legalis sanguine aspergeret tabulam siue propiciatorium & altare exterius. Christus enim toties aspergit sanguine patrem, quoties eum placat per carnis assumptionem. Aspergit aram, dum numerum angelorum restaurat: aspergit etiam populum sanguine, dum nos patri reconciliat, dum etiam nominibus suis sanctorum nomina bis commemorat, sanctorum nomina in duplici veste portat. Sequitur: *Oremus, Præceptis*, &c. vbi repræsentatur quomodo Pontifex legalis regressus ad populum se lauabat, & immundus vsque ad vesperam erat; sic Christus ad Ecclesiam redire dicitur compatiendo & auxiliando lauare vestes, sanctos mundando, qui tamen vsque ad finem mundi non erunt sine macula, & sine veniali aliquo, & hæc de officio Missæ sufficiant. *Leu. 16.* *Psal. 109.* F *Leu. 11.*

Cap. XXXI.

Descripto Missæ sacrificio, eiusq; ceremoniis, nunc consequenter tractat de ordinib. & primo de Clericis faciendis.

SEquitur titulus ad clericum faciendum. In primis igitur interpretatur Clericus vocabulum suum. Cleros enim græce, sors latine, Propterea enim vocantur Clerici quia sunt de sorte Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars eorum est, secundum illud Psalm. Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Antiquitus enim Mathias sorte electus, & omnes, quos illis temporibus ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant. Quum autem modo Clerici fiunt, portant tonsuram; cuius mysterium est quia capilli in capite significant cogitationes in mente. Vnde Greg. in Moral. Caput tondere, est cogitationes superfluas à mente resecare. Capilli autem in inferiori parte capitis remanent. Non enim præcipitur Christiano, ne aliquando cogitet de temporalibus, sine quibus præsens vita non transigitur, sed partem animæ, quæ temporalia regit, esse debere subditam menti, sicut est mulier viro. Circulus vero capillorum virtutem æqualitatis rationi vndiq; consentientem significat. Tunc enim bene gubernantur res temporales, si rationi conuenerint. Et sic Clericus, sicut dicit Horatius; Fortis & in seipso totus teres, atque rotundus. Superiorem partem capitis rasorio sæpe renouamus, cum forti sollicitudine superfluas & temporales cogitationes de animi nostri superiori parte resecamus; in inferiori parte coronam portamus, cum ea, quæ secundum mundum necessario gubernare debemus, concorditer cum ratione coæquamus. Vsus autem Coronæ à Nazaræis exortus est, qui prius crines seruabant, deinde post vitæ continentiam deuotione completa caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponebant, vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Vnde Apostoli eos qui in diuinis laudibus mancipati Domino erant consecrati, innouari faciebant crine deposito quasi Nazaræi sint & Sancti. Vnde in Ezech. Fili hominis, sume tibi gladium acurum, & duces per caput tuum & barbam. Ipse enim de genere sacerdotali & in sanctificationis ministerio Domino seruiebat. Hoc & fecisse legimus Priscillā & Aquilam, Paulum, & alios quosdam discipulos Christi. Corona etiam latitudo est aurei circuli, qui regum capita cingit & clericorum ambit, vt in eis impleatur quod Petrus dicit: Vos estis genus electum regale Sacerdotium. Non autem Clerici nostri comam nutriunt, & postmodum tondeant, sed antiquitus Nazaræi; quia illud pertinebat ad legis velamen, istud autem ad Euangelii reuelationem. Vnde Moyses ponebat velamen ante faciem suam, & Nazaræi nutriebant comam: quia qui tunc velabantur, modo reuelantur, secundum illud Apostoli; Cum transierint *Psal. 15.* *Act. 1.* G *Deut. 31.* H *Ezech. 5.* *Actor.* *1. Pet. 2.* *Exod. 34.* *1. Cor. 3.*

A ad Christum, auferetur velamen. Sunt autem duo genera Clericorum, quidam enim sunt Ecclesiastici, quorum regulam determinauit August. & Isidorus in 2. libr. de officiis: Quidam vero Acephali, qui nec inter Laicos, cum non sectentur eorum officia, nec inter Clericos, quippe cum religionem vitæ non habeant, sunt deputandi, sed hypocentauris similes, neque homines sunt, neque equi, sed vt ait Poeta, Mistumque genus prolisq; biformis.

Cap XXXII.

De ordinibus celebrandis, quos confert is, de quibus legimus apud Esdram in veteri testamento: & hoc capite agit de 4 minoribus ordinibus.

Sequitur titulus de ordinibus celebrandis: vbi primo sciendum est secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ, cum Papa solemniter celebrat, sex habere secum ordines Clericorum: Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, & Cantores. Ipso senario numero designatur perfectio, eo quod redditur ex suis partibus aliquoties aggregatis: significat autem perfectionem, quæ debet esse in ecclesiæ ministris. Et sex ministrorum ordines legimus fuisse in veteri Testamento: Pontifices, Sacerdotes, Leuitas, Nathinæos, Ianitores & Cantores. De quibus in Epistola Artaxerxis ad Esdram. Notum facimus vobis de vniuersis sacerdotibus & leuitis, cantoribus & ianitoribus, Nathinæis & ministris domus Dei, vt eis vectigal & tributum & annona nullatenus imponatur. Sunt autem septem ordines, septiformem gratiam Spiritus sancti repræsentantes: quatuor minores, & tres maiores, de quibus serio prosequamur. Primi igitur sunt Ostiarii, ianitores dicti sunt in veteri Testamento. Vnde in primo Paralip. Per quatuor ventos erant Ostiarii, id est, ad Orientem & Occidentem, &c. Et sequitur quomodo quatuor Leuitis traditus est numerus Ianitorum, & erant super sacrarium, vel super exedras & thesauros domus domini morabantur in custodiis suis, vt cum tempus fuisset ipsi mane aperirent fores. Vt in 2. eiusdem: Constituit quoque ianitores in partes domus domini, vt non ingrederetur eam immundus, &c. Inde est, quod quando ordinantur, suscipiunt claues Ecclesiæ & tangunt ostium. & audiunt ab Episcopo: Sic agite, quasi reddituri rationem pro iis rebus, quæ his clauibus recluduntur. Tunc autem Ostiariorum officium peragunt, cum aliquem per fidem in Ecclesiam introducunt. Vnde Aug. super Ioannem 42. homelia: Ego veni vt vitam habeant, hoc est, fidem, quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediantur vt viuant. Secundo succedunt Lectores. Vnde legimus in veteri Testamento Esdram fuisse lectoré. Sicut scriptum est in eodem Esdra: Dixerunt Esdræ scribæ, vt offerret librum legis Moysi. & sequitur, Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, & aperuit librum coram omni populo. Dicit autem Isidorus, quod hic ordo sumpsit initium à Prophetis. Vnde accipiunt ab ore Episcopi: Accipite, & estote verbi Dei relatores habituri partem, si fideliter & vtiliter impleueritis officium vestrum cum his, qui verbum Dei bene administrarunt, & ideo dat eis codicem diuinarum lectionum, ad Dei verbum annunciandum & legendum distincte & expedite seruans differentiam accentuum, & repræsentans modos & diuersitates affectuum vtentes nunc voce indicantis, nunc dolentis, nunc interpretantis, nunc exhortantis.

1. Esdr. 7.

1. Paral.

C

1. Esd. 7.

D

Act. 19.

Tertio succedunt Exorcistæ, de quibus dicit Beda super Acta Apostol. Refert Iosephus Regem Salomonem excogitasse, suamque gentem docuisse modos Exorcismi, hoc est, coniurationis, quibus immundi Spiritus expulsi ab homine, reuerti vlterius non sunt ausi. Hi cum ordinantur, audiunt ab Episcopo: Accipite, & commendate memoriæ, & habetote potestatem ponendi manus super Energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos: vnde tradit eis codicem, in quo scripti sunt exorcismi. Exorcistæ autem tam in templo Salomonis, quam sub Esdra. Vnde August. in libro de beata vita: Quantum intelligo, Spiritus immundus dupliciter appellari solet, vel ille qui extrinsecus animam inuadit sensusque conturbat, & quédam hominibus infert furorem, cui excludendo, qui possunt manum imponere, Exorcistæ dicuntur, hoc est, per diuina eum adiurando expellere. Dicitur etiam Spiritus immundus anima immunda, vitiis & erroribus inquinata, nunc autem, sicut dicit August. in lib. de nuptiis & concupiscentia ad Valerium exorcisantur paruuli & sufflantur vt in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est, Diaboli & angelorum eius eruti transferantur.

Conc. Thole. Act. 13.

E

Quarto succedunt Acoluti, qui latine dicuntur Ceroferarii, à deponendis cereis; quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum, quorum ordo à filiis Aaron sumpsit exordium. Vnde in Exod. Præcipe filiis Israel, vt offerant tibi oleum de arboribus olyuarum purissimum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo ante velum, & collocabunt eam Aaron & filii eius. Hi audiunt ab Episcopo: Accipite Ceroferarium cum cereo, vt sciatis nos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Quod tamen in exodo istud officiū adscribitur Aaron & filiis eius, non mireris. Multa enim sunt non solum in nouo testamento, sed etiam in veteri addita & mutata secundum illud, quod dixit Dauid in Paralip. Non erit officium Leuitarum, vt vltra portent tabernaculum & omnia vasa eius ad ministrandum. 1. Par. 23.

F

Cap. XXXIII.

De scriptis minoribus ordinibus, iam consequenter tractat de maioribus: quorum tres sunt.

Post minores ordines sequitur maiores Et primo Subdiaconi, qui in veteri testamento Nathinæi dicti sunt, quod interpretatur, Domino in humilitate seruientes, à nathin quod est aqua. Lauabant enim hostias, & sacrificia, de quibus in Esdra legitur, quod Dauid dederat Nathinæos ad ministeria Leuitarum. Istis imponitur continentia; quia tractant sacra Domini vasa, & ipsi disponunt in Altari hostias. Vnde Esaias: mundamini, qui fertis vasa domini. Isti audiunt ab Episcopo: Videte cuius ministerium vobis traditur. Ideo si vsque nunc fuistis tardi ad Ecclesiā, amodo debetis esse assidui. Si vsque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si vsque nunc incesti, amodo casti. Et sequitur: Accipe manipulum in manibus tuis ad extergendas sordes mentis & corporis, & ideo in manu sinistra portatur, vt in hac vita carnalis delectationis fluxus à talibus abiiciatur: Sicut enim terguntur sudario corporis sordes, sic manipulo amouendæ intelliguntur carnales delectationes. 1. Esdr. 8. Esa. 52.

G

Secundo succedunt Diaconi, qui à tribu Leui sumpserunt exordium. Vnde in Numeris legimus, & in Leuitico, Dominum præcepisse applicandam tributum Leui, ordinandam ad diuini cultus ministerium, vt consecraretur Domino, vt custodirent vasa tabernaculi à 25. annis supra, quia tunc est ætas robusta ad onera portanda. In nouo vero Testamento exordium accepit in Actibus apostolorum ab Apostolis, qui septem viros boni testimonii plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt. Hi sunt septem tubæ canentes in Apocal. septem columnæ in libro Prouerbiorum, septem candelabra aurea, septem oculi super lapidem vnum. Isti pacem annunciant, Euangelium prædicant. Vnde Diacono competit Euangelium: quia minister est & imitator eius, qui dixit: Non veni ministrari, sed ministrare. Imponit autem ei Episcopus stolam super sinistrum humerum, dicens in nomine sanctæ Trinitatis accipe stolam immortalitatis, imple ministerium tuum: potens est enim Deus vt augeat tibi gratiam. Per hoc enim intelligere debent se accepisse iugum Domini suaue. Vnde super humerum læuum stola ponitur. Et in maioribus Ecclesiis casula in diebus ieiunii complicatur; quia quidquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleratur, quasi in læua portatur, donec in dextera, hoc est in æternitate requies habeatur. Tradit etiam eis librum Euangeliorum, dicens: Accipite potestatem legendi Euangeliū in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis. Vnde sicut Lectoribus competit vetus Testamentum: ita competit Diaconibus prædicare nouum. Sed ante impositionem stolæ & collationē libri, dixerat eis Episcopus: Accipite Spiritum sanctum: quia istis maxime competit vita spiritualis, quia sunt præcones Euangelii, sicut determinatur in 1. ad Timoth. Hi antequam ordinentur, probentur, & sic ministrent, nullum crimen habentes: quia

Num. 3. Act. 6. Apoc. 8. Prou. 9. Apoc. 10. Matt. 20. H Ioan. 20. 1. Tim. 3.

A quia sicut legales ministros oportebat esse antiquitus sine macula corporali:ita ministros Euangelicos sine spirituali. Vnde in Leuit. dicitur: Homo de semine Aaron per fa- *Leuit.21.* milias qui habuerit maculam, non offeret panes domino suo nec accedet ad ministerium eius si cæcus fuerit, si claudus &c. de qua auctoritate, si Deus dederit, expositio consequenter fieri poterit. Vltimo loco succedunt sacerdotes, qui ordo à filiis Aaron sumpsit exordium. Vnde in Numeris hæc nomina filiorum Aaron *Num.3.* Sacerdotum, qui vncti sunt, quorum completa est consecratio manus, vt fungerentur Sacerdotio. Vnde Episcopus istum morem tenet manus presbyterorum vngendo oleo, vt mundæ sint ad offerendas hostias Deo, & large ad cætera officia pietatis. Hi præsunt Leuitis, sicut dicitur in Numeris: Hic est cultus familiæ Gerso- *Num.4.* nitarum in tabernaculo fœderis. Eruntque sub manu Ithamar filij Aaron Sacerdotis. Vnus autem erat summus Sacerdos Aaron, sed postmodum Dauid ampliauit cultum Sacerdotii constituens 24. summos Sacerdotes, 16. B de Eleazar, & 8. de Ithamar: quibus omnibus præfecit vnum quem statuit principem sacerdotum, singulis autem per sortem vicis suæ diuisit hebdomadas, sicut pa- *1.Par.24.* tet in libro Paralippom. In nouo autem Testamento Christus maiores & minores sacerdotes instituit, 12. Apostolos, & 72. disipulos, qui figurabantur in illis. Apostolorum ergo vices maiores sacerdotes, id est, Episcopi. Discipulorum vero minores locum tenent presbyteri. Super horum capita tenet Episcopus manum quando consecrantur. De qua consecratione plenius in Leuit. Legislator exequitur, dicens: Consecrauitque fi- *Leu.4.* lios Aaron oblatos. Et sequitur: Obtulit & vitulum pro peccato. Cumque super caput eius posuissent Aaron & filii eius manus suas, immolauit eum de stola, & casula, & de his agetur in capitulo de vestimentis. Procedens autem ad consecrationem Episcopus accipiens oleum sanctum facit crucem super ambas manus, dicens: Consecrentur C manus istæ & sanctificentur per istam vnctionem & no- *Leu.8.* stram benedictionem, &c. Vnde in Leuit. dicitur: Sumens Moyses de sanguine extremum auriculæ singulorum & pollices manus & pedes. Virtus enim crucis sanguis Christi est. Et nota quod in modernis Sacerdotibus debet esse reuelatus intellectus fidei, & vigere affectus charitatis. Ideo in aure & pede sacerdotum non fit modo vnctio sicut *Act.7.* tunc: quia sicut dicitur in actibus Apostolorum: vos autem dura ceruice incircumcisis corde & auribus semper spiritui sancto restitistis. Tamen modo maiores inunguntur in capite & manibus, propter auctoritatem & eminentiam & transfusionem potestatis in minores. Ideo inunguntur in capite maiores non minores, sed in manibus vtrique propter ministerium, quod exercent in sacrorum pertractatione. Sed hic mouetur quæstio, Si Moyses fuit sacerdos. Si sic, quomodo ergo Sacerdotium ab Aaron incepit sicut supra dictum fuit? Si non, quomodo ergo Aaron consecrauit? Respondeo: sicut diaconus, Cardinalis, Legatus à latere Papæ præsente Episcopo facit benedictionem infra suam legationem & est benedictio Papæ, cuius D auctoritate hoc facit, non sua: ita Moyses vice domini cōsecrauit Aaron fungens officio Sacerdotis. Vnde solus Aaron capite vnctus est, in cuius figura nunc in capitibus vnguntur Reges & Pontifices. Nota etiam quod ante Aaron leguntur fuisse Sacerdotes; vt in Genes. Melchise- *Gen.14.* dech, sed siue ipse, siue alii non numerantur: quia non leguntur Sacerdotes facti per ministerium visibilis vnctionis. Deinde Episcopus accipit patenam cum oblatis & calicem cum vino, & dat singulis, dicens: Accipite potestatem offerendi Sacrificium Deo, missamque celebrāditam pro viuis, quam pro defunctis: in quibus verbis da- *Exod.29.* tur eis potestas consecrandi. Vnde in Exodo: Imponens filijs Aaron mitras, eruntque Sacerdotes mei, religione perpetua, postquam initiaueris manus eorum, hoc est, cū potestatē consecrandi illis dederis. Vnde exponit August. ad litteram 70. dicens: Et consummauit manus Aaron & filiorum eius. cuius sensus est, quod completio quantum ad substantiam consecrationis, consistit in collatione po- *Exod.29.* testatis, quam cum perfecte receperint, Sacerdotes erunt.

E Vnde in veteri Testamento imponebant Sacerdotes manus super caput vituli immolandi, quod fuit signum potestatis consecrandi, quæ conferebatur eis in ista consecratione, sicut exponit vir venerabilis August. Vnde in Exodo: Tolles arietem alterum, super cuius caput Aaron & filii eius ponent manus: & iste dicebatur Aries consecrationis. In fine vero Missæ accedunt Sacerdotes ad communionem, quos Episcopus communicat, repræ- *Leuit.8.* sentans illud quod in Leuitico dicitur: cum filios Aaron sanctificasset in vestitu suo præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas: panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro. In fine antequam dicatur vltima Collecta ad complendam, ponit Episcopus manus suas super capita sin- *Ioan.20.* gulorum, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. In cuius figura discernebant Sacerdotes legales mundos & immundos, & sanctificabant leprosos, sicut determinatur in Leuitico. Quoniam ergo ministri F Altaris vt possint dignius ministrare, sine macula debent *Leuit.14.* esse. Ideo competit illud eis, quod in Leuitico sub figura *Leu.21.* dicitur: Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo; nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem habens in corpore, vel herniosus. In quibus verbis notantur conditiones promouendorum: oportet enim promouendum & maxime qui ordinantur ad Sacrificium Altaris, vt offerat panes Deo suo, esse decorum absque macula in tribus, scientia, exemplo, & vita. In scientia triplici, æternorum, quæ est per lumen contemplationis, & donum sapientiæ scripturarum, quæ est per donum, intellectus conuersandi in medio prauæ & peruersæ nationis per donum scientiæ. Contra quæ ponitur triplex macula contra lumen contemplationis, cæcitas in oculo; G contra intellectum scripturarum, claudicatio in pede; pes claudus nequit recte incedere, & affectus absque notitia scripturarum nequit recte agere, ea quæ pertinent ad officium Sacerdotale. eius est discernere. Contra scientiam conuersandi, macula in naso. nasus enim significat discretionem, contra quam ponitur triplex macula: paruitas stultæ simplicitatis, grandities præsumptionis vel curiositatis, tortura praui iudicii. Oportet etiam eum esse decorum in exemplo, contra quod est fractura pedis vel manus. Pes fractus nequit incedere, manus fracta nequit operari: & etiam significatur defectus in illo, qui non potest operis exempla monstrare. Oportet etiam promouendum decorum esse in vita, & hoc quantum ad actus intrinsecos cordis, & quoad extrinsecos operis. Quoad intrinsecos cordis, vt habeat ordinatos appetitus, contra quos opponitur triplex macula triplicis concupiscentiæ: oculorum, quæ inflectit hominem & incuruat ad terrena, & hoc est gibbositas: H concupiscentia carnis, quæ in modum fluxus vitiosi humoris oculum mentis vitiat, & hæc est lippitudo: concupiscentia vitæ, hæc est superbia, quæ est in animo sicut albugo in oculo. Similiter oportet promouendum esse decorum, quoad actus extrinsecos operis, vt in opere non appareat aliqua concupiscentia, neque feruor libidinis, neque feruor luxuriæ siue lasciuiæ, hæc est scabies iugis, quando feruor viscerum ad cutem trahitur: neque deturpatio auaritiæ, hæc est impetigo, scilicet sicca scabies, quæ totum corpus impetit proueniens ex falso phlegmate, auaritia scilicet clericorum, quæ est sine humore pietatis occupans totum corpus Ecclesiæ, procedens ex appetitu cuiusdam sitis insatiabilis: neque tumor superbiæ, quæ est hernia græce, tumor latine, morbus est quando intestina descendunt in folliculos testiculorum, & appellatur ruptura. Istæ ergo sunt duodecim conditiones, quæ debent esse in promouendis.

(∴)

A

Cap. XXXIV.

Post ordines sequitur ordinatio Episcopi, & quale sit eius officium.

Sequitur officium in ordine Episcopi. Episcopus autem nomen est oneris, non honoris; operis nō quietis, Vnde Apostolus. Qui Episcopatum desiderat bonū opus desiderat. Opus dicit notabiliter, non quietē. Vnde & latine superintendens interpretatur, eo quod speculatoris gerit officium. Vnde Ezechiel. dictum est: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: quoniam regere debet Ecclesiam militantem secundum sibi sollicitudinem competentem. Ideo cum Episcopus offertur, hæc verba Metropolitano dicuntur: Reuerende pater, postulat sanctorum Ecclesia, vt præsentem electū presbyterum ad onus Episcopatus subleuetis. De oblatione legimus in Leuitico, quod Moyses congregata omni turba ante fores tabernaculi statim obtulit Aaron ad inungendum. Deinde sequitur examinatio Episcopi sub certis interrogationibus & responsionibus, secundum illud Apostoli: Primum probentur, & sic ministrent nullum crimen habentes, examinatione facta chrismatur caput Episcopi. Vnde dicitur ei: Vngatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine Pontificali. In nomine Patris; &c. Vnde in Leuit. Fundens oleum super caput Aaron vnxit eum. Vnde Moyses illo oleo, quo vngebatur tabernaculum non vnxit Aaron, sed oleo sancto, quod fiebat in illis preciosis speciebus, quæ determinantur in Exodo, loco cuius habemus in Ecclesia Chrisma. Vnde Chrismate vnguntur capita Pontificum. Propter quod dicitur in Leuit. Pontifex, id est, Sacerdos maximus, inter fratres suos super caput cuius fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt. Tunc enim vngebatur caput Aaron & manus eius, ita quod per barbam stillabat oleum vsque in oram vestimenti eius, sicut determinatur in Psalmo: Sicut vnguentum, &c. Et hoc est, quod cantatur pro communione in Episcopi consecratione: Vnguentum in capite, in figura vnctionis gratiæ quæ per prælatos transfunditur ad subditos, & primo ad presbyteros: deinde ad infirmos; hoc est vnguentum à capite defluens in barbam, & à barba in oram vestimenti. Tunc omnes Episcopi vngunt manibus suis caput eius de quo habitum est supra in capitulo de presbyteris. Quod autem ex canonica auctoritate additur, vt plures adsint Episcopi, qui scire voluerit, legat Epistolam Gregor. ad Augustinum Anglorum Episcopum. Innocentius tamen in decreto suo dicit: Nec vnus Episcopus ordinare præsumat, ne furtiuum beneficium præstitum videatur. Greg. etiam dicit causam Episcopalis vnctionis in moralibus dicens: Oleum in capite, charitas in mente; quia vicarius Christi est: dilectionem quam Christus nobis demonstrauit & docuit, in eo debemus inuenire, & ab eo ad cumulum nostri profectus trahere. Beda vero in lib. 3. de tabernaculo dicit: Indutus sacris vestibus Pontifex, mox oleo vnctionis perfunditur, vt per gratiā Spiritus sancti consecratio perficiatur. August. autem in tractatu Psalmorū sic dicit: Vicarius Christi efficitur Pontifex, ideo in capite vngitur, caput nostrum vnctum est oleo inuisibili. Episcopus, quia vicarius Christi est in capite, vngitur: ab illo enim significatur se recipere hanc vnctionis gratiam, qui caput est totius corporis, imitando illum qui caput est totius Ecclesiæ: per vnctionis gratiam fit & ipse caput Ecclesiæ sibi commissæ. Quod autem Episcopi manus imponunt super caput eius, secundum Isidorum antiqua institutio est. Isaac n. Patriarcha ponens manum suā super Iacob benedixit ei similiter Iacob filiis suis. Sic Moyses super Aarō & super caput Iosue, dans eis Spiritum virtutis & ducat⁹ in populum Israel. Sic Christus per manus impositionem Apostolis benedixit: sic Paulo & Barnabæ ex præcept. Spiritus sancti ab Apostolis manus impositę sunt in Episcopatu; & sic missi sunt ad Euangelizandum, vt legitur in Actibus Apostolorum. Deinde benedictis baculo & annulo, de quorum mysteriis infra dicetur, datur Episcopo codex Euangeliorum, & dicitur ei: Accipe Euangelium & vade, prædica populo tibi commisso, potens enim est Deus tibi augere gratiam. Hic addendum est, quod secundum quasdam ordinationes duo presbyteri tenent Euangelium super caput eius. In quo notatur, quod certe ordinandus in Episcopum debet subiectus esse iugo Euangelii, vt viuat ex toto secundum seipsum.

1 Tim 3. | 3 Ezec. 3. | 1 Reg. 8. | B | 1 Tim. 3. | Leuit. 2. | Exod. 40. | Leu. 21. | Psalm. 132. | C | Gregor. in moral. | Beda lib. 3. de tab. | D | Gen. 27. | Exod. 39. | Mar. vlt. | Act. 13. | E

Cap. XXXV.

Absolutis ordinibus tam minoribus, quā maioribus, tandem peruenit ad summū Pōtificem, quomodo & ipse ordinari debeat, proponit.

Processo ab inferiori ad superius ascendendo secundum ordinum differentias & officia dignitatum, peruenimus ad caput Ecclesiæ summum Pontificem, cui concessit Dominus totius Ecclesiæ principatum. Vnde & Dominus ante passionem dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Licet enim vniuersis Apostolis communiter dixerit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. tamen specialiter Petro dictum est: Quæcunque ligaueris super terram, &c. In figura huius quia cum Petrus possit ligare cæteros, à cæteris tamen ligari non potest. Circa passionem similiter cum dixisset pluraliter de omnibus; Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret: singulariter Petro subiunxit: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Inde est quod Ecclesiæ plebesque conuersæ ab aliis Apostolis inquinatæ sunt erroribus variis. Sola vero Romana Ecclesia, cuius fides in nulla tentatione deficit, vt pote supra Petram stabilem solidata, nullis hęresibus: nullis erroribus potest, vel potuit, vel poterit inquinari. Licet enim prora vacillet in mari, licet catina elidatur fluctibus: puppis tamen permanebit immobilis. Post passionem similiter cum Dominus tertio quęsiuisset à Petro; Simon Ioannis diligis me plus his? & iste tertio respondisset: Domine, tu scis quia amo te. statim ei Dominus tertio præcepit: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Ipse enim est Petrus, qui solus vocatus est in plenitudinem potestatis, cum omnes alii in partem sollicitudinis sunt vocati. Vnde cum alii Discipuli post resurrectionem venissent ad Dominum nauigio, Petrus succingens se, misit se in mare, quia cæteris Apostolis singulæ nauiculæ, singulæ scilicet Ecclesiæ sunt commissæ: Petro vero maris vniuersitas est commissa. Iacobus enim qui columna videbatur esse Ecclesiæ, sola Hierosolyma contentus est, & singuli singulis. Petro vero vniuersalis Ecclesia in toto orbe diffusa, in quo terminatur o, mnis perfectio Hierarchiæ. Vnde sicut cardinales specialiter, sicut Episcopi generaliter vicem tenent Apostolorum: ita Papa typum tenet indiuidualiter Domini Iesu Christi. De cuius potestate magis est reuerentialiter subticendum, quam temere discutiendum.

F | Matt. 16. | Luc. 22. | Ioan. 21. | G

Cap. XXXVI.

Reducit hoc cap. Hierarchiam humanam ad angelicam, cuius perfectio in summo Pontifice terminatur.

H

Vt igitur videamus quomodo omnis perfectio Hierarchica terminatur in Papa, reducamus Hierarchiam humanā ad angelicā, & angelicam ad diuinā. Sciendū est igitur quod in Trinitate est trium distinctio personarum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quibus appropriata sunt nomina potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Et ex istis sumuntur tres actus Hierarchici in angelica Hierarchia: Perfectio, quę pertinet ad Patris potentiam; illuminatio, quæ ad Fili sapientiam; purgatio, quæ ad sancti Spiritus bonitatem. Est autem triplex purgatio: vna respectu infirmorum in corpore, cuiusmodi sunt Energumeni: quæ ad ipsos pertinet Exorcistas. Altera respectu immundorum & non mundorum in anima, cuiusmodi sunt inquinati vitiis contra mores: hoc pertinet ad Ostiarios. Tertia est respectu errorum in anima, quæ ad Acoluthos noscitur pertinere, qui & ceroferarii à ferendo lumina fidei sunt vocati: vt prima purgatio effectū respiciat, secunda affectum, tertia intellectum. Est nihilominus triplex illuminatio, vna quantū ad lumē antecedēs, cuiusmodi est lumē propheticū: & hoc pertinet ad Lectores. Alia quantū ad lumen cōsequens, cuiusmodi est lumē apostolicæ doctrinæ: q̄ pertinet ad Subdiaconos. Tertia quantū ad lumē plenū,

A cuiusmodi est Euangelium, quæ pertinet ad Diaconos, vt sit lumen propheticum, sicut lumen stellarum in nocte: Apostolicum, vt lumen solis in aurora: Euangelicum vero, sicut lumen solis cum in meridie circumfulget. Est etiam triplex perfectio respiciens potestatem. Quædam enim est potestas perfecta, quæ ad Sacerdotes pertinet, qui habent ex officio baptizare, confiteri, soluere & ligare. Alia vero perfectior, quę ad Episcopos pertinet, q soli possūt clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus imponere, basilicas dedicare, degradandos deponere, Synodos celebrare, Chrisma cōficere, vestes & vasa sacrare. Tertia perfectissima, quæ est in Papa, qui solus potest quidquid alii possunt, & multa alia quæ non possunt per alios expediri, nec transeunt etiam de generali mandato, nisi specialiter demandentur. Ad ipsum n. solū pertinet trāslatio Episcopi vel electi confirmati, depositio Episcopi, renūciatio Episcopi vel electi confirmati, exemptio episcoporum, restitutio depositorum iudicialis diffinitio, & priuilegiorum suorū interpretatio, sedis Episcopalis mutatio, construere de nouo sedem Episcopalem
B vbi non fuit, subiicere vnum Episcopatum alii & vnum in duos diuidere, & duos vnire, votum Hierosolymitanum commutare, generale concilium celebrare, legem generalem condere, præbendam vel Ecclesiam non vacantem concedere, excommunicatum à se absoluere à quo non contigit appellare. solus potest pallium concedere, solus semper & vbique vtitur pallio, solus potest cum bigamo dispensare, & cætera multa solus potest, quæ nullus alius potest.

Cap. XXXVII.

Adfert hoc Capit. rationes cur in principio Quadragesimæ pœnitētes publicam pœnitentiam suscipiebant.

Sequitur titulus de præsentatione pœnitentium in capite Ieiunii; ad cuius euidentiam quædam prænotanda sunt, quæ mysterium hoc diligenter declarant. Notandum est ergo, quod in capite Ieiunii omnes pœnitentes conueniunt ante fores Ecclesiæ, vt publicam aut solemnem pœnitentiam suscipiant, ad quam plures conditiones requiruntur secundum iura, tempus, vt dictum
C est: quia in capite Ieiunii habitus, & quia in veste religiosa & comis depositis. Persona agens similiter, quia non Clerici similiter neque iuuenes de facili. Vnde dicit Augustinus quod iuuenibus non facile pœnitentia committenda est propter ætatis fragilitatem, similiter personā, corā qua agitur; quia coram Episcopo ciuitatis, & Decanis, & Archipresbyteris, & Presbyteris Parochiarum, in quibus manent pœnitentes: similiter modus agendi, quia in cinere & cilicio. hæc autem omnia quomodo fiant, & quo ordine exprimuntur, l. d. vbi dicitur, quod in capite quadragesimæ omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis sacco indu ti nudis pedibus, vultibus in terra dimissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes, ibi adesse Decani, id est, Archipresbyteri, parochiarum & pœnitentium præsbyteri, qui eorum conuersationem inspicere debent, &
D secundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradus iniungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducat Episcopus, & cum omni clero septem pœnitentiæ psalmos prostratis eum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc surgens Episcopus, scilicet ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat. Deinde cilicio capita eorum cooperiat, cum gemitu & crebris suspiriis denunciet eis: quod sicut Adam eiectus est de paradyso, ita ipsi pro peccatis abiiciuntur ab Ecclesia. Postea iubeat ministris vt eos extra Ecclesiæ ianuam expellant: Clerus vero
Gen. 3.
prosequatur eos cum illo responsorio: In sudore vultus tui, &c. vt videntes sanctam Ecclesiam pro suis facinoribus commotam non paruipendant pœnitentiam. Nulli autem clericorum hanc agere pœnitentiam conceditur, sed secundum rigorem iuris admitti ad Clerum pœnitentes, his prohibentur. In sacra vero Domini cœna, vt infra patebit, rursum Ecclesiæ luminibus repræsententur.

Cap. XXXVIII.

E

Cur prim⁹ Quadragesimæ dies, dies cinerū appelletur quid ne significet, & in illa tractetur proponit.

Dies vero illa, quæ caput est Ieiunii dies cinerum appellatur: quia die illa fidelium capita cineribus asperguntur propter causas præcipue duas: propter memoriam conditionis & commissionis. Dictum
Gen. 3
est enim primo parenti secundum aliam litteram: Cinis es & in cinerem reuerteris. Similiter propter memoriam commissionis. Efficax enim est remedium memoria continuata peccatorum. Propter quod Iob pœnitentibus exemplum exhibuit, quando post funera & flagella in cilicio & cinere, siue in fauilla, vt dicit nostra litera, lamenta pœnitentiæ sumpsit. Ago, inquit,
Iob. 42.
pœnitentiam in fauilla & cinere. Cinis non habet humorem, fauilla non habet ardorem, quod fit in spirituali pœnitente, cum in eo deficit humor lasciuiæ & feruor concupiscentiæ. Et sicut ex cinere & aqua fit lauacrum quod appellatur lixiuium ad lauandas sordes
Hier. 6.
F vestium: ita ex cinere spirituali recordatione, scilicet peccati & lachrymis in dolore animi fit spiritualis ablutio animarum. Vnde Hierem. Filia populi mei accingere cilicio, conspergere cinere, planctum vnigeniti facti bi. Hæc autem duo coniunguntur cinis & cilicium, q a sunt arma pœnitentium. Vnde illo die spirituales milites confligunt, qui vsque ad diem illum in expeditione fuerunt, quod ostenditur in prima Collecta Missæ, cum dicitur: Concede nobis Domine præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiuniis. Vnde ista duo simul iunguntur illa die cinis & cilicium. Cinis in capitibus fidelium, cilicium in manibus pœnitentium electorum. Nam, sicut supra dicebatur, per eiectionem primorum parentum de Paradiso, repræsentat Ecclesia die illa in eiectione pœnitentium, quibus datur cilicium, in signum, quod Dominus fecit primis parentibus tantum eas pelliceas post peccatum. Bene autem in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum: quia in cilicio asperitas & pun-
G ctio peccatorū intelligitur, in cinere autē puluis ostenditur mortuorū. Et ideo in vtroque pœnitentiam agimus, vt in punctione cilicij agnoscamus vitia, quæ per culpam cō misimus, & per cinerem mortis sententiam ad quam pec-
Gen. 3.
cando peruenim⁹. Vnde quia dictū est primo parenti mor tuo per peccatum: puluis es, & in puluerem reuerteris: ideo puluis siue cinis signum est & memoria sententiæ mortis.

Quoniam isto die conuenire debet populus ad Ecclesiam, ideo generalis fit sermo, vt conuertatur ad pœnitē-
Esa. 31.
tiam. Et de his potest exponi verbum illud. Conuertimini sicut in profundum recesseratis filii Israel.

Cap. XXXIX.

Ostendit quomodo in die cœnę domini fiat pœnitētibus peccatorum remissio & absolutio.

Sequitur titulus de recōciliatione pœnitentium in cœna Domini, sicut supra dictum est, in die cœnæ Dominicæ pœnitentes veniunt ad absolutionem. Et apud quosdam redditur Symbolum à Catechumenis secundum La-
H odicensis Concilij constitutionem. Decreuit igitur Innocentius Papa illo die fieri peccatorum remissionem pœnitentibus, dicens. De pœnitentib. autem qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerūt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesię consuetudo demonstrat. De hoc etiam Hieron. in Epistola ad Oceanum de morte Fabiolæ, cuius pœnitentiam laudat de adulterij commissione: sic igitur: Quid ego (inquit) in abolitis & antiquis moror quærens excusare culpā, cuius pœnitentiā ipsa cōfessa est? Quis hoc crederet, vt post mortē secundi viri in semet reuersa: quo tempore solent viduæ negligentes iugo seruitutis excusso, agere, se liberius adire balnea, volitare per plateas, vultus circūferre meretricios. Saccum indueret, errorem publice fateretur, & tota vrbe spectante Romana ante diē Paschę in Basilica quondā Laterani, qui Cęsariano truncatus est gladio, staret in ordine pęnitentiū episcopis & presbyteris, & oñi populo collachrymāti, sparso crine, ora lurida, squalidas man⁹, sordida colla submitter, q peccata flet⁹ iste nō purget? quas inueteratas maculas hęc lamenta nō abluunt. Cur autem fiat ista absolutio illo die satis innuit Beda super Lucam, exponens illud:

Acce-

A Accepto calice gratias egit, &c. Hic calix ad vet' illud Pascha attinet, cui finē desiderabat imponere, quo accepto, gratias egit ob hoc nimirum, quia vetera trāsitura, & ventura omnia fuerant noua. Lex non soluebat peccatum, sed puniebat. Christus in quinta feria veteri legi finem dat peccata absoluit, idipsum sonat prima oratio Missæ, cum dicitur: Ita nobis ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gloriam largiatur, quæ dicitur in aliquibus Ecclesijs.

Cap. XXXX.

Demonstrat quare in die cœnæ oleum triplex. s. infirmorū Catechumenorum & sanctum B consecretur, & primo agit de oleo infirmorum hoc capite

Ipsa etiam die Cœnæ consecratur Oleum ad triplex officium: scilicet infirmorum, & oleum Catechumenorum, & oleum sanctum. Tres enim consecrationes ex vna & eadem fiunt substantia, & ex vna olei liquatura. Sicut enim vna est Spiritus sancti substantia, qui multiformiter diuiditur per diuersa gratiarum dona. Olea autem arbor est, cuius fructus oliua est, cuius succus oleum est. Est autem arbor in signum pacis, habens pinguedinem qua infirmi & lassi recreantur, arcus & gratia præstatur luminis. Licet enim sine oleo Deus sanare possit infirmos, & fugare Dæmones, & sanctificare Christianos: tamen ex oleo fiunt ista tria, quæ repræsentant plurima Sacramenta. Vnde August. in Psal. 44. Oleum visibile in signo est inuisibilis olei in Sacramento. Potest Deus per se oleum spirituale tribuere sine corporali, sed propter animales aguntur visibilia, vt inuisibilia facilius capiantur. Oleum autem istud præfiguratur in Exodo, vbi dicitur: Præcipe filiis Israel vt offerant & oleum de arboribus oliuarum purissimum. (*Exod. 27.*) Primo ergo dicendum est de oleo ad infirmos, sic enim scriptum est in Euangelio: Exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerēt, & Dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos & sanabant. (*Marc. 6.*) Et in Canonica B. Iacobi: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini: & si in peccatis sit, dimittētur ei, &c. (*Iacob. 5.*) Vnde patet, sicut exponit Beda, ab Apostolis hunc morem fuisse Ecclesiæ traditum, vt Energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione cōsecrato. C Consecratur autem istud oleum in ipso officio consecrationis corporis & sanguinis Domini, non habet proprium officium, hoc est, nec in capite verba salutationis, nec Oremus, nec in fine concluditur, nec cæteræ orationes per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, sed tantum in nomine Domine Iesu Christi. Verba autem consecrationis ista sunt: Emitte Spiritū tuum paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olei, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis. (*Psalm. 103.*) Paracletum, hoc est, consolatorem. Oleum enim istud medelam præstat infirmis. Dolor enim sequitur ægritudinem, & consolatio dolorem. Paracletus, autem consolatio interpretatur. Qui mortuus est, non dolet: qui in Christo sanctificatus est, consolatione, quę ex dolore procedit, non indiget. Et ideo in consecratione olei ad Catechumenos vel olei sancti, id est, Chrismatis paracletus non nominatur: quia Catechumeni quodam modo reputātur inter mortuos, Chrismati vero inter Christi consecratos.

D

Cap. XXXXI.

Tractat de oleo Catechumenorum.

Est aliud oleum, quod dicitur ad Catechumenos, illo inunguntur Catechumeni, vt si quæ maculæ inhæserint corpori aut menti, recedant ad tactum olei, sicut patet ex ipsa oratione, cum dicitur: vt si quæ illis inhæsēre aduersarium spirituum reliquiæ, ad tactum sancti olei omnes abscedant, & cætera quæ sequuntur. Dicuntur autem Catechumeni propriè, qui primum de gentilitate veniūt habentes voluntatem credendi in Christum. Et quia primum præceptum est exhortationis in Deuter. Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est. (*Deut. 6.*) Inde est vt is, cui per Sacerdotem quasi per Moysen Deus primum loquitur, Catechumenus, id est, audiens nominetur: vt vnum agnoscens Dñm, relinquat errores varios idolorum, Omnes autem baptizati à Ioanne in pœnitentia fuerunt Catechumenorum figura. isti secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ exorcizantur: deinde accipiunt sal & oleo vnguntur. Exorcismus autem sermo increpationis est contra immundum Spiritum, vt eius virtus pellatur, ne amplius Catechumeno dominetur. Vnde potestas Diaboli exorcizatur & insufflatur in eis, vt erepti à potestate tenebrarum transferantur in regnum Dei per Sacramentum Baptismatis. Hoc figurabat iste lunaticus, quem increpat Iesus, & exiuit ab isto dæmonium. Sal etiam datur eis, vt condiantur sapientia, vt non desipiant à fide Christi: nec retro aspiciant sicut vxor Loth, quæ versa est in statuam salis; hoc est, ne retrocedant, nec malum exemplum præbeant, ne in via cum vxore Loth remaneant, sed se & alios condiāt. Quia tamen modo patuuli per se renunciare Diabolo & credere non possunt, per eorum corda & ora, per quos offeruntur, hoc faciunt. Vnde congrue prouisa est eis medicina salutis, vt in Sacramento fidei baptizentur. Et per alterius fidem Deo recōciliantur, qui per alterius peccatum à Deo alienati esse noscuntur. Et ideo institutum est hoc oleum ad Catechumenos initiandos, & vngendos. Hoc oleo primo in pectore, deinde inter scapulas, deinde baptizādos & vngendos sancto Chrismate, post baptismum in vertice & in fronte, vt infra patebit.

Cap. XXXXII.

Eodem die consecratur oleum sanctum, quod Chrisma dicitur, cuius figura specialiter fuit vnguentum illud quod Moyses in Exodo iubente Domino fecit, quo postmodum primi Aaron & filij eius vncti sunt: sed postea Reges eodem vnguento vncti fuerunt. Vnde vncti Domini vocati sunt. Sicut scriptum est in Psalmo: Nolite tangere christos meos. Christus enim à Chrismate dicitur. Per istam enim vnctionem Christus figurabatur; qui specialiter vnctus Dei appellatur non oleo visibilis materiæ, sed pro participibus suis oleo plenitudinis gratiæ, quod ab ipso descēdit in omnes Christianos: quia vnctione Chrismatis reddit Ecclesia omnes fideles vnctos. Inde est quod in veteri lege soli Reges & Pontifices seu Prophetæ illo sacro oleo vngebantur. Nunc vniuersaliter omnis Ecclesia vngitur, vt non discordet corpus à capite neque re, neque nomine. Christus enim Rex & sacerdos dictus est. Dē nobis etiam dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, & hoc per Christū, qui dicitur in Apoc. Fecit nos sacerdotes & reges, &c. Bene ergo vngimur Chrismate, vt Christi nomine cēseamur. Vnde secundum Aug. in lib. 83. quæstionum, duo pisces Euangelici duas personas significabant, quæ antiquitus vngebantur, & more piscium tanquam in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione versabantur.

Habet consecratio Chrismatis officium suum ipso di per se, quod inchoatur à *sursum corda*, & terminatur ibi; *Per Iesum Christum Dominum nostrum.* Consecratur autem in eo loco, vbi pacem dare solemus: vt pax & concordia regnet in nobis penitus. Olea enim est arbor pacis in signis, vt dicit Isydorus, & vt verba testantur consecrationis; sed pacem præfigurata est in nobis arca Noe, cum columba attulit ramum virentis oliuæ, significans pacem redditam terræ. Fit autem Chrisma ex oleo & balsamo: per oleum nitor conscientiæ. Vnde & prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis cum lampadibus. Per balsamum odor bonę famæ. Vnde in Eccles. Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. Habeat ergo Chrismandus nitorem conscientiæ, quantum ad Deum interius, odorem famæ, quantum ad proximum exterius. De primo dicitur, Gloria nostra, hoc est, testimonium conscīētiæ nostræ: de secūdo, Christi bonus odor sum'. Potest etiam nitor iste referri ad istum cœlestem splendorem, qui nitebat in vultu Christi, à quo Chrisma habet suam virtutem. Vnde Hieron. ad Principiam virginem: Virgo de virgine, &c. Qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset in vultu quiddam oculisque sydereum, nusquam eum statim sequuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum venerant corruissent. Hoc etiam oleum, quod nos iucundos efficit & serenos, sicut dicitur in Psalm. Vt exhilaret faciem in oleo. Modus autem huius consecrationis secundum libellum Romani ordinis sic notatur: Duo Acoluthi inu

A lutas ampullas cum syndone alba de serico, ita vt videri possint, teneant in brachio sinistro. Et antequam benedicat Episcopus, alat ter in ampullam. Ampulla autem quæ cum chrismate est, statim cum benedicta fuerit, cooperitur, vt à nemine nuda videatur. Sed tenente eam Acolutho omnes per ordinem salutant, dicentes: Aue sanctum Oleum. Primo Episcopus, deinde alij. Hoc autem mysterium aliter exponit Dionysius, aliter Amalasius. Dionysius enim in libr. de Eccles. Hierat. capit. de his quæ fiunt in vnguento dicit: Mystica Chrismatis compositio significat dominum Iesum existentem, fontanam copiam diuinarum, & suauium susceptionē refundētem de sua plenitudine diuinissimas flagrantias, in quibus ad mentes Deiformes, in quas primo recipiuntur & delectantur in eis, & aliis impartiūtur. Chrismatis aūt circumuelatio significat, q̄ viri spirituales suas virtutes & gratias cooperiunt propter fugam vanæ gloriæ: Chrismatis aūt reuelatio significat mysteria, quæ sunt spiritualibus manifestanda. Vt enim dicitur in Tob. Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem reuelare & confiteri honorificum est, & cætera quæ dicuntur ibidem. Secundum autem Amalasium ampulla cum Chrismate corpus Christi significat assumptum de Virgine, quod, antequam transiret ad Altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, & aliquo nudum. Quando enim fugit Herodem, ac si non esset Rex regum: quando portatus est ad templū, ac si non esset omnipotens: quando parentibus eius redeuntibus ad Hierusalem, requisitus est inter cognatos & notos, ac si non esset vbique: quando inuentus est inter Doctores audiens & interrogans eos, quasi non esset fons sapientiæ. Quodam modo coopertus erat & hoc alba Syndone sc. mundissima conuersatione vel sanctissima carne. Nudum autem erat, quando diuinitatem quæ latuerat per miracula quæ faciebat. Nemo enim poterat facere opera quæ faciebat, nisi esset Deus cum eo. Sed postquam transiuit ad crucem, nudum fuit corpus eius; quod significatur per ampullæ nuditatem, quæ ab Episcopo & eius Diaconibus salutatur. Postquam vero salutata est ampulla à Pontifice & ministris cooperitur, vt à nemine nuda videatur; quia Christus postquam præsentiam corporalem hominibus subtraxit, inuisibilis factus hominibus in cœlum ascendit. Quod autem dicitur quod Episcopus ter alat in ampullam, cuius alitus idem sit, quod significat Episcopus Spiritum sanctum inhabitare super Christum.

Dionysius lib. de Eccl. Hierar. — B *Tob. 12.* — *Matth. 2.* — *Luc. 2.* — *Luc. 2.* — *Ibidem.* — *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.* — C *Ioan. 19.*

Hæc igitur vnctio qua inunguntur Christiani post baptismum, semel in vertice, & semel in fronte. Sed licet in Confirmatione exceptis spiritalibus vnctionibus, quæ fiunt de isto eodem Chrismate quo vtuntur Pontifices siue in celebratione ordinum, siue in consecratione Regum, siue in benedictione sacrorum vasorum & altarium. Baptizandus igitur in pectore inungitur, vt per Spiritus sancti donum abijciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam: quia iustus ex fide viuit. Inter scapulas, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & exerceat operationem bonam, vt per fidem sit mūditia cogitationum in pectore: per operis exercitium, sit fortitudo laborum in scapulis. In vertice vero vngitur baptizatus, vt sit paratus reddere rationem de fide omni petenti. Per caput enim mens intelligitur, cuius vertex est ratio. In fronte similiter vngitur baptizatus, vt libere confiteatur quod credit: quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in fronte, quæ est sedes verecundiæ, crux imprimitur, vt talis Christum confiteri nullatenus vereatur. Vnde scriptum est. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.

Rom 1. — D — *Rom. 10.* — *Luc. 9. Matth. 10. Marc. 8. 2. Tim. 2.*

Cap. XXXXIII.

Ad quid valeat Chrisma & qui hoc oleo san-

HOc igitur oleo sancto, quod Chrisma nominatur, confirmandus consecratur, in qua confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur. Et cum cæteras vnctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc tamen non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarij sunt Episcopi, quod per manuum impositionem Spiritum sanctum dabant. Sicut legitur in Actibus Apostolorum: Cum audissent Apostoli, &cæt. Hoc igitur formam vnam habuit tempore Apostolorum per manus impositionem, sed postmodum secundum constitutum Ecclesiæ per verborum expressionem. Hæc autem sunt verba quæ profert Episcopus: Confirmo te signo crucis & Chrismate salutis, in nomine Patris, &cæt. Signo enim crucis dicitur, vt ex ignominia crucis non confundatur confiteri humanitatem. Distinguuntur enim nomina personarum, vt confiteatur trium personarum diuinitatem. Vt autem innotescat ei status suus & Sacramenti effectus dicitur, Chrismate salutis, in hoc perpendens se locum tenere pugilis. Deus autem per potentiam suam hunc pugilem roborat, per sapientiam illuminat, & per bonitatem remunerat. Sic enim pugiles inunguntur vt congrediantur: & sic pugil noster luctans contra vitia & Dæmones suam impedientia Deificationem certando superans Christi vestigijs conformetur, & per hoc salutem consequitur. Istius autem consecrationis soli, sicut dictum est, Episcopi sunt ministri: tamen quia soli Apostoli hoc Sacramentum instituerunt & exercuerunt, sicut habetur ex duobus locis in Actibus Apostolorum, ex illo, vbi dicitur: Factum est cum Apollo esset Corinthi, &c. & sequitur: Cum audissent in nomine Domini Iesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super istos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Et in alio loco, &cæt. Cum audissent Apostoli, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, &cæt. & sequitur: Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Similiter ad solos Episcopos pertinebat hoc Sacramentum. Nam loquentes vsualiter subditi possunt aliquid promittere, sed maiorum est illud confirmare: sic initiari potest Neophytus & Catechizari ad fidei rudimenta per Clericos, baptizari per simplices Sacerdotes, confirmari per Episcopos solos, qui successerunt in Ecclesia loco Apostolorum, sicut sæpe dictum est. Vnde & hæc omnia confirmat dictum Innocentij dicentis, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent: hoc autem solis Pontificibus debetur, vel vt consignent, vel per habitum sanctum tradant, quod non solum Ecclesiastica consuetudo demonstrat, verum ista lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteri siue extra Episcopum, siue præsente Episcopo cum baptizant, Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex oleo eodem signare, quod solum debetur Episcopis cum tradunt Spiritum sanctum.

E *cto confecretur fusius explicat.* — *Actor. 8.* — F — *Act. 19.* — *Act. 8.* — *Ibidem.* — G — *Act. 19.*

Cap. XXXXIV.

Describit mysterium sex ablutionum, quæ hoc die solemniter celebrabantur.

H SVnt & alia multa insignia quæ celebrantur eodem die. Est enim illa dies vna de præcipuis solemnitatibus anni, &, vt de cæteris sileamus, de sex ablutionibus quæ eodem die solemni[illegible] ecclesia, quæ consistunt in tribus: in aqua, in lachrymis & in sanguine. In aqua dupliciter, aut materiali, quod fit in ablutione pedum, prout in Euangelio Ioannis dicitur, quod illa die misit Iesus aquam in peluim, & lauit pedes discipulorum suorum, &cæt. aut spirituali; de quo in Ecclesiastico: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Inde est quod illa die instituit Dominus lotionem pedum propter commendandam humilitatem, & fieri contingit eleemosynarum largitionem propter charitatem. Secunda ablutio fit in lachrymis, siue sint lachrymæ materiales, quæ profluunt ex arboribus ad confectionem Sacramentorum, ad vnctionem fidelium: Balsamum enim est gummi fluens ab arbore, ex quo cum oleo conficitur Chrisma, per quod intelligitur, vt dictum est, conscientia & fama; quæ sunt animæ mundamina: siue pœnitentiales,

Ioan. 13. Eccles. 3.

quæ

A

quæ fluunt ex oculis ad lamentum in reconciliationem pœnitétium. Tertia ablutio fit in sanguine, quæ duplex in illa die similiter intelligitur: vna est enim sanguinis in precium, altera sanguinis in nostræ fragilitatis remedium. Idem enim sanguis Christi, qui semel effusus est in preciũ, quotidie sacrificatur in altari in remedium: de quo sanguine dictum est: Hic calix noui testamenti in meo sanguine. De cuius mundamine iterum scriptum est: Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Inde est quod propter reuerentiam sacræ vnctionis, quæ eadem die conficitur, Gloria in excelsis sollenniter decantatur, & cum Gloria patri illo die dicitur. Triduo enim Dominus iacuit in sepulchro, à parte totum significando. Vnde scriptum est: Sicut fuit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti: ita erit filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ. Quod exponens D. Augustin. in 1. libro quæstionum Euangeliorum dicit: Sextæ feriæ diei partem qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte & die accipiens, hoc est, pro toto die. Sabbatum nocte & die, noctem Dominicam cum eodem die illucescente, ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum & tres noctes. Triduo ergo nostro sepulturam eius ad memoriam reducimus, quam nõ recolimus celebrando, nisi addatur cum sexta feria & septima & quinta. Dominica enim nox in magna gloria celebratur, sicut patet omnibus, qui morem nostræ Ecclesiæ tenent, vt dicit Augustinus in sermone quem facit ad populum in vigiliis Paschæ. Per tres igitur dies, id est, quinta feria, sexta & septima triduanam sepulturam Domini celebramus. & ideo vt conformemur humiliati sepulturæ eius excelsa nostra dimittimus, campanas, Gloria patri non dicimus. Hæc sunt ergo, quæ in die cœnæ facimus, oleum ad triplicem vsum consecramus, corpus Domini vsque in crastinum reseruamus, Gloria patri non dicimus, pœnitentes absoluimus, pedes fratrum & pauimenta Ecclesiæ lauamus, & altaria denudamus, osculum etiam pacis non damus, ne videamur applaudere facto Iudæ, qui osculo tradidit Christum. denudantur altaria, quia discipuli relicto Christo Domino fugerunt, qui significantur per altaris vestimenta. In lotione pedum imitamur Christi humilitatem & factum, sicut sonat istius diei Euangelium. Lauantur altaria vino & aqua, quia ex latere Christi exierunt duo Sacramenta, sanguis redemptionis, & aqua ablutionis, per quę mundatur Ecclesia: quæ sunt Baptismus & Eucharistia. Corpus Domini reseruatur à quinta feria vsque ad Parasceuen: quia cum in Parasceue non conficiatur corpus Domini, qui communicare voluerint habent sacrificium ex die priori.

Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14. Apoc. 1. Matth. 12. Ionæ 2. B. C. *Matth. 26. Ibidem. Ioan. 3.*

CAP. XXXXV.

Cur hæc dies dicta sit cœna domini perpulchre docet. Exod. 12. D. *Matth. 26.*

QVoniam dies illa quæ Cœna dicitur, quartadecima dies est primi mensis, quando agnus Paschalis secundum legem ad vesperam immolabatur, & de eius sanguine vterque postis cum superliminaribus liniebatur. Ideo dies illa cœna Domini dicitur, quando Dominus post completum Pascha typicum ad verum Pascha transiens, mysterium corporis & sanguinis sui primum Apostolis dedit, cum proditor precium sanguinis à Iudæis accipiens Christi sanguinem vendidit. Vnde eo die Sacramentum altaris Dominus instituit: quod in memoriam passionis Dominicæ Christianus populus colit. Vnde illo die præcipuè sermo debet fieri vel de Sacramento altaris, vel de dilectione Christi. Potest igitur thema istud proponi, quod scribitur in Apocalypsi, ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per singulos menses, &c.

CAP. XXXXVI.

Diem cœnæ sequitur Parasceue Domini & quid eo die fiat, aperit. Deut. 8. Matth. 27.

SEquitur de Parasceue Domini, quæ solemnis habetur, quia illo die Christus patiebatur, vt populus qui per lignum fuerat exclusus, reuocaretur. Parasceue autẽ præparatio dicitur: quia tunc Iudæi præparabant cibos, quibus in Sabbato vescerentur. Sicut de Manna quondam dicebatur, quod duplum in sexta feria colligebatur, quia in Sabbato non permittebatur colligi. Circa horam nonam ad Ecclesiam conueniunt fideles, repręsentantes hoc quod Ioseph & Nicodemus venerunt ad sepeliendum Dominum. Legitur autẽ primò lectio ex Osæa Propheta. Hi scil. in tribulatione sua mane consurgent ad me, venite & reuertamur ad Dominum: quia ipse cœpit, & sanabit nos, percutiet, & curabit nos, viuificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos. Ibi aperte agitur de Christi resurrectione, vt passio Christi non terreat, quos spes resurrectionis lætificat. Postea sequitur Tractus de Abacuc, qui apertius de passione prophetauit, vbi dixit: Cornua in manibus eius. Postea legitur lectio Exod. de agno Paschali, per quod intelligitur immolatio Iesu Christi: secundum autem Ioannem passio, hac de causa, quia Ioannes præsens fuit, quando Christus in Cruce pendens matrem virginem virgini commendauit, vnde congruum testimonium ferre potuit. Eadem die fiũt spirituales orationes pro omni statu Ecclesiæ: quia Christus postquam orauit pro discipulis, dixit: Domine, non pro eis rogo tantum, sed pro his qui per verbum eorum credituri sunt in me. In oratione autem quæ fit pro Iudæis genua non flectimus: quia ipsi flectentes genua Domino illudebãt. Notandum etiam quod illa die corpus Domini non conficitur, cuius plures causæ super illud Hierem. Repulit Dominus Altare suum, assignantur. Hæc autem causa ad præsens sufficiat, quia illa die hostia sine velamine est oblata. Ideo illa die sub velamine non offertur. Notandum autem ꝙ quando Crux ante populum defertur, quod tres Antiphonæ decãtantur, scilicet, Popule meus, quia eduxi te, &cæt. quod significat triplicem scripturam tituli. erat enim scriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè. A choro autem tantum respondetur græcè & latinè, quoniã adhuc tertia lingua, sc. Hebræa silet. Quod vero Crux eo die discooperitur, significat mysteria legis in morte Christi esse reuelata. Tenebræ autem quæ factæ sunt eo moriente significant cæcitatem Iudæorum. quod vero os ex eo non est comminutum, significat quod virtus eius ex passione nõ est comminuta. Scissio autem veli, reserationem significat figurarum, quasi autem in silentio finitur officium; quia nondum Ecclesiæ redditum est caput suum.

E. *Abac. 3. Exod. 12. Ioann. 19. Ioan. 17.* F. *Matth. 27. Thren. 2. Mich. 2. Ioan. 19.* G. *Matth. 27.*

CAP. XXXXVII.

Postquam quædam generalia ad Parasceuen pertinentia descripsit nunc consequenter quædam specialia adducit.

PRælibatis quibusdam generalibus ad Parasceuẽ pertinentibus quædam specialia sunt ponẽda, & quædam generalia ad tres dies pertinentia. Primo de specialibus. Notandum ergo quod in die Parasceues Missa non celebratur. Vnde decretum Innocentij est, dicentis: Constat Apostolos biduo isto in tristitia & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse. Biduum memoratur, vt traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari: & loquitur de sexta feria & septima. Illa igitur sexta die corpus Christi non conficitur specialiter, quia pro nobis, sicut dictum est, Christus sine figura immolatur: & quia illo sublatus est sponsus Ecclesiæ cum descenderit ad inferos tali die. Illo autem die specialiter crux adoratur, quæ ab adstantibus ante Altare osculatur & salutatur. Ipsa enim est, vt dicit Chrysost. glorificanda & adoranda, dicit enim: Crux est spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorũ dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrenatio diuitum, destructio superborum, male viuentium pœna, aduersus dæmones triũphus, deuictio diaboli, adolescentium pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, nauigantium gubernator, periclitantium portus, obsessorum murus, pater orphanorum, defensor viduarum, iustorum consiliarius, tribulatorum requies, paruulorum custos, virorum caput, senum finis, lumen in tenebris, sedentium regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas seruorum, Imperatorum Philosophia, lex impiorum prophetarum, annunciatio Apostolorum, martyrum glotiatio, monachorum abstinentia, virginum, castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, orbis terrę cautela, templorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Iudæorum, perditio impiorum, inua-

H. *Chrysost.*

A

lidorum virtus, ægrotantium medicus, emundatio leprosorum, paraclytorum requies, esurientium panis, sitientiũ fons, nudorum protectio, de qua Hieron. in tractatu Epistolæ ad Ephes. Crux Christi non solum nobis, sed & Angelis cunctisq; in cœlo virtutibus profuit & aperuit Sacramentum, quod antea nesciebant. Quia ergo illo die quo crucem osculamur humiliatus est pro nobis vsq; ad mortem crucis; bene cõgruum est, vt tota deuotione ante crucem prosternamur, non creaturam aliquam colendo, sed ipsum qui in ea passus est, odorando: & illud vexillum regium Christi sanguine rubricatum, venerandum, vt corpore prosternamur ante crucem, & mente ante Deum, ꝙ sonat illud, quod adorando dicere debemus: Crucem tuam adoramus Domine. & sanctam Resurrectionẽ tuam laudamus & glorificamus. Et B. Hieronym. de vita Paulæ: Prostrata erat ante crucem quasi Dominum in cruce pendentem cerneret. Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat, eo quod Imperatorem præcedere & adorari à militibus solebat. Scribit etiam Beda in libr. historiæ Anglorum, quod Osvvaldo fideli regi & Christianissimo, qui in periculo positus, subito fecit crucem: eaque adorata ab ipso & ab vniuerso exercitu suo, post orationis effusionem consequutus est victoriam. Et Sedulius de ipsa in Paschali carmine: Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis: Splendid⁹ auctoris de vertice fulget Eous. Occiduo sacræ labuntur sydere plantæ, Arcum dextra tenet, mediũ læua erigit axem. Vnde non immerito crux viuifica nominatur: quia sicut primus Adam qui fuerat causa perditionis, per quatuor partes mundi dispersus erat: sic secundus Adam, qui causa est saluationis, quatuor partes mundi statu sui corporis comprehendit in ligno. Tres autem adorationes facimus, quia ter propter nos Christus fuit illusus: primo, flexis genibus velata eius facie in atrio Pontificis; secundo, ante prætorium qñ illo tradito Iudæis à Pilato, vt crucifigerent eũ, milites plectentes coronã de spinis, flexis genibus illudebant ei: tertio, quando transeũtes dicebant Christo in cruce: Vah qui destruis templum Dei, &c. Tripliciter aũt crucifixus legitur Dñs illo die. Hora tertia linguis Iudæorum dicentium; Tolle, tolle, crucifige eum: hora sexta, cum positus fuit in cruce: hora nona qñ expirauit. Eædem horæ per totum annum ad celebrandum Missas canonice sunt institutæ, quæ Christi passionem mystice repræsentant. Vnde diebus festis hora tertia; diebus profestis, hora sexta; & in ieiuniis hora nona celebratur Missa. Sunt & alia quædam generalia ad hoc triduum pertinentia, vt tres vigiliæ trium noctium, quæ tres horas generalis eclypsis designant, quando, teste Euangelio Lucæ, sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram ab hora sexta vsque ad horam nonam: ꝙ infideles accidisse dicebant naturaliter, non miraculose. Quod esse nõ potest, sicut patet in Epistola Dionysij ad Apollophanem: In memoriam igitur illius eclypsis, quæ fuit horis tribus, & nos tenebras tribus noctis facimus & cãdelas accẽdimus, & successiue eas extinguimus, vt defectum fidei Apostolorum significemus. In Threnis Hier. legimus; quia sicut Hieremias Iosiæ mortẽ deplorauit, sic nos Christi passionem. Diurnum officium silenter dicitur, sed nocturnũ altè cantatur. Nocturnum. n. officium significat vaticinium prophetarum, qui alta voce quæ de Christo ventura erant, prædixerunt. Horæ autem diei, quibus in Euangelio comparantur Apostoli cantantur sub missè: quia prędicatio eorum cessauit in passione. Ad Benedictus autem dicitur antiphona voce terribili & alta, significãs cohortis tumultũ, quam adduxit Iudas, qñ cum gladiis & fustibus tradidit Christum. Ignis autem qui reseruatur, significat Christi diuinitatem, quæ licet occultaretur, non tamen extinguebatur.

Hier. in Epist. ad Ephes. — Philip. 2. — Hiere. in libro de vita Paulæ. — B — Beda in lib. hist. Anglorum. — Sedulius lib. 4. — Matth. 26. — Matth. 27. — Matth. 27. — C — Ibidem. — Ibidem. — Luc 23. — Dionysius ad Apollophanem. — Thren. 3. — D

Cap. XXXXVIII.

Absolutis Parasceues mysteriis tandem peruenit ad sabbatum san.

POst Parasceuen sequitur sabbatũ sanctum. Sicut enim completis operibus creationis die septimo requieuit Domin⁹ ab omni opere quod patrarat: ita completis operib⁹ recreationis septima die Domin⁹ in sepulchro requieuit. Incipit autem officium illius diei à benedictione cerei, sicut præceptum est ex constitutione Papæ Zozymi. Significatur autem iste cereus per columnam nubis, quæ filios Israel in nocte illuminauit. Vnde in benedictione cerei dicitur: Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgauit. Secundum autem cõsuetudinem Romanæ Ecclesiæ eodem die benedicitur cera oleo mista, & inde debent agni fieri vsque ad octauas Paschę reseruandi: in quibus omnibus significatur agnus pro nobis immolatus ad memoriam producẽdus. Ea vero die generalis in Ecclesia celebratur Baptismus, eo quod suam efficaciam sortitus sit ex passione Iesu Christi. Vnde legitur prima lectio de Genesi, quæ pertinet ad sanctificationem Baptismi. Vnde scribitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Alia autem de causa legitur lectio de Genesi, sc. In principio creauit Deus cœlum & terram, & quia mystice per opera creationis intelliguntur opera recreationis, quibus completis eadem die requieuit Saluator. Leguntur autem lectiones sine titulis, tum quia Christus caput nostrum nondum est nobis redditum, tum & propter Neophytos, qui nondum etiam habent notitiam scripturarum, quibus non expedit præmittere nomina librorum. Secunda lectio similiter pertinet ad Baptismum, quæ est ex Exod. Hoc, sc. factum est in vigilia matutina. &c. vbi agitur de submersione Ægyptiorum, & de transitu maris rubri; per quæ signatur remissio peccatorum in baptismo, & transitus de tenebris peccatorum ad pœnitentiæ desertum. Cum. n. teste Apostolo, Christus mortuus sit propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram; debemus & nos transire de morte culpæ ad vitam gloriæ, de Ægypto, id est, de tenebris peccatorum, debemus transire ad claritatẽ virtutum. Notandum autẽ quod officium huius diei in vespera debet celebrari, qui pertinet ad resurrectionem. Similiter & vigiliæ illius noctis non debent appellari tenebræ, sed potius gloria resurrectionis. Tertia lectio legitur de Esaia: Apprehendent septem mulieres virum vnum, &c. In qua ostenditur quod gratiæ Spiritus sancti & dona septem in Baptismo dentur baptizatis, plenissime tamen fuerunt in Christo. Vnde super prædictum locũ Esaiæ dicit Origenes: Spiritus sanctus in alijs sanctis inuẽit hospitiũ tribulationis, in solo Christo habuit domiciliũ quietis. Quarta vero lectio est Deuteronomij. Hoc sc. scripsit Moyses canticũ, & docuit filios Israel, quæ pertinet ad instructionem renatorum. Quinta vero lectio est Baruch: sc. audi Israel mandata vitæ, &c. vbi agitur de promissione præmiorum, quæ per Christi passionem baptizatis fidelibus largiuntur. Lectis autem lectionibus vadit processio ad fontes cum letaniis. Immittitur autem cereus fonti, ad designandum quod tactu suæ mũdissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Præterea cereus significat columnã ignis & nubis, quæ filijs Israel præstabat refrigerium contra calorem, & illuminationem contra tenebras noctis. Sic virtute Christi datur baptizatis refrigerium contra incentiua vitiorum, & illuminationem contra tenebras cæcitatis & ignorantiæ. Sanctificatis autem fontib⁹ redit processio ad chorum cum lętaniis, & sine introitu à Kyrieeleyson in officium Missæ, quod pertinet ad gloriam resurrectionis. Postea vero alta voce cantatur Gloria in excelsis, & tunc pulsantur omnes campanæ in signum vniuersalis lætitiæ de resurrectione. Postea legitur Epistola ad Coloss. Si consurrexistis cum Christo, &c. Postea alta voce cantatur Alleluia. Et quia grãdis restat labor post primam resurrectionem donec veniatur ad secũdam, ideo sequitur Tractus: Laudate Dominum, &c. Postea vero legitur Euangelium secundum Matth. Vespere autem sabbati, &c. Illa die non cantatur Offerenda: quia oblatus est Christus, qui est vera hostia, & propter hoc quod sanctæ mulieres latenter & cum silentio ad monumentum venerunt cum aromatibus. In illa Missa osculum pacis non datur; quia Christus qui est pax nostra nondum à mortuis suscitatur.

E — ctum, cuius quoq; mysteria nunc aperit & enarrat. — Gen. 2. — Matth. 27. — Gen. 1. — Ibidem. — F — Exod. 14. — Esai. 4. — G — Deut. 31. — Bar. 3. — Exod. 13. — H — Coloss. 3. — Psal. 116. — Matth. 28.

Explicit Tractatus de officio Ecclesiæ.

A

B. FRATRIS DAVID DE AVGVSTA ORDINIS MINORVM, PIA ET deuota opuscula.

CONTINENTVR HOC libro,

Formula Nouitiorum, de exterioris hominis reformatione.
Formula interioris hominis.
De septem processibus religiosi.

B *VIRO REVERENDO,*

IOANNI ANTONIO VELSERO, IOANNIS, AVGVSTÆ Vind. II. viri, F. Societatis Iesu presbytero.



EDideram ante menses aliquot non multos, pium & vtilem libellum ex Pollingensi codice, quem beatus Frater Dauid Augustan⁹ de exterioris hominis institutione scripsit: cum mox duo præterea eius ipsius auctoris libri, ex Ethalensi & Diessensi monasteriorum bibliothecis eruti, afferuntur, quorum vnus ad interiorem hominem pertinet, alter de religiosorum profectu religiosè & eruditè disputat. Committendum non putaui, vt & ij, magno multorum damno, quos ex hac lectione meliores sanctioresque euasuros confido, diutius in tenebris deli-
C tescerent. Neque porro dubium fuit, Vir Reuerende, quin ad te recta mitterem, ad te inquam, in cuius clientela prior quoque exiisset editio, nam causæ militabant vtrobique eædem, prorsus adeo, vt quæ tunc præfatus sum, nunc etiam, vberioris præfationis loco, hic iterum voluerim subiungi. Tu, qui exteriorem hominem lubens volens suscepisti, interiorem quoque; & quod de religiosorum profectu proxime consequitur, gratum acceptumque habiturus es, nil ambigo, tanto magis quanto interiora exterioribus præstant. Vale. Et Deum pro me ora.

AD EVNDEM,

PRÆFATIO IN PRIOREM EDITIONEM Formulæ Nouitiorum.

MArcus Olysipponensis, qui chronicos libros de Franciscanæ religionis rebus patria lingua edidit, scriptum reliquit, Fratrem Cæsarium Spirensem, viuo ad-
D huc sancto Francisco, Ministrũ in Germaniam missum aliquot ibi monasteria condidisse, quorum Augustanum primum fuerit, Franciscus autem Anno 1226. mortem obiit. Eam missionem Gongaza in Annum 1219. refert, & prouinciale capitulum tunc Augustæ celebratum fuisse narrat, ex quo fratres ad alias postmodum Germaniæ vrbes sint profecti: Itaque fides ijs annalibus constare non potest, qui Franciscanos anno demum 1243. Augustam venisse prodidere. In hoc monasterio credibile est, viros pietate & doctrina insignes permultos floruisse, præcipua enim virtutis & bonarum artium seminaria, Franciscanæ familiæ, illo præsertim æuo. Sed duorum præ cæteris nomina, Dauidis & Terterici, posteritati commendata. Isti cum Augustæ ambo vixerint sepultique fuerint, beatitatis opinionem post mortem tulere. Dauidi Gongaza elogia deuotissimi literarum diuinarum & humanarum non ignari, addidit: Tertericum, qui primus argentinensis prouinciæ Prouincialis fuit, virum omni ex parte perfectum, & miraculis clarum nominauit. Vt mirari subeat, qui factum, eorum memoria apud nostros homines funditus propemodum interciderit, Dauidis præsertim, qui præter quam vitæ sanctimonia, literarum monumentis famam poterat mereri. Verum an reliqua eius scripta quorum Trithemius meminit, adhuc superent, mihi non liquet: libellum ad Nouitios, cum forte quadam in manus venisset, vulgandum censui, eo fidentius, quod viro docto & pio cui legendum tradidi, mirifice vsque adeo placuit, vt MEDVLLAM EVANGELICÆ PERFECTIONIS appellauerit, & multiplicem inde fructum ad omnes omnis generis religiosos late dimanaturum existimarit: Ita enim hic doceri tirones, vt & veterani multa qua vtiliter addiscant reperturi sint. Certe Bertholdus, ad quem liber scriptus est, mirum quam ex doctore profecit, in tantum inde virum euasit, quantum multa multorum testimonia loquuntur, vnum Ioannis Auentini proferemus, hominis in Franciscanos non nimis propensi, & minime omnium blandi, quod fidei faciendæ vtrumque valere debet. *Bertholdus tum Franciscanus, Reginoburgio ortus, clarus integritate vitæ, atque Christianæ eloquentiæ orator insignis fuit, sexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentasse litteris proditur. Eius sepulchrum adhuc, non solum incolis, sed & Vgris venerabile Reginoburgij in templo Franciscanorum ostenditur.*

Tu, Vir Reuerende, quoniam in sortem domini vocatus, optimam partem elegesti, & eandem quam beatus Dauid & Bertholdus viam, etiamsi non eodem duce gnauiter insistis, Augustanus Augustanum, religiosus religiosum, è tenebris & squalore multorum bono erutum obuijs spero vlnis recipies, & si quid opus non inuitus tueberis: quamquam nihil opus, nemo vsque eo diabolos futurus, qui quod calumnietur hic inueniat. Vnum excipio, sed ætatis vitium, Sermones ad fratres in eremo, Augustini nomine aliquoties laudari, quod falsam illam eorum sermonum inscriptionem esse, nondum tunc quisquam animaduerteret. Vale, Et me Deo, sancti sacrificiis piisque precibus, commenda: quod reliquos æquè, qui aliquid hinc vtilitatis haurient, facturos confido.

TESTIMONIA DE BEATO FRATRE DAVIDE DE Augusta.

Ex libro conformitatum vitæ sancti Francisci ad vitam Iesu Christi.

De prouincia Argentinæ.

In loco Ratisbona, iacet frater Bertholdus, egregius prædicator, qui etiam in sua vita miracula faciebat.

Locus Augustæ.

In loco Augustæ, iacet frater Dauid, socius dicti fratris Bertholdi vir in omni disciplina morum decentissimus.

In eodem loco iacet frater Tertericus, minister eiusdem prouinciæ vir miræ perfectionis & sanctitatis.

Ex eodem libro.

Dauid Teutonicus scripsit sermones de tempore lib. vnum. Item sermones de sanctis lib. 1.

F. Franciscus Gongaza de origine Seraphicæ religionis Capite de scriptoribus illustribus.

Frater Dauid Teutonicus, humanarum diuinarumque literarum non ignarus, scripsit de compositione hominis exterioris lib. 1 sermones de tempore libr. 1. de sanctis lib. 1. Claruit non longe post beatum Franciscum, obijtque Augustæ Vindelicorum.

Idem de Beatis Seraphici ordinis.

B. Dauid, vir vtique deuotissimus, Augustæ Vindelicorum situs est

A Iacobus Wimpfelingius in Apologia pro Republica Christiana.

Si saltem D. Aurelij meditationes, reliquaque eius opuscula parua, si Bernardi, si fratris Dauidis, si Seraphici, si Christianissimi Doctoris Io. Gerson deuotiora quędã scripta percurreret, &c.

IOAN. TRITHEMIVS DE SCRIPTORIBUS ecclesiasticis.

Dauid, ordinis vt ferunt minorum, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis exercitatus, vita & conuersatione insignis, in declamandis sermonibus ad populum excellẽtis ingenij fuit. Scripsit quædam aperto sermone opuscula, quorum lectio deuotis fratribus non est contemnenda. De quibus extant subiecta. Ad nouitios.

De compositione hominis exterioris lib. 1.
Profectus religiosi VII.
De compositione hominis interioris lib. 1.
B *Collationes meas quas*
Sermones de tempore lib. 1.
Sermones de sanctis lib. 1.
Et quædam alia.

Claruit non longe post beatum Franciscum. Sepultus est in Augusta.

EPISTOLA FRATRIS DAVID DE AVGVSTA, ORDINIS FRATRUM minorum, Professoris sacræ Theologiæ, quam misit Ratisponam nouitijs pro eorum informatione.

Dilectis in Christo Iesu fratribus, Fratri Bertholdo, & omnibus nouitiis & nouis Ratisponæ morantibus, Frater Dauid, bene proficere in via Dei, & semper crescere
C in virtutibus & gratia spirituali. Licet absens sim à vobis corpore, tamen corde sæpe vobiscum & dictione, optans vos ita fundari in nouitate vitæ sanctæ, quod sit mihi certa spes de consummatione perfecta. Volo primo omnium vt illius voluntatis feruor in vobis perseueret, qui de sæculo vos ad scholam religionis attraxit. Quia sicut diu ad ædificandum præparasse sumptus, & tempore opportuno torpere otio, & tempus perdere & expensas, magnæ negligentiæ culpa est, & inditium dementiæ, sic & propositum habuisse bene viuendi, & modo in religione desidem esse, commmoda carnis quærere, & propriæ voluntatis loculos, quos pro Christo resignaueras, recolligere, confusio est & irrecuperabile detrimentum. Studium veræ religionis circa duo maxime versatur, circa exercitium virtutis, & affectum internæ deuotionis. Vnum spectat ad vitam actiuam, alterum ad vitam contemplatiuam. Hæ sunt duæ vxores Iacob, Lia fœcundior & Rachel pulchrior: Quia plura sunt exercitia virtutis; sed suauior est experientia deuotionis. Sex enim filios Lia genuit, qui designant sex actionum gradus, in quibus bonus homo religiosus se iugi-
D ter debet exercere. Primus, opera pœnitentiæ, quibus corpus spiritui seruire cogitur, vt abstinentiæ, vigiliæ, disciplinæ, & similia. Secundus, motus vitiorum insurgentes reprimere, & superbiam deijcere, iram suffocare, inuidiam exsufflare, desideria fugare, auaritiam abijcere, gulam domare, luxuriam detestari, linguam refrænare: quæ tunc maxime subiugantur cum motus eorum maxime fremunt, quanto enim fortiores vires hostis in aduersarium collegerit, si tunc eliditur, tanto magis debilitatur, & quo vehementior cuiusque vitij tentatio, & gloriosior triumphus. Tertius, opera exercitare virtutum, & obsequia humilitatis, seruitia charitatis, assiduitatem obediendi, mansuete loquendi, variis exercitijs bonum exemplum dandi: ex vsu enim virtuosorum operum ipsæ virtutes in mentes altius radicantur. Quartus, quælibet aduersa discere pati, vt correctiones etiam iniustas, penurias victus, vestitus, domorum, librorum, infirmitates, derisiones, despectiones, contumelias, infamationes, labores, tentationes, distortos aliorum mores, infirmitates & sordes, persecutionem, carcerem & mortem: Hæc enim insignia sunt patientiæ, & qui ea fere recusat, Christi se militem non esse demonstrat, & in die iudicij, vbi quique sanctorum cum suis triumphis apparebunt spectabiles, ipse inglorius erubescet. Quintus, cogitationes & affectiones & intentiones mentis ad normam rationis componere, & omnes affectus in virtutes ordinare, vt non amet nisi amanda, & prout sunt amanda, nec timeat nisi timenda, odiat odienda, doleat dolenda, gaudeat de gaudendis, & sic in omnibus rationis ductu quasi naturali motu tranquille feratur, quod est proprium perfectorum, vel proprium proficientium. Sextus, est zelus animarum, & ordinatus iustitiæ feruor, quo cupit omnes homines saluari, & pro viribus astringit se proximis succurrere, vt eos de naufragio extrahat, docendo, consulendo, hortando, consolando, confessiones audiendo, gubernando, arguendo; exemplo bono prouocando, & quisbuscunque modis ædificando, pure pro amore Dei & proximi salute: Non laudes quærere, non honores, non munuscula, non libertates exeun- F
di & agendi quælibet, non cõmoda carnis, non amicorum promotiones & similia. Qui pro his vel horũ aliquibus, cupit officium cuiuscumque sublimationis, indignus est officio & nomine, & non mœretur nisi pœnam, & fructum non faciet in aliis, & non est prædicator Christi, sed sui. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum, nos autem seruos ipsius. Duo autem filij Rachel, sunt profunda veritatis inquisitio, & deuotæ orationis in Deum pura intentio. Prior diuiditur in studium sacræ lectionis, & instantiam sanctæ meditationis, quia Ioseph duplicem funiculum habet, id est duarum tribuũ sortes. Oratio autem directius tendit & ducit in Deum, quam lectio vel meditatio, quæ etsi circa Deum versetur, oratio tamen ad ipsum tendit, & quasi secundam personam alloquitur, & ideo familiarius adhæret, & efficacius obtinet quod desiderat. Hinc est quod in sola sorte tribus Beniamin Dominus voluit sibi domum orationis, hoc est templum fieri, in quo sibi sacrificia placita offerrentur, quia orationis deuotio cetera virtutum opera facit sapi- G
da, sine qua forent arida, & maiorem fiduciam præstantia apud Deum. Ite mi ideo dulcissimi his studiis operam date fideliter, quia sicut frustra in scholis literarum tempus & sumptus consumit qui literarum scientiæ non intendit, sic qui in religione virtutibus non studet, & maxime orationis deuotioni, quæ Dei notitiam & propitiationis eius fiduciam singularius confert, inutiliter in schola religionis moratur. Vocalis autem oratio, est quasi testa exterior, intrinseca autem deuotio, quasi nucleus vel substantia inde expressa. Volueram vobis breuem salutationem pro memoriali scripsisse, ne mei essetis immemores, propter longam absentiam, & ita sciatis quod vestri non sum immemor in paruis orationibus meis, & materia excessit chartæ quantitatem. Orate pro me, quia confido de vobis.

INCIPIVNT CAPITVLA IN FORMULAM Nouitiorum fratris Dauid de Augusta. Et primo de exterioris hominis reformatione. H

1. *Considera quare veneris ad religionem.*
2. *De obedientia.*
3. *De humilitate vbique seruanda.*
4. *Quod libenter habeas pacem cum Prælatis.*
5. *De surgendo à somno.*
6. *Quomodo te habeas in choro.*
7. *Quomodo te habeas in dormitorio.*
8. *Quomodo te habeas in capitulo.*
9. *Quomodo libenter dicas culpam.*
10. *Quod libenter seruias ad Missas.*
11. *Quod sæpe confitearis peccata tua.*
12. *Quomodo te habeas in mensa.*
13. *De discretione laboris.*
14. *De obsequijs communibus.*
15. *Quod libenter sis in cella.*

16. *De lectione sacræ scripturæ.*
17. *De prædicatione.*
18. *De disciplina vbique.*
19. *Quomodo te habeas inter fratres,*
20. *De verecundia.*
21. *De incessu & ambulatione.*
22. *De sedendo.*
23. *De risu.*
24. *De loquela communi.*
25. *De detractione.*
26 *De vitando rumores.*
27. *Ne prodas detractorem.*
28. *De iactantia.*
29. *De verbis otiosis.*
30. *De loquendo de Deo.*
31. *Qualiter sit loquendum.*
32. *De meditando de Christo Iesu.*
33. *De ostentatione vitanda.*
34. *Qualiter extra domum te habeas in via.*
35. *De custodia visus extra monasterium.*
36. *Quomodo te habeas ad socium.*
37. *De oratione.*
38. *De fœminis fugiendis.*
40. *De libertate cordis.*
41. *Epilogus.*

INCIPIT FORMVLA NOVITIORVM FRATRIS DAVID DE AVGVSTA. Et primo de exterioris hominis reformatione.

Dilecto in Christo fratri Bertholdo frater David, Quod Deo operante bene incepit, ipso cooperante melius consummare. Desiderasti à me frater charissime, vt aliquid scriberẽ tibi ad ædificationem, ex quo absens sum à te, sicut aliquando præsens tibi ore dicere solebam, quando ad tempus nouitiatus tui magister eram tibi deputatus. Et quia promisi tibi hoc facere, volo soluere promissum, sicut Dominus interim dederit. Etenim magna & sublimia nescio, volo tamen ea tibi scribere quæ nouitio conueniunt, incipienti seruire domino in religione. Altiora autem, cum ad illa profeceris, Dominus te docebit, & per quotidianam experientiam semper meliora intelliges, quia quanto plus quis altius profecerit in actione virtutũ, tanto clarius videt quid adhuc sibi desit, & qualiter ad ea q̃ restant debeat peruenire, psalmista, A mãdatis tuis intellexi. Qui autem non studet in virtutibus semper proficere, etiam hoc aliquando perdet, quod necdum viam qua ad virtutes tendat intelligat.

Cap. I.

Quod considerare debet nouitius quare venerit ad religionem.

PRimo ergo semper cõsiderare debes ad quid veneris, & propter quid. Propter enim quid venisti, nisi solummodo propter Deum, vt ipse fieret merces laboris tui in vita æterna. Sicut propter nullum alium venisti, ita propter nullum debes omittere, nec alicuius exemplo tepescere, quin studeas ad id, ad quod venisti, venisti enim ad seruiendum Deo, cui seruire debet omnis creatura ipsius, & ideo debet ei dare totum quod est, & quod scit, & quod potest. Et si omnia seruiunt creatori suo pro omni posse suo, multo magis homo, quem non solum creauit sicut cętera, sed insuper intellectu decorauit, libero arbitrio nobilitauit, mundi dominum constituit, sibi similem fecit, naturam eius assumpsit, verbo & exemplo proprio eum instruxit, proprio sanguine suo de morte æterna redemit, spiritum sanctum ei infudit, carnem suam ei in cibum tradidit, curam eius habet sicut mater paruuli filij sui, & æternam hæreditatem ei dare disposuit. Ecce quantum nos tenemur seruire Deo præ cæteris creaturis, & diligere eum super omnia, qui nos præ omnibus creaturis amauit.

Cap. II.

De obedientia.

ET quia non confidis tibi ipsi, vt præsumas te scire quid à te velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo vt ipse te regat, & dedisti ei manum tuam in professione vt ipse te ducat in via Dei: vnde non licet tibi deinceps viuere pro velle tuo, sed quo ductor tuus te ire iubet solum ire debes, & quod ipse prohibet, hoc debes cauere. Quia qui artem aliquam discere cupit, debet regulas sui doctoris tenere, & proprias adinuentiones relinquere: & infirmus qui vitiorum adhuc accessiones patitur, debet seruare diætam quã ei medicus indicit, si cito plene desiderat sanari: Ita & tu nihil facias quod magistrum tuum nolle præsumas, te enim dedisti ei propter regnum cœlorum, iam non es tuus, sed eius cui te vendisti, & ideo nihil licet tibi de te agere sine eius voluntate, ipse enim est Dominus tuæ voluntatis. Contrectatio rei alienæ domino inuito furtum est, furtum cœlo non appropinquat, ipsi rectores nostri sunt vicarij domino super nos, & nos debemus eis obedire sicut domino, & non hominibus, quia non propter ipsos, sed propter dominum nos subiecimus eis. Idcirco talem exhibe te, vt libere iubeat te facere vel omittere, quidquid videtur ei expedire; si autem timeat te, iam seruus maior est domino, id est, discipulus super magistrum. Ideò sanctus Bernardus in regula sua dicit: Ausculta ô fili præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras, mox vt aliquid impetratum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur moram pati nescias in faciẽdo: De quibus dicit Dominus, Ob auditum auris obediuit mihi: & iterũ, Qui vos audit, me audit. August. ad fratres in eremo, serm. 7. dicit: Dilectissimi, obedientiam Deo in omnibus, si saluari in eremo cupitis, seruate, & si difficile vobis videtur, debetis considerare obedientiam Dei filij, vt vestram deponere contumaciam non differatis, ipse enim filius Dei obediens fuit vsq; ad mortem crucis, & nos temnimus obedire præceptis eius? Christus enim vsq; ad mortẽ obediens fuit, nõ pro sua sed nostra vtilitate, estote ergo non pro sua sed pro vestra vtilitate sibi obedientes. Ecce enim fratres, Angelus obedit Deo in omnibus, & tu qui seruus es, contradicis Deo? Insensibilia obediũt Deo, & tu rationalis contradicis? Sol à sua semita non deuiat, nec luna nec stellæ, omnia enim cœlestia suis inseruiunt officiis, tu vero Dei voluntati quasi in omnib. resistis? Ad nutum Dei floribus campi decorantur, terra imbribus irrigatur, syluæ frondibus crispantur, in nemore cychatiscãt auiculæ, omnia Deo obediunt, & solus homo Dei voluntati resistit. O monache lege quod dicitur. Melior obedientia quam victima. Quæ causa est, nisi quia in victimis aliena caro immolatur, sed in obedientia voluntas propria & caro mactatur. Estote ergo fratres mei obedientes, vt Deum placare possitis de peccatis cõmissis, tanto. n. citius placat Deũ homo, quanto repressior arbitrij sui superbia gladio pręcepti se immolat. Cauete ab inobediẽtia fratres, sub ipsa enim potest latere fel draconis sub specie mellis, lupus sub pelle ouina, in pastu enim dulci sæpe venenum latitat, & in olla sæpe mors ponitur.. Intendat, ergo qui p̃cipit & qui obedire intendit, ꝙ obedientia sit honesta, & omni discretione decorata: nã vbi discreta non fuerit, crudelitas existimãda est, si honesta non fuerit; nullatenus obedire debemus. Tenete ergo fratres mei, & in cordib. vestris alligate ꝙ obediẽtia sine discretione cassa est, & venit nõ ex parte obedientis sed pręcipiẽtis. Et obediẽtia honestate priuata superbia est, & venit ex parte vtriusq; cõsentientis & præcipientis, & in die nouissimo pari pœna puniẽtur. Custodite ꝙ præcipitis, cauete & ponderate q̃d imponitis: Verũ quoties obedientia honesta & iusta non fuerit, toties ad irregularitatẽ se deuenisse agnouerint pastores. Obedientia igitur fratres tunc vera, tunc sancta, tunc

A meritoria est, quando dotata est discretione honestate & humilitate. Istæ enim sunt sociæ sanctæ obedientiæ, sine quibus omnis obedientia vana est & inutilis. Hæc est ista obedientia quæ concordiam seruat in Angelis, pacem nutrit in monachis, trãquillitatem generat in omnibus. Hæc est ista obedientia sine qua respublica stare non potest, sine qua familia aliqua regi non potest. O quam enorme vitium obedientiæ contrarium fuit, per hoc diabolus cœlũ perdidit, per hoc homo paradisum amisit, per hoc Saul regnum perdidit, per hoc Salomon amorem diuinum amisit. O sancta Dei sponsa obedientia, tu profecto scala es qua cœlum ascenditur, tu quadriga qua Helias vectus est in paradisum, tu porta paradisi fidelibus, & clausura eorũ. O sancta obedientia, tu humilitatem nutris, tu patiẽtiam probas, tu mansuetudinem examinas. Obedientia est Saluatoris schola, ipse enim exemplo suo docuit obediẽtiam tripliciter, Ad mundum veniens, vnde dixit Ioan. 6. Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed volũtatem eius qui misit me: In mundo manens, quia factus obediens vsque ad mortem: De mundo transiens, ideo dixit patri: Non sicut ego volo, sed sicut tu. Est etiam obedientia martyrij palma triũphalis, quia decorat hominem, & amputat propriæ voluntatis caput. Primo Regum, melior est obedientia, quam victima. Est etiam obedientia scala paradisi, in qua septem sunt gradus; Primus, obedire libenter, exemplum de Paulo, Domine quid me vis facere? Secundus, obedire simpliciter, exemplum de Dauid, quia dixit: Vt iumentum factus sum apud te. Tertius, obedire hilariter sine murmuratione, exemplum de Christo, Non aperiet os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Quartus, obedire voluntarie, exemplum de Petro & Andrea, qui ad vnam vocem, relictis omnibus secuti sunt eum. Quintus, obedire viriliter, exemplum de Petro, Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire. Sextus, obedire humiliter, Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus. Septimus est, obedire perseueranter, Factus est obediens vsque ad mortem. Isti septem gradus erant in scala Iacob, in qua Angeli erant descendentes, &c. Item obedientia est nauis ad cœlum transiens, quia in naui dormiens & comedens peruenit ad portum: Clauis cœlum aperiens, quia obediens cum duabus alis, scilicet paupertate & castitate scandit ad cœlestia, sicut auis ad cœlum ascendens. Item obedientia est summa in merito, vult enim Deus vt omnia obediant obedienti: Intima Deo, quia cum ea loquitur, sicut cum Moyse: Proxima cœlo, quia oratio eius sicut armatura militem armans, columba oliuam portans, lucerna viam demonstrans, vt patet. Estote ergo fratres cum Abraham obedientes, reddentes quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tunc vero redditur Cæsari debitum suum, quando duliam prælatis nostris reddimus. Hæc enim dulia consistit in reuerentiæ exhibitione & dilectione: hoc autem facere debemus non solum pastoribus, sed etiam sanctis Dei. Et tunc reddimus quæ sunt Dei Deo, quando in latria perseueramus, hoc enim soli Deo conuenit vel congruit. Hæc consistit in oratione & gratiarum actione, & cultus exterioris exhibitione, & interioris mentis deuotione. Quod facere nos & perseuerare, nobis præstare dignetur Deus, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Cap. III.

De humilitate vbique seruanda.

Esto semper & vbique humilis, & caue ne aliquid facias vt ab hominibus noteris, ne gloriam quæras in gestu, in voce, in sermone vel actu, quia peccatum est, & vanum, & cum putas eis placere, forte displices, & iudicant te quia inanis gloriæ cupidus sis, vel forte nec aduertunt quid agis, & sic perdis conatum tuum inutiliter & vane, sicut stulti, qui pictis imaginibus quasi viuis hominibus oblectantur. Psalmus. Qui hominibus placent, confusi sunt, id est, qui placere volunt. Ideo dicit scriptura Ecclesiastici: Quanto maior es humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram domino. Et dominus in Euangelio: Qui se humiliat exaltabitur & qui se exaltat, humiliabitur. Ideo dicit Hieronymus: Nihil est quod nos hominibus & Deo gratiores faciat, quam vt vitæ merito magni, humilitate simus infimi. Bernardus: In alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil apud homines clarius. Gregorius: Sicut humilitas omnia eneruat vitia, omnesq; virtutes colligit & roborat, sic superbia omnes virtutes destruit & eneruat. In regula S. Benedicti require duodecim gradus humilitatis capitulo septimo. Augustinus sermone 11. ad fratres in eremo dicit: Fratres mei charissimi, vbi superbia fuerit, ibi & contumelia & discordia dominatur. Non enim decet seruos Dei esse superbos, sed humiles, non elatos, sed mansuetos, castos & benignos, & cũ omnibus virtutibus adornatos. Cauete fratres & vigilanter attendite, ne superbia inflemini de bonis commissis, scientes quia superbia de Angelis bonis dæmones fecit, sed humilitas homines similes Angelis constituit. Superbia de cœlis eiecit gloriam Angelicam, sed humilitas ad cœlos ascendere fecit infirmitatem humanam. Ne ergo dicatis cum Pharisæo: Gratias tibi ago domine quia non sum sicut cæteri homines, sed, Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, & cum Publicano dicite quibuscunque virtutibus ornati, Deus propitius esto mihi peccatori. Attendat charitas vestra quid dicit charitas nostra: Qui maior est vestrum fiat sicut iunior, & qui præcessor sicut ministrator. O sancta & venerabilis humilitas, quam dissimilis es superbiæ? Nam ipsa superbia Luciferum de cœlo eiecit, sed humilitas Dei filium incarnauit: Ipsa Adam de paradiso expulit, sed humilitas latronem in paradisum introduxit: Superbia linguas gigantum diuisit & confudit, sed humilitas cunctos dispersos congregauit: Superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutauit, sed humilitas Ioseph principem constituit Israël: Superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysen exaltauit. Hæc est illa sancta humilitas quæ Pharisæos tradidit in reprobum sensum, excæcauit Iudæos, suffocauit paganos, inflammat Christianos, peremit obstinatos, deiecit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Cap. IV.

De pace libenter habenda cum prælatis.

Habe pacem cum Prælatis & superioribus tuis, & non detrahas eis, nec libenter audias eis detrahere, nec murmures, nec male loquaris contra eos, quia Deus specialiter hæc vitia punit, etiam in præsenti, in subditis. Non actus eorum ponderes vel excessus eorum, sed ignosce eis quasi hominibus, quia in multis curis non potest aliquando negligentia vel culpa euitari: & sæpe quod in eis reprehendimus, ex nostro vitio est magis quam ex culpa eorum, quia sæpe quod aliquis pro bono facit, quia non intelligimus intentionem eius, pro malo iudicamus. Honora eos in corde ore & opere, & ne spernas, ne forte Deum spernas cuius vicem gerunt. Crede quod Deus inspirauit eis quicquid te iubent facere, propter vtilitatem animæ tuæ. Ordinationes eorum & constitutiones non fastidias. Hortamenta & admonitiones gratanter suscipias & efficaciter compleas, quia non sine caussa faciunt aut loquuntur, licet tu non scias omnes causas. Qui sinceriter ambulat & simpliciter in via Dei, omnia placent ei, & prosunt ad maius meritum. Verus seruus Dei sic debet in via regia mandatis Dei incedere, quod statura humana non arctent eum in aliquo, quia ipse debet se ipsum arctare, ita vt si non esset istud statutum, tamen adhuc caueret sibi ab omni quod non esset sibi expediens; per talia enim statuta tantum reprimuntur excessus eorum qui metas disciplinæ transgrediuntur, vnde Apostolus ad Hebræos 12. dicit: Obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilãt quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Et B. Franciscus dicit: Subditus Prælatum suum non

A non hominem considerare debet, sed illum pro cuius est
amore subiectus. Quanto autem contemptibilior præsi-
det, tanto magis humilitas obedientis Deo placet. Augu-
stinus ad fratres in eremo serm. 2. dicit: O si sciretis quanta
sit virtus pacis, tanta enim est, quod in eius dignitate Apo-
stolis omnes suas scribebat Epistolas dicens: Pax vobis &
gratia à domino Deo nostro, hanc etiam salutandi formã
nobis Christus primitus donauit dicens: Pax vobis. Hanc
Apostolis pro testamento dereliquit, tanquam summum
bonum, sine quo nullus viuere deberet. Sic etiam pater
cœlestis elementa & plantas cæteraque insensibilia ordi-
nauit, vt vinculo pacis simul complecterentur, sic etiam
ordinauit gloriosos exercitus Angelorum, vt post malo-
rum descẽsum, nulla esset inter eos discordia, sed pax ple-
na atque perfecta. Hęc est illa gloriosa pax quæ fluctus ma-
larum cogitationum eructat, mentem fluctuantem illæ-
sam reseruat, conscientiam purgat. Christianus dici non
B debet, qui pacem corde ore & opere non habet. Qui in
hac non sperat, in lubrico pedem ponit, in tempestate na-
uem collocat, in luto se illaqueat, in arena semen seminat.
Hæc est illa perfecta pax quæ mentem à vitiis purgat, ver-
mem conscientiæ reijcit. O pax requies eremitarum, ma-
ter cœnobitarum, pater monachorum: Tu patriarcharum
vinculum, tu Prophetarum vehiculum, tu Apostolorum
refugium, tu martyrum solatium, tu cõfessorum balteum,
tu virginum tripudium, tu viduarum speculum, tu coniu-
gatorum spectaculum, tu malorum præsidium, tu tyran-
norum odium, tu latronum suspendium. Te non possunt
destruere principum fulmina, nec insultus dæmonum in
vllo lædere possunt. Tu pauperem diuitem facis, tu diui-
tem mendicantem efficis, tu contenta in cunctis, tu ditior
vniuersis, tu homines Dei filios facis. O pax sine te Reges
non regnant, sine te regna non valent. Nunquid sine te ie-
iunia, orationes, eleemosynę, cæteraq; bona prodesse pos-
sunt? Absit. O monache pacem habeto cum cunctis, nam
si fratri tuo irasceris, si proximum oderis, quo pacto, quo
facto petis tibi dimitti, qui proximo rancorem non dimit-
C tis? Habeto ergo pacem cum omnibus, & præcipue cum
maioribus, omnia tamen vitia odiens. Habeto in corde o-
re & opere semper pacem. Nam si Cain pacem habuisset
in corde, non irruisset in fratrem. Si Absalon pacem habu-
isset in opere, non fugisset ad laqueum. O quam bonum &
quam iucũdum, ô quam diuinum habitare fratres in vnũ,
vt vnum sit cor, vna voluntas, vna omnium anima, & vna
forma viuendi. Nam diabolus non potest intrare domum
vel mentẽ in qua pax dominatur. O quam iucundum ha-
bitare in vnum. Tanta est enim supereminentia istius vir-
tutis, quod de ea Propheta prius miraretur, quam osten-
deret quid esset vel quid vtilitatis haberet. O quam gran-
dem admirationem proposuit, quando dixit: Ecce, O quã
mirabilem prædicauit vtilitatem cum subiunxit, quã bo-
num & quam iucundum. Sed scire debetis fratres mei, ꝙ
quædam sunt bona quæ non sunt iucunda, quædam iucũ-
da quæ non sunt bona. Bona sunt ieiunia, vigiliæ, macera-
tiones & similia, hæc enim bona sunt & non iucunda, quia
D caro in his non iucundatur sed læditur. Iucundæ quippe
sunt commessationes, ebrietates, sed non sunt bona, hæc
agentes lætantur cum male egerint, & exultant de rebus
pessimis. O monache, vix inuenire poteris vnum in præ-
senti ꝙ sit bonum & iucundum. Cupis tamen illud bonũ
inuenire, perquire pacem & amplectere eam. Hęc est enim
sola virtus quæ bonum habet & iucundum, hæc est illa
bonitas, quę nos habitare facit vnius moris in domo, vt si-
mul viuere simulque mori semper optemus, in præsenti e-
nim habitamus, & in futuro accipiemus brauium iucun-
ditatis æternæ. O pax tu serenitas mentis tu tranquillitas
animi, cordis simplicitas, amoris vinculum, charitatis cõ-
sortium. Hæc est summa felicitas quæ dolos & simulatio-
nes tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos cal-
cat, humiles amat, discordes vnit, inimicos concordat, cũ-
ctis placet, à cunctis optatur, sed à malis illa quæ bona est
pax fugitur & oditur vt mors. O pax tu nescis extolli, igno-
ras inflari, beatus qui te habet, maledictus qui te odit, & q
te impedit & frangit inter homines, quoniam antichristus
est & filius perditionis. O pax, qui te habet, te teneat, qui te

E non habet, te perquirat, si filius Dei esse optat: Nam verus
Christianus non est, qui cum omnibus pacificus non est.
O Pax, tale bonum es in rebus creatis, tam mirificum tam
gloriosum, quod nihil dilectius, nihil dulcius audiri solet
vel concupisci: Spiritus enim humanus nunquam viuifi-
caret nos vel membra nostra, nisi essent vnita, sic & Spiri-
tus sanctus nunquam nos sua viuificat gratia, nec nos in-
habitare dignatur, nisi in pace vnus fuerimus. Nemo enim
est vt diximus qui non velit pacem. Interroga omnes si pa-
cem desiderant. omnes vna voce dicent, hanc amamus,
hanc optamus, hanc cupimus, hanc volumus. Si ergo fra-
tres pacem homines amant, ament & iustitiam, quæ duæ
charissimæ amicæ sunt: iustitia enim & pax ipsæ se osculã-
tur. Sed si amicam pacis non amaueris, nunquid ipsa pax
ta amabit & tecum habitare voluerit? Absit. Amate igitur
pacem diligentes iustitiam. Hęc enim pax hominibus bo-
næ voluntatis ab Angelis datur: nunquid & prauæ volũ-
tatis hominibus offerunt? Absit. Et qui sunt tam prauæ
F voluntatis quam illi qui superbo oculo & insatiabili cor-
de, nunquam dicunt sufficit, omnia ad suum nutum fieri
volunt, tales nunquam pacem habere possunt. Propterea
fratres mei, ex quo mundum calcare cæpimus & terrena
despicere, cunctas diuitias non appetamus, nec nos qui in
eremo pauperes sumus, ad superbiam diuitiarum extolla-
mur. Nullo enim modo nos deeet vt in hac vita solitaria,
vbi senatores fiunt laboriosi, fiant opifices otiosi, & qui ve
nimus relictis diuitijs, qui fuissemus prædiorum domini,
simus rustici delicati. Ille denique pacem habet, qui nihil
appetit de sæculo possidere: hic tranquillus est qui gaudet
de bonis cunctis, pagano illo dicente: Quietissimam vitã
agerent homines in terra, si hæc duo tollerentur. Meum &
Tuum. O beata paupertas vbique pacis plena, vbique se-
cura, vbique illæsa, cunctorum amica. Nam qui te amat,
veram pacem amat, qui te non amat tranquillitatem om-
nem ignorát. Sed dicet quis seruorum Dei: Ecce diuites
video superbos, elatos, impios, & bonitate perfecta ca-
G rentes. Vnum tamen apparet, quod pacem habent ad in-
uicem: Quid ergo, nunquid gaudere debeo de eorum ne-
quam concordia vel cõtristari. O monache scias, quod si-
cut multum nocet discordia inter bonos, ita valde dolen-
dum est, quando pax est inter malos. Tunc .n. augentur o-
mnia pessima, quæ fieri quę cogitari inter homines posũt,
quando mali pacifice viuũt, quando vero discordant, tũc
mundus aliqualiter tranquillatur. Nam sicut concordiã
bonorum contraria est malorum concordiæ, ita optandũ
est quod boni pacem habeãt, & mali discordes sint. Nam
per discordiam mali aliquando optimi efficiũtur, cogno-
scentes quid sint. Nam dum tribulantur, & eorum facies
ignominia repletur, aliquando quærent nomen Domini,
quod tamen tempore pacis nũquam amabile erat in cor-
de eorum. Orandum tamen est, vt boni in bono teneantur
vsque in finem, & mali conuertantur antequam perueniãt
ad finem. Vos autem fratres, pacem ad inuicem amate, quę
quidem pax custodiat corda vestra, & intelligẽtias vestras,
H quæ exsuperat omnem sensum, Amen. Nota quod nomen
PAX habet tres literas in vna syllaba, in quo trinitas & v-
nitas designatur, in *P* pater, in *A* prima vocali filius, qui est
vox patris, in *X* duplici consonante Spiritus sanctus ab v-
troque procedens intelligitur. Cum ergo dixit Iesus: Pax
vobis, Trinitatis & vnitatis fidem nobis commendauit. Et
Ioan. 20. ter dixit: Pax vobis, propter triplicem pacem quã
reformauit. Inter Deum & hominem, ipsum in sanguine
suo Deo reconciliando. Inter angelum & hominem, na-
turam nostram assumendo, ipsam super choros angelorũ
exaltando. Inter hominem Iudaicum & gentilem, in se la-
pide angulari copulando. Hæc omnia Augustinus; deinde
prosequitur frater Dauid dicens: His de obedientia & hu-
militate præmissis, quæ initium boni sunt in religione, ad
alia transeo. Et primo ad corporalia exercitia, deinde con-
sequentur ad spiritualia, quia non prius quod spiri-
tuale est, sed quod animale est, deinde quod
spirituale est.

Cap. V.

De surgendo à somno.

ASsuesce si opportune potes, parum ante matutinas euigilare, vt spiritus tunc dirigatur in Deum in oratione, vt postea magis sobrius sis & deuotus in seruitio Dei & laudibus ipsius. Et cum euigilas statim omnes cogitationes abijce de corde, & somnia quæ somniasti in nocte, quibus te vellet diabolus occupare, & primitias cogitationum tuarum & actionum offer domino, in oratione vel aliqua bona meditatione, cum corporis erectione, vel genu flectione, donec aliquem affectum deuotionis concipias, & cogitationes vagas, quæ tunc mentem maxime infestant, abijcias. Et ex hoc eris tota die ad omne bonum opus deuotior & expeditior.

Cap. VI.

Qualiter se frater habeat in choro.

IN diuino officio non sis piger & fastidiens, sed coge corpus spiritui seruire. Sta reuerenter, & psalle alacriter coram Angelis qui ibi præsentes coram te assistunt, inclina deuote, non circumspicias hinc & inde, nisi quod necesse fuerit. Risus & verba inutilia penitus detestare, quia coram domino maiestatis cum metu & reuerentia astare debes. Verba Psalmodiæ distincte & integre pronuncia: Non leuiter discurras per chorum, nec ante finem horarum exeas nisi oporteat. Priusquam incipiatur officium, si potes præuenire, studeas vt cor tuum ad aliquam deuotionem sit exercitatum: ideo enim sumus desides & tepidi in diuino officio, quia ante non sumus aliqua deuotione exercitati, vnde & eximus sicut & intrauimus, frigidi & dissoluti corde. Stude in ipso initio cogitationes vagas abijcere, & intendere his quæ psalluntur, alioquin postea tumultus earum vix poteris euadere. Post officium etiam stude seruare in deuotione quam concepisti, nec statim effundas te ad inania. Si autem non habes interius deuotionem, saltem conserua disciplinam & morum grauitatem humiliter exterius, propter reuerentiam Dei, & aliis in exemplum. Augustinus in regula: Orationibus instate horis & temporibus constitutis, in oratorio nemo aliud agat nisi id ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Benedictus in regula: Vbique credimus diuinam esse præsentiam, & oculos Dei in omni loco speculari bonos & malos, maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus cum ad opus diuinum assistimus, ideo semper memores simus quod ait Propheta: Seruite domino in timore. Et iterum: Psallite sapienter. Et iterum: In conspectu angelorum psallam tibi. Ergo consideremus qualiter oporteat in conspectu diuinitatis & angelorum eius assistere, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.

Cap. VII.

Quomodo se frater habere debeat in dormitorio.

IN dormitorio esto quietus, ne aliquis per te inquietetur, siue orans siue dormire volẽs. Quotiescunq; euigilaueris statim occurrat tibi memoria Dei cum gratiarum actione, quia ipse vigilat super nos quando dormimus, vt custodiat nos. Quando dormire vis, prius intende Deum, orando vel meditando de Deo, vt ita in hac occupatione obdormias, & tunc somnus erit tibi dulcior, & euigilabis deuotior, & surges alacrior, & facilius redibis in eandem deuotionem in qua ante somnum fuisti. Et licet dormienti non esset imputandum quod nesciens facit vel patitur, tamen indecens esset religioso homini, ita totum obrutum esse somno sicut pecus, & iacere disiunctis membris, & manibus in sinum retractis, cum propter hoc totum maxime vestiti dormiamus, simus cincti, vt non habeamus facultatem circumducendi manus hac & illac in nudo corpore, & vt magis parati simus ad orationem. De quantitate autem somni hoc teneas, scilicet vt & membra & sensus ex quiete somni reficiantur, & ex nimio tempore somni corpus nõ reddatur pigrius, & animus tepidior, & sensus obtusior. Vnde Cato: Nam diuturna quies vitijs alimenta ministrat. Vnde Christus dormientibus discipulis dixit: Sufficit, surgite & orate, Vbi sufficientiam, non nimietatem Apostolis concessit.

Cap. VIII.

Qualiter se habere debeat in capitulo.

IN capitulo non multum loquaris, nisi valde vtile sit, & hoc humiliter & mansuete. Culpam humiliter dic, & correptus valde mansuetè responde, nec excusa te quando corriperis. Si de consilio interrogaris, liberè & humiliter dic quod tibi videtur expedire, si non concipit consilium tuum, non sit curæ, nec velis pertinaciter defendere sententiam tuam, sufficit tibi satisfecisse conscientiæ tuæ. In accusationibus non sis anxius, dic tamen quid scis esse factum contra regulam & ordinis instituta, sine odio alicuius, & verbis mansuetis, & vultu placido, & quod nescis non tenetis. Noli opinando accusare, quia opinio sæpe fallit, ille qui tibi dixit quæ ipse nescis, dicet per se si verum est, & si præsens non est, tunc nec tu potes probare, cum testimonium non habeas. Non graueris pro accusationibus tuis, sed tantum humiliter dic culpam tuam si vera sunt, vel parua, quia maior confusio tibi surget si procaciter te excuses, quam si humiliter confitearis, si vero grauia essent, & non vera, maximè quæ possent alios scandalizare, tunc humiliter petita audientia, indica eis paucis verbis & modestis quod non sis tibi conscius de quibus accusatis. Seruus Dei non debet confusionem ab hominibus curare, vbi conscientia non accusat coram Deo, sed sustinere patienter quidquid voluerit eum Deus sustinere.

Cap. IX.

Quod libere debeat frater dicere culpam suam.

COnsuesce vbicunque à superiore corriperis, siue in capitulo siue extra, quod statim flexis genibus dicas culpam tuam. Hæc est lex antiqua religionis à sancto Francisco & aliis sanctis tradita. Et tu debes studere vt sicut tibi ordo à senioribus tuis traditus est, ita etiam & tu tradas cum posteris tuis quantum in te est verbo & exemplo, nec aliquam non bonam consuetudinem inducas vel dicas, nec aliquam bonam & vtilem consuetudinem in negligentiam & incuriam dilabi permittas, in te ipso & in aliis in quibus cum modestia potueris persuadere: quicunque enim aliquod exemplum relinquit aliis siue malum siue bonum, particeps imitatorum suorum erit in supplicio siue in præmio. Esto semper sub tali rectore & magistro, vel si talem habere non potes, tu ipse tibi magister esto, sic strenuus, vt ad huius formulæ regulam viuere compellaris, & in nullo tuæ propriæ voluntatis libertati relinquaris, puer enim qui dimittitur voluntati suæ, puerili lasciuia confudit matrem suam, id est, religionem. Et si quis contrarium lasciuiæ docere arguendo præsumpserit, singularis superstitionis improperium sustineat, & quasi qui nouum ordinem & insolitum morem inducere velit, vt delirus & vanus irrideatur, & onerosus fiat omnibus, & tamquam temerarius iudex aliorum actuum, persecutiones amarissimas patiatur, hic qui desiderat religionem ad statum debitum reformare. Nimis enim remissum regimen nutrit vitia in subditis, & religionem confundit, id est, ipse sibi qui talis est damnationem acquirit. Sed peruersi nec volunt corrigi, nec patiuntur alios apud se fieri meliores, & si quis contrarium eis fecerit corridendo, singularis superstitionis improperium sustinebit. Nec hoc timeatur, cum nullus sanctorum singularis gloriæ factus est in cœlo, nisi qui inter homines hic studuit esse in sanctitate vitæ singularis. Vnde sicut mali non dimittunt consuetudines suas noxias propter nos, sic non oportet nos bona &

A vtilia studia abijcere propter illos, quia si volunt ad vitam æternam peruenire, oportet eos nobiscum vitam Domini non suam ambulare. Nam qui leui flatu deijcitur, quomodo stabit à vento maximæ tempestatis? Semper aliquid tecum fer in memoria quod de Deo rumineris cogitando, & mentis tuæ intuitum semper in eum defigere stude, sicut docet Propheta: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear: & ex sacrarum scripturarum deuota lectione, sedula oratione, & bonarum actionum humili executione, Psal. Qui hominibus placent confusi sunt, id est, qui placere volunt, nisi præueniant faciem Domini humili confessione, forti satisfactione, & seriosa emendatione.

Cap. X.

Quod libenter seruiendum sit admissas.

B AD missas libenter ministra, quia hoc est officium angelicum, ipsi enim domino suo vbique deuotissime ministrant. In hoc ministerio multiplex fructus est, primo boni operis exercitium est, secundo opus charitatis est, quia proximum promouens in bono; tertio opus deuotionis est, quia Deo appropinquans in oratione: quarto opus angelicum est, cum quibus ibi Deo præsenti ministras sicut illi. Ex hoc etiam familiariores erunt tibi sancti angeli, quia eorum cooperator es ibi. Et hoc non solum sacerdos cui ministras specialiter tenetur orare pro te, sed & omnes circumstantes quorum vices geris, imo tota ecclesia vbique terrarum, quia tu geris vicem omnium fidelium, qui domino suo de cœlo venienti, cum deuotissima gratiarum actione deberent ministrare, si possent adesse. Et vix potest fieri quin aliqua specialis gratia remuneret eum, etiam in præsenti, qui deuote & libenter ministrat ad illud sacratum, quo nihil sanctius nec melius potest esse in cœlo & in terra, & quod est quodammodo præcipuum

C indicium diuinæ dignationis & dilectionis ad hominem. Nihil enim minus videtur Deus facere in eo quod quotidie de cœlo dignatur descendere super altare, quam cum de cœlo descendens humanam naturam homo factus assumpsit. Et ideo reliquit nobis in hoc memoriale totius dilectionis suæ ad nos, & quasi quodam compendio omnium beneficiorum suorum memoriam, sci. incarnationis, redemptionis, glorificationis, certificationis, atque eorum figuram inclusit, sicut patet his qui diligenter considerant huius sacramenti institutionem, celebrationem, & perceptionis fructum. Vnde salubre est eis sæpe communicare, qui cum deuotione & studio virtutum, & custodia sui, non solum à magnis peccatis, sed etiam à leuitatibus verborum, operum & cogitationum se ad hoc student aptare. Licet enim omni tempore debeamus esse solliciti de omnibus quæ bona sunt, tamen maxime conuenit cum ad susceptionem Christi nos præparamus, vel susceptum nobiscum habemus.

D

Cap. XI.

Quod sæpe debeat confiteri peccata sua.

SÆpe confitere, ad minus ter in septimana, & simpliciter, sicut angelo qui secreta cordis tui nouit, non obducas velamina excusationis, vel alleuiationis, nec implicite, quod confessor non intelligat quid notes, specifica ei quid feceris: historias autem & facta aliorum noli recitare, vbi non est valde necesse. Quidam solent longas historias recitare ad singulos articulos. Quod recolis te fecisse à tempore à quo maxime confessus es, dicas breuiter & pure, & noli longum tractatum texere cuiusdam generalis & affirmatiuæ confessionis, quia generatur tædium confessori; ista enim in oratione tua poteris Deo confiteri quotidie, & defectus tuos ei exponere, quos sentis in singulis virtutibus, & ab eo remedium miserationis postulare. Parum etiam valet confessio, nisi proponas tibi de cætero cauere quæ confiteris, & studeas te emendare.

Cap. XII.

De disciplina seruanda in mensa.

E IN mensa noli hinc inde respicere, ita quod nescias quis in latere tuo sedeat, vel quid faciat, vel quid coram se habeat, tibi soli intentus esto & Deo, vel lectioni. Cum disciplina comede non cum impetu, quasi non possis saturari, nec effundas te totum super cibum sicut canis famelicus. Nec vagetis oculis & inquieto corde circumspicias quid sit in mensa dulcius, nec tam quæras satiare oculum quam palatum, sed cum gratiarum actione sufficiat tibi quod habere potes, & semper velis penuriam aliquam sustinere quam abundare. Nihil spernas quod tibi apponitur, nec indigneris si aliquis defectus in condimento vel sale vel coctura, sed cogita quod multi meliores te multo

F vilioribus & paucioribus sunt contenti, qui quod tu abijcis, pro magnis delitijs acceptarent. Paupertas Christi familiaris amica placeat tibi in omnibus, ipsam pro summo ornatu amplectere in mensis, in cibis, in vestibus, in vtensilibus, in libris, in ædificiis & in omnibus vitæ. Attende quam humiles gestus pauperes in motibus habent, quam supplex responsum, quam pauidum animum habent. Nunquam audiatur de te aliqua querimonia pro aliquo defectu tuo, vel cibi, vel de vili vestitu, reputat te indignum etiam his quæ habes, quia defectus exterior crescit in augmentum gratiæ interioris, & in diuitijs bonæ conscientiæ è conuerso, exterior abundantia interiorem inopiam generat. De mensura vero comedendi, difficile est certam dare regulam, nisi vt inter ista duo medium teneas, ne ita parum comedas vt in viribus deficias, & à communi labore frangaris, & iterum ne ita multum comedas seu sumas vt post cibum non possis orare & legere, & agilis esse ad ea quæ expediunt. Inter ista propria experientia melior magistra est eum deuota voluntate.

G

Cap. XIII.

De discretione laboris.

VIrtuti vicinius est, cum non potest medium custodiri in ministrando corpori necessaria, vt puta de somno & de aliis quæ vult corpus, si ex bono voluntatis feruore, necessitati corporis aliquid amplius interdum subtrahitur, quam si ex tepore cordis carnis vitia, quasi sub discretionis pallio, inpinguato corpore nutriantur, iuxta illud: Melior est iniquitas viri quam mulier bene faciens; hoc est, Melior est qui per cœleste desiderium accensus, carnem, etiam necessaria sibi subtrahendo, affligit, quam qui per carnalem affectum resolutus, per omnia quæ commoda sunt ei satisfacere intendit, vt dicit Augustinus de spiritu & anima, vbi accipitur vir spiritus, mulier vero caro. Et licet hoc bonum sit & aptum ad profectum spiritualem, tamen caute hoc faciendum est, ne corpus deficiat in via,

H antequam ad metam perueniat, & vt possit sequi conuentum sine murmure, & communem ordinis rigorem cum cæteris. Quia qui post te venient ad ordinem, non attendunt quid ante laboraueris, sed solum respiciūt qualiter eis exemplum præfers in præsenti, in laboribus, in cibis, in vigiliis & in aliis obseruantijs ordinis, in quibus sibi volunt suos seniores præire: aliquando scandalizantur in ipsis, & imitari eos incipiunt parcendo corpori plusquam expediat, non enim attendunt quid intus boni promouerint, sed tātum quid exterioris rigoris ostendant. Deuotionem Deo debes intrinsecus, bonum exemplum proximo exterius: Vt ergo vtrumque congrue possis exhibere, discretio necessaria est, per quam & corpus prudenter castiges, ne aduersus spiritum rebellet, & rursum discrete foueas, ne sub sarcina corruat, & spiritualem profectum præ nimia debilitate impediat.

A

Cap. XIV.

De obsequiis communibus.

AD communes labores & ad humilitatis officia esto paratus, in coquina, in ecclesia, & in aliis officinis, & maxime ad illa obsequia quæ alij pro sua vilitate quasi abhorrent, vt ligna portare, domum scopare, ollas & alia vtensilia purgare, paleam vbi fuerit necesse deferre, & fratrum tunicas excutere, pedes lauare, & nunquam à bono otiari, quia si tepidi fuerimus, incipiet nos Deus euomere de ore suo, & de cõsortio suo, de plebe sancta sua, eo quod nec frigidi sumus nec calidi. Vigilate ergo fratres, dicit Augustinus, deponentes otiositatem in cunctis, quid enim est otium nisi viui hominis sepultura? Hoc enim frequenter bonorum conuentus destruxit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans in eis zizaniam,
B generans in eis homicidia, & omnia quę sunt carnis opera, fugite ergo otiositatem, quia in seruis Dei nihil peius reperitur. O fratres mei semper vos occupatos esse desidero, vt granum salutis per gratiam accipere mereamini. Hanc cupiens fugere sanctus monachorum pater Antonius, clamauit in eremo ad Deum & dixit: O Samaritane domine Deus meus, ô animarum & corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde seruo tuo misericordiam tuam, vt collocatus in conspectu tuo otiosus nõ maneam; & audiuit Antonius, Antoni cupis Deo placere, ora, & dum orare non poteris, manibus labora, semper aliquid facito, fac quod in te est, age quod potes, & non deficiet auxilium de sancto.

Cap. XV.

De amore cellæ.

IN cella libenter esto, & aliquid semper in ea age quod
C ædificet te, vel quod à maiore tibi iniũgitur. Nam tam voluntarius esse debes ad obedientiam, quod etiamsi omni hora tibi præfigeretur quid facere deberes, libenter acciperes, & quod in tantum tui iuris non esses, quod nec verbum loqui, nec ad aliquas necessitates proprias ire sine licentia libertatem haberes, sicut olim sanctos in Ægypto & alibi legimus vixisse, quorum si cupimus gloriam adipisci, imitemur virtutem. Augustinus sermone tertio ad fratres in eremo loquens dicit: Silentium fratres charissimi inter cætera vobis in eremo summe necessarium est. Omne enim quod non ædificat in periculum vertitur dicentium & audientium. Lingua vestra sensum vestrum sequatur & rationem, non voluntatem. Non tantum debemus oculos clausos seruare, sed & linguas nostras infra dentes seruare illæsas, sermo enim vanus, vanæ conscientiæ index est, qualis enim es, tales sermones loqueris, talis & mens comprobatur. Qualis fueris in factis, talis probaberis in verbis. Stultus enim valde est, qui non prius ducit
D verbum ad limam rationis, quam educat ad linguam oris. Qualis est enim homo in mente, talem depingit verbositas in ore. Verbositas hominem ducit in ioculatorem, humanę naturę dignitatem deponit, honores rapit, inimicos infinitos acquirit. Inflammat denique linguæ mobilitas in adolescentia ad odiosa, in virili ætate ad fraudulenta, sed in senectute ad detractoria. Restinguenda est igitur hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam, surculus ne crescat in syluam, gutta ne tumescat in fontem. Maius denique fratres est linguam frænare quam capere ciuitatẽ, quia illud insultat exterius, sed istud interius, hic sumuntur arma contra semetipsum, sed ibi de alieno. Summa tamen verecundia est & depressa deiectio, non posse linguam frænare, & vile non posse ligare membrum. Ecce lingua egredi quærit, motum perquirit, tu veto ô monache per temperantiam ipsam refrena, appone ei pessulum rationis, circumcide eam maturitate discretionis. O lingua, periculum immittis, tu luctũm producis, concordiam tu sæpe frangis, ventum detractionis sæpe paris, ad infernum qui tibi se credunt conducis. O monache cognosce
E linguam nequam, fuge eam & confunde eam si potes. Sed volo instruere linguam tuam bene loqui. Vis bene loqui? Da ei pastum moderatum, pretiosa enim lingua non nouit nisi diuina verba semper construere. O quam sanctum est os vnde cœlestia semper erumpunt eloquia. O monache considera te rationem redditurum de omni verbo otioso, & tanto magis quanto minus mundo es obligatus. Non enim in foro sed in cella habitare debes. Non est igitur tibi necesse multum loqui, nec inter homines conuersari, nec mercantias pertractare vnde viuas. Nam mercantiam in monacho vsuram occultam æstimamus. Ama igitur ô monache solitudinem, fuge multitudinem, ne comprehendaris in verbo, ne confundaris in facto. Et si interrogatus fueris, melius est ad singula breuiter respondere, quam diutius immorando, verba curiosa prolixius extendere. Verbositas enim quid aliud est quam semen quod fructũ non facit? Verbose verbose erubesce & considera tam grandem miseriam, quid enim aliud es quam sal infatuatum, quod ad nullum valet condimentum, vere infructi- F
feros facis qui te audiunt. O verbose mendax, qui veritatẽ dicere raro nouisti. O loquax cognosce te ipsum, non loqui erubescis, nec consideras quid, sed quantũ dicere possis, non mensuras verborum sententiam, sed vt lauderis. O verbose erubesce, quia non cognoscis quid agis, nam tua conditio est occulta manifestare, nota in conuentib. prædicare, sed si nescis, somnias inaudita, fingis scire quod nescis, vt libenter audiaris à cunctis. O artifex nundinarum ô faber fabularum, lege quod dicitur, Vir linguosus non dirigetur super terram, nec dirigetur in terra promissionis. O monache & tu diligenter attendas, nam qui non refrænat linguam suam, huius vana religio. Qui non custodit linguam suam monachus non est: qui autem moderatur linguã suam, prudentissimus monachus est. Eia ergo fratres mei, amate silentium, ponite custodiam ori vestro, estote solitarij in cella, vt sitis angelis sociati: estote rustici, vt sitis ciues sanctorum, & domestici Dei, estote muti, vt sitis loquaces, loquimini Deo vt sitis veraces, contemplamini in eremo, vt contemplemini à sanctis in cœlo, eleuate ca- G
pita vestra, vt eleuemini corde, extendite brachia, vt extendamini toto corpore volantes ad cœlum, ad quod nos perducat Christus Iesus.

Cap. XVI.

De lectione sacræ sacræ.

LEge sanctorum vitam & doctrinam vt ædificeris, vt in comparatione eorum humilieris, vt instruaris, & accendaris ad deuotionem, prouoceris ad studium virtutum, vt etiam informeris intellectu scripturarum, & illumineris ad fidei intellectum, vt scias discernere verum à falso, bonum à malo, vitium à virtute, & remedia vitiorũ, tentationum curationes possis intelligere. Non legas ad hoc vt doctior efficiaris, nec causa curiositatis legas, quæ non ædificant, quia vana lectio vanas generat cogitationes, & extinguit mentis deuotionem. Vnde August. serm. H
38. de legendo sacram scripturam dicit in hæc verba: Scriptum est enim charissimi quod Moyses posuit in tabernaculo labrum æneum, in quo lauarentur Aaron & filij eius cum ingrederentur sancta sanctorum. Ideo attendite, quia quidquid sub lege antiqua in templo Dei ædificabatur, aliquid futurum præfigurabat, quoniam Ecclesia nostra sub figura regebatur, sicut ait Apostolus: Quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Non enim sãcti patres curassent hæc & tanta scripta memoriæ commẽdare, nisi vt legentes alios per exempla ædificarent. Legite ergo fratres mei scripturam, legite eam ne cæci sitis duces cæcorum. Legite sacram scripturam, in qua quid tenẽdum quid fugiendum plene inuenietis, legite eam, quoniam omni melle dulcior, omni pane suauior, omni vino hilarior inuenitur. Apprehendite eam, & inuenietis quomodo Deus Deorum sit longitudo propter æternitatem, quomodo sublimitas propter maiestatem, quomodo profundum propter sapientiæ profunditatem. Quærite sacram scripturam, & inuenietis quomodo iste Deus

Deus Deorum natus est ex Maria virgine & homo factus est, quomodo nos amat vt charitas, quomodo monet vt veritas, quomodo sedet vt æquitas, quomodo dominatur vt maiestas. Legite sacram scripturam, & inuenietis quomodo iste Iesus Nazarenus regit vt principium, quomodo tuetur vt salus, quomodo operatur vt virtus, quomodo reuelatur vt lux, quomodo assistit vt pietas. Ideo fratres mei quamdiu in hac infirma & vana vita fuerimus, hanc sapientiam discere & sapere tota mente curemus. Quid enim homo sine litteris reputatur, quid enim est, nunquid pecus vel hædus, nunquid bos vel asinus, nunquid equus vel mulus, quibus non est intellectus? Eia fratres charissimi, qui pastores rationabilium ouium nuncupamini, festinate rapere, non sophismata paganorum nō carmina poëtarum, non fabulas philosophorum, de quibus doctores & auditores sunt reddituri rationem, sed illam dulcissimā sapientiam sapientiarum, quę hęreditas Dei & filiorum eius chara possessio nuncupatur. Hæc est illa doctrina super omnia diligenda, quam Prophetæ prędixerunt, quam Patriarchę diuinitus hauserunt, quam Dei filius postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, aperuit & declarauit, & quid tenendum & quid vitandum est, apertissime demonstrauit, & per suos Apostolos nos ipsam docendo illuminauit. Hæc est quæ docet nos amare cælestia, & terrena despicere, hæc est mater fidelium quæ nos quotidie docet quomodo credamus Deum omnipotentem, quomodo ipsum videbimus in sede maiestatis venientem, quomodo bona bonis, quomodo mala malis tribuet. Hæc est lucerna pedum nostrorum & via salutis nostræ, in qua instruimur quomodo Deum primo præ omnibus diligamus, quomodo animam nostram postmodum animam proximi sicut quid propinquius, quomodo postmodum corpus proprium, quomodo postmodum corpus proximi velut nostrum diligamus. Hæc est illa sacra scriptura & sapientia quæ ex ore altissimi prodijt, philosophis abscondita, sed grossis & rudibus piscatorib. reuelata. Nūquid & paruis hominibus hodie reuelatur? Hæc est enim doctrinarum & sapientiarum magistra & domina, quæ etiam nos docet exterius blandos & interius fraudulentos cognoscere. Hæc est illa scientia scientiarum, angelorum ferculum, archangelorum pulmētum, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum spes, Martyrum corona, virginum pulchritudo, monachorum refectio, Episcoporum vacatio, sacerdotum cellarium, puerorum principium, viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum resurrectio, & viuorum sempiterna protectio. Hęc est per quā fide ordinamur, spe confirmamur & charitate roboramur. Hęc est quā qui inuenerit inueniet vitā, & hauriet salutem à domino. Hæc est labrum vel peluis quam Moyses posuit in tabernaculo, in quo lauaretur Aaron & filij eius, cum ingrederentur ad sancta sanctorū. Sed dices quid per magnum sacerdotem Aaron intelligere debemus, & per filios eius. Dico vobis ô fratres mei, ꝙ per Aaron summum sacerdotem intelligere debemus, & p filios eius alios sacerdotes minores: & per labrū legem Domini intelligo, in qua omnes sacerdotes, tam magni quam parui, studendo, corda nostra per compunctionem mundare debemus, & ad sancta sanctorum, id est, ad secreta Dei & scripturarum per purificationem ingredi, vt Deum inueniamus. Et ideo fratres mei attendite, quod ideo vas paratum habemus, in quo oportet mentis fœditatem abluere, & munditiem mentis in eo præparare. Ecce enim lex sancta & scriptura immaculata parata est vt virtutibus decoremur. Sed væ nobis, deberemus esse exemplum veritatis, & sumus exemplum erroris. Vnde hoc, nisi quia idiotæ sumus, ignorantes legem, & etiam legem fastidimus, & tamen cathedram & curam animarum gerere quotidie procuramus. Quid ergo mirum si dux cæcorum est & cadit sacerdos, qui non subleuat delinquentes, qui legem Domini conculcauit & despexit vt mortem? Sed quid dilexit, quid procurauit, quid toto affectu concupiuit? Vxorem vel concubinam tenere, equos velut miles in stabulo possidere, canes pro veneratione nutrire. Etramen velut equus & mulus quibus non est intellectus cupit honorari in cœnis, & ab hominibus vocari Rabbi. Ecce quomodo cadit sacerdos, ecce quomodo viuit. Sed si ceciderit qui sibi columna videbatur in templo, quanto magis populus peribit. Si Deus in angelis reperit prauitatem, quanto magis in his qui inhabitant domus luteas, & qui terrenum habent fundamentum. Discite ergo legem sacerdotes, ne surdo maledicatis. Tunc surdo maledicitis, quando consilium propter ignorantiam dare nescitis, tunc vero cæco ponitis offendiculum, quando falsa pro veris ostenditis. Itaque fratres nolite iam pigrescere, sed legite scripturam, discite eam filioli, sæpe legite eam, quia lenior oleo, auro sublimior, putior argento. Hæc est quæ præcipue DEVM prouocat diligere, corda illuminat, purificat conscientiam, animam sanctificat, fidem confirmat, animas frigidas calefacit, lumen scientiæ ostēdit, tenebras ignorantiæ expellit, iustitiam sęculi extinguit, lętitiam spiritus sancti accendit, sitienti potum tribuit. Hæc est scriptura sancta, lex nostra immaculata, quæ de insipientibus sapientes facit, primos de nouissimis ponit, de minimis magnos efficit, nobiles de ignobilibus commutat, naturā frænat, prohibet leuitatem, temperat dolorem, confert spem, coronat senem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, instituit errātes, sanat ægrotos, roborat infirmos, brutos facit sensatos, mentis stabilitatem donat, somnolentos excitat, otiosos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, reges humiliat, humiles exaltat, rectas vias indicat, eleemosynam imperat. Hæc est scientia scientiarum quæ sapientiam dat, gloriam exaltat, honorem multiplicat, humilitatem leuat, superbiam cassat, charitatem obedientiam & mansuetudinem docet, & intellectus bonus est omnibus facientibus & diligentibus eam. Hæc est quæ abstinentiam castitatem largitatem & volūtariam paupertatem seruat, postremo doctrinam omnibus, felicitatem, suauitatem, gaudia stabilitatem cordis, & sobrietatem, & compunctionem veram, & humilitatem & charitatem fraternam implet, domini timorem accendit. Quamobrem fratres mei, qui hanc sapientiam diligit, & diligenter legem implet, maximus vocabitur in regno cælorum, & principatum Ecclesiæ possidebit, & præmia & munera pretiosa recipiet in die nouissimo.

CAP. XVII.

De prædicatione.

NOn affectaris fieri prædicator vel confessor, quia si dignus fueris, Dominus vocabit te ad hoc, si autem indignus & non idoneus, erit tibi confusio maior quod te ingesseris. Inde est quod aliquando paruum fructum consequimur ex prædicationibus nostris vel confessionibus, quia non vocati à Deo veniunt, & non missi currunt, prius volentes fructum facere in aliis, quam in se fixerint radices virtutis, & ideo fructus eorum non est durabilis, quia immaturus prodiit. Hinc est quod in Leuit. 19. legimus: Cum ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum, poma quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex his, quarto autē anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis domino, quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Arbor plantata in terra, est homo in religione positus, qui fructus salutares proferre debet in aliis tempore opportuno, si autem intempestiuos fructus protulerit, immundi reputantur, id est, inutiles ad fructum spiritualem propter præsumptionem. Primus annus est vera pœnitentia de præteritis peccatis. Secundus autem est perfecta cōuersio emendationis. Tertius annus est longus iam vsus bonæ conuersationis. Quartus annus est, pro bono opere laudes & humanos honores contemnere & fastidire, & gloriam solius Dei quærere & animarum salutem. Quicumque ante hunc annum se ingerit, vt curam & fructum animarum proficiat, nec Deo erit acceptum, nec sibi meritorium, propter leuitatem & voluntatem, nec aliis erit proficuum. Post hunc vero annum, id est, quinto anno, putæ charitatis comedes fructus, & congregabis poma, quia tunc prædicatio erit fructuosa in aliis, & sibi meritoria, vt comedat fructus in vitam æternam. Hæc

A dixi vt videas quibus & quando sacra scriptura consulat officium prædicationis. Stude prius teipsum componere exterius in bonis moribus, interius ordinate in sanctis affectionibus & cogitationibus, tunc demum vtiliter procedes ad alios in sana doctrina; quia nemo præsumit docere ante aliquam artem, quam non prius bene didicit. Scriptum est quod non debemus loqui sublimia tamquam sapientes mundi, nec plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.

Cap. XVIII.

De disciplina custodienda.

NVnquam ita securus sis vel absconsus, quin ita disciplinate & ita caste habeas te in omnibus, in visu, in tactu, in gestu & in aliis, vt si videaris ab aliquo, quia sancti Angeli qui nobiscum sunt semper vident omnia quæ
B facimus, quorum aspectum debemus vbique vereri, & eorum præsentiam reuereri. Videt etiam nos Deus & iudex noster. Videt etiam nos conscientia ipsa nostra, testis eorum quæ facimus & accusatrix. Qui autem magis veretur hominis aspectum quam Dei & conscientiæ suæ & angelorum, non est castus amator boni, quia non declinat à malo ex amore veri boni, sed ex timore detrimenti temporalis honoris. Talis non est verus Christi seruus, qui hominibus cupit placere, magis quam Deo, cum enim plus doles te displicere, illi etiam plus affectas placere, nemo autem potest duobus dominis seruire.

Cap. XIX.

Qualiter se nouitius habere debet inter fratres.

INter fratres exhibe te verecundum gratiosum & modestum, affabilem & dulciter seriosum, & vt disciplinam conserues, & tamen ex austeritate non sis aliis one-
C rosus, iocos dissolutos nunquam exerceas, nec verba scurrilia alicubi proferas, nec libenter audias: nam quod te delectat audire, si auderes etiam libẽter ipse proferres. Seruus autem Dei ita castus debet esse in omnibus factis suis & verbis suis, vt non tantum horreat ea quæ indecenter sonant, sed etiam quæ norent turpia, licet sint palliata aliqua honestate.

Cap. XX.

De verecundia amplectenda.

OMnes gestus & mores tui, sermo & aspectus & incessus, tali humili verecundia debent esse colorati, vt nihil in te appareat elatum vel pomposum, vel audacia vel præsumptione notabile. Verecundia enim est maximus decor in religione, præcipue in iuuenibus, ita vt qui eam postponit, vix aliqua spes est de eo quod fiat aliquando
D virtuosus: sicut enim timor Dei hominem componit & ordinat intrinsecus ad bonitatem, ita verecundia componit exterius ad disciplinam. Nemo sit tibi ita familiaris coram quo penitus obliuiscaris verecundiæ. Tamen quando impediret te in his quæ expediunt & necessaria sunt, tũc premenda est, non tamen abijcienda nec extinguenda quasi vitium, sed regenda & ordinanda in virtutem, sicut & aliæ affectiones naturales, Tullius: Sine verecundia nihil rectũ esse potest nihil honestum. Valerius: Verecundia parens est omnis honesti consilij, tutela solemnium officiorum, magistra innocentię, chara proximis, accepta alienis, omni loco & tempore fauorabilem præferens vultum. Benedictus: Verecunda modestia, & modesta verecũdia est, quę nulli insidias machinatur, læsa non irascitur, & cunctos simpliciter inspiciens, de nullo sinistrum aliquid suspicatur, facit vt homo inter homines pacifice viuat, & ad omnia quæ inhonesta sunt erubescat.

Cap. XXI.

De incessu & ambitione.

E INcessus tuus sit maturus, non leuiter curras sine necessitate, nec multum erectum geras caput, sed mediocriter, nec vageris oculis, nec brachiis ventiles, nec aliter more sæcularium incomposito incessu gradiatis, sed plano & humili modo, quasi à deuota oratione exieris. Vnde Augustinus in regula dicit: In incessu, in statu, in omnibus vestris, nihil fiat quod cuiusquam aspectum offendat, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Cap. XXII.

De sedendo.

F DE sedendo, non pigriteris in latus reclinans te, nec crura longe extendas à te, maxime præsentibus aliis, sed cum omni disciplina & honestate te ad alios habeas, ne aliquis à te vexetur vel turbetur. Benedictus in regula: Transeunte maiore minor surgat & det ei locum sedendi, nec præsumat iunior sedere, nisi ei præcipiat suus senior, vt fiat quod scriptum est: Honore inuicem præuenientes.

Cap. XXIII.

De risu moderato, & cachinno vitando.

RIsus tuus moderatus sit & rarus, sine cachinnõ, benignitatem magis ostendat quam dissolutionem. Stude vultu esse serenus, non turbulentus vel indignabundus. Non etiam sis facilis ac promptus in risu, quia scriptum: Stultus in risu exaltat vocem suam, Ecclesiastici 21.
G Vnde beatus Benedictus in regula: Faciamus quod ait Propheta, Dixi custodiam vias meas, posui ori meo custodiam, obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Scurrilitates vel verba otiosa & risum mouentia æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium aperire os non permittimus.

Cap. XXIV.

De loquela communi.

VErba tua bona sint, & responsio humilis sine compunctione amaritudinis, vel obliquæ redargutionis vel irrisionis. Sic forma verba tua ad alterum, sicut tu non haberes pro malo ab altero. Sic loquere de absente, ac si scires eum prope assistere & auscultare. Non timeat quisquam quod in absentia sua famam ipsius in aliquo denigres. Magnum vitium est in religioso aliquid de absente loqui quod erubesceret loqui si audiret. Caueas igitur tibi
H de multiloquio, in quo non effugies peccatum & alibi: Mors & vita in manibus linguæ, & vir linguosus non dirigetur super terram.

Cap. XXV.

De detractione fugienda.

NOn libenter detrahas alicui, nec audias detrahere alicui, sed aut fuge detractorem, aut opportune cõpesce si potes, nihil enim prodest tibi, nisi aut grauaberis super illum de quo sermo est, aut super eum qui refert. Quære potius si aliquid possit inueniri laudabile in eo quod ædificet te & auditores, quia dicit Hieronymus: Qui detrahit occidit semetipsum, & alium qui detractionem audit. Ambrosius: Tolerabiliores sunt qui vestes aut alia bona nostra diripiunt, quam qui famam nostram dilapidant.

A

Cap. XXVI.

De vitando rumores.

RVmores nescias qui inquietant cor, & mentem distrahunt, & deuotionem exhauriunt, & tempus sine vtilitate consumunt. Et quæ scis non omnia effundas, quasi vas sine operculo, quod statim cum inclinatur, effundit quæcunque continet in se, & omni pulueri & immundiciei patet. Non sis libenter in turba, nisi tractetur de Deo, & de ædificatione animæ. Non sis clamosus in loquendo, nec impetuosus ad euapotandum quę intus tenes inclusa. Benedictus in regula: Reuertentes de via fratres, non præsumant quicquam referre de his quæ foras monasterium viderint aut audierint, quia plurima distractio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.

B

Cap. XXVII.

De non prodendo detractorem.

CAue etiam vt sicut tu nulli detrahis, ita tu non prodas detractorem apud illum cui detraxit, ne magis grauetur ex hoc contra detrahentem sibi, quam ex delatione tua mutetur. Potest namque esse quod illi qui dixit de altero verbum, non ita intendit derogare sicut forte iste suspicatur de quo dixit, & incitatur ad odium contra eum vel ad vindictam prouocatur, cum ille alius simpliciter non animo detrahendi dixerit, aut forte statim pœnituerit, proponens de cætero cauere. Si autem talia dicerentur de aliquo quæ omnino expedit eum scire de quo dicuntur, potes ei referre si vis, non exprimendo quis dixerit, vt sciat quid cauere debeat, & tamen contra nullum in odium exardescat. Augustinus: Talem indulgentiam vnusquisque accepturus est à Deo, qualem ipse dederit proximo.

C

Cap. XXVIII.

De iactantia cauenda.

IActantiam diligentissime caue, nec vlli vnquam des intelligere de aliquo quod in te est commendabile & laudabile, quod si etiam alij intelligant, & tu taces & abscondis, plus placebis, si prodis & commendas, irridebe ris & vilesces, & vnde prius ædificabantur in te, postea despicent. Maledicta, conuitia & mendacia, & leuia & friuola iuramenta, & omnia turpia verba, licet sint otiosa, ab ore religiosi perpetuo anathemate sunt arcenda. Vnde Iacobus: Si quis putat se religiosum esse, & non refrænat linguam suam, huius vana est religio. Gregorius: Deo placere non valet, quia amatoribus mundi displicere timet.

D

Cap. XXIX.

De verbis otiosis.

VErba otiosa vbicunque sint, fuge, quia licet non graue esse putentur peccatum, tamen eorum consuetudo generat continuo profectui detrimentum: & sæpe dũ quasi libenter relaxamus linguam in verba otiosa, dum non aduertimus, delabimur paulatim ad nociua, ex quibus oriuntur detractiones, turbationes, vel dissolutiones, vel graues conscientiæ corrosiones. Bernardus: Otiositas est magistra nugarum, nouerca virtutum, & omnium cogitationum malarum sentina. Gregorius: Per oblectamenta fabularum mens incitatur ad incentiua vitiorum.

Cap. XXX.

De loquendo libenter de Deo.

DE Deo libenter loquere & libentius audi, quia incitat cor ad studium virtutum, & affectum ad diligentiam deuotionis. Audi hilariter & pacifice bona quæ ab aliis dicuntur, nec disputa contra, sicut quidam faciunt, quando aliquid audiunt boni, ne ipsi ignorasse videantur bonum quod alter proposuit, statim volunt de hoc disputare, vt videantur & ipsi aliquid inde scire, non ad ædificationem sui, sed ad ostentationem apud alios, & ideo multæ bonę collationes inter religiosos negliguntur. Noli esse contentiosus in aliquo, cede cito, quia si bonum est & verum quod alter proponit, tuum non est resistere propter aliquam contentionem vel ostentationem, si autem non est bonum, melius corrigis eum pacifice aduertendo, & humiliter veritatem ei demonstrãdo quam acriter corrigendo. Gregorius: Quidquid de Deo dicitur, eo ipso indignum est quod dici potest. Augustinus: Cherubin & Seraphin non comprehendunt penitus quid sit Deus, quia nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.

E

F

Cap. XXXI.

De disciplina loquendi.

CVm loqueris, loquere voce remissa, vultu placido, moribus disciplinatus & quietus esse studeas, quidquid tunc loqueris magis authenticum exit & vtile. Non sis audax ad loquendum & promptus coram senioribus tuis, sed verecundus & humiliter auscultans doctrinam eorum. Seniorum est docere, iuuenum humiliter discere. Noli otiosus sedere, intendere rumoribus & fabulis. In hoc duplex malum contrahis perdis tempus inutiliter, & verecundiæ tuæ & humilitatis & tali consuetudine patieris detrimentum, insuper in hoc non bonum dabis alijs exemplum. Sollicitus ergo sis quid, qualiter, quomodo, quo loco & quo tempore loquaris.

G

Cap. XXXII.

De meditando de Christo Iesu.

IN omnibus autem virtutibus & bonis moribus, semper propone tibi illud clarissimum speculum & totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam & mores filij Dei Iesu Christi, qui ad hoc nobis de cælo à Deo patre missus est, vt præiret nos in via virtutum & legem vitæ & disciplinæ suo exemplo daret nobis, & erudiret nos sicut semetipsum, vt sicut ad eius imaginem naturaliter creati sumus, ita ad morum eiusdem similitudinem, per imitationem virtutis pro nostra possibilitate reformemur, qui eius imaginem in nobis per peccatum fædauimus. Quantum autem vnusquisque se ei in virtutibus imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in patria in gloriæ claritate propinquior & similior erit. Describe tibi in corde tuo mores eius & actus, quam humiliter se habuerit inter homines, quam benigne inter discipulos, quam modestus in edendo & bibendo, quam misericors super pauperes, quibus se similem fecerat, per omnia, & qui eius familia specialis videbantur, quam liber fuit à curis mundi, non anxius pro corporis necessitatibus, quam verecundus in visu, quam patiens ad contumeliam, quam mitis in responsis, quam nullum spreuit nec abhorruit, etiamsi esset leprosus, quomodo diuitibus non adulabatur, non studuit se vindicare verbo mordaci & amaro, sed blando & humili responso alterius malitiam sanare, item quam compositus in omnibus gestibus suis, quam sollicitus de animarum salute, pro quarum amore mori dignatus est, quomodo seipsum exemplum præbuit omnis boni, quomodo mulierum familiaritatem & colloquia euitauit causa exempli, vnde & discipuli mirabantur quando solus cum Samaritana loquebatur, eo quod insolitum in eo videretur. Itẽ quã patiens in laboribus & penurijs, quam compatiẽs afflictis, quomodo condescendit infirmorum imperfectioni, quomodo omne scandalum cauebat, quomodo peccatores non spreuit, & quam clementer pœnitentes suscepit, quam planus in omnib. fuit, quam studiosus ad orationem, quã promptus in ministrando, & ideo ipse dicit: Ego in medio vestrum

H

A vestrum sum sicut qui ministrat. Item, quam sobrius ad vigilias, quam obediens parentibus, quomodo omnem iactantiam, & omnem singularitatis ostentationem declinauit. Et multa talia ipsius acta in memoria tua prompta sint tibi vt in omnibus verbis tuis semper quasi ad exemplar respicias in eum, incedens, sedens, solus & cum alijs. Ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis eius gratiam & fiduciam assequeris, & in omni virtute profectior eris. Hęc sit sapientia tua & meditatio tua, & studium tuum, semper aliquid de ipso cogitare, vnde vel prouoceris ad imitandū eum vel ad amandum. Talia meditando & ruminando, tempus vtiliter expendis, & occuparis in bonis studijs diuinis circa ipsum Iesum Christum, & mores tuos emendas ad formam vitæ ipsius & conuersationis. In omnibus agēdis tuis semper ad ipsum respicias, qualiter in his se habuerit ipse, vel habere potuerit, secundum æstimationem tuam, qui in omnibus semper optimo modo & perfectissimo se gerebat, quia in omnibus semper optimus est.

B

Cap. XXXIII.

De ostentatione vitanda.

IN omnibus quæ facis caue vitium ostentationis & iactantiæ, esto planus in omnibus sicut decet religiosum & pauperem. Non cures curialem incessum vel gestus curiales, nec vocem curialiter frangas in cantando, quia si Deo cupis placere in cantando, tunc quanto purius cantaueris & simplicius, tanto ei magis places, si quæris auditoribus placere, inanis gloria est, si tibi ipse placeas, leuitas est: Si ædificationē auditorum in cantando quæris, quāto magis fugis vanitatem, tanto magis eos ædificas. Cordis deuotionem & puritatem Deus attendit magis quam vocis sonoritatem, facile enim clamabis ad Deum, prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Intentio tua in diuinis officiis magis debet esse ad hoc, vt ex verbis sacræ scripturæ elicias spiritualem intellectum & deuo-
C tionis effectum, quam vt curialiter exprimas notas cantus, vel vocem tubando exaltes, licet quidam religiosi stulta in hoc se arbitrentur obsequium præstare Deo. Quia si delectaret Deum vocum sonoritas, tunc & ipsa musicalia instrumenta, vel auium cantus eum demulcerent, quæ satis dulcia sunt suo modo. Puritas cordis & mentis deuotio, illa sunt in quibus Deus delectatur: de quo non est Deo curæ, de hoc & seruo eius non debet esse multum curæ. Sufficit tibi ad omnem curialitatem morum & vocis, & verborum & vestium, si nihil in te appareat quod offendat vel scandalizet intuentes, si nihil elatum, nihil lasciuum, nihil dissolutum, nihil turbidum in te appareat, vel singularitas in colore notabiliter in te videatur.

Cap. XXXIV.

Qualiter extra monasterium se debeat habere.

D DE eo qualiter te foras extra domum habere debeas. Cum aliquando te domum contigerit exire, id aliquamdiu differ, vt per hoc aduertas quod tardum te esse oportet ad egrediendum, nisi quando obedientiæ mādatum cogit, vel alia vtilis & rationabilis causa requirit. In domo enim consistere, & à turbis hominum absconditum latere, hoc tutius est religioso qui sibi intendere desiderat & Deo vacare. Quidquid deuotionis in domo colligis, hoc foras egrediens spargis potius quam augeas vel conserues, Vnde sæpe experti sumus tam in nobis quam in aliis, quod frequens exitus & conuersatio cum sæculo; & occupatio nimia exteriorum negotiorum, deuotionem mentis extinguit, feruorem spiritus tepefacit, forte propositum virtutis emollit, cor dissoluit, studium proficiendi debilitat, delitias docet amare, tempus sine fructu expendere, verba otiosa multiplicare, iocis & trufis intendere, orationes negligere, horas canonicas negligere, & tædiose cursum dicere. Et cum hæc non exhauriuntur per discussionem proprij status & puram confessionem, & nisi fortiter obstruantur rimæ per diligentem

E. custodiam, paulatim augentur, donec subito submergant homines in peccatum & confusionem. Hoc tamen non dico vt difficilem te reddas ad obediendum quando iuberis exire, sed quod non debet tibi esse consolatio euagari extra domum. Ita quod, quantum in te est, semper diligas magis Deo placere & latere, nisi obedientia vel vtilitas aliud requirant.

Cap. XXXV.

De custodia visus extra monasterium.

QVando vero domum egrederis, non multum circumspicias in plateis, ne forte videas vnde tenteris postea vel impediaris in oratione phantasijs eorum quæ respexisti. Dauid cecidit in culpam adulterij, ex incauto aspectu mulieris, quam forte nunquam ante concupiuit, nisi postquam incaute respexit. Oculi tui sint in capite tuo, F
hoc est cogitatio tua versetur circa Dominum Iesum Christum, qui est caput omnium membrorum Ecclesiæ, ita vt non consideres etiam quæ penes te foris sunt, nisi quātum necessitas viæ vel vtilitas requirit. Ita vt quantum vales talem te repræsentes qualis exiuisti, hoc est, ita deuotus, ita mundus corde, & ita vacuus rumoribus & amans silentium cellæ.

Cap. XXXVI.

Quomodo se debet habere in via cum fratre.

PEr terram autem vadēs pacificus esto cum socio, nunquam contendas secum de aliquo, etiamsi tu melius sentis quam ille, vel iustius noueris, sed cito cede & tace cum tranquillitate animi, quia contentionibus raro aliquis emendatur. Cogita, si tu inpacificus es in teipso, vix vel nunquam potes alium pacificare. Incipe prius à teipso, G
& tunc facilius alium corriges, quia quidquid turbatus turbatum doces, magis reputat te ex impatientia dicere vt eum pungas, quam ex maturo consilio vt eum fraterne erudias, magis autem ædificatur exemplo patientiæ quam quibuscunque rationibus quas ei proponas, virtus enim vitio non docetur, sic nec per impatientiam, potes alium docere patientiam, nec humilitatem per superbiam. Socialis esto in via, sed non dissolutus, ne orationis spiritum pro societate extinguas.

Cap. XXXVII.

De oratione & horis canonicis.

CApta hora ad orandum & meditandum, tam in via quam in hospitio, noli ex toto teipsum negligere, nec cogites quod velis differre quousque domum reuertaris, quia si nimis frigidatus fueris à feruore deuotionis, H
postea difficilius recuperabis. Hoc tamē non dico quod te possis foris in eadem grauitate & deuotione plene conseruare sicut in domo, sed vt scias metas ad quas studium tuum debes dirigere, quantum potes Deo auxiliante. Augustinus: Valde est leuis necessaria oratio, per quam Deus ad nos inclinatur. Moyses orabat in monte, & Iosue Amalech deuincebat, Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ & corporis adipiscitur, per orationem Paulus doctor gentium & prædicator orbis terræ factus est. Orate & nolite deficere, quia oratio locutio est ad Deum, quādo enim serui Dei legunt, sine dubio Deus eis loquitur, sed quando orant, suauiter cum Deo loquuntur. Orate in omni loco vt saluemini. Oratio facta est columna sanctarum virtutum, deitatis schola, viduarum marita, angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, coniugatorum leuamen. Beatus qui te amat, beatissimus qui te frequentat, beatus qui te astringit, sed beatior qui in te perseuerat, beatus qui ad te lachrymas fundit, quoniam holocaustum Deo sanctum & immaculatum eum offerre non dubitamus.

Cap. XXXVIII.

De bono exemplo.

INter homines, quantum in te est, caue omne quod potest esse eis non bonum exemplum, sicut decet fidelem Dei seruum, qui debet domini sui honorem promouere & inhonorationem cauere vt potest. Nos enim sumus familia ipsius, & sicut paterfamilias ex indisciplina familiæ suæ inhonoratur, ita scias quidquid nos facimus inter homines, aliquo modo redundat in laudem domini nostri Iesu Christi vel in contemptum. Et quia nos specialiter positi sumus inter homines vt ex nobis ædificentur, parum proficerent verba nostra, si non etiam ædificaremus bono exemplo. Et si non sumus ita perfecti vt possimus eis magna virtutum exempla ostendere, saltem caueamus omnia mala exempla quæ ipsi solemus in aliis religiosis reprehendere, videlicet ne rumores sæculares coram eis recitemus vel libenter audiamus, nec delicata fercula & etiam multa pro nobis fieri diligamus, nec nimis mollia vel pretiosa stramenta, nec iræ vel discordiæ scintillas emittamus, nec verba scurrilia, nec iocos dissolutos moueamus, & maxime ne auari pro muneribus ipsorum notari possimus, quia ex hoc cito vilescimus apud ipsos, si nos viderint ea ambire & amare & quærere, quæ contemnere nos eis prædicando hortamur.

Cap. XXXIX.

De fœminis fugiendis.

CAue etiam ne cum fœminis loquens vultus earum studiose aspicias, vel manus attrectes, vel nimis prope sedeas, nec leuiter eis arrideas, nec diligenter cum eis susurres, nec angelos ad colloquia earundem requiras. Quia hæc omnia, etiamsi nihil tibi cogitationis ingerunt, tamen non effugies notam suspicionis ab eis, & facile posses infamiæ maculam contrahere, quam vix postmodum detergeres cum pudore. Sic habe te cum omni fœmina ac si maritus eius vel prælatus tuus contra te sedeat, ac considerans & audiens omnia quæ facis vel dicis, vt quicunque superueniat & videat te cum ea loquentem, in nullo te sit necesse erubescere, nec aliquis possit tibi notam suspicionis impingere, Et si meum non spernis consilium, consulo vt nunquam aliquam familiaritatem singularem cum aliqua fœmina contrahas, etiamsi religiosa sit & sancta, quia pericula carnalis tentationis ex tali familiaritate sæpius incurruntur, dum non timetur malum quod latet sub specie boni, excepta etiam mala infamia & suspicione, quam alij ob hoc sæpe concipiunt. Magnam enim generat inquietudinem cordis talis priuata affectio, dum semper iste illi cupit ostendere dilectionem quam ad eam habet, & hoc ipsum ab ipsa vicissim desiderat sibi fieri, quod cum aliquando non fit, timet ille quod indignetur illa, & affectus eius ex hoc tepescat, & minus oret pro eo, & contra etiam illa turbatur, si viderit quod aliquam aliam benigne salutet, improperat ei quod aliam diligendo sibi præferat, ob hoc & irascitur vt iterum blandirijs placetur. Et multa similia fiunt vtrobique, quæ veræ sunt truffæ & contra Deum, & bonus homo non debet aliqualiter ista committere, nec cor suum cum talibus occupare. Oratio eius non potest tibi tantum prodesse, quantum potest te talis occupatio in spiritualibus studijs impedire. Ipsa etiam oratio talis ex affectione carnali insipida est Deo, quod autem carnalis sit ista dilectio ex magna parte, ex hoc potes intelligere, quod magis vellet te apud se minus esse perfectũ, vt posset tui sæpe copiam habere, quam longe à se plus perfectum, Quibus autem indiciis plene discernatur spiritualis dilectio à carnali, prætermitto modo, quia nimis retardaret nos in alijs, hæc sufficiunt tibi, quia si vis habere pacem cordis tui cum Deo, & honorem spiritualem inter fratres, tunc abscinde à te familiaritatem fœminarum, dilige communiter omnes bonas & deuotas, & in nullo exasperes aliquam earum, & meliores, in corde amplius reuerere, propter abũdantiorem gratiam in eis spiritus sancti, & breuiter & benigne saluta eas quando tibi occurrunt, quia non poteris bono modo declinare, cum maturitate te orationibus ipsarum similiter recommendes, si enim discretæ sunt, ex hoc magis placebis eis, si imperitæ, tunc melius est tibi non occupari ab eis.

Cap. XXXX.

De libertate cordis.

ESto tui ipsius, non des alicui potestatem cordis tui, nisi Deo & prælato tuo propter Deum. Esto ita expeditus in omnibus alienis affectionibus vel occupationibus, quod nulli prælato aliquando molestus sis pro licentia agendi vel exeundi, dandi vel accipiendi, vt ita libere arbitrio suo dimittas, quod ipse secure possit tibi dicere fac hoc & dimitte istud, & tu sine murmuratione cordis & difficultate facias vel dimittas: alioquin paruam posses habere fiduciam de merito obedientiæ tuæ quam vouisti Deo, in manus vicarij sui prælati tui, si tu propter impatientiam tuam vel importunitatem quasi cogeres eum licentiare tibi quo ipse vellet te libenter carere, tunc tu non intrares per ostium quod est Christus in ouile sanctæ religionis, quia ipse non venit facere voluntatem suam sed patris, & ita fur esses & latro, fur, quia rem alienam, hoc est voluntatem propriam quam prælato resignaueras eo inuito tibi vsurpares, latro, quia exemplo tali simplices necares.

Cap. XXXXI.

Epilogus omnium præmissorum.

VT ergo breuiter percurram quæ supra dixi: Esto deuotus Deo, & cor tuum quantum potes semper occupato cum eo. Esto prælatis humiliter obediens nec rancores contra eos teneas, nec spernas eos nec iudices, nec murmures de eis, sed humilitatem serues. Esto pacificus cum fratribus, patiens ad verba dura & ad reprehensiones. Noli facile iudicare aliquem, nec sis suspiciosus. Esto obsequiosus, maxime infirmis, & in humilibus obsequijs. Sæpissime ora. Esto in choro disciplinatus & intentus Deo, in via discretè modestus etiam in his quæ corporis necessitas requirit. Esto in cella libenter, Fuge verba otiosa. Plane loquere, modeste iucundus. Verax sis valde. Verba tua sint sine iuramento. Nulli detrahas, nec libenter audias. Odium contra nullum teneas. Non sis elatus in verbis & moribus. Pecuniam odito. Paupertatem ama in omnibus, Fuge mulieres. Esto compatiens afflictis, castus in omnibus, & saluus eris. Amen.

INCIPIVNT CAPITVLA IN formula interioris hominis.

De interioris hominis reformatione. cap. 1.
Quod duo sunt Nouitiatus. cap. 2.
Quatuor sunt, in quibus nouitij & incipientes cauti debent esse. capitu. 3.
Tentatio quadruplex est, à carne, à mundo, à Deo, à Diabolo. cap. 4.
Caro dupliciter impugnat. cap. 5.
Mundus dupliciter tentat nos. cap. 6.
Quod Deus nunquam tentat in malo. cap. 7.
Quasdam cogitationes nec fugere possumus, nec vincere repugnando. cap. 8.
Quod tria sunt genera Religiosorum. cap 9.
Tres sunt status Religiosorum, incipientium, proficientium, & perfectorum. cap. 10.
Quod anima habet tres potentias, quibus capax est Dei, scilicet rationem, memoriam, & voluntatem. cap. 11.
In quo consistit reformatio mentis & spiritus. cap. 12.

A *Quid sit rationis reformatio, profectus, & perfectio. capitulum.13.*
Quid sit voluntatis reformatio.cap.14.
Quid sit reformatio memoriæ, profectus & perfectio. capitulum.15.
Quomodo naturales vires animæ, & motus affectionum in vitium deformata sunt.cap.16.
Quod triplex est superbia, quæ impedit nos ne maiora bona accipiamus à Domino.cap.17.
Quod superbia perdit meritum bonorum operum.cap.18.
Quod bona nostra quandoque debemus hominibus ostendere, & aliquando occultare.cap.19.
Quod imperfectiones nostras non debemus erubescere confiteri. capitulum.20.
Quomodo appetitus commodi datus sit homini.21.
Quomodo appetitus spiritualium delitiarum, mutatus est ex peccato in carnales delitias.cap.22.
Quod omnia vitia & peccata ex vno fonte oriuntur, scilicet superbia.cap.23.
B *Quod in nobis est quadruplex defectus, vnde ad malum proni sumus, & quod ex his prodeunt septem carnalia vitia. capitulum.24.*
Quid sit expugnatio vitiorum.cap.25.
Quare datus sit homini affectus inuidiæ.cap.26.
Quare affectus iræ.cap.27.
Quare affectus tristitiæ.cap.28.
Quare affectus gaudij.cap.29.
Quare appetitus auaritiæ.cap.30.
Quare appetitus victualium.cap.31.
Quare appetitus naturalis.cap.32.
Quare de spiritualibus delitijs, & de gustu internæ dulcedinis, vix iam mentio habetur.cap.33.
Quare affectus dilectionis datus fuit homini.34.
Quare spes.cap.35.
Quare timor.cap.36.
Quare pudor datus sit homini.cap37.
De singulorum vitiorum descriptione, & remedijs quibus curantur.cap.38.
C *Quod triplex est superbia.cap.39.*
Quod homo quadrupliciter decipitur per superbiam. capitulum.40.
Quod tria sunt, quæ in nobis vitia expellunt, & veritatem in nobis operantur, gratia Dei, industria propria, & necessitas. capit.41.
Quod industria in tribus consistit, quibus adiuuante gratia, vitia subiugantur. cap.42.
Gratia quosdam multa suauitate præuenit, & quosdam relinquit. cap.43.
Quod quædam sunt generalia remedia, contra vitia expugnanda, & ad virtutes obtinendas cap.44.
Quod efficacia remedia contra omnia vitia sunt septem. capitulum 45.
Quod tres sunt species remediorum superbiæ.46.
Quod triplex est inuidia.cap. 47.
Quod duplex est remedium contra inuidiam.48.
D *Quadruplex est remedium contra odium.cap.49.*
Quod triplex est qualitas iræ, & remedia quinque, capitulum 50.
Quod accidiæ tres sunt species.cap.51.
Quæ sunt remedia accidiæ.cap.52.
Quod seruus Dei in quatuor exercitijs versari debet. capitulum.53.
Quod auaritia habet tres species.cap.54.
Quod eius remedia sunt tria.cap.55.
Quod gulæ quatuor sunt species.cap.56.
Quæ sint remedia gulæ. cap.57.
Quomodo se homo debet habere in tribulatione, & aduersitate.capit.58.
Quæ sint vtilitates aduersitatis, & quomodo fugiendum sit. capitu.59.
Quod quadruplex est luxuria.cap.60.
Quod triplicis peccati reus efficitur, quia amoris blanditijs frui voluerit.cap.61.
Quod septem sunt remedia luxuriæ.cap.62.

INCIPIT FORMVLA NOVITIORVM FRATRIS Dauid.

CAP. I.

De interioris hominis reformatione.

IN priori formula nouitiorum quam tibi scripsi de exercitijs exterioris hominis, & compositione, formam proposui tibi secundum quam te regeres, tam in domo, quam extra, nunc de interioris hominis, id est, mentis reformatione, ad quam omnis vera religio ordinari debet, aliqua tibi, sicut promisi, tradere dispono verbis indoctis, & materia ordinata. Et est ratio quare corporalis exercitatio præcedit spirituale, quia homo ab intimis & summis cadens per peccatum, in hæc exteriora & visibilia dilapsus est, quod iam non intelligit nisi corporalia. Ideo in primo nititur resurgere vbi iacuit, & paulatim erigere se ad spiritualia & diuina, ad quæ conditus fuerat. Ideo quandiu religiosus nondum cœpit intelligere & sapere quæ Dei sunt spiritus, sed in exterioribus adhuc totum putat consistere quod ad veram religionem pertinet, nouitius rudis, etiamsi pluribus annis steterit in habitu religionis, immo iuxta Apostolum animalis dicitur, eo quod nondum percepit, ea quæ sunt Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere quod spiritualiter examinatus.

CAP. II.

Quod duo sunt Nouitiatus.

EX hoc perpēde duos nouitiatus esse in religione, vnus terminatur, quando completo tempore probationis obedientiam promittit, & stabilitatē in ordine per verba. Alter durat, quousque religiosus statum bene viuendi ita in consuetudinem conuertit, quod iam non tantum verbis, sed & factis promittit se stabilem esse in proficiendi studio permansurum. Quandiu enim fluctuat mente, & non stabiliter apprehendit viam studij spiritualis, & modo vult hoc, modo illud, nesciens quid potius eligat, incipiens est, & non proficiens. Stet tamen in voluntate bona constanter, & attendat quare venerit, & ad quid, & opus iungat voluntati, & cito incipiet videre viam, qua pergat ad Deum.

CAP. III.

Quod quatuor sunt, in quibus nouitij & incipientes debent esse cauti.

QVatuor sunt autem in quibus nouitij & incipientes cauti debent esse, si volunt proficere. Primum est, ab illa voluntate qua ad religionem venerunt, & à primo nouitatus feruore, non tepescant, sicut cuidam in Apocal. improperatur: Habeo aduersum te pauca, quod charitatem primam reliquisti, quapropter age pœnitentiā, & prima opera fac. Charitatem primam relinquunt, qui cum primo sint ferventes & deuoti, ad omnia, postea tepidi facti sunt ac desides, tradunt se leuitatibus, & vitia quæ expurgare venerant, permittunt sibi dominari, seruientes Deo pro libitu suo, non pro eius beneplacito voluntatis. Vnde Dn̄s filiis Israël præcepit: Memētote diei huius, in qua egressi estis de Ægypto. Dies, quæ ex Ægypto, est bona voluntas, qua educimur de sæculo, huius semper meminisse debemus, vt à feruore illius nunquam recedamus. Vnde quidam volens religionem intrare à sæculo, quæsiuit à quodam sancto patre, quomodo viuere deberet. At ille dixit ei, vide, qualis primo die fueris, & sic semper viue. Hoc est considera statum voluntatis tuæ in prima die, qua religionem intrare disposuisti, quam humilis tunc fueris, quam paratus obedire ad omnia tam aspera, quam de-

A specta, quam patiens ad correptiones, & penurias, & labores, quam verecundus & timoratus, quam sollicitus vt emendares vitam tuam, & dies, quos in sęculo perdidisti, recuperares, quam parum curans timores sæculi, & rumores quærere vel referre, nec detractionibus intentus, nec aliquibus curiositatibus occupatus. Et quomodo fugisti, & abiecisti omnes carnales affectus, & te totum obtulisti Domino holocaustum viuum, vt nil in te deinceps viuat de vita peccati, sed tota mactetur & immoletur Domino, obedientiæ ferro, per sacerdotis mysterium, id est, prælati tui, vt Christus in te innouato resurgat.

Secundum hanc formam semper postmodum stude viuere, ne aliter in schola religionis retrocedere magis, quam proficere videaris, sicut illi, qui vadunt ad studium literarum, & tempus vane consumentes, cum redeunt domum, expensas solum computant consumptas, sed quid profecerint non apparet. Sic & nos, B quando tempus in religione computamus, & profectus virtutum exiguus est, cum forte in nouitate deuotiores & feruentiores fuerimus, quam post plures annos, hoc enim est verecundum & valde nociuum. Heu cum deberetis esse magistri virtutum, propter tempus quo iam diu in religione fuistis, rursus indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, id est, necesse habentes doceri sicut rudes nouitij, quomodo incipiendum esset seruire Deo, & facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo, id est, tales estis, qui mollibus blandimentis puerilium consolationum & carnalium foueri indigeatis, & fortiora virtutum exercitia pati non valeatis, in duris reprehensionibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus pro Christo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est tam meritis quam virtute.

*Secundum est à quo incipiens debet esse cautus, ne moueatur malis exemplis tepidorum, ad imitandum ea, sicut quidam infirmi spiritu, videntes alios apud se desides C in seruitio Dei, & ociosos, & verbosos, & rebelles, & ambitiosos, & aliis moribus vitiosos, dicunt apud semetipsos, Si aliis hoc licet, quare non & mihi? Et proniores ad malum exemplum sumunt ab iis quos deteriores vident, & gaudent se socios inuenisse vitiorum, ne soli possent erubescere, quia si parcitur aliis, volunt & sibi in similibus parci. E contra, hæc deuotus seruus Dei apud se respondere debet: Ego veni pure propter Deum, non pro alio aliquo, ideo nolo aliquem sequi ad hoc vt à Deo recedam, quia si solos hos discolos sciuissem, nunquam eorum societatem elegissem, vnde solos illos imitari debeo, qui ad hoc informant me, propter quod religionem intraui, id est, vt apprehendam Deum, & satisfaciam ei de peccatis meis, & promerear gloriam sempiternam. Pictor & artifex nobile opus volens facere, quærit non vilia, sed meliora exempla quæ potest habere, & viator non quærit viam ab ignorantibus, sed à scientibus eam, & qui semper ambulauerunt per eam. Ioannes noli imitari malum, sed bonum.

Tertium est quod cauere debent, ne iudicent temere D facta aliorum, maxime vbi nesciunt qua de causa vel intentione fiant. Sicut enim non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum, quare hoc vel hoc fiat. Vnde quicquid aliquomodo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretemur, si volumus tranquillum cor nobiscum habere, & cum aliis & alios non turbare, & Deum non offendere. Quia sæpe iudicamus malum esse, quod in se non est malum, & peccamus propter temeritatem vsurpando nobis iudicia Dei de occultis cordium. Magistri nostri vice Dei aliquando id possunt iudicare per coniecturas circumstantes, aliis non expedit pronos esse ad iudicandum, donec pene in omnibus eruditi per donū discretionis spirituum, & verè spirituales effecti omnia diiudicent, & ipsi à nemine iudicentur, sicut clare vidēs qui eum videt, nec tamen à cæco videtur, cum cæcus nec videat seipsum. Roman. 14. Tu quis es, qui iudicas seruum alienum, suo Domino stat, aut cadit. Sæpe etiam merentur temeratij iudices aliorum, vt aut in similibus aut grauioribus excessibus cadere permittantur, vt discant ex E sua infirmitate compati alienæ. Matth. 7. Nolite iudicare, vt non iudicemini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, est tamen differentia inter timorem & suspitionem, & temerarium iudicium & iustum. Timor est secundum istam acceptionem, quando nil mali suspicor de aliquo, timeo tamen quod malum, quod nōdum euenit, possit euenire, nisi caueatur, sicut cum obfirmantur seris monasteria, & iuuenes prohibentur ab incautis mulierum familiaritatibus, non quia malum iam velle facere præsumantur, sed timetur mali occasio, si non præcaueatur. Suspicio est, quando sine rationabili occasione vel præsumptione reputo aliquid factum esse mali, vel aliquem velle facere, & non est ita, hoc vitium est, quando credo aliquid factum esse mala intentione, cum actio sit in se indifferens, & hoc vitium est, quia cordis intentio iudicatur, quæ soli Deo est manifesta. Hieronym. 13. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Iustum iudicium est, F quando inexcusabilibus coniecturis aliquid discernitur malum esse, vel quando actus est in se malus & illicitus, vt cum video aliquem occidere hominem iniustè, vel tales conatus ad peccatum, qui semper sunt illiciti & incongrui.

Quartum est, in quo cauti esse debēt noui in religione, vt non frangantur aduersitate vel in tentatione, sed cogitent, quia ad hoc venerunt, vt omnia quæ in hac vita eis possunt accidere, propter Deum sustineant: sicut qui intra bellum, scit quod non quietem & delicias, sed labores & vulnera oportet eum expectare. Ecclesiasticus: Fili accedens ad seruiturem Dei, sta in timore & iustitia, & præpara animam tuam ad tentationem, & deprime cor tuum & sustine, &cæt. In Actis Apostolorum 14. Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei, ergo aduersitas est via ad regnum Dei, & qui recusat viam, recusat ad regnum peruenire. Lucæ 24. Oportebat Christum pati, & ita in gloriam suam intrare, id est, sic magis conueniebat. 2. Timot. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. G

Cap. IV.

Quod quadruplex est tentatio, à carne, à mundo, à Diabolo, à Deo.

Tentatio autem quadruplex est, quasi quatuor venti à quatuor plagis flantes, qui mouent tempestates in hoc mari huius sæculi, & nauem cordis quassant, & iactant fluctus, à carne, à mundo, à Deo, à Diabolo procedunt tentationes. A carne tentamur, quando natura vitiorum motibus ad peccandum sollicitamur, vt cum luxuria, vel gula nos tentat, Iacobus: vnusquisque tentatur, à proxima conscientia abstractus & illectus.

Cap. V.

Quod caro dupliciter impugnat.

Item à carne tentamur, quando delicata caro nostra horrēdo labores retrahit nos, ne in studiis spiritualibus, H & virtutū conatibus, sicut expedit exerceamur. Et sic dupliciter impugnat nos caro, dū aut appetit mala, aut retrahit à bono. Licet autem ira, & inuidia, & inanis gloria, non videantur esse in carne, sed in spiritu, tamen à carnis corruptione trahitur corruptio spiritualium affectionum. Et licet dicatur, quod Dæmones huiusmodi vitia suggerant hominibus, tamen nos habemus huiusmodi tentationum materiam intra nos, vt etiam si non adessent Dæmones, ipsa tamen concupiscentia nostra faceret peccatum, si ei consentiretur. In nobis est omne per quod peccamus, cogitationes enim, & mentis affectiones, & voluntates, & membra corporis nostri, illa sunt quibus meremur & demeremur. Ista dedit nobis creator, quasi quædam instrumenta virtutum, quibus bona opera faceremus, & mansiones nobis in cœlo ædificaremus, & ipsi creatori nostro per ipsa seruiremus, & per ea, quasi armis

A muniti, hostem nostrum Diabolum impugnaremus. Ipse Diabolus contra nos inermis est, & solis astutis suggestionibus nos impugnat vt peccemus, non cogendo. Benignus enim conditor noster, non dedit hosti nostro pro posse nos vi ad peccatum impellere, quia tunc nimis fortis esset contra nos fragiles, & vix possemus sine peccato subsistere, sed tantum permittit nobis eum mala persuadere, in nostro autem arbitrio est, si velimus ei consentire. Insuper præmuniuit nos, ponens inimicitias implacabiles inter serpentem & hominem, vt quidquid suaderet nobis non reciperemus quasi vtile, sciens quod nunquam dabit nobis fidele consilium tam crudelis inimicus, cui nihil sufficit de nobis citra æternam damnationem nostram. Cum ergo suadet nobis peccatum, quodammodo exigit à nobis, vt præstemus ei arma nostra quibus nos occidat, vel vt ipsa arma, quæ ei præstamus hebetet & retundat, vt & nobis min⁹ apta & vtilia fiant, & minus acuta, & efficacia ad ipsum per ea impugnandum verbi gratia: Cum immittit nobis cogitationes peruersas, & suadet vt malum B faciamus vel loquamur, nonne quasi aperte re ipsa videtur homini dicere: Inermis sum contra te, non habeo vnde te lædere possim, nisi tu præstes mihi arma tua, vt te vulnerem, & occidam: præsta ergo mihi cor tuum ad cogitationes prauas, vel affectiones malas, & linguam ad loquendum iniqua, vel manus, vel alia membra tua ad actiones & opera praua, quibus lethale vulnus in anima excipias, & gratiam Domini Dei perdas, & gloriæ cœlestis merito spolieris. Stultus vero est qui consentit ad hæc, & damna sua sibimet imputet potius, quam inimico suadenti, qui more hostis, hostiliter tecum agit. Apostolus: Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.

Cap. VI.

Quod mundus dupliciter nos tentat.

C Mundus etiam dupliciter tentat nos, siue offerendo nobis ea, quibus ad se alliciat honores, dignitates, voluptates, curiositates, adulationes, & huiusmodi: siue quibus terreat, vt persecutiones, contumelias, rapinas & similia, vtroque modo multos retrahit à Deo, quos aut vano amore sui, aut malo timore retinet in peccato. Diabolus vero licet in omnibus tentationibus incentor esse soleat, tamen specialiter duabus tentationibus infestat nos, & maxime magis probatos in seruitio Dei, cum aut fidem veram nobis conatur auferre, & spiritu blasphemiæ subuertere, & huiusmodi cogitationibus nos infestat, quas quasi naturaliter abhorrem⁹, vt desperationem vel nostri occisionem, & similibus, licet quandoque & aliis causis ista proueniant, aut cum mala, sub specie boni persuadet, quo improuidos, quos aliter non potest decipere, callide supplantet, & à bono deijciat. Et hoc est, quod in Psalmo dicitur: Dæmonium meridianum, vel iuxta Apostolum: Angelus sathanæ, transformatus in Angelum lucis. Quia cum sit princeps tenebrarum, vt autor malorum, vt astute noceat, simulat se bona docere, & quasi lucem ostendere, D vt ad tenebras peccati perducat.

Cap. VII.

Quod Deus nunquam tentat in malo.

Deus autem nunquam tentat in malo, quia non lætatur in perditione nostra, qui omnes homines vult saluos fieri, sed tamen quandoq; dicitur tentare aliquos, cum aut flagellat eos in præsenti ad profectum eorum & aliorum, sicut Iob & Tobiam; aut cum probat eos aliquibus arduis virtutum exercitiis, sicut tentauit Abraham, iubens eum immolare dilectum filium suum vnigenitum, hæredem diuinæ promissionis, vt ostenderetur magna deuotio obedientiæ Abraham, & fidei ad Deum, qua nec sic hæsitauit de eius promissione, quin etiam impleret, etiam de occiso quod pollicitus erat ei.

Cap. VIII.

Quod quasdam cogitationes nec fugere possumus, nec vincere repugnando.

E Harum tentationem quasdam oportet nos maximè resistendo superare, vt spiritualia vitia, iram, accidiā, superbiam, inuidiam, quasdam, vero fugiendo meli⁹ euadimus, quam pugnando, vt luxuriam, gulam, auaritiam, licet enim pugna contra eas sit necessaria, sed tamen non est tutum diu cohabitare serpenti, & multo tutior est castitas longe à mulierum frequentia semota, quam in medio earum; facilius abstinemus à delicatis cibis & potibus, vel ab eorum superfluitate, quando non habemus, nec videmus quam cum eis abundamus. Et qui omnia relinquit propter Christum, & voluntariam paupertatem eligit, minus infestatur à curis auaritiæ, quam qui retinet diuitias sæculi, semper anxius quomodo eas augeat & conseruet. F Spiritualia autem vitia, etsi quandoq; ex fuga videantur quasi remissius & rarius infestare, dum deest occasio impugnandi, tamen postea orta occasione, durius furere solet, leo diu cathenatus amplius fremit, cum fuerit emissus. Tentationes vero contra fidē, & de spiritu blasphemiæ, & similes, nec fugere possumus, nec repugnando vincere, quia quanto plus indignamur nosmetipsos, & disputamus, cum eis, tanto magis refricatur earum rabies & accenditur, sed non sunt curandæ, nec timendæ, dum nō consentiatur eis, & patienter earum infestatio, quasi quoddam Diabolicum susurrium, supportetur, quia aliter repelli non potest. Non solent bonis periculosæ esse tales tentationes, sed sunt sæpe præsagia futuræ amplioris gratiæ & consolationis, & vitiorum purgatrices, & magni meriti operatrices. Diuinæ vero castigationes humiliter & patiēter tolerandæ sunt, & iussionibus eius deuote obtemperandum, vt & fortes simus in fide, & à mandatis eius nunquam declinemus. Possent etiam plures tentationum species inueniri à studiosis, sed ad præsens ista sufficiant. G Sunt tamen quidam qui sibimet texunt laqueos tentationum, priusquam tentator accedat, & quodammodo procurant sibi vnde tententur, & hoc est incautum valde, vt qui sponte prauas cogitationes versant in corde, quę postmodū in delectationē versæ, & roboratæ, difficulter expelluntur. Item qui admittunt familiaritates incautas mulierum, quarum affectus ita inprimitur cordi, vt vix postea euellatur. Et ita de similibus, vbi primo sibimet assumunt aliqui materiam, vnde postea occasionaliter oritur eis turbatio, & tentatio periculosa. Quidam vero non habentes causam turbationis, ex sola suspicione vana somniant sibimet tentationis procellam, & hoc fit aliquando inter perfectè bonos, inter quos fit contentio & turbatio non de radice malitiæ, sed ex sola vana suspitione, dum vterque nullius odij sibi conscius est aduersus alterum, nec intendit eum in aliquo lædere, sed suspicatur alterum erga se inuidia stimulatum intendere, quomodo eum lædere possit, & ei insidiari, cum hoc in nullo recolat se erga eum meruisse. Ille vero è contra nihil sibi de his conscius, H conqueritur, quod iste sibi iniurietur sine causa, & incipit etiam ipse facta alterius ponderare quasi aduersarij sui, & sic vterque inflammatur odio contra alterum, cum neuter alterum intenderit lædere, sed tantum suspicatus sit, & hoc vane, quod alter eum voluerit lædere sine causa. Et ita quandoque grauis turbatio oritur de modica scintilla, diabolo eam ad magnum ignem rancoris & odij conflante. Qui ideo imperfectè boni dicuntur, quia in eo sunt aliquatenus boni, quod non intēdunt proximo suo malum facere, & ideo in eo deficiunt à bonitate, quod nimis proni sunt, de alio malum suspicari sine causa sufficienti, & in eo efficiuntur minime boni, quod ex quacunq; causa ad odium contra fratrem & proximum prouocantur.

CAP. IX.

Quod tria sunt genera religiosorum.

TRia sunt genera religiosorum. Primi boni, secundi meliores, tertij optimi, hi significantur per tres familias Leuitarum Gersonitas, Meraritas, Caathitas, qui præ cęteris filiis Israel, deputati erant ad cultum sanctuarij, sicut Religiosi præ aliis fidelibus in Ecclesia specialius videntur diuino cultui mancipati, differentes tamen habentes donationes, secundum gratiam quæ data est eis, & secundum quod quilibet studuerit proficere ad virtutes. Nam secundum quod quisque se habilitat ad gratiam per studium virtutum, iuxta hoc refunditur ei in futuro. Si summos in virtutibus fueris imitatus, cum summis in gloria collocaberis, si medios, cum ijsdem locaberis, si infimos, etiam cum infimis in futuro poneris. Omnes alta desideramus pręmia, sed pauci perseuerantet student ad alta virtutum exercitia Greg. Sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Non dicit, per graues labores, sed magnos, id est, ad magnas virtutes promouentes, vel magnæ vtilitatis, & si non semper magnæ austeritatis. Gustata namque vtilitas & suauitas virtutum, lenit pondus laboris. Primum religiosi designati sunt per Gersonitas, qui in profectione castrorum, portabant cortinas & tectum tabernaculi & vela, & quæque tactu mollia, & in erectione castrorum ad Occidentem, post tabernaculum castra metabantur. Tabernaculum enim in profectione per partes diuisum, portabatur à filiis Leui, quia totum simul à nullo portari poterat, donec venirent ad locum electionis, vbi requiescere debebant, ibi erigebatur, & ipsi circa ipsum pro dispositione domini castra metabantur. Tabernaculum est vita Iesu Christi, & motum eius conuersatio, quam nemo plene in hac vita valet imitando portare, cum ipsi non ad mensuram acceperit spiritum sanctitatis, & sapientiæ, sed omnem plenitudinem, de qua nos omnes accipimus, sed particulariter, alius sic, alius vero sic, dum vnus imitatur eum in hoc, alius autē in hoc, donec omnes ei occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vbi quisque locabitur in cœlesti mansione secundum meritum suum & studium, quo hic vitam Iesu Christi fuerit imitatus. Primi igitur religiosi sunt, qui refugiunt ardua & austera studia sanctitatis, sed leuia exercitia sibi assumunt, & laxam vitam seruant, quoad corporis commoda, quantum licet salua salute. Quibus sufficit, quod tantummodo caueant à peccatis mortalibus, & tales procliues magis sunt ad lapsum peccati, quia sic dicit Gregorius: Illi soli in illicita non cadunt, qui se & à licitis restringunt. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & alta, & qui incaute, & nimis intrepide per eam incedit, cito pedem in præcipitium ponit, solent tamen, ne irreligiosi videantur, aliquando magnam vim facere, & diligentiam habere in exterioribus obseruantiis & traditionibus humanis, & honestatibus forinsecis, in inclinationibus & pulsationibus, in amplis cucullis, & manicis, & huiusmodi, quæ speciem religiositatis exterius repræsentant, vnde Gersonitæ, qui interpretantur aduenæ, extrema tabernaculi portabant, tectum, cortinas, & funiculos, quia noui in religione, pro magno habent, prædictas obseruantias studiose seruare, quandiu meliora virtutum studia non cognoscunt. Hæc autem, secundum Domini sententiam, loquentis ad Pharisæos de minimis talibus ceremonialibus obseruantiis, oportuit facere, & illa meliora non omittere. In erectione autem tabernaculi, isti Gersonitæ ad Occidentalem plagam, post tabernaculum castra metabantur, quia hi extrema in exercitijs virtutum seruare contenti sunt, in futuro cum postremis, & sic quasi in occasu solis, in humiliori gloriæ splendore locabuntur.

Secundi religiosi designati sunt per Meraritas, qui interpretantur amari, & portabant tabulas tabernaculi, & columnas, & vectes, & illa maxime quæ dura erant, & media inter cortinas & sanctuarium. Hi sunt qui duram vitam in corporali exercitatione seruant, affligentes corpora sua ieiuniis, vigiliis, & aliis laboribus corporalibus, & putant hoc summum in religionis obseruantia esse, & interioris dulcedinis signari, de veris virtutum studiis, quæ in spiritu & mente sunt, parum curant. Hi qui in se sicci sunt, & aliis in indicando seueri solent esse, bene amari sero amaricantes dici possunt, & quia medium hic inter extremū & optimum in studio virtutum habuerunt statum, in erectione sanctuarij, non post ipsum, sed ex latere ad Aquilonem locum mansionis sortiuntur, vbi minor calor solis & lux, quam in Australi parte sentitur, vt quantum defuit eis de perfecto virtutum studio, tantum desit eis de gloriæ fulgore.

Tertij religiosi, qui & optimi, designati possunt per Caathitas, portabant ipsum sanctuarium, id est, arcam, & altare, & mensam propositionis cum vasis suis, inuoluta tñ & coopertra. Hi sunt, qui studēt interiorem hominē suum, in quo Christus inhabitat, per fidem componere, & ad veras virtutes se exercere, & vitia carnis & spiritus exstirpare, iram, inuidiam, superbiam, accidiam, auaritiam, gulam, luxuriam, viriliter expugnare, & his contrarias virtutes cordi inserere, humilitatem, charitatem, mansuetudinem, deuotionem, largitatem, sobrietatem, & castitatem. Istæ enim virtutes verum sunt sanctuariū, & qui eas habet, sanctus est, vnde Caathitę interpretantur, patientes, vel componentes, quia per patientiam, quæ teste Iacobo Apostolo perfectum habet opus cōponunt se & ordinant ad Deum, & ad proximum in virtutibus sicut debent. Prioribus duabus familiis iussit Dominus dari plaustra, ad subuehenda onera sua, filiis autem Caath non dedit plaustra, quia seruiunt in sanctuario, & onera propriis humeris portant, quia tam in humanis ordinationib⁹, quam in castigatione corporis permittitur aliqua remissio, imo iubemur, vt in talibus sit rationale obsequium nostrum pro loco, & tempore, ne corpus deficiat sub onere laboris, sed in virtutum studijs nulla remissio datur, quia nunquam indulgetur nobis vt simus vitiosi, elati, immites, inuidi, accidiosi, auari, gulosi, vel non casti, & hæc onera propriis debemus portare humeris, id est, non cōfidere de alienis virtutibus, nisi & nos pro posse studeamus, vt has in nobi metipsis habeamus, sicut quidam, qui desiderant esse cum pacificis,, non vt exemplo eorum laborent fieri patientes, sed vt ab eis ad impatientiam non prouocentur. Quid prodest sanctorum contubernium, si nolis eos in studio sanctitatis imitari? Onera Caathitarum secundū materiam dura erāt, sed preciosa & sancta, & interiora situ, quia studia spiritualium virtutum laboriosa sunt imperfectis adhuc, sed nobilia dignitate honestatis, & sancta quia sanctificant, & interiora, quia in spiritu mentis, & in interiori homine. Velata tñ portabant ea, quia dum hic per fidem ambulamus, & non per speciem, nondum videmus virtutum decorem pure, sicut est, & in exteriorum operum exercitiis, necesse est nos ea inuoluere, tam pro nostro exercitio, quam pro exemplo aliorum, qui mentem nostram non vident, nisi per vestigia exteriorum morum & operum. De hac tamen familia descenderunt sacerdotes per Aaron, qui vigilans gratiæ interpretatur, qui sanctuarium reuelatum videre, & contrectare ex officio debebat, & leuitis portandum disponere singulis prout eis congruebat. Ipsi vero sacerdotes nō portabant, sed in erectione eius ante tabernaculum ad Orientem excubabant. Sicut per Caathitas, virtuosi, ita per sacerdotes cōtemplatiui figurantur, & soli virtuosi ad complationis gratiam proficiunt, qui pro muneratione studij spiritualis, vnctionē sancti Spiritus intus percipiunt, vt illuminati cœlestia secreta videant, quæ aliis sunt velata. Tales iam non laborant in studiis virtutum, q̀ per laborem portandi significatur, quia per suauitatem internæ sapientiæ, versus est eis labor in delectationem, ex amore conditoris. Ipsi vero disponunt onera singulorum portantium, quia intus intelligendo cognoscūt rationes quarumlibet obseruantium in vita religiosa, quæ quia rudes & imperfecti nondum valent capere, inuoluunt ea corporalibus actionibus, & exterioribus exercitiis, & tradunt cuique obseruanda, quæ statui eius viderint conuenire. Vide igitur de qua familia velis esse, vel cuius spiritus sis, & secundum hoc suscipe onus tibi deputatum, id est, serua regulas & viam, qua ad perfectionem illius status

valeas

A valeas peruenire. Impossibile namque est, quemquam aliquam artem bene addiscere, qui regulas eius non vult attendere, nec spiritualis fieri poterit, qui non vult spiritu ambulare.

CAP. X.

Quod tres sunt status religiosorum, scilicet incipientium proficientium, & perfectorum.

BEatus Bernhardus in Epistola ad fratres de mōte Dei, describit tres status religiosorum, scilicet incipientiū, & proficientium, & perfectorum. Primum vocat animalem, quasi rudē, qui nondū percipit, quæ sunt spiritus Dei, & circa corporis cōpositionem adhuc maxime occupari habet necessariū, vt illud domet, & castiget ne rebellet spiritui, sicut prius in peccato, quando caro spiritui dominabatur. Secundum vocat rationalem, vbi ratio, quę dignior pars hominis est, & per q̄ discernitur à cæteris animalibus
B irrationabilibus, quasi nobilior omnibus creaturis mundi & dominans omnibus, subiugata carne, & in seruitutem spiritus redacta, seipsam studet agnoscere, purgare & reformare in pristinam dignitatem & pulchritudinem, quam per peccati fœditatem amiserat. Tertium vocat spiritualem, vbi spiritus ad imaginem Dei conditus, Spiritus sancti gratia adiutus, supra se ascendit, & attendit in eum, cuius est imago, vt ei imprimatur & conformetur per cognitionem intellectus, per affectum amoris, & fruitionis iucunditatem. Per primum, peruenitur ad secundum, & per illum ad tertium. Ezech. 14. Latius erat templum in superioribus, & sic de inferioribus ad superiora ascendebatur in medium.

CAP. XI.

C *Quod anima habet tres potentias, quibus est capax Dei, scilicet rationem, memoriam, & voluntatem.*

RAtionalis autem spiritus est imago summæ Trinitatis, & sicut Deus est trinus & vnus, ita anima, cum sit vna, habet tres potentias, quibus est capax Dei, scilicet rationem, memoriam, & voluntatem. Per rationem, potens est capere sapientiam Dei. Per voluntatem, potens est capere bonitatem Dei. Per memoriam, potens est capere virtutem æternitatis Dei, vt in æternum nunquam ab eo possit separari. Ne igitur otiosa sit in anima tanta similitudo ad Deum, per quam capax eius est, toto nisu studeat eam apprehendere, vt eum tenendo beatificetur. Quia citra Deum nil potest animæ suæ sufficere, & eo habito, non est, quod vltra requirat, cum habeat omne quo ad æternam felicitatem indiget, & quo nil melius esse potest, & in quo nullus defectus est omnis boni. Cum ergo summa dignitas animæ sit, quod est capax summi boni, & summa vtilitas eius sit, Deum in se habere, & cum ipso omne bonum habeat, nec dignius aliquid quærit, nec vtilius inuenit. Ac
D per hoc omnibus viribus suis & omni diligentia, & toto desiderio debet eum quærere, & omnia facere, quæ promouent eam inuentionem eius & omnia vitare & fugere, quæ elongant eam à Deo, etiam si bona putentur. Quia sic ut ille stultus esset, qui haberet hortulum, qui esset ferens balsamum, si neglecto eo, plantaret ibi mentam, vel ciminum, quæ licet bona sint, tamen in comparatione balsami, sunt vilissima. In infinitum stultior ille, qui cum possit summum bonum comprehendere, neglecto eo, occupat se circa caduca, & vilia, vel sordida, vel amara. Hoc autem intellige si sæcularibus, qui mundana præponunt cœlestibus, & transitoria internis bonis. Similiter ille stultus est, qui cum habeat viam cōpendiosam duarum vel trium dierum ad locum quo tendit, dimissa ea, quærit viam dispendiosam, & difficiliorem, & periculosiorem, itinere trium annorum & amplius. Sic etiam religiosi quidam minus sapienter videntur incedere, qui possent in paucis annis ad magnam Dei notitiam, & familiarem amicitiam, per compendiosum studium virtutis, & deuotionis, & pu-

E ritatis pertingere, & relicto eo occupant se aliis minus fructuosis & valde dispendiosis, ad id ad quod tendunt, scilicet ad Dei cognitionem, & notitiam veritatis, & statum perfectionis. Cum Dominus ipse promittat: Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Si sciret aliquis plura artificia, quorum vnum esset præ aliis tam nobile & quæstuosum, vt per illud in breui posset ditari, & sublimari vsque ad nomen magnorum, qui sunt in omni terra, imprudens esset nimis, si neglecto eo exerceret aliquod vilius & ignobilius, & tanti laboris, vt est illud nobile, per quod tamen vix posset tenuem victum acquirere: Ita est de homine, maxime religioso, magna imprudentia, si relicto debito studio virtutum, in quo est maximum meritum, maxima perfectio sanctitatis & sapientiæ, maxima etiam delectatio & securitas, occupat se circa alia minus vtilia, & curiosa, & turbatur circa plurima, quando vnum solum bonum est appetendum, & requirendum, quod valet ad omnia. Ipsa etiam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem ha-
F bens vitæ quę nunc est, & futurę. Pietas hæc est cultus Dei, quo studeamus eum agnoscere, amare, & habere, & ei placere. Corporalis autem exercitatio vtilis est, sed ad modicum, quia non propter se, se propter pietatem appetenda est, quæ per eam obtinetur, si ordinate exerceatur. Sicut artifex instrumentum artis suæ operatur; ita virtus per corporalia exercitia addiscitur, & in habitum vertitur, & quanto quis aptiora instrumenta habet, si bene eis vtitur, tanto citius & melius perficit opus, quod desiderat consummare. Omnia autem quæ ad religionis obseruantiam exterius videmus, ad interioris hominis reformationem, sancti Spiritus inspiratione ordinata sunt, quæ qui nondum intelligit, ipsa instrumenta pro arte reputat.

CAP. XII.

In quo consistit reformatio mentis & spiritus.

INterior reformatio in spiritu mentis consistit, quia in-
G terior homo & imago Dei, est mens rationalis, exterior homo est corpus, quod ex defectu corruptionis, quæ ex peccato prouenit, languescit, moritur, & incineratur. Interior autem homo in bonis de die in diem renouatur, & proficit in similitudinem eius, ad cuius imaginem est creatus. Ratio reformationis est hæc: Anima tres habet potentias, sicut dictum est, rationem, voluntatem, & memoriam. Ratio data erat ei, vt Deū agnosceret. Voluntas, vt eum amaret. Memoria, vt in eo quiesceret. Sed per peccatum ratio cæca facta est. Voluntas curua & fœda. Memoria instabilis & vaga. Ratio recipit sæpius falsum pro vero. Voluntas eligit deterius pro bono. Memoria occupat se illis, quibus semper inquietatur, quia vnum & summum bonum deseruit, in quo omnia bona poterat habere. Conuersa vero ad Deum incipit quærere quod perdidit, & videns se deformatam ab eo, quod facta fuerat à Deo, laborat, vt in pristinum statum reparetur, & ad decorem, quem amiserat, reformetur, quia non est ei accessus ad Deum propter dissimilitudinem in se factam. Sed quia
H nō potest repente ad summum peruenire, studet paulatim accedere de infimo ad medium, de medio ad summum.

CAP. XIII.

Quid sit rationis reformatio, profectus & perfectio.

INitium ergo reformationis rationis est, fidem Catholicam firmiter credere, nam quia ratio lippa facta est, & intellectus obscuratus per peccatum, quod nō possumus veritatem per nos inuenire, Deus condescendit nobis, ne in errore essemus, deditque nobis notitiam veritatis in scripturis, quibus voluit nos credere, vbi omnia, quæ ad salutem sunt nobis necessaria, sufficienter & veraciter inuenimus, vt in eis sensum nostrum non sequamur, sed regulas fidei, sensum nostrum humiliter subijciamus, si volumus non deuiare. Ecclesiastes: Quæ per magistrorum ducto-

A rumque fidei consilium data sunt à pastore vno Deo, his amplius fili mi ne requiras. Profectus orationis est, ex illuminatione diuina, rationes fidei aliquatenus intelligere, quia & si fides super rationem sit, ita quod iam per se non valet comprehendere, illuminata tamen diuinitus, videt rationabilius esse, quam fides est Christiana, cui omnis natura attestatur, & omnis mundi sapientia famulatur. Perfectio rationis in hac vita, est per mentis excessum super se rapi, & non per ænigmata corporearum similitudinum, nec per ratiocinationis argumenta, sed purissima mentis intelligentia Deum in contemplatione videre.

Cap. XIV.

Quid est voluntatis reformatio.

Initium reformationis voluntatis est, ex bonæ voluntatis assensu, vitiis resistere, & operibus virtutum fideliter
B instare, propter Deum, quæ enim curua & distorta fuit auersa à Deo, necesse habet vt conuersa cogat se concordare cum Deo, & motus rebelles, per studium boni, ad rectitudinem reflectere diuinæ voluntatis. Perfectus eius est, omnes affectiones habere ordinatas, & in virtutes formatas sine rebellione vel coactione, vt iam non libeat, nisi quod est secundum voluntatem Dei. Perfectio voluntatis est, cum Deo vnum spiritum esse per amorem, vt iam non possit velle nisi Deum, & eius suauitatis dulcedine inebriari.

Cap. XV.

Quid sit memoriæ reformatio.

Initium reformationis memoriæ est, mentem ab euagatione sua, ad memoriam Dei cum labore reducere, orando, legendo, recolendo, vel saltem superficialiter cogitando. Profectus, bonis meditationibus & orationibus
C sine importuna euagatione posse intentum esse, & in latitudine cordis sui secū deambulare. Perfectio, ita in Deum esse absorptum per mentis excessum, vt & sui ipsius, & omnium quæ est, obliuiscatur homo, & in solo Deo, absque omni strepitu volubilium cogitationum & imaginationum, suauiter quiescat. Isti sunt fines humanę perfectionis & profectus, & initia ad quæ omne studium spirituale debet ordinari. Si quis istam viam non ambulat, est sicut qui nescit quo vadat, vagus & errabundus ad incertum finem tendens. Initia cuiuslibet istarum trium potentiarum sunt omnibus communia, qui sunt in statu salutis, nec sine eis est salus. Perfectio cuiuslibet istorum trium, est solummodo perfectorum, quando sunt in summa perfectione, id est, in raptu contemplationis. Medius status earum est perfectè proficientium, & singulariter respicit statum probatorum religiosorum, qui inter statum bonorum sæcularium, & statum perfectorum sanctorum, quasi medium adhuc tenent. Non quia semper in eodem statu permanere valeant, quod etiam sanctissimis vix est possibile, sed tantum media differentia illarum trium statuum sic di-
D stinguitur, ab inchoatione & perfectione eorum. De quorum profectibus aliquanto latius est considerandum, & primo de reformatione voluntatis, quia virtus, & vitium, & meritum, dependet ex ea, & affectiones, quæ tam ad vitia, quam ad virtutes inclinantur, postea de memoria & ratione vel intellectu, voluntas est in anima quasi imperans, ratio est docens, memoria quasi ministrans vtrique, illi quid iubeat isti vnde doceat.

Cap. XVI.

Quomodo naturales vires animæ, & motus affectionum in vitium sint deformata.

Nunc vero breuiter intellige, quomodo naturales vires animæ & motus affectionum, in vitia deformatę sunt, & ad quid datæ sint homini, postea aliqua remedia singulorum vitiorum subiūgenda sunt, & virtutum ordo. Voluntas nulli debuit esse subiecta, nisi Deo, nec tamen hoc coactè, sed sponte, vt posset ei ad meritum reputari, & ita poterat peccare, & non peccare, non ad hoc vt peccaret, sed ad hoc, vt nō peccaret cū posset, & ex hoc laudabilis fieret, & digna præmio apud Deum, vel si sponte peccaret, esset digna confusione & supplicio, cum sciret, quod non deberet peccare, & posset vitare. E

Item cum facta esset anima vt capax esset summæ beatitudinis, in qua haberet summam gloriam & summam delectationem in Deo, qui est vera & summa beatitudo, datus fuit animæ duplex appetitus naturaliter ad hoc, vt ista desideraret & studeret obtinere, & cum obtinuisset, tanto iucundius possideret, quanto ardentius concupisset. Datus fuit ei appetitus gloriæ talis, vt nulla sufficeret ei præter summam gloriam, & appetitus delectationis talis, vt non satiaret eum aliqua, nisi summa, & vtraque est in solo Deo, & ita nihil sufficit animæ præter Deum, & iste appetitus vocatur concupiscibilitas. Item ex hoc orta est alia vis in anima, quia cum tantum concupisceret bonum F suum docente vi rationali, per quod beatificanda erat, naturaliter horrebat, & detestabatur, & repellebat omne, quod ad istam obtinendam contrariabatur. Et item quicquid ad eam obtinendam prodesse poterat, fortiter apprehendit & tenuit, & hæc vis vocatur irascibilitas, iuxta iræ similitudinem, quæ fortiter indignatur contrariis, & fortiter tenet, quod cupit. Per vim rationabilem cognouit bonum & melius, & optimum maxime, per vim irascibilem tenuit, & inhæsit bono, & quæ ei ad hoc prodesse poterāt, feruide apprehendit, & quę ei obesse poterant, dedignata, repulit, & fugit. Sed cum homo, diabolo suadente, sponte ad peccatum consensit, contra Dei prohibitionem, tunc omnes vires animę, & potentiæ, quæ datę fuerant ad summum bonum agnoscendum, appetendum & fruendum, deordinatæ sunt, & quasi subuersæ, non autem subtractæ, sed fœdatæ, & peruerso modo se habentes, sicut organum musicum, quod quando integrum & bene ordinatum est, dulcem reddit melodiam, quando vero confractum fuerit, & deordinatum, horrendum stridorem pro cantu emittit. Quia enim homo amore visibilium, ab inuisibi- G lium amore cecidit, sola iam visibilia ex peccati pœna cognoscit, sola ea diligit, solis eis inhæret, & inuisibilia quasi non sint postponit, imo & nescit, ita quod pauci induci possunt ad credendum, si sit aliquid extra ea quę videmus, & corpore sentimus. Et ita ratio cæca est in anima, quod nec agnoscit seipsam, cum ipsa sit ex his quæ oculis carnis videri non possunt. Et sic non solum cæca est, sed etiam stulta, quia cæcus credit multa quæ non videt, & hoc est in infidelibus. Inde factum est, vt modo appetat terrena & vilia & fœda, & illis per amorem inhæreat, & pro magno reputet, qui ea poterit adipisci. Appetitus honoris datus ei fuerat, vt altissimum honorem desideraret, scilicet Deo placere, amicum Dei esse, & filium, & hæredem, & Deo famulari, & ei conregnare, non ex æqualitate potentiæ, sed ex imitatione bonitatis. Item vnus cum Deo spiritus fieri, & æqualis angelis fieri, & nulli subesse, nisi summo Domino omnium. Item, vt se tantæ dignitatis agnosceret, eo quod imaginem Dei in se haberet, vt nulli inferiori se dignaretur subijcere, soli omnium Domino subiectus & obediens, & ex amore adhærens, & reliqua sub Deo, pro H cuiusque dignitate æstimans, & vtens creaturæ ministerio pro sua vtilitate, & Domini voluntate, hæc erat sancta superbia, omne indecens despicere, & sola bona appetere & diligere. E conuerso modo appetit hominibus placere, gloriam ab hominibus quærere, quæ fallax est & vana, & aliquid magni se æstimans homo seipsum seducit, cum sit miser & vacuus boni, & alios in comparatione sui spernit & subijcere sibi cupit, qui forte meliores sunt, & gloriatur in diuitiis, quæ sunt terra & lutum, & iactat se de vanis & malis, sicut farui, qui gloriantur quando inuoluti sunt luto. Et sic homines mutauerunt gloriam suam, in similitudinem vituli comedentis fœnum, quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni, exaruit fœnum, & flos eius decidit. Ista sancta superbia degenerauit in vitiosam superbiam.

A

Cap. XVII.

Quod triplex est superbia, quæ nos impedit, ne maiora bona accipiamus à Deo.

Est autem triplex supetbia. Prima sibimetipsi nimis placere,& maiorem se reputare, quam sit in veritate. Hæc est initium omnis peccati. Secunda appetere & studere aliis placere,& maior valde ab eis credi, quam sit iustum, hæc est inanis gloria. Tertia, ambire alios præire,& subesse nolle, sic decepta est superbia, & vult alios secum decipi, dum cupit se maiorem putari, quam sit, sicut magus decepit Grationem, vt putet se in equo sedere, & sedet super fasciculum paleę. In hoc autē contrariatur Deo, quia cum omnia subiecta sint ei, ipsa vult esse sui iuris, & spoliat Deum debito honore, id est, vniuersali dominio, quātum est in se & ingrata est ei de beneficiis quæ accepit, de quibus propriam gloriam quærit, non Dei, à quo habet omne bonum. De ramis autem aliis superbię, & quę de ipsis pullulant prætereo, quia alibi reperiuntur cum suis descriptionibus, vel definitionibus, si quis quærat, maxime in summis vitiorum. Periculosior etiam sæpe est illa quæ extollitur de bonis gratiæ, quam de bonis naturæ vel fortunæ. Bona gratiæ sunt virtutes, scientia, & opera de genere bonorum, vt prædicare, ieiunare, & simia. Bona naturæ sunt, quæ natura contulit, vt nobilitas, pulchritudo, fortitudo, ingenium, & similia. Bona fortunæ sunt diuitiæ, & dignitates, honores, & similia, quæ ex quadam fortuna plus quandoque dantur illis, qui natura & virtutibus inferiores sunt aliis, non tamen sine aliqua Dei prouidentia, licet sæpe cedat eis ad malum ex merito suo. Superbia etiam ita excæcat mentem vt cum plus habetur, sæpe minus agnoscatur.

B

Cap. XVIII.

Quod superbia perdit meritum bonorum operum.

Hoc vitium præcipuè impedit nos, ne maiora bona à Deo accipiam⁹, cum ipse sit largissimus, & desideret multum communicare nobis de bonis suis, qui valde diligit nos. Sed prohibetur plurimum dare nobis, dum aut indignos nos reddit superbiæ reatus gratiæ ei, aut si plus daret nobis, extolleremur, aut ingrati efficeremur, aut non digne in gratia operaremur, & sic grauioris peccati rei efficeremur, vnde sæpe magis est parcentis clementer Domini negare ampliora gratiæ dona, quam irascentis. Deus superbis resistit, quasi suæ potentiæ rebellibus, humilibus autem dat gratiam, in quibus per tumorem elationis, non defluit, quod eis infundit. Perdit etiam nobis meritum bonorum operum, quæ pro humano fauore fecerimus. Et sæpe superbia assumit pallium humilitatis æmulæ suæ, vt sub nomine eius, gloriam callidè acquirat, vt quia despectio gloriæ non habet gloriam, saltem fugiendo eam assequatur, quæ sicut vmbra sequitur fugientem, & fugit insequentem.

C

Cap. XIX.

Quod bona nostra debemus quandoque hominibus ostendere, & aliquando occultare.

Vnde nota, quod bona nostra debemus quandoque hominibus ostendere, aliquando occultare. Similiter mala nostra aliquando aperire, aliquando celare. Bona nostra ad quæ tenemur, excepto Dei, vel Ecclesiæ, vel ad quæ ex manifesto voto astringimur, debemus hominibus ostendere, vt fidem, charitatem, iustitiam, veritatem, castitatem, obedientiam, & contemptum mundanorum, quæ si homines in nobis non viderent, cum sciant nos ad ea teneri, scandalizarentur, & reputarent nos præuaricatores voti nostri. De huiusmodi dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona vestra, &c. Aliquando vero bona nostra occultare debemus, quæ specialiter accepimus, vt gratiam internæ deuotionis, vel quæ possent nobis singularem laudem parare, vt singularis abstinentia, vigiliæ, & orationes, & Eleemosynæ, ad quæ non tenemur, de quibus Dominus docet in sermone habito in monte. Similiter mala nostra aliquando abscondere debemus, ne quis scandalizetur de nobis, vel sumat exemplum imitandi nos in similibus. Vnde tales dupliciter peccant, quia Deum offendunt, & proximo fodiunt foueam, quam incidit per mali exemplum. Sin autem sine culpa nostra, vel specie mala, aliquis ex sua malitia suspicatur mala de nobis, & non vult recipere excusationē nostram, tunc habeamus patientiam, sicut Christus tacuit in passione, de multis ex inuidia accusatus, dixit enim: Si vobis veritatem dixero, non creditis mihi, &c. Aliquando mala nostra aperire nudè debemus, scilicet in confessione priuata de priuatis, & in manifesta de manifestis, vt in visitationibus & redargutionibus.

D

E

Cap. XX.

Quomodo imperfectiones nostras non debemus erubescere confiteri.

Imperfectiones quoque nostras non debemus erubescere confiteri, & defectus virtutum, ne quis existimet nos super id quod videt nos. Si autem in bono opere vana gloria pulsat nos, non acquiescamus ei, nec tamen bonum opus dimittamus, maxime si sit vtile vel necessarium. Sępe etiam putamus nos laudari, pro aliquo facto vel dicto, quod forte alij non aduertunt, quia sicut nos omnia non pensamus, quæ homines contra nos faciunt, ita nec ipsi omnia attendunt, quæ nos facimus. Aliquando vero despiciunt nos potius, quam laudent, maxime si vel modice deprehendunt, nos appetere laudem pro his quæ facimus, etsi forte nobis adulentur in faciem, sicut est consuetudo in leuibus hominibus, ad placitum cuique loqui. Vnde contra tales sagittas vanæ gloriæ, non tantum indigemus fortiter pugnare, quam prudenter eas manu abigere, sicut muscas leues flabello remouemus.

F

Cap. XXI.

Quare appetitus commodi sit datus.

Appetitus etiam commodi vel delectationis datus fuerat homini, vt desideraret summam delectationem, quæ est in Deo, & summam beatitudinem, & quietem, & impassibilitatem, & vt delectaretur in habitis, vt felicior esset, quia onerosæ sunt delitiæ sine delectatione, & quanto delectatio auidior, tanto delitiæ iucundiores.

G

Cap. XXII.

Quomodo appetitus spiritualium delitiarum, mutatus est ex peccato in carnales delitias.

Nunc autem appetitus ille spiritualium delitiarum, ex peccato mutatus est in carnales delitias, vt appetat ea in quibus sensualitas delectatur, quæ sunt concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum. Concupiscentia carnis diffundit se in luxuriam, & molliciē vestiū, & quietem carnis, & somnolentiā, quę omnia spectant ad sensum Tactus. Item ad gulam quæ est delectatio gustus, item ad aliorum sensuum delectationes, vt audire carnaliter delectantia & odorare. Concupiscentia vero oculorum quęrit videre pulchra, & habere pretiosa, & ita generatur auaritia ex omnibus istis. Ex superbia vitæ generatur auaritia, quia ad hoc quærit ditari, vt amplius honoretur, ex concupiscentia carnis, vt voluptuosius epuletur, luxurietur, & commodius viuat absque sollicitudine defectus. 1. Ioan. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ex concupiscentia etiam oculorum generatur, vt videat pulchra, & habeat ad libitum, in quibus delectetur; aurum, argentum, gemmas, vestes, agros, terras, familias, spectacula & consimilia. Desiderat tamen Deus homini corpus pro-

H

A pter spiritum rationalem, & concesserat ei delectari etiam in sensibilibus, sed ordinatè & moderatè, & honestè, vt per sensuum delectationem sursum moueretur ad spiritualiũ cognitionem, delectationem & fruitionem. Vt appeteret coitum honestè, & sine vitiosa libidine, congruo tempore ad generandum filios, qui æternæ beatitudinis participes essent. Vt appeteret cibum & potum pro sustentamento naturæ, & alios quibus ad hoc indigebat. Sed dissipato ordine conditæ à Deo naturæ, per peccatum, omnia modo peruersa sunt, & ad sensuales delectationes dilapsa, quas cum timet perdere tristatur & irascitur, quas cum non habet pro libito, tædio afficitur. Et illos quos sibi credit fore impedimento, ne adipiscatur quæ cupit, vel per quos timet se amittere quæ diligit, odit, & illos quos videt habere quæ cupit inuidet, quia videt, quod quandiu alius habet, oporteret eum carere. Et sic oritur inuidia, cui annexum est odium vltiosum. Ita etiam oritur ira, sic etiam oritur accidia, habens ex vno latere annexam tristitiam, ex al-

B tero torporem dissolutionis & pigritiæ.

Cap. XXIII.

Quod omnia vitia & peccata ex vno fonte oriuntur, scilicet superbia.

OMnia vero vitia & peccata ex vno oriuntur fonte, id est, superbia, & ex duobus riuulis deriuantur, malo amore, & malo timore. Et triplex fomentum ea accendit, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ista sunt quasi materia & occasio homini ad tentationem, quæ mundus proponit nobis, honores, diuitias, & voluptates.

Cap. XXIV.

C *Quod in nobis quadruplex est defectus, vnde ad malum proni sumus, & quod ex his prodeunt videlicet, carnalia vitia.*

IN nobis quadruplex defectus est vnde ad malum proni sumus, ignorantia, concupiscentia, malitia, & infirmitas. Ignorantia excæcat, ne verum agnoscamus, & erremus in iudicio boni & mali. Concupiscentia emollit ad appetendum, & diligendum visibilia, & delectabilia carni. Malitia exasperat & amaricat cor ad iram, tristitiam, inuidiam, & odium. Infirmitas debilitat ad resistendum malo, & adhærendum bono. Hæc quatuor incidimus ex pœna primi peccati, & originaliter contrahimus ea ex peccato, in quo nascimur filij iræ. Ex his prodeunt septem capitalia vitia, de quibus ceu maioribus ramis cætera vitia pullulant. Hæc sunt septem capita Draconis in Apocalypsi, & septem dæmonia in Marco de Maria Magdalena per Christum eiecta. Item septem gentes, quæ terram promissionis occupauerant, ne filij Israel in ea pacifice habitarent, quia arcent nos hæc vitia ab introitu regni cœlestis, nisi ea studeamus expugnare, & subiugare. Docet autem vetus traditio apud Græcos, sicut & Clemens testatur, quod

D istæ gentes primo expulerant filios Sem, de terra illa, de cuius stirpe descenderant Abraham & Israel. Vnde cum Dominus præcepit filiis Israel gentes Chananeorum expugnare, & terram eorum possidere, videntur secundum hoc non alienam terram violenter vsurpasse, sed Domino vniuersorum obedisse, vt terram suam reciperent, expulsis his qui eam iniustè detinebant. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt vires animi, & affectiones, quæ à creatore bonæ factæ sunt, & ad bonum vsum homini insitæ, vt æterna & vtilia per eas quæreret, & quæ ex peccato in vitia mutatæ sunt, studeamus reformare, & in virtutes mutare, expulsis corruptionibus vitiorum. Superbia est amor propriæ excellentiæ, qua homo alta cupit, seipsum altum reputans, & ab aliis volens reputari, & alios præcellere. Inuidia est odium alienæ prosperitatis, quo homo dolet alium sibi æquari vel præferri & cupit ei malum, & de bono eius dolet. Ira est indignantis animi turbulenta commotio, qua quodammodo furit & æstuat, quando aliquid occurrit ei, quod est contrarium voluntati. Accidia est tædium boni ex animi torpore, dum aut irrationalis tristitia mentem aggrauat, aut dissolutio cordis ad vana alia magis inclinat. Auaritia est cupiditas, plus quam necessarium sit habendi temporalia. Gula est inordinatus alimenti appetitus, vel immoderatus. Luxuria est illicitus ardor libidinis, vel illicita expletio libidinosæ delectationis in actu, siue in morosa cogitatione. Et licet hoc modo vitia sint & peccata, hoc est, ex culpa hominis, & pœna peccati, Deus tamen dedit eas homini in quantum sunt naturales affectus, & mot⁹ appetitiui ad bonum, & ad motus virtutum, quia Deus nihil mali fecit, sed cuncta sunt bona valde. E

Cap. XXV.

Quid sit expugnatio vitiorum.

EXpugnatio ergo vitiorum non est aliud, nisi reformatio naturalium affectionum, & motuum, ad statum à conditione dispositum, vt supra aliquantulum dictum est de appetitu sublimitatis, qui datus est homini, vt appetat cœlestia & diuina, & spernat terrena & vilia, quasi indigniora se, hic modo delapsus est ad infima, vt appetat honores vanos & falsos. F

Cap. XXVI.

Quare homini datus sit inuidiæ affectus.

INuidiæ affectus naturaliter homini insitus est, non vt inuideat proximo de bono, quod habere potest, nec vt cupiat alicui malum, vel faciat, sed vt odiat vitia & peccata in se, & in aliis, & inuideat diabolo, quod tot animas aufert Deo, & alij adiutores eius imo diaboli vicarij & hæretici, & subuersores animarum, qui spoliãt animas æterna beatitudine, & quantum in ipsis est, spoliant ipsum cœlum maiori gaudio, quod ibi esset, si plures illuc venirent, cum singulis qui ibi sunt, multam lætitiam faciant omnibus ciuibus cœli. Salua tamen æterna prædestinationis ratione, quæ nullum ibi defectum suspicari permittit. Isti sunt hostes nostri, & ideo habendi, in quantum tales sunt, qui nos perdere æternaliter quærunt, non illi qui sperantur ad hoc conciues nostri futuri in gloria cœlesti, etiamsi adhuc videantur inimici. G

Cap. XXVII.

Cur datus sit homini affectus iræ.

IRæ affectus datus est homini, vt irascatur vitiis & malis suggestionibus, & ex indignatione, non patiatur, se trahi in consensum peccati, & reprimat malos motus in se, & in aliis, vbi oportune potest. Et vlciscatur Dei iniurias, & transgressiones iustitiæ, & tunc dicitur zelus iustitiæ, sicut legitur Christus, iratus fuisse Pharisæis, & aliis, non rectè agentibus, & alij sancti viri. Nunc ira in vitium deformata, & contra rationem in furorem versa est, & quasi in insaniam, vt more phrenetici, irrationabiliter moueatur homo contra hominem, contra amicum, & proximum contra seipsum, aliquando etiam contra sanctos, & contra Deum, & contra insensibilia & irrationabilia, quæ nec male, nec bene sciunt agere, nisi sicut natura impellit ea, & quia non agnoscimus nos iniustè moueri, non possumus quandoque impetum iracundiæ cohibere. H

Cap. XXVIII.

De affectu tristitiæ.

SImiliter affectus tristitiæ datus est homini, vt doleat de peccatis suis, & alienis, vt mœrens sit de dilatione patriæ, timeat supplicia inferni, doleat de imperfectione sua, compatiatur alienæ afflictioni, & per maturitatem vtilis luctus excludat leuitatem vanæ lætitiæ, quæ est nutrix dissolutionis. Sed hæc bona, & secundum Deum tristitia, peruersa facta, mutata est in tristitiam sæculi, operantem

mortem, in desperationem, diffidentiam, irrationabilem mœrorem.

Cap. XXIX.

Quare affectus gaudij.

Affectus gaudij datus fuit homini, vt gauderet in Deo, & in spe æternorum bonorum, & intuitu beneficiorum Dei, & congauderet proximo in donis eius, & delectaretur in laude Dei, & in bonis operibus, & fastidiret omnia vana & inutilia, & iucundaretur in operibus diuinis, & ex hoc efficeretur alacer & agilis ad seruitutem Dei. Sed modo peruersa est in dissolutionem, & vanitatem, vt homo gaudeat in vanis & falsis, & affluentia temporalium rerum, bonorum & voluptatum, in risu & derisu, & fabulis, & turpibus ludis. Et fastidit omnia quæ Dei sunt, & insipida sunt ei, & tædet eum interesse diuinis, & pigritat ad studia deuotionis & virtutis, & euagatur corde circa inutilia, & vana, & immunda. Et grauiores labores corporis libenter sustineret in alijs occupationibus, & negotijs, quam insistere spiritualibus, & diuinis, vnde acceleratur ab eis absolui quanto citius potest, & negligenter facit id quod facit, nisi forte lucrum, vel laudem inde speret consequi, vel aliud commodum temporale. Ex inordinata autem tristitia gignitur tædium boni, dum nil libet facere vel discere boni, vel cogitare vel loqui. Similiter ex dissolutione, tædium boni nascitur, dum tantum intenti sumus vanis leuitatibus, quod tædet nos spiritualibus studiis intendere, & quasi anxiamur, cum debemus auelli ab otio, vel iocis scurrilib⁹, & ociosis exercitiis occupari, vnde quasi ligati catuli ad stipitem, renitenti animo cogimur interesse diuinis, & hoc est accidiæ virium, fastidium boni. In hoc multi etiam religiosi laborant, & pauci superant.

Cap. XXX.

Quare affectus auaritiæ sit homini datus.

Affectus auaritiæ datus fuit homini, vt esset cupidus magni meriti apud Deum, & magnarum virtutum, & multorum bonorum operum, & multas animas lucraretur Deo, docendo, orando, bonum exemplum dando, & iuuando ad profectum salutis, & vt non esset homo contentus bono quod iam haberet, nisi laboraret, vt multipliciter augerentur ei & gratia, & opera virtutum. Sed nunc dilapsa est ad cupiditatem temporalium rerum, pecuniæ, possessionum, & quarumlibet rerum etiam vilium, quæ colligit, quasi homo semper debeat viuere, & mundus perire, vt congreget quantum valet, ne pereunte mũdo, non inueniat vnde viuat. Sicut Noe imminente diluuio comportauit escas, quas haberet, quando omnia diluuio perijssent, & quanto homo morti propinquat, tanto curiosius congregat & custodit, vt ostendatur quam sit irrationalis auaritia, eo magis colligere, quo minus indiget, sicut qui multum viaticum ferr ad breuem viam, & qui sumptuosam domum construit pro vnius noctis hospitio. Ideo autem Deus voluit nos semper incertos esse de hora mortis, vt pauca de temporalibus cogitemus, quæ omni hora timeremus perdere, & multa de æternis, ad quæ semper sine intermissione properamus.

Cap. XXXI.

De affectu victualium.

Appetitus victualium datus est nobis pro corpore, vt sustentemus naturam, vt possimus durare in seruitio Dei & multũ mereri, & moderatus & parcus victus, & vniformis, diutius conseruat naturam dum non opprimit vires eius, sed reficit. Et sanitatẽ conseruat vniformis diæta, quia naturaliter contemperat se ei, & non turbatur semper ex nouis & ignotis escis, vnde quidam tales claustrales diutissimè viuunt.

Cap. XXXII.

De affectu naturali.

Sed appetitus ille naturalis modo effusus est in voluptates & superfluitates, vt non simus contenti vnde sustentetur natura, sed vnde palatum oblectetur, & cum talibus assueti fuerimus, & natura se eis contentauerit, cum aliquando tenuiori victu debemus esse contenti, natura remurmurat propter desuetudinem, vnde statim putamus nos adeo debiles esse & infirmos, quasi victu pauperes non possimus viuere, & quasi sub discretionis velamine, delicata importune & inuerecundè incipimus quærere, nolentes experiri, quia natura, sicut per consuetudinem ad delicata dilapsa est, ita per cõtrariam assuefactionem posset reduci ad competens moderamen victus parcioris, sicut videmus in maxima parte mundi qui parce viuunt, gentiles, Iudæi, pauperes Christiani, quorum quidam in paupertate modo tam sani sunt, sicut olim in delitijs fuerant.

Cap. XXXIII.

Quod de spiritualibus delitiis, & de gustu internæ dulcedinis, vix iam mentio habetur.

De spiritualibus autem delitijs, & gustu æternæ dulcedinis, quæ sine comparatione, omnes mundi delitias superant, sicut mel fauum, vix est iam mentio, vel efficax desiderium aut studium, etiam inter illos, qui sibi alti videntur in religione, imo despicitur, deridetur, & quasi stultitia & abominatio habetur, & ab aliis religiosis persecutionẽ huiusmodi patiuntur, & hæretici dicuntur. Quam vero spirituales ipsi sint, qui deuotionis gratiam despiciũt, & persequuntur, ab Apostolo discant, qui etiam animales appellat, qui non intelligunt, quæ sint spiritus Dei, quia stultitia est eis. Non tamen laudo vel approbo deceptores vel deceptos, qui spiritum suum, vel alienum, pro spiritu Dei sequuntur, & seducuntur, sed probandi sunt spiritus, & sic iudicandi.

Cap. XXXIV.

Quare affectus dilectionis fuit homini datus.

Affectus dilectionis etiam datus fuit homini, vt diligeret Deum super omnia, & se & proximum propter Deum, & secundum Deum, & omnia opera Dei diligeret propter factorem, quamlibet creaturam iuxta suam dignitatem, & vt vteretur ministerio creaturæ ad Dei voluntatem, & suam æternam salutem, & horum omnium delectationem & vsum referret ad conditoris dilectionem & cognitionem, donec ad ipsum peruenirent, in quo viuunt omnia secundum æternam rationem. Sed ille affectus, quasi extinctus est, & dilapsus ad amorem carnis, & temporales delectationes, vt iam non diligat nisi pro sua temporali vtilitate, & carnali delectatione, & temporali voluntate. Licet etiam vsus carnalis concubitus datus fuit homini, & præceptus, ad prolis propagationem Deo educandæ, & æternam beatitudinem cum Deo & angelis possessuræ. Sed modo non proles, sed delectatio in hoc opere quæritur, & si proles desideratur, pro mundana iucunditate quæritur, & pro hæreditatis terrenæ successione, vel honoris augmento, vel vt plures amici habeantur in terra. Vnde dolent, quando paruuli decedunt, qui multo tutius moriuntur post baptismum, antequam per mortale peccatum perdant vitam æternam, quam postea in ætate adulta, propter dubium quales futuri sint, & propter multiplices laqueos peccati, quos valde pauci euadunt.

A ## CAP. XXXV.

Quare spes data sit homini.

SPes data est homini qua confidat de bonitate Dei, vt speret à Deo consequi gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, peccatorum veniam si pœniteat, & temporalem substantiam vel sustentationem, sicut expedit, & liberationem à malo, & conseruationem in bono. Sed spes modo confusa est, vt aut minus sperent homines quam debent, aut plus quam iustum est vel sit. Tantum confidunt quidam de bonitate Dei, quod etiam saluet eos in peccatis, contra iustitiam & veritatem suam, vt immundos collocet in cœlo cum angelis mundissimis. Et rursum tantum diffidunt quidam de Deo, quod si conuertantur, non velit eis dare perseuerantiam in spiritu, vel sustentationem pro corpore, quasi Deus propitius sit inimicis suis,
B cum in peccato manent, & impropitius amicis suis iustis & pœnitentibus, & conuertentibus se ad ipsum, & peccatores pascat liberaliter & saluet, conuersos deserat, & fame perire sinat.

CAP. XXXVI.

De affectu timoris.

TImor etiam datus fuit homini vt timeret Deum, & timeret ab eo separari, & eum offendere, & primum ab ipso damnari. Modo timet temporalem aduersitatem & incommodum corporis, & detrimentum honoris, & futura & æterna mala non timet, quasi nusquam futura sint, & quasi tantummodo minæ sint, sine effectu, quod dicitur de futuro iudicio, & æternis suppliciis, vel quod facilius euadat ea, quam dicatur. Timet etiam hominem magis vel bestiam, vel rem insensibilem, quam Deum o-
C mnipotentem, quem offendit.

CAP. XXXVII.

De affectu pudoris.

PVdor etiam datus est homini, vt pudeat eum indigna agere, vel egisse, hoc est, peccasse, & seruum peccati factum esse, & mancipium diaboli, & omnis turpitudinis vel inhonestatis, & segniciei, & vilitatis. Modo autem pudet nos seruitutis Dei, cui omnia seruiunt voluntariè. Pudet nos imitari Deum in humilitate, paupertate, patientia, religione, obedientia, & despectione, & contumeliis, & confusione, cum sit Deo indignus, qui eum erubescit coram hominibus confiteri, vel etiam imitari, cum gloria magis sit seruo, sequi Dominum. Eodem modo sentiendum est de omnibus quæ à Deo accepimus, de intellectu mentis, & ingenio, & de corpore & membris eius, & de substantia temporali, & honore, & potestate, & de tempore quo viuimus, & de omnibus quæ in mundo seruiunt homini. Omnia hæc data sunt nobis, vt inde seruiamus
D creatori nostro, & nobis vitam mereamur æternam, & proximos nostros nobiscum trahamus ad vitam. Sed è contra nos omnia, quæ ad vsum vitæ, vel meritum gloriæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ, vnde cuncta quæ inflexim⁹ ad vsum prauitatis, nobis redduntur vltiones, siue per pœnam, siue per pœnitentiam. Per pœnam videlicet, vt cum caro tentat nos, vel affectus carnales, & appetus inordinatè affligunt nos, vel substantia aufertur nobis, vel aeris intemperies, vel terræ sterilitas, vel corporis infirmatos nos excruciat, vel aliter affligimur, vt per quæ peccauimus, per hæc & puniamur. Et si volũtariè pro Deo toleramus, purgamur à peccatis, per quæ merueramus, & coronamur pro patientia, & bona voluntate qua pro Deo toleramus. Si autem inuitè, nihilominus oportet nos puniri hic, & in futuro, & per impatientiam augemus culpam, & per consequens etiam meritum pœnæ.

E ## CAP. XXXVIII.

De singulorum vitiorum descriptione, & remedijs quibus curantur.

NVnc singulorum vitiorum natura, vel descriptione, aliqua consideremus, & de remediis quibus curantur. Cum virtus non aliud sit, quam vitiorum perfecta curatio, vel carentia vitij, secundum quod istam materiam respicit. Quia si vitium inordinatus est motus, vel affectus naturalis, eius contrarium est virtus, id est, affectus vel appetitus ordinatus, ad id, & secundum istud, quod à bono conditore datus fuit, vt ante patuit in exemplis.

CAP. XXXIX.

Quod triplex est superbia.

F SVperbia triplex est, vt supra dictum est, cum aut homo plus placet sibi, quam debet, & maiorem se existimat, quam sit in veritate, aut eum aliis placere desiderat, & studet amore propriæ gloriæ, volens magnus reputari, & laudari, cum soli Deo honor & gloria propriè debeatur, qui solus essentialiter bonus est, & à quo habetur omne bonum. Vnde quicquid gloriæ nobis vsurpamus, Deo furamur, imo decipimus nos attribuentes nobis quod non est verum, sicut meretrix mentitur se honestam & formosam, cum non sit, hæc est inanis gloria, quia vacua veritate & vtilitate salutis. Tertia cum alijs cupit præeminere singularitate gloriæ, vel dominio, vel prælatione, & imperio, & despicit cæteros & deprimit.

CAP. XL.

Quod homo quatuor modis per superbiam decipitur.

G DEcipitur autem homo quadrupliciter, vel putans se habere, quod non habet, aut plus habere, quam habet, aut singulariter præ cæteris habere, aut ex se, vel pro meritis suis habere.

CAP. XLI.

Quod tria sunt, quæ in nobis vitia expellunt, & virtutes in nobis operantur & plantant, scilicet gratia Dei, industria propria, & necessitas.

TRia sunt autem quæ vitia in nobis expellunt, & virtutes operantur: gratia Dei, industria propria, & necessitas. Gratia Dei infundit virtutes, industria cooperatur gratiæ ex libero arbitrio, & necessitatem conuertit in virtutem, sine necessitate sæpe, sed sine gratia nunquam potest esse virtus, & liberi arbitrij consensus. Quibusdam infundit gratia virtutes, cum modico vel nullo labore industriæ propriæ, licet non sine consensu voluntatis eum sine consensu voluntatis nullum sit meritum, sicut illis
H quos præuenit Deus in benedictionibus dulcedinis suæ. Ecclesiasticus: Qui de luce, id est, in diluculo incipientis ætatis capacis intelligentiæ vigilauerit, ad illam non laborabit, assistentem enim foribus suis inueniet illam, id est, gratiam sapientiæ & virtutis. Sic Apostolos & alios quandoque, maxime in primitiua Ecclesia, legimus repente Spiritu sancto repletos, ad virtutes, & dona, & diuersa charismata Spiritus sancti, Gratia excitat voluntatem, & instruit & roborat, vt industria agat ad profectum virtutis. Necessitas autem alia est, cum se homo voluntariè subijcit, vt qui se obligant voto ad obedientiam, castitatem, paupertatem, & similia, vel vadunt ad infideles prędicare. Si illis postea euenit aliquid pati vel agere, quod libenter euaderent, videntur necessitate cogi, quæ voluntaria tamen est, quia ad hoc sponte se obtulerunt, & potius pati volunt, quam à proposito resilire. Alia est coacta, quam homo inuitus tolerat, nec tamen potest effugere, vt paupertas sęcularis, infirmitas corporis, despectio, persecutio,

A tentationes aliquæ, vel aliæ diuersæ tribulationes, quas licet primo inuoluntariè toleret, & cum murmure, tamen postea cum videt esse ineuitabiles, incipit aliquando voluntatem flectere, & facere de necessitate virtutem, & tunc incipit mereri, & cooperatur illa necessitas ad magnum profectum virtutum, ad quas vix aliter perueniret. Et hoc est quod dicitur de quibusdam: compelle intrare. Et illud quod orat Ecclesia Deum: Et ad te etiam nostras rebelles compelle propitius voluntates, hoc est, fac de inuoluntariis voluntarios, ad ea quæ scis nobis expedire, etiam per aduersa, cum nolumus te in prosperis sequi, &c.

Cap. XLII.

Quod industria consistit in tribus quibus, adiuuante gratia, vitia subiugantur.

INdustria in tribus consistit, in prouida consideratione, in labore conatus, & in perseueranti diligentia. Per ista B tria, adiuuante gratia, vitia subiugantur, & virtutes obtinentur.

Cap. XLIII.

Quod gratia quosdam suauitate præuenit, & quosdam relinquit.

SEd gratia quosdam præuenit, vt cum multa facilitate, imo cum multa suauitate faciant bonum, & declinent à malo, aut ita accendit voluntatem, vt cum magno feruore, quæque facienda promptè aggrediantur, quamuis dura & difficilia. Quosdam vero ita sibi quodammodo relinquit, vt quicquid boni agere debent, necesse habeant se stimulis & calcaribus pungere, quasi pigrum animal, & grauior sit eis difficultas superādi torporem cordis, quam laborem actionis sustinendi. Isti, & si non habent desiderium feruens ad currendum post Dominum, habent tamē desiderium desiderij, orantes se trahi cum sponsa, quasi qui agilitatem currendi non habent. Iuxta illud: concupiuit C anima mea desiderare iustificationes tuas, & omni tempore voluntatem bonam habent, sed pigram & tepidam, non feruentem. Primum felicius est, secundum laboriosius. Vtrum autem maioris meriti sit, puto neminem perfectè æstimare posse, nisi eum, qui spirituum ponderator est secundum Dñm. Secundi si fideliter luctando vincunt seipsos, vt per consuetudinem sui potētes fiant, magnę virtutis est. Primi maiori indigent cautela, ne seducantur, quia diuitiæ faciliter acquisitę, prodigalius solent effundi, quam quæ paulatim & cum difficultate elaborantur. Secundi autem antequam perfectè vincant difficultates tētationum, sæpe quasi lassati vel territi ex labore, desperant de victoria & peruentione ad finem, quo tendunt, & remittunt studium perfectionis, & ad alias occupationes se conuertunt, quasi diffidentes de Deo, quod nolit eos introducere in terram promissionis, per quam significatur perfectio puritatis. Sicut filij Israel, Numer. 14 in deserto tædio laboris, & timore difficultatis de superandis hostibus, detraxerunt terræ promissionis, & mortui sunt in de- D serto, præter paucissimos, hoc est, præter Caleph & Iosue, qui designant eos, qui caute & viriliter per tentationes transeunt, vsque in finem perseuerando. Ideo inter tot de sæculo, quasi de Ægypto egressos, tam pauci perueniunt ad consummatam perfectionem. Quia aut seducti callidis deceptionibus inimici, aut tædio laboris & difficultatis fracti, viam perfectionis deserunt, vel aggredi non præsumunt.

Cap. XLIV.

Quod quædam sunt generalia remedia ad vitia expellenda, & iuuamenta ad virtutes obtinendas.

QVædam etiam sunt generalia contra vitia expugnāda, & ad virtutes obtinēdas, quædam specialia contra aliquas singulariter, vt contra luxuriam, fœminas fugere viros, & similia. Quædam autem sunt, quæ cito & perfectè perducunt hominem ad sanitatem mentis, quædam tardius & imperfectius.

E

Cap. XLV.

Quod efficaciora remedia contra omnia vitia sunt septem.

EFficaciora autem remedia contra omnia vitia sunt septem. Primum est paupertas, vt in omnibus patiaris penuriam, non solum in his quæ desideras, quia illa est omnium etiam ditissimorum, qui plus cupiunt quam habent, sed penuriam etiam in his quibus necessario indiges, in victu, in vestitu, hospitio, ministris, & similibus. Secundum est despectio hominum, vt sis contentus si vilipendaris, & in nullo singulariter honoreris, sed potius cōfundaris, exprobreris & vitupereris, & hoc sæpe etiam ab amicis donec tumor elationis penitus in te comprimatur. Vnde vides quanta mendici tolerent à diuitibus, & quam patienter, quod non facerent, si haberent diuitias & honores. Tertium est strenuum magisterium, vt cogaris facere quod inuitissime facis, & dimittere, quod libenter faceres, & nihil habere, nisi quod datur, nihil agere, nisi ꝙ F iubetur, nec loqui, nec esse, nisi ad nutum alterius, & nil dissimules, quicquid negligis, quando aspere reprehenderis & puniris, donec curuitas propriæ voluntatis plene in te ad formam rectitudinis reflectatur. Quartum est elongatio à consortio sæcularium, quia sicut aqua turbata, si ponatur seorsum à frequentia transeuntium, purificatur magis, ita mens religiosi à sæculo sequestrata, minus afficitur circa terrena, & cœlestia magis incipit desiderare, & prius intelligere, & facilius cogitando inhærere eis. Quintum est frequens oratio, quia oratio eleuat mentem supra se, ad Deum, & impetrat ab ipso curationem languorum, vitiorum, & sanitatem virtutum. Sextum est quælibet afflictio seu tribulatio aduersitatis, vt labor, infirmitas, persecutio, tentationes, infamia & similia, quia sicut lima purgat & splendere facit metallum, ita tribulatio & afflictio abradit rubiginem vitiorum. Vnde qui desiderat plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. Si autem primo est amara ad sustinendum aduersi- G tas, per consuetudinem continuam fit de die in diem tolerabilior, quousque iam non curetur, vel etiam diligatur propter profectum sanitatis, quæ exinde prouenire sentitur. Exemplū de cauterio, ꝙ primo acerbum est, sed emortua carne non dolet, & superfluos & noxios humores educit: vnde orat Propheta: Proba me Domine, & tenta me, & vre renes meos & cor meum. Septimum est, sicut arte medicinæ contraria contrariis curantur, ita vitia contrariis exercitiorum remedijs sanantur, vt superbia humiliatione, gula, sobrietate, impatientia aduersitate, & sic de alijs, sequitur.

Cap. XLVI.

Quod tres sunt species remediorum superbiæ.

NVnc ergo de specialibus singulorum vitiorum remediis videndum, quę si non omnia possumus scire, vel describere, pauca tamen de pluribus consideremus, H sicut pauperes, qui non possunt multas medicinarum diuersitates & efficaces habere, conficiunt sibi de vilibus herbis vnguenta, quibus leniant dolores suos. Primum ergo superbiæ remedium est, consideratio propriæ vilitatis, tam in corpore, quam in anima, tam illius, quæ nobis cum cæteris communis est, quam illius, quam in nobis singulariter cognoscimus in occulto vel in aperto. Considera vilitates & infirmitates corporis, quid fuimus, quomodo concepti, quomodo in vtero nutriti, & nati, quid sumus intrinsecus sub cute, quæ sordes ebulliunt per aperturas, quam facile deperit, quicquid in nobis pulchrum & validum apparet, quod mors semper propinquat, & quales post mortem erimus. Item quod exteriores honores & diuitiæ, terra sunt, & de terra tolluntur, vt pecuniæ & possessiones, honores nō impendūtur homini pro se, sed pro quæstu, qui inde speratur. Sicut vultures & canes currunt ad cadauer, quamdiu sperant inde saturari, sed cum totū corroserint, quod nisi sicca remanēt ossa, relinquunt cadauer.

cadauer. Item, bona mentis nostræ, non sunt nostra, sed dona Dei, & rationem inde reddituri sumus districtè, vt scientia, ingenium, virtutes. Mala purè nostra mala sunt, & ex pluribus circumstantiis grauia, & grauibus supplicijs digna. Bona nostra non purè bona sunt, sed multipliciter imperfecta, pigritia, desidia, vana gloria, hypocrisis tepiditas, & vanæ cogitationes, & imperseuerantia, & cætera vitia, sæpe vitiant bona quæ facimus, & maculant sacrificium nostrum tam orationum, quam actionum, vt minus sit Deo acceptum, & minus nobis meritorium. Item expositi sumus pluribus periculis, & æternæ damnationi, & & infinitis supplicijs, & plurimis vitiis & peccatis onerati, & miseriis subditi. Vnde ergo superbit terra & cinis, homo tam vilis?

Secundum est exercere se in humilibus operibus, vilibus, & despectis officiis, & rusticanis laboribus, humili habitu incedere, humiles mores & verba habere, locum nouissimum eligere, nihil iactantiæ, & ostentationis prætendere. Hæc & similia, cum in consuetudinem versa fuerint, mentem ad humilitatem inclinant. Si autem vana gloria & superbia pulsat mentem pro humiliatione, hoc est, ex nouitate vel raritate huiusmodi humiliationis, iam per longum vsum ista vanitas euanescit. Psalmus: In Deo faciamus virtutes, & ipse ad nihilum deducet inimicos vestros.

Tertium est superiores & meliores se attendere, tam homines, quam ipsum Dominum Iesum, Deum & hominem, vt eorum comparatione sibimet vilescat homo, qui se aliquid esse putat, sicut locusta ad gigantem, calculus ad montem, gutta ad flumen, & hoc tam in faciendo bona, quam patiendo aduersa, Pannosus Gartio vilescit inter purpuratos, sic nos debiles & pauperes in virtutibus, respectu maiorum & sanctorum, siue ante nos fuerint, siue nobiscum.

Cap. XLVII.

Quod triplex est inuidia.

INuidia triplex est. Prima non gaudere de bono alterius, & non dolere de malo, hoc est contra charitatem proximi, quem tenemur diligere sicut nosipsos, cum nemo de proprio bono non gaudeat, vel de malo non doleat. Secunda est dolere & torqueri in bonis alterius & gaudere, & optare malum eius ex odio personæ. Nam qui dolet de prosperitate temporali alicuius, vel gaudet de aduersitate eius, quia videt expedire eidem, vel communi vtilitati aliorum non ex odio personæ, non est inuidiæ deputandum, sicut iustus iudex destruit malefactores, ne vel ipsi grauius damnentur, si diutius prosperentur, vel per eos pax communis turbetur. Tertium insuper est promouere malum alterius verbis & factis, & bonum impedire vel deprimere. Grauis inuidia est, malum pro malo reddere, grauius autem odire illum, qui nil tibi nocuit, grauissimum autem malum pro bono reddere, vel odio habere aliquem, qui bonus est, sicut Iudæi Christum. Item, malum est lædere aliquem in rebus, peius autem est lædere aliquem in honoribus, vel in corpore, pessimum autem, imo diabolicum lædere & nocere alicui in anima, quo ad salutem æternam. Item negare beneficium indigenti peccatum est, etiam si sit inimicus, non impedire autem malum eius, cum possis, grauius. Perfectio autem est, bonum inimici promouere, & diligere ex affectu. Quidam putant se esse innocentes, si negant illis quos non diligunt salutationem suam, sed examinent se, quo modo esurienti inimico cibum ministrarent, quæ non sine proprio damno darent, si salutationem, quam sine damno dare possunt negauerint, maxime si desideret & acceptet. Ideo autem inuidia vel odium Deo contraria sunt, quia singularitet charitati, quæ Deus est, opposita sunt, & commune bonum, quod Dei largitas omnibus æqualiter creauit, æqualibus inuidet, & eos odit, quos Deus creauit & redemit, & diligit, & de quibus spes est, quod ad vitam æternam perueniant.

Cap. XLVIII.

De remediis contra inuidiam.

REmedium contra inuidiam primum est, quod etiam summum est, nil amare, vel cupere eorum, quæ mundus amat, id est honores, diuitias, voluptates. Temporalia enim quo in plures diuiduntur, eo partes minores fiunt, & qui ea appetit, inuidet aliis ea habentibus, dum necesse est, alium carere, quod alter habet. Cœlestia autem & diuina, quo magis participant, eo magis dilatant, & abundant, vt virtutes, & sapientia, & dona spiritus Sancti, & similia, quæ participatione non minuuntur. Secundum est cogitare, quod si alius non haberet illud, vnde ei inuides, tamen tu non haberes, vnde cupias alteri quod sine damno tuo habet, ne frustra de aliena felicitate torqueatis.

Cap. XLIX.

Quod triplex est remedium contra odium.

REmedium contra odium est timere vindictam Dei, qui non dimittit homini peccata sua, quamdiu ipse tenet odium contra proximum suum. Secundum est cogitare, quod tamen aliquando oportet eum proximo reconciliari, si vult saluari, vnde melius est hoc cito fieri, quam tardius, ne homo interim sit in periculo damnationis, & perdat bona, quæ interim operatur. Futuri enim domestici in domo pacis cœlestis, hinc debent æternæ pacis fœdus inchoare, quia quanto hic feruentior dilectio, tanto illic iucundior fruitio æternæ pacis. Tertium, quid prodest homini diu meminisse iniuriarum, nisi vt amplius inquietet, & affligat semetipsum. Sufficit diei malitia sua. Tanta sunt enim nobis molesta, quantumcunque studemus in nobis esse pacifici, quod si super hoc voluerimus & nobis aggrauare per odij & rancoris conseruationem, citius obruemur, quam omnia resistendo vincamus, potius iuxta Apostolum date locum iræ debemus, id est cedere, & resistere malo, non malum pro malo reddendo. Quod si velimus omnes opprimere, quos aduersarios patimur, & tamen iterum & iterum alij insurgent, & sic prius succumbemus, quam oēs eliminemus, qui seipsum per patientiam vincit, omnes aduersarios superabit. Ieremias, Rebellabunt aduersum te, sed non præualebunt exemplum de martyribus sanctis. Odium aliquando nascitur ex inuidia, aliquando ex ira diu retenta.

Cap. L.

Quod triplex est qualitas iræ, & remedia quandoque contra eam.

IRæ triplex est qualitas. Primo subito, & ex facili caus[a] moueri, vt ex leui facto vel verbo, vel etiam ex sola va[na] na suspicione. Aliquando etiam contra insensata commo[ue]mur, & irascimur brutis, & lapidi, & ligno, vel calam[o] & huiusmodi, sine ratione. Secunda est, vehementer in[flammari]. Aliquando ira tantum in corde accenditur, ali[quando] etiam facies inflammatur, & deformatur, aliquā[n]do etiam gest⁹ & motus mobilitate quadam notabili ag[i]tantur, ex qua interior animi commotio demonstratur, [v]sternutatio narium, pallor vel rubor vultus, depressio pa[l]pebrarum, tremor labiorum, inquietudo totius corp[o]ris. Aliquando per verba erumpit in clamores, conuiti[a], contumelias, maledicta, & minas, & periuria & bla[s]phemias. Aliquando quasi febris concutit corpus, v[el] quasi phrenesis mentem in furorem vertit. Aliqñ mani[bus] mouet ad lædendum alium, vel seipsum, ita vt sibimet quandoque manus injiciat, vel ea quæ parauerat abijcia[t] & destruat. Aliquando non sinit admittere quæ sibi su[nt] vtilia, vt cibum vel aliud commodum, & multa huiusm[o]di ita operatur, & pacem cordis turbat, & rationem obnu[]bilat, & memoriam confundit, & sicut fumus hospite[s] de domo expellit, ita ira Spiritum sanctum, qui super qui[e-]

A tum tantummodo requiescere quærit, de cordis habitaculo excludit. Tertia qualitas iræ est diuturna commotio, quæ aliquando rancorem fouet. Quidam habent de prima qualitate magis, & minus de secunda & tertia, quidam de secunda magis, quidam de tertia. Quidam abundant in duabus ipsarum, quidam etiam in omnibus tribus, & hi pessimi sunt. Ira contrariatur virtuti mansuetudinis, patientiæ & mititatis, & dehonestat disciplinam motum, & facit hominem inconsideratum, quia nec timet Dominum, nec hominem reueretur, ira etiam non habet misericordiam, nec humilitatem prætendit, & excæcat intellectum, sicut fumus oculis, sic ira cordi.

Remedia iræ sunt, primum prouida præmeditatio illorum quæ possunt occurrere, tam verborum, quam factorum contrariorum, vt ante pugnam se homo ad patientiam præparet, & hostem quasi insidiis paratus expectet, vt eo minus perturbent venientia, cum fuerint præuisa. Qui enim debent in duello pugnare, ante pugnam solent artem pugnandi exercitando addiscere, vt ictus aduersarij B sciant scuto excipere, ne improuidi vulnerentur, & superentur. Nam qui tunc primum vult armari, quando hostes irruunt super eum, nec spatium præ stupore, nec consilium inuenit, quo euadat. Secundum est os comprimere tacendo, & accensam flammam iræ in corde suffocare, ne si euaporare permittatur, increscat, & alios incendat, sicut de igne materiali sæpius experimur. Ad hoc enim duo ostia linguæ dedit Deus, dentes & labia, ne facile prosiliat ad nocendum, maxime cum intus incensa fuerit igne furoris, vel infecta toxico liuoris. Ecclesiasticus, Facito ostia ori tuo, &c. Psalm. Pone Domine custodiam ori meo. Tertium est, conuertere se ad alia negotia. quibus cor occupetur loquendo, vel alia tractando, vt sic obliuiscatur commotionis suæ, sicut qui vult ignem extinguere, subtrahit stipites ardentes, vt sic diuisus ignis deficiat, materia per partes ei subtracta. Quartum remedium est verecundia, qua homo modestus erubescit disciplinæ suæ detrimentum incurrere, & alios scandalizare, & vim facit sibimet reprimendo iram, vel etiam alios motus inordinatos, ne C honestatis dispendia patiatur. Sic etiam timor reprimit iram, sicut videmus in seruis, qui à Dominis suis sæpe durè castigantur, & nec audent leniter contra mutire, ne forte peiora eis inferantur. Si hoc potest timor humanus, quanto magis timor Dei, si verè insit menti, & maxime amor ipsius boni. Tam potens est quisque malo resistere, quanto amor boni in cordis eius affectu conualuerit. Quartum est assuescere se, statim cum sentitur commotio, admittere consilia prudentiæ, perpendendo quam nocua sit iracundia, quæ lædit conscientiam, confundit famam, alios scandalizat, cor inquietat, Spiritum sanctum effugat, tormenta meretur. E contra, quod illud pro quo irascimur, iam ineuitabile est, si factum est, vel fieri oportet, & quod nihil proficimus resistendo, nisi quod malum duplicamus. Tanta enim in hoc sæculo occurrunt aduersa, quod si etiam omnem diligentiam apponimus, qualiter ea nobismet mitigemus leniter patiendo, tamen vix omnia portabimus, quanto magis si voluerimus ea nobis aggrauare per impatientiam, & retinere in corde per ran- D corem, nec expellere, vt euanescant sicut fumus, ante obruemur & suffocabimur, quam possimus omnia resistendo superare, sicut illi, qui continuum fluxum reumatis non excreant, suffocantur. Quid volumus verba contumeliosa contra nos prolata retinere, quæ cum aura transierunt, quæ nihil nocuerunt, quantum fuit in se, nec in rebus, nec in corpore, nec gratiam Dei nobis auferunt, nec honorem apud homines, si nos non per impatientiam offendimus nosmetipsos, imo potius magis grati simus Deo & hominibus, si contumelias patimur. Sic æstimemus verba maledictorum & detractorum, sicut latratus canum, vel clamores anserum, quos contra nos audimus, & non curamus. Qui alterum contumeliose vituperat, seipsum magis, quam illum dehonestat. Ecce aliquando in itinere intemperies aeris affligit nos, & cum euaserimus, lætamur, & tristitiæ prioris obliuiscimur, nec adijcimus vt iterato contristemus nos pro priori incommodo, quod iam præterijt; Sic iam debemus præteritarum obliuisci in- E iuriarum, ac si non fuerint, & gaudere quod sustinuimus, quia cum tribulatio pertransierit, meritum eius adhuc manet. Cogitare etiam debemus, quod nemo in hac vita sine aduersitate viuit, etiá qui sęculo seruiunt, sæpe grauiora tolerant: Item quanta sancti sustinuerint, & maxime & super omnes Dominus noster Iesus Christus. Et si ipse passus est tanta pro nobis, non est indignum, si nos aliqua toleramus pro ipso, & pro magna gloria nostra, & pro merito peccatorum nostrorum, pro quibus vtilius modica hic pati debemus, quam in futuro plurima & acerbiora. Hæc & his similia prudenter & sæpe cogitando, impetum iracundiæ & impatientiæ facilius superamus.

CAP. LI.

Quod accidiæ tres sunt species.

Accidiæ vitium tres habet species. Prima est quædam amaritudo mentis, qua nil lætũ vel salubre libet, tæ- F dio pascitur, fastidit hominis consortium. Hæc est, quam Apostolus sæculi tristitiam appellat, quæ mortem operatur, procliuis ad desperationem, & diffidentiam, prona ad suspitiones, quæ patientem aliquando instigat ad necem sui ipsius, luctu irrationabili oppressa. Hæc aliquando nascitur ex præcedenti impatientia, aliquando ex retardato vel impedito desiderio cupitæ rei, aliquando ex prædominantibus melancholicis humoribus, & tunc medicorum est adhibere remedium, potius quam religiosorum. Secũda est torpor quidam pigritudinis, qui somnum amat, & omnia commoda corporis, horret labores, fugit aspera quæque, friget ad operationem, ocio delectatur, hæc est pigritia propriè. Tertia est, quæ sola fastidit ea quæ Dei sunt, ad alia agilis est & alacris, oratio est insipida, à laudibus Dei se absentat, vbi caute potest & audet, festinat explere velociter orationes debitas, & ne nimis afficiatur tædio earum, assumit interim alias cogitationes vel occupationes quibus intendat, donec perficiat horas, vel oratio- G nes consuetas, & rumoribus pascitur, ludis delectatur, excogitat negotia, quibus occupetur. Nil magis est ei onerosum, quam intendere Deo, & his quæ spectant ad studium & profectum spiritualem. Cella ei carcer est, euagari autem tam corpore quam mente extra claustrum diligit & quærit multifaria occasione. Omnis vigor disciplinæ spiritualis grauis est ei, & murmurat è contra, & conqueritur de duritia prælatorum, & pro disciplina zelantium. Hoc accidiæ vitium signum est ingratitudinis, quia tanta beneficia contulit nobis Dominus, & confert quotidie, quod fidelem seruum eius deceret nunquam ab eius laude cessare, nunquam eius obsequium fastidire, Item spoliat nos multis meritis & præmiis in cœlo, tantam enim gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere possimus, sed otiosè eam transigimus. Et nulla vel modica mora præterit, qua aut non meremur, aut demeremur. Item cum in multis offendamus Deum, conueniens est, vt tempus, quod adhuc restat nobis ad viuendum, tanto melius expendamus, vt redimamus tempus, quod male amisi- H mus.

CAP. LII.

De remedijs accidiæ.

Remedium accidiæ sunt, primum efficacius cogere se ad ea spiritualia studia, quæ maximè fastidit homo, & præcipuè ad orationem & celebrationem diuinorum, quousque per Dei gratiam vertatur nobis in oblectationem. Si autem differatur talis gratia, nihilominus ex labore luctaminis accrescit meritum, & virtus roboratur, & per cõsuetudinem magis ac magis tædium minuitur. Deus non requirit à nobis quod non dedit, scilicet gratiam deuotionis, sed hoc vult vt quæramus, & cum dederit conseruemus, & gratias ei agamus. Possibile enim est aliquem quandoque plus mereri, in pugna laboris pro obtinenda deuotione etiamsi nil proficit, quam si multa deuotione flagraret sine labore. Quia de isto posset forsitan extolli & meritum diminui, de illo aut cor humiliatur & me-

ritum

A

titum conseruatur, Contra tristitiam autem maxime valet frequens memoria benignitatis Dei, & intuitus beneficiorum eius, contra cuius bonitatem peccata omnium nostrorum sunt sicut gutta ad mare. Item sit libenter cum bona societate, maxime qui de Deo sæpe loquuntur deuote. Iacobus: Tristatur aliquis in vobis oret æquo animo, & psallat. Sic enim cor hilarescit, & spiritus tristitiæ effugatur. Occupatio etiam prodest tristibus, vt obliuiscantur tristitiæ. Pigris vtilis est laboris exercitatio, & consuetudo incommodi cogente strenuo magisterio, ne possint remisse agere pro tædio laboris, nisi debilitas sit in causa. Item contra tædium valet varietas actionis, vt ab vno transeat ad aliud opus bonum.

Cap. LIII.

Quod seruus Dei in quatuor exercitiis debet versari.

B

Seruus Dei in his quatuor exercitijs versetur, vt aut Deo intendat orando, psallendo, meditando, studendo deuotioni: aut de Deo tractet legendo, studendo scientiæ, conferendo, discendo, docendo: aut pro Deo laboret operando, seruiendo, corpus castigando, & virtutibus studendo: aut corporis refectioni moderate indulgendo, quiescendo, cibum & potum sumendo, adhoc vt corpus possit spiritui seruire, Ecclesiasticus, Panis, & disciplina, & opus seruo. Panis ad sustentationem, disciplina ad correctionē, opus ad exercitationem. Asinus indiget pabulo, ne deficiat onere, ne lasciuiat otiosus, virga qua impellatur, ne pigre ambulet vel deuiet. Grauis accidia est negligenter persoluere ad quod quis tenetur, grauior prætermittere omnino ex tædio, grauissima etiam alios impedire, & à bono retrahere, nec posse aliorum studia æquo animo sustinere.

Cap. LIV.

C

Quod auaritia tres habet species.

Auaritia tres habet species. Prima est anxia cupido habendi, vel acquirendi temporalia, siue sequatur effectus, siue non, & sic potest auarus esse pauper, qui modicum habet, vel etiam nihil. Secunda, tenacitas conseruandi habita, quæ non permittit ea erogari in pias causas, vel in vsus necessarios cōgi ne expendi, nisi cum animi dolore. Tertia, augere diuitias, & vndecunque acquirere, etiam de iniusto, & turpi quæstu, vt furto, rapina, fraude vsura, & alijs inhonestis modis. Quidam laborant in prima specie, quidam in secunda, quidam in tertia, quidam in duabus, quidam in omnibus. Hoc vitium videtur specialiter contra naturam esse, & ex sola praua consuetudine, vel corrupta voluntate molitum esse, quod ex hoc probatur. Quia mundus multo tempore caruit hoc vitio, & aliquę gentes adhuc putantur ab eo immunes esse, vel fuisse, sicut gymnosophistæ. Item, quia multi sæculo perfecte renunciantes, cum ab alijs sępius impugnentur, ab hoc nunquam deinceps pulsantur, nisi forte propria misera voluntate se subijciant. Qui autem se semel eius laqueo alligari

D

permiserit, vix vnquam de cætero ab eius compede liber erit. Vnde videmus religiosos quosdam, post primam sæculi abrenuntiationem, qua ab eius laqueis erepti fuerant, rursum inuolui auaritiæ retibus, & insatiabiliter sitire res alienas, qui prius proprias contempserant propter Deum. Sic Iudas omnibus suis renunciauerat, postea fur factus & loculos colligens, Dominum maiestatis vendidit, & laqueo se suspendit.

Cap. LV.

De remedijs tribus auaritiæ.

Remedia auaritiæ sunt. Primum omnia pro Christo relinquere, & sub alterius regimine, & prouisione viuere. Et si qua habuerit ei plene resignare, & in nullo sui

E

iuris esse. Sic in primitiua Ecclesia fideles sub Apostolis erant, & in monasteriis bene ordinatis claustrales. Hoc est efficacius auaritiæ remedium, sicut Dominus docuit. Qui non renunciauerit omnib. quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Item: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus. Secundum, considerare omnes perplexitates diuitiarum, & laqueos auaritiæ, & paupertatis libertatem, & vtilitatem. Diuitiæ enim periculose acquiruntur, & cum labore, & cum multa sollicitudine conseruantur, quia multorum inuidiæ patent, furum, raptorum, potentum, fraudulentorum, vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas, tam consumentium, quam subtrahētium. A nullo securus est diues, nec ab extraneis, nec à proximis. Sic est diuitibus in medio cupitorum, sicut carnifici in medio famelicorum canum, diu colliguntur, cito amittuntur affligunt nondum habitæ, & amissæ. Pauca sufficiunt necessitati, mors cito rapit ab eis, pœnas æternas

F

amatoribus suis lucrantur, ab his omnibus libera est paupertas. Psalmus: Rapinas nolite concupiscere, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Fructus diuitiarum, est largitas eleemosynarum, sine illa infructuosæ sunt, & perniciosæ. Ecclesiasticus, Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui cedunt. Semen accumulatum putrescit, seminatum autem fructificat. Tertium remedium, cōfidentia de Deo, qui non relinquit sperantes in se, iuxta promissum ipsius: Nolite solliciti esse dicentes, quid mãducabimus? aut quo operiemur? scit enim pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Qui enim sic fecit hominem, vt alimētis indigeat, non patietur eum perire per necessariorum subtractionem, si eius curæ se committat. Matth. Quærite primū regnū Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia, s. necessaria corporis, adijcientur vobis. Si. n. mali & crudeles homines, imo bestiæ & bruta filios suos nutriunt, multo magis optimus & verax Dñs filios suos non deseret, qui etiam benignus est super ingratos & malos, quanto magis super bonos, qui oēm sollicitudinem suam in eum proijciunt. Non

G

vidi derelictum iustum, nec semen eius quærens panē. Vnum ex tribus à Deo sperandum est auaritiam proijcientib. p Deo. Qui aūt procurabit hominē in necessariis, aut cum parco victu, & in penuria, dabit homini vires, quas in abundantia posset habere. Et hoc est iucundius, de modico magis esse fortem. Aut quod subtrahit corpori, refundet menti, in consolatione spirituali, vt libenter careat corporali abundantia, quæ spiritualibus delitiis felicius recōpensatur. Insuper magnam gloriam in cœlo meretur patienter tolerata pro Christo penuria temporalis.

Cap. LVI.

Quod quatuor species gulæ.

Gulæ quatuor sunt species. Prima ante debitum tempus, vel sæpius quam debeat comedere, præter necessitatem more pecudum. Secunda cum nimia auiditate, & impetu quodam vorare, sicut lupi, vel canes famelici. Tertia, nimis implere se potius, quam reficere, id est, plus sumere, quom sit necesse, ex cōsideratione vel delectatione Gulæ. Quarta, nimis lauta & exquisita quęre, hæc nutrit

H

auaritiam, sicut prior accidiam vel pigritiam. Qui delicata quærit, cupit diuitias, vt possit habere quod cupit & appetit. Nimia vero ciborum repletio pigrum reddit, quia vas plenum ponderosum est, hebetat etiam intellectum, & affectum deuotionis obruit, & refrigerat, & agilitas retardatur, & in somnum deijcit superflua repletio.

Cap. LVII.

De remedijs contra Gulam.

Remedium Gulæ est contra primam speciem, sufficit sola bona voluntas, vt nolit prius vel sępius comedere, quam sit conueniens. Infirmis autem non est lex posita. Iuuenes vero & laborantes, sicut exigit necessitas, discrete refici possunt, quando consuetudo, vel Ecclesiastica institutio non repugnat.

Contra

A Contra secundam vtilis est disciplina verecundiæ, vt modeste se habeant, & impetum refrenent. Item consideratio, quod inordinata, & nimis festinata refectio lędit naturam, minus nutrit, & è conuerso. Eadem etiam consideratio valet contra tertiam speciem, quia nimis sumitur, & quia impedit à bono opere, sicut supra dictum est. Efficacius tamen remedium contra tertiam & quartam speciem est, non habere, vnde possit gulæ satisfacere. Vnde quanto quis pauperior fuerit, tanto minus in hac parte peccabit. Hoc est secundum traditionem seniorum prima pugna quam deuincere nos oportet, & quanto minus superata fuerit, tanto validiora sunt cætera vitia contra nos, & nos debiliores cõtra ea. Per Gulę enim peccatum, mors intrauit in omne genus humanum. Vnde saluatorem nostrum diabolus primo per gulam tentauit, quasi à ianua aliorum vitiorum aditum quærens ad vlteriora. Valet etiam tam contra delectationes gulæ, quam etiam contra alias voluptates vitiosas, considerare quam cito pertrãsit, quam breuiter durat, & quod transacta, sic est quasi nũquam fuerit, B & relinquit post se vestigia malæ conscientiæ, & pœnitudinis, & confusionis, & debitum suppliciorum, & meriti detrimentum. Vnde cum delectamenta mundi & carnis appetis, pone in corde tuo, ac si iam ea habueris, & satiatus sis, & hora pręterierit. Quia voluptas præterita est, quasi sõnium noctis transactæ, imo contemptibilior, quia malam conscientiam facit perpetrata voluptas, euitata vero lætam & securam. E conuerso vero valet contra omnes aduersitatum turbationes, sic vt ponas in corde tuo, iam durante aduersitate, quod ita debeter esse, & aliter esse non possit, & voluntas Dei sit, quod ita sit, & quasi hoc dispositeras, vt ad hoc deuenires, & vt sic eueniret. Quod enim quisque sponte disponit, inde minus turbatur, si euenerit.

Cap. LVIII.

Quomodo se homo habere debeat in tribulatione & C aduersitate.

CVm autem turbaris quod non euenit, quod optaueras, vel speraueras, cogita quod multa alia non euenerunt, quæ prospera fuissent si euenissent, & tamen non turbaris quod non euenerunt, quia de quibus cor hominis non disponit, non est multum sibi gaudium si euenĩãt, de his etiam non tristatur, si non eueniant, verbi gratia: si speras te crastino habiturum bonum prandium lętaris sed si forte spes tua frustretur, turbaris, quia lætitia spei subtracta est. Et si nihil speras, non tristaris, si non euenerũt, quia videris tibi nihil perdidisse cum nihil habueris amittendum. Homo enim virtuosus sic debet omnem spem suam & solatium in Deum ponere, vt nunquam ex toto figat animum in terrena consolatione, vt quasi suspensum habeat desiderium ad omnia exteriora, & non fixum, sicut qui super glaciem incedit, leuiter ponit pedem, tentando si crepitet, vt retrahat pedem ne submergatur. Cum ergo D perdis aliquid, quod diligis, pone in animo tuo, quasi sõnium fuerit, quod videris habuisse, quod nunc more suo euanuerit, & in nihilum redactum sit, hoc orat Propheta sibi cum affectu inspirari, dicens: velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges, hoc est redige memoriam istorum terrenorum in corde meo, quod est ciuitas habitationis tuæ, ad nihilum, vt reputem nihil esse, vel fuisse, quod pertransit, sicut somnium de stratu surgentium obliuioni traditur & non curatur. Somnium est hæc vita malis & stultis, qui putant se esse, quod non sunt, id est felices, & habere, quod non habent, hoc est, vera bona, quia falsa sunt quæ habẽt. Istæ considerationes non sunt phantasticæ dicendæ, sed veræ & sapientes, quia faciunt mentem tranquillam & stabilem, inter mundanæ prosperitatis & aduersitatis varietates. Cum ergo desideras quod non habes cogita quasi habueris, & iam satiatus inde fueris, & modo pertransierit. Cum iam habes quod diligis, noli nimis inniti ei per dilectionis affectum, sed cogita quod cito pertransiet ista lætitia, & nihil post se relinquet nisi vestigia doloris, & confusionis, & debitorum suppliciorum. Cum vero amittis quod amasti, æstima quasi nunquam habueris illud vere, sed tantum quasi in somno videris, vel in cogitatione imaginatus sis te talia habuisse. Sicut si imaginer mihi quod sim rex Franciæ, & magnam gloriam, & pompam, & delitias, & diuitias habeam, & post modicum rex Anglię debellet me, & capiat, & spoliet me gloria & regno, & inanis remaneam ab omnibus. Si igitur peracta tali phantasia grauiter vellem tristari vel turbari de illa regni phantastici amissione, vel si valde exhilarati voluissem ex delectatione habitæ gloriæ huius phantasticæ, nonne stulta tristitia, vel inanis gloria esset, de his moueri, quæ nunquam fuerunt, nec erunt. Tales enim vanas lætitias & tristitias semper habere possemus imaginando nobismet, & fingendo quaslibet glorias & delectationes, & è conuerso tristitias & dolores, sicut solent quidem insani & lunatici, quibus- F dam phantasiis delusi ex confusione cerebri, etiam sine apparente exteriore causa, modo ridere, modo flere, secundum imaginationes interius conceptas tristes vel lætas. Psa. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens, id est, viuens secundum hominem, non secundum Deum. Et quare, veruntamen in imagine pertransit homo, velut in quasi imaginaria delusione, existimans se aliquid esse, cum nihil sit, & ita vane extollitur, sed & frustra conturbatur vanis timoribus, & mœroribus deiectus. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea, quia nescit an ipse eis fruiturus sit, an alius, cui non cupit. Contra hæc sibimet Propheta consilium inuenit dicens: Et nũc quæ est expectatio mea? nonne Dominus, & substantia mea apud te est, vbi perdere non formido. E contra, pone in animo tuo, de futura aduersitate non turbari, quia contingentia ita se habent, quod possunt euenire, & non euenire, & sæpe turbamus nos ante tempus, timore eius quod nunquam eueniet, sicut pueri aliquando flent, recordantes doloris, quem haberent si parentes eorum morerentur, qui adhuc viui sunt & G sani. Quod si etiam aduersitas certa futura est, sufficit diei malitia sua, vt non duplicemus nobis dolores præcedente angustia, cum sequẽs tribulatio per se satis excruciet. Hoc dico de temporali tribulatione, non de æterna, quam expedit nobis prætimere & præcauere. Et secundum Gregorium: Ante supplicium de supplicio cogitare.

Cap. LIX.

Quæ sint vtilitates aduersitatis, & quomodo fugiendum sit.

INstante vero tribulatione, vel aduersitate, considerandа est vtilitas aduersitatis, quomodo peccata purgat, cautos reddit à peccato, & subtrahit occasionem peccandi in multis, exercet ad virtutes, ad humilitatem, & compassionem similia sustinentium, ad confugiendum sollicite ad diuinum adiutorium, ad experientiam diuinæ clementiæ, quę turbatis corde iuxta solet esse ad examinatio- H nem propriarum virtutum, quia in aduersitate plenius videmus quantum profecimus in eis. Item ad maiorem gloriam promerendam, & super omnia ad reddendam vitam Christo passo pro nobis. Transacta autem aduersitate, gaude, quia euasisti, sicut qui de naufragio euadit, vel de tempestate & via mala ad bonum hospitium peruenit. Et noli dupliciter te affligere rancore, vel odio, ex memoria iniuriarum, contra illum à quo passus es, cogita si non meruisti apud illum vt te affligeret, tamen forte meruisti apud Deum, vt te puniri permitteret, & ipse Deus iudex visus est illo, quasi tortore tuo ad iustitiam prosequendam circa reum suum. Sic Assur, virga furoris Domini dicitur, quia eo vsus est, quasi virga, ad dandam disciplinam seruo suo Israël peccanti. Et sicut virga post correctionem filij in ignem proijcitur, sic & illi vltores tandem punientur, maxime qui non recto zelo & iustitia proximos persequuntur. His quasi per excessum tactis, qualiter te inter aduersa & prospera immobilem conserues, ne prospera extollant, vel aduersa deijciant, quia aduersitas maxime versatur circa correctionem, vel amissionem cupiti, & timorem vel tolerantiam exosi, ad remedia & qualita-

tes

A tes vitiorum considerandas redeamus. Non mediocriter autem valet ad morbos vitiorum sanandos, scire æquanimiter carere his, quæ caro, vel carnalis affectus appetit, & patienter sustinere, & non pertimescere quę horret & odit. Sic & in medicina temporali sanitati propinquat, qui bene seruat diætam, & cauet à nociuis, & qui constanter recipit & sustinet amatum poculum confectionis. Greg. Qui ergo appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suę flagella tolerare. Ad Philippenses: Scio & abundare & penuriam pati, & esurire & saturari, vbicunque & in omnibus institutus.

Cap. LX.

Quod quadruplex est luxuria.

Luxuria quadruplex est. Prima in corde, quando homo immundas & lubricas cogitationes scienter &
B voluntarie tam prauæ delectationis seruat in cogitatione, sine repugnatione consensus. Sapientia: Peruersæ cogitationes separant à Deo. Matth. Quicunque viderit mulierem ad concupiscendam eam, mœcharus est in corde suo. Secunda, quando citra opus generatiuum homo sociat se libidinosis gestibus, amplexando, osculando, palpando, impudice respiciendo vel loquēdo & auscultando turpia, sola delectatione praua, vel alijs meretricijs blanditijs, vt carnali affectioni satisfaciat. Hæc tāto est grauior prima, quanto amplius per exteriores conatus, causa prauæ delectationis, est progressa. Si enim sola mēs praua rea est in se, per consensum malæ conscientiæ, quanto magis habenis laxatis ad vlteriora libidinis incitamenta, exteriorum sensuum & membrorum ministerio adiuta & prouocata. Si sola concupiscentia in corde machia à Deo Iesu iudicatur, quid ergo est ex concupiscentia osculari, palpare &c. Nemo ergo se stulte seducat, vt putet tunc solum se peccasse, quando opus generationis perficit, vel laborat perficere, cum etiam præambula huius operis damnabilia
C sint. In ipso enim licito coniugio sępe excusabilior est simplex concubitus, quam tales inhonestę blanditię tactuum indecentium, & spectaculorum, & collocutionum lasciuarum. Si autem aliquis dicat apud se, ex quo non quæro opus prauum fornicando perficere, licite possum amorosis blanditijs frui cum dilecta, munda intentione ad mutuæ & sanctæ dilectionis nutrimentum, vt ignis charitatis magis ac magis in nobis accendatur, cum ex dilectione proximi nutriatur, & augeatur amor Dei. Sciat quicunque talis est, se sub specie spiritualis amoris, carnali dilectione & delectatione deludi, quia spiritus spiritum diligit, quia hoc est carnalis amoris indicium, qui quanto plus crescit in corde, tanto magis amor spiritualis minuitur & refrigescit, & è conuerso, spiritualis amor, carnalem reprimit & expellit.

Cap. LXI.

D

Quod triplicis peccati reus efficitur, qui amoris blanditijs frui voluerit.

Triplicis autem peccati reus efficitur, quia talib. corporalib. blanditijs vti se licite posse putat, si etiam nullam vlterius haberet praui operis voluntatem, primo quia qui incaute se nimis exposuit tentationis periculo, cum proni sint sensus hominis, & cogitatio in malum, tentatio quæ nondum fuit, occasione & opportunitate maximæ familiaritatis accepta, potuit corrumpere voluntatem, & in peccatum præcipitare, sicut sæpe accidit, quod qui munda intentione mutuas iniere familiaritatis societates, mutatis affectibus spiritualib. in carnales, lapsi sunt in peccatum. Tali ergo periculo se ingerere, est contra Dominicum præceptum: Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut qui temere glaciem ex sola curiositate incederet, si mergeretur, reus esset in seipso, imò ipsum, si stulte tentaretur, grauis culpa esset, etiam si mors non sequeretur. Secundo quod etsi in se nihil tentationis sentiret, tamen alteri occasionem tentationis & peccati daret, dum qui alteri fodit foueam, ipse incidet in eam. Qui alteri poculum mortis propinat, nunquid ideo erit innocens, quia ipse non bibit? Iob. Halitus eius, id est, Diaboli, prunas ardere facit. Ignitus enim flatus eius ex igne gehennali, cum duos carbones expositos inuenit, etiam semiuiuos, sufflat indefesse, donec eos incendat. Nec causatur moras, si tandem aliquādo perficiat, cum omni tempore ad nil aliud vacet, nec aliis curis intendat, nisi animas seducere. Tertio, propter malum exemplum, ex quo alij grauiter scandalizantur non carentes praua suspitione de tali noxia familiaritate, & iudicantes esse malum, indignanter murmurabūt, detrahent, irrident innocentes eorum collegas, quasi & illi similia faciant, & vilipenditur religionis reuerentia ex talibus, & plurima mala fiunt. Alij vero eorum exemplo audacius similia faciunt, putantes et sibi licere, quod isti se innoxie facere arbitrantur, & discunt ab eis, vel audēt eorum exemplo, quod ante non audebant, imo & ipsi peccatores temerariores fiunt, & quasi iustificant se in peccato, comparatione istorum corrumpentium religionis puritatem. Et hæc omnia redundant in iniuriam Dei & offensam, & honoris eius detrimentum, cum insolentia familiæ patrisfamilias dedecus videatur. Tertia species luxuriæ est naturalis concubitus viri & fœminæ sine cōiugionis dote. Hęc subdiuiditur in multas species, vt est simplex fornicatio, adulterium, sacrilegium, incestus, stuprum, raptus, & q̄ non prosequor, nec distinguo, quia alibi de hoc satis habetur. Quarta est peccatum innaturale. Cum .n. natura omnibus reb. propria dederit, quæ naturę subiacent, hoc peccatum, quasi extra vel contra naturam, sine speciali nomine relinquit, eo quod indignum sit nomine, quod ipsam naturam destruit, & humanam naturam maculat & infamat. Dicitur autem aliquando passio ignominiæ vel immunditia, vel mollities. Et talibus passionibus subditos Apostolus dicit traditos in reprobum sensum, vt faciant ea, quę non conueniunt, ad Rom. primo. Huius autem diuersitates vel descriptiones nec nominari expedit, nec & ipse aër inficiatur, vel ne in vsu inde tractandi, nimis horrendū & abominabile fiat audientibus, vel ne detur simplicibus inde materia cogitandi, & mali occasio curiosis. Tamen quocunq; studio vigilans, voluntariæ delectationis consensu, se pronocat ad pollutionis immunditiā, vel ēt aliun de pati consentit, vel cooperatur alteri præter naturæ vsū, ad quartam speciem debet pertinere. De illusione somniorum prætermitto, quia sicut dormiens non est compos rationis, sic etiam non potest aliquid interim facere vnde damnetur. Nā si vigilans forte dedisset occasionem, vnde dormiens illuderetur, cogitando, agendo, loquendo, vel ēt post somnum voluntarie delectando in memoria illius nocturnæ illusionis hoc potius esset culpa vigilātis, quam dormientis, cum dormientis illusio sit pœna tantum culpæ præcedentis, vel occasio subsequentis in vigilante.

Cap. LXII.

Quod septem sunt remedia luxuriæ.

Remedia contra luxuriam sunt septem, quæ in præsens memoriæ occurrunt, sine quibus continenti non potest esse tuta. Primum est, vt vir fœminarum, & fœmina virorum incautam familiaritatem deuitet. Ecclesiast A vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri Gregorius: Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant. Nam quamdiu vitalis calor viuit in corpore, nemo præsumat ignem concupiscētiæ in se penitus extinctum esse. Et sæpe carbo videtur extinctus esse, & modica fauilla opertus, sed si tāgitur cōburit. Diabolus cū duos carbones adunauerit, afflat donec eos incendat. Iob. Halitus eius prunas ardere facit, carbo si solus relinquitur, extinguitur, si cōponitur alteri, e mutuo calore incedūtur ambo. Et sæpe spiritu inceptus amor cōsumitur carne. Benedictus dicit: Cū fœmina sem esse, & fœminam non agnoscere, hoc ego maius repute q̄ mortuos suscitare. Qui ergo quod minus est non pote quod maius quomodo credam tibi? Astutus enī diaboli

A in principio incaute familiaritatis, occultat laqueos tentationis carnalis, reputans quod desisterent à mutua dilectione, si sentirent inde stimulos peccati, donec per longã familiaritatem, & incautam securitatem affectus amborũ ita conflati & conglutinati fuerint in amore. Qui etiam si sentiant, non resilire, nec ab inuicem possunt separari, viribus spiritualibus ita debilitatis in eis, quod neuter illorum vellet sibimet vim facere tantam, vt euellat se de laqueo, immo timeat alterum in tantum contristare, quod etiam reputat se perfidum, si deserat eum, & sic captus consentit alterius voluntati, & propriæ infirmitati in omne peccatum. Sic Samson fortissimus, qui multas sæpe hostium acies strauerat, & aliquoties de vinculis eruperat, confidens de viribus suis liquefactus est amore Dalilę, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est, dum nullam daret ei requiem, quo vsque plane cor eius sibi exposuit, & hostibus aditum sic aperuit captiuandi se, & ligandi, & cæcandi, & in carcere molestandi, & ludum de se hoB stibus exhibendi. Hæc autem omnia facta sunt in figura nostri, & scripta ad correptionem nostram. Secundum est, vitare societatem & contubernium luxuriosorum, ne eorum exemplo ad similia pertrahamur. Prouer. Qui se iungit fornicarijs, erit nequam. Item: Amicus stultorum efficietur similis, proni enim sunt sensus hominis, & cogitatio in malum, & ideo facilius trahitur aliorum exemplo ad illud quod appetit eius sensus carnalis, dum non erubescit vitiosus videri, habens secum socios miseriæ suæ, quorum non solum exemplis, sed etiam persuasionibus, & irrisionibus trahitur ad peccatum. Et laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. Et hęc est iam quasi pręcipua causa, quare ita multiplicata sunt mala in Ecclesia, & in religione studia spiritualia defecerunt, & ad exteriora studia & negotia plurimum defluxerunt, scilicet mala conformitas, dum quilibet vult alios imitari, siue, quia aliud nescit, quã quod videt in alijs, siue non audet aliter viuere, quam illi cum quibus versatur, ex malo pudore, timens alijs videri dissimilis, siue etiam quod proprius tepor, & carnalis libertas C gaudet se habere occasionem, & quandam excusationem apud homines agẽdum quodlibet, etiam si non liceat. Psa. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, scilicet ad eum, qui multitudine postposita studet vni Deo suo placere & seruire, vnam petens à Domino, & hanc requirens, vt inhabitet in domo Domini mente & conformitate vitæ, ꝙ solum est necessarium. Vnde prouerbium apud homines est: Qui cum lupis esse vult, oportet eum cum lupis vlulare. Tertium est, corpus non delicate nutrire, terra enim corporis nostri quæ ex prima maledictione spinas & tribulos vltro satis germinat, si super hoc impinguata fuerit delitijs, tanta erit spinarum densitas, quod semen verbi virtutis in nobis penitus suffocatur. Ecclesiasticus, Qui delicate nutrit seruum suum à iuuentute sua, postea illum sentiet contumacem. Bernardus: Sufficit dici malitia sua, scilicet concupiscentiæ naturali, quæ si ceperit accipere irritamenta ab his, qui perpetuum suscipere deberent bellum, D & controuersiam aduersus eius oblectamenta, fiunt duo contra vnum, & ita periclitatur continentia, quia duo resistunt vni scilicet, continentiæ, innata concupiscentia carnis, & prouocatrix voluptas diuitiarum. Vnde Apostolus ait ad Timoth. Vidua quæ in delitijs viuit, viuens mortua est, quia etsi viuit exterius, interius mortua est per peccatum. Ezechiel: Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: saturitas panis, & ocium &c. E contrario Apostolus ait ad Corinth: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Hostem suum armat, qui carnẽ suam fouet delitiis vltra necessitatem debitæ sustentationis. Quod autem hosti præstas tibi noces. Quartum est otium fugere, qui pręcipuus est animæ inimicus. Multam enim malitiam docuit otiositas. Prouerb. In desideriis est enim omnis otiosus. Occupatus enim ab vno Dæmone impugnatur, Otiosus autem innumeris dæmonibus vastatur, quia quot cogitationes & desideria mala in corde versat, tot inimicorum iaculis patet, Bernardus: Omnium enim tentationum & cogitationum malarum sentina est iners otium. Sicut per rimam sentinæ aqua lateter intrat, & crescit, donec nauis mergatur, ita ex otio cogitationes & concupiscentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis succumbens in peccato periclitetur. Vnde in monasterijs temporum & regionum nostrarum, pauci stabiles religiosi sunt, respectu antiquorum in Ægypto, in quibus quandoque simul tria millia morabantur, sub vno gubernatore, quiete viuentes, magis quam nunc apud nos possint decem vel pauciores obedienter & cõcorditer gubernari, quia de labore manuum sustentati, late prædia, & redditus amplos non quærebant. Et erant tot operando colligentes victum, quot consumentes, nec superflua desiderantes, nec euagantes mendicando vel adulando pro aliena donatione, sed de propriis laboribus se, & multos debiles & pauperes sustentabant, & labori manuum intenti, rumoribus, & rixis, & variis desiderijs non permittebantur intendere. Nec quilibet in peram suam posuit acquisita & elaborata, sed sicut semetipsos pro Christo abnegauerant, & alterius imperio subiecerant, ita & omnia quæ habebant. F Et quia hoc non cum strepitu clamoris, nec secundum propriæ voluntatis arbitrium agebant, sed in summo silentio & quiete, ad nutum Abbatum & Gubernatorum suorum, ideo à spiritu deuotionis non solum non impediebantur per operis instantiam, sed & plurimũ promouebantur, cum tamen peracto quotidiano statuto labore operis, reliquum tẽpus in lectione, vel oratione solerent expendere. Et ideo stabiles & perfecti in omni virtute erant, quia omne tempus bonis operibus, & virtutum studijs impendebant, nihil otiose & curiose transigentes, nec pro voluntate sua viuentes, sed superioris, secundum regulas à sanctis patribus instinctu Spiritus sancti institutas, ad vitia extirpanda & virtutes vsitandas. Ocia igitur si tollas, periere cupidinis arcus. Nec solum vitandum est ocium, sed & ociosa. Bernardus: Ocium autem est, quod nullam habet vtilitatem, vel vtilitatis intentionem. Et pro vitando ocio, ociosa sectari ridiculum est. Quid sit au- G tem agendum, require de remedijs accidiæ: Item vt omni hora consideret qualiter instans tempus possit vtilius impendere, illud opus quod tunc ei incumbit optimo modo perficere, siue orando, siue laborando, vel corporis refectioni intendendo, vel aliud faciendo. Quintum est exteriores sensus ab illicitis custodire, qui sunt quasi fenestrę animæ, per quas mors peccati intrat, quasi fur, vel corruptor castitatis nostræ, dũ nõ custoditur. Dauid nõ respexit vxorẽ Vriæ, quia prius eã concupierit, sed ideo concupiuit, qa incaute respexit. Sic Eua vidit lignũ, ꝙ esset pulchrũ visu, aspectuq; delectabile, & cõcupiuit, & gustauit. Nõ expedit intueri, quod non licet cõcupisci, sic aures, sic manus, & alij sensus, & membra coercenda sunt, ne hauriamus per ea mortiferum corruptionis aërem. Dina quãdo curiositatis causa egressa est, videre mulieres regionis illius, corrupta est. Thren. Oculus meus deprædatus est animam meam, cunctis filiabus vrbis meæ. Conqueritur quidem ẽ contra Iob, cum ait: Pepigi fœdus cum oculis H meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Sic boni religiosi recludunt se in cellis & monasterijs, quasi in sepulchris, ne vel ipsi concupiscant mundum, vel concupiscatur. Quanto enim rarius vides & audis quæ mundi sunt, tanto affectus tuus in ea concupiscenda frigidior erit, & minus cogitabis ea. Et ẽ conuerso, quanto frequentius cum sæcularibus conuersaris, eo magis puluere sæculi respergeris, quo insensibiliter paulatim interius erubescis, & affectus fit crudus, & mores insuaues. In molendino nõ pulueculentum fieri vix possibile est. Sextum est interius reprimere cogitationes prauas, & affectiones carnales, quia isti sunt hominis domestici inimici, quorum fraude vrbs mentis hostibus traditur, si non bene caueatur. Sapient. Peruersæ cogitationes separant à Deo. Matth. De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta &c. & hęc sunt quæ coinquinant hominem. Nulla exterior munitio sufficit ad custodiam vrbis, vbi domestici perfidi fuerint. Ita nulla custodia interna cogitationum & affectionum. Prouerb. Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Castis & honestis matronis, non solum praua opera, sed etiam suspecta susurria fugienda sunt, per quæ vel tentari, vel infamari poterint, & earum castitas &

A honestas deturpari, & prouocari maritum in furorem, & zelotypiæ spiritu inflammari. Sic & anima religiosi, quæ est Christo desponsata per fidem, & votum castitatis, susurria prauatum suggestionum non recipiat, vel retineat in corde, quod Dominus semper intuetur dicens illud: vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ. Septimum est frequens studium orationis & deuotionis. Sapient: Vt sciui, quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & oraui, & dixi ex totis præcordijs meis &c. Nã nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Et ideo semper est orandus, quia sine ipsius auxilio possumus facere nihil, vt rore gratiæ suæ extinguat in nobis ignem concupiscentię. Ipsa etiam orationis virtus, quia eleuat mentem supra se ad Deum, purificat eius affectiones, & desideria castificat, & intellectum illuminat, & Dei amorem infundit, ex quo generatur quidam horror peccati, & detestatio carnalis voluptatis, & voluntas roboratur contra tentationes, & ipsæ tentationes debilitantur, B vt facilius deuincantur. Vñ cum Moyses in monte orans manus eleuaret ad Deum, vincebat Israël, cum vero remitteret eas & deponeret, vincebat Amalech. Moyses est religiosus de aquis sæculi extractus, Amalech tentatio carnis, manus Moysis sunt affectus & memoria. Cum istas manus eleuamus ad Deum, hostis succumbit tentationis, quando ad terrena eas remittimus, hostis roboratur. Rogemus ergo Christum Iesum, vt det nobis remedia ad vincendum omnia.

Explicit tractatus de interioris hominis reformatione.

SEQVITVR ORDO CAPITVLORUM tertij tractatus, eiusdem fratris Dauid, de septem processibus Religiosi.

C *Profectus religiosi septem processibus distinguitur. Primus feruoris. Secundus laboris. Tertius consolationis. Quartus tentationis. Quintus remediorum. Sextus virtutis. Septimus sapientiæ. Quomodo homo in feruore se debeat exercere, & quomodo in labore se tenere debeat, & quod corporalis exercitatio in duobus consistit.* cap. 1.

Quomodo spiritualis consolatio in duobus consistit, & quomodo potentiæ animæ, scilicet ratio, voluntas, & memoria illuminantur & ornantur. Item quod spiritualis consolatio nouis religiosis multis de causis datur. cap. 2.

Quomodo in tentationis statu probatur, purgatur, exercitatur, & eruditur. Item quæ vtilitas tentationum, & profectus ex eis prouenient. Quod humiliat nos Deus per tentationem tribulationis aliquibus de causis. Item etiam quare homini aliquando subtrahitur consolatio spiritualis. cap. 3.

Quod multæ sunt tentationum species, & quod vna est subtractio, & inopia deuotionis, quæ fit propter multa probanda. Item quod quidam tentantur ex difficultate bene operandi, cum bonam D *habeant voluntatem, & ex hoc sequitur alia tentatio, scilicet fastidij, & impatientia contra Deum ex subtractione gratiæ deuotionis.* cap. 4.

Quod plurimæ sunt tentationum species, inter quas acerbissima est hæsitatio fidei Catholicæ, desperatio de misericordia Dei, & spiritus blasphemiæ contra Deum & sanctos grauissima tentatio, & affectus omnium vitiorum. cap. 5.

Quod tria discimus in subtractione consolationis internæ, scilicet, de minimis beneficiis regratiare Deo, nostras culpas cauere, & aduersa tolerare. cap. 6.

Tentatio potest dici quilibet motus, vel affectus vel sensus à bono retrahens, & quod in delectatione maxime teneri & infirmis superantur. cap. 7.

Quod in tentatione maxime tria dolemus, quibus quinq; modis resistendum est, & item, quod actio in tribus debet esse circumspecta, & quod in locutione tria sunt obseruanda. cap. 8.

Quod morum disciplina in religione triplici decoratur colore, si sint maturi, humiles, & benigni. Sanitas cordis in tribus consistit. cap. 9.

Quod cuilibet religioso septem sunt obseruanda. cap. 10.

De sexto processu, qui in virtutibus puris consistit, quid sit virtus, & quod sunt septem quæ decorant virtutem. cap. 11. E

Vt sciat vnusquisq; quantum in virtutibus profecerit. cap. 12.

Quod sit charitas, & quod propter tria debemus Deum diligere, & quod dilectio nostra in tribus consistit. cap. 13.

Quod charitas opponit se semper capitalibus vitijs, & septem virtutes format. cap. 14.

Quod dilectio proximi, ex dilectione Dei nascitur, & quomodo proximus diligendus est. cap. 15.

Quod septem sunt indicia carnalis amoris, & qui sint gradus dilectionis, profectus, & perfectio. cap. 16.

Quod vera beatitudo in tribus consistit, & triplicem humilitatem habere debemus in nobis, triplicem ad proximum, & triplicem ad Deum. cap. 17.

Quod ex charitate & humilitate nascitur patientia, quæ triplex est, & in quinq; probatur. cap. 18.

Quod obedientia ex charitate, & humiliate, & patientia nascitur. Ratio obedientiæ triplex est, & qui sint gradus, profectus & perfectio obedientiæ. cap. 19. F

De contemptu diuitiarum, qui duplex est, & quod quatuor de causis consulitur diuitiarum contemptus, & eius tres sunt gradus. cap. 20.

De sobrietate, quæ in tribus consistit, & ad octo valet, & tribus eius gradibus. cap. 21.

Qualiter virtus vitiorum medium tenet, & quod vitia quandoq; se virtutes esse mentiuntur. cap. 22.

Castitas sobrietatis est filia, quæ quatuor facit. De remedijs luxuriæ. cap. 23.

Quod homo debet in se quiescere, & vacare Deo, & quo in tribus vacandum est. cap. 24.

Quibus ad contemplationem veniamus, & quomodo memoria Deo intendat. cap. 25.

Septimus profectus religionis in sapientia consistit. cap. 26.

Orandi sunt tres modi, & triplex attentio, & quod secundum diuersas causas, affectus diuersarum personarum, format voces in oratione. cap. 17.

Quod homo triplici pane indiget, & quod anima in vnico dilecto quiescere desiderat. Et quod beneficia Dei operantur septem virtutes, & determinatio eiusdem de quotidiana sacramenti Eucharistiæ sumptione. cap. 28. G

Duæ aliæ species orationis scilicet, gratiarum actio, & vox laudabilis. cap. 29.

De septemplici laudis diuinæ materia, scilicet septem dierum significationes. cap. 30

Multiplex est orationis vtilitas. cap. 31.

Quod multis modis affectus orantis, Dei respectum sibi repræsentari sentit. cap. 32.

Quanto frequentius quis orat, tanto fit ei oratio efficacior. capit. 33.

Quare in oratione quis à Deo non exauditur. 34.

De spiritualibus orationibus, vtrum melius sit semper eas dicere, vel meditationibus occupari. cap. 35.

Quomodo homo per affectum deuotionis Deo debeat inhærere, & in eo quiescere. cap. 36.

Quod circa contemplationis excessum, sunt diuersa deuotionum species, scilicet iubilus, ebrietas, Spiritus. &c. cap. 37. H

Quod septem sunt deuotionum genera. cap. 38.

Quomodo per intellectum homo in spiritualibus experientijs se tenet, & de quadruplici visione. cap. 39.

Quod reuelationes secretorum plurimis modis fiunt. cap. 40.

Quomodo in sensibilibus experientiis, quæ deuotis aliquando fiunt, & quomodo homo habere se debeat ad melius. cap. 41.

Quod propter quinque rationes deuotionis gratia aliquando bonis subtrahitur. cap. 42.

INCIPIT TRACTATVS FRATRIS DAVID, DE SEPTEM processibus religiosi status.

CAP. I.

Profectus religiosi septem processib. distinguitur, licet non ab omnib. attingatur. Primus feruoris. Secũdus. laboris. Tertius cõsolationis. Quartus tentationis. Quintus remediorum. Sextus virtutis. Septimus sapientiæ. Primus

A Primus est in feruore nouitiatus, quo conuersus, in quodam impetu bonæ voluntatis, valet ad omnia paratus, in quibus se credit Deo placere, siue ex magna peccatorum contritione, & dolore, siue ex desiderio satisfaciendi Deo, siue recuperandi amissi temporis, & neglecti præmij per peccatum. Sicut viator, qui diu in mane dormiens, postea cum festinatione & impetu laborat, tempus neglectum currendo recompensare, & socios, qui se præcesserunt insequens inuenire. Secundus est in labore corporalis exercitationis, quia cum sit pauper, necdum inuenire valeat pretiosa munera, quæ si opus, sanctuario Domini offerat, facit tamen quod potest, pilos caprarum, & pelles arietum offerens, exhibens corpus suum hostiam viuentem sanctam, Deo placentem, licet quandoque minus rationale sit eius obsequium, propter indiscretam corporis castigationem, quo corpus destituitur, & vires deficiunt, & sensus amittuntur, & spiritus extinguitur, & totus profectus spiritualis dissipatur. Leuit. 2. In omni oblatione tua offeres sal, scilicet, discretionis, vt nec ad dexteram per nimiū

B laborem, nec ad sinistram per nimium teporem, à via regia declines. Anima enim est immortalis, & non potest deficere, & ideo corpus corruptibile, & vas fictile, non potest æqualiter cum ea contendere currendo, & tantum ferre laboris, quantum illa potest capere feruidæ voluntatis. Ebrius quandoque agitat celeriter equum cui insidet, non considerans, quod cum ipse æstuet vino, illud rude animal nec satiatum sit fœno. Et ita dum supra posse laborare cogitur, sub sessore cadens, tardius eum ad locum quo tendit, peruenire facit, quam si morosius cursitasset. Rom. 12. Rationabile sit obsequium vestrum, id est, cum discretione, ne quid nimis sit, sed cum temperantia corpora vestra castigetis, vt non per naturæ defectum cogantur dissolui, sed vitijs mori. Gregorius: Oportet carnem restinguere & non extinguere, reprimere, & non opprimere, vt seruiat, non lasciuiat, ancilletur, non dominetur. Terra fertilis, si diu inculta fuerit syluescit, si nimis colitur, fit macra, si medium tenetur, fertilis perseuerat. Sic & de agro cordis

C est agendum, vt nec de nimio ocio vel delitijs lasciuiat nec de inedia vel labore deficiat. Corporalis exercitatio in duobus cōsistit, in subtractione delectabilium secundum carnem, & in assuefactione asperitatum & laborum. Ab hac lege infirmi sunt excepti, quia eos nec suauia delectāt propter amaritudinem doloris, & ipsa infirmitas acerbior est, quam labores sanorum & validiorum. Valet autem corporis afflictio ad peccatorum purgationem, ad vitiorum repressionem, ad augmentum virtutis, ad spiritualis consolationis expressionem, sicut in torculari vinum exprimitur ad proximi ædificationem, ad meritum gratiæ, & gloriæ cumulationem.

Cap. II.

Quod spiritualis consolatio in duobus consistit, & quomodo potentia animæ ornantur, & quod spiritualis consolatio nouis religiosis, multis ex causis datur.

D Tertius profectus religiosi est in spiritualibus, consolationis infusione, quia Deus cum sit benignus & largus, remunerat hominem, qui fideliter ei offert totum quod habet & potest, id est, voluntatis feruorem, & corporis seruitutem. Vera autem spiritualis consolatio consistit in duobus, id est, in naturalium animæ potentiarum decoratione, & carnis ad spiritum quieta concordatione. Tunc enim homo vere spiritualis est, cum spiritus totus est ad Deum erectus, & ei coordinatus, & Deo plenus, & corpus spiritui, in his quæ Dei sunt, non resistit, sed pro modo suo prompte spiritui obtemperat, nec concupiscēdo mala, nec horrendo dura, vel fastidiendo bona. Potentiæ animæ in quibus imaginem Trinitatis præfert, sunt tres, Ratio, Voluntas, Memoria, quæ tamen in seipsis inanes sunt, & vacuæ bonis & indigent ornari & repleri ab illo, & de illo, qui fecit eas, hoc est, à Deo. Ratio illuminatur ad cognitionem veri. Volūtas accenditur ad amorem boni. Memoria tranquillatur ad fruendum & inhærendum vero bono. Nulla istarum valet esse vel perfici sine aliis. Si ratio non videret, voluntas non amaret, memoria non delectaretur in bono. Item, si non memoraretur boni, quomodo posset agnoscere, vel illud amare. Summum autem bonum Deus est, & ideo summe verum, quia ab ipso fluunt omnia, vt sint, & vt bona sint. Sicut Deus machinam huius mundi primo ex nihilo creauit, postea distinxit, & ornauit, ita & hominem primo format secundū corpus in vtero, deinde animam rationalem infundit, deinde per interualla ætatum, intellectus secundum actionem crescit, & voluntas mouetur, & memoria viget, quasi requirens ornatum sibi competentem. Rationis ornatus est lucida intelligentia de Deo, & de his quæ de Deo sunt, & ad Deum conducunt, vt intellectus sacræ scripturæ & rationes fidei, & operum Dei. Et intelligere quid sit beneplacitum Deo, & inter vitia & virtutes discernere, & naturas ipsarum agnoscere, & remedia vitiorum & vias virtutum & in operibus Dei admirari potentiam, sapientiam, & bonitatem ipsius, & breuiter, diuitiæ & ornatus rationis sunt, sapientia & scientiæ, quæ de Deo est. Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli. Ornatus voluntatis ad Deum, sunt sanctæ affectiones, & deuotio ad Deum, feruor fidei, fiducia spei, dulcedo charitatis, spes de remissione peccatorum, deuotio circa Christi humanitatem, & desiderium regni cœlestis, & confidentia de exauditione orationis, & affectus diuinæ familiaritatis, & similia, quæ afficiunt hominem ad Deum, & amorem virtutum, & ad odium vitiorum, & dilectionem proximorum, & ad studia bonorum operum. Gene. 1. Producat terra herbam virentem, lignumque pomiferum. Ornatus memoriæ est sanctarum copia cogitationum, & affluentia vtilium meditationum, & stabilis memoria Dei, & exclusio euagationis mentis, & tranquilla adhæsio Dei, & corporalium imaginationum repressio, & perfecta obliuio omnium mundanorum, & vnus spiritus esse cum Deo, hæc sunt volucres & pisces. Quia vero corpus datum est ad seruiendum spiritui, debet ei obedire sicut domino in omnibus bonis, & non recalcitrare & murmurare, sicut contumax seruus vel piger, & spiritus, sicut prudens Dominus, debet ei prouidere sicut seruo, in tribus, vt scilicet vtiliter operetur, nec otio torpeat, vt castigetur discrete, si in aliquo offenderit vt sustentetur temperate ne lasciuiat, vel deficiat sub onere. Genes. 1. Homo dominetur bestiis vniuersæ terræ. Quāto plus quisque secundum has regulas ordinatus est, tanto spiritualior est. Ista habere, est spiritualibus consolationibus foueri, aliæ consolationes non sunt necessariæ saluti, & sæpe etiam suspectæ sunt, & sæpe falsæ & fictæ, & deceptoriæ, vt visiones, reuelationes, prophetiæ, sensuales oblectationes, miraculorum operationes, maxime modernis temporibus, licet quandoque verę reperiantur, sed in paucis. Datur autem spiritualis consolatio nouis religiosis quandoque, vt videant, quam large Deus remuneret sibi seruientes, & quam bonum est seruire tam dulci domino. Item, ad confortationem fidei, ad robur spei, ad charitatis accensionem, ad desiderii inflammationem, ad eruditionem, vt videant quo pergendum sit, sicut in tenebris lumen ostenditur, vt videant quo sit eundum, & vbi cauendum. Item ad præmuniendum contra futuras tentationes.

Cap. III.

Quod homo in tentationis statu probatur, purgatur, & excitatur, & eruditur de vtilitate tentationum.

Quartus status est tentationis, & pugnæ, & tribulationis, quibus probatur homo, & purgatur, exercitatur, eruditur, & humiliatur. Ad Tim. 6. Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certauerit. Quicquid diu durare debet, solet probari, an durabile sit, & omne nobile & ratum probatur, si valeat, sicut debet. Ita virtus hominis boni quæ nobilissima est, & quæ in perpetuum durare debet, in tentatione probatur, si constās sit, si fideliter in ipso perseueret. Eccles. Vasa figuli probat fornax

A nax, & homines iustos tentatio tribulationis. Iob. Quia acceptus Deo eras, necesse erat, vt tentatio probaret te. Purgatur autem homo à peccatis per tribulationem tentationis, vt dignus fiat gloriæ cœlestis celeri introitu, ne post mortem indigeat grauius, & diutius purgari. Apocal. Ego quos amo, arguo & castigo. Purgatur etiam, vt maioris gratiæ capax fiat, sicut vitrum obscurum tergitur, vt luminis amplius sit capax. Excitatur etiam, vt agilior & promptior fiat ad opera iustitiæ, & virtutū exercitia. Quia in statu consolationis, sola quies mentis, & studium deuotionis videbatur ei sufficere ad summam perfectionem, quæ ideo ei ad tempus subtrahitur, vt discat & in aliis virtutum studiis exerceri. Sicut .n. mercator non in vno foro vel apotheca omnia simul inuenit, quæ desiderat, sed in diuersis diuersa, Ita Religiosus non tantum in quiete deuotionis, & dulcedine consolationis spiritualis, sed etiā in labore certaminis & exercitio bonæ actionis, debet quærere studium perfectionis, & merendi occasionem. Ad

B Philippenses: Scio & abundare, & penuriam pati vbique & in omnibus institutus sum. Ad Cori. Arma iustitiæ à dextris & à sinistris, &c. Eruditur etiam homo tentationibus quando discit, quę sit vtilitas tentationum, & profectus ex eis proueniens, quia ex hoc leuior fit ei tentatio, cum intelligit, quare sic Deus permiserit, & quis sibi fructus inde accrescat. 1. Corinth. 10. Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Eruditur etiam quod non in tantum innitatur experientiis tentationum in fiducia ad Deum vel fidei certitudine, sicut quidam rudes in via Dei, qui statim, cum sibi subtrahi senciunt consolationis experientiam animo concidunt, credentes Deum à se esse auersum per gratiam, vel etiam in fide titubare incipiunt an vera sint, quæ de Deo senserunt. Numer. Est ne Deus in nobis, an non. vult autem dominus erudire nos per subtractionem consolationis, inniti veritati scripturæ & fidei potius quam naturæ qualicunque experientiæ. Quia fides non haberet meri-

C tum si in sola experientia consisteret. Spes quæ iam teneretur experientia, spes nō esset. Per patientiam autem & consolationem scripturarum spem habeamus potius, quā experientiam, credentes Deum nunquam auerti à nobis per gratiam quamdiu voluntas nostra non est auersa per consensum peccati, vel torporem negligentiæ. Psal. Mandaui iustitiam, & testimonia tua, & veritatem tuam nobis. Hæc sunt vere testimonia gratiæ Dei, iustitia in voluntate & operatione, & veritas Dei secundum promissiones sacræ scripturæ, quę promittit nobis vitam æternam, si mandata eius obseruemus. Iob: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Noli ergo diffidere, cum consolatio internæ dulcedinis tibi subtrahitur, quasi Deus dereliquerit te, vel bona opera tua non accepta sint ei, sed recurre ad illa vera testimonia, & consolare in illis, scilicet, vt confidas veritati, quandiu tu non discedis ab eo, per consensum prauitatis mandatorum eius, quod ipse non derelinquet te per propitiationem suam. Non enim nos eligimus eum, sed ipse

D elegit nos, & prior dilexit nos, & non deserit, se non deserentes, qui etiam dilexit nos nondum existentes, vel etiam resistentes ei per peccatum. Vnde dilexit nos, & elegit nos, non propter nos, sed propter seipsum, ex sola bonitate sua, propter hanc etiam seruabit nos. Humiliat etiam nos Deus per tentationem tribulationis, vt agnoscamus, quid simus ex nobis, ne extollamur ex eo quod à Deo accepimus, vel accepisse putamus. Ecclesiast. In igne probatur argentum, & aurum in camino, homines vero acceptabiles erunt in camino humiliationis. Quicquid scoriæ vel falsitatis interius latuit, ignis tētationis prodit, de ipsis etiā bonis humiliabimur, videntes quod nostra non sunt, sed Dei, quę quando, & quantum vult, dat nobis ex gratia sua, non ex meritis nostris. Si consolatio spiritualis homini nō subtraheretur, aliquando nimis extolleretur, & gratiam perderet, & periret. Subtrahitur ergo ei, ne amittat, perdit ne perdat. Sicut pater paruulo suo nummos negat, ne deludat & perdat, donec proficiat in prudentia, & sciat prouide conseruare. Vidimus aliquando prius generosos, nimis sibimet inde placere, & gloriā humanā quærere tandē euanuerunt & coram Deo & hominib. viluerūt. Ecclesiast. Qui delicate nutrit seruum suum ab adolescētia sua, postea illum sentiet contumacem. Benignus Deus cuius delitiæ sunt esse cum filiis hominū, libēter impartitur has delitias seruis suis fidelib. sed heu postea quosdam sentit contumaces, qn̄ ex consolatione spirituali elati cæteros despiciunt, & in teporem versi, dum famam laudis desiderant, iactantiæ vitio deprauati, etiam Hypocritæ fiunt, & dum meliores videri laborant, quā sunt, Deo se opponunt gloriam Dei sibi temere vsurpantes, etiam ab adolescentia, id est, à nouitate conuersionis. Bonus autem Dominus, sciens quod vtilis sit homini tentatio, & tribulatio, prius ostendit ei consolationes dulcedinis, quib. postmodum in tentatione confortetur, ne deficiat, & alliciatur, vt semper ad eas redire desideret, & non desistat eas requirere, donec denuo recuperet, quod amisit. Sic laborantibus in via, prius copiosa paratur refectio, ne in labore deficiant. Sic columbæ longius emittendæ, prius nutriuntur tritico cum melle, vt quantumcunque longe emissæ fuerint semper illuc redire contendant, vbi delicate se pastas esse meminerint. Sic Petrus prius in mōtem excelsum seorsum ducitur, vbi gloriam transfigurationis videat, & postea à Sathana expetitus vt cribraret eum, in tentatione recoleret priorem dulcedinem suam, quam expertus erat, & rediret ad Dominum, quem tam amabilem senserat, ne diffidens & deficiens desperaret. Sic filiis Israël prius manna in deserto datur, & postea longo itinere & cunctamine fatigantur.

Cap. IV.

Quod multæ sunt tentationum species, quarum vna est subtractio deuotionis. Item quod quidam tentantur ex difficultate bene operandi, cum tamen bonam habeant voluntatem, & de tentatione fastidij, & impatientia contra Deum.

Multæ sunt autem tentationum species, vna est subtractio & inopia deuotionis, hæc est quasi aditus aliarum tentationum, quia si consolatio deuotionis adesset, aliæ tentationes nullam, vel minorem virtutem haberent. Cum ipsa sit quasi domus refugij ab omni tribulatione. Psalm. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Item, si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Subtracto ergo tam singulari refugio, homo quodammodo inermis expositus est hostibus tentationum, & ideo pauidus efficitur, & pusillanimis, n[isi] fidei & spei firmitate se defendat, quæ tunc maxime habent locum exercendi se, & magnam gloriam promerendi, fides ibi probatur, si credat vera esse, quæ iam desiit per gustum dulcedinis experiri. Dulcia nimis sunt omnia quæ de Deo credimus, sed gustus eorum ideo subtrahitur bonis, vt fides magis innitatur autoritati scripturę, quā experientiæ propriæ, & magis ex hoc meritoria fit. Spes probatur, [si] confidat Deum sibi esse propitium, & dum flagellat, & ita studiose studeat ei seruire, & placere in omnibus, ac si sentiat & videat eum sibi esse placatum. Vnde Abraham laudatur, qui cōtra spem, in spem credidit diuinæ promissioni, & non hęsitauit diffidentia, certissime sciens, quęcunq promisit Deus, potens est & facere. Patientia probatur, [si] non murmuret contra Deum, quasi ex sua duritia hominem tribulet, & desoletur, & si longanimiter sustineat beneplacitum Dei, & nō deficiat in aduersis. Humilitas probatur, si cogitet se digne puniri, quasi qui indignus sit cōsolatione spirituali, & si iustificet Deum, quod iuste iudicauerit puniendo reum, & ingratum priuando beneficio consolationis internæ. Tantum debet nobis Deus placere, & tantum debemus diligere eum, quando nos punit sicut quando nos consolatur, quia tam pia intentione nos punit, sicut blanditur & consolatur. Ad Hebr. Quis .n. filius, quem non corripit pater? Apocal. Ego quos amo, castigo. Quidam etiam tentantur ex difficultate bene operandi, & habēt aliquam bonam voluntatem, sed non fortem, & ex difficultate obstaculum inueniunt, quasi qui graue saxum voluit. Et inde affliguntur tam ex morsu con-

A scientiæ, quæ accusat eos torporis, quam ex dolore tardi profectus,& desiderio vitæ sanctioris. Quidam.n.vellent habere bona opera,& nō valent, ad ea exequenda seipsos vincere, Iuxta illud: velle mihi adiacet, perficere aūt nō inuenio. Aliqui vero possent, sed ita videntur eis arida & parua, quod diffidunt ea placere Deo, & alicuius meriti fore, & sic vtrobiq; neglecti sunt,& incidunt in quandā tristitiā & diffidentiam. Sicut dicit de talibus Bernar. Sunt qui in studijs spiritualibus fatigari,& versi in teporem, ambulant tristes vias Domini, longos dies, longas queruntur & noctes, frequenter murmurant corde auido,& quælibet iniūcta accedunt. Quidam enim terror & horror terret eos, cū cogitant de profectu spirituali, quasi dicant apud se: Bona esset victoria, sed dura est pugna, dulce præmium, sed labor merendi grauis. Sic exploratores missi in terram promissionis, reuersi commendabant vbertatem terræ, ostensis fructibus, sed terruerunt populum pro difficultate expugnationis hostium, & proceritate inhabitantium. Ita
B religiosi quidam, explorantes terram per scripturas, magna gaudia cœli prædicant, sed pugnas tentationum,& labores spiritualium exercitiorum ita exhorrent, quod potius in deserto mori volunt, quam introduci in terrā promissionis, hoc est, magis volunt opere in quodam mediocri statu remanere, inter sæcularem vitam & spiritualem, quasi inter Ægyptum & terram promissionis, in deserto aridæ conuersationis, quam per labores & tribulationes peruenire ad gratiam perfectionis. Gigantes etiam terræ mirantur,& timent quasi monstra, cum magnorum sanctorum virtutes considerant,& de propria paruitate diffidentes, illorum perfectionem attingere, non ex humilitate, sed ex prauitate, desperant, causantes contra Dominum, & murmurantes, ꝙ tā dura seruitia ab homine requirat, sicut illi, qui educti de Ægypto venerūt ad tales miserias tolerandas Nū.11. Ortum est murmur contra Deū, quasi dolentium pro labore, inde etiam pauci ad perfectionem perueniunt,& de omnib. supra ad pugnam numeratis, tātum duo terram promissionis intrauerunt. Qui soli illi p-
C fecti sunt inter religiosos, qui & in pugna tentationis,& in exercitio virtutis infatigabiliter constantes fuerunt, in pugna resistendo malis, in exercitio insistendo bonis in finē. Ex hoc sequitur alia tētatio fastidij, quia fastidit homo omne bonum, tędet eum orare, legere, meditari, tędet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse diuinis, etiam quæ sine graui labore facere posset. Et hoc inde, quia cum quis se ad magna virtutum præmia peruenire diffidit, etiam in moribus exercere fastidit. Et quod hæc tentatio ex priori oriatur, ostēditur, quod statim post murmur populi pro labore, sequitur murmur pro fastidio mannæ, ꝙ significat spiritualis refectionis alimentum, sicut sunt verba sacræ scripturæ,& bona opera, quæ pascunt animam,& reficiunt conscientiam. De hoc Propheta dicit: Omnem escam abominata est anima eorum,& appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Ad duo autem trahitur ista tentatio, aut ad exteriores consolatiunculas,& sæculares leuitates, vt qui non habet in spiritualibus delectationem, saltē
D in carnalibus quærat,& sæcularibus nugis consulat suo fastidio, quo vexatur. Sic & illi, qui manna nauseant, carnes cōcupiscūt,& pepones & porros.i. carnalia & terrena gaudia,& sollicitudines exteriorū negociorū, quæ sua accidine, quasi porri, fastidientem gustum irritando, delectant, sed postea conscientiam amaricatam ad fletum compellunt, aut ad nimiam tristitiam trahunt. Hæc tentatio fastidij dum non habet in spiritualibus delectationem, & in carnalibus consolari renuit, & sic nusquam inuenit refugium, magno mœrore consumitur. Solum ergo restat, vt instanter clament ad Dominum cum tribulantur, vt de necessitatibus suis liberentur,& sacrificent sacrificiū laudis,& annuncient opera eius in exultatione, id est, recolāt beneficia Dei, vt ex illis ad laudem eius in exultatione spiritus prouocentur, quod si statim non successerit, sequitur alia tentatio, s. grauis impatientia contra Deum, quare tam durus & immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando gratiā egeno, & tā anxie petenti, & tā importune pulsanti. Et hæc tentatio quoque tam valida est,& quasi insanit homo,& palpitat ex vehementi mœrore, quia ibi nō inuenit solatium, quod deberet ei. esse vnicum refugium, s. in oratione,& intenta supplicatione, cum dicit: Omnis qui quærit, inueniet. Iob.30. Clamo ad te,& non exaudies me, sto,& non respicis me, mutatus es mihi in crudelem,& in duritia manus tuæ aduersaris me. Esa.63. Multitudo viscerum tuorum,& miserationum tuarū super me cōtinuerunt se. Abac.1. Vsquequo Dñe clamabo & nō audies me, vociferabor vim patiens,& non saluabis. Psal. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem. Hæc omnia illius tentationis anxietatem exprimunt, quæ non valet melius superari, nisi patienter tolerando,& humiliter expectando, donec benignitatis suæ vultum dignetur nobis ostendere, & manum largitatis aperire, vt cœlum, quod supra nos quasi æneum sentitur, stillas gratiæ nobis influat, & terra cordis nostri, quasi ferrea, emollita pluuijs benignitatis domini, det fructum suum, id est, affectiones pias, & desideria deuotionis. Illa autem tentatio magis periculosa est, & minus molesta sentitur, quando ex longo vsu subtractionis gratiæ deuotionis, & post multa anxia desideria & labores, pro recuperāda gratia, homo quasi lassus, remittit animum ab intentione quærendi, & colore patientiæ desinit oculos tollere ad opes, quas habere se posse non videt. Et cum indignāti humilitate cogitat, se forte indignū talis gratiæ, quia forsitan aliud de illo præordinauerit Dominus, vt ad exteriora conuersus multis prosit,& ideo ab interioribus sit repulsus. Vult etiam sub discretionis velamine deinceps parcere sibi, ne corpus nimis debilitetur, caput irrecuperabiliter destruatur. Et incipit remissus esse in studio orationis,& ad confabulationem promptior, ad euagandum paratior, ad corporis commoda studiosior, ad inanes iocos pronior, ad exteriores occupationes, sub specie redimendi temporis vtiliter, voluntarius & intentus. Et ita paulatim abstrahitur à primo feruore, & desiderium proficiendi refrigescit,& studium languescit,& subintrant affectiones religiosarum fœminarum, vel è conuerso, & visitationes illarum,& omnibus alijs extinctis, solum hoc remanet ei ad solatium debile, quod adhuc scit loqui de spiritu, per quod vel seipsum præfert multis inexpertis talium experientiarum spiritualium, vel acquirit sibi nomē apud religiosas fœminas, quæ existimant eū loqui ex cordis abundantia,& esse bonum instructorem vitæ spiritualis,& deuotionis internæ. In huius tentationis tempestate plurimi fluctuant, & pauci enauigant, quos nec amor Dei afficit, nec desiderium trahit, nec timor stimulat, nec feruor proficiendi vrget, remissi in omnibus, & si quæ bona videntur facere, ex vsu quodam, vel ex pudore humano faciunt, vel ex timore, ne deterius aliquid eis contingat. Vnde qui hoc superare desiderat, oportet vt vim sibimet faciat, tam cordi, quam etiam corpori, sicut pigrum animal, quod calcatibus tunditur, flagellis agitatur. Quidam trahuntur impetu feruoris ad bonum. Sicut igitur illi indigent frœno, quo retrahantur, ne præcipitentur, ita alij aliquando indigent flagello impellente, quo ad bonum, quasi coacti incitentur. Misericors autem Deus, quo difficilius quis in tentationis pugna certauerit, eo maioris perfectionis gratiam ei retribuet in præsenti, & maioris gloriæ præmium in futuro.

Cap. V.

Quod plurimæ sunt species tentationum, inter quas acerbissima est hæsitatio de fide. desperatio de misericordia Dei, & blasphemia contra Deum & sanctos.

Sunt & aliæ plurimæ tentationum species, quarum naturas, origines, & curas prosequi longum esset. Si enim nullus medicorum omnes morborum corporalium veritates,& dolores, plene potest cognoscere, quanto minus spirituales morbos tentationum, & passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis plene discernere, nisi Spiritu sancto plenissime illustratus. Acerbissimę tamen tentationes videntur hæsitatio in fide Catholica, & desperatio de Dei misericordia,& spiritus blasphemiæ contra Deū,& sāctos,& tentatio sibimet iniiciēdi manus, & perimēdi. Cōtra

A tra tales ista maxima valent remedia. Primum vt consolentur, quod non timeant illas tentationes, quia magis ad meritum proficient patienti, quam ad detrimentum. Secundo quod patienter tolerent, sicut si Sathanas aliquem visibiliter vel sensibiliter tribularet. Tertio quod non curentur, nec ratiocinando eis resistatur, quia ex hoc magis confricatæ inflammarentur, sed ad alia tractanda conuertat se homo, quibus abstractus à se, obliuiscatur passionis suæ, sicut corporali passione laborans, si habet, quo occupatus obliuiscatur sui, leuius interim torquetur. Quarto vt orationibus suis, & aliorum bonorum hominum, misericordiæ diuinæ imploret remedium. Generalissima autem tentatio, qua omnes in hoc mari magno & spatioso quassantur, potest ad omnium vitiorum conflictum referri, in qua sæpè periclitamur, quasi submergendo, & iterũ resumptis viribus subleuamur, quasi deinceps eorum expugnatione securi, de qua dicitur, Qui descendunt mare in nauibus &c. Mare est vitiorum profundum, naues, religiones, quibus enauigant è sæculi vitiis, procellæ maris, tentationes vitiorum. Ibi vident nauigantes opera Domini, & miracula eius in profundo. Ecclesiasti. Qui nauigant mare enarrant pericula eius quando considerant, quanta potentia & pietate custodit certantes afflictionibus peccatorum, & quanta sapientiæ ratione permittit eos tribulari, & dat eis victoriã per varia consilia, & remedia vitiorum. Ecclesiast. Qui non tentatus, qualia scit? & qui non tẽtatus pauca recognoscit. Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui didicit, enarrabit intellectum. Ascendũt vsque ad cœlos, per fiduciæ securitatem, & rursum descendunt vsque ad abyssos, per timorem succumbendi in tentatione. Psalm. Leuaui oculos meos in montes, velut aspiciendo vsque ad cælos, aspiciendo ad diuinæ pietatis auxilium, & descendunt vsque ad abyssos, intuendo propriæ fragilitatis defectum.

Cap. VI.

Quod tria discimus in subtractione, scilicet Deo referre grates, culpas cauere, & aduersa tolerare.

C Tria autem discimus in subtractione consolationis intrinsecæ. De minimis beneficiis gratias agere, & minimas quasque culpas & negligentias cauere, & minima quæque aduersa patienter tolerare. De opulenta mẽsa micæ, imo aliqua frustra quãque decidunt. Sic homo abũdans diuersis consolationum donis, plurima beneficia Dei, sine debita gratiarum actione præterit, multas gratias negligit opere exercere, plurima parua reputat, quæ magna sunt, plurima nec agnoscit. Sed his omnibus subtractis, sicut vir videns paupertatem suam, recolit, quanta prius habuit & potuit, quæ iam non habet. Et sicut medicus famelicus modicã buccellam, vel micam gratanter acciperet, & studiose colligeret, qui prius delicata fercula paruipendit. Colligite fragmenta &c. Subtractio gratiæ & consolationis proficit homini, vt gratus fiat, postmodum etiam ad parua beneficia, cum ei Dominus reddiderit, vt
D est vna bona cogitatiũcula, vel deuota oratiuncula, recordans prioris inopiæ, cum hæc pro magno desiderans non potuit habere. Ecclesiast. Minimum pro magno placeat tibi &c. Beneficia Dei nobilia sunt & pretiosa ex dignitate dantis, ex affectu liberalitatis, & charitatis, quo dat, quæ etiam si sic parua daret, grata esse deberet. Item, ex pretiositate & vtilitate doni, nam quid nobilius spiritu Dei qui nobis datur? quid nobilius eo quo transformamur in Deum? & Deificamur, & beatificamur, & hæredes regni eius efficimur? Petrus, Maxima & pretiosa vobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturę. Itẽ, ex vtilitate eius, cui donantur. Quid enim Deo cum luto, lutum sumus vile, vitiosi peccatores, ingrati, inopes omnis boni, miseri, & mortis rei, & Deus memor esse nostri dignatur. Si rex dignatur pauperis tantum habere memoriã, etiam si modica det ei, hoc ipsum pauperi videri magnum debet. Psa. Quid est homo quod memor es eius? Minimas etiam culpas vitare docemur, quia timendum est nobis, ne forte ex culpis nostris & ingratitudine, gratia sit nobis subtracta, vt eam recuperemus cauendo negligentia quam amisimus incauta libertate. Prouerb. Qui sperni modica, paulatim decidet. August. Vitasti grandia, caue ne obruaris arena. Prouerb. Qui Deum timet, nil negligit. E minutis guttis multiplicatis, inundationes aquarum fiu quæ etiam magna quandoque mænia subuertunt, per mo dicam rimam aqua latenter influit in nauem, donec sub mergatur. Minima etiam aduersa tolerare assuescamu q̃a maiora nõ superat, qui minora superare nõ discit. Mu ti optant pro Christo mori, qui pro ipso nolunt verba l uia pati. Sed quem terret sonitus folij volantis, quomod sustinebit ictum gladij terribiliter vibrantis? Discamus e go omnia peccata pro posse cauere, & pro his quę fecimu omnia aduersa humiliter pati, & omnibus beneficiis D debitam considerationem, cum gratiarum actione, sem per exhibere, & gratiam Dei non in vacuum recipere. I digni erimus, vt gratia nobis subtracta, etiam augment ta reddatur, & ad magnum profectum virtutis peruenii mereamur.

Cap. VII.

Quid sit tentatio, & quod in delectatione maxime teneri & infirmi superantur.

Tentabo, quantum ad præsentem materiam, dici p test quilibet motus, vel affectus, vel sensus à vero b no retrahens. Fit autem hoc tribus modis: aut alliciend per delectabilia, aut terrendo per contraria & aspera, a decipiendo per falsa & verisimilia. Et sic tres animæ vire corrumpuntur. Cõcupiscibilitas per delectabilia carnis oculis & cordi, id est, per voluptates, diuitias, & honore mundanos. Irascibilitas per timores vanos debilitatur, i resistendo vitiis & insistendo virtutibus. Rationabilita cęcatur, vt bonum malum iudicet, & lucem veritatis po nat tenebras, & tenebras falsitatis ponat esse lucẽ. Ps. Co meũ conturbatũ est intra me, sicut aqua luto turbata, & ir undata, dereliquit me virtus mea, qua debui bono verac ter inhærere, & lumen oculorum meorum & ipsum non e mecum quo verum à falso discernere debui. Concupisc bilitas dupliciter tentatur quia delectatio spiritual s s subtrahitur, & inde dissoluitur, & carnalis concupiscenti ingeritur ei & inde fœdatur Irascibilitas etiam dupliciter quia dum infirmatur ad bonum, procliuis est ad malun Rationabilitas dupliciter, quia intellectus bonum non a gnoscit quã bonũ sit, & sub specie veri, à falsitate delud tur. Diabolus suggerit animę interius praua cõsilia, mũdi exterius ingerit materiam concupiscibilem, caro delecta tur, mens recipit & consentit tentationi, vel non repugna Vtrum autem vtilius sit habere tentationes, vel carer solus rei exitus probat. Quia habere eas, & viriliter res stere magnæ virtutis est, superare vero & triumphasse de psis, gloriosum est. Carere autem eis commodius & secu rius, succumbere periculosum, appetere eas & sese ingere re incautum, maxime infirmis & imperfectis. Excitare ta men se ad pugnam spontaneam contra vitia spirituali: contra iram, inuidiam, vanam gloriam &c. aliquando e vtile, vt qui inter illos morari eligit, qui eum persequũtu & offendunt, vt sic discat patientiam, & qui sub stricto o dine viuit, qui in omnibus eius voluntatem frangit, vt s assuescat humiliter esse obediens & promptus, & sic de c teris vitiis spiritualibus expugnandis. De carnalibu autem vitiis hoc periculosum est, & stultum, sed fu giendæ sunt eorum pugnæ, & à memoria excluder dæ, & occasiones eorum tollendæ. Vnde Dominu noluit se de luxuria tentari, vt doceret nos, non deb re ingerere huic tentationi, etiam in spe triumphi præmij. Cum enim tentatio hæc magis habeat de delect tione admixta, & in hoc vitio omnes concepti simus, non solum mens, sed etiam corpus inquinetur, eo petic losius ei aditus conceditur. Sicut hostes, qui in vrbe al quos, sibi fauentes habent, si intra portas irruperint, p tentius ipsam capiunt. Corint. Fugite fornicationem, o ne peccatum quod facit homo, extra corpus est &c. Te tationibus in quibus delectatio consistit, maxime tene

A & infirmi superatur, in quibus amor mundi nobiscum extinctus est, & ideo citius reaccenditur ex concupiscentijs mundi, sicut candela adhuc fumigans, cito capit flammã. Tentatio vero impetuosa, & quasi violenta, fortius impetit, vt qui mollibus non flectuntur, & duris & robustis tentationibus, quasi ventis validis euellãtur. Tentationes aũt fraudulentæ, quæ sub specie boni se palliant, licet quosq; rudes & stultos decipiant, qui nondum cognouerunt altitudinem Sathanæ, & astutias eius, tñ singulariter perfectis, & bene ꝓficientib. insidiantur. Ps. In via qua ambulabam, absconderat laqueos mihi. Ipse Sathanas transfigurat se in angelum lucis, si enim eis in sua figura appareret, quæ turpis est, abhorrerent eũ, & fugerent, si aperte impugnaret eos, resisterent ei, & auxilio Dei fugarent eum, & vincerent, & sic nil apud eos proficeret. Boni enim, quia mundi, detestantur immunda peccata, quia virtuosi sunt, viriliter cõtra omne malum repugnant, quod malum esse cognoscũt.

B Venit ergo Sathanas in specie boni angeli, quem credit à bonis diligi, vt tanto facilius decipiat eos, quo bonus nũcius putatur, & qui non soleat sibi nisi bona nunciare & suadere, Vnde bonus nunquam, nisi similitudine boni deceptus est. Et vt facilius recipiatur eius persuasio, primo sola bona proponit, postmodum mixta malis, tandem falsa bona, sed vere mala. Postremo cũ irretierit eos, & illaqueauerit insolubiliter, aperte venenatum caput erigit, & in aperta peccata eos deijcit. Sicut scorpio, qui faciem blandã habet, & caudam venenosam. Sic Gabaonitæ, simulato peregrino habitu, deceperunt filios Israël, vt parcerent eis, cum de genere hostium forent. Quanti sub specie spiritualis dilectionis, spirituales fœminas frequentarũt, & orationũ earũ obtentu. Ecce quanta puritas in intentione prima, s. charitas, & deuotio. Postea sequuntur longæ confabulationes, modo de Deo, modo de mutuo ipsorum amore, & fide, & amorosi affectus, & munuscula pro memorialibus charitatis. Ecce quomodo mixta sunt iam bona spiritualis consolationis, vel collationis, & fidelis affectionis, cũ malis inutilis cõfabulationis & incautæ familiaritatis, & inu-

C tili occupatione cordis circa dilectionem. Tãdem sequũtur falsa bona, & vera mala, scilicet amplexus oscula, tactus manuum & vberum, & similium, quæ omnia suspecta sunt & carnalis affectionis indicia, & turpis operis prę-ludia. Postremo impudica succedunt quasi fructus præcedentium, s. aperta opera iniquitatis. In hunc modum palliat se sæpe superbia, sæpe inuidia, & auaritia, & alia vitia, quæ non audent bonos tentare aperta facie, quos sciunt omne malum odire, assumunt aliquot virtutis velamen, ne agnoscantur esse quod sunt, sicut qui mentitur se amicum esse, donec admissus dolose interficiat. Sicut Ioab tenuit mentum Amasæ, quasi osculaturus eum, ne suspicaretur eum hostem esse, & non obseruauerat gladium eius dolosum, & ita in dolo occidit eum. Sic Iudas osculo Christum tradidit crucifigendum.

Cap. VIII.

D *Quod in tentatione maxime tria dolemus, quibus quinque modis est resistendum.*

IN tentatione tria maxime dolemus, siue ex labore pugnæ & inquietudine cordis quam patimur, siue ex timore, ne forte superemus, & succumbamus per tentationis consensum, siue quia timemus, ne forte nimis debiliter resistamus, & per hoc Deum & propriam conscientiam offendamus. Omnib. tẽtationibus his, quinque modis resistendum est. Primus est cogitationem inde auertere, alias occupationes assumendo, quibus obliuiscatur homo impugnationis, quantum potest. Secundus & materias & occasiones tentations fugere & declinare, maxime carnales, quæ propinquantes sibi incẽdunt vt ignis. Iob. ignis est vsque ad consũmationem. Tertius est patienter & humiliter sic virgam Domini sustinere, vt & dignũ iudicet afflictione, & labore pugnæ, & patienter toleret, confidens, quod ei prouenit in bonum, quia sic citius placabilis erit Dominus & purgabitur à peccatis, & emendabitur à vitijs, & ditabitur virtutibus, & scientia, & meritis, & gloria. Gregorius: Qui appetit plene vincere vitia, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. Cum Deo non possumus contendere, nec per iustitiam, quia peccatores sumus, nec per potentiam, quia infirmi & serui eius sumus, nec effugere ab eo per astutiam, quia nusquam coram eo latere poterimus, nec dominij eius terminos exire Psal. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Iob. Sapiens corde est, & fortis robore, quis resistet ei, & pacem habuit? Vnde humiliemus nos coram ipso, & sic misericordiam consequemur. Quartus est orationi incumbere, & auxilium supernæ virtutis implorare per se, & per aliorum suffragia, quia nec nostris meritis, nec viribus, nec prudentia possumus de tot hostibus triumphare, vel sine lethali vulnere transire, nisi protecti manu Dei, & eius adiutorio confortati. Psal. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Ad hoc enim Deus quandoque permittit hominem tentari & tribulari, vt excitetur ad orationis

F studium, & confugiat ad Dominum, vt experiatur eius auxilium, & ad eius exauditionis solatium amplius in eius amorem exardescat, & sic tam in merito virtutum, quam in fiducia dignationis eius excrescat. Sic diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum, tam prospera, quam aduersa. Solet etiam Deus quandoque fidelem seruum suum postmodum amplius consolari, & purioris perfectionis gratiam conferre in illis, de quibus aliquando fuerat in tentationis molestia grauius tribulatus. Sic de B. Benedicto scribit B. Gregorius: Qui dum à carnis tentationibus grauiter impugnaretur, quia viriliter restitit, ita plene vicit, vt Dei gratia nunquam motus carnalis illecebræ in se sentiret. Psalm. Secundum multitudinem dolorum meorum &c. Sic etiam in tentationibus contra fidem, vel blasphemia spiritus, meretur fidelis bellator quandoque in fide clarius illuminari, & in amore Dei ardentius inflammari. Esaias: Erunt capientes eos, qui se cœperant, & subijcient exactores suos. Quintus motus est, qui etiam quintus religionis processus est, singulorum vitiorum tẽtationibus, singularibus remedijs mederi. Hîc potest status cu-

G rationis, vel remediorum spiritualium dici, in quo cura diligens morbis vitiorum adhibetur, vt ad sanitatis statum perueniatur, de quibus remedijs, quia in præcedentib. dictum est, hîc non est opus repetere. Illa autem diligentia debet quisque studere, remedia animæ suæ perquirere, & sanandis spiritualibus morbis vitiorum inuigilare, qua lethali morbo laborans medicum, qui eum sanare posset inquireret, si haberet fiduciam, quod talem facile, si non negligeret inueniret. Imo tanto diligẽtius cura animabus curandis adhibenda est, quanto animarum morbus periculosior est, & cura difficilior, & sanitas præstantior animę, quam corporis morituri. In quantum vero plus de corporis sanitate sumus quam de animæ salute, solliciti, in tantum cõuincimur illud plus diligere, & eius sanitatem amplius desiderare. Sanitas corporis cõsistit in integritate mẽbrorum & sensuum, & in ordinata qualitate humorum & spirituum vigore; Sanitas animæ consistit in recta & circũ-

H specta actione, in cautæ locutionis obseruatione, in rectitudine volũtatis, ordinatione affectionis, & vtilitate actionis. Actio in trib. debet esse circumspecta, vt sit meritoria. Primo, an liceat, secundo, an deceat, tertio an expediat. Illicitũ est omne, ꝙ est contra Dei præceptum, vel Ecclesiastica instituta, vel contra voti proprij spõsionem discretã, vt est votum continentiæ, & obediẽtiæ & abdicationis ꝓprietatis, & aliorum sub voto rationali comprehensorũ. Indecens est, quod non bonam spem prætendit, & colorẽ illiciti habet, etiamsi non expressam veritatem, vt omne scandalum, & quod alicuius vitij & peccati notam habere videtur, & secundum statum agentis incõueniens iudicatur. Corint. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, hoc est, licet aliqua in se non sint simpliciter illicita, tamen quia malos proximos ex mala specie scandalizant, & nullum ædificant, seruo Dei vitanda sunt, ne percutiat conscientias, infirmorum, exemplo minus ædificatorio, & dominum inhonoret, quia indisciplina famulorũ redundat in confusionem Dominorũ ipsorum. Rom. Gloriaris in Deo, quasi seruus in dño, & per præuaricationem legis Deum inhonorans, nomen enim Dei per nos blasphematur in-

A tur inter gentes. Inexpediens est, quod caret fructu vtilitatis, vel ratione iustæ necessitatis, vacuus enim ante Dei conspectum apparet, cuius actio fructu piæ vtilitatis caret, sicut ramus arefactus in arbore, & lignum infructuosum in vinea vel pomerio. Deus enim qui omnes large remunerare desiderat, tot occasiones merendi homines prouidit, & tot occasiones meritorias ei ostẽdit, quod stultus, & merito puniendus est, qui his neglectis inutilia & infructuosa sectatur, veluti si quis hortum plenum nobilibus fructibus ingrediens, sola vilia, & amara caperet & nociua. In locutione sunt tria similiter obseruanda. Primo vt tardus sit homo ad loquendum. Ecclesiast. Adolescens loquere in causa tua vix, quanto magis in non tua, vel in non causa, sed in leui vanitate. Si bis interrogatus fueris, habeat caput respõsum tuum vt & vtilitas & opportunitas exigat esse loquendum, vtilitas ædificationis, necessitas vitandi euidentis nocumenti, & honoris Dei pro-

B mouendi. Opportunitas loci, temporis, causæ, & qualitatis audientium. Vas quod non habuerit operculum, vel ligaturam desuper immũdum erit, puluis enim incidet, & vermes, & alia immunda inquinabunt, & si quid pretiosi, vel aromatici liquoris in eo reconditur, euaporat virtus eius. Sic qui per censuram silentij, non ponit ori suo custodiã, frequenter immundatur sorde illicitorum verbotũ, mendacijs, maledictis, detractionibus, turpiloquijs, iactantijs, scurrillitatibus, & similibus. Si quid etiam deuotionis intus habet, vel occultæ virtutis, citius euaporat, & infrigidatur & euanescit. Sicut sæpe possumus experiri, quando post compunctionis gratiam, ad verba otiosa confluimus, mox & sapor minuitur, & feruor extinguitur, & intelligẽtia obscuratur, & mentis in Deum intentio dissipatur, & corà bono, quid prius habuerat, euacuatur &c. Secundum est in loquendo circumspectum esse, vt cõsideret quid loquatur, & cui, & coram quo, disponens sermones suos in iudicio discretionis, ne cui loquendo noceat, ne quem indebite offendat, vel scandalizet, ne quid falsi admisceat, q cõscientiam postmodum remordeat, & dixisse pœniteat.

C Cor stultorum in ore illorum, & ideo cum aperiunt os, effundunt totum quod intus habent, per stultitiam. Os autem sapientium in corde ipsorum, quia os non profert, nisi quod cor prius digne deliberauerit esse loquendum. Qui custodit os suum, custodit à periculo animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet malum. Luc. De omni verbo otioso &c. Ociosum verbũ est, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. Si ergo culpa non caret sermo ociosus, qui non prodest, quid de pernitioso, qui etiam obest alicui. Tertium est, vt breuiter loquatur, & sine necessitate, & vtilitate non multiplicet verba. Qui multis vtitur verbis, lędet animam suam, in multiloquio enim peccatum non deerit. Duo enim verba, quæ sola nobis permissa sunt, inter omnia cito dicta sunt, id est, quod vel necessarium est tibi vel alteri, vel vtile tibi, vel alteri. Necessitas cito insinuata est sapiẽti, nam apud insipientem nulla verba sufficiunt. Vtilitas etiam, si se per nimia effundit, onerosa erit & fastidiosa.

D Seneca: Non multis opus est verbis, sed paucis & efficacibus. Prouerb. Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, sic vir, qui non potest in loquendo continere spiritũ suum. Gregorius: Quæ mutum silentij non habet, patet inimici iaculis, ciuitas mentis. Sic cautus & parcus sit homo in verbis, sicut auarus in nummis suis, quia verba, quibus meretur gloriam cœli, preciosiora sunt omni thesauro. Prouerb. Thesaurus desiderabilis requiescet in ore sapientis. Auarus pecuniæ & parcus, profunde & in abdito recondit eam, nec profert eam largiendo, nisi perurgente necessitate, vel vtilitate sua, & cauet ne vel obulum superflue effundat, super quam necesse sit. Sic etiam religiosus cordis sui thesaurum abscondat, raro loquendo, & nisi pro necessaria causa, vel vtili, os ad loquendum aperiat, & quod cum paucioribus verbis potest expedire, prout sufficit, ad hoc plura superflua non effundat. Quadruplex autem bonum ei ex hoc prouenier, quia cauebit peccatum multiloquij vel vaniloquij, & intellectus eius interius magis profundabitur & sublimabitur, sicut aqua conclusa, quæ dum non habeat exitum, per quem efflu-

E at crescit multum. Item singularem gloriam meretur in cœlo.

Cap. IX.

Quod morum disciplina in religione triplici decoratur colore, si sint mores maturi, humiles & benigni, & quod sanitas cordis consistit in tribus.

Morum disciplina in religiosis triplici colore decoratur, si sint maturi, humiles & benigni, Maturi, ne sint leues currendo, nec proni ad risum, vel curiosi, vel verbosi, nec ioculatores. Maturitas etiam intus mentem componit & totum corpus exterius ab insolentia custodit, caput retinet, ne leuiter hincinde circumferatur, oculos, ne euagentur, aures, ne curiose auscultent quæ minas expediunt, linguam refrenãt ab occisis & infructuosis verbis, manus ab inutilibus occupationibus, pedes à

F vanis deambulationibus, & indecentibus diuaricationibus, & totum corpus ab inquieto motu cohibet, nisi secundum quod ratio exposcit. Vnde beatus Bernardus, de sancto Malachia Episcopo, commendat eum quod ita compositus fuerit in moribus, quod nec manum, nec oculum, nec aliquod membrum leuiter mouebat aliquando, nisi secundum quod ratio & causa dictabat, vt nihil in eo appareret, quod posset offendere intuentes, totum in eo disciplinatum fuit. Humilitas morum deprimit ceruicem: humile format responsum, gestum complanat, vestitum simplicem amat sese inter nouissimos locat, ostentationis notam declinat, singularitatem fugit, ad aliorũ obsequia agilem facit, ad opprobria tacitum ad honores oblatos verecundum, promptum ad discendum, difficilem ad indignãdum. Benignitas facit affabilem, cõpassiuum afflictis, tractabilem ad consilia, communicatiuum sui & suorum in bono, hilarem, & modeste iucundum fidelem, socialem, nullum spernentem, vel temere iudicantem, gratum beneficiis, omnibus gratiosum. Hu-

G militas temperat grauitatem ne fastuosa & elata videatur. Benignitas facit ne austera & indignabunda putetur. E contra maturitas temperat benignitatem, ne lenis & carnaliter blandiens vel adulatione applaudens æstimetur. Temperat humilitatem, ne nimis abiecta, vel affectata reputetur. Humilitas reddit imitabilem, benignitas amabilem, maturitas venerabilem. Exterioribus ordinatis in actione, locutione, & moribus, vt ad veram & de cœlo allatam quadraturæ spiritualis vitæ normam, serra disciplinæ tanquam viui lapides in templo veri Salomonis locandi, disponi valeamus, de cordis compositione, & mentis bonitate aliqua proponamus, quia teste Salomone, omni custodia seruandum est, sicut ex quo vita spiritualis, quasi à fonte procedit. Sanitas cordis in tribus consistit: In voluntatis rectitudine, in affectionis sanctitate, & cogitationis stabili puritate. Voluntas recta est, quæ bonum tantummodo vult, & propter bonum & plene & vt sufficit vult. Si enim aliquid vellet quod malum esset & peccatum, non esset bona voluntas. Matt. Non potest ar-

H bor bona fructus malos facere. Si bonum vellet, sed non propter bonũ, vt bona opera facere, vel sibi pro laude humana sicut hypocritæ, vel alia non pura intentione, similiter bona non esset, cum non simpliciter bonum propter se vellet, sed propter aliud non bonum. Illud enim quisq; magis vult, propter quod aliud vult. In fine namque non quiescit, sed per id quod ad finem est tantummodo transit, & relinquit ipsum obtento eo, quod voluit. Si aũt vult bonum, & propter bonum, sed non sicut sufficit, licet pro parte recta sit, non tamen plene, vt qui viam Dei incedere, vel docere vult, quamdiu inde nullam cogitur sustinere aduersitatem. Sicut hi, qui in tentationibus vel persecutionibus deficiunt, vel qui ita volunt opera bona agere, vt tamen ab alijs illicitis nolint abstinere, vel quocunque modo nolunt bonum inceptum ad finem debitum perducere, vel ẽt plus q̃ debeant & expediat volunt bonis operib. insudare, vt qui indiscrete castigando se perimunt, vel ad insaniam, & destructionem sui perpetrahunt se ipsos. Ad Rõ. Rationabile sit obsequiũ vestrum, Exo. Quod

A populus plus offert &c. Quod vltra plenum effluit inutiliter. Quia plus quam potuit fecit propterea perierunt, qa contriui Moab quasi vas inutile. Duplex enim est plenitudo, vna necessitatis, altera perfectionis. Necessitas est illa, quæ minus habere non potest ad salutem, vt obseruantia peccatorum. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Plenitudo perfectionis est impletio consiliorum: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, cum reliquis consiliis Euangelicis. Ad hæc non tenetur, nisi qui ea sponte vouerit, vt religiosi, quæ tamen post votum fiunt necessaria ad salutem. Deut: Si votum voueris domino, non tardabis reddere. quia requiret dominus Deus tuus, & si moratus fueris reputabitur in peccatum. Quod enim ante votum liberum fuit, vouere vel non vouere, facere vel non facere sine peccato, illud post votum iam necessarium erit implere, & iam non est tam in consilio, quā in præcepto. Et sicut de præcepti transgressione reus est damnationis æternæ, ita & de voti præuaricatione, verbi B gratia, sicut sæcularis damnatur pro fornicatione, vel homicidio vel simili, ita professus regulam in religione, damnatur si est proprietarius vel inobediens, vel facit aliquid quod in regula sua præceptorie inhibetur. Iusta vero necessitas, vel euidens maior vtilitas dimittit dispensationē, sed ab eo, qui potest in talibus dispensare. Dubia etiam interpretatio præcepti periculosa est, sicut pons semiputridus aquæ præcipitis & profundæ, de quo dubium est, an sub transeunte corruat, an subsistat. Quare vult aliquis, qui maiora pro Christo decreuit subire certamina, & omnia reliquit in sæculo, se committere periculo pro modico motu propriæ voluntatis, & pro paruo commodo in incerta opinione sua vel alterius, vt si Deus approbet illam opinionem, euadat sine lucro meriti, si autem reprobet eam damnetur, maxime cum tales opiniones quandoq; periculosiores sint, quam apertæ transgressiones, quia vbi scit se homo delinquere, inde facile corrigitur, vbi autem nescit se peccare, & insuper credit licere, inde nec in morte pure conteritur, propter falsam spem quod forte licuit C vel minus in eo peccauerit, baculo arundineo vel confracto innitens. Voluntas bona & plena est, & via regia & secura quam debet incedere, & relictis dubietatum diuerticulis, quasi suspectis latronum semitis, apertos & tritos iustorum calles ambulare, ne velut pœnitens boni inchoati, quærat diuerticula declinandi de via perfectionis, in qua vouerat ambulare. Quid est enim vnde omnes in damnationem incidimus, nisi talis dubia interpretatio præcepti Dei de ligno vetito, vbi callidus serpens persuasit mulieri, non ita stricte & simpliciter intelligendum illud præceptū, cuius obseruantia potius nociua foret, ne fierēt sicut Dij, scientes bonum & malum & cuius transgressio nequaq̄, sicut Deus comminatus fuerat mortem corporis & aīæ mereretur. Credidit igitur insipiēs mulier falso interpreti, & cōsensit suadenti, cui nequaq̄ consensisset, si consilium eius fallax & inutile credidisset. Non tñ putandum, q condicio religiosorum deterior facta sit ex voluntario altioris voti promisso, eo quod de strictiori ponte facilior D & periculosior sit lapsus, q̄ de latiori, sed quanto difficilior via, tanto sequitur maior gloria, & quanto laboriosior pugna tāto gloriosior triumphus. Talem aūt timorem altioris professionis incutit religioso, aut pusillanimitatis formidolosa tentatio, aut inueteratus tepor quo, primi feruoris oblitus, & primam charitatem relinquens, horret altam viam quam aggressus fuerat, stupens præcipitij profundum, & fastidit laborem pugnæ, dum non videt præmium, nec sicut debet desiderat, quod consequatur. Vnde prius in probatione debuit deliberasse, si volens ædificare turrim euangelicæ perfectionis, haberet sumptus constātis feruoris ad perficiendum, vt vltima primis respondeāt, ne postea cum posuerit fundamētum altæ professionis, & non posuerit perficere sicut ceperat, ex voluntatis tepore, omnes incipiant ei illudere tam homines quam Dæmones, dicentes: Hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare. Sicut structura imperfecta labefacta ostendit structoris defectum.

E

CAP. X.

Quod cuilibet religioso obseruanda sunt septem.

AD euitandum apostaticæ præuaricationis opprobrium, & perfectæ sanitatis gratiam obtinēdam, & repromissæ beatitudinis gloriam religioso consequēdam, quædam communia spiritualia exercitia ponenda videntur, in quibus qui fideliter perseuerauerit, cito sentiet se in spiritualis vitæ profectu crescere, quousque ad perfectā perueniat sanitatem virtutis. Primum est, vt homo non sit piger, sed agilis ad incipiendum & faciendum bonū, quod vel ex alterius admonitione, vel ex diuina inspiratione intelligit faciendum. Multum enim negligimus profectum tam meritorum, quam præmiorum, eo quod tædet nos bonis studijs insistere ex horrore difficultatis, aut si volūtatem habemus, quod tunc de tempore in tempus differimus, & procrastinamus, & interim irrecuperabiliter perdimus tempus & meritum, quod lucrari poteramus. F Aut si facimus, ita desidiose & indeuote facimus, quod nec domino est valde gratum, nec conscientiæ nostræ consolatorium, vel meritorium, imo corrosiuū conscientię, quod et inde puniri timemus, & ex insipiditate tædet nos laboris, & festinamus inde absolui, & tædet nos aliud simile inchoare, exemplum de studio orationis, vel obsequij alicuius in coquina, in infirmitorio, vel alterius boni operis, in quo nullum honorem, vel temporale commodum, vel propriæ volūtatis solatium expectamus. Et hoc est contra boni operis naturam, quod si debito modo fit, semper lætificat conscientiam, & accendit affectum ad aliud aliquod bonum faciendum. Iuxta id Ecclesiast. Qui edunt me, adhuc esurient. Sic Deus iussit terram producere herbam virentem, & lignum pomiferum, habens vnumquodq; semen in semetipso generis sui id est, bona opera, iā minora, quam maiora, quæ si fierent debito vigore, peracta habent semen sui generis in se. i. desiderium altioris boni operis, quod quasi germen pullulat, ebuliens ex priori. Si autem G ex desidia langueat, & semen ipsius infructuosum manebit, & ideo tædet nos bonum incipere, quia ex iam facto, vel paruum vel nullum concipimus deuotionis affectum. Omni ergo tempore seruus Dei prouideat, quod illa hora magis sit expediens vt faciat, & quod faciendum sit, qualiter illud congrue & secundum virtutis regulam magis apte perficiat, quantum valet. Sic enim assuefaciendum est corpus & animus, vt ex vsu boni operis, nullo labore territus, paratus sit, sicut seruus fidelis & agilis, statim imperāti domino ad omnia rationabilia seruitia obedire. Sicut videmus in seruis sæcularibus, qui nec præ frigore, vel labore, vel inopia, vel aliqua difficultate pigritantur, dominis suis pro parua mercede, per longa terrarum spacia, & in periculo corporis obedire, gratum habentes, si pro gratiarum actione cum redierint, non magnas alapas & vituperia à dominis suis receperint, nec de H commodis infirmatiæ, nec domus hospitum cogitantes. Claustrales vero serui delicati sunt, & elati, & parum volunt laborare, & bene procurari, & cum ipsi dominos suos debiliter honorent, ipsi volunt dominis suis in omnibus esse ęquales, voluntate propria pro lege vtentes. Quæ parabola est temporis instantis &c. Qui delicate nutrit seruum suum &c. vel quia piger erit ad bona vel ad peccata procliuior, maxime carnis. Ex consuetudine otij & commodi, homo mollis & piger efficitur, vt nolit pati vel facere nisi quod libet, sed fidelis Dei seruus, ita debet habilitare semetipsum, & assuefacere, sicut ioculator catulum suum, vt statim cum iubetur subsiliat à lecto ad orationes nocturnas, & quasi ad nutum rationis sit promptus ad quæque spiritualia exercitia, quæ vel obedientia iusserit, vel charitas fraterna requirit, vel deuotionis studio apta sint, vel cuiuslibet alterius virtutis.

Secundum, vt sicut ad agenda bona agilis est, ita etiam sit promptus ad abstrahendum se à quibuslibet malis cū sentit se aliquo interius pulsari, vel exterius occupari, scilicet ab ociosis verbis, à iocis, ab actionibus infructuosis, & maxime à cogitationibus vanis & affectionibus vitiosis, & carnalibus concupiscentijs, quæ nec ad horam

A debemus in corde permittere morari, ne offendamus Deum & ſanctos angelos nobiſcum præſentes, & conſciẽtiam ſordidemus, & pœnam mereamur, & bona, quæ poſſemus interim cogitare, negligamus. Sic Abraham, quandoque Deo iubenti ſacrificia offerens, deſcendentes ſuper ea volucres ad lacerãdum, ſollicite abigebat. Et ne nos non aliqñ in Dei conſpectu appareamus vacui, quando ſacrificia ei offerentes bonæ voluntatis, bonæ actionis, bonæ lectionis, ſacræ meditationis, & piæ affectionis, volucres malarum cogitationum, & affectionum ſtatim abigere debemus, ne ea nobis diſſimulantibus aliquatenus maculent, & Deo ingrata efficiant, & inefficacia ad meritum, & ſpiritualem profectum. Nec ſolum carnales & turpes cogitationes debemus ſtatim abigere, ſed etiam vanas, & amaras, & periculoſas, & ſimilium vitiorum ſimulachra in cordis noſtri tẽplo imaginando non pingamus. Theatrum & tabernæ ſolent ſæcularibus & vanis fabulis depingi, templa aũt ſanctis hiſtoris & myſticis picturis decorari. Ex qualitate picturæ conſideratur qualitas domus B & familiæ in ea morantis. Aliqñ ſuperbia pingit ſibi prælaturas & dominia, & famulorum obſequia, & quæq; alta & pompoſa. Vana gloria pingit ſibi ornatus, & qualiter, & vnde poſſit hominum laudes acquirere. Aliqñ etiam ſanctitates & miracula, & prophetias, etiam magnas deuotiones, & ædificatorias prędicationes, & multa ſimilia, ex quibus admiratio oriatur hominibus, & ſi latens laudatio, & reuerentia exhibeatur. Sic inuidia fraudes & detractiones. Ira rixas & contentiones, & cõuitia monet, & pugnat cum abſentibus, & laſſatur à nullo fatigata. Sic auaritia pecunias & diuerſa ædificat, & deſtruit & acquirit. Curioſitas quæq; pulchra & curioſa depingit. Gula menſas amplas, & varios ciborum & potuum apparatus. Luxuria etiam quæ ſibi congruũt phantaſtice pingit. Hæc ſunt idola, quæ Dominus Ezechieli intra parietem templi depicta oſtendit, quæ etiam appellauit abominationes. Hæc de templo cordis noſtri ſollicite detergamus ne fiamus Deo abominabiles, ſicut & illa ſunt, vſquequo morabuntur in te co-C gitationes noxiæ? Qui ergo bonum hoſpitem Chriſtum non vult effugare de hoſpitio cordis ſui, inimicos eius, id eſt, vitia ſecum non hoſpitent. Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial: & quis conſenſus templi Dei cum eiuſmodi idolis. Si citius eijcis hoſtem de vrbe tua, ſecurus es, ſi tardè obſtes ei, inualeſcet contra te, & capiet vrbem, & te occidet, ſic de cogitationibus malis.

Tertium eſt, vt ſemper pacificum cor cum hominibus habere ſtudeas, quod conſiſtit in duobus, vt nulli malum facere vel cupere ſtudeamus, & ſi quis nõ in aliquo offenderit, patientiæ ſcuto accipiamus, in medio prœlij verſamur, & difficile eſt, cum ſæpe iacula ſuper nos mittantur, tam verborum acutorum, quam factorum nobis moleſtorum, & à ſuperioribus noſtris increpationũ & imperiorum durorum, & aliorum quorumlibet aduerſariorum vndecunq; gentium, & ſi clypeum patientiæ non opponimus, facile lethaliter poterimus vulnerari, & per impatiẽtiam & nimiam perturbationem vitam amittere ſpiritualem. Quem clypeũ, vt impenetrabilior ſit inimici iaculis, munire debemus ſanctorum & aliorum bonorum exemplis, quaſi pellibus animaliũ mortuorũ. Iacobi: Exemplum ac-D cipite fratres exitus mali, & longanimitatis laboris & patientiæ, &c. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finẽ vidiſtis. Semper ergo muniti incedamus, cõtra iacula verborũ & ictus factorum aduerſorum, vt pacem, q̃ exterius in hac vita non poſſumus ſperare durabilem, ſaltem intus per patientiam conſeruemus. Lucæ. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

Quartò, vt quanto parcius poteſt homo minus vtatur, & habeat, & cupiat quæ ſunt mundi, ſed aliena ſint nobis omnia mundana, quæ noſtræ naturæ non ſunt, nec ſalus noſtra in ipſis cõſiſtit. Et ideo habemus ea, quaſi à mundo mutuata pro quotidiana, imo continua & graui vſura ſollicitudinum & laborum. Quantam putas principes & potentes, & diuites huius ſæculi vſuram omni tempore exſoluere coguntur, pro mutato ſuo, anxietatis, occupationis, quomodo ambiant aliena, quomodo augeant vel cuſtodiant ſua, quę timent perdere per amicos, vel inimicos, per fratres, & ſorores, per vxores & filios, à potentiore timent violentiam, ab inferiore furtum, ab æqualibus fraudem. E Nulli ad plenum confidit auarus, oẽs ſuſpectos habet, nec poteſt tñ eis carere, & ideo nullum poteſt diligere, cum à nullo ſe vere diligi ſuſpicetur. Timor. n. ſuſpicioſus non eſt, imperfecta dilectione timet de rebus, timet de honore, timet de corpore, pp ſubſtantiam, & tot timorib' plenus, non põt vtiliter timere de anima, de qua tñ maximum periculum adhuc reſtat. Sicut. n. principes à ſenſitetis ſuis exigunt quotidiana ſeruitia & munera ratione officij ſui. & tandem cruciãt eos in carcere, & omnino diſpoliant, ſic & mundus poſt multas exactiones vſurarum ratione ſubſtantiæ & honorum, quos officialibus ſuis diuitibus mutuauit, tandẽ omnino euacuatos mittet eos in carcerem infernalem. Vnde bella & lites in ſæculo, niſi ꝙ mutuo nos & certatim cupimus præripere alter alteri ꝙ vterque non poteſt integre poſſidere. In ſpiritualibus diuitiis nullus ex alterius abundantia patitur detrimentum, cum aliquis non ſit minus alteri virtuoſus, eo quod eis aliter F abundet. Sed ſecus eſt de ſecularib' diuitiis & honoribus, quæ tot neceſſe eſt partitiones habere, quod ſunt participantes, & ideo alter inuidet habenti, quod ipſe habere nõ poteſt. Hæc fuit occaſio, quare Loth receſſit ab Abraham, & Eſau à Iacob, quia multa habebant pecora, & non poterat eos capere terra, vt ſimul, i. concorditer habitarent, rixantibus inter ſe paſtoribus gregum. Quia multiplicatis pecoribus, deſideriis ſc. mundanis, fit rixa inter voluntates, quæ volunt paſcere ſua deſideria in pratis huius ſæculi, & cum omnibus non ſufficiat pro libito, diuiditur frater à fratre per inuidiæ diſſidium, quæ pecora, ſi pauca forent, modico contenta eſſent. Zacha: Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant occidebant. Quod etiam poteſt ſic intelligi, id eſt, pecora occidebant eos, qui ſic poſſidebant. Auguſt. Rixentur immites & dimicent pro terrenis, beati autem mites, quoniam ipſi poſſidebũt terram viuentium, de qua pelli non poſſunt. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et quicquid penuriæ G patimur, loco illius Deum in corde ponamus, qui omnia implet. Et beati pauperes ſpiritu, id eſt, voluntate, amore ſupernorum, vel profectus, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quanto enim ſe hic anguſtiant in terra nihil cupiendo, tanto in cœlo dilatabuntur è conuerſo.

Quintum eſt vt ſe ſemper & intus apud ſe, & extra coram hominibus in omnibus humiliet & deprimat, in ſua æſtimatione intrinſecus, in verbis, in geſtibus, in veſtibus, & in omni facto nouiſſimũ locũ eligat, ſicut fuerit opportunum. Humilians autem ſe in oculis conſideret qualis ſit, quam vilis, & q̃ fœtida ſint omnia quę corporis ſunt, vnde venerit, & quid erit, quid extra, q d intus ſit, quam leuiter emarceſcunt, etiamſi qua pulchra in homine apparent. Quanta eſt deceptio in honoribus ſæcularibus, quia non honorãt etiam diuites, qui hic videntur facere, ſed ſua lucra ſequuntur, ſicut canes & aues cadauer, quod cum abroſum fuerit, & nudatum, quod nil plus in eo rodendum inuenerint, relinquunt, & aliud requirunt. Item in anima, quanta ſint ibi vitia & peccata, quanta impuritas & ſimulatio in bonis quæ facimus, & deſidia, & tepor, quanta o-H mittimus & negligimus vtilia, quanta inopia virtutum, quanta cæcitas intelligentiæ, lubricitas memoriæ, ordinatio affectionum. Quod mala noſtra pure mala ſunt, & noſtra totaliter ſunt, quod bona noſtra nobis tantum mutuata ſunt, cum vſura repetenda, & impura ſunt ex nobis. Hæc & multa alia dant nobis materiam humiliationis. Verum enim eſt nos eſſe viles & inopes, & quantum ex hac æſtimatione deuiamus, tantum erramus à veritate.

Sextum eſt, vt ſit maturus & ſerioſus quadam morum dulcedine, nec cum tædij amaritudine vel rancoris. Morũ leuitas poteſt aliqñ ineſſe bono ad horam, ſed deuoto nũquam, dum eſt deuotus, Sicut exemplum habemus in viris perfectis, quos leues in moribus, & ad riſum; & ad iocos pronos rariſſime videmus. Vnde cum tam vtile ſit homini eſſe in luctu, ideo beatos Dominus dicit omnes hic lugentes, & tot cauſas luctus eis dedit, & oſtendit, pro ſeipſis, pro proximis, & pro Domino, pro ſeipſis, quia peccatores ſunt, Deum offenderunt, inopes ſunt vir-

tutum,

A rutum, tarde proficiunt, expositi mille periculis, & adhuc dubij an damnentur, multis miseriis inuoluti, alieni à Deo, exclusi à regno, proni in malum, multis suppliciis obnoxij, mortis, purgatorij, & inferni. Pro proximis compatiendo pauperibus, afflictis periclitantibus, peccātibus, damnandis, subuersis, expositis similibus malis, quibus & nos ipsi. Pro Deo, compatiendo eius passioni & iniuriis à perfidis & peccatoribus ei quotidie illatis, & subuersione iustitiæ, & animarum perditione, & fidei conculcatione, & ingratitudine pro omnibus beneficiis quæ omnibus largitur, pro scandalis, quibus inhonoratur à famulis suis, & multis aliis. Serium bonum intus amorem habet ad proximum, exterius planam benignitatem. Malum autem serium, amarum est, fastidiens bonum, indignabundum suspiciosum, rancorosum, sine ratione turbulentum, & aliis onerosum. Dissolutio est deuotioni contraria, sicut aqua igni, & qui ducit in consuetudinem, vix dissuescit maxime ioculari.

B Septimum est, mentem semper ad Deum habere suspēsam, orando, cogitando, vel recordādo de Deo, meditando, legendo, attendendo ad bona, & contemplādo. Vnde quandocunq; seruus Dei, vel ad modicū Dei nō meminit, contremiscit, & dolet, quasi grauiter offenderit, ꝙ tanti amici intuitu fraudatur, qui nostri nunquam obliuiscitur. Cum summa beatitudo in gloria, constet in iugi visione Dei, huiusmodi beatitudinis imitatio est iugis memoria Dei. Ista est meritum, sed illa præmium est, quamdiu eum videre non possumus præsentes, saltem memoremur eius absentes, tanto quisque lenius & plenius eum videbit in patria, quanto frequentius & deuotius eius meminit in hoc exilio. Psal. Prouidebam Deum meum in conspectu meo semper. Nec tantum in otio, sed in negotiis, & occupationibus, eius memores esse debemus, imitatione sanctorum angelorum, qui missi in ministerium nostrum, sic exteriora disponunt, vt tamen ab intimis nunquam recedant. Quanto cœlum amplius est, quam terra, tanto spiritualis meditatio & contemplatio latiores habēt materias & vias, quam cogitatio terrenorum. Quales autem sint istę

C viæ, & materiæ, quales profectus & processus meditandi & intuendi spiritualia, non est huius temporis vel materiæ, sed istud pertinet ad septimum spiritualis vitæ profectum, qui in sapientia versatur.

Cap. XI.

De sexto processu, qui in virtutibus puris consistit, & quid sit virtus, & quod septem sunt affectiones mentis communiter, & quod septem decorant mentem.

NVnc de sexto, qui in virtutibus puris consistit, aliqua simplicibus conueniētia, & nouis in religione competentia proponamus, alta & subtilia magis exercitatis in huiusmodi reseruantes. Quanto enim quis altius profecerit, & in anteriora extendere se studuerit, tanto altiora & perfectiora intelliget, tam de his quæ iam attigit, quam de illis, quæ nondum actualiter apprehendit, sicut qui montem ascendit, quo altius scandit, eo alius videt, quan-

D tum adhuc distet ab cacumine summitatis, & quod in imo positus, æstimauerat esse montis verticem, sublimatus videt vix montis esse pedem. Sic & de perfectione nemo proprie nisi perfectus, vel perfectioni proximus nouit loqui. Virtus est ordinatus secundum veritatis iudicium, mentis affectus. Sed iudiciū veritatis circa quatuor generaliter versatur, circa bonum & malum, magis bonum, & magis malum. Bonum aliud est corporale & temporale aliud spirituale & perpetuum, sed spirituale & perpetuum, sine dubio melius est, quam corporale & tēporale. Malum autem aliud est culpæ, aliud pœnæ, culpa alia venialis, alia mortalis, alia pœna transitoria, alia sempiterna. Malum ergo culpæ peius est, quod meretur malum pœnæ, quia si culpa non esset, pœna non esset. Pœna vero transitoria minor est, quam sempiterna. Et quia lex veritatis scripta est in corde hominis, per iudicium rationis, datæ sunt ei etiam in adiutorium affectiones ad fugam mali & apprehensionem boni. Septem autem sunt affectiones E mentis communiter: Spes, timor, gaudium & mœror, odium & pudor, & amor. Horum quatuor contra malum, tres ad bonum ordinantur. Nam timor, mœror, odium, & pudor contra malum sunt, spes, gaudium & amor ad bonum se habent. Nam bonum non est timendum, sed optandum, & sperandum, nec pro bono est dolendum, sed gaudendum, nisi forte priuatio boni timeatur, vel doleatur, quod non est bonum, sed proprie malum. Nam malum est priuatio, boni vel corruptio. Item bonum non est odiendum, sed amandum, nec de bono pudendum est, sed gloriandum. Gloriatio igitur dicitur non affectio per se, quia sub gaudio comprehenditur & amore. Cum ergo istæ affectiones ordinatæ sunt ad quod debent, & secundum quod debent, iuxta rationis & veritatis iudicium, tunc homo est virtuosus, cum sola timenda timet, & magis timenda, id est, magis mala, plus timet, & dolenda dolet, & odit odienda, & pudēda erubescit, secundum quod plus vel minus mala sunt. Item, cum sola speranda sperat, F & sicut debet, & amanda amat, & de gaudendis gaudet, secundum quod magis vel minus sunt bona. Summum autem bonum, quod est Deus, summe est amandum, & ante omnia sperandum, & super omnia in ipso gaudendum & omnia quæ ab ipso retrahunt summe fugienda & execranda, quæ sunt præcipue vitia & peccata, quia hæc vere & proprie mala sunt, & omnibus mala, & nullis bona, & ad nihilum bona redigunt eius cui insunt, licet quandoq; bonis cooperentur in bonum mala aliena, vel etiam propria quædam post conuersionem, vt ex eis magis humiliētur, & amplius inardescant in amorem Dei, qui eos in talibus vitiis tolerauit, & à talibus liberauit. Sanctis etiam in gloria augebit lætitiam, damnatio reproborum, quia gaudent se ab his liberatos, quæ poterant sicut & illi, nisi Deus liberasset, incidisse. Multæ sunt aliæ virtutum artificiales diuisiones, scilicet, quod aliæ dicuntur theologicæ, vt fides, charitas, spes: aliæ cardinales, vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Item, aliæ politicæ, aliæ purgatoriæ, aliæ animi purgati, aliæ exemplares, quas sicut rudi- G bus loquens prætereo, solum illum ordinem sequar, quo virtutes principalibus septem vitiis opponuntur. Cum virtus, secundum hunc sensum, non aliud sit, quam vitiorum carentia, & quanto quis ab omni vitio purior fuerit, tanto & virtuosior est, & perfectior, sicut nucleus in testa vel cortice, sic est virtus interior cæteris obseruantiis in religione. Omnia enim quæ in obseruantia religionis apparent, inuenta & statuta sunt propter obtinendas & conseruandas virtutes, cætera sine virtute sunt sicut testa carens nucleo. Et sicut in tabernaculo fœderis plura erant velaminum genera, inter se protegentia, vel decorantia sanctuarium, sicut pelles iacinctinæ, pelles arietum, rubricata saga, cilicina, cortinæ, & tabulæ parietum, præter alia. Ita & in religione plura sunt virtutis tegumenta, vel ad decorem, vel ad custodiam virtutis ordinata, in quibus non pura virtus consistit, sed quædam virtutis vmbra, & latentis intrinsecus demonstratio figuralis, vnde qui istis exterioribus contentus, interiora postponit, sic est quasi qui corticem vel testam vacuam sine nucleo habet. Primum, H est habitus exterior in vestibus & tonsura, quæ si per se religiosum facerent, etiam simiæ vel moriones religiosi forent, quibus talis habitus quandoque ioculatorie formatur. Sed hæc sunt tantum signa interiorum, sicut circulus ad tabernam potum venalem designat, & vexillum super Ecclesiam denūciat dedicationem. Vnde si signa falsa fuerint, decipiuntur homines, putantes inuenire significata. Ita de ficto religioso, qui exterius in habitu, prætēdit quod non habet in moribus & vita. Secundum sunt exteriores cæremoniales obseruantiæ, vt inclinationes, genu flexiones in horis, pulsationes, & omnes gesticulationes, quibus claustrales vtuntur in diuino officio, vel aliis, quibus sæpe minus virtuosi maiorem vim faciunt, quam aliqui perfecti & magis deuoti. Tertium, sunt mores exteriores compositi, & exteriorum morum disciplina, in loquendo, ingrediendo, in totius corporis gestu, quo etiam curiales sæculares sunt commendabiles, & sæcularis virtus appellatur, sed religiosis magis expedit, licet humiliori modo & plani-

ori.

A niori. Quartum, sunt opera pœnitentiæ, vigiliæ, ieiunia, flagella, & aliæ corporales exercitationes, & castigationes, quæ licet magis propinquant virtuti, quam præcedentia, tamen non sunt puræ virtutes, quia ea hypocritæ possunt habere, & in mortali peccato positi sæpe in talibus exercent seipsos. Quintum, est studium familiare ad expugnanda vitia & virtutes vsitandas, vt semetipsum humiliare, iræ motus comprimere, luxuriam domare, & cæteris vitiis impugnantibus resistere, & operibus charitatis & obedientiæ, & aliarum virtutum insistere. Quamuis enim omnia bona opera sint virtutis exercitia, quia nec bonum opus esset, quod nullam virtutem respiceret, tamen aliud est aliquod bonum exercere simpliciter propter Deum, & intentione merendi veniam vel gloriã, & aliud est ipsum exercere, non tantum causa merendi prædicta, sed etiam per hoc obtinere virtutem sibi cohærentem, & vsitandi ea per operis exercitium, & vitium contrarium expugnandi, & hoc est multo vtilius quam illud prius, verbi gratia.

B Alius orat simpliciter, vt per hoc impetret peccatorum suorum veniam, & vitam æternam. Alius etiam præter istam intentionem ob hoc orat, vt assuefaciat seipsum in orationis studio, & per hoc consequatur gratiam deuotionis, & gustum diuinæ familiaritatis assequatur, & notitiam Dei clarius per mentis illuminationem consequatur. Et licet actio prioris bona sit, & meritoria veniæ, & gratiæ, & gloriæ, tamen intentio secundi cooperatur, vt & celerius & plenius hoc quod expressius desiderat assequatur. Vnde multum valet ad perfectionem sanctitatis, scire intentionem dirigere ad eam quærendam, & studium suum ad hoc ordinare in tantum, vt aliquis faciliori labore, quoad corporale exercitium, maiores mentales virtutes obtineat, qui scit prudenter disponere gressus suos, quam alius fortiori labore. Exemplum de quolibet perito artifice, qui melius & citius & leuius operatur opus quodcunq; quam alter imperitus cum maiore labore. Sextum est ipse nucleus affectualis virtutis, quæ est perfectio vitæ actiuæ, & ingressus est ordinatus contemplatiuę, sine illa frustra speratur puritas cõtemplationis, vel stabilitas, sicut aqua fon-

C tis non erit pura, quamdiu fundus non est abiectis sordibus emundatus. Sicut autem ex nucleo pinguedo olei exprimitur, ita ex affectu virtutis sapor deuotionis procedit, maxime diuini amoris, & desiderij cœlestis & gaudij spiritualis, quæ nobilior & efficacior est, quam compunctio timoris vel mœroris. Hi sunt sex dies, in quibus operari oportet opus salutis, & cibos vitæ quærere, ne ieiuni deficiamus in via hac, qua ambulamus. Ita vt sexto die duplices cibos colligamus, scilicet bonę actionis & pię affectionis, vt septima in sabbato toti sani facti, à vitiorum laboribus, in requie opulenta vacare possimus diuinæ contemplationi, & videre quomodo ipse est De⁹, & gustare quam suauis est vniuersis. Qui sexta die non colligit duplices cibos, septima inanis permanebit, nil reperiens de dulcedine contemplationis. Quia qui sextum statum, qui est virtutum affectualium sanitatis nondum attigerit, septimi status dulcedine, qui est in sapientiæ gustu, & intelligentiæ lumine, non fruetur. Inde est, quod Iacob prius de Lia filios genuit, & post hæc Rachel peperit ei filium Ioseph,

D decorum aspectu, quo nato cœpit Iacob petere dimitti reuertere in patriam suam. Quia prius in actiua vita debet homo perfectus esse, in sex prædictis profectuum statibus, & tunc gustato fructu vitæ contemplatiuæ, cupiet dissolui, & esse cum Christo in patria cœlesti, cuius iam primitias in sapore supernæ dulcedinis prælibauit.

Cap. XII.

Vt vnusquisque sciat quantum in virtutibus profecerit.

SEd quia proficiẽtibus hæc formula scribitur, vt sciant, quantum in singulis virtutibus profecerint, vel quantum à perfectione earum distent, quamlibet in tres gradus longe inter se differentes describendo distinguamus, multos medios profectuum processus festinando transilientes propter fastidium deuitandum. Ordo septem capitalium vitiorum hic fuit: Primum superbia, initium omnis peccati, secundum inuidia, deinde ira, accidia, auaritia, gula, luxuria. Huic per contrarium opponitur ordo virtutum, humilitas contra superbiam, dilectio proximi, contra inuidiam, mititas contra iram, charitas Dei contra accidiam, contemptus diuitiarum contra auaritiam, sobrietas contra gulam, castitas contra luxuriam. Sed quia, teste beato Gregorio, sicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt, ita ex charitate Dei cæteræ virtutes oriuntur, Ideo de ipsa, tanquam de omnium matre & nutrice primo dicamus, & postea de filiabus, sine ipsa enim nulla virtus meritoria est. Ipsa enim omnes informat, vt sint magis vel minus meritoriæ, & Deo acceptæ, scil. quod de ipsius nutrimento minus vel amplius acceperint, sicut ramus arboris à radice nascitur, & ex succo ab ea procedente nutritur, vt maior, vel magis fructifer efficiatur. Initia autem singula virtutum ad incipientes pertinent, sine quibus nõ possent esse salui, & Deo placere ad salutem. Profectus ad religiosos magis cõgrue pertinet, qui meliores esse studere debent, quam populares & communitas, vel laici sæculares, qui tamen sunt de numero saluandorum. Quid prodest altiora profiteri, & exterius in habitu perfectiora prætendere, si in studio virtutum & exercitio operis non distamus ab infimis, qui sunt in spe saluationis, imo maior est confusio & spes fallaciæ, magna promittere, & exigua persoluere, & supplicio poti⁹ quam præmio dignum. Perfectio autem ad perfectos pertinet, qui transcenso difficultatis obstaculo, in quo proficere volentes laborant, quasi in montis ascensu, iam in ipso culmine, Christo duce, constituti, transfigurationis eius gloriam desiderant speculari. Nemo tamen in hac via, vel perfecte alicui⁹ virtutis apicem valet apprehendere, vel stabilis in summo gradu permanere, pro modo viæ, perfectus quis dicitur, respectu inferiorum.

Cap. XIII.

Quid sit charitas, & quod propter tria debemus Deum diligere, & quod dilectio nostra in tribus consistit.

CHaritas est ordinata & magna volũtas seruiẽdi Deo. Charitas dilectio Dei, & amor, idem sunt. Tamen S. Bernardus distinguit ea, dicens: Magna ad Deum voluntas, amor est, sed cum lactatur à gratia dilectio est, cũ verò eo fruitur, & cum adhæret Deo, charitas est. Diligere Deũ super omnia debemus, propter tria. Quia bonus est in se nec tantummodo bonus, sed etiam ipsa bonitas est, quo nihil melius cogitari vel esse potest, & quo omne q aliquo modo bonum est, bonum est. Si. n. omne quod bonum est, diligendum est, in quantum bonum, ille qui summe bonus est, & infinitum bonum est, summe, & si possibile esset in infinitum diligendus est, iuxta meritum dignitatis eius. Item, quia ipse prior dilexit nos, & plus diligit nos. Ille enim qui infinitus est, & cui non est aliud esse, quam amare, quia ipse Deus charitas est, diligit nos pauperes, & viles, & miseros, & dilexit ab æterno, nondum existentes, nondum diligentes, imo nescientes, & resistentes, & offendentes ipsum. Et ideo iustum est nos eum vicissim diligere ex omni quod sumus, & scimus, & possumus, vt saltẽ cum exigua mensura nostræ possibilitatis fideliter remetiamur ei diligendo eum cuius magnitudinis non est finis. Tertio propter eius dilectionis multiplicem affectum, qui agnoscitur in beneficiis eius, quia non sufficit ei diligere solo affectu, nisi etiam nobis ostendat in effectu. Probatio namque dilectionis exhibitio est operis, de quibus beneficiis modo non prosequar causa prolixitatis, alterius temporis opportunitatẽ ad hoc expectans. Dilectio nostra in tribus consistit, in voluntate, in opere, in affectione. Voluntas informata à ratione consentit eius consilio, vt velit bonum, & ne otiosa sit voluntas, progreditur in actũ boni operis, oẽm familiam, suo imperio subiectam in adiutoriũ inuocans, scil. membrorum corporis, & sensuum, & cogitationum, siue ad promouendum bonum siue ad remouẽdum malum. Cumq; hæc fideliter fecerit, quasi pro remuneratione vel releuatione laboris, ex vsu exercitij suscitatur ei etiam affectus in solatium, à gratia demulcente sua dulce-

dine

dine affectum, vt iam non tantum ex intuitu rationis velit bonum, & cum conatu laboris illud agat, sed etiam ex desiderio optet, & ex affectu amplectatur, & diligat, & contrarium illi odiat, & horreat, & fugiat, vt malum. Et hæc est vera sanitas voluntatis, cum non tantum ex instinctu rationis cogit se, ad volendum bonum vel faciendum, vel nolendum & vitandum malum, sed etiam ex affectu & desiderio mentis amplectitur, & odit malum. Et hæc est virtus, & mens bona, de qua Philosophi multa dixerunt, sed vtinam vere cognouissent eam. Voluntas aliquando sine opere sufficit ad meritum, & debitum, vbi facultas, vel opportunitas operis non subest, verbi gratia: Pauper libenter subueniret pauperi, sed non habet vnde. Diues etiam quãdoque libenter id faceret, sed non habet, cui vtriusque ergo tunc voluntas pro facto reputatur. Si autem facultas operis, & opportunitas subesset, & non sequeretur effectus operis, tunc non sufficeret sola voluntas, quia nec voluntas esset, quæ posset ꝙ expedit perficere, & nollet. Quantum vis, tantum facis ꝙ expedit, cum potes, sed si non facis, non vis. Etiam licet multæ virtutes videantur esse, & inter se differẽtes, vt humilitas alia est quam castitas, & patientia, alia quam misericordia, & sic de aliis, tamẽ quadam consideratione vnum sunt, & ita quęlibet non tantum cohæret, sed ẽt inest alteri, vt qui vnã habet, vere omnes habere dicatur in habitu, & si non in actu, quod ostendens Apostolus ait: Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non ait perperã, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quę sua sunt, &c. Sicut enim Deus est vnum simplex & perfectissimum bonum, in quo est omne bonum perfecte, & cui nullum bonum deest, ita charitas est vna virtus, in se omnem habens virtutem, sed propter diuersos effectus eius, ex diuersis extrinsecis occasionibus vel causis illatis, quibus se vel contra malum opponit, vel ad bonum extendit, diuersa officia vel nomina sortitur. Virtus enim, sicut definit Augustinus, est amor ordinatus videl. vt amet solum quod debet, & quantũ debet. Quantum vero amas aliquid tantum odis eius contrarium, vbi potes. Charitas igitur cum se extendit ad diligendum Deum, dilectio Dei dicitur, cum ad proximũ, dicitur dilectio proximi, cũ eius miseriæ cõpatitur, misericordia appellatur, cũ eius bono congaudet, cõgratulatio vocatur, cũ æquanimiter aduersa tolerat, patientia dicitur, cum benefacit se odientibus, benignitas nuncupatur, cum nõ extollitur inaniter supra se, humilitas est, cum obtemperat superioribus, vt iustum est, obedientia est, cum execratur turpia, castitas est, cum resecat superflua corporalis necessitatis sobrietas est, cum diuitias abijcit, paupertas spiritus est, cum ad pauperes diuitias liberaliter effundit, largitas est, cum tœdio expectationis promissorum non frangitur, longanimitas est, cum inter bonum & melius, & inter malũ & peius discernit, prudentia est, cum ius suum cuiq; tribuit, iustitia est, cum delectationibus non emollitur, temperantia est, cum duris non frangitur, fortitudo est, cum credit credenda, fides est, cum sperat speranda, spes est. Vnde Spiritus S. & vnicus & multiplex dicitur. Sap. 7. Quia cum in se vnus sit, diuersa tamen bona tribuit, secundum diuersos donorum effectus, sicut aliqua nobilis & efficax medicina, diuersos curationum effectus operatur, vel virtutem confert operandi, vt vni acuat visum, alteri clarificet vocem, alij auditum referet, alij gustum reparet & alij aliud operetur.

Cap. XIV.

Quod charitas se opponit septem vitijs capitalibus, & septem virtutes format.

SEcundum, quod charitas opponit se septem capitalibus vitijs, septem virtutes format, vt prædictum est, de quibus nunc dicendum est, & quibus profectuum gradibus distinguantur, vnaquæque enim virtus, teste B. Gregorio, habet initium suum & profectum, vt, terra profert germen suum, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Herba est initium virtutis, spica profectus; frumentum plenũ, perfectio. Charitas Dei mater & nutrix omnium virtutũ, tres habet gradus, infimum, medium, & summum, sed & aliæ virtutes, per singulas, nec inconueniens distinctio, si enim cœlestes hierarchiæ, docente B. Dionysio, singulæ in tres differentias distinguuntur, cur nõ etiam spirituales virtutum hierarchiæ eundem ordinem in terris imitentur, præsertim cum cœlestis pulchritudinis exemplar ad hoc nobis cœlitus delatum est, vt pro viribus studeamus Domino in nobis sanctuarium facere, vt in medio nostri habitare dignetur, secũdum exemplar in monte cœlesti nobis demonstratum. Vtrum aũt qui in primo gradu, quasi in infima virtutum hierarchia stant hic, ad infimam in cœlo hierarchiã pertineant, cum illuc Domino perducente peruenerimus, agnoscemus, laboremus hic tantum fideliter, de virtute in virtutem eundo, proficere, certi quod nequaquam inferior erit retributio gloriæ, proportionata meritorũ mensuræ. Luc. 6. Mensuram bonam & refertam, &c. Eadẽ quippe mensura, qua mensi fueritis, recipietis vos. Eiusdem mensurę hydria implebitur tibi vino gloriæ, in nuptiis cœlestibus, cuius tu hic implere studueris aquę iustitiæ præsentis, quæ in comparatione cœlestis glorię, est sicut aqua ad vinum optimum in valore, Mille millium metretæ aquæ, fluminis, & marium, non valerent vnam electi vini guttulam, quo ad precium vtriusque. Charitas Dei primus gradus est, sic diligere concessa, & eis vti, vt tamen illicita deuitet, & amori Dei nullius rei amorem proponat. Sicut illi, qui sic ea quæ mundi sunt diligunt, vt in eorum tamen dilectione vel cupiditate peccata mortalia deuitent, seruando quæ Deus præcipit facere, & cauendo quæ prohibet per præceptum. Matth. Si vis ad vitam ingredi, id est, in ingressu vitæ consistere, non in progressu altiori serua mandata, &c. Secundus gradus potest esse, cum homo voluntate pleniori, & affectu feruentiori, non solum communia contentus est præcepta seruare, sine quibus nõ est salus, sed ẽt ad omnia, quæ Dei sunt, studiosus est, & voluntarius tam faciendo in se, q̃ in aliis promouendo & desiderando. Hoc proprie est bonorum religiosorum, qui non solum præcepta Dei, sed etiam consilia eius implere & ipsum specialiter imitando, sequi deliberant omnis iustitiæ doctorem, Dñm Iesum Christum. Talibus .n. dicit Bernardus: Non est vestrũ circa communia languere pręcepta, neq; hoc solum attendere, quid præcipiat Deus. sed quid velit, probantes quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta. Quantum .n. amas Dñm, tanto studiosior eris promouere beneplacitum eius vbi potes & honorem, & cauere eius offensam & inhonorationem. Greg. Nunquam Dei amor est otiosus, operatur enim magna si est, si vero operari renuit, amor nõ est. Fidelis aũt Dei famulus, ea diligentia, qua cauet Dominum suum offendere, ea dolet eum inhonorari ab aliis per scandalum, & paruum exemplum, quia in disciplina famulorum redundat in dedecus dominorum. Quis enim fidelis famulus patienter sustineat contemptum Domini sui & iniurias, ne dicam, promoueat & augeat. Huiusmodi vero Christo Dño non seruiunt, sed ventri suo, si tu pro velle tuo seruis Domino tuo, ipse remunerabit te pro velle suo. Si autem tu studueris ei seruire pro velle suo ipse remunerabit te pro omni desiderio tuo. Matth. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis, vt non tantum super merita, sed etiam supra secundum omne desideriũ remuneretis, &c. Tertius gradus est in tanto affectu æstuare ad Deum, ꝙ sine ipso viuere non possis, & coarctatus desiderio dissoluendi, & esse cum Christo. Talibus est viuere impatientia, vel potius in fastidio, & mors in ardenti desiderio, ẽt per dura tormenta Hoc desiderium fecit Andream amplecti crucem, Stephanum orare pro lapidantibus, qui ei cœlum patefaciebant, quo anhelabat ingredi. Laurentiũ irridere carnifices, Vincẽtium prouocare tortores, Agatham lætissime & glorianter ingredi carcerem, & cæteros gloriosos martyres gaudere in tribulationibus, & inimicos persequẽtes diligere à quibus ad desiderata gaudia velocius adipiscenda promouebantur. Amici sanctorum desiderant secum eos diu hic retinere, inimici autem dolent eos aliquo tempore secum in mundo manere, & ideo diligendi sunt, qui optant & promouent eos, vt hoc citius & plenius obtineãt, quod super omnia diligunt, & quo nihil eis vtilius esse potest. Nihil

est quod

A est quod talium valeat æstum extinguere desiderij, quamdiu non datur eis copia de fonte vitæ pro libitu potari, cuius siti mirabiliter cruciantur. Tribus tamen guttulis interim vtcumque refocillantur, consolatione spiritualium, sc. internæ suauitatis recreatione in mēte. Item, sacramentalis corporis Christi perceptione, quæ deuotis solet esse singulare solatium, pro releuando huius exilij tœdio, quia etsi non manifeste tunc, tamen vere & salutifere ipsum, quem amant suscipiunt Dominum Iesum Christum. Item, spiritualis fructus multiplicatione, in quo & animarum profectum & Dei honorem sentientes, exilij sui molestias tolerabilius sustinēt, spe lucri donorum Dei. Vnde sponsa dicit ad adolescentulis: Fulcite me floribus, nouæ conuersationis, stipate me malis, id est, profectib⁹ ad perfectionem tendentibus, quia amore langueo, desidero dissolui & esse cum Christo sponso, vt quamdiu adhuc differor, salutem consoler in conuersione peccatorum, & profectu bonorum. Et ita meum exilium erit mihi tolerabilius, si videro B aliis esse fructuosum, vt si tardius ad sponsum veniam, tamen plures mecum ducam. Sic & Paulus coartatus inter desiderium dissoluendi, & profectum subditorum, consolabatur, se interim ex eorum profectu de sua dilatione à regno, ad Philippenses: Coartor enim desiderium habens, &c.

Cap. XV.

Quod dilectio proximi, ex dilectione Dei nascitur, & quomodo proximus est diligendus.

Dilectio proximi ex dilectione Dei nascitur, quia propter Deum, & in Deo, & secundum Deum est proximus diligendus, propter Deum, quia ipse mandauit per Ioannnem: Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat & fratrem suum in Deo, id est, eo affectu diligere proximum, qua Deum, licet non tanto. In Deo, id est, in spiritu Dei, secundum Deum, id est, ea forma, vel ad hoc diligere proximum debemus, ad ꝙ nos diligit Deus, C id est, ad salutem animæ & profectum in Spiritu, hoc est, verè, purè, & ordinatè diligere, vere & non ficte, sicut illi, qui verbo tantum diligunt & lingua, non opere & veritate. Purè vt non ex carnali affectione, non pro vtilitate propria, nō ex casuali & sæculari societate tantum, quæ & si non sint semper mala, tamen non sunt meritoria, nisi ex spirituali dilectione accipiant condimentum. Ordinate, vt nō ad vitia, & commoda carnis, & temporalem prosperitatem, sed ad æternam salutem. Et nota, quod est dilectio cupiditatis, & dilectio naturalis, & dilectio socialis, & est dilectio spiritualis. Carnalis est quæ diligit aliquem pro carnalibus delectationibus, & à carne nutritur, vt inter virū & fœminam in copula carnali. Cupiditatis, vt qui diligit aliquem pro munerib⁹, sic & canis diligit eum, qui dat ei cibum. Naturalis est inter cognatos & propinquos sanguine, vel patria, hac etiam diligimus illa, quæ natura magis venustauit, vt pulchros homines, & alia naturaliter delectabilia. Et etiam illa, quæ nostrę naturæ sunt similiora aliquo modo, sicut cum è duobus æquè ignotis, vni magis inhæret affectus, qui forte nobis similior est in natura. Ecclesiast. Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis D homo proximum suum. Ista sicut à bonis & à malis & etiam à brutis habetur, ita bona & mala esse potest, licet originem trahat à natura, quæ bona est in se. Vnde in necessitate plus ex iure naturali tenemur propinquioribus, quam extraneis subuenire. Socialis est qua notos, & familiares, & contubernales magis diligimus, quam ignotos & alienos. Ista similiter per se indifferens est, quia videmus & bonos & malos eam habere, sed boni ad bonum, mali vero ad malum eam conuertunt, fauendo sociis ad ea quæ volunt. Spiritualis dilectio à Spiritu sancto denominata est à quo fluit, qui amor patris & filij dicitur, est illa quæ mandatur nobis à Deo, & meritoria est per se sola, & duas priores efficit meritorias, quando ab ea reguntur, id est, naturalem & socialem. Cupidam autem non ordinat, sed tolerat, & temperat ne excedat, quia magis quærit vtilitatem propriam, quam illius quem videtur amare. Carnalem vero odit & fugit, vel fugat & exterminat, nec vnquam erit fida societas inter eas, & quanto vna ipsarū augetur, tantum altera, minuitur, licet inter coniuges, propter sacramenti virtutem, si moderata fuerit, excusetur. Sed à Spiritualibus qui plenam Deo vouerunt continentiam, tanto magis premenda est carnalis dilectio, & euellenda, quanto indecētior apparet macula in candida bysso quàm rudi sacco. Quæ enim societas lucis ad tenebras? O quam pulchra est generatio cum charitate, Sed quia solet se aliqñ apud incautos palliare carnalis dilectio, sub specie spiritualis, sicut zizania cum tritico, vt de viridario religiosæ vitæ euelli possint, aliquas eius species, quasi noxias herbas ad cautelam, inexpertis breuiter ostēdamus, per quas dignoscatur distantia spiritualis amoris à carnali. Spiritualis enim dilectio nobis virtus est, & ideo ne vilescat admixtione carnalis amoris, sicut balsamus sophisticatā vilibus liquoribus, vel aliæ nobiles species falsitatis commixtione vitiantur longe est inde, & subtiliter segregāda. F Esaiæ: Vinum tuum mixtū est aqua, id est, amor spiritualis est vitiatus amore carnali. Sicut praui caupones sæpe vendūt vitiosa sub specie melioris, & hoc maxime in ebriatis rudibus, qui nesciunt discernere preciosum à vili. Ioannis: Omnis homo primum bonum vinū ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius, &c. Sic sæpe mutatur amor, qui primo bonus & spiritualis videbatur, cum discretionis & sobrietatis modos excesserit in carnalem, quia astutus Diabolus primo occultat tentationis laqueum, donec amor increscat & tenax fiat, sicut & viscus, quo capiuntur auiculæ, & cum sibi mutuo conglutinati fuerint, inseparabili amore dilectus & dilecta improuidos simul, in inguine concupiscentiæ carnalis mucronis trāsfodiæ, cum ab inuicem nequeunt separari. Potius namque sibi mutuo consentiunt ad quæque spurca commercia, quam velint fidem, quam ex longo tempore integram sibi conseruauerunt, aliquatenus violare, vel omnia serultia perdere, quæ sibi mutuo impenderunt. Et licet hoc cum multo cordis dolore quandoque faciant, præualet tamen amoris violentia, quæ mentis vigorem solita est emolire, Gregor. ferreas mentes domat libido. Sicut Dalidā Samsonem fortissimum suis blandiriis eneruauit, & cæteris hominibus similem fecit, & spiritu Dei effugato tradidit cum hostibus G ligandum, cæcandum, incarcerandum, ad molam trahendum, circumagitandum, & illudendum. Nec tœdio vincitur hostis nequissimus, nec labore, diuturnitate lassatur si modo post longa tempora, efficere potuerit quod intendit, cum nil ad aliud vacet omni tempore, vel studeat, nec alia cura sit occupatus, nisi quomodo subuertat bonos, & malos præcipitet in deterius, & retineat in peccato, & impediat à profectu salutis.

Cap. XVI.

Quod sunt septem indicia amoris carnalis, & qui sint gradus dilectionis, profectus & perfectio.

Primum ergo indicium amoris carnalis est, quod cum spiritualis dilectio spiritualib⁹ tantum eruditionibus & ædificatoriis colloquiis pasci solear, & nugas & ociosas fabulas fastidiat. Ista è conuerso panca de spiritualibus, & plurima de inutilibus confabulationibus, & maximè de H mutua dilectione insatiabiliter ruminat, quantū ipse eam, & illa eum diligat, ita ꝙ ad huiusmodi colloquia non sufficiant horæ, non dies, non quælibet tempora, sed semper cum conuenire possunt, copiosam habent materiam loquendi indeficienter. Secundū carnalis amoris indicium est, insolentia gestuum & morum qñ sunt pariter taliter amantes, amorose se mutuo respiciunt, latus latiti, femur femori comprimunt, deinde brachia & lacertos, humeros, tibias sub vestibus, & vlteriora tangenda blandiuntur. Aliqñ complexus & furtiua oscula iunguntur, & similia, sicut in sæcularibus amatoribus notari potest. Econtra spiritualis tantam disciplinam seruat in occulto, sicut in publico, quia nec angulos quærit, sed fugit, nisi quando secum habitare desiderat, & soli Deo vacare. Cum homine aūt colloquens, maxime si vir cum fœmina loquitur, continet oculos, & manus, & omnia mēbra sub custodia modestiæ,

destiæ, quod etiam studiosus obseruator non inueniret, in quo eos reprehenderet. Tertium est, inquietudo cordis, quando sunt absentes cogitando de inuicem, vbi iam sit ille dilectus? quid agat? quando veniat? quandiu defuerit? si de se cogitat? si ex absentia amor eius circa se in aliquo tepuerit? quam longo tempore nil ei demandauerit? & qd in causa esse poterit vel possit? quomodo valeat in corpore, & ita suspenso corde nec orare libere possunt, nec de Deo quiete meditari, vel aliud agere distracto & occupato animo circa dilectum, nisi quãdo audit aliquid de eo prosperum vel loquitur, hoc ei refrigerium præstat qualecunque. Spiritualis amor hæc non curat, sed quiescit in Deo & amicum suum Deo fideliter in oratione commendat, cum fuerit opportunũ, sine inutili distractione, compatitur ei, vel congaudet ei, sicut ratio dictauerit faciendum. Quartum est impatientia, vel inuidia condilecti sui, vel si aliquem secum diligat, si benignius talem salutet, si aliqua beneficia ei exhibeat, ex quibus timet, ne forte amor alterius præualeat, & circa se tepescat, inde dolet & tristatur. Spiritualis autem vult omnes secum diligi, & in hoc gaudet, quia charitas est communicatiua, & quanto magis dilatatur, tanto amplius augetur, sicut ignis, qui plura fomẽta accipit, eo magis crescit. Quintum est ira & cõturbatio, quia tantum, vt vulgo dicitur, se diligunt, quod præ nimia dilectione, non possunt sibi mutuo parcere à molestia læsionis. Sicut enim aliquando metas excedit eorum nimia dilectio, & inordinata in blandiendo, ita quandoq; econtra excedit cõturbatio, maxime cum vnus alterum forte in aliquo offendit, minus satisfaciendo sibi in his quæ desiderat, vel aliam personam, vt ei videtur, plus amando, quia quo tenerior dilectio, eo molestior offensio. Inde insurgunt querelæ & improperia impensorum beneficiorum, & magnæ fidei, quæ iam perdita videtur apud ingratum. Sequuntur etiam detestationes & iuratoriæ promissiones, quod nunquam velit eum deinceps diligere, qui sibi retribuit mala pro bonis, & odium pro dilectione. Aliquando adiunguntur clamores, vituperia, maledicta, infamationes, proditiones secretorum, & multa inconuenientia huiusmodi, sicut sæpe experimur. Spiritualis autem amor pacificus est, tractabilis, ignoscens errori, & infirmitati proximi, & in spiritu lenitatis instruens aliquo præoccupatum delicto. Sextum est munuscula & dulces literæ amatorij dictaminis, & morselli ab ore dilecti rapti, & quælibet alia quæ dilectus cõtrectauit, vel quibus vsus est, quæ quasi pro reliquiis venerantur, & pro memoriali conseruantur, & pro incentiuo continui amoris. E contra dicit Hieronym. Crebra munuscula, & fasciolas, & zonas, & prægustatos cibos, & dulces ac suaues amoris literas, sanctus amor non habet. Sanctæ orationes, ædificatoriæ, in spiritu instructiones, & piæ in necessitate subuentiones, sunt spiritualis amoris fulcimenta. Septimum est inordinata dissimulatio vitiorum ad inuicem, scilicet, quod ita diligunt se mutuo, quod etiam vitia sua diligunt & fouent, & excusant. Et astant sibi mutuo contra arguentes & corrigentes ea, confœderati ad malum, sicut fur furem, adulter adulterum diligit in malo. Spiritualis vero dilectio, cum omnia vitia detestetur, singulariter tamen odit ea in spiritualiter dilectis, sicut pater magis dolet deformitatis maculam in filio, quam in alieno. Sic Dominus omnium peccata odit, & tamen quodammodo grauius punit ea in præsenti in amicis suis singularibus, quam in aliis. Sicut in Dauid apparet, qui grauissime pro peccatis suis punitus est. Etenim non sinere peccatoribus diu ex sententia agere, sed statim vltionem adhibere, magni beneficij est indicium. Apocalypsis. Ego quos amo arguo & castigo.

Ostensis ad cautelã carnalis amoris vitiis, quæ se quandoque palliant sub specie spiritualis dilectionis, ad profectus considerationem redeamus, & quibus gradibus ab imis ad summa procedatur dilectionis proximi. Primus gradus esse videtur, nullum odire, nulli malum cupere cum voluntatis consensu, nullius bonum velle impedire, in necessitate proximo auxilium subuentionis non subtrahere. Et breuiter vt nulli malum faciat, vel cupiat cum voluntatis consensu, & bonum proximo optet & faciat, sicut sibi velle desideraret, si indigeret. In his duobus consistit impletio præcepti illius. Diliges proximum, sicut teipsum, scilicet, quod oderis tibi ab alio fieri, tu ne alteri facias. Sicut dicitur Tobiæ, & Lucæ. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hoc est Lex & Prophetæ. Hoc enim docet lex naturæ pariter & scripturæ, secundum expositionem Orthodoxorum. Profectus dilectionis est, sic alterius profectui cõgaudere, & bonum alterius diligere, quasi proprium, & sic aduersitati compati, sicut propriæ, vt aliena lucra vel damna sua deputet ex affectu pietatis. Rom. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, idipsum sentiẽtes, id est, sic aliena bona vel mala sentire, sicut propria. Corinth. Quis infirmatur, & ego non infirmor? vbi autem talis est affectus, ibi necessario non deerit subuentionis effectus, quantum patitur opportunitas. Sicut enim sana membra corporis congaudẽt sibi, & compatiuntur mutuo, ita apparet illum affectum sanum esse à stupore insensibilitatis vitiosæ, qui iam nouit intelligere quæ proximi sunt ex seipso. Sumus enim membra inuicem. Ephes. Vnde Dominus Iesus, à quo omnis doctrina perfectionis nobis influit, sicut membris à capite sensus & motus influit, deputat sibi fieri quicquid membris etiam infimis infertur. Sicut ipse dicit: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Perfectio dilectionis proximi, diligere inimicos ex affectu, & ea dulcedine erga odientes, & persequentes se affici, sicut erga singulariter dilectos, & non solum res temporales, sed etiam corpus pro fratribus ponere paratum esse, nõ tantum pro spe præmij martyrij, sed magis pro affectu fraternæ salutis. Hanc Christus docuit, qui pro peccatoribus inimicis suis mori dignatus est, vt illa peccata, quibus ipsum offenderamus & contempsimus, expiaret. Ioan. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. fratribus obtulerũt, qui se in seruos vendiderũt. Hanc didicerunt ab ipso sancti, qui se morti prodederunt pro aliorum redemptione, vt Paulinus. Qui vt aliorum fami consulerent, ipsi fame cruciabantur, qui pro interfectoribus suis deuote orabant, & sua benignitate inimicorum sæuitiam lenire, & malum in bono vincere studuerunt. Hanc Ioseph Patriarcha, Moyses, Samuel, Dauid, & alij sancti multipliciter ostenderunt. Et reuera tales sunt vere sapientes, qui sic diligũt inimicos, quia centies bona maiora præstant eis persequendo, quam subtrahant. Sicut qui raperet mihi talentum plumbi, & reponeret in locum eundem talentum puri auri. Quid potest homini sancto nocere inimicus? Honores mundi, vel diuitias, vel delitias, ex quibus nutritur carnis concupiscentia, potest ei aduersarius subtrahere, spoliando, detrahendo, persequendo. Sed sancti ista non amant, ideo non contristantur cum ista subtrahũtur eis. Nam si ista, quæ mundi sunt, diligerent, & de amissis valde dolerent, non esset charitas Dei patris in eis. Cum ergo aufert eis mundana inimicus, quæ eis sunt onerosa & odiosa cumulantur eis dona spiritualia, & merita cœlestia desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Et qui occasionẽ dat homini tanti lucri, merito est ei diligendus. Matth. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus. Lucæ: Et erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Cap. XVII.

Quod vera beatitudo in tribus consistit, & quod triplicem humilitatem habere debemus in nobis, triplicem ad proximum, & triplicem ad Deum.

Vera beatitudo consistit in cognitione summæ veritatis, in dilectione, vel delectatione summæ Trinitatis vel bonitatis, in fruitione æternæ iucunditatis. Omnes autem virtutes ordinant nos ad ista tria, & ideo quanto quisque magis fuerit ordinatus in virtutibus, tanto magis erit capax supernæ beatitudinis. Sicut ergo charitas ordinat nos ad beatitudinem, ita humilitas habet nos ordinare ad veritatem. Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio: Bernardus Humilitas est virtus, qua homo verissima cogni-

A tione sui, sibimetipsi vilescit. Duo sunt quæ admonēt nos,
vt humiles simus, videl. quod sumus, & quod non sumus.
Quod sumus nō habemus à nobis, nec ex meritis nostris,
& ideo non oportet nos inde extolli, quia alienæ potesta-
tis & bonitatis est quicquid boni sumus & habemus. Et il-
le solus inde extollendus est, cuius gratia sumus id, quod
sumus. Hæc est humilitas sanctorum magnorum, qui
quanto maiores se vident, tanto magis humiliant se in o-
mnibus quæ habent, quia furti reus est, qui sibi aliquid re-
tinet de his quæ sibi sunt commendata, inuito Domino.
Cum ipse dicat. Gloriam meā alteri non dabo, profectum
nobis libenter communicat in bonis suis, gloriam sibi re-
seruat. Quod autem non sumus, similiter monet nos hu-
miliari, quia vana & inanis gloria est extolli, de eo quod
non est, velut si lutum glorietur se esse aurum, & nanus ia-
ctet se esse Gigantem, & mendicus credat se esse regem, &
Aethiops se niue candidiorē Apoc. Dicis quia diues sum,
& nullius egeo, & nescis, quia tu es miser & miserabilis, &
pauper, & cæcus, & nudus. Hæc est humilitas pauperum &
B imperfectorum, qui considerata sua inopia & imperfe-
ctione in comparatione sublimitatis aliorū resiliunt in se,
& ex iudicio veritatis sibimetipsis vilescunt. Sic Dominus
nos cæcos natos per nostri ignorantiam & Dei, illuminat
nos per lutum vnde facti sumus, liniendo super oculos no-
stros, vt primum incipiamus nos ipsos agnoscere, deinde i-
psum illuminatorem nostrum credendo proni adorare.
Ex luto visum recipit, qui, ex conditione propriæ fragili-
tatis, seipsum humiliatus, agnoscit. Triplicem vero humi-
litatem habere debemus, humiles enim esse debemus, in
nobis, humiles ad proximum, humiles ad Deum. In nobis
debemus esse humiles, nosmetipsos ex cōsideratione pro-
priæ vtilitatis despiciendo, vt omnia, quæ in nobis despi-
cabilia agnoscimus, tam in naturalibus defectibus quam
fortuitis, & maxime culpabilibus & vitiosis, diligenter at-
tendamus, & ex eorum intuitu apud nos humiliemur. Se-
cundo in nobis simus humiles, mores, & gestus humiles
habendo, & verba humilia & responsa. Psal. Quasi lugens
& contristatus sic humilior. Tertio vt in humilibus operi-
C bus & officiis nosmetipsos exerceamus, in quib' appareat
vilitas, & quæ alij horrent & despiciunt, vt sordes purgare,
rusticalia opera facere, & vestibus vilibus contentum esse
& cibis, & aliis similibus. Reg. Ludam & vilior fiam plus
quam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Ad proxi-
mum debemus esse humiles. Primo alios meliores & di-
gniores nobisipsis reputare, non eos despicere, vel temere
iudicare. Philipp. In humilitate superiores sibi inuicem ar-
bitrantes. Secundo honore exteriori inuicem præuenien-
tes, reuerendo, cedendo eis, non detrahendo eis, sed obe-
diendo & obsequendo, & promouendo eos exaltare, &
facta eorum extollere, si bona sunt, & mala abscondere
non fictè sed purè. Tertio modo patienter eorum infirma
tolerare, & læsiones sustinere, si quas nobis inferūt, & ma-
lum pro malo reddere, nec odium contra eos exercere, &
correptiones eorum patienter recipere, & eorum miseriis
plus quam nostris incommodis condolere. Psalm. Ego au-
tem cum mihi molesti essent induebat cilicio, & humilia-
bam animam meam. Item proximorum alij sunt æquales
nobis, alij superiores, alij subditi. De æqualibus plana est
D regula prædicta. De superioribus addit Apostolus duo, sc.
obedite præpositis vestris, & subiacete eis, obedire perti-
net ad impletionem iussionis eorum, subiacere humiliter
eis subesse, quasi vicariis Dei omni subiectione secundum
Deum. De Rectoribus tres regulas nota. Prima Ecclesiast.
Rectorem te posuerūt, esto illis quasi vnus ex illis. Secun-
da ad Thess. 2. Facti sumus paruuli in medio vestrum, tan-
quam si nutrix foueat filios suos. Tertia ipse Dominus. Lu-
cæ. Ego autem in medio vestrum, sicut qui ministrat. Secū-
dum has tres regulas rector inter subditos sit, quasi vnus ex
illis, communis in victu, in vestitu, in labore, & aliis ex-
terioribus. Sit paruulus eorum, vt ex hoc quod præest eis,
non putet se sanctiorem aliis, vel sapientiorē, vel dignio-
rem, sed viliorem & obligatiorem in reddenda ratione
pro se, & pro illis. Sit quasi minister in medio eorum, infir-
ma eorum portando, & curando, & exemplo præeundo.
Ad Deum debemus esse humiles, primo, vt ipsum esse
Deum ac Dominum, & iudicem nostrum agnoscamus, & E
ei in omnibus obediamus, sicut serui Domino suo, & opus
factori suo, & si peccauerim' ei, cito & digne peniteamus,
& satisfaciamus, & emendemus. Secundo vt flagella eius
humiliter toleremus, & non remurmuremus correpti, sed
iustum eius iudicium commendemus, & nos correptione
dignos agnoscamus, dicentes: Iudicium Domini porta-
bo, quoniam ipsi peccaui. Tertio vt de beneficiis eius non
extollamur, sed agnoscamus quod nō pro merito nostro,
sed pure pro sua bonitate dilexit nos & elegit nos, & voca-
uit, & iustificauit, & magnificauit. Vnde debemus ei gra-
tias pure & humiliter referre, & nihil nobis de bonis eius
adscribere arrogādo. Psal. Non nobis Dñe, non nobis, sed
nomini tuo da gloriam. Licet aūt ex prædictis possint hu-
militatis grad' discerni, tñ vt magis in promptu sint ad in-
tuendum, nota tres gradus humilitatis. Primus est, vt ho-
mo se quod est, vilem, infirmum, inopem boni, vitiosum
peccatorem, & si quos alios defectus habet, agnoscat,
& sciat, & non mentiatur sibi esse maiorem quacunq; di-
gnitate, q̃ sit, & non eleuet se super se, quasi in ventum, vel F
super alios insolenter, nec vanas hominum laudes quærat,
vel honores. Et si aliqñ delectat eum aliquid istorum, se-
metipsum arguat & castiget, quasi deceptum, & in quo ve-
ritas non sit. Psal. Filij hominum, vt qd diligitis vanitatē
& quæritis mendacium. Cum.n. Deus omnia possit, vt q d
nos non fecit æquales angelis in gloria, nisi vt ipsa depres-
sio nos humiliet, ne eleuemur sicut seducti, & seductores
angeli, & corruamus, & pereamus. Vnde est quod cum
Deus in baptismo penit' tollat reatum peccati originalis,
pœnam tñ corruptionis non tollit in hac vita, vt semper
remaneat nobis memoriale humiliationis, quo cauti sim',
ne superbiamus, sicut primi parentes nostri, ex quorum su-
perba transgressione omnes corruimus in culpam & pœ-
nam miseriæ, quā portamus, & adhuc deteriora, nisi Deus
custodiat, expectamus. Secundus gradus potest dici, cum
non solum seipsum agnoscit homo, & spernit pro vtilitate
sua, sed ēt ab aliis sperni se patienter accipit. Imo, quia ve-
ritatem amat, & se priuato amore non diligit contra veri- G
tatem, etiam desiderat ab aliis reputari talis, qualem se re-
putat, vilem, sc. vt vitiosum, ignobilem, & qualem se in ve-
ritate cognoscit, in quantum credit agnoscenti non obes-
se. Gregor. Sicut superbi honoribus, ita plerunq; humiles
despectione gaudēt, quia iudicium, q de se intus habent,
etiam ab aliis sentiunt approbari. Et cum dolet homo, &
fastidit honores sibi exhibitos, & vilipendit. Iste gradus
altus est, & satis rari sunt, qui eum ascendunt, ēt inter reli-
giosos & bonos. Vnde non est mirum, si inopes sumus vir-
tutum, cum matrem & custodem virtutum, humilitatem,
tam alienā à nobis sentiamus. Quid enim causæ est? quod
ille, qui diues est in misericordia pater cœlestis, qui etiam
pro dilectione, qua dilexit nos, proprio filio suo non pe-
percit, sed pro nobis omnibus tradidit illū, quid inquam
causæ est quod nos tam inopes gratiarum & virtutum, re-
linquit? quasi nō sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia
nostra in causa est, quod non instanter quærimus, vt debe-
mus, aut superbia, quod etsi quærimus instanter, videt nos
De', pronos esse, vt inde extolleremur, & fieret nobis ipsa
donorum eius sublimatio, altioris occasio ruinæ. Altiora H
ædificia profundiori fundamento indigent, & arbor ex-
celsa si radicata profunde non fuerit, facilius ventorum
impulsu euertetur. Qui ergo cito desiderat virtutis culmē
attingere, studeat in humilitatis profundo se solidare,
quia Deus sicut superbis resistit, eos deprimendo, ita hu-
milibus dat gratiam, magis virtutibus attollendo. Tertius
humilitatis gradus est, qñ etiam in magnis virtutib' & do-
nis nil homo extollitur, nil sibi ex hoc blanditur, totum il-
li refundens, & integre restituēs, à quo fluit omne bonum,
Talis fuit humilitas B. Mariæ Virginis, quæ cum electam
se sciret vt mater Dei fieret, ancillam eius humiliter se re-
cognouit, dicens: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Talis
est humilitas Christi, qui cum in forma Dei esset, non rapi-
nam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum
exinaniuit, formā serui accipiens humiliauit semetipsum,
&c. Matth. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,
&c. Talis est humilitas Angelorum & sanctorum in gloria,

A qui cum sint pleni summo bono, & summo honore subli-mati, nullum motum habent de hoc superbiæ, sed sunt in se humiliores, quo altiores in Deo. Vnde & ouibus in mõtibus in Euangelio similantur. Matth. Oues propter humilitatis mansuetudinem, in montibus, propter altitudinem dignitatis. Hæc est humilitas perfectorum, qui quanto maiores sunt, tanto magis humiliant se in omnibus, in sensu, in affectu, in verbo, in actione, in habitu. Psalm Domine non est exaltatũ cor meum, neq; elati sunt oculi mei. Si humiliatur & se despicit, qui non habet vnde glorietur, sed multa habet vnde confundatur, licet bona sit ista humilitas, tñ non est miranda. Et si filius rustici, non vult filius Regis putari, laudanda est in eo simplex puritas, sed non prædicanda ex hoc miranda humilitas. Item, si pauper se pauperẽ reputat, & ab aliis vult pauper agnosci, veritati cõsentit in istis, sed nõ est admirationi talis humilitas. Siuero diues pauperibus se conformat, & altus nil altum sapit, & gloriosus nil sibi de gloria attribuit, sed totum refundit
B ei à quo habet, vnde gloriosus videtur, hic est humilis non cogente necessitate, sed veritatis charitate.

Cap. XVIII.

Quod ex charitate & humilitate nascitur patientia, quæ triplex est, & in quinque probatur.

Ex charitate & humilitate nascitur virtus patiẽtiæ, hæc ordinat nos ad fruitionem summæ pacis. Nihil enim pati molestiæ, est pacem habere, quod fit duobus modis scilicet aut nullam molestiam sentiendo, quod erit in tantum in patria, aut molestias, non moleste ferendo, quæ est magnanimorum ẽt in via, & hæc est patientia. Magnanimus.n. est, qui ad vniuersa sustinenda patiens est, nullisq; passionibus perturbatur. Patientia, est respectu æternæ gloriæ voluntaria & insuperabilis perpessio laborum. Patientia est alia necessitatis, alia simulationis, alia virtutis. Simulationis est, quando pro gloria humana aliquis pati-
C entem se in aduersis ostendit, aut cum interim dissimulat iniuriam, quam patitur, vt in aliud tempus opportunũ differat vltionem. Gregor. Qui mala proximi tolerat, vt tamen intrinsecus doleat, & tempus dignæ retributionis exquirat, patientiam non habet, sed ostendit. Patientia necessitatis est, cum aliquis ideo vlcisci se non præsumit, quia non potest, vel non audet, timens sibi maius ex hoc imminere dispendium vel commodum deperire, vt serui à Dominis verberati, vel pauperes à diuitibus obiurgati, vel discipuli à magistris castigati. Prima vitiosa est, & meretur supplicium, secunda cauta, vt euadat tẽporale dispẽdium, tertia virtuosa, & meretur gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Omnis passio aut est ex eo quod negantur aut auferuntur nobis cõcupita & amata, aut q̃ inferantur, vel minantur nobis odia habita, vel nociua. Quę possumus diuidere in quinque, in quibus patientia discitur vel probatur. Primum est corporis lęsio. Secundum temporalis substantiæ penuria, vel ablatio. Tertium detrimentum hono-
D ris. Quartum charorum offensio, vel subtractio. Quintum tranquillitatis mentis quæcunque occurrat perturbatio, istud tamen omnia priora sub se continet, licet etiam per se singulariter aliquoties valeat discerni, & sine aliis reperiri, vt sublata aliqua lætitia vel consolatione minus vtili vel nociua, verbi gratia, vt cum propter pluuiam, vel aliam innoxiam causam, non possumus spatiari, vel alios conceptus animi perficere pro libitu. Cum autem turbamur pro defectu iustitiæ, vel pro nocumento salutis æternæ, hæc turbatio non est impatientiæ deputanda, sed zelo iustitiæ, & virtuti, nisi sit immodera vel indiscreta. Corinth 7. Tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Sicut ergo pro prædictis quinque causis non turbari virtus patientiæ est, ita pro defectu iustitiæ non turbari, vitium est teporis vel obstinationis, pro se enim quilibet contristari debet pro præteritis defectibus iustitiæ, tunc est virtus pœnitentiæ, pro præsentibus, & tunc est feruor proficiendi, pro futuris, & tunc est cautela timoris. Item, pro proximis debet contristari homo, moderatius tamen pro temporalibus eorum defectibus, amplius autem pro spiritualibus, & eorum quæ per-

tinent ad salutem. Ad hoc autem maxime prælati tenen- E
tur, qui si patienter subditorum vitia tolerant non corrigendo pro posse, ex hac patientia non gloriæ meritum sperare debent, sed iram Dei, cuius damna & iniuria cum cauere & prohibere debuerunt, tolerando fouerunt. Vnde & Heli, qui filiorum suorum mala non acriter redarguit, iram Dei cum pœna sensit. Patiẽtia directe opponitur vitio iræ, sicut charitas Dei opponitur accidiæ, & charitas proximi inuidiæ, & humilitas superbiæ. Sicut autem iræ vitium hominem stulto & furioso similem reddit, iuxta id Iobi: Virum stultum interficit iracundia, ita patientiæ virtus sapientem ostendit, Prouerb. Doctrina viri per patientiam nõscitur. Et quamuis aliqua differentia esse videatur inter patientiam & fortitudinem, & constantiam, & magnanimitatem, & longanimitatem & mititatem, & mansuetudinem, sicut etiam ex eorum diffinitionibus colligitur; tamen sæpe vnum pro altero positum inuenitur, & mutuo se inter se diffiniunt, & describunt. Patientia est, honestatis causa, rerum difficilium voluntaria perpessio, Fortitudo est immobilis inter aduersa animi laborum & periculorum æqua susceptio. Constantia est inter causas & personas nulla mentis trepidatione cõcuti. Magna- F
nimitas est difficilium spontanea & rationabilis aggressio. Longanimitas est spes cum longa expectatione bonorum. Mititas est, quam mentis asperitas seu amaritudo non afficit. Mansuetudo est tranquillitas animi, alterius non cedens improbitati. Possent etiam singula istorum singulis tolerandis aliquando appropriari, verbi gratia: Patiens dici potest, qui dolores æquo animo tolerat, vt Iob & Tobias. Fortis est, quem certamina tentationum eneruant, vt Ioseph. Constans, quem terrores & labores non pusillanimem faciunt, vt Machabęi. Magnanimus, qui ardua & difficilia aggredi non expauescit, vt Dauid & Ioannes Baptista. Longanimis, quem longa expectatio à spe desiderij non frangit, vt Abraham, ad Heb. 6. Mitis, qui odientium iacul s nequaquam irritatur, vt malum pro malo tribuat, sicut Moyses. Mansuetus, qui odientium corde tranquillus est, & motibus foris tractabilis, vt Ioannes Euang. Valet autem virtus patientiæ ad multa. Primum, quia tolerabiliora reddit vitæ præsentis incommoda, quia aduersitas cum impatiẽtia, est triplex incõmodum, dum extrinsecus G
affligitur, intrinsecus per impatientiam amaricatur, & insuper mala conscientia rodit mentem pro reatu culpæ. Secundo patientia est mentis refectio, quia sicut corpus pascitur conuiuio, ita mens virtutum dapibus saginatur. Prouerb. Secura mens quasi iuge conuiuium. Tertio, magna ædificatio proximorum, & tanto maior, quanto rarior, plures videmus castos, abstinentes, pauperes seipsos humiliantes, eleemosynas facientes, vel orationibus instantes, bona docentes, fide constantes, sed paucos admodum in contumeliis & detractionibus, & despectionibus humiliter patientes. Excusamus nos, & defendimus, ne forte alij scandalizentur de nobis, putantes nos culpabiles esse si taceamus, cum ex hoc magis reprehensibiles iudicemur. quod per impatientiam nos vindicamus, & mordentes nos, acriter remordemus. Sed sic dicit Gregorius. Imitatione Dei gloriosius est iniuriam tacendo sustinere, quam respondendo superare. Quarto patientia purgat H
peccata præterita, & præcauet à futuris. Quinto auget gratiam in præsenti virtutum spiritualium donorum, iuxta id Secundum multitudinẽ dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Sexto, meretur maximã gloriam in cœlo. Lucæ. Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlis. Septimo singularis est retributrix patientia passionis Christi, talia enim studet ei rependere, qualia ab ipso recepit, qui dolores nostros ipse portauit. Et hæc est singularis lætitia sanctorum in tribulatione patientium & gaudentium, quod si occasionem habent & opportunitatem, aliquo modo retribuendi Domino pro illa charitate magna, qua pro nobis animam suam posuit, saltẽ aliquid sustinendo, quia bonorum nostrorum non indiget, vel aliquid ei de nostro dare possimus. Cum ergo in iudicio veniens ostendet indicia passionis suæ omnibus, magna erit confusio illis, qui nil pro ipso pati voluerũt, & magna gloria illis, qui pro ipso

A multa & magna patienter sustinuerunt. Signum etiam spiritualis dilectionis videtur, cui Dominus dat aduersa perpeti, & quasi impertiri ei dignatur partem oneris sui portandi, sicut ille Simeon Cyreneus crucem Dominicā portauit. Solent enim socij in via cum lassantur, rogare eos, quibus plus confidunt, & quos specialius diligunt, vt partem oneris sui pro se ad horam ferant, vt hoc quasi indiciū sit illis, quòd maiorem habeāt de eorum dilectione fiduciam, quibus onera sua portanda imponūt, quàm de illis, quibus formidant imponere, ne forte nollent æquo animo portare. Sic & Dominus qui nobiscum est omnib. diebus in via hac qua ambulamus lassatus, vsq; ad mortem, labore passionis, quærit quis nostrum velit ei compati, & onus turbationum suarū, quod adhuc in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, sustinet, secum portare, quia hanc passionem, quam caput in se pro nobis sustinuit in carne, diuisit per omnia membra fidelium suorum, vt sicut oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, ita & B membra eius, si capiti fideliter compatiantur, & conglorificentur. Apostolus: Si socij passionum estis, ita & resurrectionis eritis, qui enim plus compassus Christo fuerit, & propius conregnabit.

Gradus vel profectus patientię primus est, vt discat homo motus iræ & impatientiæ per pugnam cohibere, & reprimere, ne erumpant foras in verba, vel facta illicita. Sicut ignis suffocatus fumo suo extinguitur, si autem non cohibetur crescit, & omnia quæ attingere potest cremabilia incendit. Quatuor autem modis ignis solet extingui, perfusione, obstructione, dissipatione, defectu materiæ. Simili modo ignis impatientię deferuescere consueuit, perfusione prudentium consiliorum, vt maturè deliberet homo, quantum ei nocere possit impatientia, & quantū patientia prodesse, quæ quia superius de remedijs iræ latius dicta sunt, nunc prætereo immorari. Obruitione vel obstructione oris vel labiorum, ne lingua prosiliat in verba flammigera, vel ne manus erumpant in facta furibunda. Psalm: Pone Domine custodiam ori meo, &c. Dissipatione, vt ad alios actus vel tractatus homo se conferat, quib. abstractus obliuiscatur materię qua succensus est ad iram, C sicut cum ligna dissipantur à se inuicem, ignis diuisus deficit. Defectu materiæ, vt homo abstrahat se illis negocijs & cupiditatibus, quæ solent ministrare occasiones iræ & impatientiæ. Prouerb: Cum defecerint ligna extinguetur ignis, & susurrone subtracto iurgia conquiescunt. Susurratio est occulta suggestio, quæ hominem instigat ad materias litium. Secundus gradus patientiæ est, cum longo vsu patiendi, & impatientiam frenandi, homo didicerit iam non terreri, vel turbari aduersis, sed quasi in loco munito inconcussus, circumcursitātęs aduersarios intuetur, quos nil sibi posse nocere confidit. Tādiu autem homo aduersis terretur, quandiu diligit aliquid temporale in se, vel extra seipsum, quod timet perdere, vel dolet, vt corpus, res, honores, amicos, & propriam voluntatem. Qui autem ista inordinatè non diligit, sicut non valde delectatur in eis, ita nec grauiter contristatur pro eis, sicut qui vxorem non dilectam habet, nec de vita eius iucundatur, nec de morte conturbatur. Quid igitur tibi potest nocere aduersarius. vnde conturberis, si odit te in corde suo, malum suum intra seipsum clausum est, & nil tangit te pœna illius, tantum tu esto in pace apud te. Ignis in sinu alterius inclusus, illum D vrit, non te. Si verbum durum dixerit contra te, ventus sonans transiuit per aerem, non iaculum tibi infixit. Sicut ergo rideres, si iaculum contra te missum casso vulnere aerē feriret, & te non tangeret, ita facito ad verba maledictorum. Canis latrat contra te, & ridendo pertransis, si detrahet tibi absens, non turberis, se læsit, tibi non nocuit, ipse prodidit se esse inuidum & detractorem, & se apud intelligentes magis odibilem vel contemptibilem reddidit, & sic vindicauit te de seipso, tace igitur & alij pugnabunt pro te, & Dominus contra aduersariū tuum. Si aūt incipis cum eo remordendo contendere, qui prius tibi compassi sunt, stabunt & aspicient vos cōpugnantes, sicut duos gallos, & ambos vos despicient, & odient, & impatientiæ & inuidię arguent. Si times detractori contra te credi, sustine humiliter, & patientia tua tollet suspicionē, vel mitigabit præ- E sumptionem de te in cordibus aliorū. Si autem cor tuum vritur intus ex rancore, reprime, intuitu secuturę vtilitatis, sicut qui vritur, vel secatur pro aliquo apostemate curādo, tolerat breuem dolorem, pro sperata salute obtinēda. Oportet nos pati morsus pulicū & similium bestiolarum, sic etiam sustineamus punctiones viliū detractorum. Inopes honorum non possunt sine inuidia pati laudes meliorum, quas cum ipsi habere non valent, dolent se solos confundi, & vellent secum habere socios miseriæ, pro solatio, & ideo detrahunt alijs sicut deformis vellet sibi alios esse similes. Corporis autem dolores, & rerum amissionem, & amicorū offensas & confusiones patienter tolerare, supradictis remedijs discitur, & maxime vsu sæpe talia sustinendi. Vix enim aliquid in hac vita tam asperū est, quod vsu, & studio patientiæ nō fiat leuius ad portandum. Iuxta illud: Quod malè fers, assuesce, & feres. In isto gradu nec perturbatur homo aduersis, nec gaudet, sed sustinet, & tacet.

Tertius gradus patientiæ est, gaudere in tribulationi- F bus, & gloriari cum adsunt, & desiderare cum desunt. Sic famosus & nobilis tyro gloriatur, cum debet tyrocinium contra alium nobilem exercere. Iob. 6. Quis det mihi vt veniat petitio mea? Et infra: Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore nō parcat. 1. Cor. 12. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in angustijs, in persecutionib. pro Christo. Deut. 33. Imolabunt victimas iustitiæ, quæ inundationē maris, quasi lac sugent. Mare amarum est valde, inundationem maris quasi lac sugunt, qui excrescēte amaritudine cuiuslibet aduersitatis, quasi lacte consolationis hilarescunt. Et hi victimas iustitiæ immolant, quia secundum beatum Gregoriū: Maioris est meriti aduersa patienter tolerare, quàm bonis operib. insudare. Qui ergo ex desiderio placendi Deo, sibi ipsi aliquando aduersa infert, castigando corpus, & mentē mœrore in contritione afficiendo, cur non etiam libenter suffert, cum ab alio infertur ei occasio patiendi, vnde vel corpus affligitur, vel animus humiliatur, cum maioris sit meriti hæc pati æquanimiter ab alio, quàm à semetipso. Et qui seipsum vilem & reprehensibilem iudicat, cur non patienter accipit, quādo alius idem sentit, cum nullius iudicium G tam timendum sit cuique, post Deum, sicut sui ipsius. Cōscientia enim cuiuslibet grauior ei in iudicio, quàm omnium aliorum erit, præter Deum. Hinc apparet, quod est virtus perfecta, vera enim humilitas sic gaudet ad alio humiliari, sicut à se, & vera patientia ita libenter sustinet aduersa ab alijs illata, sicut à se procurata, quantum ad se spectat.

Cap. XIX.

Quod obedientia ex charitate, & humilitate, & patientia nascitur. Ratio obedientiæ est triplex, & qui sint gradus, profectus & perfectio obedientiæ.

ET quia obedientia ex charitate, & humilitate, & patientia nascitur, de ea aliquid ad ędificationem videamus, quia in omni religione summè vtilis est & necessaria. Obedientia est propriæ voluntatis subiectio arbitrio superioris, ad licita & honesta. Obediendum est autem soli Deo propter se, cuius serui sumus proprie, vel creaturæ rationali, vice Dei, Angelo vel homini, in his quæ Deus re- H quirit à nobis, & ad Deum conducent. Ratio obedientiæ triplex est, vna, quod omnis creatura ita ordinata est à Deo, quod licet ipse omnib. & singulis ita præsit, vt ab ipso solo accipiāt, quod sunt, & habent & possunt, tamen propinquiora sibi, nō loco, sed similitudine, plenius accipiūt ab ipso, quod inferioribus & sibi propinquiorib. influāt. Et illa iterum suis inferioribus vsque ad infimum, vt inferiora superioribus subdita sint, & superiora inferioribus præsint, & ea regant, vt summa medijs, & media præsint imis. Sic Angeli superiores inferioribus pręsunt, & cœlestia terrenis, & irrationabilibus rationabilia præsunt. Gen. 1. Faciamus hominem, vt præsit piscibus maris, & volatilib. cœli, & bestijs terræ. Rom. Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit. Substantia enim diuina ita eleuata & segregata est ab omni creato, quod inferiora immediatè motus eius sustinere, & suscipere non possunt, nisi me-

A diantibus superioribus, cum ipse tamẽ immotus in se omnia ineffabiliter moueat:& gubernet, ita vt nil sit omnib. eo præstantius,&nil incomprehensibilius. Secunda ratio est, quod cum non omnib. datum sit esse docibiles Dei, ne ignari errent à via Dei, qua necesse eos peruenire ad gloriã cœlestem, expedit, vt sequantur ducatũ doctorũ suorum, sicut cæcus dat manum ductori ne cadat, vel impingat vel erret. Tertia ratio est, vt homo qui subesse noluit Deo, peccando,& ita superbiendo gloriam Dei perdidit, satisfaciat ei subiiciendo se homini, propter Deum,& ita per humilitatis meritũ gratiam Dei recuperet, quã amisit. Quanto autẽm maior,& purior,& promptior fuerit obedientia, tantò plenior erit recuperatio gratiæ, & gloriæ remuneratio. Magnitudo humiliationis attẽditur in difficultate iniuncti operis, puritas, in simplicitate intentionis, promptitudo in alacritate executionis. Est enim triplex obedientia, necessitatis, cupiditatis, charitatis. Necessitate obedit, qui cogitur inuitus,& libenter esset liber, si posset vel auderet, B vt asinus,& bos,& serui maleuoli,& similes. Cupiditate obedit, qui pro merito terreno, vel pro commodo corporis, vel consolatione exteriori, libenter facit quod iniungitur, vt canis,&accipiter,& mercenarii,&similes illis. Quãto autem obedientia plus habet de proprio temporali solario, tanto minus habet de merito corã Deo. Merces prioris, est euasio pœnæ, quam timet incurrere si non obediat. Merces secundi, est spes adipiscendi, quod desiderat obediendo obtinere, vt munus, vel solatium temporale. Obedientia charitatis est, quando ex charitate Dei, vel propter Deum,& propter diuinam remuneratione obeditur. Large sumpto nomine charitatis, quo tam timor pœnæ, quam desiderium præmii, quam affectus amoris Dei in ea includitur, quorum primum est incipientium, secundum proficientium, tertium perfectorum. Item alia distinctio obedientię, quia alia est generalis, alia generalior, alia generalissima. Itẽ alia specialis, alia specialior, alia specialissima. Generalis obedientia est, qua omnes fideles in Ecclesia generaliter obligantur suis obedire prælatis, papæ, Episco- C pis,& plebanis, in his, quæ canones præcipiunt,& iura pro omnibus promulgata. Generalior est, qua omnis creatura ratione vtens, tenetur voluntatem propriam voluntati sui conditoris conformare ex arbitrii libertate, vt Angelus & homo. Generalissima est, qua omnis creatura obedit suo creatori, siue naturali motu insitæ conditionis, vt irrationabilia, siue impulsu potentiæ præsidentis, vt Dęmones,& maleuolæ mentes, quæ ẽt si volunt, quod Deus non vult, non possunt tamen nisi quod Deus vult. Specialis est illa, qua clerici specialiter tenentur ad obedientiã suorum prętatorum, in his quæ ad officium suum spectant,&ordinem clericalem, vt continere,& debitam tonsuram deferre,& similia in sacris canonibus pro eis statuta. Specialior est illa, qua propria voluntate obligat se aliquis certæ personæ, vel religioni ad obseruantiam limitatam, & pro arbitrio vouentis determinatã, vt promitto tibi obedire in istis, & non in aliis, vel tanto tempore,& non vltra, vel tali conditione,& non aliter, vel in his, quæ regula illa iubet, & nil D amplius. Specialissima obedientia est, qua sine exceptione promittit obedientiam aliquis ad omnia, quæ non sunt contra animã suam &regulam talẽ, vbi tam ad ea quæ sunt in regula, quam ad alia quæ iubentur obligat bona, quæ conueniunt rationi,& liberi arbitrii subsunt potestati, cũ ad irrationabilia, vel impossibilia nemo cogi debeat, sicut nec ad illicita nemo debet obedire. Profectus vel gradus obedientiæ, quantum ad illa, in quib. obediendum est, colligi possunt ex prædictis, id est, obedire ad præcepta communia, obedire ad aliqua etiam cõsilia, obedire ad omnia bona,& possibilia. Quantum vero ad mentẽ vel affectum obedientis breuiter videamus, qui sint profectus obediẽtiæ. Quanto quis altius proficit in obedientiæ virtute, tanto ei Deus exorabilior,& omnis creatura ad obediendum homini ordinata subiectior, & obsequiosior erit. Infimus obedientiæ gradus est ex timore obedire supplicii, sicut illi, qui tantum obediunt superioribus suis in his, quæ præceptorie iusserint, ad alia vero tepidi sunt & negligentes nisi in quantum vel communis consuetudo cogit, vel pudor humanus impellit, vel timor

temporalis castigationis. Sufficit his qui eiusmodi sunt, vt mortale peccatum per inobedientiam non incidant, nec damnationem incurrant. Et tamen hoc est valde periculo- E sum in confessis obedientiam regularem, quia priusquam discutiant, an teneantur facere quod iubentur forte mortalis inobedientiæ laqueum aliquando incidunt, sicut qui nimis appropinquat præcipitio, subito, dum non caute circumspicit, in præceps labitur. Cum Deo autem vel disputare, stultum est,& quasi velle conuincere eum, vt non debeat iudicare, hoc est peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali habere, sua æstimatio est regula infallibilis iustitiæ, non nostra, angulosa opinio, quam nostram conscientiam appellamus. Solis radius nunquam facit angulum, semper directe in opposita sibi fert, siue ita nobis videatur, siue aliter æstimemus. In professione obedientiæ non exprimimus hanc exceptionem, vt nolimus ad eam teneri, quando non adiungitur hoc verbum, præcipio, vel per obedientiam tibi hoc dico. Vnde bonus obe- F diens tam studiose debet facere quod iubetur simpliciter, cum constat prælatum suum tam plene id velle, quam si apponatur præcipio, vel per obedientiam iubeo hoc vel illud. Secundus obedientiæ gradus est, pro spe præmij potius, quam pro timore supplicij ad iniũcta volũtarie obedire. Iste non disputat in quo teneatur, vel non teneatur obedire, quia siue teneatur, siue non, confidit esse sibi meritorium, dũmodo malum nõ sit quod iubetur, etiamsi mala intentione prę latus aliqua iuberet, quæ tamen mala non essent, scil. pro odio illius cui iniungeret, vt eum sic tribularet, vel pro cõmodo proprio magis, pro quam obediẽtis profectu, non solum non nocet humiliter obedienti, sed etiã duplex meritum ex hoc habet, obedientiæ & patiẽtiæ. Sicut inobedienti, magis nocet bona intentio pręcipientis prælati, & præcepti vtilitas, ex quibus duritia eius perpenditur, ita bono obedienti magis ad profectum peruenit, indiscreti prælati præceps præcepti fulminatio, dummodo non fuerit contra Deum. Vt si quis in ira pauperi pro lapide massam argenti in gremium iactaret, pauper nõ indignaretur pro ira iacientis, sed iucundaretur pro argento G acquisito. Tertius obedientiæ gradus est, ex sola dilectione Dei, non tantum voluntariè, sed etiã cum gaudio obedire, non solũ ad facilia, sed etiam ad difficilia & dura, etiamsi ad mortẽ, sicut Christus factus est pro nobis obediẽs vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Pudeat Dei seruos tali Domino sic pigrè obedire pro regno cœlesti, sicut est consuetudinis quibusdam, cum serui sæcularium quorundam principum & nobiliũ pro incerta & paucissima mercede, tot labores in bellis, tot pericula, tot penurias, tot etiam à Dominis opprobria & verbera patienter sustineant, tot itinera longa in legationibus Dominorum promptè subeant, nec procrastinant, nec segniter exequuntur mandatum, nec difficultatem, vel pericula viarum prętendunt, nec pactum pro labore promittunt, sed incerti de præmio, in tenui spe omnia imperata perficiunt, etiam gloriantes quod præ cæteris conseruis ad tale negotium sunt electi. Vide quam seduli sunt circa Dominos, circumspicientes H in quibus eis seruire possint, & cum non tam verbum iussionis audierint, quam nutum oculorum aduerterint, statim quasi præcipites exiliunt,& auidè auscultant, quid eis placeat,& quid velint. Et licet seruorum Dei obedientia, quantum ad affectum, ex maiori feruore prodeat, tamen quoad actum ille perfectus videretur, qui ita promptus & constans esset ad omnia iussa implenda, sicut in seruis secularibus inuenitur. Sic de sanctissimo patre nostro Francisco legimus,& primis eius socijs, qui non solum ea quæ beatus pater eis verbo expressit, prompte adimplebant, sed etiam si aliquo iudicio beneplacitum eius poterãt conijcere, studiosissime perfecerunt, sicut ab ipso didicerant sancto patre. Hac virtute Abrahã obediuit exire de terra sua,& peregrinus esse in aliena, sed & vnicum filiũ suum Isaac voluit immolare. Pro hac Prophetæ & Apostoli,& alij sancti exposuerunt se omnibus laboribus & periculis, exilijs, penurijs,& persecutionib. & morti pro Christo. De hac Dominus specialiter dixit. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Semetipsum abnegat, qui sui iuris esse recusat, & totum se alterius arbitrio subijcit propter Christum.

A Sicut Christus non venit facere voluntatem suam, sed patris.

CAP. XX.

De contemptu diuitiarum, qui duplex est, & quod quatuor de causis consulitur contemptus diuitiarum, & quod tres sunt ipsius gradus.

COntemptus diuitiarum opponitur auaritiæ rerum temporalium. Hæc etiam, quandoque paupertas spiritus appellatur, quidam autem sunt pauperes rebus, non spiritu, sicut qui libenter diuites essent rebus, sed nō permittuntur, quidam vero sunt pauperes spiritu, & non rebus, qui diuitias non pro earum amore possident, sed pro amore Dei, vt cultum Dei per eas amplificent, & defendant, vel amore proximi in Deo, vt proximis inde subueniant, sicut Abraham & Iob, & Dauid, Osias & similes. Vel per obedientiam principatus, & dignitates suscipiūt, vt B. Greg. Papa, & alii S. Episcopi, qui pauperes esse elegerant, sed iussu diuino taliter factum est, vt principes ter B ræ constituerentur, dispensatores rerum Ecclesiasticarum pro aliis, in se paupertatis propositum non abiicientes, tanto nobiliores paupertatis sectatores, quanto etiam in diuitiis ab eius amore non sunt separati. Quidam vero sunt pauperes spiritu & reb⁹, qui nec habent diuitias, nec vellent habere, si possent commode, & sine peccato. Hi tanto feliciores sunt, quanto à laqueo cupiditatis elongati. Horum sunt duo genera: Primi, qui non habentes diuitias fecerunt de necessitate virtutem, nolentes habere, etiam si possent. Secundi, qui potuerunt habere, vel habuerunt diuitias, & abiecerunt eas, & recusant habere propter Deum. Contemptus autem diuitiarū duplex est, cum vel liberaliter effundūtur in pauperes, per opera misericordiæ, & ad cultum Dei largiter expenduntur, sicut S. Reges, & alii diuites fecerunt, turbas pauperum alentes & monasteria & Ecclesias ædificantes. Aut cum penitus respuuntur diuitiæ, sicut sancti fecerunt, in mendicitate, & inopia rerum viuentes, vt S. Pater Franciscus, & S. Dominicus, & alii Christi sectatores, Euangelicæ perfectio- C nis æmulatores, iuxta illud: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quatuor autem de causis consulitur diuitiarum contemptus. Prima quia earum amor retrahit ab amore Dei, & cælestis patriæ & iuxta ipsius veritatis testimonium, nemo potest Deo seruire & Mamonæ, id est diuitiis. Sicut n. de profundo terræ tolluntur, ita suo pondere ad infima terræ suos detrahunt amatores, hoc est, in profundum inferni. Timoth: Qui volūt diuites fieri, incidunt in tētationes, & laqueos Diaboli, qui mergunt homines in infernum. Secunda caussa, quia retardant hominem à profectu virtutum. Sicut enim oneratus non potest velociter currere, sic mundanis curis pressus, non potest in spiritu proficere. Si vis ergo festinare ad patriam, si vis non teneri laqueo venantium, si vis non comprehendi in via, & in captiuitatem, vnde euaseras, non reduci, proiice auaritiam, & extrahe pedem de viscosa cupiditate terrenorum. Ideo Iudæi tardi erant ad reditum in Ierusalem de Babylone, quia filios & D vxores, & possessiones iam acquisierant in Babylonia. Sic & religiosi tardius desiderant cælestia, cum in terrenis ceperunt dilatari. Tertia causa est ratione meriti amplioris, quia quanto minus tibi in terrenis indulges, tanto amplius recompensabitur tibi in cælestibus gloria sempiterna. Beati enim pauperes, quia ipsorum est regnum cælorū, id est, non portio aliqua gloriæ, sed tota gloria regni. Vnde filius Dei dans nobis exemplum perfectionis, nihil possessionis voluit habere in terra, non agros, domum, & redditus aliquos, præter solum vestitum, quē etiā permisit ante crucē sibi auferri, vt doceret nos, quod omnia derelinquere, non tantū consistit in non habere, volendo, vel sponte omnia pauperib. tribuendo, sed etiam in patienter amittendo, si habita vi tollantur. Quod plerumq; maioris est meriti, quā pauperib. tribuisse, quia rarior virtus est, illata mala æquanimiter perpeti, q̄ sponte bona operari. Cum igitur boni viri ad hoc solum vel maxime substantiam terrenam habere debeant, vt inde benefaciant, & ad meritum gloriæ æternæ expendant, quia aliter boni non essent, si terrena non pia intentione quærerent, & nō tantum ꝓpter creatorem diligerent. Debent autem ea ratione non minus gaudere, cum ipsam substantiā quocunque casu amittant, quam si eam in vsus pios expendissent, eo quod eundem fructū meriti cælestis patienter tolerata amissione, quem & in pia dispensatione consequi nō dubitant. Sicut mercator illas merces æqualiter diligit, de quibus æquale sibi lucrum prouenire confidit. Diuitias autem quærere, vt in malos vsus expendantur, in vanitates, in voluptates carnis & oculorū, impium est, quia per beneficium creatoris, largitori eorum contumelia irrogatur. Sed ad hoc eas quærere tantum, vt cumul[...] seruentur, stultum est, quia tantum valet congeries lapidum, sicut argenti vel auri, si nullo vsui impendatur. Quarta causa est, quia temporalis substantia est contemptibilis multis considerationib. ex sui natura, cum terra sit ignobilius elementū inter omnia. Item quia non multum est necessaria, modicus enim victus & vestitus, & tectum, sufficit homini pro necessitate ad viuendum, quod superest, superfluum est, Item multis est nociua, & occasio æternæ damnationis. Item multorum patet inuidiæ, quia libenter eam auferrēt habenti per multas artes. Item, multo labore & sollicitudine acquiritur, & seruatur etiam cūm periculo vitæ. Item, non satiat appetitum habentis, sed quo plus habetur, eo inquietius sititur. Item, quia tam bonis quam malis datur, ideo non sunt feliciores qui in ea abundant, immo frequentius infeliciores, quia eis est occasio multorum malorum. Item, quia diu cum homine non perseuerant, nam si aliter non amittuntur, mors separat ab eis, & nil potest homo secum post mortem deferre ex ipsis, nisi quod meruit per ipsas. Sapiens ergo debet parui pendere quod vile est, & non multū laborare pro eo, quod paruum est vtile. & fugere, quod conseruatum perit, & distributum fructificat, si in pauperes erogetur. Primus aūt gradus in contemptu diuitiarum est, nihil habere velle in iusti lucri, nec per se acquisitum, nec ab aliis datum, vel relictum, & reddere omnibus debita pro posse, & de iuste habitis eleemosynas facere, & non abuti facultate ꝓpria ad peccatum superbiæ, lasciuiæ, gulæ, & aliorum vitiorū. Tribus autem modis iniuste aliquis videtur bona facere, cum aut male acquisiuit quocunq; modo, aut ab alio datum, vel venditum, vel relictum aliquid est ei, qui ius in eo non habuit, aut cum nocuit alteri in rebus iniuste etiā si nil de illis habuit. In quantum enim teneor alteri restituere, in tantum mea non sunt mea, sed illius cui teneor. Vnde qui plus tenetur soluere certis personis, quam habeat, si dat alicui gratis de bonis suis, vnde scitur impotēs fieri ad reddendum, qui accipit scienter, debet pro eo soluere tantum, quantum accepit, cum ille non sua ei dedetit, sed quæ sunt aliorum. Secundus gradus est, nihil velle superfluum habere, sed solis necessariis esse contentum, in victu, in vestitu, hospitio, vtensilibus, & obsequentium famulatu, reliqua habita pauperibus erogare, vel non recipere oblata, nec acquirere supra necessitatem Euangelium: Quod super est, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sic monachi Ægypti, & alii similes, de labore proprio victum & amictum habentes, reliqua pauperibus erogabant seu distribuebant. Apostolus: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, sed ne nimis latos faciamus terminos sufficientiæ, sciendum, quod duplex est sufficientia, indigentiæ, & concupiscentiæ. Indigentiæ, sufficit sustentare naturam, vt possit ad seruiendum Deo perseuerare & durare. Et hanc sufficientiam natura docet, sicut videmus in irrationalibus animalibus, imo in plantis, quæ contenta sunt naturali alimento, & amplius non requirunt. Sufficientia concupiscentię excedit mensuram, limites non habet nisi impossibilitatis, hæc solum reliquit, quod non sperat adipisci. Diues auarus in Euangelio, cum vberiorib. fructibus agri se vidisset ditatum, non dixit diues sum, & abundo, plus non cupio, quia non capio, sed cogi auit horrea vetera destruere, & maiora facere. Prima horrea sunt iustæ necessitatis, hæc parua sunt, & paruis implentur, sed auarus hæc destruit, & maiora facit, id est horrea concupiscentiæ & superfluitatis, quę nunquā replentur, quia nō plura habe- rece-

A re ceperit, etiam ampliora facere disponit, ad quæ nõ sufficiunt iam habita, nisi adijciat adhuc plura, & sic procedet in infinitum. Cor auari est quasi fouea sine fundo, & quo plus recepit, plus consumit, vt nunq̃ videatur impleta. Salomon: Auarus nõ implebitur pecunia. Tertius gradus est, nihil velle possidere in mundo, & in omnib. necessariis multiplicē pati penuriam propter Deum. Hoc est efficacissimum contra auaritiam remedium, quæ sicut ignis insatiabilis, nunquã dicit, sufficit, & non extinguitur melius, nisi cum ei materia temporalis substantiæ penitus subtrahitur, hoc remedium Christus docuit verus animarum medicus,. qui in omnibus illam viam tenuit, quæ est aptissima ad doctrinam virtutum, & curationem vitiorũ. Diuitiæ n. & honores sęculi & voluptates, sunt præcipua sanctitatis impedimenta, quæ magistrum & virtutum Dominum decuit viuendo declinare, suis discipulis in exemplum. Matth. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia q̃ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Hæc est altissima paupertas priorum Sanctorum in Ecclesia; qui oĩa reliquerant propter Christum. Huic multæ virtutes, &
B plurima dona gratiarum cõnexa sunt, quæ tamen à paucis capiuntur, eo quod licet multi sint, qui quasi nihil habeant in mundo, tamen admodum rari sunt etiam in religione, qui non plus habere cupiant, vel pro se, vel pro aliis. Omne quod est melius, est rarius in hoc mundo, qui pro se sollicitus est in temporalibus, relinquitur suæ prouisioni, similiter qui habet alios prouisores, relinquitur illis Qui vero omnem sollicitudinem in Deum iactat, & omnem cogitationem suam, habet ipsum Dominũ prouisorē. Matth. Quærite primum regnum Dei, & iustitiam ei⁹, & hæc omnia, scilicet temporalia necessaria, adiicientur vobis. Qui enim ex gratia vult nobis donare cęlestia, cur non & ab eo speremus temporalia, & parua. Aut ergo dabit necessaria in quantum expedit, ad vires corporis ad sustinendas penurias, aut spiritualem dulcedinem meliorem carnali, & insuper præmium cælestε.

C

Cap. XXI.

De sobrietate, quæ in tribus consistit, & ad octo valet, & de tribus eius gradibus.

Sobrietas est virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur, in cibo, & in potu, & somno. Sumitur etiam generaliter pro moderamine ab omni superfluitate & intemperantia mentis & corporis. Vnde dicitur mens sobria, & sobrius sensus. Sed vt accipitur pro restrictione alimentorum, illa est quæ dicitur parsimonia, vel abstinentia, & opponitur vitio gulæ vel castrimargiæ, quæ est ventris ingluuies. Est autem alia sobrietas medicinæ, & alia auaritiæ, alia hypocrisis, alia paupertatis, alia religiositatis. Medicinalis fit propter sanitatem corporis conseruandam vel recuperandam. Auaritiæ ad parcendũ expensis, hypocrisis pro laude humana, paupertatis pro necessitate penuriæ. Religiosi pro virtute obtinenda, pro vitio calcando, pro pœnitentia agenda, pro ædificatione proximorum, pro gloria promerenda, pro acuendo intellectu, in sapientia acquirenda. Nam sicut fenestra obstructa limo obtenebratur, ita intellectus cibo obrutus obscuratur, sicut sæpe experimur.
D Sobrietas autem, sicut omnis virtus, tunc solum coram Deo est meritoria cum Deus est eius causa prima, & forma, id est, vt propter Deum principaliter fiat, & secundũ Deum. Sicut n. Deus mundum gubernat, vt nec plus, nec minus diligentię ei adhibeat, quam iustum est, omnem diligentiam suam, vt ita loquamur, circa cęlestia impendēs, ita & homo, cui minor mundus regendus commissus est, hoc est, corpus proprium, sic debet ei prouidere prudenter, vt nec de necessaria prouisione ei aliquid desit pro posse, nec aliquid superfluum impendatur, vt non deficiat ante tempus ex penuria vel labore, nec lasciuiat ex abundantia & quiete. Tota autem intentio debet esse circa optimũ occupata, circa pfectum animæ in Dei notitia, & amore, & in his quæ adhuc pfectum promouent & conducunt, quia anima nõ ppter corpus creata est, sed corpus ppter animam, vt illi seruiat, & cooperetur ad pfectum ptatum Anima vero propter Deum creata est, vt ei inhæreat, & inhærendo suauitate ipsius fruatur, & fruendo beata fit. Solius etiam Dei est occidere & destruere, cuius est creare, &
E viuificare, ideo, nisi eius iussu, vel permissu, nihil licet nobis destruere, quæ ipse fecit. Irrationales creaturas permittit hos occidere, sed non irrationabiliter, rationales vero prohibuit occidi, id est homines, nisi secundum leges promulgatas, Vnde iudices secundum leges diuinas iudicantes, non sua, sed Dei auctoritate male facientes occidunt, quia ipse præcepit, qui hoc, vel hoc fecerit, tali pœna puniatur. Sicut autem non licet cuiquam alterum occidere, ita nec semetipsum, cum nemo alterum plus teneatur diligere, quam seipsum. Seipsum autē occidit, qui indiscrete se per abstinentiam, & per alios labores debilitat, vt ante cogatur deficere, quam requirit ordo naturæ, licet aliquos feruor deuotionis, vel pura simplicitas excuset. Ad Rom. Rationale sit obsequium vestrum. Sobrietas in tribus consistit, in qualitate, quantitate & modo. In qualitate, vt non delicata, & preciosa, & sumptuosa requirat, sed simplicia, quibus valeat sustentari natura, & gula nõ irritari, & quæ de facili possint haberi. In quantitate, non min⁹
F nec sæpius, quam decet, sed temperate, vt sit refectio corpori, & non onus. Infirmi sunt liberi ab vtraq; hac lege. In modo, vt non importune requiratur, nec impetuose, nec indisciplinate, & inordinate sumatur, sed modeste, mature & religiose, sicut in priori forma nouitiorum tactum fuit. Sic n. sapit suauius, sumitur commodius, reficit salubrius, minus grauat stomachum, & facilius digerit, & minus peccatur, & est honestius, & religiosius. Valet autem sobrietas ad octo, quæ supra tacta sunt. Valet ad satisfactionem pro peccatis, vt sicut corporis voluptate peccauimus, ita castigatione emendemus. Item ad carnis lasciuiam reprimendam, vt quæ inpinguata insolens facta est, macerata discat spiritui obedire. Item ad corporis sanitatem, quia noxios humores desiccat, quos crapula, & quies generare consueuit. Item, ad solicitudines mũdanas abscindendas, quia qui modicis contentus est, modica habet prouidere. Item, ad multarum virtutum habilitatem, sobrius n. agilior est ad bonũ, castior, & minus ha
G bet inuidendi materiam, magis cautus in lingua. promptior ad deuotionem, & purior in affectu. Item, ad sapientiam inquirendam, quia sensum magis vigilem facit, & subtilem, & memoriam tenacem. Item ad aliorum ædificationem, quia qui exteriora ordinata vident & temperata, conijciunt quæ de exterioribus æstiment, quæ non vident. Minus etiam sumus eis graues, ad recipiendum nos ad mensam, videntes quam modicis contenti simus, quia quo plura ab hominib. petimus, eo minus aliis mendicis dandum relinquimus. Et hoc est quoddam genus rapinæ, quod à paucis aduertitur. cum aliquis vltra necessitatem veram mendicat, vnde alter magis indigens patitur detrimentum, quia postea superueniens, non inuenit, quod iste præueniens præripuit. Item, valet ad meritum tam pro seipsa, quam pro virtutib, sibi cõnexis, quia quo magis hic nobis de voluptate carnis discretè subtrahitur, eo magis & hic spiritualibus, & illic cælestibus delitiis abundamus. Primus sobrietatis gradus esse potest, à crapula & ebrietate cauere, & debita tempora, & horas in comedendo seruare, nec ieiunia statuta leuiter frangant, vel tē-
H pore incongruo epulis, & potibus temere inseruiant, & magis ad luxuriam, quam ad naturę refectionem edendo & bibendo studeant. Eccl. Veh terræ cuius Rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Pecus quod solum ventri seruire nouit, seruat in edendo, & bibendo modũ naturæ conuenientem, sic & homo debet, qui regitur ratione, aliquando melius esset ei carere ratione, quam non regi ab ea, quia non peccaret carens ratione. Secundus gradus esse potest, etiam à quibusdam licitis abstinere, vt carne, vino, lacte, piscibus, vel pulmentis, & asperiori victu contentum esse, scilicet pane rudi, & pulmento non condito, vel sæpe ieiunare, & à delectationibus abstinere & quæ appetuntur, vt religiosi & deuoti, & pœnitentes. Rom. Bonum est non comedere carnes, & non bibere vinum, & cætera, sicut Nazarei & filii Rachab. Tertius gradus est, sic domuisse gulam, & sic docuisse palatum, vt solis sit contentus, quæ extremæ sufficiant necessitati, in quali-

qualitate & quantitate cibi & potus, & quo simplicior victus, eo magis diligat, & si delicata sumere aliquando oporteat, non delectationem in eis, sed solam necessariam refectionem requirat. Posset & alia distinctio dari, de ꝓfectibus abstinentiæ vel sobrietatis. Primus videlicet gradus, patienter carere, cum non potest haberi cibus vel potus delectabilis, & non contristari, quando non habentur desideria interdum. Sicut quidam, qui quandoq; nõ habent quæ in mensa desiderant, contristantur, indignãtur; murmurant, verecundiam abijciunt, & non cogitant professionem suam, & quod aliquando diuites sæculi nõ habent omnia, quæ cupiunt, quanto magis pauperes, & mendici. Secundus gradus abstinentiæ est, velle carere ꝓ Deo etiam illis quæ possunt haberi, amore sobrietatis, & paupertatis, & boni exempli. Sic boni & fideles serui Dei, sæpe ditiores hospites prætereunt, & apud pauperes hospitantur, & lautiora fercula ꝓhibent sibi dari, contenti simplicibus & paucis amore Dei, & pro ædificatione aliorũ. Corinth. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Quia licet secundum Euangelium, comedere liceat quæ apponuntur, tñ magis ædificat, si lauta & multa nobis apponi non permittamus. Quia sicut recipientes decet liberalis hospitalitas, ita nos decet religiosa frugalitas, quã etiam fortiꝰ conuenit nos defendere, q̃ illos suam sæcularem honestatẽ, qua volunt nos abunde procurare. Quamuis autem illa vice videantur contristati, quod non permittimus, & deuotioni satisfacere, multa ministrãdo, tñ apud se nostra temperantia ædificantur, & alio tempore recipiunt nos hilarius, quo minꝰ sumꝰ eis onerosi, & vbi modo paucos receptores habemus, ibi tunc plurimos haberemus, cum intelligerent, ꝙ & pauperes nos pascere cõmode vellent. Tertius abstinentiæ gradus est, posse sine difficultate abstinere ab habitis delectabilibus, vel tãtum inde sumere puram necessitatẽ. Et q̃uis quo ad paupertatem, maior virtus sit non habere quod cupias, tamẽ quo ad fortitudinem abstinentiæ, maius est posse appetitum retrahere ab vsu vel delectatione præsentis voluptatis, q̃ absentem desiderare. Cautius aũt est, & securiꝰ fugere corporeas delectationes, quia sæpe victi sunt in certamine, qui nimis voluerunt esse securi, & qui ex præsumptione sibi victoriam spoponderant, victi & confusi didicerunt, quam stultũ est se cõmittere periculis præliorum, vbi possunt opportune vitari, difficiliꝰ in litore submergeris, quam in gurgite aquarum.

Cap. XXII.

Qualiter virtus vitiorum medium tenet, & quod vitia quandoq; virtutes se esse mentiuntur.

Sciendum tñ, quod virtus medium vitiorum tenet, & in vtroq; latere, tam à dextris, quam à sinistris vitiis est obsessa, ita vt si modice à discretionis tramite deuiauerit, iam virtus non sit. Verbi gratia. Parsimonia vel abstinentia, si metas suas excedat in superfluitate alimenti, declinat in vitium gulę, si nimis modicum admittat de necessitate alimenti, vitium indiscretionis incurrit, per quã vires corporis destruat, vigorem mentis extinguat, naturam debilitet, & bona, quæ promouere potuit, negligit, vt citius vitam perimat, vel sensum perdat, vel si vires recuperari debeant, tanta postmodum studeat cura corpus reficere commodis, & fomentis, quanta plus indiscrete eadem subtraxerat ei. Similiter contemptus diuitiarum, si vltra quam iustum est congreget temporalem substantiam, in auaritiæ vitium cadet. Si nihil temporale velit ad vsum admittere, ex tali discretione necabit naturam, fame, frigore, ægritudine. Patientia, si nimis declinet in patiendo vitia, cadet in torporem, vt zelum iustitiæ perdat, & dissimulet tam in se, quam in aliis vitia crescere, quæ deberet persequi & vlcisci. Humilitas dum se nimis timet extollere, ex indiscreta abiectione sui, perdit confidentiã salutis, vel profectus spiritualis. Charitas proximi si indiscrete teneatur, facit proximo fauere, vel cooperari in detrimentũ salutis propriæ, vt illius qui periurat amore proximi, & aliis modis. Castitatis amor aliquos virilia sibimet amputare fecit, & dum voluerunt tentationis ardorem temperare, periculo se propriæ interfectionis exposuerunt. Agilitas boni operis aliquando sic fugat pigritiam, vt quietẽ deuotionis extinguat. Spiritualis lætitia sic accidiam vel tristitiam declinat, vt quandoq; in dissolutionem incidat, & vanam lætitiam. Taciturnitas verba ociosa declinans, quandoq; vtilia & necessaria reticet, in detrimentũ ꝓximi & sui. Obedientia indiscreta, sic fugit propriæ voluntatis vitium, vt obediat superiori etiam ad peccatum, cum tamen obedire Dño magis oporteat prohibenti omne peccatum, quam cuiuis homini præcipienti peccatum, & sic de aliis virtutibus sentiendum. Et quia virtus tam nobilis est, & venerabilis omnibus, & præ omnibus, quod etiã vitiosi eam sup omnia venerentur, ideo & vitia quandoq; se virtutes esse mentiuntur, & velamen virtutis assumunt, vt aut securius dissimulentur, & non arguantur, aut etiam laudem virtutis assequantur. Vnde videmus ea, quandoq; etiam à quibusdam Religiosis, & studiose exerceri, & ex auctoritate quasi pro virtute defendi, ita vt vera virtus eis in aliis quandoq; displiceat, & eam quandoq; pro vitio despiciant & impugnent. Et interpretentur vitium, quod virtus pura est, & è contrario virtutem asserant, quod est vere vitium, sed virtutis colore velatum, verbi gratia, Paupertas spiritus, id est, voluntaria pro Christo paupertas, magna & vera virtus est, quam multi Religiosi profitentur, & tamen videmus plures sub prætextu necessitatis, pietatis, & honestatis, diuitias desiderare, in prædiis, pecunia, ædificiis, vestitu & victu, & liberis, & aliis, q̃ diuitiæ reputantur, ita vt satiari nequeant, quia si iam quod cupiunt haberent, si quis plus offerret, acciperẽt plus, vsq; ad magnam quantitatem, quod non dicerẽt, sufficit, nolumus plus habere. E contra parcẽ viuere, & paucis esse contentum, tenacitas & auaritia putatur, quasi non audeat vti his, quæ habet. Silentium tristitia reputatur, maturitas, amaritudo, zelus iustitiæ, temerarium Iudicium dicitur, quies deuotionis pigritia vocatur, corporis castigatio indiscretio cẽsetur, simplicitas, stultitia creditur, timor Dei, religiosa conscientia æstimatur, fugere publicũ, singularitas notatur, cauere scandalum, hypocrisis iudicatur. Ecce quomodo virtus proscribitur, & peruerse vitium interpretatur. E conuerso autẽ plerumque dissolutio socialis iucunditas putatur, curiositas ædificiorum, & librorum & aliorum, honestas habetur, laxa conscientia, libertas reputatur, corpus delicatè fouere, discretio reputatur, garrulitas affabilitas dicitur. Inuidia paterna, zelus iustitiæ videtur, duritia & inclemẽtia, rigor ordinis putatur, Auaritia acquirẽdi, fidelis prouisio nuncupatur, astutia, prudentia nominatur. Elatio, auctoritatis ostensio monstratur, zelus & contentio, ordinis defensio appellatur. Iactantia de bonis, ædificatio proximi vult videri, detrectatio, detestatio vitij alterius vult reputari, conformitas vitiorum vult credi fuga singularitatis esse, torpor negligentiæ, vult humilitas videri, altiora se non quærendi, pusillanimitas, timor Dei dici quęrit, inquietudo euagandi, & negotiandi, vult agilitas dici bene operandi, ꝓdigalitas, largitas vult videri, & sic de aliis sentiendum est. Inter quæ discretio spiritꝰ mediũ virtutis iter eligit, nõ declinans ad dextram vel sinistram, regia gradiens via, ne dicat bonũ malũ & malũ bonũ, ponendo lucẽ tenebras, & tenebras lucẽ, diuidens diẽ virtutis à nocte vitiorũ, ne Angelũ Sathanæ, ꝓ Angelis lucis recipiat, verum à falso distinguens, & quod bonum est tenens.

Cap. XXIII.

Quod castitas sobrietatis est filia, quę quatuor facit, de remedijs luxuria.

Castitas est sobrietatis filia, & nutritur ab ea, sicut è contrario luxuria nutritur à ventris ingluuie. Membra n. genitalia sub ventre posita, vt eius redundantia in libidinẽ resoluuntur. Sic è contrario ventris exinanitio humorem luxuriæ arefecit, sicut cũ fons obturatur, riuulꝰ ex eo ꝓfluens desiccatur. Vnde ꝓ generali regula ab omnibus spiritualibus hactenus obseruatum est: qui castus

A esse desiderat, studeat sobrietati, quia sine ea non diu castitas est secura, & cum proficiente proficit, & cum decrescente decrescit, licet quidam sine ea modo sibimet aliud, nescio qua præsumptione promittant. Omnis autem laus in fine canitur. Nec credo tot & tantos exquisitores virtutum, qui prædictam secuti sunt regulam, in sua æstimatione deceptos, vnusquisq; enim in arte sua sapiens est, & studiosi virtutum, fiunt in earum exercitiis sapientes, studiosi vero diuitiarũ vel delitiarum sæcularium, efficiuntur in earum prouisione prudentes Lucæ: Filii huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Castitas est virtus, origine cælestis, hanc S. Angeli ab ipso Domino, omnium virtutum fontali principio, primitus didicerunt, & indeclinabiliter seruauerunt. Hanc summus vnus Magister noster, q & in cęlis Angelorũ Magister est Christ⁹ Domin⁹ nobis de cęlesti schola, ad terras publice docendo attulit, & matrẽ suã gloriosam virginem, perfectam & primam post se, huius seculi disciplinam, magistrã
B in cathedra virginalis munditiæ, cæteris mirandam, & imitandam pręfecit.

Castitas quatuor facit, corpus mundificat, sicut è contrario luxuria inquinat. vt si non esset alia merces castitatis, quam pręsens munditia, nec aliud luxuriæ supplicium nisi fœditas, castitatis honestas esset amplectenda, & luxuriæ turpido horrenda. Item mentem liberam facit & expeditam, quia nec provxoris prouisione, nec pro filiorum educatione sollicitum reddit, nec affectus dilectionis ad coniugem, & filios ligat, nec spiritus zelotypiæ castum exagitat, nec sollicitus est, quomodo vxori placeat, vel qualiter hæredes diuites faciat, nec quærit generos vel nurus, nec est seruus affinium per vxorem, sibi soli viuens, & pro se solo sollicitus, in seipso quiescens. Multa sunt de quib. oportet coniugio ligatos esse sollicitos, ita quod illa carnis delectatio nullo modo est eis tam iucunda, quam anxietas variarum curarum, quas patiuntur, erit postmodũ amara, quas Apostolus tribulationes carnis appellat, à quibus casti sunt liberi, & exonerati. Corinth: Volo vos
C sine sollicitudine esse, &c. Item conscientiam lætificat, quia gratum Deo præstat obsequium, qui pro ipso illam carnis dulcedinem respuit, quam mundus pro magno cõcupiscit, lætificat autem, quia Deo placet, Deum placat, & Deo proximare facit, & Dei offensam cauet in delectatione carnali, & præmium cæleste meretur, & Dominum auctorem munditiæ per castitatem imitando sequitur. Cum sit gloria magna sequi Dominum, qui nos pręcessit in munditia castitatis, virgo virginis filius, virginum sponsus Item tam hominibus quam Angelis amabilem & expectabilem facit, hominibus, quia tam boni, quam mali venerantur eam, Angelis, quia cum naturaliter omne animal diligat simile sibi, & Angeli casti homines castos familiarius diligunt. Ad castitatis autem acquisitionem & profectum, & obseruationem, valent ea quæ supra posita sunt, de remediis luxuriæ, scilicet alienatio & separatio fœminarum à viris, & consortium contubernale castorũ, quorum exemplo castitas doceatur. Item delitiarum fu-
D ga, quæ nutriunt carnis illecebras. Item, exteriorum sensuum custodia, vt non videat, vel audiat, vel tangat vnde tentetur: Itẽ ocii deuitatio, quæ est ianua omnium vitiorum, maxime carnalium. Item custodia interiorum cogitationum & affectionum cordis, per quas coluber primo caput venenatum ingerit. Item, orationis frequentia, qua obtinetur auxilium à Deo contra omnes impugnationes.

Nota triplex est gradus virginitatis. Primus est integritas carnis naturalis, imo donum naturæ, cum quo omnes nascimur. Secundus est prædicta integritas, cum proposito eam ad tempus conseruandi, & postea nubendi, & illud non est virginitatis virtus, quamuis tales secundum vulgarem modum loquendi dicuntur virgines. Tertius gradus virginitatis est, propositum habendi & conseruandi incorruptionem carnis propter Deum. Et ista virginitas si sit cum debitis circumstantiis, est virtus, & actus virtutis. Et ista virginitas multipliciter commendatur, & plura ad eam requiruntur. Primum est cordiale, scilicet quod homo nunquam voluntarie expetiatur delectationem venere am complete, scilicet, mentem suffocantem, &

E concubitum, licet aliquando propter debilitatem, aut fluxum seminis polluatur, quamuis caro delectationem expetiatur, tamen mente non consentit. Vnde S. Lucia dixit: Corpus non inquinatur, nisi de consensu mentis. Secundum est, formale, & spirituale, & est propositum perpetuo se conseruandi immunem à voluntario experimento venereæ dilectionis. Vnde Augustinus: Virginitas est in corpore corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, id est, quod homo in proposito gerat, quod nunquam dabit voluntarie operam decisioni seminis, propter expetiri delectationem veneream. Tale propositum est actus virginitatis virtutis, quod si lapsum aliquando fuerit, potest per pœnitentiam redintegrari, licet corruptio carnis non possit recuperari. Hieronymus ad Eustauchium. Audenter loquor, cum omnia possit Deus suscitare, virginem non potest post ruinam. Tertium est, vt sic proponat homo perpetuè continere propter Deũ,
F vt diuinis rebus possit vacare liberius, non propter verecundiam aut sanitatem, aut ne oporteat procurare, & nutrire pueros, vel subesse marito, &c. Corinth. Mulier & virgo, innupta cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Profectus vel gradus castitatis pluribus modis distinguitur. Est enim alia castitas coniugalis, & castitas vidualis, & castitas virginalis. Est etiam alia castitas in actu, alia in affectu, quidam enim sunt casti corpore, sed non mente, & quidam casti mente, licet corpore oporteat eos reddere debitum cõiugale. Sed de castitatis gradibu s, sicut Religiosis conuenit, videam⁹. Primus gradus est continentia ab actu carnali, cum proposito sic manendi, & omnibus illicitis motibus consensum negandi, iste gradus, quia adhuc est vicinus terrenæ voluptati per nouitatem conuersionis, & vapor tangit eã carnalis tentationis, quasi fœtor libidinis ardentis. Ne igitur quasi vxor Loth retro respiciens pereat, festinet ad montem, sublimioris castitatis gradum laboret attingere, vt saluetur, ne pereat in scelere ciuitatis, in peccato luxu-
G riæ, quo plurimi perierunt. Primus iste gradus est adhuc in labore pugnæ, & in incerto victoriæ, dum sola volũtas cum adiutorio gratiæ pugnat contra quatuor hostes carnis pruritum, & affectionis appetitum, mundi prouocamenta ad libidinem, & Dæmonum suggestionem. Et ita sunt quatuor cõtra duos. Confidat tamen voluntas bona & inhæreat fideliter illi, qui dixit: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Qui etiã Diabolum, vt fortior, alligauit, & spolia eius diripuit, conuertet ad pacem, vel subiiciet ei exactores suos, carnis scilicet libidinosum prutitum, & affectionis illecebrosum appetitum. Secundus gradus est, cum per macerationem carnis, & per alia spiritualia studia, affectus mundatur, & caro ita spiritui subiugatur, vt rarius tentetur, & mitius, vt quamuis adhuc non plene careat concupiscentiarum stimulis, quasi spinarum aculeis, & Iebuseus adhuc inter terminos habitationis eius lateat, tamen ita depressus sit, & imminutus, vt facili labore sedetur eius commotio, &
H imperando magis, quam reluctando insurgentem compescat, nisi forte ex propria negligentia & insidia vires sumere, & grauius impugnare permittatur, sicut filiis Israel Dominus minatur, Iud. 7. quando ex negligentia propria hostes sibi à Domino subiectos noluerunt delere, quod nollet eos à facie eorum delere, vt per quæ peccauerunt, per hæc & punirentur, vnde postea sæpius ab eis sunt grauiter tribulati, & subiugati. Si hostibus vitiorum fideliter resisteremus, quando nos impugnare incipiunt, non solũ non vinceremur ab ipsis illa vice, sed etiam ita debilitarentur, quod postea rarius auderẽt nos impetere, & si impeterent, facile vincerentur, donec penitus delerentur, ꝙ vix auderent mutire. Sed tepide reluctando damus eis vires & ausum sæpius, & acrius nos deinceps impugnandi. Sciendum tamen quod aduersarius quando fortiter vincitur, aliquando diu expectat, quod de eodẽ vitio nõ impugnat, donec assuescat homo à pugnando resilire, & à resistendo imparatus existere, & tunc iterum subito ex improuiso irruit, vt improuidos tanto securius prosternat, quantum ad repugnandum inuenit imparatos. Exemplũ

de illo,

A de illo, qui super hostem irruit quando iam arma deposuit, & se ad quiescendum exposuit, vel adiutores suos post prælium à se dimisit, quia imminentis pugnæ suspitionem non habuit. Sic hostes Iuda bellum constituerunt populo die Sabbathi, in quiete & otio, & ita plurimos occiderũt. Semper igitur simus parati hostibus viriliter resistere, quia ipsi non quiescunt nos impugnare, etiam cum videntur quiescere, quia hoc ipsum cessare ab impugnatione, impugnare est, quia illud cessare, non clementiæ eorum vel lassitudinis, sed astutiæ & fraudis est. Reg.4. Ne sciant, sed ignorent donec veniamus in medio eorum, & interficiamus eos. Prouerb. 26. Intelligitur inimicus cum in corde tractauerit dolos, quando submiserit vocem suam, à suggestione cessando, ne credideris ei, quia septem nequitiæ sunt in corde illius, qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius. Tertius castitatis gradus est, ita edomitas habere carnis concupiscentias, quod vix rarissime

B & tenuissime sentiantur, & ex affectu talem induisse castitatis affectionem, vt horreat & ita detestetur omnes carnales motus, quod quasi nauseam inde patiatur, nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore cordis & execratione. Si quando vero pro vtilitate aliorum, de matrimonii casibus aliquid tractandum occurrit, ita quietos motus suæ carnis sentiat, ac si de luto, vel lapidibus, vel similibus tractetur. Et cum in sopore somni humorum redundantia naturaliter se resoluit, ita quiete & insensibiliter profluat, vt nec turpium phantasiarum imaginationibus illudatur, nec sensu fœdæ delectationis titilletur. Ista est perfecta castitatis descriptio, prout in hoc peccati corpore potest à raris perfectissimis obtineri, vt autem stabiliter in hoc gradu & continue perseueret, puto ad hoc requiri priuilegium singulare, & quod super naturalis possibilitatis metas esse videatur, in carne viuere, & carnis vitia non sentire. Frigidi tamen, vel ex natura, vel ex debilitate corporis, carnis motibus carere plerumque possunt, sed mentis castitas, cum prædicta carnis puritate, ex sola virtute cum Dei gratia possidetur. Vnde Propheta hoc quasi

C prodigium miratur, cum dicit: Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella tentationum carnalium, vsque ad fines terræ, id est, vsque ad extremos motus. Ad custodiam castitatis & virginitatis, & ad expugnandam contrariam eius luxuriam, sunt plura iuuamenta. Quia dicit Augustinus in de agone Christiano: Quod inter omnia Christianorum certamina duriora sunt prælia castitatis. Primum est fuga. Gregorius: Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant. Nam quandiu vitalis calor viuit in corpore, nemo præsumat ignem concupiscentiæ in se penitus extinctum esse. Secundum est contubernium luxuriosorum vitare, Require de remediis luxuriæ ante. Tertium est custodia exteriorum sensuum. Quartum est repressio cogitationum prauarum, & affectionum carnalium. Hieronymus: Cogitatio est velut antiquus serpens lubrica, ita quod nisi capite teratur, totus statim illabitur, quare capiti, id est, cogitationi statim obuiandum est. Quintum est corpus nõ souere delitiis, nec nutrire delicate vltra necessitatem debitæ sustentationis. Hieronymus. Venter mero æstuãs facile spumat in libidinem. Sextum est appo-

D sitio alicuius molestæ afflictionis carnalis. Hoc remedio fuit Episcopus vsus quidam, qui fecit catenulam ferream, vt vehementer pungi posset sine sanguinis effusione. Nullum est enim animal adeo insanum, quod non verberibus etiam à natura sua & consuetudine mitescat. Vnde Apostolus: Castigo corpus meum, &c. Septimum est ocium fugere, & omni tempore vtili labore intendere, orationi, lectioni, meditationi, &c. Octauum est, vt homo frequenter, & potissime tempore tentationis cogitet mortem propriam, & statum ac dispensationem carnis post mortem, quam horrenda erit, cuius delectationem nũc quærit, cuius concupiscentias nunc sequitur. Sicut quidam iuuenis recepit caput cuiusdam speciosæ mulieris defunctæ, postquam putrefacta fuit caro, & semper secum habuit, & sic ardor concupiscentiæ in eo extinctus fuit. Et quidam aperuit sepulchrum amasiæ, & nudum cadaueri se inuoluit, dicens; sume quod desiderasti. Nonum remedium est fre-

E quens & deuota oratio. Psalmus. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum laborat, qui custodit eam.

Cap. XXIV.

Quod homo debet in se quiescere & vacare Deo, & quod in tribus vacandum est.

Sequitur ergo, vacate & videte, quoniã ego sum Deus, & exaltabor in gentibus, &c. Vacatio, vocat quietem, visio, intentionem, quia bellis vitiorum sopitis, & hostib. subiugatis mens iam valet in se quiescere, & Deo intendere, & intelligere quomodo ipse est Deus, qui tam potenter potuit, & tam piè voluit impetus tentationum, & vitiorum comprimere, & pacem, quam per scripturas sæpe promittit, hominibus bonæ voluntatis donare. Leuit.26. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit qui F exterreat, auferam malas bestias, &c. Qui Deo vult intendere, necesse habet vacare, & se super se leuare. Threnor.3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se supra se. Psal. Elongaui fugiens, & mansi in solitudine, expectabam qui saluum me fecit. Vacandum est à concupiscentijs, & perturbationibus, & ab occupationibus mundanis. Ista tria maximè impediunt vacationem spiritualem. Qui autem nihil concupiscit in mundo, pro se, vel pro charis sui, iam non habet, vnde perturbetur, quia nihil timet amittere cõmodi, honoris, vel rerum. Et si eximat se à factis alienis, vt nec curiose discutiet, nec temere iudicet ea, nec occupetur cogitando ea & tractando, potest se tanto liberius ad interiora transferre intuenda, quantò exterioribus magis est expeditus. Nam si superioribus vult intendere, debet ab interioribus liber esse. Auis si habet pennas ligatas, vel infectas aut præcisas, non potest se in alto volando subleuare. In spiritualibus illa sunt superiora, quæ interiora, quo ad experientias spirituales. G

Cap. XXV.

Quibus passibus ad contemplationem veniamus, & quomodo memoria Deo intendat.

Et quia de voluntatis profectu supra tractatum est, quæ consistit in ordinata dispositione affectuum, in qua attenditur actiuæ vitæ perfectio, consequenter & ad contemplatiuæ vitæ profectum appropinquare considerationis passibus studeamus. Eo quod volentibus in spiritu proficere, etiam istud non inutile videatur, dictum est enim supra, quod perfectio spiritualis vitæ, in tribus principaliter constet, in rationis illuminatione, in voluntatis rectitudine, & in memoriæ iugi circa Deum occupatione. Memoria vt in Deum intendere iugiter assuescat, eiq; inhæreat, eiusque vias terere & frequentare addiscat, quæ sunt, lectio, collatio, meditatio de Deo, oratio, & cõtemplatio. Lectio bona sunt quasi semina & materia meditationis. Vnde qualia vis tibi meditanti vel oranti occurrere in cogitatione, talibus colloquijs, vel lectionibus aut negotijs prius occupare stude memoriam, quia qualis liquor H vasi infunditur, taliter redolebit, & quales herbas in cordis horto plantaueris, talia semina germinabunt. Collatio spiritualis instruit intellectum, affectum inflammat, memoriam bonæ cogitationis prole fœcundat. Sic è conuerso ociosa confabulatio, tempus perdit infructuose, affectum infrigidat, inutiles cogitationes cordi inserit, cõscientiam rodit, profectum spiritualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur, de qua postea non sit inutile in oratione cogitare, quæ illuminet ad Dei notitiã, accendat ad eius amorem, mores bonos instruat, animet ad toleranda aduersa, mundi contemptum ingerat, & desiderium patriæ cœlestis, doceat discernere inter vitia & virtutes, & vincere tentationes, & alia vtilia ad salutem.

Lectionem sæpe interrumpat oratio, sicut & alias actiones, vt sæpe mens ad Deum eleuetur, à quo omne bonum nobis fluere necesse est.

A

Cap XXVI.

Quod septimus processus religionis, in sapientia consistit.

Septimus profectus, siue status vitæ religiosæ, in sapiētia consistit, habens intelligentiæ lumen, & suauitatis internæ saporem. Ecclesiast. Sapientia secundum nomen eius, i. sapida scientia. Intentio nostra aliquando mouetur pro Deo, aliquando ad Deum, aliquando in Deum. Pro Deo mouetur in actione, quam pro ipso principaliter facimus, licet de ipso interim non cogitemus. Ad Deum mouemur, in lectione, in collatione, & aliqua meditatione quæ de Deo est, eò quod tunc mente versamur quodāmodo circa Deum, sed in ipsum, quasi ad secundam personam mentis intuitum nō dirigimus. In Deum mouetur in oratione, qñ mens ipsum cogitat, & ipsum alloquitur, & ipsum amplectitur, quia ei affectu deuotionis adhæret. B Quod autem horum vtilius sit, simpliciter sciēdum, quod illud, quod magis vnit hominem cum Deo, cum tota beatitudo hominis sit in Deum transformari. Alia tamen, quo ad aliquid, quandoq; vtiliora sunt, vt cum propter obedientiam vel charitatem proximi, oratio intermittitur, & operibus pietatis insistitur, vel cùm discitur, in quo magis ad Dei placitum seruiatur, &c.

Cap. XXVII.

De tribus modis orandi, & attentione triplici, & quod secundum diuersas causas, affectus diuersarum personarum format voces in oratione.

Orandi tres sunt modi, vnus vocalis, & per verba cōposita & vsitata, sicut Psalmos, Hymnos, Collectas, vel alias orationes & laudes compositas, quæ ad excitandam deuotionem, vel soluendum debitum recitamus. Intente autem & distinctè debent recitari, vt orationis for- C mam & meritum possint habere. Qui cum principe terræ, & pro sua vtilitate rogare desiderat, linguam, & mētem, & oculos, & mores compositos habere laborat, & attendit quomodo ordinate verba proferat, ne per indisciplinam preces suas viles efficiat, & ingratus principi propter insolentiam fiat. Cum oramus coram magnis principibus, sanctis angelis apud summum Regem Deum, cōtra aduersarios nostros dæmones causam proponimus, qui studiose obseruant, si in aliquo nos possunt accusare, vt causa nostra minus fauorabilis reddatur, & petitio nostra cassetur. Vt autē magis attente oremus, pedes, manus, oculos, aures, mentem, sub disciplinæ custodia teneamus. Pedes ne leuiter discurrant, manus ne aliis occupentur, oculos ne curiose vagentur, aures, ne auscultent quæ ad rem nō spectant, mentem, ne cogitet alia, quam quod orat, & psallit. Triplex est attentio ad ea quæ psallimus & oramus, vna superficialis, qua attendimus vt sciamus quem psalmū, vel antiphonam, vel versum, vel oratione dicamus, vel dixeri- D mus, maxime in horis canonicis, quia debitū non persoluit, qui non attendit si dixerit id quod debet. Ne ergo cogamur iterato repetere, saltem superficialiter attendamus ad ea quæ non licet prætermittere quin dicamus. Secunda est literalis quādo attendimus quid litera exterius sonet, & verba quæ ore terimus, memoriter masticamus, vt non solū in quo psalmo, sed in quo versu & clausula interim simus, vigili memoria teneamus. Hæc attentio non tantum persoluit debitū orationis, sed etiā ab euagatione vana mentē defendit, & ligat in bono cogitatu. Tertia est intellectualis, quando ex verbis literæ, exurgit dulcedo spiritualis intelligētiæ, & affectus deuotionis exprimitur, quasi de petra oleum, & mel de saxo durissimo, &c. Bernard: Mel in cera est, in littera deuotio, tñ illud terere fidelis & prudēs anima non omittat quibusdam intelligentiæ dentibus, ne forte si integrū glutiat & non mansum, frustretur palatus sapore desiderabili super mel & fauū. Verba sacræ scripturæ intus sunt plena suauitate, ideo quasi vbera premenda sunt per actionē, & exprimēda est spiritualis dulcedo, quasi pinguedo butiri. Prouerb. Qui fortiter premit vbera ad

E eliciendum lac, exprimet butirum. Lac est literalis sensus, quo paruuli aluntur, vt crescant ad butiri maturiorem cibū cum melle comedēdum, id est, intellectum spiritualem cum sapore dulcedinis in affectu deuotionis gustandum. Qui verba orationis vel Psalmodiæ sine attentione recitat, quasi qui fructum cum cortice, vuā cum felle, mel cum cera non masticatū deglutit, venter oneratur, & guttur strangulatur, nec reficitur. Sic & nos cum non attente psallimus, conscientia quasi inflata remurmurat, & mens arida fastidio strāgulatur, nec affectus pascitur, nec intellectus delectatur. Prima intentio cibat quasi furfure grosso & insipido, tertia quasi medulla simulæ, subtili, cādida, saporosa, media, vtroq; cōmixto, furfures dantur animalib. panis cibarius seruis, simula filiis. Ne tamē omnino frauderis alimento cœlestiū ferculorum, si non vales continue intentus esse his, quæ psallis, saltem interpolare & quanto sępius ac diutius præuales attende. Sicut serui coram mensa Dominorum suorum, discurrentes, si non possunt quiete pasci & epulari, sicut Domini, tamen raptim aliquoties F aliquos morsellos ori suo ingerunt, ne omnino remaneāt inanes. Quot n. Psalmi, quasi tot fercula orantibus apponuntur. Illa a. mentis euagatio, aut prouenit ex nouitate cōuersionis, dum nondum exercitata est, &, vt ita dicam, domita, vt non hinc inde vagetur, aut ex negligentia inolitæ consuetudinis, dum nō studuit se restringere à leuitate noxiæ libertatis. Vnde si quandoq; vult se à tali euagatione reuocare, iterum consuetudo reuocat ad priora. Aut ex aliqua occupatione mens à se distrahitur, dum plurib. intentis minor est ad singula sensus. Debilitas etiam capitis quandoq; pro tanto excusat intēdere Psalmodiæ non valentem, cū detrimento tamen meriti, & consolationis spiritualis. Nam etsi ipsa debilitas & bona voluntas sint in se meritoriæ, tamen caret merito attentionis & fructu cōsolationis, qui inde haberetur. Obsta ergo in principio huic morbo, tunc est cura facilior & vtilior. Secundus modus orandi est, per verba ex proprio affectu formata, vt cū homo cum Deo familiariter confabulatur verbis suis, vel etiā G vtitur verbis alterius, affectui suo tunc cōsonantibus, quasi coram Deo præsente cor suum effundens, & vel necessitates suas ei conquerens, vel peccata confitens, & misericordiam postulans, & gratiam petens, & auxilium implorans contra tentationum pericula, & tribulationum grauamina, vel quascunq; suas vel suorum necessitates. Hic modus orādi magis requirit opportunitatē solitudinis, vel silentii circa se, & ocii, & quietis, quo plenius & securius se in Deum effundat affectus. Maior etiam labor est in eo capiti & corpori, & ideo non potest ita frequens esse, vel durabilis, sicut prior in prima & secunda intentionis specie, maxime debilib. corpore. Et aliqui indiscrete eum frequētantes destructi sunt. Vnde tales sæpe & breuiter sic orent, & leniter, vt ex frequentia à Dei familiaritate non elongētur, & ex breuitate & lenitate non destruantur. Secundum autem diuersimodas causas hic modus diuersarum personarum format affectus, & voces in orante, & diuersarum personarum imagines in eo quem orat. Aliquando n. homo personam rei assumit coram Deo iudice, astās cum tremore, orans & dicens Deo: Noli me condemnare. Item, H non intres in iudicium cum seruo tuo. Item: Domine ne in furore tuo arguas me, & his similia, hoc est, quod dicimus: Sed libera nos à malo, scilicet, damnationis æternæ. Aliquando quasi obsessus ab hostibus tentationum & tribulationum, & non valens per se effugere, insuper timens se offendisse Dominum, & per peccata sua meruisse, vt tradatur hostibus, inuocat auxilium potentis, orans, ne memor iniquitatum eius, derelinquat eum, dicēs. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Itē, ne proiicias me à facie tua. Et Iosuæ 10. Ne trahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, cito libera nos, cōuenerunt n. aduersus nos omnes Reges Amorræorū. Pręter finalem enim damnationē nulla Dei ira grauior, quam non defendere à peccato. Hanc maxime meretur superbia, & ingratitudo & incuria, vt homo profundius cadere permittatur. Contra hoc est quod oramus, Et ne nos inducas in tentationem peccati: Inducere Deus dicitur, cum

A non custodit, ne inducamur, sicut indurare dicitur cor peccatoris, cum per gratiam non emollit internæ vnctionis. Hoc maximè in pugna tentationis, & tribulationis onere timendum est, ne suo pondere nos opprimat, & in peccatum deijciat, alioquin optanda esset tribulatio non horrenda, quia animarum purgationem redderet, & maioris esset meriti, viriliter tolerata. Aliquãdo quasi seruus, qui gratiam Domini peccãdo perdidit, supplicat sibi peccata sua & negligentias ignosci, quas commisit omittendo debita, & perpetrando illicita, vel etiam ea quæ debuit negligentius & impurius persoluendo, dicens: Secundum multitudinem miserationum tuarum Domine dele iniquitatem meam. Item, propter nomẽ tuum Domine propitiaberis peccato meo, multũ est enim. Et similia in hoc petimus dicendo: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quia ea benignitate debemus dimittere in nos quolibet modo peccantibus, qua desideramus nobis dimitti quod peccamus. Aliquando
B quasi mẽdicus & pauper coram diuite patre familias procumbens & inopiam suam ostendens, flagitat panem gratiæ amplioris, quo confortetur, quo consoletur & sustentetur ad resistendum malis, ad insistendum bonis, & subsistendum in aduersis.

Cap. XXVIII.

Quod homo triplici pane indiget, & quod anima in vno dilecto quiescere desiderat, & quod beneficia Dei septem operantur virtutes.

TRiplici autem pane indigemus, quos nobis ab amico commodati instanter poscere debemus, hoc est, cœlestis, spiritualis, & terrestris. Cœlestis est corpus Christi. Ioan. 6. Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Spiritualis est verbum Dei, & gratia interna, mentem ab interiori inedia donorum virtutum alimento reficiens. Psalm. Et panis cor hominis confirmat. Terrestris est victus & alimenta, quo corpus hic sustentari necesse habet, hunc pe-
C timus dicendo: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sine quo nullo die subsistere valemus, omni enim hora Dei gratia indigemus, & ideo semper eam postulare iubemur ad omnia aggredienda. Aliquando homo quasi filius patri per omnia parere & placere affectans, patrẽ deuotẽ orat, vt eum à voluntatis suæ beneplacito in nullo discrepare patiatur, in actibus, & voluntatibus, & morib. eum sibi ita conformem faciens, vt nil in eo paternos oculos offendat, hoc solum sibi reputans solatium, & super omnia desiderans, vt pater cœlestis tantum suam cum eo voluntatem perficiat, siue exercendo in aduersis, siue consolando in prosperis, siue deprimendo, vel quocunq; modo sibi magis placet. Verè filialis & fidelis affectus est, nulla quæ sua sunt quærere, non commoda, non honores, non consolationes, sed solummodo placitum pij patris. Magnum est hoc à Deo petere, & magnum obtinere, vt tales nos in hoc peccati corpore faciat, vt illi summæ veritati
D placeamus, & ab eius directionis regula non deuiemus. Nihil melius, nil vtilius in mundo posset nobis conferre etiam ipse summus pater, quam tales nos facere, vt ei per omnia placeremus. Psal. Ad te Domine confugi, doce me facere voluntatem tuam, hoc petimus, cum dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra, vt sicut illi superni ciues ad voluntatem tuam sunt dispositi, & ita nos hic pro modulo nostro ad voluntatis tuæ beneplacitum disponamur. Aliquando enim anima, quasi sponsa Dei, in ipso vnico dilecto suo quiescere desiderans, & eius frui solum amplexibus ardenter sitiens, pro cuius amore omnia ei inferiora viluerunt, quia sitim suam aliter temperari nõ sperat, nisi tota illuc transeat, vbi eum facie ad faciem irreperculsa videat acie, flagitando precatur, hoc citius adimpleri, cum Apostolo dissolui cupiens, & esse cũ Christo. Quia iusto melius est, tam iucunditate fruitionis Dei, quàm securitate euasionis omnis mali, & quia magis esset ad placitum ibi summæ veritatis, quam possit in hoc corpore, quãcunq; proficiẽs fieri. Quia dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino, & in multis offendimus omnes,

E ita vt si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Cum enim peccatũ dicatur auersio à summo bono ad bonũ inferius, in quantum inde auertimur, in tantũ peccato non caremus, & qui magis auettitur, magis peccat, & qui minus, minus. Inde autem nihil auerti, non est peregrinantium, sed peruenientium, quia etsi voluntatis intentio vtcunq; ei adhæret, affectus tamen sæpius hinc inde distrahitur, memoria multis alijs occupatur, & intelligentia cæcutiens ipsam veritatis lucem purè non intuetur. Et ex his fit, quod aliquando in istis inferiorib. impingimus, & impellimur, vt cadamus, nisi Dominus manum suam supponat, vt non collidamur. Inde gemens dicit Propheta: Sitiuit anima mea ad Dominum viuum, veniam & apparebo ante faciem Dei. Hoc oramus cum dicimus. Adueniat regnum tuum. Ac si dicamus: pondere peccati & corporis prægrauati, nõ valemus ad id volare, adueniat ergo regnum tuum, & nos celeriter hinc assumat, vt ab ista miseria liberemur. Interim in nobis
F operare tuum regnum, in iustitia, & pace, & gaudio spiritus Sancti. Aliquando quasi inebriatus Spiritu, & immemor suimet, homo Deo deditus, & ei per amorem inhærens super omnia ipsius honorem & gloriam promoueri, & eius notitiam ad omnes dilatari desiderans, tam pro illius gloria, quam illorum salute orat patrem, vt sanctificationis suæ notitiam omnib. manifestet, & infideles ad cognitionis suæ lumen vocando per fidem, & fideles ad sanctificationis suæ gratiam conuertendo per amorem, & rebelles per ostensionem suæ potentiæ vtiliter confutando, & quasi non possit, nec velit, sine alijs cœlesti gaudio frui anhelat & satagit, plures secum trahere orando, docendo, bonum exemplum præbendo, & quocunq, alio modo honorem Dei & proximorum salutem, & profectum spiritualem promouendo. Ex hoc affectu videtur loqui Apostolus, ad Rom. 9. Tristitia est mihi magna, & dolor continuus cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis &c. Moses quoq; eodem affectu, videtur orasse dicẽs Exodi 32. Aut dimitte populo tuo
G hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, in quo me scripsisti. Non quòd vel Apostolus à Christo vellet separari, vel Moyses deleri, sed quod affectum, quẽ ad proximorum salutem habebant, euidentius exprimere nõ valebant, quasi non reputantes sibi esse plenum gaudium introduci ad epulas cœlestes, illis quos diligebãt, & pro quibus mori optabant, foris fame cruciatis. Hoc oramus cum dicimus, Sanctificetur nomẽ tuum, vt nominis tui sanctificatio nobis plenius innotescat, quo te perfectius agnoscere, & amare, & reuereri possimus & sanctitatis tuæ similitudine, tibi pater, sicut veri filij, conformemur, vt vnus tecum spiritus efficiamur, in tuam transformati claritatẽ. Hanc orationis formam Christus docuit, & in his septem petitionibus omnia petenda conclusit. & orationum affectus comprehendit, sicut patet diligenter intuenti. Dignitatis autem ordinem in petendis seruauit, & ideo quæ hic vltima ponitur, illam ipse primam ponit. Quis autem plus petere potest, nisi liberari à malo futuræ damnationis, custodiri in discrimine præsentis tribulationis, peccata nobis ignosci, gratiam augeri & infundi, & vt ad voluntatem
H Dei viuamus, & regnum eius consequamur, & honorem nominis eius videamus ad omnes peruenire, & sanctitatẽ eius ab omnibus agnosci & imitari. Siue sigillatim istorum siue commixtim quicquid oramus ad aliquid vel aliqua respicit, quia aliquando pro vno obtinendo singulariter oramus, aliquando duo vel plura simul petendo proponimus. Et sicut solent orantes coram principibus, vt petitio eorum sit efficacior, modo commendare ipsius clementiam quem rogant, modo proprias aggrauare miserias, vt ad misericordiam citius flectatur, modo aduersarij accusare fraudes, & malitias, vt sibi sit in auxilio, hosti verò in odio, Sic & nos in oratione facere coram Domino sacræ scripturæ eruditione docemur.

Cap. XXIX.

De duabus alijs speciebus orationis.

SVnt adhuc duæ species orationis, scilicet, gratiarum actio, & vox laudis, largè sumpto nomine orationis, secun-

secundum quod oratio dicitur pia mentis in Deum intentio. Gratiarum actio est, omnia bona à Deo data sentire, & pro his eum laudare corde, voce & opere. Gratias agimus, cum bona quæ accepimus, gratiæ, non meritis adscribimus. Laudare Deum est, Deum laudabilem intelligere, & eius magnificētiam cum exultatione, admiratione extollere, vel pro eo quòd in seipso est, vel pro alijs quæ facit. Gratias Deo agimus, cū de bono quod nobis de ipso profluit, eius bonitatem commendamus. Ad gratiarum actionem pertinet, beneficia quæ accepimus diligenter recolere, subtiliter intelligere, fideliter confiteri, studiosè cōseruare, beneficium diligere, & ei promptius seruire, & eius offensa cauere, & gratiam acceptam non odiosè negligere. Sicut ille, piger seruus, qui abscondit pecuniam Domini, sed ad id, ad quod datur, eam exercere, & inde non insolescere vel extolli. Ad gratiarum actionē accendit septuplex consideratio, triplex circa ipsum beneficium, duplex circa benefactorem, duplex circa eum cui præstatur beneficiū. Beneficium commendatur, si est nobile & preciosum in se, si est vtile accipienti, si est multiplex & sæpius iteratum. In benefactore duo cōsideranda sunt, si sit magnæ dignitatis, si magno affectu dat beneficium. In illo cui præstatur, duo similiter consideranda sunt, si vilis est & contemptibilis, si indignus & immeritus, quod modo nō meruit, sed demeruit, vt tale beneficium perciperet à tali, hæc omnia in diuinis beneficijs excellentissimè reperimus. Ipse dator est summus omnium, & immensæ dignitatis, à quo magnum est, si dignetur etiam cogitare de nobis. Tanto etiam affectu & beneuolentia dat beneficia homini, vt si etiam modica daret gratanter essent recipienda. Charitas enim eius supereminet omni scientię, quod à nullo sensu potest æstimari. Ipsa beneficia eius, quibus in nobis operatur saluē, tam preciosa sunt, quod nullo precio sunt cōdigna. Quid enim potest condignum gratiæ Spiritus sancti excogitari, quam dat fidelibus suis, vel corpori Christi? & sanguini? & gloriæ cœlesti? præter alia absque æstimatione & numero quæ ab eo percipimus. Quanta vtilitas nobis ex his donis proueniat, penset qui valet. Prima iustificatio à peccato, secunda gratia sanctitatis, tertia adoptio filiorū Dei, quarta interna deuotio, quinta defensio à periculis, sexta consortium angelorum, septima beatitudo corporis & animæ ex visionis Dei fruitione. Istæ & aliæ sunt vtilitates beneficiorum Dei, in his omnis felicitas cōsistit, quam sæpe ista conferat attende. Quoties enim perdimus per peccatum gratiam Dei, toties reddit nobis offerendo, si volumus recipere. Item quoties abutimur donis eius, vel negligentes sumus in eius seruitio, vel ingrati, vel elati de donis eius, toties meremur ea amittere, siue sint spiritualia dona, siue corporalia, vel temporalia, & quoties non aufert cum demeremur, toties dat. Quibus autem tanta beneficia præstet tantus Dominus, in promptu patet. quid enim sumus, nisi puluis & fimus, miseri, inopes, repleti multis miserijs, expositi omnibus periculis & pœnæ, nihil. Adde quòd cum ista vilitate Deo omnipotenti rebelles sumus, & pro dilectione & beneficijs reddimus ei contumelias & contemptū, inobedientes, negligentes, ingrati, & elati. Quanta ergo pietas Dei illis tanto affectu & studio sic benefacere, qui beneficia eius nec agnoscere, nec conseruare, nec digne recipere student. Benefacere promerenti iustum est, benefacere nihil merenti, sed tamen humiliter petenti, pium est, pijssimum autem, & nisi diuini cordis est, benefacere contemnenti, & aduersanti, & hoc vili & seruo proprio, & figmento suo. Gratiarum actio meretur bona accepta conseruari & augeri, & ad maiorem profectum conuerti, & maiorem fructum inde prouenire, verbi gratia, Qui dono sapientiæ gratus fuerit, quod accepit conseruatur in eo ne perdat, augetur vt plus & plus sapiat, & vt maior inde vtilitas proueniat, tam in proprio merito, quam in aliorum ædificatione. E contra ingratitudo meretur amittere quæ habet, nec alia accipere, & quę retinet infructuose tenere & fraudari præmio, & maius supplicium mereri pro negligentia & contemptu sui. Cui plus donatum est, plus repetet ab eo. Ex semetipso potest quis perpendere, quam detestabile vitium sit ingratitudo, cum hoc omnes odio habere soleant in alijs quibus benefecerunt, si nullas vel paruas ab eis inde grates receperint, vel amorem. Et ideo non indignationis est, sed clementiæ in Deo, quandoq; negare petita ingratis, ne forte grauioris culpæ reatū incurrant, si pluribus beneficiis acceptis plus fiant ingrati. Laudatio Dei dignissimus est affectus, & nascitur ex consideratione diuinæ bonitatis, & examinationis profunditatis sapientiæ Dei, & ex stupore altitudinis diuinæ potentiæ, & maiestatis immensitate, quæ de ipso vel per doctrinā fidei intelligimus vel operum eius vestigia colligimus, vel per illuminationem, inspirationis internæ purę mentis intuitu contemplamur. Omnia quæ de Deo secundum veritatem cogitari vel dici possunt, vel sentiri, non nisi laus ipsius sunt, eo quod nihil in Deo sit, nisi summè laudabile & amabile, & venerandum & quanto perfectius cognoscitur, tanto verius laudatur, & ardentius amatur.

Cap. XXX.

De septemplici diuinæ laudis materia, & de septem primorum dierum significatione.

Diuinæ laudis amplissima est materia, quia tam ipsa Dei natura, quam omnia opera eius, docent eum super omnia laudabilem esse. Laudare Deum, est eum laudabilem agnoscere vel ostendere. Vnde sancti omnes creaturas, non solum rationabiles creaturas, ad Dei laudem inuitant. Quia omnia opera eius ostendunt eum laudabilem, in se, & in omnibus agnoscitur eius virtutis potentia, & prouida sapientia eius, clemens misericordia, benignæ patientiæ tolerantia, iusta meritorum retributio, larga remuneratio, & incomprehensibilis super omnia dignitatis eius excellentia. Secundum ista septem, intelligimus septemplicem laudis diuinæ materiam, cui omnia, quæ laudem Dei sonant, possunt includi. Sex enim sunt principalia Dei opera, ad quæ alia omnia reducuntur. Septimū vero non est opus, sed ipse operans Deus in se quiescens, & ab omnibus operibus suis superelevatus: Horum figura sunt opera primorum sex dierum, quibus Deus omnia fecit, & in septimo perfecit & compleuit, quæ fecerat sex diebus, sed cum omnia fecisset Deus sex diebus, & nihil in septimo legatur addidisse, quo facta perficeret, sed potius ab omni opere cessasse, & requieuisse, quomodo ea perfecit? nisi quia per hoc nobis datur intelligi, quia omnis creatura de se imperfecta est, & ipse Deus est omnium operum suorum perfectio, & in ipsum reflectitur omnis creatura, à quo fluit, sicut in primam causam. Ex ipso prodierūt causaliter, per ipsum subsistunt, in ipsum reuertuntur, vt omnia ab ipso beatificentur, & hoc fit per glorificationē rationalis creaturæ, in qua clauduntur omnes aliæ creaturæ, cum propter rationalem creaturam omnia reliqua sint creata, & ipsa sit omnium capax per intellectum, & naturæ similitudinem. Et hoc maximè apparet in homine, cui ad seruiendum omnia ista visibilia sunt creata. Vnde etiam homo dictus est, omnis creatura, & continens omnia in se. Primum opus Dei potest dici creatio, in quo laudabilis apparet mira virtutis potentia, quod tam magna, tam multa, tam varia, tam solida, tā nobilia virtute plena, potuit sic facilè, sic subitò, sic decenter ex nihilo producere, & super nihilo locare, cum extra mundum nihil sit, super quod mundi moles, quasi super basim collocatur. Sapient. Si virtutē & opera eorum, id est, visibilium factorum mirati sunt, intelligant ab ipsis, quoniam hic qui hæc constituit, fortior est illis. Secundum opus Dei est vniuersorum gubernatio, in quo euidenter apparet laudabilis sapientia prouidentiæ Dei, quia nihil omnium quæ sunt, à maximo vsque ad minimum, latet eius scientiam, sed omnium nouit proprietates, virtutes, operationes, & singulorum multiplices rationes naturales & causales, quare singula sunt, sicut sunt, & non aliter. Et hæc omnia sic præordinat, vt quasi naturaliter & causaliter videantur fieri, & tamen ita deliberata sunt in eius prouidentia, vt nusquā excedant dispositionis eius limites, & omnia bonis cedant in bonum per eius prudentiam, & malis in malum per eius æquitatis iustitiam. Et licet in his & in aliis specialiter dicatur laudabilis

A iudicij eius potentia & prouidentia, vel alia in Deo laudabilia, tamen in singulis eius operibus omnia simul intelliguntur, sed causa breuitatis transeo. Tertium opus Dei est, humani generis redemptio, in quo specialiter apparet laudabilis eius clemens misericordia, qua nostræ miseriæ compatiens, decreuit nostram naturam assumere, & debitum satisfactionis nostræ, pro peccato nostro, moriens exsoluere, & sic de mortis debito eripere, & in pristinam restituere dignitatem. Quid clementius, quid misericordius cogitari possit? Quam summum Dominum pro vili seruo fieri minimum, innocentem pro reo liberando se morti tradere, pro inimicis glorificandis inglorium fieri, & ab ipsis, pro quibus patitur, se occidi permitti. Quartũ opus Dei est, opus iustificationis nostræ, in quo laudabilis apparet benigna diuinæ patientiæ sustinentia, qua peccatores non solum patienter tolerat, sed & benigne à peccato defendit, & gratiam merendi donat, & occasiones merendi prouidet, & sacramenta, quasi vasa gratiæ instituit,
B vt per ea infundatur gratia iustificans à peccato, & spiritum suum dat fidelibus ad compunctionem, ad eruditionem, ad consolationem, ad varias virtutes, & gratiarum operationes, faciens de inimicis amicos Dei & filios & hæredes, liberum arbitrium ad bonum promouens, nec tamen libertatem auferens, inuoluntarios faciens voluntarios, non cogendo, sed inspirando, & occasiones procurando. Quintum Dei opus est, iusta demeritorum retributio, quo ad reprobos, in quo laudatur eius munditia, qua detestatur omne vitium & peccatum, & omne bonum diligit, & congaudet, quasi sibi condecenti bono. Laudatur etiam eius iustitia, qua malum impunitum non patitur, & secundum meritum suum locat in peccato perseuerantem, & quo se spoliauit peccator priuat eum, & fructũ operum suorum facit eum in tormentis gustare. Et laudatur eius sapientia, qua scit etiam de malis elicere bona & cogere sibi seruire in pœna, qui nolebant ei subesse in culpa, & omnia cedere malis in pœnam, quæ hic conuerterãt ad peccatum, vt corpus, intellectum, tempus præsens, &
C alia quæ data eis fuerant vel oblata ad occasionem merendi, & gloriæ augmentum, quæ ipsi conuerterunt ad peccandi instrumentum, sed Dei iustitia hæc eis conuertit ad pœnæ cumulum, corpus per quod hic peccauerunt, illic in pœna recipiet, vt per hoc amplius crucietur, Intellectũ ad temporalia conuerterunt, & per hunc inexcusabilibus accusabuntur, tempus, quod ad Deo seruiendum acceperant, in peccato consumpserunt, & ideo sine fine puniuntur, sicut hic non posuerunt finem in peccato, vt qui peccant in suo æterno hic, puniantur in æterno Dei illic. Et qui in Deum infinitum peccauerunt, in infinitum quo ad durationem pœnarum crucientur. Laudatur etiam bonitas Dei, qui hanc malorum pœnam ordinat ad beatorum lætitiam, quod talia per Dei gratiam euaserunt. Ita autem ornat Dei iustitiam reproborum damnatio, sicut eius bonitatem beatorum saluatio. Sextum Dei opus est gloria beatorum, in qua laudatur eius larga & mirifica remuneratio, qua pro paruo & breui merito, æternam & ineffabilem sanctis dat in cœlo gloriam, & lætitiam, & fœlicitatẽ.
D Et omnia eis ordinat in bonum, tam bona, quam mala, & propria & aliena, & non solum mala pœnæ, sed etiam mala culpæ, vt de bonis proprijs glorientur, & de alienis, congaudendo delectentur. De malis propriis gaudent quod euaserunt, de alienis quod similia non inciderunt. Gaudent de propria felicitate, quæ est multiplex, gaudent de omnium electorum gloria, tam multipliciter quam multiplex est omnium simul gloria, tam in numero, quam in magnitudine, & de quolibet, sicut de se gaudent, quia tantum diligunt illum habere, qui habet, quod nollet eam habere, vt alter careret ea. Sed de gloria Dei tanto plus super omnem, sanctorum & suam gloriam gaudent, quanto plus Deum diligunt super seipsos, & super omnes alios, maxime cum gloria Dei infinita sit, & ideo super omnem mensuram debeat esse gaudium de gloria eius, licet creatura non valet infinite diligere & gaudere, Adhæc quisque gaudet se diligi ab omnibus, sicut diligunt seipsos, insuper se gaudet diligi à Deo plus inæstimabiliter quam à seipso. Et omnia gaudia sibi gaudet esse communia, & ad

E plene participandum exposita, vt hauriat de omnibus quantum cupit & capere potest, sicut proprium. Ibi erit gloria spirituum, & gloria corporum, ibi videbitur Deus secundum Deitatem facie ad faciem, & secundum humanitatem gloriosam, in quam desiderant etiam angeli prospicere. Sicut autem certi sunt electi se gloriam illam habere, ita certi sunt, quod nunquam possunt amittere. Ibi est societas sine fastidio, & desiderium cum desiderati plena adeptione. Ibi pura & plena laus resonat de omni corde suo laudantium Deum, pro tam magnifica bonitate eius, qua eos ab æterno ad hanc gloriam prædestinauit. Posset, qui vellet, ista sex opera Dei, in quibus est omnium operum eius consummatio referre ad priorũ dierum significationem, vt opus creationis assignetur primæ diei, in quo est omnium materialis creatio. Et facta est lux, distinguens diem ac noctem, qua spiritualis creatura à corporea est distincta luce, & intelligentiæ rationalis discretionem, discernens omnia & decorans, vt lux. Opus gu-
F bernationis significatur per opus secũdæ diei, in quo aquę superiores in transpositione firmamenti distinguuntur ab inferioribus, quia cœlestia quantum situ distant à terrenis, tantum & qualitate, & tanto nobiliori modo diuinas influentias recipiunt, quibus iuxta modum sibi congruum gubernantur à Deo, qui disponit inferiora ministerio superiorum, scilicet angelorum. Opus redemptionis significatur opere tertiæ diei, in qua aquis inferioribus segregatis, terra apparuit arida, & fructifera. Quia peccatis totum humanum genus occupantibus, semotis ab Ecclesia & apud infideles remanentibus, Ecclesia diuersis germinibus fœcundatur. Opus iustificationis significatur opere quartæ diei, in quo luminaria cœli facta sunt, quia per solem charitatis, & lunam fidei, & stellas aliarum virtutum, corda fidelium illuminantur, & vitam, & ordinem, & meritorum vigorem, quasi per lucem & calorem siderum consequuntur. Opus iudicationis & condemnationis reproborum, significatur opere quintæ diei, in qua ex aquis natantia, & volatilia facta sunt, quia ex eodem genere ho-
G minum, alij eleuantur sursum ad cœlestia, per gratiam, alij relinquuntur in reatu damnationis, in qua nati sunt, per meritum culpæ originalis & actualis. Opus glorificationis significatur per opus sextæ diei, in qua homo ad imaginem Dei factus omnibus mundanis præficitur, quia per gloriam fit homo Deiformis, & illi vnitur, sicut membrum capiti, qui omnibus sicut verus Dominus principatur Iesus Christus Dominus noster. Opus septimi diei non opus, sed operis Dei completio, per quietem in Deo, qua Deus quiescit in se, & nos in Deo. Vnde & sabbathum appellatur, id est, requies, quia per quietem in Deo perficitur rationalis creatura, quæ est causa & forma omnis irrationalis creaturæ, cum ad hoc semper natura conetur, vt rationalem mentem doceat se & Dominum agnoscere, & ei ad hoc seruiat, vt eum ad Domini sui seruitium semper admoneat, & ad laudandum eum accendat. Qui hoc sabbathum quiescendo non celebrat, pactum Dei cum homine violat, quia super omnia vult hominem in se quiescere, & sibi per amorem suum tenaciter inhærere. Ipse autem
H summa est suę laudis materia, quem nulla operum suorum magnificentia sufficit docere laudabilem, sicut est, sicut opus mutum nescit artificis peritiam vocaliter annunciare, sed tacendo innuit quam sit laudabilis, qui talia voluit, sciuit, & potuit tam faciliter operari. Septem autem verbis vsitatioribus Ecclesia vtitur ad laudandum Deum, quasi septem iubileorum tubis mysticis, vel septem musicis instrumentis, his septem materiis quasi correspondentibus, scilicet, laudare, benedicere, magnificare, confiteri, honorificare, glorificare, & superexaltare. Tertius orandi modus est mentalis, cum tacito ore sola mens sua desideria Deo pandit, & affectum cordis Deo effundit, & eum intus per amorem amplectitur, vel cum reuerentia adorat, & veneratur, tantò latius in Deum se diffundens, quãto plura valet affectus comprehendere, quam lingua exprimere, dicens Deo: Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. De hoc Dominus dicit, Ioan. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus, & qui adorãt eum,

In spiritu oportet adorare. Et hæc oratio magis videtur propria, cum Deus cor magis attendat, quam verba oris, sed verba ideo apponimus, vt cum mens pigra est ad se e[le]uandum in Deum, per verba orationis sustentata iuuetur, vt memoria Deo inhæreat, intellectus sursum tendat, per deuotionem affectus inflammatus, gustet quem suauis est Dominus ex intentioné sacræ orationis afflatus. Deus enim qui creauit nos, scit quid nobis necesse sit antequam petamus eum, & ideo non indiget vt per orationem insinuemus ei, quid desideremus. Item qui ad hoc fecit nos, vt bene faceret nobis gratuito propter semetipsum, oratione nostra non indiget flecti ad miserendũ, quod etiam ante disposuerat facere, sed ampliorem nobis in hoc profectum procurat, cum & gratis nobis benefaciat, sicut ab æterno disposuit, & tamen orationis nostræ studium, ad multiplicem nobis vtilitatem conuertit. Atque ita oratio nostra non causa est eius beneficentiæ, sed via, vt si non propter illam, tamen per illam nobis misereatur.

Cap. XXXI.

Quod multiplex est orationis vtilitas.

MVltiplex est orationis vtilitas, in quibus etiam alias bonas actiones oratio excellit. Prima quia facilius & citius per eam impetramus, quæ à Domino desideramus, ita vt quandoque breui oratione aliquis obtineat, quod diutinis ieiunijs, & aliis laboribus & piis operibus vix obtineret, licet & alia opera bona ad hoc aliquatenus suffragentur. Vnde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderato semper inuenimus sanctos principaliter ad orationis subsidiũ refugisse, quasi ibi promptius quod petebant consecuturi. Matth. 19. Omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Quid enim non potest oratio efficere. Oratio iram iudicis placat. Exod. 32. Moses orabat Dominum, placatusque est Dominus. Peccatorum veniam impetrat. Matt. 18. Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Dimitte nobis debita nostra &c. Numeri: Dimisi iuxta verbum tuum &c. Tentationis impetum sedat. Num. 11. Orauit Moses, & absorptus est ignis. Exemplum de Amalech. Exod. 17. Vitia cordis expellit. Psal. Disperde illos in virtute tua. In periculo liberat. Psal. Inuoca me in die tribulationis. Ad Dominũ cum tribularer clamaui. A periculis defendit Matt. 24. Orate, vt non fiat fuga vestra hyeme aut sabbato &c. Et Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Item: de hostibus vindicat. Paralip. 22. Orauerunt Ezechias Rex, & Isaias aduersus Senacherib. Item: Difficultates complanat Iosuæ 6. Vociferante populo muri Iericho corruerunt. Item, Dei familiaritatem confert. Psalm. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum. Esaias: Clamabit, & dicet Ecce adsum. Item, Sanctorum Angelorum præsentiam confert. Psalm. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus. Bernardus: Credimus Angelos &c. Item: Impetrat quoq; dona Spiritus sancti. Actuum 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Luc. 11. Pater vester dabit Spiritum bonum petentibus se, & Iacobi 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet in fide, nil hæsitans. Eccles. 51. Quæsiui sapientiam palam in oratione mea. Item, Gratiam prædicandi: Eph. 6. Orantes pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei. Item. Reuelationes secretorum. Hierem. 34. Clama ad me, & annunciabo tibi grandia, & firma. Item: Potestatem quorumlibet miraculorum. Iacobus. Helias orauit vt non plueret. Item pro puero suscitando. 4. Reg. 4. Item: Temporalium subsidia, vt pacem, aeris temperiem. Psal. Oculi omnium in te sperant. Item Quarumcunque aduersitatum sublationem. 3. Reg. 8. Fames si oborta fuerit, aut pestilentia &c. Item: Quorumlibet vtilium & necessariorum donationem. Rom. 11. Nam quid oremus, sicut oportet ignoramus, sed ipse Spiritus postulat &c. Item: Vitam æternam. Rom. Omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit. Breuiter enim omnia contraria saluti reprimit, & necessaria confert & conseruat & perficit. Vult n. Deus, non tam orari, vt donet, quod etiam ante donare disposuit, sed vult, vt plus orando mereamur per fidem, qua credimus orandum quẽ non videmus, per spem, qua obtinere confidimus petita, per charitatem, qua ex auditorem amplius amemus. Iuxta illud: Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Item, per humilitatem, qua in supplicatione perseueramus. Item, per desiderium, quo bona adipisci cupimus, maxime virtutes, vnde placeamus. Oratio etiã quasi speculum clarius facit hominem agnoscere defectus suos, vel profectus, quia conscientia lucidius se sibi ibi repræsentat, & vel de profectu in fiduciam spei læta erigitur, vel ex defectus consideratione, confunditur. Oratio quoq; mẽtem magis à terrenis eleuat & elongat, quam cæteræ actiones, quia cum illæ negocientur cum Martha circa frequẽs ministerium extrinsecus, ista cum Maria pedibus Domini inhærens, eum solum sibi propitium exorat.

Cap. XXXII.

Quod multis modis affectus orantis, Dei respectum sibi præsentari sentit.

MVltis autem modis affectus orantis Dei respectum sibi repræsentari sentit. Aliquando enim videtur affectui dum orat, quasi Deus nec audire dignetur, nec attendere, Iuxta illud: Auertisti faciem tuam à me. Item: Iob. Ecce clamo ad te, & non exaudis me, sto, & non respicis me. Inde oritur aliquando tædium orandi, quasi vana sit oratio, quam Deus non dignatur acceptare. Aliquando quasi iratus apparet, & implacabilis, & inde conscientia confunditur, & timore conturbatur, iuxta illud Iob, Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi: Vnde Propheta Hier. orat: Non sis mihi tu formidini, spes mea in die afflictionis meæ. Psal. Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Esaias Multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum continuerunt se super me. Quãta sit ibi animæ tribulatio, ille nouit, qui propter hoc ab instantia supplicandi non desistit. Non enim propterea cessandum est, sed instantius orandum est, quia Deus per hoc probat orationis instantiam, & humilitatem, & purgat conscientiam, & remunerat afflicti patientiam. Bern. Obsecrationibus insistendum est, sed in omni humilitate & patientia, quasi enim cœlum desuper sentit æneum, dũ nullam deuotionis vel roris cœlestis stillam, pulsando in oratione percipit & terram cordis sui ferream, dum nullo Psalmorum vel orationum irriguo ad fructum compunctionis emollitur, sed veluti mulier Chananęa auersum à se Domini vultum æstimans, peccata sua quasi canis immunditiam sibi exprobari reputat, & pane filiorum se arbitratur indignam. Sed tamen prudenter aduertendũ est, quod ista pauidæ mentis imaginatio, qua durum & austerum sibi proponit Deum, qui mitis & benignus est, & in veritate pius & misericors, aut est deceptæ mentis propria confictio, qua format sibi idolũ pro eo, quod non est ipse: Aut est dispensatiua permissio ad terendum, & humiliandum, & corrigendum, & purgandum animum, quo postmodum suauius sapiat ei benigna Dei respectio, sicut post expertam amaritudinem desiderabilior fit dulcedo. Aliquando quasi aliis occupatus orantis affectui Deus videtur non respicere, qui tamen videat orantem, & tranquille sustineat, sed non respondeat aliis intentus. Hoc videtur Propheta sensisse cum ait. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me, verba mea auribus percipe. Aliquando videtur quasi benigne oranti intendere, sed tacẽdo non annuere, si preces illas suscipiat cum affectu. Iob. Cum inuocantem exaudierit me, non credo quod exaudierit vocem meam, id est, nescio si exaudierit. Aliquando videtur & benigne orantem respicere, & clementer orationibus eius assensum præbere, & fauorabiliter annuere desiderio obsecrantis: Et hæc deuotæ mentis confidentia solet indicium exauditionis esse. De qua dicit Dominus, Matth. Qui non hęsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiet ei. Omnia quæcunq; orantes petitis, credite, quia accipietis & veniet vobis. Iacobi: Postulet autem in fide nil hæsitans, qui enim hæsitat, non æstimet quod aliquid accipiat. Nec tamen statim diffidendum de exauditione, quando non pro voto succedit oranti, sed perse-

A ... debet pulsando, donec amicus quasi victus improbitate supplicantis det ei quod postulat. Quandoq; namque cum petitio nostra vno modo formata hæsitationem facit, quasi non debeat admitti, si aliter formetur fiduciam exauditionis reportat. Aliquando enim orans formam assumit serui, dominum suum & iudicem humiliter & timorate ad misericordiam prouocando, sicut publicanus ille, qui nec oculos audebat ad cœlos leuare, sed percutiens pectus suum, dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Aliquando assumit formam familiaris amici & domestici, & cum reuerentia & fiducia rogat, & quasi à latere consulit Domino, vt hoc faciat, vel hoc, exponens rationes & causas, quare sic deceat fieri, vel expediat. Sicut Abraham orans pro Sodomitis. Et Moses in Exodo pro populo Israel dicens: Ne quæso dicant Ægyptii, callide eduxit eos, vt interficeret in montib. & deleret de terra, quiescat ira tua & esto placabilis. Item Num. Ne audiant Ægyptii quod occideris tantam multitudinem, quasi hominē
B vnum, & dicant, non poterat eos introducere in terram, pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine. Aliquando quasi filius confidens de dilectione paterna, non tam obsecrat, quam imperat, pater vt exaudiat eum, expertam erga se beneuolentiā patris allegans. Sic Moses Exod. Cum dixeris mihi noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me, si ergo inueni gratiam in conspectu tuo ostende mihi viam tuam, & sciam te respicere populum tuum, gentem hanc. Item, si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum, & auferas iniquitates nostras atq; peccata, nosq; possideas. Item, obsecro Domine, peccauit populus tuus peccatum magnum, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non dimiseris, dele me de libro tuo, in quem me scripsisti. Magna fiducia hominis Dei, ad Deum. Non rogat se deleri de libro Dei, sed ea fiducia qua præsumit se non delendum de libro vitæ, ea petit, peccatum illud remitti, non dubitans se exaudiendum, vnde & quod petiit impetrauit.

C

Cap. XXXIII.

Quod quanto quis frequentius orat, tanto ei oratio efficacior.

Valde autem Deus delectatur in hoc, vt frequenter oretur, propter multiplicem orantis profectum, qui est, vt Deo inhæreat indesinenter, quod summe est homini vtile inter omnia. Iuxta illud: Maria optimam partem elegit. Item, vt beneficia Dei multiplicius experiatur, per multarum precum exauditiones. Item, vt ex abundantia affectuum deuotionis, in amore Dei excrescat. Ideo benigne prouidet nobis plures obsecrandi occasiones, quibus ad orationem sæpius stimulemur, siue pro nobis ipsis, siue pro aliis orandi, aut pro malis euadendis, aut bonis assequendis. Vt cum affectus deuotionis tepescit ad vnum, in alio recalescat, sicut ignis subiiciendo ligna quotidie ne deficiat, restauratur. Leu. 6. Ignis in altari meo semper ardebit, quē nutriet sacerdos, subiiciens mane ligna per sin-
D gulos dies, imposito desuper holocausto. Iste est ignis perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Tu ergo Dei sacerdos, id est, sacris deditus, cum per noctem negligentiæ deprehenderis, ignem deuotionis in altari cordis tui tepuisse, mane, id est, apparente prima lucis agnitione, subiice ligna orationis, diuersis occasionibus, quasi adiacentibus nata syluis & collecta. Magna sylua & abunde ligna supplicationum ministrans, sunt peccata propria quotidiana & antiqua, magna sylua negligentiæ nostræ & miseriæ, & defectus virtutum, & gratiarum, & vitia tam spiritualia, quam carnalia, & tentationes, & varii euentus quibus pulsamur, & incōmoda quæ patimur, & timemus, & pro quibus dolemus, tam pro nobis, quam pro aliis, quorum miseriis compatimur. Magnæ syluæ sunt omnia quæ desideramus habere, pro quibus oremus, vt impetremus. Similiter omnia beneficia nobis collata, pro quibus gratias agere debemus. Item pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, & pro gloria sanctorum Deum collaudare, multā deuotionis materiam, quasi perpetui ignis nutrimenta ministrat, quo super positi operis holocaustum, odorem red-
E dat suauitatis. Affectus enim amoris Dei, & sancti timoris, cum feruore bonæ voluntatis in spiritu humilitatis, & gaudio spei, & motu pietatis, nunquam debet in corde serui Dei extingui. Ista nanq; sunt, in quibus virtus deuotionis maxime consistit. Semper ēt debet mens Deo dedita, per aliquam piam occasionem assuescere, se ad Deum erigere, orando, supplicando, gratias agendo, laudādo, pro diuersis causis se omni tempore offerentibus. Iuxta illud Lucæ. Oportet semper orare, & nunquā deficere. Item, ad Thes. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Psalm. Benedicam Domino omni tempore, August. Iustus nunquā desinit orare, nisi desinat iustus esse, semper orat, qui semper bene agit, ipsum enim bonum desiderium oratio est, & si continuum est desiderium, continua est oratio. Quanto frequentius quis orat, tanto fit ei oratio delectabilior & efficacior, & quanto rarius orat, tanto insipidior
F fit & tædiosior, sicut experientia sæpe docet. Videmus autem quandoq; sæculares adhuc in statu peccati positos, ex multo orationis vsu magna deuotionis plerunq; perfundi dulcedine, quæ licet ex vera charitatis radice non profluat ostendit tamen Deus per hoc, quam paratus sit iustus gratiam infundere, si non negligant quærere. Qui adhuc in peccato positis, tamē per orationis studiū eius se familiaritati quo quomodo applicātibus, suæ dulcedinis experientiam non abscondit. Quid erit fidelibus amicis, si sic dulcem se quandoq; Deus exhibet adhuc inimicis. Deut. Mañ na tuum non prohibuisti ab ore eorum, de quib. premittit quod fecerunt sibi vitulum, & adorauerunt. Quid ergo religiosi excusationis habent prætendere, qui diuinæ dulcedinis inexperti sunt, quam ēt sæcularibus, si studiose quæsierint non negari videmus. Bernard. Arguit nos pro certo negligentiæ, & iniuriæ ipsa ēt inopia nostra, sicut n. fauus sine melle, & murus absq; cemento, & mustum absq; temperamento, & cibus sine condimento, ita vita religiosi sine
G studio internæ deuotionis. Quamuis plurimi temporibus istis, non solū non sentiant, sed nec quærant, nec desiderent, nec curēt, imo nec credant, sed irrideāt & persequantur in aliis deuotionis gratiā. Tamen scire debent, quod omnis religio arida est, & imperfecta, & ad ruinā pronior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, quæ præcipuū conamen ad orationis studiū & internæ pietatis non impēdit, in quo expressissime S. sanctus testimoniū reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Austeram vitā corporalis exercitationis, quasi ad modicum vtilē despicimus, ardua pietatis opera actualiter non habemus, sicut olim sancti, qui pro fratribus animas posuerunt, & similia magna gesserunt. Item sublimia virtutum exercitia pauca videmus, & maxime obedientiæ eximiæ, perfectæ patientię, & humilitatis præcipuæ, & paupertatis extremæ. Si ergo istis caremus, & adhuc orationis studiū postponimus, in quo gloriari de nostra religione poterimus, nisi forte de solo nomine, & exteriori habitu, & verbis scripturæ quæ in foliis, & in ore magis, quam in affectu & opere gustamus. Sed nisi abundauerit iustitia vestra ait Dominus, plus quā scribarū & Pha-
H risæorum, non intrabitis in regnū cœlorū. Pharisæi in exteriori apparentia, & nomine religionis tantū gloriabātur, Scribę aūt in verbis scripturæ sibi laudem, & nomen Magisterii acquirebant. Quia aūt tantum verba sectatur nihil habebit, & qui omnia sua facit, vt videatur, & laudetur ab hominibus, mercedē non habebit apud patrem, qui in cœlis est. Qui orationis studio vult intēdere, assuescat primo aliquando orationi vacare, deinde sæpius ad otarionis studiū concurrere, deinde diutius in oratione persistere, tandem frequenter, quantū licet, orationi incumbere, nec pro fastidio vel leuitate desistere, nisi vel quando corporis debilitas, vel vrgens necessitas, vel rationalis vtilitas inde auocat. Et iterum reuertatur in idipsum, ne per diutinā abstractionem redeat in dissuetudinem orandi, & refrigescat affectus, percurrat quoq; singulos modos orandi, & diuersis modis petitiones formet, & diuersas petitiones attenter, vt tandem in aliquo deuotionis affectum concipiat, & illi quandiu sapit inhæreat. Si aūt debilitas capitis vel corporis impedit, tunc breuius, sed sæpius oret. Orans, euagationes mentis cohibeat, & sensus exteriores sub disciplina retineat,

A tineat,& Dei auxilium humiliter ad singula inuocet,& patienter, si pro voto non succedit, assidue sustineat. Ipsa quandoque recordatio proficiendi est via profectus, dum humiliamur,& per hoc melius à superbia defēdimur, quia sæpe nimia proficiendi securitas, mentem extollendo deiicit,& feruor continuatus vires corporis exhaurit. Et ideo Deus pie cursum nostrum temperat, vt longius procedatur. Tria sunt quæ maxime à profectu retrahunt, non solũ perfectionis, sed & salutis, sicut in plurimis experimur. Remissa voluntas, horror difficultatis, diffidentia de auxilio gratiæ Dei. Remissa voluntas vult bonum, sed sine conatu laboris, & ideo consuetudo lenitatis cito retrahit eam à proposito proficiendi. Ideo pigra voluntas seipsam rationis instinctu cogere debet, & quasi pigrum animal stimulis Dei, & spe præmii agitare,& violenter impellere. Horror difficultatis per discretum & assiduum mitigatur & vincitur vsum. Gratia Dei sicut adest incipientibus, ita non deerit proficere studentibus,& vtilius est nobis semper timere, ne forte subtrahatur nobis, vt tanto studiosius conB seruare eam laboremus, quam si certe essemus, quod nunquam perderemus, quia tunc negligentius eam reciperemus,& minus proficeremus. Timor enim facit sollicitum & agilem, securitas plerunq; desidem & torpentem. Dominus noluit dare filiis Israel Manna simul in tanta quantitate, vt pluribus diebus sufficeret, sed vt singulis diebus colligerent, excepto Sabbato, designãs quod quotidie panem gratiæ, id est, cibum animæ petere debemus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & qui dat hodie, cras quoq; dare paratus est, tantum ne negligamus petendo colligere, quantum sufficit ad salutis profectum. Cum in oratione te sentis exauditum,& illud quod petieris esse impletum, noli extolli, quasi pro tua sanctitate te Deus exaudierit,& pro tui dilectione fecerit quod rogasti. sed cogita, quod pro sua bonitate id facere per se disposuit, vel aliorum bonorum preces potius attenderit, & gratias age Deo, qui te suæ dispositionis cooperatorem habere voluit,& aliorum amicorum suorum orantium se, in C hoc participem facere dignatus est, vt in orationis actu, & pietatis affectu mercaris,& in exauditionis fiducia consoleris, & etiam ex petitionis tuæ impletione lætificeris,& ex his crescas in amore Dei. Qui benigne procurat nobis occasiones, quibus ad orationis præsidium compellimur, vt imminentes molestias euadamus, vel bona desideria inspirat, quæ orando compleri postulemus, vt cum rogatus exaudierit, magis ametur. Et tanto solicitius eius voluntati parere studeamus, quo cum nostris desideriis pie & prompte fauere & obedire videmus.

Cap. XXXIV.

Quare quis in oratione à Deo non semper exaudiatur.

Causæ autem quare non exaudimur orantes, plures sunt, aut ex meritis culparum orantis, Esaiæ, Cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam,& causa subiungitur: Manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, D peccato. Ioan. Scimus, quia peccatores Deus non exaudit. Esaiæ, Peccata vestra absconderunt faciem eius, ne exaudiret. Aut ex tepore orandi, quia non feruenter, & deuote orant. Hierem. Orabitis me,& exaudiam vos, cum quæsieritis me in toto corde vestro, quasi dicat, non aliter. Aut quia non perseuerat orando, donec obtineat. Lucæ 11. Si perseuerauerit pulsans, propter improbitatem eius surget, & dabit ei. Iud. 4. Scitote, quoniã exaudiet Dominus preces vestras, si perseueraueritis. Aut ex diffidentia exauditionis. Iac. 1. Qui n. hæsitat, non æstimet, quod aliquid accipiat à Deo. Eccl. 18. Ante orationē prepara animam tuam & noli esse quasi homo qui tentat Deum, scil. si velit exaudire. Aut quia nociuum,& indiscretum est, quod petitur, vt filij Zebedei. Matt. Nescitis quid petatis. Iac. Petitis,& non accipitis, eo quod male petatis. Deut. 1. Cum ploraretis coram Domino, non exaudiuit, neq; voluit acquiescere voci vestræ. Aut vt magis ad petendum prouocetur, Greg. Sancta desideria dilatione crescunt, si autem dilatione deficiant, desideria non fuerunt. Vnde & preces Chananeæ E dissimulando prouocauit. Aut vt tanto cautius custodiatur acceptum, quod difficilius impetratur. Chrysost. Deus ad hoc beneficium suum protrahit, vt non sit nobis vile quod donat, Aut vt humilietur orans, dum tardius exauditur, Et sic duo bona proueniunt, vt insolens reprimatur elatio,& tamen petitionis non cassetur effectus. Aut vt in aliud tempus exauditio differatur magis congruũ,& vtile petenti. Sic Moses gloriam Dei sibi ostendi petiuit, quam non tunc, sed post meruit videre. Aut etiam, vt aliorũ suffragijs quærat iuuari, quia forte ardua est petitio, Vel vt præsumptio reprimatur. Sicut Ezechias, misit Esaiam, vt oraret pro se & populo. Et Iosias ad Holdam Prophetissã. Rom. 15. Obsecro, vt adiuuetis me in orationibus vestris, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa. Mat. 18. Si duo ex vobis consenserint. Aliquando etsi negatur vnũ, quod forte minus expedit, pro eo datur vtilius & melius, vt S. F Paulo, cui stimulus carnis non est ablatus, vt virtus in infirmitate perficeretur in eo, vtilior sæpe est exercitatio tribulationis, quam quies prosperitatis, licet hanc plus optem⁹. Ex his per contrarium potest aduerti, quę valeant ad exauditionem orationis, scilicet, culpæ remotio, feruor,& instantia,& fidei constantia, humilitas,& aliorum suffragia, & acceptæ gratiæ cum gratiarum actione, studiosa conseruatio,& vt ea tantum petantur à Domino, quæ ipse nouit magis expedire,& quando.

Cap. XXXV.

De orationibus specialibus, vtrum melius sit eas semper dicere, vel meditationibus occupari.

De specialibus autem orationibus quas solent habere plures, vtrum expediat eas dici certis horis vel dieb. Nota quod quibusdam magis expediunt, quibusdam minus. Incipientibus & rudibus, & affectu deuotionis nondum imbutis, magis expedit, vt saltem consuetudo moueat eos ad orationis studium, ne semper vagi circa exterioG ra, Deo fiant alieni,& frigidi torpeant,& nunquam aliquo deuotionis igne calescant. Deuotionis autem affectu imbuti,& amplioris cum Deo familiaritatis gratia subleuati, si nimis Psalmorũ & similiũ orationum multiplicationib. intendunt, spiritum obruunt, deuotionē impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere prægrauant, dum melioribus oblatis, minus pro illo tempore vtilibus, scrupulosius inhærent. Vtuntur tamen & ipsi plerunq; huiusmodi orationum subleuamento, quasi quodã afflatu, donec flamma deuotionis accensa, verborum follibus non indigeat, purius per se flagrans,& tranquillius in sublime attollens. Et iste modus videtur expeditior, vt speciales orationes tunc ex bona consuetudine ruminentur, quando maior non habetur deuotio. Quando vero superuenit melior orationis infusio, vel vtilior,& plus vrgens occupatio, consuetæ intermittantur orationes, ad quas non tenetur donec tempus redeat opportunum. Quales aũt orationes sint vtiliores, puto non posse super hoc vniformem dari regulam, cum sicut de cibis corporis diuersa diuersis conueniant,& modo hoc, modo illud magis delectet edentem. H Sed hoc videtur tunc esse fructuosius, quod orantem magis secundum Deum delectat, & quod deuotionis spiritũ promptius excitat,& mentis fiduciam erigit in Deum, omnis igitur orationis fructus & finis est, Deo adhærere, & vnus cum Deo spiritus fieri, per liquefactionem purissimi amoris,& speculationem serenissimæ cognitionis, & absconsionem in Dei vultu, ab omni mundanorum strepitu per excessum cōuenientissimæ fruitionis, vbi omnes vires animæ & potentiæ, à suis dispersionibus, simul collectæ,& in vnum verum, & simplicissimum, & summum bonum fixæ, in quandam diuinæ conformitatis, & æternæ stabilitatis similitudinem transformentur. Sunt autem quidam inferiores gradus quasi scalares ascensus, in quibus paulatim proficit anima,& illi fini propinquat. Primo enim assuescit dispersiones memoriæ, quibus per diuersa mundi oblectamenta,& implicata distracta vagabatur, per vsum orandi colligere,& in vnũm bonum defigere, quod est finis omnium desideratorum & delectabilium. Sed quia adhuc memoria lubrica est, & instabilis, eo quod multis & multiformibus rebus diu inhæsit, quærens in

qui-

A quibus delectaretur, vel curiose occuparetur, & nondum valet stabiliter inhærere diuinis, vel propter euagandi cõsuetudinem, vel propter tenuem spiritualium notitiam, ideo vtitur sustentaculo verborum in oratione, quæ Spiritus Sanctus ad hoc spirando hominibus ministrauit, vt per ea more paruulorum, quasi baculis sustentari, assuescant assurgere, & erigere se ad Deum. Et hoc fit, cum homo conatur verbis orationum, vel Psalmorum intendere, & intellectum spiritualem ex eis elicere, & deuotionis affectum exprimere, sicut qui ex duro silice ferro ignem excutit, quod illuminat & accendit. Sed per assiduum vsum orandi cum adiutorio gratiæ Dei, quæ studiosis proficiendi semper subuenire parata est, memoria aliquando proficit & stabilitur, ita quod iam sine graui difficultate valet orationi intendere, & euagationes mentis facile cohibere. Iuxta illud: Ædificans Hierusalem Dominus dispersiones Israel congregabit. Intelligentia etiam quæ prius quasi cæcutiens fuit, exterioribus & visibilibus inuoluta incipit dilatari & illustrari ad videndum, quæ prius non videbat, velut qui cubiculum deforis veniens subintret, Primo quasi nil videns impingit in parietes & scabella, deinde paulatim incipit cognoscere grossiora, tandem clarè videt etiã minima, ita quòd etiam mirantur superuenientes, vt plane videat omnia, quæ sibi iam manifesta apparent. Ex hac illustratione dilatatur mens ad multa cogitanda, & alia cogitat ex ratione, alia ex spirituali intelligit illuminatione, alia discit ex diuina reuelatione, & confert alia cum his, quæ apprehendit ex humana eruditione, & inbibit in sacra lectione, & consolatur non modicũ, quod videt alios eruditos & sanctos eadẽ sensisse, quæ ipse Spiritu Sancto illustratus intellexit. Ex quo securus redditur, quòd non ab alieno spiritu, vel à proprij sensus verisimili opinione seducatur, cum eundem spiritum senrit, quem & in prioribus sanctis, in se esse locutum. Cautè tamen & humiliter in talibus est agendum, ne forte, ex præsumptionis culpa, homo decipi mereatur, & pro spiritu veritatis sequatur spiritum erroris, credens Spiritum sanctum loqui, quod est proprij cordis opinio, & immissio per Angelum malum, qui se transfigurat sæpe in Angelum lucis, persuadens falsa sub veritatis colore. Ioan: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Nihil recipiendum quod ab Ecclesiasticorum doctrina, magistrorum, & approbatorum Theologorum traditione discordet, non reuocandum in dubium, quod ab eis vniuersaliter in testimonijs sanctorum patrum rationabiliter fuerit definitum. Quia veritate reperta, qui curiose per superuacaneam subtilitatem altius perscrutando fodere nititur profunda scripturarum, quasi noui aliquid inde eruturus, quod ab alijs nòn fuerit inuentum, vanitatem diligens mendacium quærit.

Cap. XXXVI.

Quomodo homo per affectum deuotionis Deo debeat inhærere, & in eo quiescere.

ET quia Deus summe suauis & bonus est, & omnia quæ ab ipso fluunt sapida sunt & bona, ideo cum intellectus ceperit in agnitionem veri dilatari, statim & gustus animę, hoc est, interior affectus incipit in quodam spirituali sapore in incognitis delectari, & sic quod in solo intellectu fuit scientia, accedente sapore affectus dicitur sapientia, id est, sapida scientia. Scientia ex cognitione veri, sapientia ex adiuncto amore boni, licet enim omnes animæ affectiones suos habent proprios sapores, id est, motus sibi conuenientes, amor tamen quasi principalis suo motu omnes alios informat, maximè cum ipse ad suum verum bonum debito modo fuerit conuersus, qui natus est nihil solidius amare, quàm summum bonum. Omnia alia quæ propter illud non diligit, tentando magis, quàm in eo quiescendo diligit, Et ideo cito per satietatem eius in fastidium vertuntur, & rursum alia quærit, si forte vel in illis quiescat, sed non inuenit, nisi ad summum bonum se conuertat. Quod cum attigerit, quasi in debito fine suo quiescit. Et tunc reliquæ affectiones debitos motus suos exercent, iuxta ipsius amoris mensuram. Quantum enim amas quodcunq; bonum, tantum de eius gaudes adeptione vel spe, dum cupis id adipisci. Quantum etiam times vel odis hoc, quod possit id quod amas auferre, tantum doles de nõ habito, & tantum pudet de contrario, si quod diligis sit honestum. Quamdiu autem amor cõtrariorum sentit affectus, vt timoris, doloris, pudoris, & odij, tunc minor & debilior est in se, quasi distractus, & nondum totus in se recollectus, etiam dum adhuc spei locus est, nondum potest esse perfectus, dum non habet, quod amat in fruitione, sed tantum in exspectatione, & quantò expectatio incertior, tantò & amor tepidior. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc euacuabitur quod ex parte est, quia fruitionis gaudium perfectum erit, cũ amor quod cupit iam tenuerit, nec amittere vltra timuerit nec de contrario aliquid sibi inesse senserit, quod vel dolendum sit, vel pudendum, Perfecta enim charitas foras mittit timorem, cum iam nullam in se habuerit odij materiam, vel causam erubescentiæ, vel doloris. Quanto ergo charitas magis augetur, tanto & aliæ virtutes & virtuosæ affectiones amplius purificantur, quo vsque omnes in eam solam transformentur, vt iam non sit timor, non dolor, spes vel pudor, sed tantum suo gaudio fruens amor, & illi bono tenaciter inhærens, quod solum sufficit animæ desiderium adimplere, & ipsum amorem eius in se potenter transformare, vt iam cognoscat sicut cognita est, & amet sicut amata est, quamuis non quantum amata est, vt sit similitudo, non æqualitas. Nulla creatura potest amare Deum, sicut amata est ab ipso, sed tantum sicut accepit ab ipso. Deus enim sicut est causa omnium, & omnia in se ipso cognoscit, sicut in prima causa omnium causarum, ita & diligit omnia, in seipso, & propter seipsum, & ideo sicut eius cognitioni cognitio nostra non approximat, ita & amor noster eius amori non poterit comparari, nec in patria, quanto minus in via, vbi multipliciter distractus, vix vel nunquam potest se colligere ad se, vt totus simul feratur in Deum. Proficit autem homo deditus in studio inhærendi Deo, sic, vt primo cum labore mentis euagationes comprimat, & ad Deum colligat. Deinde ex vsu studij illius facilius iam cor suum cohibere, & secum habitare discit. Iuxta illud. Exod. 16. Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostium domus suæ die sabbathi, & sabbatizauit populus. Tandem non solum faciliter, sed delectabiliter Deo valet inhærere, vt auulsio ab huiusmodi quiete, sit desolatio non modica, sed semper vellet, si posset, talibus delitijs inhærere. Deuter: Amantissimus Domini habitabit in eo confidenter, quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros illius requiescet. Sunt tamen gradus & profectus in hac commemoratione, vt primo delectabiliter Deo inhæreat, & inuitus reuellatur ab eo, sicut paruulus à patre blandiente, vel famelicus à dilitiosis epulis, vel sitiens à potu suaui, inuitus separatur, nec mirum. Spiritualis enim iucunditas non solum delectabilis est fruendo, sed etiam pulchra & honorifica babendo, & secura & locuples vitam promerendo, delectat, honestat, locupletat. Suauis est gustus delitiarũ, honorabilis amicitia Dei, & ciuium familiaritas supernorũ, fructuosa charitas & meritoria sublimium præmiorum. Omne quod appetitur, propter istorũ trium aliquod desideratur, vel quod putatur delectabile, vel honestum, vel vtile, sed in quo omnia simul & plene conueniunt, nõ inuenitur, nisi in fructibus spiritualium delitiarum. Alia autem delectant, & turpia sunt & nociua, aut honesta quoquo modo sunt vel vtilia, sed difficilia & laboriosa. Virtutis autem affectus & sapientiæ gustus, & diuinæ suauitatis fruitio, dulcis est & venerabilis, & conscientiam lætificat, assecurat, & magnificat. Sed cum sponsi amplexibus anima deuota inhianter inhæret, incipit inter eius brachia aliquo modo consopiri, sicut potatus nobili vino in sopore resoluitur, vt non solum delectabiliter, sed & tenaciter Deo inhæreat, & quasi vi quadam abstrahatur ab visibiliũ sensu & memoria, sic tamen temperatè, vt nec planè sui met oblita, nec tamen verè sit compos sui. Iuxta illud Psalmi. Si dormiatis inter medios cleros, id est, inter medios terminos mundi & cœli. Item Canticorũ. Ego dormio, & cor meum

A cor meũ vigilat. Est enim talis iste somnus, sicut illorũ qui incipiunt dormitare, & tamen videtur sibi ea, quæ circa se fiũt, aliquo modo sentire, & intelligere, sed præ sopore nõ aduertũt, nisi velint sibi vim facere, vt ad se plenius reuertantur. Amor. n. Dei cũ pura intelligentia cõditus inebriat mentẽ, & ab exterioribus extractã sursum eleuat, & sua virtute Deo conglutinat & coniungit. Et quanto amor vehementior, & intelligentia lucidior, tanto validius mentẽ in se rapit, quousq; tandem omniũ, quæ sub Deo sunt, plene oblita, in solo contẽplationis diuinæ radio libere figatur, licet breuiter, velut in quodam corusco luminis cœlitus emicãtis, quia corpus, quod corrũpitur, aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantẽ. Sẽsus hominis per se pauca potest, & vix tenuiter cogitare, subleuatus aũt afflatu superni luminis, tãtò plura simul intuetur, quanto se sublimius eleuatur. Sed corruptio terreni corporis, & variæ huius vitæ occupationes, deprimunt animã, & reuocãt ad se ipsam, vt gemens clamare cogatur cũ Apostolo ad Rom. Infelix ego homo, quis me liberabit B de corpore mortis huius. Psalm. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Quanto plus mens sollicita est, ad ista inferiora & humana cogitãda, & tractanda, tanto plus à superioribus & cœlestibus per deuotionis intuitũ elongãtur, & quanto feruentius ab inferiorũ memoria affectu & intellectu ad superna sustollitur, tãto perfectior, & deuotior, & purior eius contẽplatio, quia simul perfectè nõ potest vtriq; esse intenta, quæ ab inuicẽ, sicut lux & tenebræ, sunt diuisa. Qui Deo inhæret in lumine versatur, qui mundo inhęret, in tenebris est. Hęc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita vniri Deo, vt tota anima cũ omnibus potentijs suis, & viribus in Deũ collecta, vnus fiat spiritus cum eo, vt nil meminerit nisi Deum, nil sentiat, vel intelligat nisi Deũ, & omnes affectus in amoris gaudio vniti, in sola conditoris fruitione suauiter quiescant. Imago. n. Dei in anima in his tribus potentijs eius expressa cõsistit, videlicet, in ratione, memoria, & voluntate, & quãdiu illæ non sunt ex toto Deo impressæ, non est anima Deiformis. Forma. n. animæ Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo sigil- C latum. Hoc nunquã plene fit, nisi cum ratio perfectè iuxta capacitatem suam illuminatur ad cognitionẽ Dei, quæ est summa veritas, & voluntas perfectè afficitur ad amandum summã bonitatẽ, & memoria plene absorbetur ad intuẽdam, & tenendam, & fruendam summam felicitatem. Et quia in horũ consumata adeptione constat gloria beatitudinis, quę perficitur in patria, liquet quod istorũ perfecta inchoatio, est perfectio vitæ in hac vita. Quamuis aũt omnis virtutum conatus ad hanc perfectionẽ tendere videatur, tamen specialiter orationis studiũ ad hoc nititur, vt anima toto intellectu & affectu, & memoria in Deum feratur, quia alijs postpositis soli Deo inhærere desiderat, cũ orat. Vnde orationis perfectio est cum id obtinet anima, ad quod orando tẽdit, vt tota ab infimis abstracta solis vniatur diuinis, nec volẽs, nec valens aliud sentire, nisi Deum. Ibi verè quiescit anima, vbi deliciatur in splendore lucis, in amœnitate diuinæ dulcedinis, in securitate pacis. Hæc autem spiritualis amœnitas, non potest per aliquas imaginabiles describi similitudines, nec per sensibilium depin- D gi comparationes, quia purè spiritualia, tantum differunt à sensibilibus, sicut & spiritus à corpore. Spiritus verò rationalis nec corpus est, nec corporis similitudo.

Cap. XXXVII.

Quod circa contemplationis excessum, sunt diuersæ deuotionum species scilicet, iubilus, Ebrietas spiritus, &c.

Circa verò hunc contemplationis excessum, sunt diuersæ deuotionis species quas breuitatis causa prætereo, quib. vel scripturæ tractatores diuersa nomina imposuerunt, vt iubilus, ebrietas spiritus, spiritualis iucunditas, liquefactio, quæ expertis & vacantibus explanãda relinquo. Aliqua tamẽ breuiter tangam istorum. Et quia iubilus, vsitatum nomen habet à scriptura, videtur quod iubilus sit quoddam spirituale gaudium, cordi repente, ex aliqua deuota cogitatione vel collatione, infusum, quod totum cor concutit, & corpus ex sui vehementia quodam tremore commouet, & delectabiliter cruciat, quia motus gaudium cõsolatur, sed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur. Et aliquando per risum, aliquando per quosdam clamores, aliquando per alios gestus & singultus, quasi euaporando erumpit non valens se intra se tacitus continere. Gregorius: Iubilum namq; dicimus, quando ineffabile gaudium mens concipit, quod nec abscõdi possit, nec sermonibus aperiri, & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis suis proprietatib. aperiatur. Vnde Psalmus dicit: Beatus populus qui scit iubilationem. Non ait, qui dicit, sed qui scit, quia sciri quidẽ iubilatio potest, sed dictis exprimi nõ potest. Ebrietas Spiritus Sancti, potest dici quælibet magna amoris & gaudij deuotio, ex qua, quasi ex vini fortitudine, feruor Spiritus excrescit, quod se intra se cohibere non valet. Vnde Apostoli Spiritus Sancti feruore æstuantes, musto pleni dicebantur. Iob. En venter meus, quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Nouas dicit, nõ veteres, vel quia veteribus cordibus non infunditur talis deuotio, sed nouis, in nouitate vitæ ambulantibus, vel nouas dicit, propter fortitudinem impetus spiritus, qui si nouas disrumpit, quãto magis veteres, id est, fragiliora corda & infirma, vel nouas dicit, quia talis feruor Spiritus nouis & non exercitatis mentibus nuper infusis, minus sese valet cohibere, quin erumpat per inusitatos gestus, vel voces, vel singultus, sicut nouum vinũ in vase bullit, quod inueteratũ quiescit. Quandoq; etiam corpus quasi obrigescit, & membra inhabilia & inflexibilia fiunt ex subita feruoris & suauitatis influentia. Et hoc potest esse, quod spiritus omnes vitales in corpore, quasi implentur affectu cordis inflammato, ita quod extensione neruorum, & obstructione viarum spiritualiũ membra officiorum suorum priuentur, & lingua loquelę: manus operationum, & pedes, & crura gradiendi, quousque feruor iterum remittatur & viæ apertæ fiant, vt prius. Nec mirũ, si hoc possunt affectiones diuinæ efficere, quorum virtus fortior est, cũ etiã humanæ affectiones hoc interdum valeant, vt subitus terror, & subita & immoderata lætitia, & subitus dolor, & odium immẽsum, & intẽperatus amor. Sicut sæpe cõpertum est, etiã in extasim & in stuporẽ vel in phrenesin aliquos ex huiusmodi raptos esse, & membra in vigorem vel tremorẽ versa, vel etiã febres ex vehemẽti molestia incidisse. Quid etiã mirum si ex magna Spiritus hilaritate, quã Sanctus Spiritus cordi infundit, aliquando erumpit in aliqua aperta hilaritatis indicia? vel si quandoq; singultibus & fletibus apertis imperare non valeat, & huiusmodi internę deuotionis motus abscondere, cũ videamus sæpius aliquos ex stulta leuitate à risu, & insolentib. cachinnis non posse se cohibere, etiã vbi pudor humanus imperat disciplinam. Et aliquando ex humana tristitia oborta fletui nõ possit homo, quãuis libẽter faceret, imperare. Cum. n. scriptũ sit, Deus noster ignis cõsumens est, & Deus charitas est, quid miri si feruor diuinæ charitatis cordi infusus, totum hominem cõmouet, sicut si vitro fragili, vel vasi fictili bullientem liquorem, vel ignem ardentem infundas, crepitationis fragorem concitas. Cor namq;, cum diuini amoris gaudio, vel diuinæ fruitionis desiderio inflãmatur, in se dilatatur, & extenditur, & quasi inter angustias pectoris se capere non sufficiens, ex animo erumpere conatur, vt flãmam quã intus patitur, foris eructet, & ardoris sui refrigerium qualecunq; inueniens, euaporet. Quod cum non potest illud, vel ex humano pudore non audet, mirabiliter in semetipso cruciatur, & corpus valde ex talibus motibus debilitatur. Quia virtus diuinæ dulcedinis intolerabilis est imbecillitati terreni corporis, sicut si ignem vitro immittas. Vnde legimus sanctos ex diutinis visitationib. vel reuelationibus corruisse & viribus emarcuisse. Daniel. 10. Vidi visionem hanc grandem, & nõ mansit in me fortitudo, & emarcui, nec habui quicquam virium & iacebam consternatus super faciem meam. Et Ierem. in threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Ideo Spiritus sanctus in igne super Apostolos venit, quia virtus diuini amoris, sicut ignis illuminat, & inflãmat, vt dicit Gregorius: Liquefactio aũt animæ non videtur aliud esse, nisi quædam emollitio à sua duritia,

per quam

A per quam flexibilis redditur & voluntaria ad amandum amentem se Deum, & liquescens ad recipiendum diuinæ virtutis impressiones, sic vt liquor, ita Spiritus Dei, spiritui hominis influens misceatur, & vnus fiat anima spiritus cũ Deo. Canticor. Anima mea liquefacta est ex amore diuini amoris. Spiritualis iucunditas dici potest gaudium quodlibet in Spiritu S. quod à Spiritu S. infunditur, quo gaudet animus in Deo, siue pro perceptis diuinis beneficiis vel promissis. Et licet aliqui putent spiritualem esse lætitiam, cum aliquando religiosi inter se iucundi sunt, tamẽ sciant, quod spiritualis lætitia, sicut caret amaritudine tristitiæ sæculi, & accidiæ torpore, ita & dissolutionis leuitate. Spiritualis etiã lætitia dupliciter recipitur, specialiter & generaliter. Specialiter, & tunc est motus spiritualis gaudii in SS. ex intuitu beneficiorum Dei, & futuræ gloriæ, & bonitatis diuinæ, generaliter, & tunc est quædam mentis hilaritas, ex bona confidentia ad Deum, ex bonæ conscientiæ testimonio, reddens hominem beneuolum & deuotum B ad omnia agenda & sufferẽda pro Deo, & omnia quæ Dei sunt diligenda & prouidenda. Ideo bis dicit Apostolus ad Philip. 9. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete, primo generaliter, secundo specialiter.

Cap. XXXVIII.

Quod septem sunt genera deuotionum.

CVm autem multa videantur esse deuotionum genera, possunt tamen in septem distingui differẽtias, iuxta singularum affectionum varietates. Aut enim surgit deuotio ex timore, vt cum quis compungitur timore futuri supplicii, vel cum timet à Deo derelinqui propter demeritum peccatorum suorum, dicens Deo. Ne proiicias me à facie tua, & ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me. Ex dolore, vt cum dolet se offendisse Deũ, & gratiam eius amisisse, vel cum dolet se tam parum profecisse, & tam parui esse merita apud Deum, & oculis Dei C in pluribus displicere. Psal. Auerte faciem à peccatis meis. Ex desiderio, cum suspirat & adhelat ad gratiam ampliorem virtutum, & ad familiaritatis diuinæ suauitatem, vel ad Christi præsentiam in cœlo, vel ad alia sancta desideria implenda Psal. Domine ante te omne desiderium meum. Esaiæ: Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Et anima mea desiderauit te in nocte. Iob. 7. Suspendium elegit anima mea. Ex cõpassione, cum Christo passo pie compatitur, & gladius ille animam fidelem dire transuerberat, & vulnerat, qui Mariæ matris eius animam totaliter pertransiuit. Aut cum proximorum incommodis, & animatum periculis compatitur, & zelus domus Dei, & iniuriæ Deo illatæ comedunt eam, nec sinunt eam dormire somno dissimulationis, quin aliquãdo vtatur ad singulorum scandala, & torqueatur ad singulorum calamitates. Iob. Flebam super eum qui afflictus erat, eo quod compatiebatur anima mea pauperi. Ex amore diuino, cum recolit, quam benigne secum egerit, & quãta sibi beneficia in-D digno & immerito contulerit, vel cum pensat generalia beneficia omni humano generi secum impensa, per incarnationem & passionis beneficia, & per Sacramentum altaris, & SS. sacrosancta charismata. Vel cum ipsius Dei ineffabilem intuetur benignitatem, quæ tanta est, sicut eius immensitas & æternitas, quæ nec mensuram habet, nec finem, & ideo sine mensura diligẽdus est, & sine fine. Amore Dei nihil potest esse delectabilius, nihil honorabilius, nihil vtilius. Per hanc affectionem dilectionis Dei, singulariter Spiritus S. testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, de hac specialiter dicitur. Qui diligit Deũ, hic cognitus est ab eo. Et, ego diligentes me, diligo. Cognosci à Deo, & diligi, est à Deo approbari. Amor Dei est omnium bonarum affectionum condimentum, & tanto plus sapiunt Deo cæteræ virtutum affectiones, quãto plus habuerint de hoc condimento. Nec potest esse virtus vel deuotio, quæ ex amoris Dei radice nõ pullulat. Ex gaudio surgit deuotio, cum exultat in Domino memor beneficiorum eius, vel cum de gratia eius confidit se esse de numero saluandorum. Vel cum gratulatur saluti, & profectui pro-E ximorum, vel cum exultatione Spiritus congaudet gloriæ beatorũ, & mente perambulat cœlestis patriæ varias mansiones. Ex quibus omnibus & singulis cor exhilaratur, & quasi iucunda volucris, quandoq; clauso pectore ludit in iubilo, & affectu exultationis & laudis, quasi quærat exire de angario pectoris. Psal. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deũ viuum. Examinationis stupore, cum illuminato intellectu fulgore sapientiæ, stupet magnitudinem potentiæ Dei, & profunditatẽ sapientiæ, & suauitatẽ benignitatis eius, vel districtionẽ iudiciorum eius, vel abyssum claritatis, & incomprehensibilitatem immẽsitatis eius, vel quicquid est de natura diuinitatis eius, & gloria maiestatis eius, vel quorũlibet operum eius admirabili ratione. Iob. Magnus fortitudine & iudicio, & iustitia Deus, & enarrari non potest, ideo timebunt eum viri. Aliquando cõmixtim ex diuersarum affectionum morbus deuotio causatur, vt cum timor cum dolore, amor cum gaudio & admiratione, F compassio cum desiderii ardore iungitur, & quasi aromata simul contrita, liquore supernæ vnctionis compacta, & calore ignis diuini decocta, pigmentũ salutare efficiũt, saluandis animarũ languorib. efficax & salubre. Sicut illi qui pigmenta sanitatis conficiunt, aliquando de singulis, aliquando de pluribus, & modo de illis, & modo de istis cõpositionem faciunt, pro variis remediorũ causis. Cum a. deuotio sit piæ affectionis pinguedo, & magis se habeat ad affectũ, quam ad intellectum. sicut videri potest in simplicibus deuotis, tamẽ perfecta deuotio non est sine lumine intellectus. Sed aliter se habet intelligentia simpliciũ deuotorum, & aliter literatorum. Literati n. sciunt subtiliter loqui de quacunque etiam spirituali materia, & verbis propriis exprimere quæ velint, & pulchre diuidere & distinguere, & causas & rationes congruas assignare, & sermone cõposito persuasibiliter & ordinate proponere, & ex paruis quandoq; longũ texere tractatum, & ea quæ plana sunt & nota per se, verbis artificiosis inuoluere, vt rudibus de intimis Philosophiæ medullis extracta videantur. Deuoti a. simplices clarius vident veritatem in se, & pro-G fundius sciunt de ea cogitare, & põdus eius pensare, & saporis intimi venas per gustum affectus scrutari, & per puræ intelligentiæ radiũ, quæq; lucidius discernere, vt licet nesciant verbis expressiuis proprie distinguere, tamẽ ex ipso saporis gustu valent veritatis differentias cognoscere, magis, quam per argumentorum coniecturas. Exemplum de quolibet mechanico artifice, in arte suo perito, & de subtili Philosopho, quorum alter scit argumentatiue de arte disserere, alter proprie operari. Vel exemplum de medico theorico & practico, horum alter magis artem nouit per scientiam, alter per experientiam.

Cap. XXXIX.

Quomodo per intellectum homo in spiritualibus experientiis se teneat, & de quadruplici visione.

DIcto de illis, quæ ad affectum in spiritualibus spe-H ctant, videndum breuiter de his, quæ in spiritualibus experientiis magis pertinent ad intellectum, vt sunt reuelationes secretorũ, & visiones, & imaginariæ demonstrationes, in quibus quidam de veritate aliquando erudiuntur, & aliquando plurimi deluduntur. His autem tanto minus immorandum est, quanto frequentius eos sibi intendentes decipiunt, & quanto minor est in talibus profectus, etiã cum vera sunt, licet à rudibus, & spiritualium charismatum ignaris, magnæ sanctitatis & experientiæ & sapientiæ virtus in huiusmodi consistere æstimetur. Quatuor sunt genera visionum, & totidem sunt genera reuelationũ, quamuis & visiones dici possint reuelationes, quia in eis aliqua secreta reuelantur. Quædam visiones proprie possunt dici corporales, quæ vigilanti corporaliter ostenduntur, vt Moses vidit Dominum in rubo ardẽti, & patres sæpe angelos visibiliter susceperunt. Ad hanc potest referri quorumlibet sensuum experientia, vt auditus, gustus, adoratus, tactus, quia visus pro quolibet sensu poni solet. Exod. 20. Populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ. Voces namque & sonitum buccinæ non visu,

A sed auditu percipere potuerunt. Aliæ sunt imaginariæ visiones, quæ vigilanti non corporaliter, sed imaginarie ostenduntur, siue sobrie in excessu mentis rapto, vt visiones Ezechielis & Danielis, & aliorum sanctorum in veteri & nouo Testamento. Aliæ similiter imaginariæ, quæ dormientibus ostēduntur, vt Iacob vidit Dominum innixum scalæ, & Pharao, & Nabuchodonosor somnia viderūt præsagia futurorū. Istæ omnes visiones conueniunt omnes in hoc simul, quod non solum bonis, sed & malis sæpe ostenduntur. Itē quod quandoq; veræ sunt, & per eas erudiuntur aliqui ad virtutē, & quandoq; deceptoriæ, & aliqui eis deluduntur. Ezec. 13. Visionē cassam vidistis, & diuinationē mendacem locuti estis. Item quod nec faciunt sanctum nec ostendunt. Alioquin Balaam sanctus esset, & eius asina, quæ vidit Angelum, & Pharao sanctus esset, qui futurorum præsagia somnia vidit. Item, quod si veræ sunt, per se meritoriæ non sunt, & qui multa talia videt, non est melior, & qui nulla, non est minor, sicut & de miraculis aliis. B Item, quod plurib. sæpe magis nocuerunt talia, quàm profuerunt, quia inaniter inde gloriantes extollebātur. Multi etiam putantes se vidisse visiones, cùm nil viderint, seduxerunt se & alios, vel ad quæstū auaritiæ retorserunt. Multi finxerunt se mendaciter vidisse visiones, ne aut haberentur inferiores cæteris, aut præ cæteris honorarentur, quasi sanctiores, quibus secreta Dei ostenderentur. In quibusdam etiā solent huiusmodi visiones esse præludia insaniæ, quia cerebro confuso, & fumis ipsum obnubilantibus, etiam visus oculorum cōfunditur, vt putet sibi apparere aliquid veraciter, quod phantasticum est & falsum. Ezec. 30. Sicut parturientis, cor tuum phantasias paritur, ne dederis cor tuum in illis. Alia visio est intellectualis, quia illuminatus mentis oculus luce veritatis, purè ipsam veritatem in se contemplatur, vel intelligit in visione imaginaria veritatem, quæ in illa significatur. Sicut Paulus cum raptus in paradisum, vel in tertium cœlum, vidit inuisibilia, & audiuit verba ineffabilia, quia nō corporearum rerum imagines, sed ipsius veritatis splendorem pure intuitus est. Ioan. etiā C Euangelista, licet sub figuris corporearum rerum describit Apocalypsin, creditur tamen purè omnia vidisse & intellexisse, quæ ibi figuraliter descripsit, vel propter capacitatem aliorum, quibus ipsa pura veritas præ sui splendore imperceptibilis fuit, vel magis propter mysteriorum velationē, quæ non passim omnibus propalanda sunt, vt exerceantur digni, & excludantur indigni à sacrorum mysteriorum intelligentia, sicut & reliquarum sanctarum scripturarum mysteria figurarum velaminibus sunt operta. Hoc significabat velamē ante sancta sanctorū oppansum, intra quod non licebat populo, sed solis sacerdotibus introire. Similiter Sanctuarium inuolutum in profectione leuitis imponebatur portandum, quod antequam inuolueretur, non licebat aliis quam sacerdotibus, nude contingere & videre, hoc significante Spiritu sancto, quod profundę scripturæ mysteria perfecti aliquatenus vident, alii autem inuoluta portare debent, dum sumus in hac via, velamen figurarum. Ipse enim imaginariarū vel corporalium visionum figuræ, etiam cum veræ sint secundum spiritualem significationem, D non sunt veræ secundum rei existentiam. Non n. verum est, substantialiter esse boues in cœlo, vel leones, & aquilas, vel alia quæ in Apocalypsi, & aliis Prophetarū visionibus describuntur. Sed ibi sunt cœlestes virtutes, quarum merita vel officia istarum bestiarum, & aliarum rerum proprietatibus figuraliter designantur. Credimus Christum glorificatum, corporaliter esse in cœlo, nec vltra secundum substantiæ suæ veritatem nasci de virgine, lactari, vel pati, vel alia quę Euangelica docet historia eum fecisse, cum hominibus in terra conuersabatur. Et tamen sic sæpe refertur aliquibus sanctis & deuotis apparuisse in visione vel nascens, vel gremio contentus, vel extensus in cruce, non quod ita secundum veritatem fieret, sed quod illis propter aliquam singularem consolationem, & deuotionis excitationem, vel propter aliquam spiritualem significationem, sic appareret. Scimus enim quod Christus exurgens ex mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, sic nec vltra corporaliter lactabitur, vel nascetur. Ita & de aliis sanctorum & angelorum apparitionibus est tenendum. E Non videtur autem prætereundum, quòd quidam decepti à seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus putant sibi apparere in visione, vel ipsum Christum, vel eius gloriosissimam Genitricem, & non solum amplexibus & osculis, sed etiam aliis indecentiorib. & gestibus & actibus ab eis demulceri. Et sicut spiritus ipsorū interius ab ipsis consolatur spiritualiter, ita & caro exterius sibi congruo oblectationis sensu sensibiliter demulceatur, & carnaliter consoletur. Quod non tantum est falsum & seductorium sed & blasphemia grauis esse, liquido comprobatur. Spiritus n. Sancti visitatio sicut contra omnia vitia reprimenda & detestanda infunditur, ita etiam singulariter cōtra omnes carnales illecebras opponitur. Et vbi spiritus munditiæ suo iubare resplēduerit, continuo omnes, præcipue voluntatis motus euanescere, & velut tenebras superueniente lumine disparere, necesse est. De his vero, qui cum aliquando dulcedinē spiritualem sentiunt, continuo etiam carnalis delectationis pruritu illecti fœdantur, quid iudicem? nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et F sicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoq;, in huiusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur, ita etiam excusare nescio, qui tali fluxu ex cōsensu delectantur, qualiscunq; eorū intentio videatur.

CAP. XL.

Quod reuelationes secretorum pluribus modis fiunt.

Reuelatio secretorum vel futurorum pluribus modis fieri videtur, in quibus sicut in visionibus prædictis, plurimi seducuntur, putantes Spiritum Sanctum esse, quod proprius sensus finxerit, vel spes erroris suggesserit. Et ideo multiuariis vaticiniis iam vsque ad fastidium repleti sumus, de Antichristi aduentu, de signis propinquitatis iudicii, de destructione religionum, de persecutione Ecclesiæ, de regni defectione, & variis mundi pressuris, & aliis pluribus malis. Quibus etiam viri graues & deuoti, G plus quā oportuit, creduli extiterunt, de scriptis Ioachim, & aliorum vaticinantium varias interpretationes extrahentes, quæ etsi vera essent & authentica, tamen religiosi plurima inuenirent in quibus fructuosius occuparentur. Cum Christus Dominus in Apostolis tales curiosas inquisitiones represserit, dicens: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Reuelatio aliquando fit per vocem, & verba expressa, vt Petro, & Ioanni, & Iacobo in monte cum Iesu, vox de nube dixit: Hic est filius meus dilectus. Vnde Petro dictum est. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus, &c. Vel sicut Samueli primo sermo Domini factus est in Silo. Aliquando fit per somnum, vt Ioseph viro Mariæ dictum est in somnis, vt acciperet Mariam, & fugeret in Ægyptum, & rediret. Et Magis similiter dicitur in somnis, ne redeant ad Herodem, & aliis pluribus locis similiter inuenitur. Aliquando fit per Spiritum Angelicum vigilanti, & intrinsecus. Zachariæ H 4. Angelus qui loquebatur in me, dixit ad me, Nunquid nescis quid sunt hæc. Aliquando fit per Spiritum sanctum interius in mente. Psalm. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et hoc duobus modis, vno cum inspirat menti aliquid agendum, vel dicēdum, vel de propriis docet, vel de alienis, sicut Prophetis inspirauit quid facerent vel dicerent, vel cum futura eis vel absentia, vel abscondita reuelauit. Secundo modo cum non de speciali facto illo vel illo, sed generaliter ad plura per mētis illuminationē ostendit, quid secundum veritatis iudicium sit melius, vel non melius, sicut docet omnes iustos declinare à malo, & facere bonum. Et per spiritum scientiæ, vel cōsilii, vel intellectus, vel sapientiæ, beneplacitum Dei agnoscere, & eligere potiora. Est & alius modus reuelationis per Spiritum S. cum homo ex Dei inspiratione orat Deum, pro aliqua speciali causa propria, vel aliena, & per affectum deuotionis, & fiduciam exauditionis intelligit se exauditum in hac petitione. Et licet confidat, quod id pro quo orauit,

A habiturum ſit proſperum ſucceſſum, neſcit tamen ſæpe qua via habebit proceſſum. Econtrario cum non ſentit ſibi infundi fiduciam exauditionis, intelligit ſe non habiturum effectum ſuæ petitionis, licet non ſit in hoc omnino certus, quia neſcit an hoc ſit defectus deuotionis vel indicium negatæ petitionis. Hoc tamen reuelationis genus eſt ſpecialiter deuotis mentibus familiare. In hoc tamen aliquando quidam deuoti inueniuntur decepti ſicut intrinſeca inſpiratione, & hoc taliter fieri videtur. Cum homo deuotus Deo aliquando intendit, & per magnæ deuotionis affectum confidit Deum ſibi eſſe fauorabilem, optat vel orat, ſibi vel alteri, illud quod tunc deſiderat, euenire, & cum iam fuerit in affectu deuotionis, & fiducia diuinæ propitiationis, antequam iſtud optaret, accedente modo optatæ rei deſiderio, fit affectus feruentior, & fiducia ad Deum ex feruore conſtantior, & quia præſumit Spiritum S. hanc deuotionem operari, cum ſpiritus malignus non poſſit affectum deuotionis infundere, quem nunquam
B habet, confidit ſe non decipi, & incerta ſpe deſiderij ſui non confundi, quoniam teſtimonium adauctæ per Spiritum S. deuotionis & fiduciæ creditur approbaſſe. Sed in hoc poteſt eſſe deceptio, quod ſpiritus hominis ex deſiderio rei quam diligit, cum de illa ſtudioſe cogitat hilareſcit, etiam cum in nulla prius erat deuotione ad Deum, ita quod aliquando præ deſiderio illius rei, vel euentus, facile prouocetur ad lachrymas, maximè ſi res eſt quæ ſpectat ad deuotionem qualemcunque. Sicut ſæpe etiam cum pro vana gloria quis optat gratiam bene prædicandi, vel prophetandi, vel miracula faciendi, vel aliud vnde admirandus videretur agendi, cor deluſum huiuſmodi phantaſmatibus hilareſcit, & in vanam affectionem pingueſcit. Quanto ergo magis affectus cordis exhilaratur, & deuotior efficitur in ſe, cum cogitat & optat quod deſiderat, non ex leuitate vel vanitate, ſed ex maturitate & charitate, dum interim eſt in alia ſpiritus conſolatione, quæ facili occaſione poteſt ad ampliora deuotionis incitamenta ſuble-
C uari, & quod tunc confidentia proprij ſpiritus loquitur, putat loqui Spiritum S. dum non ſubtrahit deuotionis gratiam quam dedit, imo dilatato cordi per deſiderij ſui appetentiam profuſiorem gratiam infundit, quo cordis exhilarati capacitas locum amplioris in ſe gratiæ præparauit, cor enim liberum, & beneuolentia iucundum, aptius eſt ad deuotionis gratiam recipiendam, quam triſtitia & amaritudine conſtrictum, quia Spiritus S. amor eſt & beneuolentia & iucunditas patris, & ſimilia ſimilibus magis congaudent naturaliter. Lætitia eſt cœleſtis patriæ proprium, mœror triſtitiæ eſt huius exilij negotium, amaritudo deſperationis, & infernale ſupplicium. In omnibus igitur reuelationum vel viſionum generibus magna cautela habenda eſt, ne falſa pro veris, noxia pro ſalubribus, exigua pro eximijs, & indifferentia pro ſummis recipiantur. Solus autem Spiritus S. per donum conſilij, & per gratiam diſcretionis, ſcit hominem expedire & certũ reddere, quid in illis recipiendum ſit, vel reſpiciendum, & quomodo eis vtendum, ſicut Prophetas & Sanctos docuit, quibus non ſolum vera oſtendit, ſed etiam pro veritatis teſtimonio,
D quia vera eſſent interius demonſtrauit. Alijs autem videtur eſſe ſecurius, talia non quærere, oblata non cito credere, deceptionis foueam timere. Aliquando etiam oblata velut minus fructuoſa paruipendere, vt ſi vera ſint, ſe habeat indifferenter ad ea, ſi falſa, non innitatur eis, ne decipiatur. Et ſi velit aduertere, quærat ſuper his conſilium ſapientum ſolummodo & paucorum, & ad illa ſtudioſe ſe exerceat quæ ſunt ſecura & meritoria & fructuoſa, quæ ſunt vitia extirpare, & virtutum ſtudijs fideliter inſudare, ſacræ ſcripturæ ſanum ſcrutari intellectum, & per orationis vſum mentem accendere ad deuotionis affectum. Hæc ſunt ſalubria ſtudia religioſorum, & quanto quis ſe in illis exercuerit, tanto maioris meriti, & maioris gloriæ apud Deum erit.

Cap. XLI. E

Quomodo in ſenſibilibus experientijs, quæ deuotis aliquando fiunt, ſe homo habere debeat ad melius, & de ſubtractione gratiæ deuotionis.

SVnt etiam quædam ſenſibiles dulcedinis & ſuauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoque infunduntur, vt mirabilis fragrantia odorum, ineffabilis ſuauitas ſaporum, & hymnificæ melodiæ vocum & ſonorum, & guſtu vel tactu perceptibiles experientiæ indicibilium ſuauitatum. Quæ cum veræ ſint, & à Deo, poſſumus æſtimare, quod aut dentur quibuſdam nouis & rudibus, qui ſpiritualia nondum lucidè intelligunt, vt ſaltem per ſenſibilia conſolentur in Domino, qui virtutem purè ſpiritualium non cognoſcunt, in quibus maior eſt vis, & certior veritas, & fructuoſior profectus, & purior perfectio. Aut quod ideo dentur etiam perfectiorib. in ſpiritu ſenſibiles conſolationes,
propter redundantiam interioris dulcedinis, vt ſicut anima communicat corpori ſuo, quaſi comiti & ſocio viæ paſſiones ſuas, ita cõmunicet ei conſolationes, triſtante enim anima interius, etiam corpus exterius tabeſcit. Sicut ergo corpus collaborat ſpiritui & cõpatitur in merito, ita dignè cõparticipat & remuneratur ei in præmio, non ſolum futuræ gloriæ, ſed etiã præſentis gratiæ, ſicut Domini in conuiuio epularum ſeruis ſuis tranſmittuntur reliquias ferculorum. Sicut ſocij paſſionũ eſtis, ita & conſolationis eritis, & hoc eſt ex ſuperfluenti menſura, quæ datur electis, cuius redundantia effuſa peteat, excipitur à corpore, quod particeps fuerat in labore. Sed ſicut de viſionibus & reuelationibus, ita & de his ſenſibilibus experientijs ſentiendum, quod aliqui ſeducuntur in eis, putantes eſſe à Deo, quod forte eſt phantaſtica deceptio. Et aliqui putant aliquid eſſe magni, quod nullius eſt in ſe meriti, & aliqui extolluntur de talibus apud ſe, & iactant ſe quaſi de ſingularis gratiæ ſanctitate. Habent etiam hoc proprium diuinæ dulcedinis experientiæ, maximè cum frequentiori vſu & valentiori F
motu influũt, vt reficiendo ſpiritũ corpus debilitent, & ita quodãmodo delectando affligens, ſicut ruſticũ cibis groſſiorib. aſſuetum, delicioſa fercula ſæpius ſumpta alterando tabefaciunt & diſſoluunt. Ignobile namq; corpus & corruptibile, ſicut pecus brutalicis eſt aſſuetum, id eſt terreſtribus & vilibus. Geneſis. Comedes herbas terræ, & hoc eſt poſt peccatum. Quærunt autem deuoti aliquando vehementia corpore debilitati, vtrum ſit melius, debilitatẽ corporis pótius ſubire, & ſpiritum per deuotionis ſtudiũ cum Deo roborare, & gratiã oblatam non abijcere an præ nimia debilitate ſe abſtrahere à deuotione, & ſpiritum extinguere, & exterioribus occupationibus ſe dare pro corporis releuatione? Ad hoc ſaluo conſilio ſaniori, videtur cõſulendum nimis debilibus, quod interdum poſſunt ſe vtiliter abſtrahere à ſtudio deuotionis, & conatu proprio ad hoc non inſtare, vt quaſi extorquendo exprimant deuotionis affectũ, quia talis violentus conatus debilitat etiã validiores. Si autẽ ſine laborioſo conatu offert ſe gratia, & ingerit ſe illis non quæſita, tunc ne abijciant eã, nec omnino totaliter ſe ingerant ei, maxime ſi vehementer ex hoc debilitari ſe ſenſerint, ſed temperate & in quadam ſpiritus libertate ſuperficialiter ei inhæreant. Iuxta illud: Mel inueniſti, cõmede quod ſufficit tibi, id eſt, quod ſatis eſt iuxta virium tuarum menſuram. Vtilius eſt enim ad horam temperatius frui gratia deuotionis, quam omnino exhauſtis viribus, & deſtructa virtute naturali totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter ea carere. Quia ſic deſtructi ſæpe poſtea nimis ſibi incipiunt compati, & vt recuperent vires amiſſas per deſtructionem, nõ ſolum delicatius, ſed etiam diſſolutius quam expedit ſe habere. Exhauſtis namque viribus maxime capitis & cordis, vix audent ad ſtudium deuotionis per moram aliquam aſpirare, quia retrahit eos quotidie moleſta debilitas. Et quo magis contra illam conari volunt, eo minus poſſunt. Et ideo conſultius videtur conſolationes diuinas moderatius quærere, cum debilitas corporis obſiſtit, vt diutius eis frui poſſint, & auctas valeant tolerare, quam ad breue tempus in eis ita indiſcrete delectari, vt eas poſtea fugere oporteat, & ſine ſpe recuperandi amittere G

H

tere propter virium defectionem, vase enim contrito liquor effunditur. Vnde dicitur in Psalmo: defecit caro mea & cor meum, quia cum corporis virtus omnino deficit, etiam cordis vigor à deuotione languescit.

Cap. XLII.

Quod propter quinq; rationes deuotionis, gratia aliquando bonis subtrahitur.

Fit etiam plerunque studiosis deuotionis, vt dum magis conantur habere deuotionis gratiam, minus habeant, & cum vehementius instant, aridiores & duriores corde fiant. Sicut in summis festiuitatibus & deuotis temporibus, passionis Christi, & natiuitatis, & similibus, & maxime cum se ad sacram communionem student solicite præparare, & multi ex hoc sæpissime grauiter contristantur, & ad illam partem ex turbati cordis pusillanimitate interpretantur, quod forte indigni sint visitatione diuina, & quod non placeat Deo, quod sic indigni, & indeuoti ad sacram communionem accedant, & sic sæpe se subtrahunt à cibo vitæ, & medicina salutis. Sed cum homini incertum sit, an sit dignus amore vel odio Dei, secundum cõmunem dispositionem, & cum meritũ singulorum Deo soli sit notum, si non possumus secundum veritatem cuiq; consulere, quid sentire, in huiusmodi debeat & facere, possumus tamen secundum coniecturas aliquas rationes colligere, cur Deus tunc subtrahat bonis & studiosis deuotionis gratiam, cum eam libentius haberent, & instantius quærunt. Et possunt super hoc quinque rationes assignari. Vna est humiliatio, quia magis humiliatur homo, cum nõ habet tunc deuotionem, quã alio tempore habuit, & magis confunditur in seipso, sicut sæculares plus confunduntur, si in pasca non cõmunicant, cum solitum est communicare, cæteros, quam toto reliquo tẽpore anni. Secũda est purgatio peccati, quia forte per alia exercitia minus purgatus est homo, vel aliqua habet delicta, quæ non recolit, & vt dignius accedat ad Eucharistiam, & amplius purgetur à peccatis, in hoc punitur, in quo magis dolet, & quo dolor grauior, eo purgatio efficacior. Et maxime quia forte alio tempore minus studiose quæsiuit deuotionis gratiã, vel oblatam negligentius recepit, nec dignas pro ea gratiarũ actiones retulit. Punitur modo in quo peccauit, vt tunc illa careat gratia cum desiderat, quam ante neglexit, cum habere poterat, & cautior de cætero in hac parte fiat. Tertia, vt ex hoc eruditior in gratia fiat, quod hoc à Deo sit, non ab homine, cum nõ potest homo eam pro libertate arbitrij sui habere, sed ex Deo, qui dat ex se, & quando vult infundit, & quando vult subtrahit, prout sibi placet, & prout accipienti videt conuenire. Item, quod ex gratia sua dat, non pro meritis hominũ, quia cum daret semper cum quæritur, putaretur iam dare tantum, quantum merita requirunt, & non secundum gratiæ libertatem. Ideoq; quandoq; studiose quęrentibus, negat ex iustitia, & non quærentibus, dat ex gratia, vt ad se trahet. Iuxta illud: Trahe me post te, curremus in vnguentorum tuorum odorem. Duæ enim sunt tentationes deuotorum satis consuetæ, maxime nouis & imperfectis, hæsitatio scil. & elatio. Hęsitant enim sæpe, an à Deo sit talis gratia, vel homo per se istos motus suo conatu prouocet, aut procuret, & est satis importuna tentatio. Aliquando etiam videtur homini, quod forte possit esse Dæmonis illusio; & sic perplexus quandoq; cogitat, studium deuotionis omnino postponere & simpliciter vocalibus orationibus, & exterioribus actionib. solum intentus esse, quasi in illis sit securior, quam in studio internæ deuotionis, & hoc præcipue patitur, cum gratia deuotionis subtrahitur. Et sic dupliciter tribulatur de subtractione gratiæ, & de hæsitatione, si fuerit à Deo gratia quam habebat. Sic discipuli ante plenam Spiritus S. missionem vacillabant in fide Christi, dummodo visis eius miraculis, & excellenti doctrina, credebant eum Dei verum filium, modo visis eius passionibus pro nobis susceptis titubantes hęsitabant: Sicut eo passo, antequam certi erant de eius resurrectione, inter se dicebant: Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel, quasi dicerent, adhuc spe illa frustrati sumus. Sic & post resurrectionem suam viso eo gaudebant, & tamen dubitabant, donec per multa argumenta de veritate certificati sunt, maxime post ascensionem suam, & Spiritus S. missionem. Ita & deuoti Christi fideles, modo gaudent, de consolatione internæ gratiæ, modo dubitant, & tristantur, ideo varie in eis operatur Spiritus S. nunc illo modo, postea alio modo. Iam infundit eis consolationem, & iam subtrahit, donec pluribus indicijs experiatur veritatem, & vtilitatem suæ visitationis. Præsente enim gratiã gaudent de consolatione, & securi sunt de veritate, absente ea vtriusque solatio carent. Sapiens autem in die malorum, non immemor studet esse bonorum, quorum recordatio reuocat eum à pusillanimitate Spiritus, & tempestate, & hoc valet ei contra primam istam tentationem, scil. hæsitationis. Rursum in die bonorum, non immemor studet esse malorum, per quæ humiliatur, & timores, ab elationis tumore comprimitur, & sic illa tentatio sanatur. Extolluntur enim deuoti quadrupliciter, quia aut gloriantur se deuotionis gratiam præcedentibus studijs & laboribus meruisse, aut præ cæteris, qui hanc gratiam non habere videntur, se esse à Deo magis dilectos, & maiorem gratiam sibi esse datam, quam sit in veritate. Aut se melius scire ea vti, & gratius eam accipere, & fructuosius impendere, & minus negligere, quam alij, qui simile donum gratiæ non acceperunt. Contra priorem tentationem, scil. hæsitationis, valet constans fiducia credulitatis, quod à Deo sit ista gratia, & diligens consideratio ipsius gratiæ, scil. si motus eius semper sint ad bonum. Sed & humilis consiliatio super illa, apud aliquem expertum, peritum, & exercitatum in talibus, & prompta voluntas acquiescendi, qualiter in gratia se debeat habere, & supplex ad Dominum oratio, ne permittat hominem decipi à sensu proprio, vel spiritu alieno. Cõtra aliam tentationem elationis, valet diligens cognitio propriæ infirmitatis, & teporis, & negligentiæ, & ingratitudinis, & inanis gloriæ, & timida expectatio reddendæ rationis, de gratia collata & neglecta. Et pauida suspicatio subtrahendæ gratiæ, & derelictionis à Deo propter vitia prænotata, iam diu causa correctionis tolerata, & non emendata, & studiosa consideratio aliorum, qui in gratia & virtutibus, & omnibus bonis studijs incomparabiliter nos præcellunt. Quarta ratio negatæ deuotionis est, cum quandoque studiosius quæritur, quam quærenda est, quia aliquando ex impetuoso cordis conatu libertas mentis obstruitur, dum quasi per violentã extorsionem accelerat affectũ deuotionis exprimere. Et si non iuxta desiderium cordis statim potest elicere gratiam quæsitam, contristatur, & amplius ex hoc induratur, & quo impetuosius se cupit ad deuotionem cogere, minus proficit, & amplius arescit. Sicut qui botros in torculari, vel oliuas in prelo subito & nimis vehementer comprimit, liquor magis turbidus & insipidus fluit, quã si paulatim & moderatius compressisset. Quo enim liberior Spiritus, & pinguior est deuotionis affectus, ideo alio tempore sæpius est homo deuotior, quia tunc Spiritus suæ libertati relictus, sponte se eleuat in sublime. Violenta enim acceleratio præuocat spiritum, sicut etiam in corpore, morosa respiratio cordis, refrigeratio est. Quinta ratio potest esse meritum maioris gratię & glorię, dum desiderium non adimpletum, affligendo purgat animam per patientiam desolationis, quia humilis sustinentia, & sufferentia mœroris, quasi lima reddit animam clariorem, & magis susceptibilem splendoris diuini, & amplius gratiæ & gloriæ capacem. Lux enim vultus Dei, & fulgor claritatis eius, omnibus æqualiter supersulget, qui autem purior à vitio obscurante, & liberior est, magis capax est lucis & illuminationis desuper influentis. Sicut vitrum clarum & metallum bene limatum & politum radios luminis amplius recipit, & splendidius efficitur. Quia ergo afflictio lima est animæ, quæ rubiginem vitiorum abradit, vt deterso peccato, quod sua obscuritate radios diuini fulgoris velut obex ad anima excluserat, lucem gratiæ lima recuperet, purgat Deus aliquãdo deuotorum corda per subtractionem illius consolationis, cuius carentia maxima est eis afflictio, vt sic purgati à peccatis, fiant abundantioris gratiæ recipiendæ idonei in præsenti, & gloriæ in futuro, etsi consolationem hanc specialis culpæ demeritum non subtraxit.

A

Cap. XXXXIII.

Vtrum sit melius, sæpius an tardius, corporis Christi recipere sacramentum.

SI vero desiderat aliquis experiri, vtrum sit melius, sæpi⁹ an tardius corporis Christi recipere sacramentum. Videtur mihi quod non possit omnibus super hoc dari regula vniformis, varia enim sunt hominum merita, diuersa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus Sancti operationes in singulis, & diuersi status, etiam in religione. Et ideo sicut in ægrotantibus non potest vna forma seruari in dandis corporis medicinis, siue propter diuersitatem complexionum, aut virium, & loci, & temporis, aut dietæ, aut aliarum considerationum, pro quibus aut rarius aut sæpius, aut in maiore, aut minore quantitate, etiam eadem medicina datur: Ita & de medicina Spirituali, quæ est corpus Christi, est intelligendum. Mundialibus etiam curis occupati, rarius possunt se ad illud recipiendū B expedire, quam qui tantum spiritualibus sunt intenti, & alii magis, alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, & morum & conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii vero quodammodo terrentur, cum debent accedere, & nisi conscientia vrgeret, & consuetudo induceret, vel timor maioris elongationis à Deo impelleret, valde raro accederent ad illud terrificum sacramentum. Vix tamen aliquis religiosus videtur esse ita sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in hebdomade sufficiat ei communicare ex consuetudinē, nisi specialis causa quandoque & ratio plus suadeat, vt infirmantibus, & superueniens singulariter solennis festiuitas, vel inusitatæ deuotionis effectus, & intemperata desiderii sitis pro illius susceptione, qui solus sufficit ardorem se amantis refrigerare. Et quia talis ardoris impetus, non nisi à Spiritu sancto infunditur, ideo legibus humanæ consuetudinis, & statibus mortalium non arctatur, sicut aliquos quandoq; vidimus, licet paucos, quibus viuere Christus erat, Ita, vt si fre- C quentius pane vitæ nō reficerentur sacramentaliter, quasi videbantur vita corporis iam velle deficere, patentibus indiciis iam prodentibus hunc defectum, & qui iam ante debiles erant, quod nec incessum directum habere poterant, post perceptionem illius sacramenti, tantum confortabantur, quasi nullam ante senserint debilitatem, manifeste apparente sententiæ illius veritate, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, quia nullus cibus materialis, sic posset celeriter & efficaciter, non solū corpus sed & animam, recreare. Salubre tamen est & vtile, quod homo sæpe ad Sacramenti illius perceptionem se præparet, & quanto deuotius valeat, istud studeat percipere, & post perceptionem in studio deuotionis se conseruet attentius, & maxime religiosi, & qui se obtulerunt ad perpetue Deo seruiendum. Sic enim erunt in maiori custodia vitæ suæ & conscientiæ, dum & ante & post eucharistię perceptionem, ob reuerentiam eius, student magis innocenter viuere, & studio deuotionis frequenter intendere. Et licet aliquando aliquis trepide, tamen confidens dę D misericordia Dei, fiducialiter accedat, quia si se indignum reputat, cogitet, quod tanto magis æger necesse habet requirere medicinam, quanto magis se sentit ægrotum. Non enim opus est valentibus medicus, sed male habentibus. Et ideo te quæras coniungere Christo, vt tu sanctificeris ab ipso. Nec prætermittenda est ipsa sacra communio, si quandoque non sentit homo specialem deuotionis gratiam, cum se ad illam præparare studet, vel cum in ipsa perceptione, vel post, se forte sentit minus deuotum quam vellet, quia ex aliqua supra dictarum causarum ratione, solet illud euenire. Circa sacerdotes autem potest hęc forma teneri, vt nec nimis raro, nec semper continue, & inprętermisse sacram Eucharistiā studeant immolare. Nimis enim continue celebrare, aliquam notare videtur irreuerentiam, cum vix tam deuotus sit aliquis, qui semper eadem deuotione ferueat, & cum tam debita reuerentia semper illud faciat, quin aliquando quantulumcunque deficiat. Nimis etiam raro celebrare, quamuis ex reuerentia aliquando soleat fieri, & ex humilitate, tamen quandoque teporem nutrit, quia minus circumspectus est E homo tunc in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodia, cum non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est vsquequaque secura, propter quam diu se subtrahit, quod sicut non est sæpe dignus corpus Christi percipere, ita nec semel. Ideo enim cum recipimus, non quia digni sumus, sed vt illo nos sæpe visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrante, magis digni efficiamur. Quo enim introierit, benedicit Dominus, sicut olim domui Obed Edom benedixit propter arcam Domini, in qua manna seruabatur, propter quod voluit eam Dominus reducere cum benedictione, *Sapient*.8. Posui mihi adducere hanc, quia communicabit mecum de bonis suis, quæ scilicet bona in istis versibus comprehenduntur.

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget,
Hostia spem purgat, reficit, vitam dat, & vnit,
Confirmatq; fidem, munit, fomitemq; remittit,
Quot stellæ in cælo, vel guttæ in flumine fontis,
Tot sacramenta tui reperis in corpore Christi. F

Diuersis autem affectionibus & intentionibus, diuersi ad communicandum trahuntur, vel celebrandum, aliquos trahit amor Dei, vt dilectum ad se sæpius inuitent, eumque delectabiliter in seipsis amplexentur. Aliquos infirmitatis propriæ intuitus, vt eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos conscientia delictorum suorum, vt per eum, quasi per hostiam placationis suæ, ab omnibus peccatis expiati purgentur. Aliquos pressura alicuius tribulationis, vt per eum qui omnia potest, ab omni aduersitate liberentur citius, & tutius protegantur. Aliquos desiderium alicuius gratiæ vel beneficij impetrandi, per eum, cui patet nihil potest negare pro se intercedenti. Aliquos gratiarum actiones pro beneficijs diuinis, cum nil dignius habeamus Deo reddere, pro omnibus quæ nobis retribuit, quam calicem salutaris accipere, id est, Iesum. Aliquos laus & honor Dei, & sanctorum, cum non habeamus maius, quo possimus Deum, vel sanctos, pro sua dignitate laudare, quam Christum im- G molare Deo patri. Aliquos compassio & charitas proximorum, cum pro salute viuorum, & pro requie defunctorum, nihil efficacius interpellet, quam sanguis pro nobis effusus, & hoc est summum auxilium nostrum, cum oramus Deum, vt intercessorem inuocemus, qui nos ipsi reconciliauit, & semper interpellat pro nobis. Multis de orationis studio omissis, quæ studiosius orando melius per experientiam discet. Hoc tamen in fine est dicendum, quod omnia quæ orando petimus, sunt ista, aut oramus pro malis quæ patimur amouendis, aut pro bonis quæ cupimus adipiscendis, aut gratias agimus pro acceptis vel pro dimissis. Quæ nobis Dominus concedat, qui sine fine viuit & regnat, Amen.

Finis Opusculorum Dauid de Augusta.

IACOBI SANCTI GEORGII AD VELVM AVREVM DIACONI CARDINALIS, DE CENTESIMO SEV Iubileo anno liber incipit. H



FVturorum aliquid mandare memoriæ de cētesimo (quem Iubileum fore constat) anno: in his; quorum quædam visa; quædam opinione didicimus; conceptum animo votum aggredimur: rem siquidem, Deo auspice; & si notam præsentibus, nō tamen inutilem! posteris vero necessariam, & vtrisq; oblectationis causam. Nam & quo res vulgatior est; eo libentius sentire gliscimus, dum paucos præsentis æui in aliud peruenturos speramus: paruique refert; grande minimumve fuerit quod gestum est, dum vtrumq; delet obliuio. Inuocata itaq; nobis humiliter, ineffabili indiuisibilis vnitatis diuinitate; ac, ad intactæ virginalis pudicitiæ thalamum, deindeque ad Apostolorum principes Petrum & Paulum (surgentis bases Ecclesiæ) obnixè recurso; quo, suo imparibus viribus, opitulētur operi.

Petrus & Paulus, Apostolorum principes, & bases Ecclesiæ surgentis.

Neque

Neque enim nancisci nostram, sed ipsorum gestimus gloriam; ne inanis gloriæ recepta mercede inuenti vani, meritisque indigni, pœna vero digni repetiamur. Centesimi igitur exordium capiemus.

IN LIBRVM DE IVBILEO IACOBI CARDINALIS, IVLII Rosci Scholia.

IAcobi S. Georgij. Cum ego de hoc quisnam esset diu addubitassem, tandemq; illum Bonifacij VIII. nepotem vel fratris, vel sororis filium fuisse statuissem: ecce reperio in libro quodam vetustissimo M. S. in quo omnium Cardinalium memoria continetur, quisnam esset IACOBVS hic, nec à mea auctoris illius abhorruit sententia, liber est in manibus Alphonsi Ceccharelli viri doctissimi, cum in omnibus pene liberalibus artibus, tum in medicina præsertim. Ea vero quæ in libro habebantur hæc erant. IACOBVS Caietanus Anag. Diaconus Cardinalis S. Georgij in velabro fuit nepos Bonifacij VIII. Papæ, à quo fuit creatus Cardinalis, in prima creatione Cardinalium ab ipso facta anno M. CCXCV. Pontificatus vero primo, in quatuor temporibus aduentus Rom. Hæc ille, cum igitur ea esset auctoritate apud Pontificem, vt ea apud illum plus valeret nemo: scripsit historiam hanc vniuersam, vt temporum illorum stylus & eruditio ferebat. Erat enim hæc vetustissimorum temporum illorum conditio, vt quo magis eloquentiæ studia iacebant, ita maxime Philosophiæ & Theologiæ studia florerent. Nam post octauum annum à quo hæc quæ de Iubileo dicuntur gesta sunt, obijt ille subtilissimus & acutissimus Ioannes Scotus decus & ornamentum familiæ D. Francisci: fuit & ijs temporibus Petrus de Palude, floruit Alexander de Villa, Conradus Dominicanus, Henricus de Gandauo, quibus omnibus maximum lumen Theologiæ vniuersæ illuxit, horum credo discipulus Iacobus hic tantam sibi eruditionem & gloriam comparauit.

Quis fuerit ille Card.

LIBER INCIPIT.] Additur, incipit, & ad calcem, liber explicit: qui mos non est amplius in vsu, sed proprius illorum temporum fuit. Ita enim in libro quodam Alexandri Fernesij legitur, incipit liber geometricæ, artis conditus à Domino Gerberto Papa & Philosopho, qui & Syluester II. est nominatus. Quem locum eo attuli, vt quod volui declararem & confirmarem: & vt etiam pateat ex Onuphrio, vt errarit Platina existimans eum Pontificem diabolica dominandi cupiditate fuisse impulsum, & cum tandem Pontificatum adeptus diabolum sciscitaretur, quamdiu ea omnia quæ hic adfert interpres ad Syluest. II. referenda sunt in Pontificatu victurus esset; respondit humani generis hostis ambigue vt solet: si non attigeris Hierusalem diu viues, & tum Dei nutu factum est id quod fertur in Basilica sanctæ Crucis, in Hierusalem Romæ sacrificaret, facto moriturum se statim cognouit: Ac certe fabulam miratur Onuphrius doctissimus, & demonstrat, ex Annonio lib. 5. de rebus gestis Francorum, cap. 46. & aliis, fictum totum esse. Quoniam vero temporibus illis, pauci erant Mathematici, si qui ijs disciplinis operam dedissent Magi, & Necromantici vocabantur. Demonstrat ille alibi de Ioanne, vt fuerit impositum Ecclesiæ Rom. sed de hoc ipse legatur.

Annot. in Ioan. 8. Plat.

INVOCATA ITAQVE.] Mira pietas ostenditur illorum temporum: & certe, hanc rationem inuocandi Trinitatem initio operum Christianum est, cum ita etiam de Deo dicturus, Dionysius Areopagita Athenensium iudiciorum splendor, & ornamentum fuerit exorsus: Trinitas essentia Deitate, bonitate superior, diuinæ Christianorum sapientiæ dux, dirige nos in ipsum superignotum, & præfulgens excelsumq; mysticorum eloquiorum culmen.

IN IIS QVORVM.] Quam modeste historiam, rem nouam posteris & inauditam scripturus loquitur. Non ita ij qui vt libros edant, nihil spectant quod nouum, quod inauditum, quod vtile, quod posteris denium fructuosum sit. Ego certè ijs assentior qui proprium Christianæ modestiæ esse arbitrantur, non sua posteris dare, sed à maioribus adepta, & explicata seruare. Et id tum verum est in omnibus, tum in ijs quæ ad Ecclesiam spectant, vt egregiè Vincentius Lirinensis scribit, de quo affert ille exempla, quibus ad id imitandum inflammemur, hic vero & nouitatem in historia in doctrina de Thesauro, & indulgentia maiorum nostrorum auctoritatem, & admirationem: ei diuinitus concessa sequutus est.

NEQVE ENIM NANCISCI NOSTRAM.] Accommodatam rationem adfert, cur sibi, Dei, diuorumq; auxilium implorandum putarit, quod non ad sui ipsius, sed ad Dei gloriam opus referret, nec alium expectaret fructum laborum suorum. Exempli m certe mirificum omnibus pietatis & religionis. Et quidem Ægyptij ipsi cum vellent doctrinam describere, roris vberrimam copiam cœlo delabentem exprimebant, quod cognitionem scientiamq; diuinitus in hominum mentes delabi arbitrarentur. Quamobrem merito, Deo Opt. omnium donorum gratiæ sunt habendæ.

Panius Hier. gl. 38.

Cap. 1.

ANceps & pene citra opinionis fidem de proximo nunc futuro centesimo, cum millesimum tricentesimum præ foribus occursurum monebamur, ad Rom. Pontificem delatus rumor aduenerat; qui tantam eius fore anni vim, vt quo Romani ad Principis Apostolorum Petri Basilicam pergentes; omnium plenissimam peccatorum dilutionem sortirentur, polliceretur. Hinc vetustorum reuolui librorum monumenta pius pater edixit; quibus, eius quod quærebatur, nec ad plenum in lucem venit cognitio: forsitan (patrum si liceat tetigisse famam) ex desidia; seu ex schismatum vel bellorum, quo Roma sæpiùs vastari, lugere potiùs quam mirari vacet libris deperditis; seu quia nec tantùm veritatis vt opinionis suberat: in Lateranensi Patriarchio, eodem residente Præsule; centesimus oritur. Mira res! tota penè prima Ianuarij die, nouellæ mysterium remissionis occubuit: procliuo verò in vesperam sole quoad mediæ fere noctis intempestæ silentium, paruumque eo Romanis patefacto; frequentes ipsi ad sacram B. Petri Basilicam properant: oppressi, altaria stipant; alternatimque, se (vt vix accedere fas esset) impediunt ?tanquã ea, breui finienda, diei expirare gratiam vel maiorem autumarent. Accesserint ne; moti, cum aliqualis matutinus, de centesimo seu Iubileo, in Basilica factus cieret sermo; spontène sua iam (quod credulitati magis proximum est) cœlesti tracti nutu, qui centesimi transacta memoraret, vel ad ventura disponeret; haud nihil ambigentes, affirmemus. Ijs initijs; in dies, ciuium exterorumque fides & peregrinatio augeri cœpit; quibusdam, primo centesimi die, omnium culparum sordes deleri asserentibus; cæteris; annorum centum, indulgentiam fore. Sicque, fere vsque ad bimestre tempus: & similiter; die, qua toti orbi venerabilis reuelatur effigies (vulgo sudarium seu Veronica dicta) longe plus solito compactis turbis conuenirent; vtrumque dubij sperantes erant.

IN LATERANENSI.] Hinc luce clarius apparet, aliquando Pontifices incoluisse eam partem ædium ad Lateranẽsem Ecclesiam, cuius ruinæ cernuntur & nunc. Est vero rationi maximè consentaneum amplificasse & exornasse locum illum ædificiis, Constantinum Imperatorem, de cuius pietate & liberalitate memini me multa vidisse, in quodam libro vetustissimo M. S. & nonnulla legere quisque potest apud Platinam in vitam Syluestri primi, qui locus etiam vim maximam habiturus est, ad eorum confutandam temeritatem qui negant Constantinum a Syluestro baptizatum fuisse: quanquam de hoc egregiè Card. Polus ad calcem libelli sui de Concilio, vt vero ad propositum reuertamur, non dubitandum autem est illam aliquando fuisse sedem Pontificiam, quod & confirmat hic idem autor, paulo post, ad calcem capitis quarti vbi ait, etiam consistorium fuisse. Qui vero causas mutationis loci, vel quis primus mutarit ædes scire voluerit, legat alios: non enim ad nos spectat istud docere. Platina vero in Ioanne 5. ita scribit Ioannes, itaque vir singularis religionis & mansuetudinis vno omniũ consensu Pont. creatus in Ecclesia saluat, quæ Constantinianus appellatur ad Lateranum, qui textus varietatem istam illustrabit.

PATRIARCHIO,] Onuphrius, vir in historiis veterum maxime exercitatus, qui rursus edidit vitas Platinæ & illustrauit annotationibus suis: ita vt mihi certè præclaram in eo operam posuisse videatur. Is annotationibus suis ad vitam Bonifacii 3. tam multa testimonia de Patriarchalium sedium priuilegiis affert, vt putidum sit aliquid addere. Legatur ille, locus est enim dignus qui legatur vbi multis probatur Romanam ecclesiam primum locum obtinuisse.

SVDARIVM SEV VERONICAM.] Est Saluatoris imago, ad ingressum portæ sanctæ, quo religiosissimè asseruatur, ostenditurque. Et vero cum semper fuerit, eius maxima pietas & obseruantia, tum tempore Nicolai 5. apud Platinam legitur maxima omnium hominum frequentia colebatur. Nam ita scribitur in vita Nicolai 5. Iam attigerat annus iubileus, cum subito tanta multitudo Romam venit, quanta nunquam antea, vnde cum semel è Vaticano visa Saluatoris imagine ad vrbem rediretur, facta obuiam mula quadam Petri Barbi Cardinalis. S. Marci, cum neque venientes neque redeuntes ob insequẽtem multitudinem cadere possent, ca-

dente

A

dente vno atq; altero super mulam illam iam à multitudine oppressam, ad ducenta hominum corpora & equos tres obtrita & suffocata in ponte Hadriani constat. Reliqua eo loco legantur.

Cap. 2.

Platina in Bonif. 8.

VErum promotor noster Dominus Bonifacius 8. summus S. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex; vt erat ingenio vigili, refertusq; solertia; conseruabat hæc omnia, conferens in corde suo suoq; more; præsentia dum haud prohibebat, frequentiam acceptam esse coniciebat, venientumq; firmabat votum. Nec viuus præteritorum defuit testis; qui peregrinationis suæ centum & septem asseuerans annos, multis etiam eodem Præsule coram (ob id ipsum ascitis) astrueret? meminisse, patrem alio centesimo, Romæ (quousq;, quem secum detulit agricola, suffecit victus) ob indulgentiam moratum: seq; admonuisse; vt, si (quod non putaret) aduenisset; vt venturo centesimo, Romæ nequaquam puer adesse pigritaret: Nobisque idem sciscitantibus intulit, vnaquaque eiusdem anni die, illic centum annorum indulgentiam lucrifieri posse, ob quam peregrinaturus accesserat. Ast, Romæ, plenissime dilui culpas; apud Gallos vulgate credi: tanti æui duos adhuc diœcesis Beluacensis, pluresq; alios Gallici soli superesse, qui meminissent nobis assertum. Quorumdam vero ad ipsam principis Apostolorum Basilicam, dierum trium peregrinationem opportunam recensebat autumatio centesimo, vetusta miseratione perituris: sed vt iam nobis prætactum, in iis multiplex fama vacillabat.

B

Cap. 3.

IGitur de centesimi noua iam ad plenum digesta materia, sacrum Patrum consultasse cœtum, nolentem extinguere Spiritum, præsulem, fauorabiliterq;, ob Apostolorum merita, responsum, consultanti memoramus. Quamobrem quo limpidius scripto gerendæ rei clarescere veritas; exarari litteris concedendum discutiendumq; priuilegium iustum, ipsius sæpiuscule forma interlita ac ex hoc politiore facta, post collocutiones ad concilia præuias: eam Patres, manere, in gyrum consulti, suasere; diffiniensque decreuit Præsul, cuius ea mens est: Basilicę principis Apostolorum Dei, ipsa tantum fama crebrescente, tametsi incertum centesimum indultum illibatumq; subsistere. Quinimo; quibuscumque venerabiles Apostolorum Petri & Pauli Basilicas; externis, quindecim; Romanis, diebus triginta, visitantibus; quoquo centesimo vberrimam omnium peccaminum abolitionem impertiri: fructiferam, siquidem si pœnitentes & confessi, vel infra id temporis forent, quam ne eius tenori celetur vetustas. Alteramq; ipsi iam tactæ principali formæ apodaucã: quia illius & inobedientes scismaticiq;, extorres fiunt, suis vtriusque infra complecti verbis extimamus. Hæc coram decernente Præsule, Patres conscij etsi mussitarent, clam cæteris erant. Publicandi aderat tempus, Cathedræ Beati Petri celebritas: offerendum principii, in suo quam alibi honestius templo donec publicatur, sericis aureisq; amboni circumfulta, quo Romanus Præsul patresq; conscenderant, orationeque facta ad turbam grande lætitiæ munus litteræ seriæ appensis bullis differuntur, quæ etsi Lateranæ prius datæ continetetur, illic tamen datas apud sanctum Petrum suis iussit Præsul litteris ascribi, altarique impositum donum non impari forma Doctorum Gentiũ Basilicæ mixtum. Ea in certa Iubilei luce iubilans populus acclamare veniæ spe Deum reducitur, ac quiq; eo dierum explendum numerum accingitur.

C

D

Ambo nos hodie pulpitum vocamus Onuphrius interpr. voca. Ecclesiast.

Cap. 4.

HÆc mora totius orbis caput Roma ciuitatis populus, nullo sexus vel ætatis dum pubertatis annos exegisset discrimine ad ..orum patronorum Basilicas, quoad dierum interuallum finem accepisset cursitabat. Nec defuere innuptæ, die ob virginitatis pudorem domi virorum aspectibus obtectæ, nocte sub fida matronarum custodia, ad sacras principum ædes migrantes, quid mirum? cũ sacri cœtus primũ quisq; in id viueret vel senilem ętatem ageret visitando, vt ipsis exemplar esset facile, nempe qui maiorũ exhortationũ in præceps ruunt, ipsorum vita diriguntur: multoq; salubrius morib. quã verbis minores informare. Nec me laboriosum fari, nec virtuosum reddit: operari vero non tã difficile, quã quo virtus parienda est, opusq; sane

Iuuenes finguntur è senum moribus.

E

latum dum possibile ex alterius operatione conspicitur. Nec forsan tulere obliuia, quod persępe eiusdem lucis mane post consistorium, magna ætate maturi Patres vtramque Basilicam visitauerint: Nobis vero magis quod ipsi egimus votum, non vt magnum, sed vt motiuum posteris pandamus. Concessa quidem indulgentia cum trans Tyberim iuxta Ecclesiam Dei genitricis, vnde in Saluatoris nostri natiuitate, largo riuo olei fons vsque Tyberim scaturisse perhibetur: Iam dudum tabernam meritoriam dictam, vndeque nobis natiuæ ac paternæ originis orsus moram traheremus diebus triginta continuis principum vtramque Basilicam peregrinationis causa ingressi sumus, nec minus sæpius prius eadem die Lateranum ad consistorium matutina luce properantes.

IVXTA ECCLESIAM DEI GENITRICIS.] *Platina in vita Calisti primi ita scribit, hunc ædificasse Basilicam in transtyberna regione in honorem B. Virginis Damasus scribit, non tamen crediderim hanc illam esse, quam hodie tam celebrem & amplam cernimus, cum ea tempestate ob crebras persequutiones occulta essent omnia, & sacella potius atq; eadem abdita & plerumq; subterranea quam apertis in locis ac publicis fierent, hac ille. .go vero situm illam ibi tamen fuisse non dubito, cum illud quod diuinitus contigit ibi acciderit.*

F

OLEI FONS.] *Idipsum etiam nunc celebri memoria constat factum fuisse, & Platina in Christi vita quæ prima est & debet esse, apud ipsum ita scribitur: è taberna autem meritoria in transtybernia regione ex terra oleum erumpit, vt ait Eusebius, Eutropius, vt notat Onuphrius, fluxitq; toto, vel sine interuallo Christi gratiam gentibus, id vero templum exornatum nunc est, à Iacobo. Sabello Cardinal. amplissi. & sapientiss. cuius fidei crediti sunt iuuenum concionibus, sed quod ad oleum spectat miraculum putandum est, licet Strabo ita scribat in Asiæ descriptione, ij prope ochum effodientes olei fontem inuenerunt: nam verisimile quidem est, vt nitrosa quadam & aluminosa & sulphurea & bituminosa terram perfluant, ita quoq; pingu.. inueniantur: Raritas enim efficit admirationem, at hoc ego & rarum arbitror nec à natura solum profluxisse, cum alia eo die contigerint, & ipse Augustus Domini appellationem vt homo declinauit. Orosius lib. 6. c. 22. Plat. in Christo.*

Lib 11.

G

Cap. 5.

O Quam ciuibus nondum Romam ab exteris vento maturare viam, opportunum etenim per Italiæ, Vngariæ, Alemaniæque plagas, quibus & alias Apostolorum peregrinatio notior, centesimi indulti rumore, quam ocius inualescente, cateruatim populorum turmæ è vestigio vrbem ingrediuntur tanta numerositate, vt quocunque pergerent *exercitum examenve* præfigurarent. Nam & intra & extra vrbem mœnia compacta multitudo aggerebatur, eo amplius, quo magis in dies erat processum: Pluresque multitudine oppressi deinde remedium etsi haud penitus sufficiens salubre appositura facta in mœnibus alta, qua peregrinantibus compendiosior pateret via inter *monumentum Romuli* ac vetustum portum inopinus Romipetarum concursus cum tribus ferme mensibus ipsis in vitæ necessarijs abunde suffecisset Roma, inediam minari cœpit, præcipue quia multitudini nec furni nec prouentus, nec suffituræ æstimabantur molæ: vulgique opinione redundans ex pluuijs aliquantisper Tybæ nutriebat: licet reuera rei frumentariæ satis foret, duplici tamen remedio ocius subuentum est, vno namque prius Romam frumentum vicina oppida solita ea tempestate panem ferre iussa. Altero, nam & aspernati casam se animaliaque venientes onusta escis conferebant, dato ex ijs breui prouidentiæ spatio reintegrata necessitas adeo vt molendina, furni, panisque è canistris in vicis venalis supererroganter satis essent. Nec quod præsentes vehementer mirati forsan miraturi venturi forsan vehementius si coaceruatam hoc Centesimo multitudinem intelligerent per totum Iubilei gyrum, nec Romæ cibus potusve defecere, quia & messis magna, vinoque torcularia redundauere, magnaque fertilitas, nisi duntaxat carioribus rebus factis Octobri pluuijsque autumnalibus remanentibus, sed nec quicquam rerum pretia deuotionem Dominici quæsitum inuenitur causandum talibus nunquam terrarum spatijs omnipotentis Christianitatis, omnium futura a prouidens verticem Romam constituit, vt ibidem & pro semet ac Gentium turbis exu-

Concursus populorum Rom. Iub. causa.

H

Matt. 6. Luc. 9. Psal. 84.

A berarent sata, & in tempore multiplicata coalescerent seminae o cum natura imparriente, qui de quinq; panibus & duobus piscibus satiauit quinq; millia hominum. Dominus enim dabit benignitatem, & terra dabit fructũ suum.

MONVMENTVM ROMVLI.] *Crediderim id dictum esse ex communi vulgi opinione: non enim Romuli est illud monumentum sed alterius: cuius rei legatur Martianus qui docte de hoc, & modo etiam inscriptum nomen alterius id ipsum demonstrat.*

EXERCITVM EXAMEN-VE.] *Quasi poeta dixit id, sic enim Virgilius 1. Æneid. multitudo vero quanta fuerit ostenditur, sed libet hic celebritatem iubilaorum attingere, de primo iam constat, in altero etiam maxima multitudo fuit, nam quolibet die ducentum millia hominum fuisse narrantur, & ex qualibet orbis parte ad decem mill a hominum. In tertio non tam multi fuere ob bella quæ iis temporibus vigebant, sub Bonifacio IX. non admirandã multitudinem Romam venisse existimo, sed pauciores sub Martino V. ob perturbationem morum temporum. Sub Nicolao V. maximus vndiq; factus est concursus. Sixtus vero dum celebrat Iubileum ob peregrinorum multitudinem, vt modo Pontifex Sanctissimus Gregorius* B *refecit, sed hic D. Maria, illi Ianiculum suo nomine Sixtum appellauit, Sub Adriano VI. non tam multi fuere, vt & sub Clemente vii. ob Italiæ tumultus, sub Iulio, maior credo hominum numerus fuit, at sub Gregorio xiij. ea est omnium opinio, vt ea sit multitudo & celebritas huius anni, vt dies festus putetur, Iubileus vero aliorum annorum vt dies feriatus.*

EXTRA ALVEVM TYBER.] *Idem sub Sixto IV. factum legimus, & certe mirandum est Iubileis omnibus aliquid mirum contigisse. Ecce tibi sub Bonifacio viij. Ottomanorum oritur gens, & cometes videtur. & terræmotus maximi exaudiuntur. Sub Clemente sexto cœlestis flamma ad solis obitum visa est, inde bella sub Bonifacio ix. secta Alborum suboritur. Pestis Nicolao v. pontifice vniuersam pene Italiam occupauit. Ardebat bello Italia sub Adriano sexto, & sub Clemente vij. Nec est animus omnia quæ contigerunt narrare, nec causam adferre, legat qui vult librum Pici de causis calamitatum nostrorum temporum ad Leonem x. inde multa poterit aduersus Astrologos & alios colligere, vt veras causas in medium afferat. Dicemus & nos fortasse in historia nostra huius anni de comete* C *qui visus est.*

DVPLICI TAMEN REMEDIO.] *Pont. vero qui nunc viuit multiplici ita vt satisfaciat omnibus, nec quidem caritatis annonæ vel minimus rumor fuit. Illud certe audio edictum fuisse, vt quot Roma 25. miliaribus distant, Romam granum aduehendum curẽt. Dicent alij de prudentia tanti Pontificis in cæteris.*

ÆSTIVARE.] *At Pontifex nec vrbem quidem pene visus egredi hoc anno. Absoluto vero & clausis foribus Bononiam profecturus dicitur. Et quidem hic est omnium celebratus rumor, hæc omnium opinio.*

ROMANI MORES.] *Locus commendationis Romanorum liberalitatis, humanitatis & pietatis: nec tacebunt historiæ hoc anno quæ illi ob Peregrinos humaniter & officiose præstiterint. Vidi ego effusam totam nobilitatem ad hospitium trinitatis, quo omniũ gentium fiebat concursus tantus vt mirum esset vnde illis cibus & quidem amplissimus suppeteret. Quid? ipsi pedes eorum maximo pietatis sensu abluunt, & liberalissime exceptos cibo somnoq; triduo reficiunt.*

QVINQVE PANIBVS.] *Miraculum Christi celebre de quo* D *Sybilla sic cecinit olim.*

In panibus simul quinque & piscibus duobus
Hominum millia in deserto quinq; satiabit:
Et reliquias tollens, post fragmenta omnia,
Duodecim cophinos implebit in spem multos.

Cap. 6. INter hæc cum Dominicę resurrectionis afforet festum, extemplo æstiuare Anagriæ Romanus Præsul Patresq; vrbe digressi haud ante Octobris exordia regrediuntur. Peregrinatio iuxta dierum octo suscepta, interpolatione intercepta vrbis vicos mire iterum complebat. Cæterum ne tempus terentes frustra inuisissimus, Apuli, Sardi, Corsique, torridam æstatem nacti, alias autumno veniæ fecere locum. At Hispanorum nonnulli, Prouinciæ vero quam plurimi, Galliæ quoq; permaxime, Angliæque ob guerras rari, & quicquid occidentalium est conformen algoris suis regionibus qualitatem præstolati peregre Romã autumni fine hyemisq; principio graui deuotaq; multitudine secõ- E tulere. Quibus nec solis nec aeris intemperies opportuna fuit. quin tempore eodem septentrionalium partium Alemani, Vngariq; reiterarent vices, totoq; centesimo semper præstantias fieret. Ita nec solum paupertate tenues, sed nobilitate clari, stirpisq; origine illustres sæpe latenti habitu, humiliq; aduentauere. Prælatorum vero copia Italiæ maximus, ac Galliæ non defuit, adeo ii vt equotum quorum satis exercuerat numerus pabula: Nec mirum plus longe solito onerosa molestarent, sic itaq; cuiusq; manere ei genus adfuit, vt admirationem nec fortuna nec origo nec sexus prȩterirent, profecto vbi plurimum diuitiarum sordiũ non minus, habes igitur centesimo quam valuas claudentem non minus habes, non imparem, & forsan locupletiorem extitisse satis constat: Cuius vltimum penultimosque dies silere potius ipsorum infinitam multitudinem quam admirari libet, cum loqui in animo est, vt iuxta sapientis *Eccl. 7.* verbum, melior esset finis orationis quam principium.

F *Cap. 7.* NEc silentio prætereundum opinamur Romipetas, licet sæpius recisius tempus apostolico munere assequeretur, supplicationibus flagitauerunt. Ne quicquam exauditos, sed tribus modo vicib. promeritos, vna in cœnę Domini celebritate Laterani sub diuo ab ipso sancto Pontifice cogente multitudini gratiam. Altera qua & Romanos, & de iuxta peregrinantes secludi instituit in solemni Basilicarum dedicatione, ab vno ex patribus ipsius iussu ad Petri Basilicam obsignanter destinato. Tertiam tam sancti *Iub. temp. aliud peregrinis apud Romanis præfixũ* Centesimi crastino natalis Dominici die, dum fratrum vnus ipso qui in Lateranensi Patriarchio celebrabat imperitante Præsule gratiam indixit. Nec vt alias vacillantem, profecto vbi præsulis monitu inscriptis exaratur infra, nec vni tantum, sed sua etiã latinitate comprehensa, cuius causa ne forsan incaute spei subrepat error, torpentisve desidiæ, pleraq; eius scripturæ haud cuiusq; Centesimi vis, sed huius tantum priuilegium fore posteris enucleamus: alioquin in cassum quindecim dierum moderatio, dum quisque transisse centesimum vna se die expiando arderet. Re- G ligiosis tamen quindecim vel decem dies sufficere largitus in missas seu orationum suffragia tempore residuum conuertit. Quos aũt Romani mores, quos ritus, quamve in his exhibuere humanitatem? at tam benigne, tam patienter, tam ciuiliter, & toleranter in suscipiẽdis exteris se prębuere vt & ab hominibus & à Deo meritum nancisci fas sit: quippe ipsa venientium modestia, progressusq; famulatũ merebatur, cum & septuagenarij & vltra infirmi etiam lecticis deferrentur. Fuitq; Centenarius de Sabaudia genere non humilis, præteriti centesimi tanquam qui fuerat memor, per filios allatus causa iam salubrem aspiratus mortẽ. Nec vt alias vage sed circumcisus labia, lumbos præcinctus, vel infra id temporis quo, me tam iam putamus peregrinatio caperet in cœlis.

Cap. 8. HÆc qui lectitas, multitudinem si capis, frugem non ambigas: hic enim transacta inspexisse colibeat, vt accuratiores in ventura præparemur: ij namq; Iubilæi mores, dum cominus instabit vbilibet haud in obscuro sint, H præparentur corda propensius ad tantam S. Spiritus influentiam, qua peccatorum omnium tabes abstergitur: suscepturi pro se lætitiam, pro alijs meritum Romani circumspectionis munimine disquisitius tum quorum incumbit prouidentiæ vallentur. Nec dudum animarum salus in voto est, vnde torpeat, adsit inedia, quam Apostolorum meritis præcellentique glebarum situ exulaturam speramus, si pax haud desit, neglectus quoque quo maxima quæq; depereunt absit, cuius fidem præsenti vix præcognito solidatam Iubilæo reddidimus. Caueant tum ne centesimo exaustis horreis, agris, venturo post eum anno rectorum gemat imprudentiam: plerumque quippe fit vt ei quod timetur discrimini occursio, acerbius improuisa molestari vt quod graue experti Centesimo haud solum. Sed cum post venturo prouideri anno memorauimus. Hæc præter aliquod indulgentiæ fructus enodamus, fidei namq; ex hoc recensitio quædam pullulansque incrementum. Dumque Centesimus colitur, Christi Iesu humanitatis memoratione decoramur. Accedit ijs debita Romanæ Ecclesiæ piæ matris agnitio. Quæ proh dolor apud Orientales nonnul-

los A-

A los Apostolorũ forsan visitandi limina desuetudine abiit. Nec enim extra rationem creditur patribus licet promissam à subiectis sibimet fidem stipulari, quodq; summe salubre ad contritionis acrimoniam, fandoq; pudoris fucũ delictorumq; non fictam satisfactionem, plerosq; curiali quodammodo excitari, cum peccatorum omnium remissio, quam vere his actis assequuntur propinatur. Quisnam quot quibusve peccatorum nexibus circumplexi, quorũ sacerdotib. vulnera nunquam forsan alias pandenda detexere, annumerare queat; quod & ipsa recognouisse confessores, & confessos gratulamur. Sic namque mundiales cocos exorbitare passim claruerat, vt à medicorum summo nedum non petita, sed ne animo concepta medicina ægris sua bonitate exhiberetur. Iniuriæ namq; debitos fouere cura magis quam optimi patris interest genitos.

Cap. 9. B ET ne quicquam intactum obliuioni deferatur temporalis Basilicis emolumenti, aliquod deuotionis signũ accreuit. Namq; quæ celeberrima toto terrarum orbe altaria singulis iamdudũ annis, ex peregrinantiũ oblatis Apostolorum principis florinorum auri xxx. m. iiij. c. v. florinorum. auferebant millia triginta principis circiter annum, & vigintimillia doctoris hoc centesimo retulere, non ex magnis auri vel argenti donis, sed ex vsualis monetæ prouinciæ cuiusq; minutijs, licet non omnium oblationes pressura vel paupertate præpediente iniectæ sint, deuote oblata, deuote dispensantur, castris, casalibus, prędiis ex ea pecunia ipso summo Pontifice iubente ad ius & proprietatem Basilicarum comparandis, ac deinde ex ipsorũ reditibus diuinis Apostolorumq; augendis cultibus officiisq;. Erubescant itaque eo vehementius nostri temporis Reges, quo se à modicis personarum laborib. numerumq; donis superatos norunt, qui nequaquam primitias Gentiũ Reges Magos imitari, non infantem, sed ad dexteram Dei Patris sedentem Iesum, in eius Apostolis visere sibique offerre munera venire. Heu illis Ecclesiarum exigere decimas, vt paularim Deo ab attauis concessa nanciscantur sat est, sicq; parentum de quibus gloriantur gesta dum ab eis deuiant ignominia sunt, sed derelictis iis quorum regnum de hoc mundo deuenientes tantorum Christianorum auxiliis sursum vecta regna quæsisse cœlestia sperem⁹. Enimuero, nec, inquit, Apostolus: faciam vos auri argentique thesaurizare gazas, sed piscatores hominum futuros spopondit. Prophetia hactenus mirifice nunc miseranter prę ter spem impleta, vt & illud huic quo constringere reamur: isti sunt agni nouelli qui annunciauerunt Alleluya, modo venerunt ad fontes, repleti sunt charitate.

Oblationes Iubilei grandis pecuniæ.

C

Matth. 4.

O sæculi huius viros quos innocentia sinceros ipsique Deo holocaustis, compunctione factos vere agnos, vere vetusta scoria deposita nouellos nuncupasse, nec pauperum præsumptum est Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nõ spernit. Et rursus renouamini in nouitate sensus vestri, qui etiam ad geminos fontes accurrisse perhibentur, dum non ad baptismi vt olim, in nascentis Ecclesiæ primordiis dictum seruatumq; fuerat lauacrum, sed ad cordis contritionem: cui ad vnius oris confessionem: seu ad alterius radicẽ fontis conuersi foras luminibus lachrymas, foras labijs spurcitias emanare, vt sic in præsenti claritate in futuro æternitate repleantur, ipsosq; sibi ac aliis annunciasse Alleluya, id est, Domini laudationem intueamur, dũ à miserante Deo attributa cognoscentes in eius laudationem proximos accendunt, vel quos rectius quam religionis apices fidei conditores, auctoritatis præduces Petrum & Paulum fontes censendos speculemur? Ad quos ne formidantes spe se frustrari ac qui ludibrio fore anelatum retardan iter, aduentantes superius illustratione radiari prædicuntur.

Psalm. 50.

Rom 12.

D

PEREGRINANTIVM OBLATIS.] *Hic locus de muneribus nescio an etiam illustris factus sit nostris temporibus. Ego certe nisi forte quid contigerit aduersi in huius anni historia, omniũ munera adnumerabo & sodalitates quotquot creuerunt describam, vt nostra tempora cum illis vel contendisse, vel nostra longe multumq; superasse ostendam.*

E Cap. 10. VIsionibus vero de Centesimo, licet multas veras autumemus, ne certa sub phantasiæ falsitate nutet abest nuisse tutius. Quisnam vtrum visio, vel illusio secernere, qui se quamuis somnia, vel omnia, vel pars eorum maior vana vel haud cognita apparuit: cum Angelus in somnijs Ioseph maioribus omissis, vnum euasionis causa insinuasse, cuius nec futuros pertæsum esse flagitamus liber: Ecclesiæ nostræ B. Georgij Clericus, noctis sopore sedarat curas, cui semita recta in longum diffusa ipsam virginem matrẽ Dei inueniret, ingressuro occurrit insidenti in thalamo filium brachijs baiulans, etsi diuinus sculpta cum sculpto filio ac si artificis opus propius tum viuens facie venusta, vestibus fulgens vera pueri flagranti humanitate visa est: demisso genu quæsitam reperiens adorat cui pietatis mater, inquit, Omnibus miserans indulsit Deus: ad quã ille num mihi? subticuit mater: duriusq; post morulam infit omnibus miserans indulsit Deus viuis & mortuis, substractus iterum num mihi? Cui neciã responso dato, ne forsan aliqua peccati labe fœdaretur, trepidanti subiunxit, indulsit omnibus mortuis & viuis miserans Deus tibiq;. Ac doctoris gentium limina derisorio semel ingressum admonens de quibusdam haud huius speculationis pauentẽ alloqui dignatur exporrectus vt monitus compeiit. Nam illo se semel tractum dum amicum comitatum memorabat cautior deinde viso, pluries eadem perlustrat loca. F

VISIO VEL ILLVSIO.] *Difficile certe est distinguere Spiritus: legatur Abulensis in Matthæum; vbi de hac visione Ioseph scribit. Ille, multa vt solet; Angelus enim incitat ita sensum, vt ille cui aliquid declarat, teneatur credere. & quasi in vigilia esset, in illud apertissime intuetur, est notissimus 12 gen. de Abimelech. Paulus vero nihil sentiebat, sciebat tamen euidentia in intellectu. 2. ad Corinth. 12. 11.*

Cap. 11. O Patris exuberans pietas, ô fortiter suauiterq; disponens omnia sapientia, ô bonitas inuios reuehens quibus enim sine te haud momento sufistere largitum: ad te reuehi sine te negatum est, sed misereris omnium, quoniam omnia potes tuisq; complacamus donis, ac non illuminationis nostræ sed plurimos sic nunc sortiri præcipuũ, singularemque modum dignaris malle. Tu n. Deus noster suauis & verus es, patiens & in misericordia disponens omnia, hos effeceras hactenus sibimet paupertate sufficere: Hos in proximos erogare diuitias: Hos non confundi opprobrijs: Hos non lacessitos iniuriis: Hos non indignitatum fastu turgescere, vt quorum non eges ad te ipsi gressus accederent. At nunc omniũ suscitatẽ luminum, vulnerũq; flagrantiam, macularumve sordes vt colyrio sic eodẽ medicamine eademq; obliuione purgari perspicuum est. G

In imperi mod. Patromia est eodem collyrio mederi omnibus.

Cap. 12. COngrue vero eximii Petri & Cephæ insigne precaretur Deus. Enimuero ita fidei origo, suoq; fundamentum Ecclesiæ dicationis ceri ipsius à Christo caput erectũ est. Rursumq; ligandi quodcumq;, soluẽdiq;, vberrimum posse, à Deo in successiones concessum trãsactumque, in eius persona quis ambigat? At detestabile prorsus ingratum esse, cæterum non tam Apostolorum præcipuus auctoritate, quam iure merito martyriiq; seueritate ac insuper præpollentis Romanæ Ecclesiæ fastigij proponas, ne inter Cerauniarũ fluctus procellis absorbeatur nauis ipsi⁹ refugij tutamen præsidiumq;. Decet itaq; (pastor Ecclesię) domum tuam, sanctitudo; & Coapostoli Pauli laudatio: quisnam electione vas, Gentiumque Doctorem ad tertii arcana cœli prouectum, cooperatorem, Coapostolum, & compatronum Petri ab huius Iubilei alacritate secernere ausit? Quisnam quos Deus coniunxit temerarius separet, sub eiusdem nempe iudicis seruitio, eiusdem lucis alacritate, eiusdemque loci primatu, Romam diuini nutus irradiante fulgore missi, roseis redemiti laureis triumphauere? H

Ast laboris moderata partitio minori molestia, maiorem diuturnioremque animaduertimus Romanis quam exteris opportunitatem, quidni? domi totius anni giro, istis illis ab domo procul vix forte vno mense vagari permissum est. Sed gemini laboris sudor accommodus. Nam ex viarum dispendijs aliquid culpis debitæ, pœnæ recompensatio fit, quæ maioris pœnæ remissionem, quam leuiter

A

leuiter passim concessum extimare mauult. Ac deinde sicuti ex Apostolorum delubra visitandi frequentia, deuotio quam fiducia, ita ex hac pretium instare quod exaudiri votiuum affectatur. Ex quibus tam macularum abstersionem, quam meritorum cumulum spectare licet. *Nec à mysterio alienum* quis censeat quod centesimo quoque hoc quo tam mirifica dona conceduntur, hoc quoq; hoc quo se habeant modo disseramus. Omnis namq; centesimus cum bis quinquaginta conficiat iubileus est, *quomodo veteribus* iussa nouæ legis tempora figura præcessere. At quinquagesimo ab emptoribus absq; pretii refectione vẽditas possessiones, domosque, ac familias venditores nanciscebantur, seruiq; fruebantur libertate ergastulis erepti, quibus corollario inserendum, Centesimo delictorum plenissima dissolutione concessa, fideles animas teterrimæ Diabolicæ seruitutis circumplexos funes euadere, suauiumq; virtutum species quas vt possessiones habitas fraudulento emptori vendiderant, bonis exercitiis, laboribus, diuoq; numine, adiutas recuperare: tandemque cœlestis patriæ: donum superiorumq; ciuium adipisci familiam. Cur autẽ Centesimo potius quam quinquagesimo huiusce reflo-reat gratia, ne mentem forsan quæstio titillet inquirimus, quæ rato exhibentur alimenta auidius sumuntur, dum quisq; in vanum gratiam elabi quam sibi nunquã redituerã speratrefellat, & ne terræ sanctæ subsidium ex quo in Cismarinis sæpius redundans indultum oris, patraretur, eo dato neglectui desit, quibus sic minime intimum, vt etiam alia ætate forsan haud hoc ipsum consultius statui posse astruamus. Nec nora caret terrenis licet casu, Deo autem prouidentia compertum Centesimi scripto, hunc Bonifacium Octauum institutorem fore, quem in pastorum Chronicis ducentesimis sistebat.

B

Cur Iub. absoluatur potius Cẽtesimo quam Septuag.

NEC A MYSTERIO ALIENVM.] *Cur Centesimus annus institueretur plura dici possent quam annotatio ferret: illud tamen non est prætereundum illud factum esse, quia Centesimo quoq; anno natalis Christi celebritas maxima esse consueuerat, quæ ratio si vera est & fidem quibusdam habemus, nõ est quod alias addamus, vt longitudine temporis magis optaremus vt imitaremur veteres Romanos in sæculi celebritate: vel alias ob causas quas hic narrat & Bonifacius in bulla, & adfert ille doctus interpres in decretalibus Qui vero sequuti sunt immutarunt annorum numerum. Nam & Clem. 6. ad L. annum reuocauit. Vrbanus 6. ad 33. Vitam Christi spectans Paulus ad 25. in quo nunc consistit.*

C

QVOMODO VETERIBVS.] *Quæ veteres agerent in Iubileo habentur Leu. 25. pene toto & lib. 3. antiquit. Iudaicarum cap. 14. apud Iosephum qui ait has de Iubileo leges Moysem in castris in Sina populo tradendas accepisse à Deo moxq; litteris mandatas ad posteros etiam obseruandas transmisisse. Ac propterea legimus in Deut. 15. erit tibi seruus, &c. id est tibi seruiet vsque ad sæculum, id est vsque ad annum Iubilei, quo tempore in libertatem serui restituebantur.*

Cap. 13.

QVid demum fructus remissio intendat, vtrumve vt sonat concedi fas fuerit, maioris inquisitionis arbitrium exposcit. Verum eo quod modice ingenii vi occurrit peregrinantium votis aspitãtes, idq; ipsum sublima Romanæ catholicæq; Ecclesiæ, ac operi huic quicquid inseritur annotantes, recludemus summatim sermonis reciso profluuio, contritionis vena culpas fastos suis vicibus dierum interuallo vtrumq; subeuntes, Basilicam in id omniũ peccatorum plenissimam, vt abolita auctoritate Pontificis pœna euolarent veniam assequutos censemus, quæ namque distantiæ mora quodve iter retardabit incendiũ, quin cœlorum euehatur in regiam nil peccati debens expiatus? Profecto licet cordis pœnitudine à miserante Deo insertũ iubar eo maculas tore cuius caligines fulgore disgregat, haud dubie abstergere, etenim meritis congruam in temporaneam bonitatis clementia pœnam commutare, confessioniq; astringi reum sicq; fit qui quondam numquam finiendo supplicio, & si purgari impar obnoxius reatu aliquando vel satisfactio de pœna confitentem liberat: itaq; ceu eius quæ sola super est pœna ex iis tam remissionem literis intendi Papalibus claret. Sic totius minimi cunctãdum, inquit enim plenam, largiorem, & plenissimam. Ac si Sacerdotalis Pontificalis Papalisq; liberationis munificentiam polliceatur, & ne plenissimã absolute forsan valde plenam astruamus eam superlatiue positam distributione gradus manifestata. Quicquid expandis est, qui nisi de iniunctis pœnitentiis vt alias soli tum meminit largiflue confecisse autumetur. Nec quem diuersis dictauris vsa verbis coloratio remissionis, siquidẽ indulgentiæ veniæq; ad secus adducat opinari: vbi iam dictum infert intelligentia vigorem, præsertim cum nobis minimo totoq; casu coram huiusce indulto inquantum se clauium potestas, Petriq; auctoritas extẽdebat, à se concessũ iri fatetur.

D

Fructus Cẽtesimi.

E

Cap. 4.

HAnc secus alteram suasi deinceps ordine vtramque quæstionem attigisse moliemur, vt quam totius expiatorem fieri Præsulem voluisse comprobatum totius & potuisse constet. Quid hoc quippe qui vinctis nasci dignatus, instituit eximia Deus & homo Iesus singulis mori charitate minime detractat. Qui cum peccatum non fecit, vere languores nostros ipse tulit, & peccata nostra portauit. Immerita capiti pœna in membra diffunditur roseus in filios emanat cruor: se precium Deo patri dilectus filius pro nobis culpa inquam longe capacius precium luit. Quidni? eius vel sola distillans sanguinis gutta, callido hosti, mundorum plusquam millia centum eriperet: profluens igitur cruoris eius haud incassum vnda purpurei, salutare mysterium in filios præsulis dispositione à gignente eos sibi sponsa impertiendum ipsius thesaurum locupletat. Thesaurus tuus, thesaurus infinitus quo fit vt cum orbis vnus essentialiter missor vnus, & mei filius in personæ vnitate, humanitatis velamen complexus eius sponsa columba vna, fides, vna, baptismus vnus ne regnum in se diuisum desoletur, & vt ad cœlestis instar hierarchię militans formetur Ecclesia. Sublimium enim, inquit speculator Iob: Nunquid noscis ordinem cœli aut pones rationem eius in terra. Vnum ipsi vniuersale Ecclesiæ vni Apostolorum principem Petrum prælatum fore protestatur, ipsum Pastorem, dispensatorem, instructorem post se sponsum: Inquit enim. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua & tu aliquãdo confirma fratres tuos. Et diligis me plus aliis, pasce oues meas, hac & successorem licet meriti imparem, auctoritate parem plenitudine sublimat. Nec enim eam sic quin eadem præsentem persequi ætatem dignatione, sibi interna charitate indissolubiliter innixam venerandum sit. Pro hac etiam ille vna factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, qua de re vel temporalem quam ciuilis decertans lex arguit prolem adoptasse, vel si non omne prouisum foret æuo accusare minas prouidum arbitrabimur. Neutrum dicturi sumus similiter vel verius eadem Petri successione potestate radiato munificum Deum prudenter miserantem collaudamur.

F

Gutta sanguin. Christi infinitorum mundorum precium.

Iob. 38.

Matth. 16.

G

Philip. 2.

Iis Ecclesiæ maximis inextimabilibusque gazophilatio referto excellentium ipsum alia opulentant clenodia, sanctorum siquidem lachrymę iustorum pœnalitates, Martyrum veneranda supplicia, qui nedum sibi, sed veluti ipsorum perfecta omnia faciens communia charitas sentiebat, toti prodesse Ecclesiæ congeriei decreuere.

H

TV ES PETRVS.] *Egregie hic demonstrat vnum esse Christianæ Ecclesiæ pastorem. & affert loca ex scripturis ad id probandũ vt mihi quidem videtur efficacissima. Tu vero adde & illud ex Arist. 12. primæ philosophiæ vltimis verbis: at rerum natura male administrari non vult: & multorum dominatus ac principatus non est vtilis. vnus ergo sit princeps, vide etiam Archid. in bullam Bonifacii 8. vbi ille hac de re pluribus.*

Cap. 15.

HIs igitur Romanus Præsul diuina Apostolorum suaque fratribus auctoritate dispensat opes, has in filiorum alimenta distribuit, qui fide recti, spe longanimes capiti inuicemque charitate iungentur. Quod Apostolorum reuerentiam hortari, populi necessitatem pulsare, altorem pietatis intelligere DEVM fatemur. Nunquid obliuiscetur miserere Deus, aut

con-

Psalm. 76. continebit miram misericordiam suam, qui nō vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: cuiq; nunc cū *Ezech. 18.* nondū extet iudicij sed miserendi tempus, haud incendio solū sed aliquali quo in suis honoratur Apostol. labore ad ipsos reuerentia, satisfit. Sic reges sui suorumve honoris causa æris vel virtutis insignitate longioris carceris macerationi addictos à pœnis laxāt. Quinimo cætera de indulgentiæ fructu Apostolorumve excellentia, prolixiori supra sermone retexta causæ decentiam sanciebant causæ rationabilitatem propinabant. Consequens deinde Præsulem maturo nec præcipiti haud tantum suo, sed fratrum liberabine monente, vniuersaliter Dei nutu. Ecclesiam indulgentem minimè errasse, vt sic non trepidæ discussioni, sed celeri festinationi futuro locus relinquatur æuo. Quisnam enim errare titubet, cuius iudicium populorum tanta subsequuta salus rectori manifestata; pro quo illustrissimi Petrus & Paulus suam apud Deum causam agunt, pro cuiusque, ne deficiat, fide Christus deprecatur. Absit à qua doctrina veritas elucet, morum species coruscat, potestatis authoritas emanat, sede Petri exorbitante, tot populorum millia in deuium duci: quin fœlicis potius quosque oblati iubilei huius opportunitate functos Dauidico sermone eruptutos: Beatus, inquit, populus qui scit iubi-*Psalm. 88.* lationem: infœlices verò qui torpore vel temeritate, dum alterius sibi forsan æuum iubilei spondent neglexerint.

Cap. xvi. HActenus Iubilei gestis indulgentiæ motiuis eius volito concedentis plenitudine, & si non sufficienter, nobis tamen supra vires reseratis. Dehinc in ijs heroicum parumper metrum aggressuri, prosaicæ finem cœptis stabiliemus, cæteris hæc sufficere rati, quos vetustior nec moderno necnon minus nobis familiari, veritati tamen resque gestæ magis grauitati congruenti stylo, scriptitasse iuuat: legentium ad Apostolorum principem gentium doctorem, deuotarum precum iuuamenta flagitantes, hortantesq; ne in vacuum gratiam recipiant, quibus ab illibatæ virginis prole Saluatore nostro Iesu corporea frui aurea, centesimo quouis venturo concedetur: Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

IACOBI; S. GEORGII AD VELVM aureum, diaconi Cardinalis: de Centesimo, seu Iubileo; prosaicus Liber explicit.

Eiusdem; de Iubileo; Carmen heroïcum.



Vrea Centeno consurgunt sæcula Phœbo,
Et radiat celeste iubar, miseratus ab alto
Filius æterni Patris de virgine carnem
Indutus, redimitq; suo de sanguine culpas,
Grāde datum miseris, Romam, qui limina Petri
Matth. 16. *(Cui reserare Polos datur, & concludere cœlum)*
Deproperant, Paulique ducis pia templa reuisit.
Nam gemini Roseis vrbem sacrare triumphis
Luce pari, nec Roma deest, nec præmia serui
Iudicis, hinc cumulant templis sua munera Diui,
Quæ sedes Romana sequens, suffultaq; tantis
Auxilijs iubilans Centeno solis in ortu,
Diluit omne nefas plenè quin plenius omne
Diluit, & veniam culpis vberrima confert
Gratia, si æthere am passim fœdare figuram,
Haud timidi culpas compuncti corda recludant,
Diuorumque Patrum Petri Pauliq; subintrent
Limina vicenis vicibus Romanus & exter
Quindenis, rutilam orbem quoad exuet axis.
Quisnam igitur latitet? quanam vecordia, quanam
Segnities compescit iter, quin frigeat æstus,
Et caleat glacies, liquidusque extorreat humor.
Certè magna quies, paruus labor, aurea semper
Tempora, dum tabi fœdantur corda relucent
Romipetæ, ieiuna fames, sitis anxia, per quem
Gibbosi montes, valle caua guttæ resudans,
Florida iam soboles, domus alta relicta supellex,
Vxor flere vacans pomposco gloria stirpis,
Flumina, discursus, sumptus, & turgidus hospes,
Et senium, sexus vigilans labor aura subintrans
Relacerent animos patet his nam regia cœli,
Nec poterant auferre lucra, sed gratia summæ
Sedis Apostolicæ, Christi subnixa cruori
Purpureo, dispensat opes quas vulnera Christi
Sanctorumq; Patrum S. dant dum crimina laxant.

Explicit primum Car. heroicum.

Sequitur Eiusdem de eodem Carmen aliud breuius.

DIscite Centeno detergi crimina Phœbo,
Discite si latebras scabrosi criminis ora
Depromant contrita sinu, dum circulus anni
Girat, perq; dies quindenos exter, & vrbis
Incola tricenos delubra patentia Patrum
Ætherei Petri, Pauli quoq; gentibus almi
Doctoris subeant, vbi congersi vrna sepultos.

Explicit alterum Carmen.

FORMA PRIVILEGII PAPALIS BVLlati, concessi Basilicis Apostolorum Petri & Pauli de vrbe à Sanctiss. Patre Bonifacio Papa VIII. super indulgentia Centesimi seu Iubilei, cuius in opere superiori fit mentio.

BOnifacius Episcopus seruus seruorum Dei, ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam principis Apostolorum de vrbe cōcessæ sunt remissiones magnæ & indulgentiæ peccatorum. Hos igitur qui iuxta officij nostri debitum, salutem appetimus & procuramus, libentius singulorum huiusmodi remissiones & indulgentias omnes & singulas rectas, & gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica, confirmamus & approbamus: ac etiā innouamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Vt tamen Beatiss. Petrus & Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo ipsorum Basilicæ de vrbe deuotius fuerint à fidelibus frequentatæ, & fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex huius frequentatione magis senserint se refertos. Hoc de omnipotentis Dei misericordia, & eorundem Apostolorum eius meritis, & auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, omnib. in præsenti anno millesimo trecentesimo, à festo natiuitatis Domini nostri Iesu Christi præterito proximè inchoato, & in quolibet anno Centesimo sequuturo ad Basilicas ipsas accedentibus reuerenter verè pœnitentibus & confessis, vel qui verè pœnitebunt & confitebūtur in huius præsenti, & in quolibet Centesimo sequuturo *non solum plenam* & largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum: statuentes, vt qui voluerint huius indulgentiæ à nobis concessæ fore participes, si fuerint Romani ad minus triginta diebus cōtinuis, vel interpollaris, & saltem semel in die: si vero peregrini fuerint, aut forenses modo simili diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant. Vnusquisq; tamen plus merebitur, & indulgentiā efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & deuotius frequentabit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innouationis, concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum octauo Cal. Martij Pontificatus nostri anno tertio.

BONIFACIVS SERVVS.] *Qualis hic Pontifex fuerit plena sunt omnium volumina: legatur Platina in eius vita & in vita Cœlestini V. quo loco scribitur copiosè vt pontificatū fuerit adeptus,*

A *si tamen verum illud est quod narratur, habes etiam nonnulla de eo in vita Nicolai IV. hanc vero bullam eandem iisdemq́; verbis esse in lapide polito ad D. Petri fores constat, & omnium eo in loco spectanda est oculis: Nec quis est qui dubitet eandem pluribus declarari in VI. decretalium.*

NON SOLVM PLENAM.] *Plena plenior & plenissima indulgentia, vt differant vel potius conueniant multi docuerunt. Ille Archid. multa commentatur. Ego certè existimo eum qui plenariā indulgentiam consequitur, & pleniorem & plenissimam eundem consequuturum, & totius pœnæ remissionem, quanquam tum dubito ab extrinseco aliquam posse assignari differentiam, de qua non est nostrum differere, alibi enim de hoc diximus.*

B

FORMVLA DECLARATIONIS PApalis bullatæ, Sanctiss. Pat. Du. Bonifacij Pap. VIII. Per quam rebelles ecclesiæ excluduntur à beneficio indulgentiæ Centesimi seu Iubilei, in supraescripto priuilegio concessæ. Cuius & in opere superiori fit mentio.

BOnifacius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Nuper per alias nostras litteras omnes remissiones & indulgentias peccatorum concessas accedentibus ad honorabilem Basilicam principis Apostolorum de vrbe ratificandas & approbandas duximus, & etiam innouandas, vt tamen beatissimi Petrus & Paulus Apostoli, eo amplius honorentur, quo ipsorum Basilicæ de vrbe deuotius forent, & fidelius frequentatæ: & fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex huiusmodi frequentatione, magis se sentirent refectos. Nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorundem Apostolorum eius, meritis & auctoritate confisi, de fratrum nostrorum concilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis: omnibus in præsenti millesimo trecētesimo, à festo natiuitatis Domini nostri Iesu Christi præterito, proximè inchoato, & in quolibet alio centesimo sequuturo anno, ad Basilicas ipsas accedentibus reuerenter, verè pœnitentib. & confessis: vel qui verè pœnitebūt & confitebuntur, in huiusmodi præsenti, & quolibet centesimo sequuturo annis, non solum plenam & largiorem, imo plenissimam omniū suorum concessimus veniam peccatorum, prout in istis alijs nostris literis continetur. Verum quia multi indulgentiarū gratia se reddunt indignos, declaramus expresse, & dicimus manifestè, quod illos falsos & impios Christianos, qui portauerint, vel portabunt merces, seu res prohibitas saracenis, vel ad terras eorum reportauerunt, vel reportabunt ab eis, necnon Fredericum natura quondam Petri, *olim Regis Aragonum*: Ac Siculos nobis & Ecclesiæ Romanæ hostes, & Apostolicæ sedis rebelles: & qui receptabunt Columnenses eosdem, & generaliter omnes & singulos publicos hostes & rebelles præsentes, & futuros Ecclesiæ memoratæ, & impugnatores ipsius: & qui dabunt scientes supradictis, vel eorum alicui, vel aliquib. auxilium, consilium, vel fauorem, publicè, vel occultè dum in sua malicia perstiterint, nec ad dictæ sedis mādata sua malitia perstiterint, nec ad dictæ sedis mandata redire curauerint, indulgentiarum huiusmodi cùm non sint capaces, nolumus esse participes. Ipsosq́; pœnitus excludimus ab eiusdem. Nulli ergo hominum omnino liceat, hāc paginam nostræ declarationis voluntatis & exclusionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attētare præsumpserit, indignitatem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Cal. Martij pontificatus nostri anno sexto.

Regē Frāciæ & Columnenses anathemate notauit Plat. in eius vita.

PETRI OLIM.] *Historiam si quis vult legat apud Platinam in vita Nicolai IV. nisi fallor & in Honorio IV. & alibi. Quod verò de Columniensibus, legant Iouium, scierint & eandem consuetudinem esse festis diebus Paschæ, sed an iidem malè Bonifacium acceperint, an Romani dissentiunt Iouius & Infortunius quidam numero VIII. ad calcem historiarum istius, ille in Romanum populū, hic in Columnenses. Viderint alij quicquid voluerint de hoc, fuit*

E *enim id aliquando si fuit, nunc nostra tempora spectanda sunt, non antiquorum memoria ab inferis reuocanda nisi quæ ad virtutis exemplar proponatur & gloriæ solidæ & veræ immortalitatis.*

SVMMA GRATIA NON BVLLATÆ quam Dominus Bonifacius PP. VIII. concessit peregrinis, in die Natalis Domini, fine videlicet centesimi, qui fuit, millesimæ trecentesimæ, cuius & in opere superiori fit mentio.

AD honorem Dei & Beatorum Apostolorum, Petri & Pauli attendens Dominus noster Dominus Bonifacius PP. VIII. Deuotionem quam vidit in populo Christiano, fauorem fidei, viarum tædia, personarum labores, & onera expensarum, vult idem Dominus noster, quod omnes forenses, qui hodie sunt in vrbe, licet non compleuerint indulgentiam, vt læti reuertātur ad propriam, plenam indulgentiam consequantur. Item placet ipsi Domino nostro summo Pontifici, & vult, quod omnes illi qui venerunt ad indulgentiam concessam per eum & mortui sunt in via vel in vrbe, numero dierū taxato in ipsa indulgentia nondum decurso, plenam indulgentiā consequantur. Item vult idem Dominus noster summus Pontifex, quod omnes illi qui arripuerint iter ad istam indulgētiam animo complendi eam, & iusto impedimento impediti, vel non peruenerunt, vel peruenientes non compleuerunt, eandem plenam indulgentiam consequantur. Item quia annus iste Iubileus finitur hodie, volens idem Dominus noster, velut pius Pater prouidere saluti animarū, omnibus illis qui sunt verè confessi, secundum formam indulgentiæ suæ, & non satisfecerunt de alieno infra annum, nec possunt commodè satisfacere, propter temporis breuitatē, prorogat terminum ad satisfaciendū dumtaxat, vsq; ad festum resurrectionis dominicæ proximum venturum. Declarat insuper idem Dominus noster summus Pontifex, quod annus iste Iubileus trecentesimus hodie sit finitus, nec extendatur ad annum incarnationis, secundum quosdam, sed ad annos Domini, secundum ritum Romanæ Ecclesiæ.

VELVM AVREVM.] *Ego certè existimo legendum in velabro, quamquam in antiquo Codice, vnde librum hunc descripsi quē illustro scholijs, legatur ad velum aureum. Est autem templum illud si Platinæ credimus in vita Zachariæ. 1. conditum à Zacharia ipso priore huius nominis. Ita enim scribit, idem quoq; Basilicam B. Georgij in velabro condidit eoq; loci caput ipsius sancti collocauit, ex quo Velabrum dicendum duco, cum Onuphrius diligentissimus antiquitatis in eo nihil mutauerit.*

AMBONI CIRCVMF.] *Per, Ambonem: intellige suggestum: ita enim Platina scribit in vita Xisti, III.* ornauit & Ambonē Ecclesiæ porphyreticis lapidibus: *quem, nos Suggestum appellamus, vnde Euangelium & Epistola cantari auditur.*

H

ATHANASII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, EPISTOLÆ VIII. De necessaria Episcoporum residentia.

DE ATHANASIO PATRIARCHA CONstantinopolitano, ex Nicephori Gregora Historia Romana, lib. 6. Cap. 11. 12 & 13.

In Patriarchicum soliū, Constantinopoli succedit Gregorio Cyprio, Monachus quidam Athanasius nomine, qui ociosam Gani Mōtibus vitam viuebat: homo quidem rudis ille literarum, scilicet alioqui bonus & admirandus quantum ad Monasticam vitam attinet; quique fortunatus verè dici potuisset, si suum illud institutum tenuisset per omnem vitam; scilicet malè vtiq; tractari & Pont. & clericos oportebat, & luere pœnas dignas ea improbitate qua contra Gregorium vsi fuerunt. Statim itaq; zelo diuino & exacerbato plenū oculum in eos coniecit, &c Nā qui Constantinopoli inuenti sunt, eos in suā quoq; Metrop. misit; ne, inquit, hic desidētes aliquid

mali

A mali contra vos ipsos & me censuatis, *&c. Recte sane; dicebat enim aequeesse vt suam quisque Ecclesiam pasceret, vt Patriarcha Constantinopolitanam; & vt praesentes ouium suarum agerent curam, non autem vt emolumentis inde acceptis in vrbe morarentur. Non multo autem post quam ex Oriente reuersus fuisset Imperator Andronicus, detruso in carcerem Constantino Porphyrogenito & eius familiaribus ob affectata Tyrannidis suspiciones, Scriptam resignationem offert Athanasius, quartum iam annum eo sacerdotio fungens; cuius causa erat, omnium Pont. & Monachorum & Laicorum, spiritualem illius rigorem non ferentium, tumultus, &c.*

ATHANASIVS PATRIARCHA Constantinopolitanus, Episcopo Cretae, volenti proficisci ad Episcopatum suum.

CHarissime mi frater & comminister, gratia tibi & pax à Deo. Consilium istud tuum ac voluntas quae ad aures meas perlata est, fortis virilisque animi, ac sursum tantum aspicientis, veriq; Pastoris, vere ac legitime certantis, & nomini ac vocationi suae respondentis visa est: non autem mercenarii & fugientis non solum si lupum videat, sed si vulpem: vnde Gregi Christi, principis Pastorum, damnum creet; & animae suae infinitos praepararet cruciatus. Cur enim iste non potius vitam priuatam viuere maluit, si cogitabat succumbere, seque, non oues, pascere pro quibus sanguinem suum Christus profudit? Quemadmodum nō venit huic in mētem, eius qui maledicto eum affecit, qui *opus Domini facit negligenter?* quamuis facere, nomine simulēt, in cuius alioqui insidet, quod de insipiēte scriptum est, qui *dixit in corde suo, non esse Deum*: neque n. Deum ponunt, qui haec in conspectu eius facere audent. Ex quorum numero & ordine, faxit Deus ne simus; ascribatq; nos inter fideles dispensatores, concedatque benigne vt praesto simus Principi Pastorum, ad perficiendum quae oportet; ponamusq; animas pro Ouibus eius qui simul & demonstrauit & edicto sanxit, quod omnibus Pa-
C storibus (si quando alias) hodie maxime cōuenit: cum non solum lupi graues; impij, inquam, & haeretici; in Gregem Domini irruunt; sed ex nobis ipsis, vt Apostolus ait, viri & mulieres non verentur Christianos à Christo distrahere, & auellere. Quamobrem veris Pastoribus non est tutum non vigilare, & non circumquaque omnia lustrare, ouesque errantes solum quaerere, ac non magis solicitos esse pro iis quae non errant; pro teritos horum tēporum tenebris quae iusto Dei permissu ac iudicio nobis illatae sunt; quia scilicet non ita viuimus, vt eum decet qui nos vocauit. Sed, ô animarum nostrarum detrimentum! ô ingentes poenas, nobis ob nostras libidines & perturbatas voluntates, quae hoc malum pepererunt, infligendas! hoc, inquam malum; vt gens sancta, per omnes campos & montes vitio Pastorū absentium dispersa ac dissipata erret. Quare, quo celerius istud tuum debitum tibi inspiratum persolueris, sanctumque propositum perfeceris; tanto cum maiore lu-
D cro perfeceris. Debent hoc facere omnes boni Pastores, quicunque hoc nomine digni sunt; ita vt qui cessarit, non sit impune cessaturus. Etenim si quisq; Pastor in Dioecesi qui illi obtigit, vel biduū moretur; experiri liceat, permulta peccata & damna non esse futura in populo. Perinde namq; esse videtur, gregem abesse à Pastore; vt caecum duce carere. Sane augentur oues & in tuto sunt, cum praesunt veri Pastores. non autem qui solum ebibant lac, & lana tegantur; omnique studio & arte seipsos non oues pascant. Quod malum Deus ab ouili nostro auertat, multiplicetque in eo potius quicquid diuinum Deoq; gratū. Etenim si quod de te auditum tantum est à multis; de tuo ad dioecesim reditu (quod alioqui ab omni Episcopo fieri debet) continuo visum est omnibus laudabile: nempe oues ablatas fortiter recuperare; non ablatas conseruare viriliter: interdum etiam alienas adiungere ad nostras, tum errantes & amissas, quoad fieri possit, quaerere ac vestigare, & inuentas in humerū magno conatu imponere ad Ecclesiasque reducere in numerum eorū qui ab errore alieni sunt; haec inquam, quam grata Deo, & Deo deditis fuerint? Id-

Pastoris officium.

E circo quod voluisti, quia honestissimum erat, laudauerūt cordati & prudentes omnes, & in primis Imperator ipse, qui non solum approbauit, sed magnifica verba fecit nactus hanc occasionem Ecclesiae vtilem, imitatus eloquentissimū illum virum, cum quo (quoties pro Ecclesia illi dicendum est ad vtilitatem multorum) nemo orationis suauitate, copia & elegantia certare potest, & vsque adeo, vt dixi, propositum consiliumq; tuum aptum & congruens visum Imperatori est, vt Synodicis literis & Edicto suo decreuerit, vt ex Episcopatu, Metropoli Mononbasiēsi subiecto, ducenti aurei annis singulis tibi redderentur: quo etiam beneficio nos obligauit, vt non solum propter religionem Imperatorem laudemus, & pro eo omnes Ecclesiastici preces adhibeamus, sed propter variā, multiplicēq; beneficentiam atque prouidētiam. Hoc exemplo factum est, vt Episcopus Sardensis, prae studio & cupiditate eundi celeriter ad requirendas oues suas; non excusarit pericula, impedimenta itineris, senectutem, temporisque incom-
F moditatem, quas omnes difficultates vicit animus ipsius promptus. Quem, Imperator, cum laude dignum iudicaret, & ad debitum ac salutare munus excitare vellet, prouidit vt esset, vnde illi necessaria commode suppeterent: scil. suo consilio & auctoritate perfecit, vt Decreto Synodi & Edicto Regis, Metymnensis Metropolis ei addiceretur, vt tibi hactenus adiecta fuit: idque duplici nomine & causa, & vt Metropolita praesidio septus esset ad regendum, & vt populus ipse Metymnensium commodius faciliusque regeretur, ac propter vicinitatem oues scabiosae curari possent opportunius, tum bene valentes conseruari & excitari ad honesta opera. Vtrumque enim vestrum maledicto afficit scriptura sancta, si cum suis Pastores, non vsque ad sanguinem, in iis quae diximus efficiendi persistatis; donec, vt confidimus, Deus nobis propitius, pacē tranquillitatem ac salutem, cuiusque Pastoris gregi restituat; quod vt faciat, placandus flectendusq; nobis est, & nostris recte factis, obedientia, & vita Christiana implorandus. Ita enim fiet, vt legem diuinam seruantes, quae turpiter viuentes iuste amisimus, precibus beatae Mariae testituantur. Vale in Christo.
G

Preces pro Imperatore.

Preces sine intercessio B. Mariae.

Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus Episcopo Sardensium. EPIST. II.

NOsti, quemadmodum sapientia discipulos suos doceat: *Ne (inquit) reprehendas sceleratos, ne te oderint*: tanquam sapientes tantum reprehendere oporteat; vt quicunque fratres amant, vicissim amentur. Opportune hinc principium sumpsisse videbor, qui ad te, virum sapientem & in literis sanctis eruditum, scribam. Scio te non ignorare quae sanctis Apostolis de constitutione rerum Ecclesiasticarum sancita sunt, ex quibus vnum est, vt quisque Pastor intra suos fines insistat propter pacem & charitatem, quarum est Iesus arctissimum vinculum, quod solui non potest. Scis praeterea, vt quales nos essemus, appareret; quibus notis verum Pastorem designātibus, magnus ille Pō-
H tifex Christus, munus Pastoris diffinierit: nempe mutua in illum charitate. Deinde non ignoras ornatum probi Pastoris, qui sit animas gregis sui euidenter cogniturus, de quo scriptum est: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Et quod Gregorius cognomento Theologus edisserit; Non vnumquemuis discipulum ad Euangelium mittit; neque qui mittitur, quomodocunq; mitti, sed qui veritatis virtutisque studio tantum intentus sit, vacuus & expeditus omni cura, omnique impedimento liber, sine aere, sine virga, vna tunica, nudis etiam pedibus, tanquam non possint aliter, *speciosi esse pedes Euangelizantium pacem, & caetera bona.* Intellexisti etiā quis sit mercenarius, & qualis; de quo pudet me tum dicere tum tacere, cū satis ipse status temporum & rerum eum ostendat atq; coarguat. De quo si attente audiam Prophetas, cum in mei similes Pastores his verbis inuehuntur; *Pastores pascunt seipsos, non oues.* Et illud; *O pastores, qui perditis oues pascua.* Item: *Pretio respondent sacerdotes; sacerdotes Legem domini occultarunt, & Legem meam violarunt, & sancta mea profanarunt.* Item illud *lanis ouium indui, & mactare quod pingue est, lac bibere*: *haec*, inquam, attente

A audiens; quid faciam, ne metuam eos qui me redarguunt, & clare ob oculos mihi ponunt, qualis sim? quæ si fabulas putat qui in ignem illum extremum nō intuetur, mihi certe non fabulæ, sed ita horribilia omnia esse videtur, vt horrore excedant consummantque medullas. Neque tamen curamus facere pro viribus ne propter aliquod ex his vitium ac scelus constricti vinculis arctissimis, pœnis sempiternis afficiamur, sed potius damus operam vanis contentionib. iudiciisq; ad libidinem nostram corruptis, aut ab eo quod fieri oportuit, abducimur. Quæ n. facere solent, qui statū Ecclesiæ perturbare moliuntur; hæc isti quæstus gratia faciunt, scilicet cum à principio cōstitutum esset, vt bis quoq; anno Synodus haberetur; postea vero commodius videretur haberi semel; ne oues propter crebram absentiam Pastorū, facile à lupis inuadi possent. Nostra nunc ætas, nescio an aliquid prudentioris consilii prouidens, an corruptius iudicans, hoc quoq; sustulit: vnde grauia & noua mala suscitauit, & curam Pastoralem in pecunias pauperum corradendas contulit, grege lupis relicto: magna

Synodi prouinciales.

B vero diligentia & vigilantia locum Episcopi ornarunt, vt desertis suis gregibus apud Reginam Constantinopolem accubarent. Deniq; maluerunt, breui voluptate contenti, carni indulgere; quam cum populo Dei laborare; cōtemptis legibus diuinis quæ prohibent, ne paulisper quidem impune à grege abesse. Ac nisi, vt Apostolus ait, *inimicus viderer verum eloquens*; possem aliquid vere dicere. Quid, quæso, iuuat istos Episcopos & Pastores in vrbe morari, nisi (omittam alia) vt Patriarchas alios moueant, alios eligant; ne si idem diu sit Patriarcha res omnes Ecclesiasticæ compositæ sint: quod præclarum facinus ex eo tempore facere isti cōsueuerūt, ex quo Constantinopole potiti sumus. Quod quidem cum reliquis malis non est ambiguum & incertū, quin iram Dei nobis augeat: quādoquidē tolerasse Deum mūdi peccatum didiscimus, eremi vero peccatum nequaquam. Similiter verissimum est, neque Pastores qui gregē negligunt, impunitos; multosq; discessuros, tametsi fortasse non ita videatur iis qui sponte velamen obtendunt,

C ne limatam Euāgelii veritatem aspiciant; sicuti cum Moyses legitur populo Israel; Quos quidem existimabam sublato iam velamine, reuelata facie videre. Sed, ô calamitatem & miseriam, vt tēpore ipso facile mala subeunt! quale est hoc monstri quod nunc ortum est, vt reperiantur Episcopi qui tantum dent consilium suamq; dicant sententiam; non autem qui decreta sententiamq; maiorum tum priuate tum publice confirment & sanciant; ita vt iam in causis pauperum nobiscum quidem sentiant qui pariter iudicant, non tamen in causis diuitum atque nobilium: quamobrem non conuenit mihi cum his confessorib. iudicibus iudicare. Si pax munere Dei consecuta fuerit, & consilium frequens cogi contigerit, corrigentur hæc omnia: quod si secus euenerit (quandoquidem nescimus quid proximus dies sit allaturus (Iudex ille qui falli non potest, Ecclesiæ suæ consulet. Hoc te scire volui, ne molestum esset venire. Vale.

D *Gratia & pax tibi à Deo omnipotente Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopo Apamea.*

Epist. 3.

EXistimo te non ignorare quid Basilius ille magnus ad Gregorium scripserit, de eo vt excluderet muliereulam quam domi habebat; & quemadmodum iusserit, vt nisi statim excluderet, cessaret ab officio sacerdotali redditurus Deo rationem cessationis, futurusq; cuncto populo anathema si non cessaret; sed potius absque reuerentia Deo offerret: quibus verbis demonstrauit, quantū damni & iacturæ faceret, qui dignitatem adeptus non exerceret ministerium recte & assidue. Sunt itaque facta sanctorum Patrum exempla nobis; vt quæ nobis facienda sunt, cum iis comparem⁹ quæ gratia SS. per eos aspirauit; in quæ aspiciendum est, vt in solem aspicere solent, qui lumē desiderant. Quamobrem tibi hoc exemplar insculpimus. vt quādoquidem Ecclesiam tibi commendari voluisti, gregem Christi ad pascua viridia & salubria omni studio agas & ducas, defendasq; eum à bestiis non quibuscumq;, sed Arabicis; tum corporalibus, quæ cernuntur; tum spiritualibus quæ non cernuntur. Et (vt debet verus Episcopus) re-

Ministerii sacerdotalis assiduitas.

Episcopi residentia.

E sideas sancte ad sanctam aram, de qua tibi participandum est, sicuti Dominus pronunciauit *dignum esse operarium mercede sua*. Quamobrem nō est existimandum, licere tibi diu quauis de causa abesse: quia potius faciendum tibi est, vt celeriter ire possis ad eam Ecclesiam quæ tibi addita est & commendata, vt ei præsis: hoc autem facies, si prius restitui feceris quæcunque siue te conscio siue non cōscio surrepta esse constiterit; vt benigne Deus sua cuique nostrum tribuere velit, quod erit suo tempore iucūdissimum. Quæ quidem sublata sunt ab iis qui hanc labē Episcopis aspergere volunt, vt dum ipsi aliis insidiantur & iniurias ingerunt, culpa in eos qui mali Pastores sunt, transferatur alioqui quemadmodum ire licebit in aspectum eorum quorū damna & iniurias inhumane contempseris: à quo tamen, omni se iniuria liberādos esse sperabant, aut quemadmodum cogemus eos vt magistratū ferāt, nisi quod Zachæus faciebat, hoc idem nos fecerimus? ille enim *si quid aliquem defraudabat, reddebat quadruplum*. Et Dominus pios omnes iubet ab auaritia abstinere: quod quidem qui non fecerit

F & docuerit; quemadmodum non erit anathema populo? Est enim peius non facere hoc, quam quod Gregorius ille, quem dixi, fecit. Quanto facilius, & leuius id mali potes corrigere? alioqui vtrumq; immo quicumq; nō emendantur, à Christo principe Pastorum punientur. Ergo postquā hoc perfeceris, veni ad nos, vt literis acceptis à nobis absoluaris; & confirmatus, eas bona conscientia ad munus Pastorale administrandum. Quandiu enim non verberis hæc quæ facis facere, nos quidem, te à Diœcese tua absente, rei non erimus tuæ vacationis eorumq; malorum quæ ex absentia & vacatione nasci necesse est; neq; eorum bonorum interceptores, quæ si adesses, opere & sermone facere poteras, & debebas. Concedat tibi cunctisque Fidelibus, Deus, quod commodum est.

Athanasius Patriarcha, Episcopo Apamea.

TErtio iam ad te scribo, mi frater & Cōminister, quandoquidem binis meis literis superioribus, quas ad te misi, nō *stetit verbum velut in ore duorum testium*, sicut ait scriptura sancta. Hortamur ergo te, quia hoc ius postulat; vt

Epist. 4.

G quæ surrepta sunt, iis quibus surrepta esse constat, restituātur: vt cum restituta fuerint, ipse Ecclesiam tibi commēdatam adire possis, cumq; honorare à quo cuncta sunt ita iustis & mirificis modis disposita atq; distributa vt vel grues suo tempore canant, neque sint omni tempore neq; omni loco graculi. Ego vero eum cui grex Christi cōmissus est, si dignitatem muneris norit, iniquum esse arbitror, nō vsque ad sanguinē assidue ei studere & incumbere. Nisi forte ignoratis, Deum esse qui dixerit: *Petre amas me? pasce oues meas*. Sed, hei mihi! nō iam Pastores oues pascunt; sed ouibus tanquam pane pascunt. Iam horribilia illa mala malorum Pastorum, quæ propheta Ezechiel describit, summa licentia irrepserunt. Quæ si talia, tamq; grauia vobis videntur; age, optime vir, contentus esto tua Diœcese; permane in ea: factis cum ouibus tuis, vsq; ad sanguinē illis affixus; quas quidem nunc in myrteris, inter ficus & rosas, aq; in

Ezech.

H montibus diuina prouidētia custodit. Neque n. quod certissimum est, virga & baculo tuo pastorali fit, vt in pascuis virentibus pacis & bonorum cœlestis Hierusalem, eæ sint. Scis enim, qui amplius sex mensibus à Diœcese abfuerint; nisi eos grauis morbus teneat; Canonibus, & Legibus firmatum esse, vt sacerdotium & gregem amitterēt. Verum, nouum consilium & sceleratum hic à nostræ ætatis hominibus excogitatum est: scilicet; mittitis aliquem qui sciat mulgere gregem; ipsi vero in vrbe Constantinopole expectatis propter præfecturas ciuiles, subscriptiones, intempestiuas ordinationes; adde etiam bullas & decreta: & tāquam impune sit vobis futurum, ita procul à Diœcese vobis commissa receditis; & alia huiusmodi, vt cui quælibet, committitis. Oportebat potius, cunctis Episcopis vndiq; in vnum cōgregatis, suam cuique Diœcesem funiculo distributionis circumscribi; atque ita Patriarchæ partē suam à vobis assignari, aut vos à Patriarcha priuari. Et quid prodest, laborasse vos in deligendo ac constituendo Patriarcha; ac postea insultare & efferri in eum; & vita ipsa atque factis irridere; nulla, ne ad breue quidem tempus Canonum,

Episcopi amplius 6. mensibus absentes Sacerdotiū amittunt.

A

num, & Legum ratione habita: quem si vestris fortasse libidinibus resistere videatis (continuo crimina fingitis; & eum, cum infamia atque dedecore eijcere contenditis. Ad quid vero necesse est ad suam quemq; Diœcesem ire (propriam dico, aut sibi commendatam) nisi vt lupos inde arceatis? Quod si forrasse huc vos incitat & trahit tum studiũ atq; desiderium consulendi multorum saluti, idque vobis propositum est; tum scientia tam multa vt hinc possitis, etiam quæ extra fines vestrarum Diœceseôn posita sunt, gubernare: Ad extinguendam sitim hanc huiusq; studij ardorem, veniat in mentem illius cui plurima sanctarum literarum scientia Theologi cognomentum dedit, illiusq; paruę Sozimorum Diœceseos; ita vt vel propter reuerentiã illius excellentis viri, vel propter æqualitatem honoris quo cõtenti esse debetis, quisq; vestrum intra suos se fines contineat. Quamobrem existima, frater, deberi à te hoc vsq; ad sanguinem, vt cum ouib. tuis sis & viuas. Hoc idem cæteris Episcopis studium esto; ipsis quidem & eorum gregibus salutare. Neq; enim, hoc præsertim tempore, supplicia effugiet Pastor, qui cum grege non laborat; in quem profecto conueniat quod Dominus ait: *Videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit eas*; quæ qui non audit, sententiæ huius authorem contemnit. Etenim nisi hoc fiat, quorsum iste vester conuentus? quid commodi affert aut si quid boni hic agitis, dicite. Ego enim, nisi sacerdotio labem aspergeret oratio, multa demonstrarem indecora & ab Ecclesiæ constitutione aliena, quæ ex isto vestro in hanc vrbem Conuentu proficiscuntur.

Propria & commendatis Diœcesis.

Gregotius Theologus parua Diœcesi contentus.

B

Ioan. 10.

Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus Episcopis ad Diœceses suas proficiscentibus. Epist. 5.

SI quid est aliud necessarium, idque omnibus, maxime est, fratres & Compastores mei: necessarium præsertim magistris Ecclesiæ, S. Scripturam reuereri, metuere, & diligenti perscrutatione examinare; atq; ad perficienda quæ in ea mandata sunt, promptos expeditosq; esse cunctos Christianos, nisi prorsus insaniant. Dominus enim est qui hortatur perscrutari Scripturas; & ex eis, tum præterita, tum pleraq; in posterum futura discere & docere. Vnde salutis suæ cupidis semper studium fuit. Mosem & Prophetas audire. Verbum enim iudicat nos, vt is qui mentiri non potest docuit. Quare omnis Scriptura diuinitus inspirata salutaris & vtilis est ad examinandum quod conueniens est & honestum, & ad erudiendum atq; corrigendum. Vtilis, inquam, non solum ijs qui turpiter viuunt; sed magis ijs, qui sobrie & continenter: ijs vero qui Pastorali dignitate & gradu qualicunq; præditi & ornati sunt; & ipsa vita æterna, & lucerna pedibus eorum, viaque certissima ad faciendas Dei iustitias. Ex ea enim discimus, per quem & à quo facti, & ad quem tendamus: quibus quidẽ iniunctum est munus docendi; & non vtcunque, sed ita pascendi, vt eum qui pascere dedit, vicissim amemus; scientes quis est qui venit, & iterum venturus est ad iudicandum viuos & mortuos: & scientes quod Pastores qui Dei præcepta, vel propter reuerentiam & metum vel propter charitatem animo seruarint; ad dexterã positi, incredibili splendore fulgebunt: qui vero nõ seruarint; ad sinistram erunt, ad omne genus cruciatuũ damnati: &, quod est omnium intolerabilissimum atq; acerbissimum, procul à conspectu Dei eiecti, & perpetuo conscientię morsu exagitati: rursus vero qui munere Pastorali recte defuncti fuerint, coram Angelis & hominibus laudabuntur, vtpote probi, fideles & prudentes atq; grati, quiq; sal & lumen fuerint hominibus, nihil quod vtile atq; commodum esse prætermittentes: qui non verbis solum, sed factis & virtutes tradiderũt, & vitia expulerunt, cunctis præcipientes vt declinarent à malo & facerent bonum. Ad quod quidem bonus Deus Legem non scriptam naturę insculpsit gratis: deinde seruos mittere non destitit, qui nunciarent Dei voluntatem non solum inuitatis ad cœnam & nuptias, sed ijs etiam qui erant in vijs & sepibus cum ornatu nuptiali: cæteros enim non sic ornatos, vincula & tenebras manere. Rogo; quicunq; Pastores appellamur, demus operã, vt in eorum numero reperiamur, quos Deus occulto suo iudicio, quod ipsi soli notũ est, ad vocandum inuitatos misserit obsecro & obtestor ne obliuiscamur, neve iussa

C

Diuini verbi vtilitas.

D

Exhortatio ad Pastores.

E

mandataq; eius qui misit abijciamus ac negligamus, sicut ij qui corda habent crapula & solicitudinib. mundi grauata & depressa. Qui quidẽ vigilare & orare iussi sumus, tanquam non aliter futura tormenta vitare possimus, neq; aliter corã Deo sisti innocentes, ostensuri vtrum, minis datis, ad mensam negotiati fuerimus, an potius in fundo atq; sudario occultauerimus, vt quidã præ nequitia & ignorantia fecisse accusati sunt. Horribiles profecto sunt minæ nobis Pastorib. propositæ, nisi vigilauerimus: quibus mandatum commissumq; est, tradere conseruis, tum verbo tum factis, vera dogmata & vitæ perfectæ normam; tum reposcere rationem progressus spiritualis, vigilanter tuba canere, ne romphæa animam alicuius corripiat alioqui ex manib. nostris repetendam, deniq; incessanter explanare quæ sit Dei voluntas: & cum olim ad hoc opus multi missi fuerint, nostrum est timere ne in labores eorũ ingressi, pœnas demus si minus laboremus. Quod, vtinam ne nobis eueniat quib. donata sunt non solũ quę typis & symbolis designata sunt, quæq; Prophetæ atq; iusti expetierunt, sed etiam gratię dispensatores facti sumus. Quare nisi aperto capite munera Dei, quæ neq; oratione consequi, neq; mente comprehẽdere licet, perpetuo prędicauerimus, quicunq; huiusmodi dignitate Pastorali præditi sumus, haud dubie in manus Dei incidemus: nisi, inquam, prædicauerimus queadmodum ex nihilo cuncta Deus effecerit, quã admirabilia existant ex omni parte Vniuersitatis rerum hominem beneficia, quæ nobis promissa si mandata Dei perfecerimus; quæ rursus minæ suppliciorum propositæ si non perfecerimus; & nisi prædicauerimus quod qui male vixerunt irato Deo ab hac vita recedẽt, demus pœnas daturi sempiternas. Præterea repetere voces Prophetarũ, quas illi ad reuocandum à vitijs hominum genus adhibuerunt: item commemorare aduentum Domini, & bona inde profecta: tum mortẽ probrosam, sepulturam & reditum ad vitam, ascensum ad cœlos, missionem Spiritus S. tributumque hominibus Spiritum S. Apostolos missos in vniuersum mundum vt baptizarent ac docerent quæcunq; ipse seruare præceperat; quibus, se, Christus promisit semper ad futurum. Adhæc instare diem illius magnæ iræ & calamitatis, propter multitudinem scelerum; quando Draco ille, ex improuiso, ad corrũpendos omnes aderit. Item Eliæ & Enoch reditum ad incumbendum saluti hominum aduersum diabolum, quem Dominus pręsentia aduẽtus sui destruet. Pręterea dicemus de rapiendis obuiam Christo, quando cœli magno impetu transibunt, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurẽtur. Quæ quidem cum expectentur; quales, quæso, ac quam sanctos nos esse oportet? Debemus etiam cõmemorare Iudicium extremum, subsellia apposita, pręsidentem Iudicio Antiquum dierum, libros apertos, fluuium ignis: deinde, eos qui ad dexteram erunt, commendatos bonis operibus processuros in resurrectionem vitæ; eos vero, qui ad sinistram, processuros in resurrectionem iudicij. Hæc sunt, quę à nobis sunt semper populis inculcanda, & honestę vitę exemplo commendanda, atq; consulenda; quæ quidem cum Deo nos copulant. Hoc est illud Euangelij, bonos fidelesq; dispensatores dare conseruis suis in tempore mensurã tritici: confirmare, inquam, fratres; vt contemptis bonis terrenis, soli virtuti & Deo adhæreant. In his vigilare, & hęc meditari debemus, fratres; si magno ministerio, cui præsidemus, satisfacere velimus: ac nõ potius illos imitari proscriptos profligatosq; dispensatores; qui dum, vt illis videtur, morã Dominus facit, edunt & potant: quos, cum venerit, idem, vt minatus est, diuidet. Quæ omnia non solum nos inclamare debemus, sed etiam fidelibus hominib. cõmendare, qui possint & alios docere; ita vt nihil sit faciendum, quod à S. Scriptura alienum sit. Debemus præterea eos, qui peccauerint, pœnis & locis ad eas soluendas descriptis, secundum Canones Patrum afficere; distinguentes sanctum à profano: impie enim agunt quidam, qui multos eorum violant, neq; meminerunt quod scriptum est; *Impij transierunt fines*. Et illud; *Maledictus* qui terminos à Patribus positos transgreditur. Et quod est in Euangelio: *Qui soluerit vnum ex mandatis, minimus vocabitur in regno cœlorum*. qui autem fecerit & docuerit, magnus. Omni itaq; studio laborandum est, vt concupiscentias carnis quæ militant aduersus animum, supe-

F

Episcoporum non prædicantium pœna.

G

Iudicii extremi metus.

Matth. 25.

H

Peccatores canonice plectendi ab Episcopis.

superent omnes Fideles: admonendiq; subinde, queadmodum clamet Paulus vas electionis; neminem eorum qui peccatis operam dant, possessurum regnum cœlorum. Qui cum nos hortetur vt eum imitemur, sicuti ipse Christum; beatos Pastores qui eum secuti imitatique fuerint. Tametsi enim non sint imitabiles illius excellētissimæ virtutes (qua sumus ignauia & inertia) illud, inquam, viuere ex manibus, & Euangelium sine sumptu ponere: nobis tamen satis est si præbeamus nos operarios cibo dignos; ac non potius bona pauperum hianti ore deuoremus. Hortandi præterea, vt arrectis, quod aiunt, auribus, & vigilantes, clamorem illum mediæ noctis, improuisum & subitum expectent; ne nihil cogitantes & in scelere occupati, aut voluptati vel somno indulgentes, aduentum illum illustrissimum pulcherrimi. Sponsi non sentiant. Vt enim admoneremur vigilandum esse, horam noctis appellat Dominus, illuminatissimum illud tempus. Vtinam nunquam nati essent quibus claudendum est, & frustra standum atque pulsandum, quibus tolerabilius cuiusque fuisset igne consumptos esse, quam audire illud; *Non noui vos.* Quamobrem Paulus, *Ne erretis*, inquit; enumerans, scil. quæ à Regno Christi arcent & excludunt; quæ omnia nisi vobis discipulis eius nos commemorauerimus atque denuntiauerimus, væ nobis! Caueamus ergone debito quod commune est omnium Pastorum, populos fraudemus; Debito, inquam, fungendi *pro Christo legatione*, Deo per nos hortante, ne quis semel baptizatus committat vt ad nuptias intrare prohibeatur. Eos vero qui alios decipiunt, tanquam falsos Apostolos & impostores, adhibitis sanctis Scripturis redarguamus ac prodamus, commemorato exemplo decem Virginum, sagenę missæ in mare, illius induti sordidè, alijsq; huiusmodi. Hæc nocte dieque debent singuli Pastores gregibus suis inculcare: quæ tam necessaria sunt, quam est respirare animanti. Necessarium, inquam, omnia iudicia & testimonia Dei denuntiare, ita vt ab hoc officio neque eos superbia & elatio retrahat, neque altitudo diei, *id est*, prosperitas & opulentia: quin potius, si tempus postulet, pro legibus, & Statutis diuinis sanguinem fundere, quoniam non possit aliter Pastor Christum amare, qui Magistrum finibus charitatis circumscripsit, cum dixit Apostolus, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Deinde cauendum nobis est, ne vlli cito manus imponamus, non ante iustam ætatem, non sine titulo, non extra fines diœcesis. Testimonium dicant non quiuis, sed graues homines, qui educationem eius & mores norint, an ne sit iracundus, an superbus, an ebrius, an auarus, an pugnax, an dicax, an percussor, an petulās, an illiteratus. Post ordinationem vero curandum est vt sacra reuerenter ac religiose tractare & administrare discat, mysteria præsertim Eucharistiæ ac Baptismi: ne, quæ sanctissima sunt, ab aliquo deliro indecorè & temerè administrare doceantur. Ad hęc prouidendum, ne cuiuis pateat ascensus in suggestum; neque docere liceat in Ecclesia, nisi ei qui castitate etiam & temperantia atque pietate præditus sit. Item vt nihil eorum quæ ad edendum idonea sunt, offerantur in Ecclesia, præter oleum, ceram, & thus. Nemini sine probatione, aut pro munere, Eucharistia detur, nisi permissu & concessu Patris spiritualis. Ne liceat impune non vacare in festo Resurrectionis, neque ingredi in fines alterius: in coniugijs, caueatur pueritia, propinquitas sanguinis, adoptio & susceptio in baptismate. Videndum est etiam, vt coniugium non solum licitum sit & concessum, sed decorum quoque: Ne, inquam, puella seni nubat, néve ante benedictionem vna cubent. Ieiunia quatuor Temporum ne soluantur, neque ieiunia quartæ & sextæ feriæ. Eleemosyna, temperantia, iustitia, & veritas ab omnibus fidelibus colantur. Soluere Ecclesijs Decimas & Primitias, celebrare Memorias Sanctorum, meminisse propinquorum in precibus, abstinere à fornicatione, sanguine, & suffocato, à præstigijs, incantationibus, obseruationibus superstitiosis ab omni specie diuinationum: non comprehendere cum hęretico, nisi sit sponsor qui Canones seruare non didicit, eum neq; baptizari neq; Monachum fieri liceat. Monachum qui à Monasterio aufugerit: qui receperit aut ordinarit, puniatur. Denique repetenda sunt & commemoranda frequenterá magistris Ecclesiæ, quæ fideles facere debent; & quæ, tan-

A

B

Matth. 7.
1. *Cor.* 6.

Pastorum debitum.
2. *Cor.* 5.

Summa prædicationis Euangelicæ.
Pastores concionare omnino necesse.

C

Rom. 8.

De Ordinationibus faciendis.
Mysteria Eucharistiæ & Baptismi.

Lector qualis esse debeat.

D

Feriæ Resurrectionis Dominicæ.
Coniugiorum leges.
Adoptio, seu susceptio in Baptismate.
Ieiunia 4. temporum.
Sanctorum memorias celebrare.

Monachus fugitiuus non recipiendus.

quam pestes, abominari. Commemorandus etiam ignis ille, in consummatione seculi expectandus. Tum execrabilis illa mundi lues; nefarij, inquam, Antichristi aduentus; ne si ex improuiso, nihil præmeditatis, adfuerit iniquus ille atque superbus, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus; multi in errorem inducantur, cum eodem in flammam ignis conijciendi. Hoc, precor, Pastorum opus sit; hęc cura & studium, vt quæ Patribus visa sunt, quæque illi accurate tenuerunt, illa ad temperandos regendosque fideles adhibeamus: & qui ea non seruarint, quæ seruare non soluere iussi sumus, hos maledictis grauissimis anathematum afficiamus. Ante omnia vero baptizatos omnes hortari debemus, vt vsque ad sanguinem integerrime seruent quæcunque Christus præcepit: affirmantes absque operibus mortuam esse fidem; & quod non omnis qui dicit, *Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Et illud: Qui non amat me, sermones meos non seruat. Hæc & alia huiusmodi ex sanctis Scripturis, nisi ijs qui ea ignorant exposuerimus; quemadmodum erimus fideles dispensatores? Ne, quæso oscitanter atque negligenter, sed cum timore potius atque tremore, sine vlla cunctatione, Euangelia sancta edisseramus, docentes cœlum & terram transitura, verba autem eius nequaquam. Dicamus, frustrà fortasse dictum esse in Scriptura; nemo erret: nemo, inquam, neque eorum qui antea fuerunt, neque eorum qui postea erunt. Est autem nobis primum, qui Pastores sumus, nauandum virtuti; docendumque omnino, quod est in sanctis Scripturis, eos qui Christum eiusque sermones reuerenter obseruauerint; eos, inquam, ab eodem Christo confitendos, declarandos & coronandos; ac gloria sempiterna esse honorandos qui cum corpore & spiritu honorarunt: nunc, inquam, iam fideles atque prudentes declaratos; ad nuptias, & immortales illas delitias admittendos, vt cum pulcherrimo illo sponso Ecclesiæ Domino nostro Iesu Christo semper sint; cui honor, & imperium in sæcula.

E

Pastorum cura.

Fides sine operibus mortua.
Matth. 7.
Ioan. 14.

F

Pastorum officium.

Eiusdem Athanasii Constantinopolitani Patriarchæ, ad Imperatorem, vt iubeat Episcopis ire ad suas Diœceses. Epist. 6.

SI vrbes in Oriente vastari & funditus interire scis, quod malum Deus auertat; cur non iubes, qui curam omnium à Deo suscepisti, vrbes deseri, & ad nos venire habitatores earum? Immo potius, in gratiam Episcoporum hoc prohibes? Sin autem, per gratiam Dei, hoc tua prudentia & iudicio assequeris; puniri nos à Deo, non vt pereamus, sed vt conuertamur: cur non iubes Pastoribus illarum ciuitatum, vt quisque eorum cum grege suo sit, vt tum precibus Deo adhibendis, tum admonitionibus & obiurgationibus suos à peccatis seruent; atque ita Deum placent, vt minas aliquando remittat. An si tu oues pastori committeres, deinde illas quidem derelictas cerneres, illum vero quieti suæ suisque cupiditatibus indulgere & seruire; dic obsecro, relinqueres ne Pastorem impunitum? Non patimur oues pecudes impune negligi, & patiamur Pastores animarum impune seipsos pascere, non oues? Quid, quæso, apud Deum excusabimus? Vtinam ne illud nobis exprobretur: *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Quod enim preces & vigilias præ ignauia non curant; & nos, quia his vacamus, rident: planè ostendit, nihil eos malle, neque aliud eis esse propositum, quam Patriarchas mouere, & munera accipere in iudicio, & cætera alia committere quæ ipse status temporum docuit. Aut igitur iube singulis quibusque ad Diœceses proficisci suas, aut sinant me ad vnum è suis gregibus ire; & me iureiurando obstringam nunquam ab eo discessurum, ipsi vero vrbem Constantinopolim sibi inter se diuidant. Quid enim infelicius esse potest, quam in cæteris ciuitatibus licere cuique Pastori suos, quantum potest & ius est, regere atque gubernare; in sola vero hac vrbe iudicem esse quicunque velit? Verum si mihi credis, religiosissime Imperator, fac vt hos potius tristitia afficias, quam Deum. Etenim, si quando alias, nunc maxime Episcopos cum gregibus suis mori oporteret. Quod si nolueris propter tuam erga eos reuerentiam, cogere vt faciant quod facere debent; ego suscepta causa, velint nolint, ex vrbe pellam, reddamque audaciæ huius rationem Deo.

G

Pastoris & Episcopi collatio.

Phil. 2.

H

Episcoporum non residentium mala studia.

Eiusdem Athanasij, ad eundem Imperatorem, de eadem re.

Epistol. 7. SI verum est quod dici solet; qui gregem Pastore priuat, vtrique periculum creare: profecto graue supplicium manet eum qui Pastorem arcet ab ouili; debetque qui Pastor est, vsque ad sanguinem pro grege Christi non relinquendo labores perferre, nisi cum opus fuerit in Synodo singulis annis ad agendum de rebus necessarijs paulisper abesse. Synodus. Quibus conclusis, celeriter redeundum illi sit, si credit se redditurum rationem summo Pastori Christo, & si dignus est nomine Pastoris: nisi forte etiam propter necessitatem, ad vtilitatem animarum pertinentem, ab Imperatore aut à Patriarcha statim rediturus vocetur. Quod si aliter Episcopis aut Imperatori videatur, siue quid secus fiat, minime ipse sequar, neque assentiar vllo modo: neque enim rationem habebit Deus causationum nostrarum & cupiditatum, sed rationes reposcet de veritate, iustitia, diuinisque legibus, & statutis. Causationes de non residendo. Ex Epist. 8.

Eiusdem, ad eundem, de eadem re.

MEmento scripturæ, quæ iubet contristare potius homines quam Deum. Tibi vero, Imperator, cur graue videatur, iustitiam, temperantiam, misericordiam populis tuis sancire; & inde non modo nullum incommodum reportare, sed potius operibus bonis conciliare Dei misericordiam? quid iustius, quam si Episcopus quisque iubeatur, velit nolit, ad diœcesim suam redire? Annon hoc debitum soluere tenentur; idque Canone sancitum est? nonne Pastorum præsentia potest, hoc præsertim tempore, populum ad preces excitare? Quæ enim alia spes Christianis relicta est, nisi quæ in precibus posita est? Christianorum spes reliqua in precibus. quod si cupiunt in hac vrbe habitare diuidant illam inter se, &c.

Finis Tomi Decimi Tertij.







